INSTITUTIONES
JURIS PUBLICI
UNIVERSALIS,
NATURÆ, ET GENTIUM.


INSTITUTION
LIS
NATURÆ ET

INSTITUTIONES
JURIS
UNIVERSALIS,
NATURÆ,
ET
GENTIUM,

AD NORMAM
Moralistarum nostri temporis, maximè
Protestantium,
HUGONIS GROTII, PUFFENDORFII,
THOMASII, VITRIARII, HEINECCII, ALIORUMQUE EX RECENTISSIMIS ADORNATÆ,
Et ad crisin revocatis eorum principiis, primùm
fusiore, tum succinctiore methodo pro Studio Academico,
PRÆSERTIM CATHOLICO,
ACCOMMODATÆ.

AUTHORE
P. IGNATIO SCHWARZ, S. J.
SACERDOTE.

PARS I.
Elemento gemino comprehen[sa]
DE JURE NATURÆ.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ
Sumptibus Joannis Antonii Fesenmayr p. m. hæredum Bibliopolarum.
Typis Antonii Maximiliani Heiss, Typographi Catholici.
ANNO MDCCXLIII.

JESU CHRISTO,

Viro Laborum, & Dolorum,
In Judæa evangelizanti,
In Cruce patienti,
Ac pro humano Genere
Morienti

DEDICATIO.

SAturni aurea Sæcula
Impallescant in plumbum,
Dum è plumbeo Sæculo
Ortum triennium,
Omni aurô splendidius;
Quia *Christi prædicantis*,
Et omnem hominem illuminantis.
Stupesce Antiquitas!
Qui eoúsque aperuit Prophetarum ora,
Os tandem proprium aperit,
Verba promit Increatum Verbum.
Immò quæ nunquam licuit homini loqui,
Jam DEUS ipse, factus hominis filius,
Ultro prodit arcana Patris.
In spissis ignorantiæ tenebris,
Et ipsum rationis lumen
Abibat in tenebras;
Nec lucebat, nisi ad devia,
Quia fatuum.
Extincto lumine Naturæ,
Natura ipsa à semet abiit infra naturam;
Jus naturale amiserat,
Quia sine *principio* ignotum,
Sine *fine* inutile.
Defecerat principium in *amore*,
Finis *in vera mentis felicitate;*

 Hæc

Hæc enim habita, velut miſeria;
Carnalis ſervitus *felicitas* putabatur.
Jus Gentium erat inverſum,
Quia in *vim* apertam converſum;
Injuriæ juris titulô triumphabant.
Septem Mundi Sapientes
Deliraverant ùt octo;
Quos Stoa aluit Sophos,
Sapiebant inſipienter,
Quia, ſapientes carnalia,
Doctam Mundo ſtultitiam venditabant.
Hinc opus erat Doctore,
Qui Naturæ jus ſuum ſic redderet,
Ut etiam ſupra naturam elevaret;
Qui jus Gentium reſtitueret,
Dum, ſublato Gentium jure injuſto,
Jus novum, à *Judæis* rejectum,
Transferret ad Gentes.
Superi! qualis doctrina?
Quâ nil *ſimplicius*, nil *ſublimius*;
Tam erat ſimplex,
Ut omnem Mundi duplicitatem excluderet;
Tam erat ſublimis,
Ut ſine parabolis vix caperetur.
Penè fingere debuit Veritas,
Ut caperetur ab homine,
Caperétque hominem, mendaciô priùs captum.
Qualis doctrina?
Quæ quot miracula, tot habuit præmiſſas;
In quorum forma ſic concluſit,
Ut *intellectum* neceſſitaret
Ad ſpeciem veritatis,
Voluntatem ad *exercitium virtutis*.
Docuit pauperes & imbelles
Potens verbo & *opere* Magiſter;
Potens verbô, quod dixit ſuum, nòn ſuum,
Doctrina mea non eſt mea.
Non ſuam dixit ùt hominis,
Suam ùt Numinis,
Nam verba erant *Verbi*, & *Verbum Patris*.
Tam potens erat opere,
Ut opus miraculo fuiſſet,
Miracula numerari ut poſſent.
Loquendo aures ſurdis,
Aſpiciendo oculos cæcis,
Tangendo pedes reſtituit claudis.
Paralyſis, hydrops, lepra,
Morbi erant, dum permitteret;

Sani-

Sanitas, cùm juberet,
Mors ipsa mirata est,
Sibi reddi vitam vel invitæ.
Dæmon ipse tot prodigia stupuit,
Credidit DEUM esse, qui faceret,
Et DEO non credidit.
Vir Laborum fuit,
Dum malefacientibus benefecit,
Sed *transeundo*,
Ut eum diligerent, quia *benefacientem*,
Sed & timerent, quia *transeuntem*,
Quibus gratia sic adesset,
Ut tamen ipsi gratiæ non deessent.
Sicut Gigas cucurrit viam,
Ut *lassaretur* Fortitudo DEI,
Ut sitiret sedens ad fontem,
Ipse *fons vitæ*;
Aquam ut peteret mortuam,
Quò daret vivam,
Quia *salientem in vitam æternam.*
E *Viro laborum*
Effectus est *Vir dolorum.*
Summum fuit amoris prodigium,
DEUS pati ut posset;
Prodigium summo majus, pati ut vellet.
Ut posset, DEUM propemodùm exuit,
Certè sic hominem induit,
Ut DEUM inter, & Hominem
Christus esset *prodigium prodigiorum*;
Gaudium summum sociavit mœrori summo,
Fecit,
Ut infinita voluptas Patris
Tota tædijs innataret;
Catenis strinxit *immensum*,
Impassibilem subdidit tormentis,
Fœdari sputis permisit
Angelorum delicium,
Velari oculos *omniscio oculo*,
Sapientiam Patris
Deludi ut *stultam*,
Malefactoribus postponi
Sanctum Domini,
Ad mortem damnari
Omnium Judicem,
Sub Cruce fatiscere Omnipotentem,
Derelinqui à Patre
Filium eundem cum Patre.

De-

Denique permiſit
In Cruce mori *omnium vitam.*
Satis eſt!
An furor, an amor
Spectaculum dedit hoc paradoxum?
Et furor, & amor:
Hic DEI, is hominis.
Cùm furant Mortales,
Natura ſapiat,
Rumpantur petræ, ſidera lugeant,
Elementa, veluti ſenſata, ſtupeant,
Et exprobrent ſtuporem
Hominibus inſenſatis.
Nos ſaltem Authori Naturæ
Dedicabimus Jura Naturæ,
A *Viro laborum*
Tot doctrinæ radijs illuſtrata,
Sed à malè ſcintillantium ſtudijs
Sæpe denuò obſcurata,
Utinam! hoc qualicunque labore
Nitori priſtino reſtituta.
Jus Gentium ſiſtimus
Viro dolorum,
Quod novum Gentibus ut illuceſceret,
Lux ipſa Gentium
In Cruce ſuſtinuit obſcurari.
Laborem ſuſcipe *Vir laborum,*
Errata ſuſtine *Vir dolorum.*

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

CUM

PRIVILEGIO CÆSAREO.

CUm Dominus Franciſcus Antonius Strötter Bibliopola Auguſtanus typis vulgare deſideret librum, cui titulus: Inſtitutiones juris univerſalis Naturæ & Gentium &c. Authore P. Ignatio Schvvarz, S. J. Sacerdote: Ego Rudolphus Burckhart Societatis JEſu per ſuperiorem Germaniam præpoſitus Provincialis, poteſtate ab A. R. P. N. Franciſco Retz univerſæ Societatis præpoſito Generali ad id mihi factâ, eidem ad primam hanc editionem facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quô aliis Bibliopolis, & Typographis prohibetur, ne dictum librum citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines Sacri Romani Imperii inferre præſumant. In quorum fidem has Ei manu mea, & conſueto Officii ſigillo munitas dedi. Ingolſtadii 15. Martii 1740.

(L.S.)

RUDOLPHUS BURCKHART.

PROLE-

PROLEGOMENA,

SEU

EXEGESIS HISTORICA

Hiſtoria juris Naturæ & Gentium. De origine & progreſſu Juris publici univerſalis, præſertim Naturæ, & Gentium.

INSTRUCTIO I.

Inſtructio. 1. *De origine, nomine, eſſentia, conſtitutivis, ac diſtinctivis Juris prudentiæ univerſalis, ac naturalis.*

§. 1.

§. I.

Origo Juris in genere, ſive denotet juſtum, *De origine & acceptione juris, ac juriſdictionis in genere.*

QUæritur I. *Quæ prima omnis juris, juriſdictionis, ac legum origo?* ℞. *Creator, ſummúſque Legislator Deus.*

Explicatur. *Jus*, à jubendo; *à jure* juſtum; *à juſto* juſtitia derivata noſcitur, ſic ut jus *in latiore ſenſu* ſignificet omne, quod *juſtum*, ſeu conſentaneum *rationi*, ac legibus; *in preſſiore* indicet æquum, ſeu unicuique ex juſtitia debitum. In prima acceptione eſt *objectum virtutis in genere*; in ſecunda *juſtitiæ*, ſeu *juriſprudentiæ* in *ſpecie*, dicitúrque *facultas moralis, quam unusquisque habet, vel circa rem ſuam, vel circa rem ſibi debitam.* In *Sive juriſdictionem.* alia acceptione *jus* derivatum à *jubendo*, vel ſignificat poteſtatem aliquid ſanciendi, & ſic *juriſdictio* dicitur; vel indicat ipſam ſanctionem, ſeu regulam *Sive legē.* juſti, & ſic dicitur *Lex*. Porro lex dividitur in *naturalem*, & *poſitivam*; naturalis, quæ ex ipſa natura rationali oritur, *eſt conceptio Naturæ indita ad operandum convenienter*: (a) unde ſicut Deus eſt Creator naturæ humanæ, ita & naturalis legis, ex eodem promanantis, Author meritò appellatur. *

Qualemcunque. *Lex poſitiva*, ſeu ex Imperantium arbitrio *poſita*, & quaſi naturæ legi ſuperaddita, *eſt ordinatio rationis ad commune bonum, ab habente poteſtatem promulgata.* (b) Rurſus dividitur in *divinam*, & *humanam*, ſeu à Legislatore divino, vel humano propoſitam. *Divina vetus* in Teſtamento veteri; *nova* in novo Naturæ legi eſt ſuperaddita à Deo. *Humana*, ſeu authoritate hominum adjecta, vel *eſt communis Gentibus*, ſic ut officia Gentium erga Gentes ex naturali ratione, communique conſenſu ordinet; vel eſt *particularis* alicui Reipublicæ; & tunc ſi ſit ſancita à poteſtate politica, dicitur *Civilis*; ſi ab Eccleſiaſtica, dicitur *Canonica*.

Hujus qualiſcunque juriſdictionis, ſeu legis, origo prima eſt *Deus*, legislator ſummus, *non enim eſt poteſtas niſi à Deo* vel *immediatè*, vel *mediatè*: nam qui primus poſuit legem *Adamo*, is eidem & poteſtatem legislativam in ſuos poſteros communicavit. Inde Patriarchæ omnes, *Moyſes* præcipuè, *Legislatoris* nomine inſignes; inde poteſtas quoque, ipſo naturæ & Gentium jure, extenſa in Monarchas, Reges, & Magiſtratus, qua ſine humana ſocietas & commune commercium ſubſiſtere haud potuiſſet. *Habetur à Deo.*

§. II. *§. 2.*

De origine juris publici in ſpecie, ejúſque eſſentia, ac proprietatibus.

Quæritur II. Quæ origo juris publici univerſalis? Quæ ejusdem ratio ac proprietas?

℞. *Origo eſt naturali jure poſterior, progreſſus ſucceſſivus ad uſque hodiernos apices admodùm politos.* *Origo juris publici in ſpecie.*

Declaratur. Etſi jus naturæ ſimul cum hominibus ortum, atque in prima ſtatim creatione illorum cordibus ſit inſcriptum, juris tamen *naturalis* diſciplina eſt ipſo jure poſterior; ſicut jus publicum poſterius eſt jure naturali, adeóque utriúſque juris diſciplina, ſequioribus demum ſæculis, ſuam debet originem & culturam. Inde

Deducitur 1. *Jus* non rarò ſumi pro ipſa *juriſprudentia*, ſeu *facultate, leges, ſalutem hominis concernentes, explicandi, eáſque actionibus humanis applicandi*, quæ Imperatori dicitur *juſti & injuſti ſcientia*; *Celſo Ars æqui & boni* (c) per æquum intelligen- *In genere dicitur facultas interpretandi leges pro bono publico.*

(a) Angelicus in 4. diſt. 33. a. 1.

* *Suarezius* breviter L. 2. de Legibus c. 16. n. 2. *Jus* quandoque ſumitur pro *facultate* ad rem, ſeu *dominio* in re; quandoque pro *lege*, ſeu regula operandi: illud eſt jus *utile*, & *reale*; hoc *honeſtum*, & *legale*.

(b) Angelicus 1. 2. Q. 91. a. 4.

(c) L. 1. §. 1. ff. de jure & juſt. abſtrahendo hic à *rigore Scholaſtico*, quem pluribus expenſum vide in erudito Prodromo Juris controverſi, hìc loci edito A. 1737. lectione 1. §. 2. n. 55. f. m. 29.

ligendo, quod convenit *juri naturæ*; per bonum, quod expedit *saluti Reipublicæ*, ut adeò Jureconsulti, seu *æqui bonique notitiam profitentis, sit, æquum ab iniquo separare; licitum ab illicito discernere; pœnarum metu & præmiorum exhortatione bonos efficere*; verbo: naturæ & juris publici leges ritè exponere, & actionibus civium applicare, quod, *Ulpiano*, teste, genuinam *Philosophiam est profiteri*.

In specie est habitus prudentiæ dirigens actiones publicas ad justitiam.

Deducitur 2. Jurisprudentiam *publicam & universalem* pressiùs describi posse, *quòd sit habitus prudentiæ, per se dirigens actiones publicas omnium, vel saltem plurium civitatum ad justitiam & salutem publicam, in suo genere consummatam*.

Differt à jurisprudentia particulari per modum tendendi universalem.

Deducitur 3. *Discrimen jurisprudentiæ publicæ, & universalis, à privata & particulari.* Nam. 1. Illa, *ùt publica, per se* dirigit actiones publicas, seu eas, quæ *immediatè* statum publicum concernunt, & *directè* ordinantur ad publicam felicitatem: hæc spectat actiones, & utilitatem privatam. 2. Illa, ùt *universalis*, respicit omnes populos, vel saltem plures; & considerat, quid inter ipsas Civitates & Regna sit justum vel injustum: hæc curam gerit unius Civitatis, vel Reipublicæ, veluti *Atheniensis*, aut *Romanæ*. 3. Illa legibus utitur, universaliter omnes, aut plures populos obligantibus, adeóque variationi haud obnoxiis, cùm aut Deum Authorem, aut communem Gentium assensum pro causa respiciant; hæc leges habet, publicas quidem, sed tamen particulares, adeóque pro temporum varietate mutabiles.

Pro subjecto respicit Imperantes & subditos, quà tales.

Deducitur 4. *Subjectum jurisprudentiæ universalis*: hoc conficiunt omnes, qui jure publico universali diriguntur, quos inter 1. sunt Imperantes, *quà tales*, seu summi, seu subordinati in ordine ad subditos. 2. Subditi in ordine ad imperantes, & quà membra ad Rempublicam 3. Civitates vel omnes, vel plures inter se: unde Authore *Grotio*, *jus publicum ordinat totum ad partem, partem ad totum, & duo tota inter se.* (a) si tamen Imperans vel Civitas consideretur *ùt persona*, quæ privatorum instar cum civibus, seu extraneis pacta celebret; si cives considerentur *invicem inter se*, ad jus publicum, cuivis Reipublicæ *proprium*, non *ad universale publicum* pertinent.

Pro objecto actiones justas ad publicum bonum; pro effectu obligationē universalem.

Deducitur 5. *Objectum, forma, & efficacia* jurisprudentiæ publicæ universalis.

Objectum sunt *actiones omnes*, quæ ad statum, gubernationem, conservationem, ac felicitatem completam Reipublicæ, societatisque humanæ tendunt. Forma est *differentia* disciplinæ hujus specifica, qua actiones has dirigit non ad privatam felicitatem unius, sed publicam omnium, aut saltem plurium Civitatum. *Effectus* consistit in obligatione *efficaci* omnium, spectatis præceptis naturalibus; plurium vel omnium, saltem moratiorum, spectatis Gentium placitis, utpote quæ communi consensu ejusmodi Gentium coaluêre. Si dicas, Reges, Populósque liberos esse legibus solutos, id si verum, solummodò verum est de *civilibus* & *temporariis*, non *universalibus*, *perpetuis*, *& omni tempore accommodatis*: nam & Reges, & Populi liberi, *exleges* esse ne possint, nec summè liberè in omnem effundi licentiam, vel maximè indigent legum freno, ut intra justitiæ limites contineantur. Si replices, eosdem in casu transgressionis nec agnoscere Superiorem, nec Judicem, id quidem verum *est de humano*, non tamen *divino*: nam nôrunt *ipso naturæ lumine* Deum, & quidem *malorum vindicem*, si minùs in hac vita, certè post vitam, immortali animâ pœnis, *qualibuscunque demum*, à Deo ultore reservandâ.

Pro fine Justitiam, salutem publicam.

Deducitur: 6. *Finis hujus Jurisprudentiæ publicæ, ac universalis.* Nam finis *proximus* est *justitia*; *remotus & ultimus salus publica*, in suo genere *perfecta*, ac *completa*, hoc est, quæ non terminetur hac solummodò vitâ, sed & in altera, *quacunque tandem beatitate*, consummetur, ùt per decursum pluribus demonstrabimus.

§. III.

§. 3.

De distinctivis, & constitutivis Juris publici universalis.

Quæritur III. Quæ distinctiva, & constitutiva Jurisprudentiæ publicæ, ac universalis?

Distinguitur Jurisprudentia publica. à Politica, ex objecto, modo, & efficacia.

℞. I. Jurisprudentia publica distinguitur. 1. *à Politica* ex *objecto saltem formali*: nam, etsi utraque Civitatem, quâ talem, consideret in ordine ad se, & ad exteros; illa tamen considerat, saltem ex fine primario, *sub ratione justitiæ*, justa ab injustis secernendo; hæc *sub ratione utilitatis*, proficua à noxiis separando:

(a) Epist. 4.

rando: quòd si *justum*, ùt sæpe fit, coincidat cum *utili*, id respectu Jurisprudentiæ est *quasi per accidens*, quamvis haud semper coincidat, uti patet in actionibus, negativè justis, seu merissimè permissis. Distinguitur item *ex modo*: nam Jurisprudentia procedit *demonstrativè* ex principiis necessariis; * Politica *probabiliter* ex prudentiæ, ac experientiæ dictaminibus: illa leges latas explicat, & interpretatur; hæc dirigit ferendas. Distinguitùr denique *ex vi & efficacia*: illa siquidem obligat *per leges*; hæc suadet solummodò *per Consilia*.

A ratione status, quare-spicit particularia.

Jurisprudentia publica & universalis distinguitur 2. A *Ratione status*, ùt vocant: hæc enim est pars Politicæ ** & in seligendis conservandæ Reipublicæ mediis est sæpe particularis, arcana, ambigua, mutabilis, & diversa apud diversos pro cujusque Nationis genio, regiminis forma, & Religionis circumstantiis.

Ab Ethica, qua spectat honestatem quà talem.

Eadem distinguitur 3. Ab *Ethica* saltem *inadæquatè*, utpote quæ versatur circa actiones tam privatas, quàm publicas sub ratione *honesti*, ac *decori* potiùs, quàm *justi*.

à Theologia morali, qua dirigitur primario ad interna.

Eadem distinguitur 4. A *Theologia morali*, quæ motivo generali bonitatis, atque malitiæ, versatur circa virtutes omnes, ac vitia; spectat *primariò, ac præcipue* forum internum, & tractat actiones quaslibet, sive respectum habeant ad Civitatem, sive non.

Complectentur ùt Constitutiva propria, jus naturæ, & Gentium.

℟. II. *Constitutiva* Jurisprudentiæ publicæ, & universalis *primaria, ac propriè talia* sunt, Jus naturæ & Gentium: illud enim ad omnes; hoc saltem ad plures pertinet Civitates: illud generatim monstrat, quæ naturæ rationali, & speciatim, quæ humanæ societati, ad quam inclinat, consormia sunt, atque difformia, adeòque præcepta, seu prohibita; hoc indicat, quid justum sit inter omnes, vel saltem plures Civitates, alioquin Gentes appellatas, quarum consensu nata sunt jura, *quæ Populos complures inter se colligant, & utilitatem non Cætuum singulorum, sed magna illius Universitatis respiciant*, uti loquitur *Grotius*. (a)

Ut reductivè talia, & suo modo jus etiam divinum positivum.

Ad Constitutiva Jurisprudentiæ publicæ, ac universalis *suo modo* reducitur etiam jus divinum, *in quantum scilicet jus naturale illustrat, declarat, & complet*. Negari enim haud potest, quòd jus divinum tam veteris, quàm novi Testamenti plurimùm conferat ad intelligenda juris naturalis præcepta, utpote cùm utrobique reperire sit Divina Oracula, idipsum, quod recta ratione tam circa actiones hominum publicas, quàm privatas constitutum est, aut *clariùs* aut *extensiùs* explicantia, ùt clarescet ex dicendis.

Et humanum.

Pariter *suo quoque modo* reducitur Jurisprudentia *canonica*, & *civilis*, in quantum quidem & ipsæ jus naturale, & Gentium illustrant. Cùm enim, *Ulpiano* teste (b) jus publicum consistat in *sacris, sacerdotibus, & Magistratibus*, facilè liquet ex utroque hoc jure multum lucis, ac perfectionis juri Naturæ & Gentium accessisse.

Ut adjumenta testimonia Authorum.

Denique *inter adjumenta* rectè etiam numerantur testimonia Sanctorum Patrum, antiquorum Philosophorum, & cæterorum Prudentum *scita*, Theologorum, & Jurisperitorum *conclusa*; immò & historiæ monumenta, exempla, atque judicia, præsertim pro jure Gentium, quæ omnia per decursum explicatiùs patescent.

§. IV. §. 4.

De constitutivis, & distinctivis Jurisprudentiæ naturalis.

Quæritur IV. *Quæ constitutiva & distinctiva Jurisprudentiæ naturalis?*

 ℟. 1.

* Sive *per se*, & *ex intentione propria*, sivè *per accidens*, uti dicitur in prodromo suprà laudato sect. 1. §. 2. n. 43. nos hac ex parte *luctari nolumus contra torrentem*.

** *Hippolitho à lapide* in proleg. dicitur *ratio boni publici procurandi, & mali avertendi*. *Scipioni Ammerato est medium extraordinarium, quo pro temporum & momentorum occasione, boni publici causâ, cum derogatione juris civilis, negotia incidentia expediuntur*. *Schvvedero* in introduct. in J. P. C. 1. Thes. 5. *est Cynosura consiliorum & actionum ad præsentem Reipublicæ statum administrandum, ut feliciùs Reipublicæ finis seu salus publica obtineatur*. Ex quibus colligitur, rationem status *ad singularia* potius; jus publicum *ad universalia* tendere. *Schyzio* in Coll. J. P. exercit. 1. Thesi. 14. *est norma, qua Princeps, vel Respublica plerasque actiones ad commodum privatum dirigit*, adeòque locum non habere asserit in jure publico, cujus finis est justitia & populi salus. Sed hoc non de *genuina* ratione status, bene verò *spuria* intelligendum, quæ, ùt notat *Scharfschmidius*, *rationis nomen* non meretur, cum contra *rationem* sit, nec rectæ rationis dictamen sequatur.

(a) De J. B. & P. in proleg. §. 17. f. m. 14. edit. *Francof.* a. 1691. qua posthac utemur.

(b) L. 1. §. 1. de justitia, & jure.

Jurisprudentia naturalis interconstitutiva numerat principia quædam Theologia naturalis, ac Philosophia moralis.

℞. 1. *Constitutiva* Jurisprudentiæ naturalis *intrinseca*, *& propriè talia*, non sunt illa tantùm *principia*, quæ dirigunt *officia hominis ad hominem*, ac *Societatem*, sed etiam illa, quæ dirigunt *officia hominis ad Deum*, ùt Authorem Naturæ, & *ad se ipsum in ordine ad felicitatem*, *vita rationali propriam*, *ac completam*.

2. Inde hæc Jurisprudentia, sicut *in objecto materiali*, ita & *in principiis* participat de sic dicta Theologia naturali, seu Philosophia morali, ut tamen ab utraque hac disciplina tam in *objecto formali*, quàm *modo tendendi* distinguatur. 3. Ut adeò *Puffendorfius* cum suis, disciplinam juris naturæ, *ab ejusmodi principiis sequestrando ex toto*, * eam non nisi *mancam* tradiderit, *ac imperfectam*.

In ordine ad dirigēda officia hominis erga Deum, & se ipsum: sed sub respecta justitia, qui jurisprudentia naturali proprius.

Explicatur pars. I. *Honestas*, ùt est conformitas cum lege, *seu naturali*, *seu positiva*, divina, vel humana, est forma, qua actiones omoes, *cuicunque legi conformes*, denominantur *honesta*: unde & officia erga Deum, quæ ex arbitraria pietate, devotione supererogatoria, religione, sive per legem divinam, sive per humanam ad perfectiorem cultum determinata, exercentur, dicuntur *honesta*, utique *honestate pietatis erga Deum*, sub quo respectu, atque extensione tractantur in Theologia, seu naturali seu morali. Officia hominis erga se ipsum, assumpta in exercitio virtutum *ad libitum*, v. g. culru animi perfectiore, refrenatione affectuum, & sensuum meliore, castigatione corporis, & castitate ultronea, neglectu honoris, & famæ heroico &c. dicuntur *honesta*, sed honestate virtutis, cujus sunt actus. Officia erga proximum, exercita ex motivo virtutis *ad beneplacitam* v. g. gratitudinis, quæ est mera obligatio honestatis, ** liberalitatis, generositatis in eondonandis injuriis &c. *sunt honesta* hooestate virtutis, ex cujus imperio exercentur, & sub hac ratione eoosiderantur in Ethiea. Contrà officia *erga Deum, seipsum*, *& proximum*, quæ legi naturali sic sunt conformia, ut hæc conformitas fundetur *in debito natura necessario*, *obligatione indispensabili*, & sub reatu pænæ necessariò explenda, sunt quidem *honesta*, *sed honestate justitia*, quatenus participant *rationem justitia*, quæ cuique tribuit suum, adeóque *formaliter justa* appellantur. Jam sic: Jurisprudeotia naturalis *ex fine intrinseco*, *& propriè tali* dirigit actiooes omoes, quæ participant *rationem justitia propriè talis*, hoc est, quæ participant *honestatem formalem*, relucentem *ex debito cuicunque reddendo*, *atque explendo*: *ergo ex fine intrinseco non* tantùm dirigit *officia hominis erga hominem*, seu societatem humanam; sed etiam *erga Deum*, ùt Authorem Naruræ, *& se ipsum*. C. Patet: oam officia hominis erga Deûm, & se ipsum, *quatenus sunt de jure Natura*, non participant ratiooem *mera virtutis*, puta, religionis, vel *honestatis* qualiscunque, sed religionis ac honestatis, fundatæ *in debito natura necessario*, *indispensabiliter explendo*: ergo participant rationem justitiæ *propriè talis*: ergo non minùs, ac officia hominis erga homioem, Jurisprudentiæ naturali sunt propria. Quòd si quis litem moveret *de nomine*, replicando, justitiam, *propriè talem*, noo haberi in officiis erga Deum, & se ipsum, quia non *ad æqualitatem*, *ad alterum &c.* Respondetur, etsi non habeatur justitia *rigorosa*, seu *propriè talis*, commutativa, vel distributiva, ùt in offieiis hominis erga homioem, atque Communitatem, haberi tamen *propriè talem*, uti probatum, etsi & *commutativa*, seu *propriissimè talis*, ex communi sententia habeatur erga Deum; immò & *suo modo* erga se ipsum, quatenus homo respectu corporis, vitæ, & talentorum, non agit Dominum, sed merum administratorem. Rectè *Leibnitius* acatholieus quondam similia oggerenti *Puffendorfio*: (a) *Quum in internis quoque jus & obligationem, peccata q. in Deum & rectas actiones, à Natura constitui, nemo negare possit, ubi quaso, tractabuntur hac naturalis juris & justitia capita, nisi in scientia juris naturalis?*

Unde sub ratione justitia.

Neque rectè respondet *Immanuel Weberus*, *Puffendorffij Apologeta*, ea capita

---

* Etsi alibi non nihil se corrigat, ac emendet, dum ait: *se duas saltem propositiones Theologia naturalis, mutuò sumpias, in suum opus transtulisse: quòd nempe Deus & legis naturalis, & Societatis civilis, & qua hujus seminaria sunt, matrimonij & imperij paterni, Author sit, cùm ista ad institutum suum suffecerint.* Alibi: *Ei, qui Societatis humana indolem, vincula, legésque unicè componenda sumpserit, non potuisse Divini Numinis considerationem planè sequestrari, eò quòd ab eo legum socialium origo & firmitas promanet.* In Spicilegio Juris Nat. c. 1. §. 16. & 17.

** Nam teste *Covaruvia* non oritur ex debito præcedente, *simpliciter tali*, nec stringit in conscientia.

(a) In epist. censoria libelli *Puffendorf.* de officiis hom. & civis f. m. 19.

capita tractanda esse *in Theologia naturali & Ethicis.* (a) Nam contrà est: hæc ipsa capita, quæ Theologia naturalis & Ethica tractat *ex motivo pietatis, ac honestatis*, Jurisprudentia naturalis tractat *sub ratione justitia*, sic ut in objecto *materiali*, actionibus puta humanis, conveniant; *in formali* pietatis, honestatis, atque justitiæ *suo modo*, & saltem *formaliter*, differant, iisdem principiis, *recta scilicet rationis* scitis, uti *pietatis & honestatis*, ita *& justitia officia* dirigentibus: unde

Ab utraque disciplina, Theologia, & Philosophia moralis, saltem formaliter distinguitur.

Explicatur pars. 2. Triplex hæc disciplina, ùt dictum, respicit actiones morales, rectæ rationis dictaminibus dirigibiles, sic tamen ut Theologia naturalis spectet actiones directas *ex motivo pietatis*, seu *ùt pias*; Philosophia moralis *ùt honestas*; Jurisprudentia naturalis, *ùt justas*: ergo *suo modo*, & saltem *formaliter*, hæ disciplinæ distinguuntur. C. Ex eo clarescit, quòd sicut justitia *in genere* differt à virtutibus cæteris, *pracipuè, quòd agat ex motivo juris, quod alteri, cui aliquid tribuit, proprium est*, uti rectè arimadverrit non nemo Recentior: (b) ita *eadem ratione* differat disciplina juris naturæ *in specie* à Theologia naturali, ac Ethica; ut nihil dicam de differentijs alijs *ratione objecti magis universalis*, & *obligationis diversa*, quêis tam Theologia naturalis, quàm philosophia moralis à naturali Jurisprudentia *inadaquatè* distinguuntur.

Neque rectè quis diceret, principia *honesti, decori*, & *justi* ex *ipsa divisione*, esse præcisivè saltem opposita, adeóque ad disciplinas diversas spectantia, sola ratione *justi* Jurisprudentiæ naturali *propriè* competente.

Sicuti & ipsa principia honesti, decori, & justi.

Nam contra est: Cùm hæc principia solummodò sint distincta *ex modo tendendi*, seu *ex motivo*, quo applicantur, & plerumque, quòd *honestum* sub hoc respectu, sub illo quoque sit *justum*, & vicissim; hæc eadem principia Jurisprudentiæ naturali sunt propria, atque intrinseca. * Siquis tamen contenderet, *in officijs ad proximum, rationem justi* magis propriè elucescere, & hæc ipsa principia *sub ratione honesti, & decori*, etiam in disciplina juris naturæ tractari, & applicari posse, nil refragabimur, eò quòd res attineat *modum loquendi*, in quo semper faciles, si modò, & *sub ratione justi*, hæc principia disciplinæ juris naturæ maneant propria, atque intrinseca, id quod erat demonstrandum.

Unde Puffendorfius, principia honesti sequestrando, disciplinam juris naturæ reddidit mancam.

Explicatur pars 3. Disciplina juris naturæ *Puffendorfiana* vel rescindit, vel supponit principia, quæ dirigunt officia hominis ad DEUM. seu actiones *pracipuè internas*, Authori naturæ ex rigorosa justitia debitas: ergo vel rescindit, vel supponit principia quædam juris naturæ constitutiva intrinseca: atqui tali modo tradit disciplinam *mancam*, & imperfectam: ergo.

(a) L. c. in notis n. 40. ℣. *In Ethicis, & Theologia naturali. Juris autem naturalis esse capita, dum ita crudè* (quæ imperitorum lingua minùs polita est) *dicuntur, petitur id, quod est in principio* (sic tamen, ut evidenter probetur, & principium evertatur.) Addit: *ut mens mea magis pateat, monemus breviter*: in actionibus, quibus ratio modum dat, respici *pietatem, honestatem, & justitiam*, quæ tria attributa *formalem differentiam* faciunt, & disciplinam ab invicem discernunt. *Quà pietatem*, ad Theologiam naturalem; *quà honestatem*, ad Ethicam; *quà justitiam*, ad jus naturæ pertinent actiones. Licèt igitur omnium harum disciplinarum sit unum objectum *materiale*, quò ad *formale* tamen differunt, quamvis ex communi principio, rectæ scilicet rationis dictamine, & *pietatis, & honestatis*, *& justitia* commendatio procedat. Ita ille

(b) in prodromo juris controversi sectioue 2. §. 1. n. 117.

* Atque hoc tenet à fortiori, si verum, quod legimus in erudito prodromo juris controversi, nuper edito hic loci, sect. 1. §. 2. assert. 3. f. m. 18. à n. 35. ubi dicitur, quòd Jurisprudentia cum prudentia sit *idem prorsus habitus*, sic ut & Jurisprudentia distinguatur in *Ethicam* atque *Politicam*, ipso Imperatore §. 3. J. de J. & J. Jurisprudentiæ officia determinante: *honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.* Sed quia non satis apparet, quòmodò *inanis omninò sit verborum lusus*, si distinguantur actiones *honesta quà tales*, & *justa quà tales*; & quia res tota videtur ultimatò devolvi *ad modum loquendi*, malumus loqui cum pluribus, qui sicut distinguunt, saltem in rigore juridico, *honestum* inter & *justum* ratione motivi, ita & Jurisprudentiam naturalem, *quò ad modum tendendi*, contra distinguunt ab Ethica, seu Philosophia morali, etsi *reipsa*, ùt diximus, ferè coincidant saltem in iis, quæ *obligationem veram*, nec mera consilia, important.

A. constar ex *Puffendorfio* passim: sic alicubi relegat actiones internas ad Theologiam moralem,* dicens: *quòd sicut forum humanum circu internu non sit sollicitum, itu jus quoque nuturale magnum partem, circa formundas hominis actiones solùm exteriores, versetur*: (a) & sic de alijs.

Inter adjumenta accerset etiam jus positivum, & Theologiam moralem:

℞. II. *Inter adjumentu* Jurisprudentiæ naturalis rectè ab Orthodoxis hinc inde adsciscitur jus positivum, & Theologia de moribus, partim ad jus naturæ, & Gentium accommodatiùs declarandum; partim ad tradendū utilius pro usu scholastico, præcipuè Orthodoxo. 2. Quæ disciplinæ, etsi quàm maximè sint distinctæ à disciplina juris naturæ, *Puffendorfius* tamen in assignanda diversitate est dupliciter erroneus. 3. In censurandis verò, hac ex parte Authoribus alijs, est more suo satyricus.

Saltem ad jus naturæ magis illustrandum.

Declarutur pars 1. Subsidia extrinsecu disciplinæ juris naturæ, & Gentium sunt ea, quæ, licèt eandem *immediatè* non quidem constituant, *mediatè* tamen concurrunt ad juris naturæ notitiam sæpe faciliorem, sæpe perfectiorem reddendam: atqui talia subsidia sunt etiam jus positivum, & Theologia moralis: ergo. *P. Min.* Ipso teste *Puffendorfio. sicut juri civili, & naturali facilè inter se convenit*, (b) *ita & virtutes Christianu unimos hominum ad societatem quàm maximè disponunt, sic, ut Theologiu quoque moralis honestatem vitu civilis efficacissimè promoveut:* ** *uti & vice versa, si aliquem videas, qui turbulentum & importunum vita Civilis membrum se gerat, tutò judices licet, religionem Christianam intru labru ipsi tantùm hærere, cor nondum penetrâsse.* (c) Inde non malè *Leibnitius*: (d) *plurimùm referret* (disciplinæ juris naturæ) *parallela addi juris Civilis, inter homines recepti, præsertim Romani, ipsiúsque etiam juris sacri, ita usus juris naturæ apud Theologos, & Juris consultos pronior futurus esset, quod nunc magis sermonibus celebrutur, quàm negotijs udhibetur.*

Qua disciplina, etsi quàm maximè sint diversa.

Declaratur pars 2. Jus naturale differt à positivo, quòd illud sit *universale*; hoc particulare: illud nitatur *lumine rationis*; hoc *lege Superioris* &c. &c. Differt à Theologia morali, quòd illud *rationem honesti & inhonesti* deducat ex dictaminibus *rationis*, ad suum finem ritè ordinatæ; hæc *ex principiis* Sacræ Scripturæ *revelatis*: quòd illud pro fine respiciat felicitatem *naturalem*; hæc *supernaturalem, æternam*: quòd illud formet *hominem*; hæc *Christianum*, & sic de aliis; ergo diversitas cuivis est manifesta.

Non tamen differunt ex objecto, & fine, uti errat Puffendorfius

Contrà si *Puffendorfio* credimus, disciplina juris naturæ differt insuper à Theologia morali ex *objecto*, eò quòd illud versetur circa actiones solùm *externas*; hæc circa *internas*: (a) differt insuper *ex fine*, eòquòd illud respiciat pro fine *felicitatem vitæ hujus ambitu conclusam*; *hæc felicitatem alterius vitæ æternam*: (b) atqui hac in duplici differentia *Puffendorfius* est erroneus, sternitque juris naturalis principia imperfecta, quia soli felicitati externæ, & temporali accommoda: ergo. *Minor probatur.* Jurisprudentia *in genere*, & præsertim naturalis *in specie*, pro fine intrinseco, & *immediato*, respicit Justitiam veram, hoc est, actiones non qualitercunque, sed *formaliter* justas: pro fine *mediato* respicit felicitatem, non qualemcunque, sed veram, hoc est, vitæ rationali propriam, perfectam, & beatitate ultima, saltem naturali, consumatam: ergo respicit actiones etiam internas, & felicitatem, *solo vitæ hujus ambitu* nequaquam conclusam: ergo in assignata duplici hac differentia *Puffendorfius* est erroneus. *Aut.* eruditè & solidè probatum legere est in Prodomo, supra laudato, (a) & à nobis, in loco proprio, fusiùs demonstrabitur.

Correcturus Authores, ipsemet potiùs corrigendus.

Declaratur pars 3. Puffendorfius ait, (b) *se limites Jurisprudentiæ naturalis accuratiùs sic designâsse, ut prætextus udimeretur hominibus, importunè curiosis* (hoc est, Theologis, & Juris-Consultis illis, qui clamabant, jus Naturæ à Theologia morali, Jurisprudentia civili, & Ethica non distinctum, uti notat *Weberus*) *febriculosam suam censuram extendendi*

---

* *Weberus* Glossator addit, *internam rectitudinem potiùs supponi ex Ethicis, juxta illud: ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jureconsultus.*

(a) L. de officiis in præf. §. 9.

(b) In præf. cit §. 5.

** *Weberus addit: quò enim melior quis Christianus, eò melior civis: contrà si contrà.*

(c) L. c. §. 8.

(d) In epist. cens. f. m. 6.

(e) Præf. cit. §. 9.

(f) L. c. §. 9.

(g) Prodromi Juris controversi sect. 2. §. 2. àn. 178. f. m. 101.

(h) De Officiis in præf. §. 4.

di ad hancce disciplinam, quæ sæpe, velut interjecta, ab ipsorum provincia disjungitur. At contrà est; aliud est, disciplinam juris naturalis cum Theologia morali, seu jure positivo, identificare, atque confundere; aliud est, *adminiculo Theologiæ moralis* &c, jus naturæ magis declarare, & utrumque *Puffendorfii* febriculosum suppositum falsitatis arguere, atque subruere; priùs non faciunt Theologi Censores, sed posterius: unde *Weberianæ* crises ex satyrico *Puffendorfii* calamo sunt mutuatæ, (a) queîs scripsit: *Scholasticos, etsi Moralistarum nomine superbiissent, non tamen nisi centonem ex Theologia, Jurisprudentia, & Philosophia consarcinatum, immò non nisi quæstiunculas inanes, in vita civili nullum planè usum habentes, proposuisse: unde factum, ait, ut hactenus hoc jus naturale, tanquam commune aliquod prostibulum, cum quo omnes rem habere voluerunt, tractatum sit, ideóque maxima Puffendorfio debeantur grates quòd discrimen hoc omnium primus hic tradiderit.* (b) Ita hic epitomator. Sed gloriosos ejusmodi logos, in prolegomenorum fine, uberiùs spectandos dabimus.

INSTRUCTIO II.

Instructio II.

De triplici statu Naturæ integræ, puræ, & lapsæ.

§. I.

De statu Naturæ integræ.

§ I. De statu Naturæ integræ.

QUæritur I. *Quid de jure Naturæ in suis initiis, seu statu Naturæ integræ sentiendum?*

℞. *Sunt plura curiosa magìs, quàm certa, & licèt ad scopum Jurisprudentiæ naturalis publicæ haud strictè sint necessaria, sunt tamen accommoda, & scitu minimè indigna:* Unde

Adam à Deo creatus est in statu, conformiter ad creationis finem perfecto, corporis & animæ dotibus naturalibus.

Observandum I. Hominem ab ipso Deo, * Aurhore naturæ, fuisse creatum *in statu conformiter ad finem creationi perfecto.* ** corpori scilicet inspirando spiraculum vitæ, animam rationalem, & immortalem, cujus potentiâ triplici animatum hominem verè creavit *ad imaginem, & similitudinem suam.* *** Inter corporis dotes fuit integritas sensuum, membrorum omnium symmetria, staturæ perfectæ decor, remperamenti, & humorum debita proportio, ex quibus fluebat sanitas, virtus ad operandum, pulchritudo, tantáque perfectio, quanta juxta conditionem sui statûs, & naturæ expediebat. Inter narurales animæ dotes fuir intellectui *Adami* à Creatore Deo infusus habitus scientialis, seu scientia rerum omnium naturalium**** necessaria non modò *ad usum & conservationem* corporalis vitæ, sed etiam *ad instructionem****** & *gubernationem* omnium;****** immò & *ad contemplationem,*

(a) Ex comment. ad Pullum. Ven. lipf. f. 46. 47.

(b) De officiis in præfat. §. 2. & 4. in notis.

* Aliquod ministerium in formatione eorporis Angelis *Angelicus* tribuit 1. p. Q. 19. A. 2. ad 1. eum *Augustino* de gen. ad litt. l. 9. c. 15. sed stylus S. scripturæ oppositum suadet, qui productioni Empyrei, terræ, viri & fæminæ non præmittit imperium *fiat*, sed *simpliciter* dieit: *creavit Deus, faciamus hominem, ædificavit Dominus &c.* videatur *Ulloa* disp. 1. c. 9. de primis & ultimis temp.

** Juxta illud *Ecclesiast. 7. fecit Deus hominem rectum*; & Gen. 1. v. 31. *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

*** Hoc est juxta *Suarezium* in opere sex dierum L. 3. e. 8. imprimendo animæ erearam quamdam sui *imaginem*, quæ fundet relationem hominis ad Deum, tanquam suam originem, & prototypon spirituale, sie, ut ista *ratio fundani*, seu imago, *sit esse naturale* animæ, incorporeum, indivisibile, immortale, existens totum in toto & totum in singulis partibus, capax participationis divinæ, virtutum & actuum, divinitatem participantium, secundum substantiam, tres potentias, & actus &c. item imprimendo animæ gratiam supernaturalem, quæ fundat *similitudinem*, seu *imaginem magis perfectam &c.* videatur *Suarezius*, *Natalis Alex. T. 1. f. 38.* Hist. Ecclef.

**** Quia necessaria *ad integritatem illius statûs & præcipuè Adamo, ùt Patri* & Institutori cæterorum hominum, queîs naturalium rerum scientia in omni statu ad vitæ tranquillitatem necessaria communicanda erat: quæ omnia fusiùs probat *Suarezius* l. e. e. 9. & patet ex Genesis 2. *Adduxit Deus animalia ad Adam, ut videret, quid vocaret ea*, conformiter nempè ad eorum naturas.

***** Paraphrastes in Pentateuchum *Samaritanum*: Et *plasmavit Deus*, inquit, *ipsum spiritu sapientiæ & scientiæ, ut inde ad Posteros omnes artes, & scientiæ, tamquam ex primo fonte, promanarent.*

****** Genesis 1. v. 26. Ut *præsit* &c. *Dominamini* &c. *Subijcite terram* &e. *Ecce dedi vobis omnem herbam.* Sapiens: *dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram.*

tionem, ac laudem Creatoris. Inde orta cognitio rerum materialium, etiam Cœlorum; cognitio primorum principiorum, dictaminúmque moraliom, ad vitam, naturæ rationali conformiter, instituendam; præcipuè tamen cognitio Dei, *ùt causa universalis, & Natura Authoris*, quod objectum naturalis hujus scientiæ præcipuum, & finis, cùm *Ada* data sit scientia magis propter Dei cognitiooem, quàm propter corporis conservationem, vel gubernationem. Hæc autem scientia fuit *ordinis naturalis*, dependens à phantasmate, speciebúsque intelligibilibus simul inditis; fuit *perfecta* intra capacitatem humanæ scientiæ, & in eo gradu, quo ab homine naturaliter est obtinibilis; fuit *per sos habitus, specie distinctos*, per quot ab hominibus plures scientiæ acquiruntur, quæ omnia denuò prolixiùs deducit *Suarezius*. * Voluntati *Adami innocenter*, hoc est, sine omni culpa ereatæ, superaddidit Creator habitus Virtutum moraliom, qui quidem per actus humanos ordinis naturalis acquiri possunt, ** ut illorum adminiculo voluntas rectæ rationi esset subjecta, atque disposita ad appetitum inferiorem, io honestatis officio cootinendum. Hæ virtutes fuêre infusæ in eo gradu perfectionis, qui huic statui *erat conveniens*, juxta consilium voluntatis divinæ, & extendebat se se ad omnes materias morales, saltem *illi statui conformes*, etiam amoris Dei, naturali cognitioni (quæ locò fidei) respondentis.

Immò spectatis quoque donis supernaturalibus, quò ad tres animæ potentias.

Observandum II. Homini in naturalibus *recto*, atque *perfecto*, à Deo fuisse superaddita dona supernaturalia gratiæ, & quidem probabiliùs, in primo ereationis instanti fuisse eidem infusum habitum gratiæ sanctificantis, hoc est, charitatem cum alijs virtutibus, ae donis Spiritûs Sancti, saltem quò ad habitum consequentibus gratiam sanctificantem. Hinc *Volunsas* ornata fuit charitate, & spe beatitudinis futuræ; *intellectus* illustratus de mysterijs superoaturalibus *quòad Divinitatem*, cognoseendo Deum, ùt objectum supernaturalis Beatitudinis; ùt priocipium salutis, & sanctitatis; ùt finem ultimum, & remmeratorem in ordine supernaturali. *** Insuper intellectus, communi caleulo juxta *Suarezium*, illustratus fuit de mysterijs supernaturalibus *quò ad incarnationem Divinam*, **** cognoscendo mysterium hoc, *saltem quò ad substantiam* uoionis naturæ humanæ eum Verbo, & uti loquitur *Angelicus*, non secundùm quod ordinabatur hoe mysterium *ad liberationem à peccato*, sed secundùm quod ordinabatur *ad consummationem gloriæ*, sie ut *Christus Adamo* fuerit propositus, ùt credendus, & adorandus, tanquam verus Dei Filius; tanquam spirituale Caput totius Generis humani; tanquam Author gratiæ, gloriæque. Porro cognitio hæc fuit supernaturalis, oon solùm ex parte revelantis, ac rei revelatæ; sed etiam ex parte ipsius assensûs, & judicij, quo *Adamus* per veram fidem supernaturalem, ac Divinam, cognovit, & asseosus est hisce mysterijs revelatis, quæ omnia prolixiùs probat idem *Suarezius*.

Accessit specialis providentia Dei cum immunitate ab errore rebelli concupiscentia, passibilitate ac morte.

Observandum III. His Naturæ & gratiæ donis, veluti pro complemento, accessisse plura alia privilegia, & dona Dei quasi extrinseca, præcipuè *specialem Dei providentiam*, atque protectionem, vi eùjus homo erat *immunis ab omni errore, atque deceptione* antecedenter ad peccatum, quam sententiam *Suarezius* dicit communem. ***** Hanc immunitatem *Angelicus*

* Iude gravis *Grotii* error, etiam à suis Paraphrastis acatholicis castigatus, dum scripsit L. 2. c. 2. §. 2. primos homines conditos *in magna simplicitate, cujus argumentum fuisset nuditas; fuisse in illis ignorationem magis vitiorum*, quàm cognitionem virtutis &c. Rectè *Thomasius* Jurispr. Div. l. 1. c. 2. n. 24. hoc dogma *Deo injurium vocat*, addens in nota: *æquiparat Grotius Adamum & Evam cum barbaris in India: certo respectu tamen fuit ignorantia vitiorum in actu exercito, non signato; aut clariùs, ignorantia facti, non juris.*

** Juxta illud: *Creavit Deus hominem rectum, & secundùm se vestivit illum virtute.* Eccles. 17.

*** Probabilissimum est *Suarezio* l. c. c. 18. n. 5. habuisse etiam ante peccatum revelatum mysterium SS. Trinitatis.

**** Id pluribus probat *Suarezius* l. c. à n. 8. præcipuè quia pertinuit ad honorem *Christi*, ut semper, & in omni statu esset ab hominibus recognitus, tam quam Caput & Author salutis, & quia fides in *Christum* in omni statu fuit necessaria ad salutem. Sed hæc dependent ab illa Quæstione: an *Christus* venisset *Adamo* non peccante, ubi non paucos contrarios novimus.

***** L. c. c. 10. n. 3. hæc immunitas non vi naturalium donorum, sed ratione specialis pro-

tus statuit (a) partim in interna scientia, ac prudentia; partim in speciali providentia, *qua ei divinitùs fuisset subventum.* 2. Vi ejusdem erat quoque *immunis ab omni rebellione concupiscentiæ* sic, ut appetitus sensitivus perfectè subjectus fuerit voluntati, ac rationi, neque hanc unquam prævenerit, aut illi imperanti repugnârit. * Hæc immunitas juxta *Suarezium* habebatur *partim per intrinsecos habitus*, *partim per extrinsecam Dei providentiam*: per illos disponebatur ratio ad considerandum, judicandum, seu imperandum *convenienter*; voluntas ad sequendam rectam rationem *delectabiliter*; & ad movendum appetitum *fortiter*; appetitus ad obediendum *celeriter*. Per providentiam specialem removebatur omne, quod posset appetitum ad motus ejusmodi excitare, vel negando concursum, ne in illos prosiliret; vel efficaciùs illum movendo, ut voluntati ad nutum obsecundaret. 3. Vi ejusdem providentiæ specialis homo, ante lapsum, *suo modo* erat *impassibilis*, ac *immortalis*, hoc est, etsi naturâ suâ fuerit passibilis, ac mortalis, potuisset tamen nunquam mori, si voluisset, seu nunquam fuisset moriturus, si non peccâsset. Atque hoc ex revelatione est certum, ** etsi *in modo* varient Authores. Teste *Angelico id fiebat partim per propriam rationem, qua poterat nociva vitare; partim per divinam providentiam, qua sic ipsum tuebatur; ut nihil ei occurreret improvisò, à quo læderetur:* (b) & sic evitabatur læsio, seu mors *per causam extrinsecam.* Intrinseca duplex est: *deperditio humidi* per actionem caloris naturalis, quod restaurabant fructus Paradisi communes. Altera est *diminutio humidi radicalis continua*, quæ fit vel ipso calore naturali per reactionem alimenti, vel in ipso humido, quod minùs perfectum ex alimento extrinseco reparatur: & huic subveniebat lignum vitæ, quod aderat teste *Augustino*, (c) *ne hominem senecta dissolveret, & ut corruptionem corporis inhiberet. Accedebat temperies aëris summa, corporis dispositio optima, humorum temperamentum, ut, eodem teste, nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ulla molestia ingereretur; nullus intrinsecùs morbus, nullus ictus extrinsecus metueretur; sed summa esset in carne sanitas; nullus in paradiso æstus, vel frigus; nulla in ejus habitatione ex cupiditate vel timore offensio; nihil triste; non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum* &c.

Observandum IV. In his Naturæ, & Gratiæ donis, uti & specialibus privilegiis, constitisse illam, sic dictam, *originalem justitiam*, quæ probabiliùs fuit *collectio plurium habituum*, *** *& beneficiorum Dei*, sic, ut gratia fuerit *radix* cæterorum donorum, quæ ad complementum talis *justitiæ* requirebantur. Hinc *justitia* dicitur, quia denotat rectitudinem quamdam totius hominis secundùm corpus & animam. Nam teste *Angelico* (d) *Consistebat* 1. In debita subordinatione animæ ad Deum, intellectûs scilicet ac voluntatis, habetúrque per dona, vel habitus, qui illas potentias rectè disponunt in ordine ad Deum. *Consistebat* 2. In subordinatione debita partis inferioris ad superiorem, id est, phantasiæ ad intellectum, & appetitûs sensitivi ad voluntatem, sic ut nulla in his motio, disconveniens homini, esse posset.

Qui cumulus donorum omnium originalis justitia nomine rectè exprimitur.

protectionis; naturæ integræ competiit, dicente S. Augustino L. 3. de lib. arb. c. 18. *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna peccati. S. Thomas* probat ex rectitudine statûs, *in quo divinitùs ei subventum fuisset, ne deciperetur in iis, quorum scientiam non habebat.* Q. 94. A. 4. ad 5.

(a) I. D. L. 94. A. 4. ad 5.

* Patet ex Gen. 2. *Erat uterque nudus, & non erubescebant: quis indicavit tibi, quod nudus esses &c.* & ex communi Scholasticorum apud *Suarezium*. Q. c. c. 12.

** Est definitum contra *Pelagium* in Conc. *Milevit.* c. 1. Trid. sess. 5. c. 1. Genes. 1. *Morte morieris* in pœnam, *ne forte sumat de ligno vitæ, & vivat inæternum.* Sap. 1. *Deus creavit hominem inexterminabilem: invidiâ autem Diaboli mors intravit in Mundum.* Idem *S. Paulus* ad Rom. 5. Inde *S. Augustinus*. 7. Gen. ad lit. c. 25. *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris.*

(b) 1. P. Q. 97. A. 2. ad. 4.

(c) L. 14 de civit. c. 26. & L. 1. de pecc. merit. c. 3. & sub ejus nomine dicta Q. 19. N. & V. T.

*** Per habitus hìc intellige *qualitates permanentes, quæ per modum actûs primi data sunt homini in illo statu ad eum perficiendum*, sive in anima, sive in corpore, sive in substantiæ, sive in potentiis receptæ fuerint.

(d) Q. 95. A. 1.

Consistebat 3. In debita subordinatione corporis ad animsm, quò ad indolentiam, impassibilitatem, & immortalitatem, quæ omoia manifestè includunt *donorum plurium collectionem*, uel fusiùs demoostrat *Suarezius*. (a) Ex quibus *fluit* 1. *Subjectum* justiriæ originalis, quò ad principalem formam seu gratiam, quæ *radix catera rum perfectionum*, fuisse *animam*; quò ad alias perfectiones hæc justitia non erat in una vel altera poteotia *adaquatè*, sed io omnibus *simul*, & in singulis *inadaquatè*, & ira primò erat in intellectu, quasi ordine generationis; principaliùs vero in voluntate: quia in illa resederat chariras; coosequenter verò in aliis potentiis inferioribus, nempe *quò ad habitus*: oam quò ad alia privilegia non inhærebat homini, sed assistebat. *Quò ad effectus* verò non solùm animæ, sed etiam corpori inesse poterat, ùt constat ex dictis. *Fluit* 2. Hanc justitiam fuisse supernaturalem *sim liciter*, qoia in donis, etiam naturalibus, saltem supernaturslem *quò ad modum*.

Fuisset in statu naturæ integra propagatio humani Generis, utpote natura conformis.

Observandum V. Propagationem humani Generis futuram fuisse etiam in statu natoræ integræ. Colligitur ex illo genesis: *multiplicamini; replete terram; non est bonum homini esse solum; masculum & fæminam creavit illos; erunt duo in carne una* &c. quæ dicta non sunt *occasione peccati*, sed *antecedenter*, propter bonum talis naturæ. Propagatio hæc futura erat *per viam naturalis generationis*, quæ servari poterat salva perfectione illius statûs, dicente *S. Augustino*: *Non video, quid prohibere potuerit, ut essent hominibus honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus, etiam in Paradiso: hoc Deo præstante fideliter, justèque viventibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore, doloréque pariendi, fœtus ex eorum semine gigneretur.* (b) Nec *status Virginitatis* ac *Cælibatûs* videtur fuisse à statu innocentiæ *simpliciter* exclusus: quia etsi matrimonium non fuisset in *remedium*, sed in *naturale præceptum*; non tamen fuisset *quò ad omnes*, & *singulos*, & *extra casum necessitatis*. An potior fuisset status Virgioitatis statu matrimonij, est incertum: nam etsi usus matrimonij non impedisset majus bonum. v. g. *Contemplationem DEI*, inducendo sæculares curas &c. ùti fit in statu naturæ lapsæ, non tamen fuisset sine delectatione, saltem ordinata, nec sine omni cura educationis, sic ut finis honestus Virginitatis statui videatur haud defuisse.

Fuisset vita Societas, saltem domestica in familijs.

Observandum VI. Circa genus vitæ politicæ dubium haud esse, quin homines in statu naturæ integræ victuri fuissent *in quadam communitate, saltem domestica familia*, & ea quidem multiplicatis sensim familijs, per divisionem *multiplici*, sine aliqua tamen conjunctione morali inter se, sic ut referrent potiùs *aggregatum quoddam* quasi *per accidens* plurium domesticarum cōmunitatum. *Ratio* est, quia hæc socieras, teste Philosopho, (c) oritur ex prolium procreatione, & naturaliter resultat ex multiplicatione filiorum, nepotum &c. & videri posset, quòd hæc *pro statu natura integra* fuisset satis perfecta, quia sufficiens ad vitam commodè transigendam, partim propter Paradisi abundantiam; partim propter vitæ innocentiam, sic ut illa omnem defectum, infirmitatem; hæc omnem injuriam, hostémque cavendum, vel vindicandum exclusisset: immò ipsa *naturalis* ad societatem *proclivitas* sufficienter fuisset expleta, & per communitatem domesticam, & per familiaritatem plurium familiarum, absque præjudicio libertatis naturalis.

Immò probabiliùs etiam Civilis, ac

Nihilosecius *probabilior* * videtur sententia Angelici (d) *Suarezii* (e) aliorum, quæ statuit, homines in statu naturæ integræ, si diutiùs durâsset, ha-

(a) L. c. c. 20.
(b) L. 9. Gen. ad litt. c. 3. & seq.
(c) L. 1. Polit. c. 1.

* Nil enim ulli Doctorum incidit, *præter conjecturas probabiles*, in hisce quidquam statuere. Et in hoc sensu forsan non metuenda crisis gravissima *Puffendorfii*, qua dixit *Valentino Alberti* in Spicil. Juris Naturæ c. 2. §. 9. p. m. 34. *Si quid ingenio polles, nec Censorem metuis, quaso, deforma nobis civitatem Paradisiacam, & distinctè exprime, quæ ratio ad eam instituendam homines moverit* (hoc est, movisset) *& cur non imperio paterno, inde authoritate contenti, libertatem naturalem, quæ nulla tunc mala libidine gaudere poterant, retinuerint: qua vis tunc Imperij, quæ potestas Magistratûs, qua indoles legum civilium &c. Quæ tu si ita explicaveris, ut cordatiorum, aut lacrymas continere queant, non triobolaris Statista habeberis.*

(d) 1. P. Q. 96. A. 3. & 4.
(e) In oper 6. diet. L. 5. c. 7. f. m. 170.

Publica, utpote Natura per se conveniens, & sola perfecta.

habituros fuisse societatem Civitatis, seu Regni politicam, *sive unam sive plures*, pro capacitate loci, & multiplicatione humani Generis. *Ratio est*, quia hæc, teste Philosopho, sola perfecta, & *complementum totius sufficientia*, (a) quæ homini, non tantùm *per accidens*, ratione naturæ corruptæ; sed *per se* convenit, & in omni statu ad ejus perfectionem conducit: non enim propter *solam indigentiam auxilii mutui*, sed & *propter se* appetibilis est, ad majorem vitæ jucunditatem, & honestam communicationem, homini tam naturalem; ad instructionem in scientiis; ad incitamentum in virtutibus, cùm non omnes in hisce dotibus fuissent æquales. * 2. Unde, licèt nobilitati illius status repugnasset *dominum hominis in hominem*, prout oppositum est *servituti*, ** quod, *tamquam dominium proprietatis*, dat potestatem in servum, ejúsque actiones in commodum solius Domini; non tamen videtur repugnâsse *dominium gubernationis*, quod refertur ad subditum in suis actionibus, tam ad suam, quàm communem utilitatem, dirigendum. *Ratio* est, quia ejusmodi subjectio non fuisset defectus, repugnans illi statui, utpote non privans hominem libertate simpliciter, & dominio suarum actionum; nec subdidisset eum ad serviendum alteri in ejus commodum. sed ad obediendum in actibus honestis, in proprium vel commune bonum redundantibus: nec potestas illa *gubernativa* fuisset tunc *coactiva*, per quam subditi pœnis subjicerentur; sed *directiva* in majus bonum, & pacem Communitatis ordinata. *** Ita *Suarezius*.

Fuisset conservata primæva rerum communio, etsi divisio nec fuisset illicita, nec injusta.

Observandum VII. In statu naturæ integræ conservandâ fuisse, suo modo, primævam rerum Communionem, nullâ inductâ tam strictâ divisione, privatísque dominiis, teste *Suarezio* est *sententia communis*. **** Rationé assignant, quòd divisio evaserit necessaria ad vitandas rixas, pacémque inter homines servandam; immò & propter sustentationem exterum cultura, quæ in earum communione fuisset facilè neglecta: atqui hæc ratio cessaret in statu naturæ integræ. Nihilosecius ejusmodi divisio in statu hoc haud fuisset illicita, nec injusta; immò in rebus mobilibus, vel consumptibilibus, videtur fuisse necessaria, cùm res, ad usum acceptæ, fuissent accipientis, & invitis absque injuria haud eripiendæ. In immobilibus, absolutè loquendo, non fuisset necessaria quidem divisio, etsi, usu & consuetudine illi statui haud repugnante, fuisset forsitan introductum, ut portio terræ, seu privatim culta, seu habitata, ab alio justè occupari

---

(a) 1. Pol. c. 2.

* *P. Ulloa* de primis & ultimis temp. disp. 1. c. 9. f. in. 65. ait. Quoniam non idem fuisset, *esse immunes à peccato Originali, & scire omnia, & non indigere Magistro*, tunc fuissent discipuli, & Magistri; sic *Mariam* subditam legimus *Josepho*, *Christum* utrique. Addit, propter diversitatem judiciorum, voluntatum, & consequenter opinionum, quæ etiam in Angelis reperitur opus fuisset supremis potestatibus, ne, Mundus evasisset in chaos.

** Nam à Deo creatore in sola animalia datum homini fuit dominium: inde *S. Augustinus* de Civit. L. 19. c. 15. *Conditio servientis jure intelligitur imposita peccatori &c. ut nomen hoc sit culpa meriti, non natura.* Item: *non homini* (tamquam mancipio, seu subdito pœnis *coërcendo*) *sed hominem pecori voluit dominari Creator.*

*** Intelligenda hæc de subditis, in sua innocentia perseverantibus: nam si peccassent, extra statum innocentiæ fuissent, estque incertum, qualis in illo statu fuisset modus gubernandi, & puniendi peccatores. Forsan non fuisset dissimilis illi, qui visitur in statu naturæ lapsæ. De priori statu intelligendus idem *S. Augustinus* l. c. cùm dixit: *Justi non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi misericordia*: sic & in Angelis datur subordinatio. Inde *Thomasius* Jurisp. Div. L. 1. c. 2. n. 38. Satis frigidè scribit: *Quidam distinguunt inter imperium directivum, & coactivum: & hoc ipso fatentur, non extituram* (Rempublicam in statu integro) *quoniam imperium directivum est ignis frigidus.*

**** Unde *Ziegleri*, *Strauchij*, *Struvii* vix bene emendant *Grotium* L. 2. c. 2. n. 2. Negando communionem primigeniam, & adstruendo *Adamo* datam Universi hujus proprietatem, sic ut non nisi per titulos *assignationis*, aut *qualiscunque cessionis*, ad Posteros devenerit. Distinctio familiarum non infert per se distinctionem bonorum, præsertim immobilium: & etsi, sublata rerum divisione, non fuisset locus liberalitati, ac beneficentiæ, id provenisset *ex perfectione status*, qui excludebat omnem egentium defectuositatem, litigiorum, ac æmulationum occasionem &c.

cupari haud potuisset, ipsa ratione, & ordine naturali id exigente.

Fuisset vita potissimum contemplativa, moderato labore hinc inde interpolata.

Observandum VIII. Cùm in statu naturæ integræ neque fuissent bella, neque negotiationes, neque corporum curæ in vestibus cibisque artificiosis; cùm neque fuissent opera misericordiæ corporalis, utpote nullis infirmis, atque afflictis; cùm neque fuisset usus artium mechanicarum ad sublevandas necessitates; cùm denique nec fuisset otium, rectæ rationi adversum, sequitur, vitam majori ex parte futuram fuisse *contemplativam*, cùm aliqua tamen moderata actione mixtam. *Contemplativam* quidem Dei & effectuum ejus, etiam in ordine supernaturali, quæ per fidem & charitatem exercetur; in scientiis item discendis, ac docendis: *activam* in cultura terræ moderata, ac delectabili, juxta illud: *posuit Deus Adam in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* (a)

Adamo innocente potuissent peccare posteri, subjicique pœnis moderni status.

Observandum IX. Etsi *Adamus* non peccâsset, nos tamen potuisse peccare, ùt habet communior. Nam potuerunt peccare Angeli & Protoparentes, etsi constituti in gratia originali, adeóque per peccatum eidem sorti ac pœnis fuissemus subjecti, quali nunc subjacemus in statu naturæ lapsæ. Tenet tamen communior, venialia tunc non fore commissa *ante mortale*, * non enim *ex subreptione*, quæ repugnabat rectitudini illius status; nec ex *deliberatione*, quia quamdiu homo non fuisset *per mortale* aversus à Deo, tanquam ultimo fine, ex Dei dispositione libera, mansisset integer ille status, cujus pars erat specialis protectio, sicut nullus potuisset esse defectus in inferioribus potentijs, vel actibus, quæ omnia fusiùs probat *Suarezius.* (b)

§. II.

§. 2. De statu Naturæ puræ, Qui concipitur

De statu Naturæ puræ.

Quæritur II. Quid specialiter memorabile de statu Naturæ puræ?

℞. *Memorabile I.* Quòd sit status, in quo homo, absque peccato originali, habuisset quidem omnes facultates, Naturæ humanæ proprias; sed tamen sine ordinatione sui ad finem, seu beatitudinem supernaturalem, per supernaturales gratias obtinendam, sic, ut servatis Naturæ legibus, non attigisset beatitudinem, nisi merè naturalem, & suo statui proportionatam; ijs non servatis, fine hoc excidisset.

& absque peccato originali, & absque ordinatione ad beatitudinem supernaturalem.

Et' etsi non fuerit, fuit tamen possibilis: nulla implicantia obstante, immò Catholicorum communi contra sequelas impossibilitatis Bajana erroneas suffragante.

Memorabile II. Hunc statum saltem fuisse possibilem; seu potuisse à DEO creari hominem absque supernaturalibus gratijs, aliisque donis gratuitis, *immunitatis* à morte, *& rebellione* concupiscentiæ &c. *Est Catholicorum communis*, patétque ex eo, quòd ejusmodi status nullam involvat repugnantiam; sit conformis perfectissimo DEI Domino, quo potest creaturam ordinare ad hunc, vel alium finem, quin teneatur illam assumere ad filiationem cum jure hæreditatis æternæ; quòd immunitas, à morte, rebellione concupiscentiæ &c. non sint *proprietates naturæ*, sed *dotes originalis justitiæ.* Unde meritò damnati sunt errores *Baij*, queîs docuit, *sublimationem hominis ad consortium DEI Naturæ innocenti fuisse debitam ac naturalem; hominem non potuisse initio creari talem, qualis nunc nascitur; immortalitatem fuisse conditionem naturalem &c. distinctionem amoris naturalis erga Creatorem, & gratuiti erga Beatificatorem, vanam esse, ac commentitiam.* (c) Similia *Jansenius*: inde illa conclusio: *non emanâsset Bulla, si Pontificibus priùs fuisset ostensum, doctrinam Baij fuisse doctrinam genuinam Augustini.*

Non potuisset à Deo præfigi felicitas, hujus vitæ ambitu clausa, quia animæ immortalitati improportionata.

Memorabile III. Quòd homini in statu naturæ puræ, non potuisset à Deo præfigi finis *merissimè temporalis*, seu felicitas quædam *inclusa ambitu hujus mortalis vitæ*: nam hæc fuisset improportionata animæ, ex sua natura spirituali, ac immortali; fuisset DEO, ùt Authori naturæ, incongrua, utpote cujus est creare hominem haud in alium finem, quàm suam gloriam: hæc autem

---

(a) Gen. 2. v. 15. Unde erravit *Grotius* L. 2. c. 2. §. 2. Si *omnem* industriam excludit, cùm ait: *vivebant facilè ex his, quæ sine industria sponte sua terra proferebat.* Errat *Osiander* Glossator, si ex *sola cultura* eos victuros autumat.

* Unde *Puffendorfius* in *Spicil. Juris Nat.* c. 2. §. 10. f. m. 313. Dicit quidem, non tamen probat, *nullum* aliud peccatum fuisse patrandum, si modò à sola comestione arboris vetitæ homo abstinuisset.

(b) De opere sex dierum l. 3. c. 13. f. m. 190.

(c) Inter propositiones damnatas à *Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII.* 22. 27. 52. & 78.

tem commensuratur animæ immortali, adeóque durationi alterius vitæ.

Beatitudo illa naturalis fuisset obtinibilis medijs naturalibus.

Unde *fluit* 1. Quòd finis, seu beatitudo illa debuisset esse naturaliter obtinibilis, adeóque oportuisset, homini esse provisum de medijs indispensabiliter necessarijs, qualia essent illustrationes intellectûs, & motus voluntatis tam generaliter, quàm particulariter directivi ad bonum; uti & alia forsan auxilia extrinseca in removendis teotatiooibus nimijs, quorum auxiliorum defectu homo non fuisset sufficienter dispositus ad suum ultimum finem.

Unde homo, saltem loquendo simpliciter, potuisset habere propositum absolutum & efficax servandi totam legem naturæ.

Fluit 2. Quòd homo, his instructus auxilijs, *saltem simpliciter loquendo* * potuisset habere propositum absolutum, & efficax ** servandi totam legem naturæ, sic ut Deum amâsset super omnia, *etiam amore benevolentia*, etsi merè oaturali, & præcisè teodente io Authorem Naturæ. *Unde Scotus: (a) Ratio recta dictat, solum summum bonum infinitum esse summè diligendum, & per consequens voluntas hoc potest ex puris naturalibus: nihil enim potest intellectus rectè dictare, in quod non possit voluntas naturaliter tendere.*

Etiam diu, & per totam vitam, potentia morali saltem conditionatâ, & remotâ.

Fluit 3. Quòd, etsi homo ordinarijs hisce auxilijs non potuisset potentiâ morali, *absolutâ & proximâ*, servare *diu* totam legem naturæ ob ingruentes moraliter loquendo graves tentationes, præcipuè ratione concupiscentiæ, in bona sensibilia nimiùm projectæ, *** potuisset tamen potentiâ morali, *saltem conditionatâ*, sic ut *faciendo quod est in se*, seu observando totam legem *aliquamdiu*, debitum illi fuisset auxilium ad potentiam ejusdem *diutiùs* observandæ, & sic deinceps per totam vitam. Atque hæc potentia suffecisset, ut ne quis posset oggerere, hominem in illo statu fuisse *moraliter necessitatum* ad excidendum suo ultimo fine, & incurrendas pænas alterius vitæ. Hinc si quis, observatâ taliter Naturæ lege, pervenisset ad terminum viæ, fuisset illi debita beatitudo naturalis, tanquam *meritorum præmium*, sic tamen, ut simul fuisset *Dei donum*. Nam ut homo non modò *facere posset*, sed *etiam faceret semper*, quod erat in se, opus erat auxilio, *non merè sufficiente*, sed *congruo*; quod, sicuti gratia dici potest, ita & illa potentia *absoluta* ac *proxima* inter gratias numeranda, qoam, *veluti præmium simul ac donum*, consequitur beatitudo. Ita multi: sed tamen alij aliter. ****

Immò & juxta non pautos potentiâ proxima ac absoluta.

Hi, in statu Naturæ puræ, admittunt *potentiam moralem absolutam* servandi totam legem *pro semper*: quia *necessitatem moralem absolutam excidendi à fine suo*, seu *beatitudine naturali*, judicant repugnare conditioni naturæ etiamoum innocuæ, quæ pessimè constituta foret *in ordine ad suum finem*, nec creata *in rectitudine naturali*, uti tamen aliæ creaturæ, etsi ordinis inferioris. ***** Judicant insuper, id repugnare Authori naturæ, ejúsque perfectionibus divinis. ****** Unde naturæ puræ, *antecedenter ad peccatum*, tribuunt exigentiam quamdam, seu jus naturale, *quasi morale*, ******* ad auxilia seu extrinseca, seu intrinseca, ******** non quidem naturæ debita de-

---

* Abstrahendo, an si *urgeret gravissima tentatio, vel plures &c.*

** Abstrahendo, an *affectivè*, vel etiam *effectivè*.

(a) In 3. dist. 27. Q. unica §. istis igitur

*** Adde imbecillitatem intellectûs, levitatem voluntatis, instabilitatem imaginationis, curas corporis, prava exempla, consilia &c.

**** Quos non minore numero adducit *Gonzales*.

***** Quæ consequuntur suum finem: rationalis, dignitate excellentior, necessitaretur moraliter *ad excidendum suo fine*, & ad incurrendas pænas alterius vitæ; adeóque *ex sua natura* plus haberet mali, quàm boni; neque talis status homini prudenter foret optabilis. &c..&c.

****** Repugnaret *sapientiæ*, ordinare hominem ad finem, *eidem moraliter impossibilem*; *Bonitati*, creare naturam innocentem, cujus individua omnia *moraliter* deberent *æternùm puniri*, & desperare *de salute*; *Providentiæ*, quæ efficaciter allicere non posset hominem ad præmium *moraliter impossibile*, nec absterrere per pænam, *moraliter inevitabilem &c. &c.*

******* Hæc exigentia naturalis, *seu jus morale*, si non dicatur *absolutum*, sed per preces hominis, *tanquam cooperationem necessariam*, primùm *complendum*, potentia moralis, consistens in hoc jure, haud erit *absoluta*, sed ex parte *conditionata*, ac *distincta* à beneficio creationis, ut adeò hujus, sic modificatæ, sententiæ Patroni difficultatem *sententiæ prioris* penitùs haud evitarent.

******** Hæc enim auxilia vel consisterent in *speciali Dei protectione*, ne objecta tot & tanta occurrerent; ne vehementer adeò allicerent; ne tentationes tam graves se se ingererent &c. Vel consisterent *in illustrationibus*, *vel moti-* bus

determinatè, uti debitæ sunt aliæ proprietates, ac potentiæ physicæ, sed debito *indeterminatè*, seu ex supposito *status innocentis*, quibus auxiliis tolleretur moralis illa necessitas peccandi graviter, proveniens primariò *ab excessu* concupiscentiæ, in natura lapsa nimium effrenis, quem proin excessum, *ùt talem*, peccati originalis pœnam *essentialem* pronunrianr, ùt infrà dicemus. Beatitudinem tamen, *ùt Dei gratiam*, salvant, quia etsi moraliter *obtineri posset*, non tamen *obtineretur*, nisi dependenter *ab auxiliis congruis*, vel etiam à *magìs congruis*, absolutè indebitis, quæ potentiam redderent faciliorem.

Beatitudo illa constitisset in cognitione Dei abstractiva, ejúsque amore satiativo proportionaliter.

Memorabile IV. Quòd beatitudo illa naturalis *in statu natura pura* constitisset quidem *in cognitione Dei merè abstractiva*, in suo tamen genere clara, atque perfecta, ex qua manâsser amor Dei, ùt Authoris naturæ, itidem *suo modo perfectus*, *securus*, & *absolutè satiativus*; siquidem exclusisset omnem anxietatem, vel desiderium visionis intuitivæ, utpote quæ in, & pro illo statu, non cognosceretur esse possibilis, adeóque nec forer appetibilis, ferè sicut Beatis in statu elevationis nulla unionis hypostaticæ inquieta est appetentia, quia omninò incompetentis, atque incongruæ.

Unde homo in illo statu fuisset rectus, non obstante concupiscentiâ luctante, quia naturæ conformi, nec nisi inefficaci.

Memorabile V. Quòd homo in statu naturæ puræ *sufficienter* fuisser *rectus*, etsi creatus cum concupiscentia luctanre adversus spiritum, stimulante suo modo ad peccatum, ac causante pudorem &c. Ratio est, 1. quia obluctatio concupiscentiæ humanæ naturæ est naturalis, cùm appetitus sensitivus feratur in suum objectum *naturaliter*; hoc autem sit omne *bonum delectabile sensibile*, etsi rationi minùs conforme, & ne in sensus incurrat ab homine *inimpedibile*. Accedit, quòd dominium rationis despoticum, seu *omni modo* subjectum, non sit proprietas naturæ, sed donum speciale.

2. Ratio est, quia hic stimulus est *inefficax*, neque *necessitans* ad peccatum, ratione sufficientibus medijs instructâ ad negandum consensum. Accedit, quòd, sicut tentationum externarum sensus est occasio victoriæ, majorisque meriti à Deo intenti, ita & stimulus internus concupiscentiæ.

Qua fuisset à Deo, salsem realiter.

Unde 5. Hæc concupiscentia in natura pura fuisset quidem à Deo Conditore *realiter*, sicut aliæ imperfectiones *physica*, ac *negativa*, seu à naturæ *limitata* essentia profluæ, uti *passibilitas*, *mortalitas &c.* non tamen fuisset à Deo *formaliter*, quatenus est *defectus strictè moralis*, seu malum morale, inclinans *efficaciter*, seu *per se* causans peccatum: nam inclinat quidem ad bonum sensibile, sed, *quatenus est peccatum*, *non nisi inefficaciter*, & *merè per accidens*.

Nec fuisset imperfectio positiva:

2. Neque est inordinatio naturæ *positiva*, quòd concupiscentia *non omni modo* subdatur rationi, sed merè *negativa*, & *indebita*: nam concupiscentia dicit *appetitum sensitivum*, & *negationem doni specialis*: unde nec concupiscentia est Deo odibilis, nisi *victrix*, puta, *ratione peccati*, non *ratione sui*, odio redundante in peccatum, non in concupiscentiam, causam peccati *merè per accidens*.

Sed malum merè physicum, causans pudorem, moraliter innoxium.

3. Licèt concupiscentia, ranquam causa pudoris, sir malum *physicum*, & imperfectio ex naturæ limitatione promanans, uti & aliæ necessitates physicæ, ex nutritione consecutivæ, & *naturali pudori subjecta*, nemo exinde dicet, in statu naturæ puræ non futuras fuisse possibiles, vel in Creatoris præjudicium redundantes &c.

Peccati remedium esse potuisset condonatio Dei gratuita.

Memorabile VI. Quòd in statu naturæ puræ sicuti fuisset libertas, & peccati occasio cum potestate non nisi morali, *seu conditionata*, *seu absoluta*, ad servandam diutiùs totam naturæ legem; ita & fuisset peccatum. Hinc licèt homo *de se* haud valuisset *condignè* satisfacere, potuisset tamen dari peccati remedium *per condonationem Dei gratuitam*, si minùs *merè extrinsecam*, saltem *per qualitatem intrinsecam*, tanquam complementum condonationis, peccato incompossibile. Hic favor, seu qualitas, licèt fuisser naturæ indebita, non tamen ideò fuisser *Theologicè* supernaturalis, qua in re sicur nulla apparet implicantia, ita & possibilitas statûs manet salva.

Præmium virtutis sufficiens, etsi soli animæ impensum.

2. Sic si resurrectio corporum naturaliter fuisset indebita ac impossibilis, * nulla exinde in Deum redundâsset injustitia *positiva*: nam sicut actus externi

---

bus, sat efficacibus &c. vel per DEum, vel per Angelos, vel per homines subministratis, quæ auxilia exigentia hæc naturalis solummodò *vagè* respiceret, cùm dependenter ab illis, *indeterminatè acceptis*, haberi posset potentia moralis absoluta.

* Qua de re *Rainaudus* in Philosophia morali dist. 1. Q. 4.

externi non *formaliter*, sed solummodò *denominativè* sunt liberi, ac meritorij; ita corpori non debetur præmium ex *justitia* titulo, *strictè dicta*, totúsque homo, spectatus *moraliter*, censetur consequi suum finem, si modò anima beatitudine perfruatur. Hinc Patres, cùm loquuntur *de Dei justitia*, loquuntur *de negativa*, quatenus ea minùs fit manifesta hominibus, neque plùs probant, quàm quòd resurrectio non sit *contra lumen rationis*, uti Gentiles contendebant.

Propagatio & vita civilis ratio fuisset similis modernæ, utpote peccato quoque tunc obtinente.

Memorabile VII. Quòd *propagatio humani Generis*, & *ratio vitæ civilis*, in statu naturæ puræ, eodem modo denique obtinuisset, quo in statu naturæ lapsæ: nam & ipsa in peccatum sensim prolapsa, iisdem ad vitam sustentandam, pacem publicam conservandam, & felicitatem tam hujus, quàm alterius vitæ obtinendam subsidijs indiguisset; & sicut iisdem naturæ legibus fuisset obstricta, ita & disciplinâ ejusmodi legum, omnibus communi, tam circa religionem naturalem, quam circa humanam Societatem, habuisset opus, quæ disciplina tamen per jura Gentium, vel etiam alia positiva, pro rerum exigentijs cum tempore superaddita, fuisset ad majorem perfectionem deducta, eo proportionaliter modo, quo hæc in statu naturæ lapsæ, *etiam abstrahendo à religione revelata*, cernimus, ac experimur.

§. 3.

§ III.

Status naturæ lapsæ, seu spoliata originali justitiâ.

De statu Naturæ lapsæ.

Quæritur III. Quid specialiter notandum de statu naturæ lapsæ?

℟. I. Quòd sit status, in quo Natura humana, per lapsum in peccatum, originalem justitiam, atque integritatem, à Protoparente acceptam, perdidit, variisque malis subjecta fuit: hæc considerari potest, prout nondum est reparata, & prout est reparata *à Christo* quò ad culpam, & qualis *de facto* datur in statu, quo vivimus.

Dicit peccatum actualis, originale Adami, puta, peccatum Adami, moraliter nostrum:

℟. II. Quòd peccati originalis, *quà peccatum actualis*, essentia consistat in peccato *Adami* præterito, *quatenus istud est moraliter nostrum*; essentia verò originalis, *quà habitualis*, consistat in eodem *Adami* peccato, *quatenus est moraliter posterorum*, & in ijs moraliter perseverat. Patet: nam his præcisè positis non intelligitur utriusque essentia. Inde

Habeturque per peccatum

Fluit 1. Constitutiva peccati originalis, *quà habitualis*, essentialiter esse peccatum *Adami*, alligationem nostrarum voluntatum, & negationem remissionis.

illud præteritum; per alligationem nostrarum voluntatum & negationem remissionis.

Non verò per qualitatem morbidam reatum pœnæ, aut privationem originalis justitiæ.

Fluit 2. Contra quosdam Orthodoxos, peccatum originale non consistere *in qualitate morbida*, ùt vult *Catharinus*: nam fingitur absque necessitate; nec potest explicari, à quo producatur, & quomodò propagetur. Neque consistit *in reatu pœna*, ùt vult *Vasquezius*; quia juxta *Tridentinum* in baptismo tollitur, quidquid habet rationem peccati, quin tollatur totus reatus pœnæ temporalis, in hac vita subeundæ. Neque consistit *in privatione justitiæ originalis*, ùt volunt *Thomistæ*, atque *Scotistæ*; quia peccatum originale vel potest tolli per condonationem extrinsecam, vel per qualitatem ejusdem sublativam, quin hoc ipso tollatur isthæc privatio, sicut revivicat originalis justitia, nisi prout gratiam supernaturalem continet, naturæ puræ debitam asseverent. Accedit, quòd Deus videatur, posse velle privationem justitiæ origioalis tanquam pænam, & effectum, quin hoc ipso velit peccatum originale.

Multò minùs per substantiam à Diabolo factam, aut rebellionem concupiscentiæ.

Fluit 3. Contra Acatholicos, quos inter *Illyricus*, peccatum originale non esse *substantiam*, *à Diabolo factam*, per quæ animam ex imagine Dei transformat in imaginem Diaboli: nam cùm, ex communi Doctorum, Deus solus *per se* sit causa & Author omnis substantiæ, nequit dari substantia intrinsecè mala. Hos inter *Lutherus*, atque *Calvinus*, qui peccatum originale malè statuunt *in rebellione concupiscentiæ* nam juxta *Tridentinum* originale tollitur per baptismum, non tollitur peccati fomes, seu rebellio concupiscentiæ. Hos inter etiam est *Melanchton*, qui malè adstruit pro originali *peccatum actuale à parvulis primò conceptionis instanti commissum*, quia ibi deest rationis usus & libertaris, & quamvis adesset, credibile haud foret, omnes illicò mortaliter peccaturos.

Dari hoc peccatum in omnibus Adæ posteris, exceptâ Immaculatâ, est de fide.

℟. III. Quòd detur existentia peccati originalis, tam *actualis*, quàm *habitualis*, in omnibus *Adæ* posteris, exceptâ solâ Immaculatâ, patet: nam dari peccatum, *ab Adamo physicè* patratum, sic ut fuerit etiam *moraliter* posterorum, in conceptione ab omnibus contractum, & perseverans moraliter, ita ut sit nobis intrinsecum, salutis privativum, ni deleatur, testatur Scriptura, Concilia, Patres, communis Fidelium, fundatúrque in universali redemptione, necessitate baptismi

 etiam

etiam respectu parvulorum &c. De exceptione *Immaculatæ* Orthodoxis constat ex authotitate irrefragabili, & ratione manifesta: nam potuit Deus eandem eximere à pacto *Adami*, & præservare: ergo fecit, quæ demonstrata alibi legere est. Inde

Per & ob alligationem fuit nobis moraliter voluntarium & imputabile.

Deducitur 1. Peccatum origioale *formaliter* existere in Posteris per peccatum *Adami*, quatenus est moraliter nostrom, *per & propter alligationem* voluntatum ad voluntatem *Adami*, tanquam capitis moralis à Deo constituti, quò ad observationem, vel traosgressionem legis de fructu arboris non comedendo. Siquidem peccatum *Adami*, ut esset *moraliter nostrum*, debuit esse nobis *moraliter voluntarium*, ac *imputabile*: tale esse non potuit, nisi per boc, quòd Deus transfuderit voluntates nostras in voluntatem *Adami*, & alligaverit voluntati illius, tanquam Capitis, in ordine ad observationem vel violatiooem legis, meritum vel demeritum, præmia vel pænas inde consequentes.

Hæc alligatio fuit possibilis.

Deducitur 2. Hanc alligationem voluntatom haberi per decretum Dei, seu pactum cum *Adamo*, tanquam capite morali suorum Posterorum. Nam quòd potuerit Deus hac ratione voluntates nostras transfundere, patet ex Magistratu, alligante voluntatem pupilli, non exspectato ejus coosensu, voluntati Tutoris; ex homioe io alium v.g. *Procuratorem*, seu *Legatum* transfundente suam voluntatem in ordine ad certos effectos &c. Quòd Deus ita transfuderit, ex eo liquet, quòd alius modus non suppetat salvaodi Scripturam, quæ sæpe testatur, nos peccasse in *Adamo*.

Conveniens, & antecedenter ad omnem eventum optabilis Generi humano.

Deducitur 3. Quòd hæc alligatio fuerit *conveniens*, *& antecedenter ad omnem eventum humano Generi optabilis*. Nam erat *conveniens*, ut originalis justitia, donum præstantissimum, post se trahens amicitiam Dei cum infinitis alijs donis, non conferretur absque omni consensu & merito, ac velut obtruderetur invitis, aut saltem non consentientibus, cùm hoc modo nec Angelis, nec *Adamo* collata sit. Item: *optabilius* erat, ut requireretur consensus moralis, quàm physicus: nam aliàs differri debuisset ad usque usum rationis; ante quem plurimi decessissent, non elevati justitiâ originali. *Optabilius erat*, ut alligaretur consensus *Adamo*, utpote longè magis instructo donis naturæ, gratiæ, præsidijs ad observandum præceptum, idque *principaliter* etiam intuito istius alligationis, excepto tamen *Christo* & Beatissima.

Constituque in pacto cum Adamo, tanquam capite morali posterorum:

Deducitur 4. Hanc transfusionem voluntatum probabiliter factam esse à Deo per aliquod pactum, *formaliter vel æquivalenter* tale, dicente Scripturâ: (a) *Ipsi autem, sicut Adam transgressi sunt pactum:* adeóque constituendo *Adamum Caput morale humani Generis*, probabiliùs ei innuit voluntatem, qua vellet transfundere justitiam, seu labem originalem in posteros, *Adámque* vel liberè acceptavit, vel etiam, noo requisito consensu, Deus absolutè eum obligavit, utpote Dominus absolutus in suas creaturas.

Adeóque non physica quadam transfusione, sed merè morali, peccatum hoc corrupit Genus humanum.

Deducitur 5. Peccatum originale non transfundi *physicè* per propagationem animæ ex traduce, seu per semen *Adami* infectum; sed *moraliter*, in quantum descensus immediatus, vel mediatus *per generationem naturalem est* conditio, ratione cujus fuit alligata voluotas descendentium, per quam peccârunt in *Adamo*, & ab illo, *tanquam capite morali*, originalem maculam contraxerunt.

Peccati originalis pæna varia.

℞. IV. Quòd variæ fuerint pænæ peccati originalis. *1. Quò ad animam* privatio gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum supernaturalium: item vulnera præcipuarum potentiarum, intellectûs, voluntatis, memoriæ, appetitûs concupiscibilis, & irascibilis. *2. Quò ad corpus*, mors, morbi, fames, sitis, dolores, & passiones aliæ afflictivæ. *3.* His additæ pænæ, *quasi extrinseca*, inimicitia Dei, servitus Dæmonis, persecutio hominum, subjectio, * amissio dominij in bestias, calamitates à Cælo, elementis &c. *4.* Secuta demum pæna alterius vitæ pedissequa, quam vocant *damni* respectu visionis beatificæ; non tamen sensûs respectu tartarei ignis. Ex quibus

Quæis natura spoliata donis gratuitis, &

Infertur 1. Naturam humanam originali peccato fuisse spoliatam *donis gratuitis*, & vulneratam quoque *in naturalibus bonis*, non quidem *corruptione interna* principij physici, seu arbi-

---

(a) Osee 6. v. 7.

* *Ulloa* teste l. cit. f. m. 65. Etsi mulier in statu innocentiæ fuerit *naturaliter* subjecta viro, ùt perfectiori individuo, quia *caput mulieris vir*, *neque creatus vir propter mulierem*, *sed mulier propter virum*. *teste* Apostolo ad Cor. 1. c. 11. Tamen post lapsum subjecta fuit *dursori quadam subjectione*, puta etiam *invita*, *& jugi pertæsa*; etiam danti imperia *minùs æqua &c.*

vulnerata in naturalibus bonis.

arbitrij liberi, sed *amissione juris* ad specialem Numinis providentiam, qua suppeditata fuissent auxilia, Naturæ integræ debita, ad finem ultimum facilè consequendum.

Sic tamen, ut pleraque fuerint accidentales, hoc est, tales, qua etiam dari potuissent absque peccato.

Infertur 2. Has omnes pœnas hoc ipso fuisse solummodò *accidentales*, nonantem essentiales,* abstrahendo *ab excessu quodam* rebellis concupiscentiæ, qui de facto datur; item excepto mancipatu dæmonis, Dei inimicitia &c. Nam etsi hæ pœnæ inflictæ sint *ratione peccati originalis*, potuissent tamen dari *etiam sine peccato*, nempe *in statu naturæ puræ innocentis*. *De gratia originali*, cæterisque supernaturalibus donis, naturæ indebitis, patet ex conceptu *entis supernaturalis*: de *passibilitate* ac *mortalitate* constat ex natura composita per elementa, & per humores inter se pugnantes, cui proin æquè connaturale est, per continuam pugnam pati, corrumpi, mori, ac animalibus cæteris. Eadem est ratio de *concupiscentia obluctante*, cùm natura humana composita sit ex appetitu inferiore, qui contra rationem sæpe fertur in objecta illicita, ùt dictum suprà. Denique *de pœna damni* nullum est dubium, non enim visio beatifica debetur homini *naturaliter*, etsi pœna sensûs æterna, absque personali peccato, adstrui nequeat, nulla ratione hanc evincente.

Unde vulnera non indicant corruptionem physicam, sed moralem.

Infertur 3. Naturam eatenus *vulneratam dici in naturalibus*, quatenus per peccatum *separata est* à justitia originali; non enim vulnus, nisi *continui separatio*: unde, disruptâ hac unione, intellectus *vitiatus* fuit per ignorantiam; voluntas *infirmata* per propensionem ad malum; appetitus *concupiscibilis læsus* per effrenem concupiscentiam; *irascibilis* per infirmitatem, ac torporem ad bonum. Accessit ex Dæmonis mancipatu, ut etiam ab extrinseco potuerit tentari *vehementiùs*, excitando passiones in corpore per humores, turbando species ac phantasiam &c.

Adeóque juxta multos natura lapsa non est facta debilior, spectando vires, pura natura debitas.

℞. V. Quòd, his nil obstantibus, juxta multos natura lapsa per originale non sit facta *debilior*, seu quòd nil perdiderit de viribus arbitrij liberi, *pura natura debitis*. 1. Quia juxta communem Patrum, naturalia mansêre integra, & solùm gratuita sunt amissa, naturâ lapsâ non aliter differente à pura, quàm homo vestibus spoliatus à nudo. 2. Quia damnata est propositio *Baij LV. in sensu Authoris*, qui fuit, *quòd Deus non potuisset creare hominem cum tali cumulo miseriarum, quibus nunc nascitur subjectus*. 3. Quia in utroque statu datur æqualis possibilitas ac impossibilitas moralis, *quò ad servandam diu totam naturæ legem*, neutra *absoluta*, utraque *conditionata*, ùt dictum suprà, sicque vitatur duplex error oppositus; *Lutheri*, qui liberum arbitrium dicebat deperditum; *Pelagij*, qui nihil perditum asseverabat.

Etsi non pauciores, quò ad rebellionem concupiscentiæ nimiam, oppositum tueantur.

Contrà non pauci tenent, naturam lapsam fuisse factam debiliorem, *saltem secundùm excessum concupiscentiæ rebellis*, quem peccato originali *essentialem* existimant, ùt dictum suprà. *Rationem assignant 1.* Quia natura lapsa per originale fuit etiam aversa à Deo in naturalibus; verè fuit odio digna, adeóque amisit quodammodò jus ad media, seu vires consequendi *Deum*, etiam *ùt finem naturalem*; per servitutem diabolicam fuit facta indignior, vilior, atque debilior. 2. Quia *moralis necessitas* excidendi suo fine videtur repugnare conditioni naturæ innocentis, & perfectionibus Creatoris, quam necessitatem moralem, spectatis naturæ viribus, tamen adstruunt Patres in statu naturæ lapsæ. 3. Quia sic meliùs conciliantur duo effata Patrum, quò ad speciem opposita: nempe naturalia mansisse *integra*, & tamen naturam non modò *spoliatam* gratuitis, sed etiam *vulneratam* in naturalibus, ** uti descendentem de *Jericho*. Inde

Et illis,

Colligitur 1. Authores prioris sententiæ respondere ad rationem primam posterioris: quòd natura, siquidem aversa sit per originale à Deo, etiam ùt Authore naturæ, sit quidem facta *infelicior*, & *miserior*, non tamen *debilior* in naturalibus. *Ad 2.* Quòd in natura pura fuisset quidem moralis necessitas excidendi suo fine, non tamen *absoluta*, sed *superabilis*, quia *conditionata*, *si faceret, quod est in se*:

* Hoc est tales, quæ infligi non potuissent absque peccato prævio.

** Non quidem sic, ut debilitas major naturæ lapsæ proveniat ex corruptione intrinseca, privatione, seu immutatione principij intrinseci, naturæ *determinatè* debiti; nam nullum hujus rei fundamentum in Scriptura, vel Patribus: sed ex amissione juris, *quasi moralis*, ad specialem Dei assistentiam, & auxilia naturalia, naturæ innocenti debita in ordine ad finem ultimum *moraliter* consequendum, uti dictum suprà.

ſub hac conditione, & natura lapſa habuiſſet *potentiam moralem*, ne incurreret ſaltem pœnas ſensûs. *Ad 3.* Quòd vulneratio facta ſit *per ſeparationem* juſtitiæ originalis à natura, adeóque ſit *vitiata*, *læſa*, & *debilior facta* reſpectu naturæ integræ, non puræ.

Et his adverſa principia diſſolventibus.

Colligitur 2. Authores poſterioris ſententiæ viciſſim reſpondere ad rationem primam prioris, quod naturalia manſerint integra, quò ad ea, quæ naturæ puræ ſunt *debita determinatè*, hoc eſt, tam *antecedenter*, quàm *conſequenter* ad peccatum, quod etiam in illo ſtatu erat poſſibile; non autem quò ad ea, quæ tantùm *indeterminatè debita*, ſeu conſequenter ad peccatum. *Ad 2.* Quòd propoſitio *Baij* damnata ſit *in ſenſu Authoris*, qui, uti conſtat ex Bulla, volebat hominem non potuiſſe ab initio creari *ſimpliciter mortalem*, *paſſibilem*, *cum aliqua concupiſcentia*, *quommodolibet reluctante*; *de exceſſu* autem non fuerit quæſtio: unde argumentum malè extendi dicunt *à ſimpliciter ad ſecundùm quid*. *Ad 3.* Quòd impotentia *moralis*, & quidem *abſoluta*, reſpectu totius legis ſervandæ diutiùs, videatur repugnare conditioni naturæ innocentis, ùt dictum. Ita illi. *Nobis de his omnibus eſto problema.* *

Gentilibus non eſt præciſa ſalutis ſpes.

Quæritur IV. An Gentilibus, quibus abſque culpa eſt incognita vera religio, ſiquidem ſervent legem naturæ, ſalutis ſpes ſuperſit?

℞. *Supereſt:* nam *facientibus, quod eſt in ſe*, Deus non deerit, ſubminiſtrando neceſſaria, ac varia media, quibus ad ſalutem perveniant.

Si abſque culpa ſit ipſis incognita vera religio,

Dicitur 1. Quibus abſque culpa, quales ſunt, qui ſparſi per inacceſſos Orbis angulos, inſuláſque, vel *nullo modo*, vel *modo* ſolùm *inſufficiente*, hoc eſt, ſine morali evidentia ſeu certitudine, *ſaltem reſpectiva*, credibilitatis de exiſtentia revelationis, ac rei revelatæ, ad aſſenſum fidei Theologicæ requiſita, audierunt doctrinam cæleſtem, ſic ut penes illos nullum fuerit obſtaculum *culpabile*, & *moraliter imputabile*.

Servant, quæ naturæ legem, ut abſolutè poſſunt,

Dicitur 2. Siquidem ſervent legem naturæ, quam habent ſemper, *ſuper ſe ſignatam*, *tanquam lumen vultûs Divini*, *unàcum libertate indifferentiæ* juxta illud: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, apponendo vitam & mortem.* (a) Immò quam habent etiam *cum poſſibilitate morali* ſervandi, *ſaltem aliquamdiu*, & *ſecundùm prima principia in genere morum*, ſic ut *facientibus, quod eſt in ſe*, Deus nunquam deneget gratiam, ulteriùs illam ſervare ut poſſint juxta ea, quæ ſuprà diximus. Quòd ſi non ſervent legem naturæ, jam non ſunt *abſque culpa*; ſeu obſtaculo, reſpectu veræ fidei *imputabiliter* poſito, ſic ut damnentur non quidem *immediatè, directè & formaliter* propter infidelitatem negativam, utpote penitùs involuntariam; ſed propter peccata perſonalia juxta illud: *qui non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis:* (b) qua de cauſa & *Chriſtus Sidoni* & *Tyro* judicium *remiſſius* prædixit. (c)

Quia Deus ſubminiſtrabit neceſſaria media conſequendæ veræ religionis:

Dicitur 3 Subminiſtrando neceſſaria, & varia media &c. Nam, ſi qui præventi arcanis modis, quos Deus ſcit, longiori, vel toto vitæ curſu abſtinuiſſent, *quò ad mores*, omni lethali peccato, Deus ſpecialem hanc providentiam non ſinet fruſtraneam, ſed eos ad fidem rectam adducet, & humano quidem miniſterio per aliquem ex innumeris modis, quæ ſuppetunt Deo ad res humanas, ita combinandas, ut homines in quocunque angulo hujus globi terraquei audiant ab alio homine doctrinam, quam *de neceſſitate medij* ** credere debent, ut ſalvi fiant.

Uti exemplis varijs eſt manifeſtum.

Inter varia exempla afferri ſolet ille dæmoniacus, à *Chriſto* liberatus cum dicto: *Annuntia illis, quanta tibi fecerit*

* Etſi, docti poſteriorem ſententiam, in eandem magis inclinemur.

(a) Eccleſ. 17.

(b) Lucæ. 12.

(c) Matth. 11.

** Videatur *P. Dominicus Viva* in propoſ. quartam ab *Innocentio XI.* damnatam n. 13. f. m. 188. Ubi triplicem ſententiam refert. Prima inter neceſſaria *neceſſitate medij* adſtruit *Deum eſſe*, *eſſe remuneratorem*; myſteria *Trinitatis*, & *Incarnationis* inter neceſſaria reponit *neceſſitate præcepti*, adeóque invincibiliter ignorantes ſalvari poſſe admittit. Sed hæc opinio eſt S. Scripturæ oppoſita, quæ ait: *non eſt in alio aliquo ſalus, niſi in Chriſto.* Altera inter neceſſaria *neceſſitate medij* refert fidem utriuſque Myſterij, *ſaltem implicitam*, unà cum voto Baptiſmi, in contritione vel dilectione Dei perfecta *implicitè* incluſo, ut ſic aliqua tenus ſaltem quis ingrediatur Eccleſiam Catholicam, Salutémque conſequatur, non *vi ſectæ*, quam credit *explicitè*, ſed *vi Religionis Catholicæ*, quam credit *implicitè* retractando quamcunque aliam fidem: ita *Suarezius*, *Laymannus*, *Medina*, *Sà* & alij.

Con-

terit Dominus. (a) Item *Cornelius Centurio religioſus, ac timens Deum;* (b) *Eunuchus Reginæ Candacis, qui venerat adorare in Jeruſalem;* (c) *Sergius Paulus* Proconſul, homo bonæ moralitatis, *qui ſubin credidit admirans ſuper doctrina Domini;* (d) *Macedones,* ſaltem aliqui, ad quos per viſum miſſus eſt *Paulus,* (e) etſi priùs prohibitus à Spiritu Sancto, ne adiret *Bithyniam;* Magi venientes ab Oriente, & ſic de alijs. In veteri Teſtamento *Jobus Idumæus, Jethro Madianita* primus ex alienigenis, *qui obtulit holocauſta, & hoſtias Deo;* ſubin Author *Rechabitarum,* teſte *Cornelio à lapide;* (f) *Ruth Moabitis* dicens: *Deus tuus, Deus meus; Achior Ammonita,* & ſic de alijs, epiphonema veriſſimum addente ſancto *Auguſtino;* (g) *ſalus religionis hujus, per quam ſolam veram ſalus vera veracitérque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.*

Notitia de triplici Naturæ ſtatu.

Quæritur V. An notitia de hoc triplici Naturæ ſtatu, etſi ad propoſitum ſcopum ſtrictè haud neceſſaria, ſaltem non ſit ſcitu digna, & utilis, præcipuè Orthodoxis?

Scitu digna, & utilis, ob plurimos errores, undè ab Acatholicis malè deductos.

℞. *Eſt ſcitu digna, & utilis propter plurimos errores, quos, admodùm pernicioſos, ex hoc triplici Naturæ ſtatu deduxerunt Acatholici, & etiamnum hodie deducunt in hac ipſa materia de jure naturæ.*

Uti Pelagiani.

Exemplo ſit I. Pelagius, qui negavit *ſtatum naturæ integræ, ſeu elevatæ,* ratus, hominem, *ſolis naturæ viribus,* poſſe ſervare totam legem, *ſalutariter* mereri, & *ſupernaturalèm* beatitudinem conſequi: & ex hoc purulento principio, quid mirum, quòd peſtilentes alias deduxerit ſequelas? v. g. *Adami* ſtatum fuiſſe conditionem Naturæ; eundem æquè ante, ac poſt lapſum fuiſſe obnoxium concupiſcentiæ, morti, & alijs malis; omnem gratiam dari ex meritis, merita autem haberi ex ſolis naturæ viribus; regularirer ſolam dari gratiam externam creationis, liberi arbitrij &c. internam nec neceſſariam abſolutè, cùm non det ſimpliciter poſſe, ſed bene agere &c. Immò negavit quoque *ſtatum naturæ lapſæ,* propriè talem, aſſerens, peccatum *Adæ* illi ſoli nocuiſſe, neque dari originale, transfuſum in poſteros, *quò ad culpam,* ſed ſolùm *quò ad imitationem,* licèt ejus Diſcipuli transfuſum admitterent *quò ad pœnam;* hæreticis alijs, circa peccati originalis eſſentiam, ac exiſtentiam, in errores varios prolapſis, ùt ſuprà diximus.

Semipelagiani.

Exemplo ſint II. Semipelagiani, ſeu *Maſſilienſes,* qui admittebant quidem gratiam internam ad potentiam bene agendi, uti & labem originalem; cum *Pelagio* tamen eatenus evertebant ſtatum naturæ integræ elevatæ, quatenus dicebant *initium juſtitiæ eſſe ex nobis, ſeu ex naturæ viribus.* Inde fluxerant ſequelæ quorumdam contagioſæ: v. g. gratiam omnibus quidem offerri, non tamen *prævenire,* vel *adjuvare* libertatem in agendo, ſed tantùm *ſubſequi,* adeòque non eſſe neceſſariam *ad inchoandum, vel faciendum bonum;* ſed tantùm *ad illius conſummationem, atque perſeverantiam;* Deum tantùm dare *poſſe* agere, non *velle* agere bonum, adeòque dari quidem gratiam invitantem, *non tamen cooperantem;* omnes poſſe ſolis naturæ viribus agere *ſalutariter* &c. &c.*

Lutherus, & Calvinus.

Exemplo ſint III. Lutherus, atque *Calvinus,* glorioſa Proteſtantibus nomina, qui *ſtatum naturæ puræ* negabant, rati, hominem non potuiſſe creari ſine juſtitia originali: qui itidem corrumpebant ſtatum naturæ lapſæ, dicentes, *liberum arbitrium in natura lapſa deperditum, ſicque corruptam fuiſſe naturam, ut nihil poſſit ab ea procedere, niſi peccatum.*

Bajus.

Exemplo ſit IV. Bajus, qui negavit pariter *poſſibilitatem ſtatûs puræ naturæ,* inde deducens damnatas quisquilias

Contrà non pauci cum *Angelico* inter neceſſaria *neceſſitate medij* requirunt etiam *fidem explicitam* utriusque Myſterij *Trinitatis,* & *Incarnationis,* quo caſu non deſunt Deo innumera media, queis ſuccurrat infideli *facienti, quod eſt in ſe,* de quibus Hiſtoriæ. Secundam opinionem, *ùt probabiliorem,* & *benigniorem* amplectimur cum *Dominico Viva* in propoſ. 65. ab *Innocentio* XI. damnatam n. 10. & 11. f. m. 327.

(a) *Marci* 5. Matth. 8.
(b) Actorum 10.
(c) Ibidem c. 8.
(d) Ibid. c. 13.
(e) Ibidem c. 16.
(f) 1. Paral. 2.
(g) De temp. *Chriſt.* relig. Idem de prædeſt. c. 9.

* Non una erat *Semipelagianorum* claſſis, nec circa gratiam idem error, niſi quòd initium fidei non gratiæ, ſed arbitrij liberi viribus adſcriberent, uti *ex S. Hilarjo* & *Proſpero* alibi dicemus.

quilias de elevatione, & integritate naturæ, *veluti conditione merè naturali; de impossibilitate hominis initio creandi, ùt nunc nascitur &c.* sicut suprà jam memoravimus.

Janse-nius. *Exemplo sit V. Jansenius* cum suis pedissequis, qui præcipua sua fundamenta deducunt *ex malè negata possibilitate statûs puræ naturæ.* Nam inde fluit, originalem justitiam, gratiam sanctificantem, electionem ad visionem beatificam &c. esse dona, puræ naturæ innocenti debita, nec sine illis ante peccatum potuisse creari hominem; fluit, illa dona non esse *intrinsecè*, & *quò ad substantiam*, supernaturalia, adeóque illorum privationem esse pœnam originalis peccati *essentialem*; immò ad essentiam gratiæ, intrinsecè supernaturalis, non requiri, ut sit indebita naturæ; fluit, *Adamum* ante peccatum fuisse amicum Dei naturalem; per solam naturam habuisse jus primum, & radicale ad visionem beatificam; fluit, illa dona, naturæ integræ debita, etsi non dederint *ipsum operari simpliciter* juxta *Jansenium*, dedisse tamen ipsum posse *operari*, adeóque conjuncta fuisse cum libertate indifferentiæ, sed ijs deperditis & ipsam hanc perditam libertatem, naturámque lapsam traditam esse delectationi *victrici*, seu necessitanti ad peccata *per concupiscentiam*, seu ad bona *per Christi gratiam, cui resisti nequit*; illa mala, & ista bona manere homini imputabilia ad meritum seu demeritum, ad præmium seu pœnam, eo ipso, quòd hæc bona, & illa mala sint adhuc libera *à necessitate coactionis*, & voluntaria in voluntate Protoparentis, moraliter nostrâ; fluit, gratiam sufficientem in statu naturæ lapsæ non tam utilem, quàm perniciosam, quacum sola homini justo, etiam conanti, præcepta impossibilia, adeóque *Christum* non pro omnibus mortuum; fluit denique, causam omnis reprobationis esse peccatum originale, ob quòd Deus sine ulla prævisione ullius demeriti decernat damnationem; motus involuntarios esse peccata, immò omne opus, quod non actu refertur ad Deum, esse peccatum, & si quæ sunt plura alia *Jenseniani* cerebri erronea, ac damnata phantasmata.

Exemplo sit VI. Puffendorfius cum suis amanuensibus, qui jus Naturæ, *non quidem malè ex statu, ab omni elevatione præcisa*, examinant, sed tamen per solam felicitatem, *hujus vitæ terminis conclusam*, dimetiuntur; quasi verò præscindi posset à felicitate vitæ alterius, saltem qualicunque, ipso naturæ lumine cognita; quasi verò jus stabiliri possit, nullo respectu habito ad pœnam, vel præmium alterius vitæ, *saltem naturale*, quo solo Naturæ Author, tanquam remunerator bonorum, & vindex malorum, naturali juri sufficientem, ac plenam dat efficaciam: unde *Puffendorfiana* disciplina de naturæ jure enervis, manca, in multis falsa, in non paucis periculosa, atque erronea, uti per decursum sæpiùs clarescet. * Puffen-dorfius.

Exemplo sit VII. Guilielmus de Muelen protestanticus, qui sententiâ, vel ipsi *Thomasio paradoxâ*, & ad *Antinomismum* inclinante, ** statuit, in statu naturæ integræ *nullam* obtinuisse *legem naturalem*, sed ex mero naturæ impulsu, ac quadam inclinatione illibata, absque obligatione, considerata ùt tali, homines observaturos fuisse ea, ad quæ in statu corrupto nos adigimur per leges Naturæ, ut adeò nec hodiernâ justitiæ & injustitiæ notitiâ status ille, longè felicior, indiguisset. Sed Guiliel-mus de Muelen.

Contrà est 1. Quòd homo in statu Naturæ integræ, abstrahendo à lege positiva, vetante fructum scientiæ, polygamiam, divortium &c. fuerit liber *simpliciter*: ergo poterat peccare: atqui peccatum est *transgressio legis.*

Contrà est 2. Quòd constet, ante transgressionem legis positivæ, *de facto* peccâsse primos homines, saltem in mente *per infidelitatem, & superbiam*, transgrediendo leges naturales subjectionis, & dependentiæ à Deo Creatore &c. *Unde Thomasius: non poterat violari lex positiva, quin simul violaretur justum naturale, facienda ea esse, quæ Deus jubet.* (a)

Exemplo

---

* Inde est, quòd in specim. Controv. c. 4. §. 12. de statu hominum naturali, *statum purorum naturalium* ad Scholasticorum *commenta* reijciat, sic ut non existentiam modò statûs puræ naturæ, sed & possibilitatem, *commentitiam* arguere videatur.

** Unde *Thomasius* l. infrà cit. quo pacto, cùm fortè legeret (*de Muelen*) *justo legem non esse positam*, incautè (cum *Luthero*, & alijs Antinomistis) in istam sententiam *paradoxam* prolapsus est.

(a) Jurispr. Divinæ L. 1. c. 2. in nota ad n. 61. edit. 1730.

Exemplo sit VIII. Ipse *Thomasius*, qui varijs erroribus *statum naturæ integræ* corruptum dedit. Hos inter est, cùm dicit: 1. (a) *Homo in statu illo potuisset credo carnes comedere, sed vereor, ut voluisset: si tamē voluisset, magis probabile est, eum comedisse carnes crudas, quam coctas:* quasi verò vel natura belluinum hunc morem, subin, hac ipsa de causa, tam severè à Deo prohibitum, * minùs horruisset; vel sapientia illius status, tantò superior, modum naturæ humanæ magis congruum, commodùmque, ignorare potuisset. *Cùm dicit* 2. (b) *Nec de infantibus cur aliter sentiam, causam video. Potuissent nimirùm à nativitate cum Parentibus suis sapienter de rebus quibuscunque ratiocinari &c.* quasi verò causam aliter sentiendi non darent organa, infantiæ propria, & absque prodigio ad ratiocinationes, saltem adeò maturas, inepta. *Cùm dicit* 3. (c) Fuit *societas in statu integro summè æqualis*, cùm ante lapsum, communis subjectionis causâ, imperfectio *Evæ tribui* nequeat: quasi verò subjectio, *respectu viri*, ùt perfectioris individui, de quo Apostolus: *utque creatus est vir propter mulierem*, sed *mulier propter virum* (d) fuisset imperfectio, repugnans illi statui, nec nisi in pœnam lapsûs injuncta. ** Accumulare plures ejusdem errores, opus non est: ex his sat patet, quàm bellè is correxerit *errores communis doctrinæ* (e) ùt ait, quos ipse potiùs adstruxit *contra communem doctrinam.*

Instructio III.

INSTRUCTIO III.

De statu Naturæ antediluviano.

Pars I.

§. I.

De propàgatione hominum antediluviana.

§. I. Propagatio humani Generis antediluviana tam copiosa, immò copiosior quàm postdiluviana.

QUæritur I. Qualis & quanta fuit propagatio humani Generis per primos incolas hujus Mundi adusque diluvium?

℞. *Videtur, humanum Genus fuisse tam copiosum, ac nunc; immò copiosius forsan, & consequenter incolas antediluvianos per quatuor Orbis partes æquè fuisse diffusos.*

Colligitur ex diuturnitate temporis, saltem ad sedecim sæcula extensi.

Ratio est 1. *Tempus*, ab *Adamo* ad usque Cataclismum, ultra sedecim sæcula extensum. *** Si *fides Diodoro*, post diluvium, spatio trecentorum annorum, sic multiplicati fuère *Noachidæ*, ut *Ninus* habuerit exercitum peditum, decies septies centena millia; equitum ducenta millia; curruum falcatorum millia decem, & sexcentos. Eodem tempore *Zoroaster* quadringenta millia solummodò virorum &c. in suis copijs numeravit, eodem teste *Diodoro*. Illud certum, *Hebræos* spatio annorum quindecim supra ducentos, adeò fuisse propagatos *in Ægypto*, ut inde exierint *sexcenta fere millia peditum virorum*, etsi non nisi septuaginta animæ sint ingressæ. (f) Si duobus, tribúsve sæculis multitudo tanta, respectu exercitûs gemini, & aliquot personarum, quanta fuerit in sedecim sæculis respectu totius Generis humani?

Ex longævitate vitæ ab Adamitis ad octo &

Ratio est 2. Vita *Adamitarum longissima.* De Protoparente novimus, quòd post centum annos & triginta, genito *Seth*, **** per ulteriores octingentos *genuerit filios, & filias,* ***** ut ad

F

(a) L. 1. c. 2. n. 22.

* Gen. 9. *Carnem cum sanguine non comedetis &c.*

(b) L. c. n. 25.

(c) L. c. n. 29.

(d) Ad Cor. 1. c. 11.

** Videantur dicenda infrà p. 2. Tit. 1. de statu conjugali.

(e) In programate Libri cit. f. m. 80. edit. A. 1694. Zugeschweigen/ daß ihm diese Betrachtung die Nichtigkeit vilee gemeinen Lehren/ von dem Stand der Unschuld wurde gewiesen haben/ daß es wurde Respublica gegeben haben/ qua de re suprà: daß die Kinder den Eltern hätten gehorchen müssen/ quasi verò subordinatio, seu subjectio, merè directiva, statum integritatis dedecuisset.

*** Juxta Vulgatam per annos. 1656. juxta Septnaginta per annos 2262. Annos autem & sæcula tunc eodem computo venisse, ac hodie, indubitatum est Criticis, quorum momenta protulimus in Instit. Hist. Sacræ c. 1. Instruct. 3. f. 60.

(f) Gen. 46. 27. deut. 10. 22.

**** Adeòque mox post *occisum Abelem* anno 129. etsi *Moyses* natum referat primùm post *Jabel & Jubal*, quo tempore *dam* non erat amplius in vivis.

***** *Adamum*, post natum *Abelem*, ultra annos centenos, abstinuisse à generandis prolibus non est vero simile, obstante præcepto *multiplicamini*, maximè in prima

novem sæcula plerumque extensa. ad exterorum ætatem, in octo vel novem sæcula plerumque extensam, ex primævo Naturæ robore, omnibus communi, ducatur meritò argumentum. Certè *Cain*, teste *Pererio*, (a) *Lamecho*, nepori quinto, à quo creditur occisus, convixit pluribus annis: *Noë*, eodem Authore, (b) *Abrahamo*, nepoti decimo, coævus fuit per quinquaginta & octo annos: *Sem*, juxta *Cornelij* chronotaxin, *Jacobo*, nepori undecimo, synchronus fuit per annos propemodùm quinquaginta. (c) Quàm hominibus abundaret hic Mundus, si plerique, violenta morte non abrepti, sexcentis abhinc annis etiamnum viverent, nobisque conviverent? Quid si diuturna adeò vita per sedecim sæcula durâsset?

Ex lata initio lege: multiplicamini. *Ratio est 3. Lata initio lex: crescite, multiplicamini, & replete Terram* (d) hanc utique primis illis sæculis observatam esse quàm maximè, ex eo colligirur, quòd de nullo cælibe constet, nec de *Abele*, contrà quàm opinentur non nulli. *

Ex primævo ætatis flore ac robore. *Ratio est 4. Primæva ætatis robur, ac flos,*** posterorum qualitaribus morbidis necdum ita debilitatus, atque corruptus, *accedente benedictione Divina*, qua Numen *Evæ* prædixit, non modò *multiplicandas ærumnas*, *sed & conceptus:* hinc *Saliano* Authore rectiùs sentiunt, qui penè quot annis geminos, alterum marem, alteram fæminam, produxisse putant, cùmque hi sensim adolescerent, alij identidem pullularent, *Eva* perpetuò aut ferente uterum, aut parturiente. Quod si contigit, debita cum proportione, alijs fæminis lapsu sæculorum sedecim cum dimidio, quis in computum eogere poterit millionum milliones, tunc incolentium hunc Orbem? Jam sic: Etsi non singulæ rationes, complexum tamen ex hisce quaternis *probabiliorem* facit Sancti *Augustini* sententiam, qua dixit, primam illam hominum generationem *in immensum annos MDCLVI. propagatam:* (e) ergo & assertum suprà positum, *videtur* probabilius.

Tres hominum progenies præcipua ante diluvium. *Quæritur II. Quot & quales erant hominum progenies ante diluvium memorabiles?*

Prima-ria Adami per Seth, ex qua sic dicta Civitas cælestis. ℞. *Tres.* Prima, & primaria descendebat ex *Adamo* per *Seth*, quem *Eva* nominavit *semen aliud* pro *Abel* secundogenito; (f) *Adam* verò *specialiter* genitum à se dixit *ad imaginem, & similitudinem suam*, (g) adeóque *divinam.* Atque hæc progenies initium dedit celebri illi *civitati Dei*, seu cælesti,

---

ma hominum penuria: & unde suam habuisset uxorem *Cain*? Quòd alijs prætermissis solum *Seth* Scriptura memoret, ratio est, quia hoc satis erat ad scopum, seu lineam descendentem *Noëmi*, & consequenter nostram, *ex Adamo* demonstrandam. Jam tum *cœpisse homines multiplicari*, etsi id sexto primùm capite referat *Moyses*, per non infrequentem Sacro Historico postpositionem, patet ex dicto *Caini: omnis, qui invenerit me, occidet me &c.* Sic licèt sacer Historicus dicat, *vixit Seth* 105. *annos, & genuit Enos &c. cum Noë esset* 500. *annorum genuit Sem &c.* nequaquam sequitur, nullos anteà filios generâsse, quia id memorare non erat necessarium ad ostendendam *Noë* genealogiam, sufficiebátque addidisse: *insuper genuit filios & filias &c.* ùt enim *Christus* non descendit ex *Abraham, Isaac, & Jacob* per primogenitos, ita nec *Noë*, nec Genus humanum *ex Adamo*, vel Patriarchis illis per primogenitos &c. Videatur *Ulloa* l. c. f. 207.

(a) L. 7. in Gen. n. 23. & 24.
(b) L. 14. n. 919.
(c) In Chronol. post genesin.
(d) Gen. 1. 28.

* Quos refutat *Salianus* ad A. M. 229. unde *Abel* dicitur *absque filijs*, sicut *Melchisedech sine Patre & Matre*, scilicet *de quibus constaret.* Nec enim credibile est, *Abelem* per annos plùs centum (quos *per multos dies* indicat Scriptura) stante lege *multiplicamini*, & in prima hominum penuria, mansisse cælibem, præsertim cùm videatur, habuisse *familiam propriam*, offerens *de primogenitis gregis sui &c.*

** Neque obstat *illud S. Augustini* L. 15. de Civit. c. 15. *Tantò serior fuit proportione pubertas, quantò vita totius annositas:* nam ex hac ipsa ratione primævi roboris patet *S. Augustinum* non locutum de pubertate, prout denotat *vim generativam*, sed prout indicat *distantiam à senectute:* & licèt fuissent impuberes ad usque annum 70. spectatâ etiam vi generativa, quid tantilla mora minueret, respectu habito ad vitam in sex, septem, vel octo sæcula prolongatam? Neque obstat illud, *eruntque dies illius centum viginti annorum*: Gen. 6. quia ex communi intelliguntur hi anni de spatio ad pænitentiam concesso ante diluvium.

(e) L. 15. de Civit. Dei c. 8.
(f) Gen. 4. 26.
(g) Gen. 5. 3.

lesti, juxta phrasin *Sancti Augustini* (a) cujus surculos Scriptura vocat *filios Dei*; Apostolus Gentium *vasa aurea, argentea, facta in honorem in magna Mundi domo*, (b) hoc est, *prædestinatos*, ùt idem explicat in epistola *ad Romanos*. (c)

Altera Adami per Cainum primogenitum, ex qua famosa civitas terrena, seu sic dicti filij hominum.

Altera progenies descendit ex *Adamo* per *Cainum* primogenitum, & quæ initium dedit *famosa Civitati terrena*, ùt habet idem *Hypponensis* cujus posteros S. Scriptura vocat *filios hominum*; Apostolus *vasa lignea, fictilia*, facta *in contumeliam* in Mundi hujus *magna domo*, hoc est, *præscitos*, ac *reprobos*, de quibus idem Apostolus loco citato.

Tertia mixta, qua originem traxit ex sceleratis connubijs filiorum Dei, & filiarum hominum: unde sic dicta gigantea progenies.

Tertia progenies mixta originem traxit ex sceleratis connubijs filiorum Dei, & filiarum hominum, * de qua Scriptura: *Gigantes erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illaq; genuerunt; isti sunt potentes à sæculo viri famosi*, ex corruptione familiæ *Seth* cum familia *Cain* dicti gigantes, hoc est, *filij terra*, non solum propter immanem corporum proceritatem, ** verum etiam propter animum trucem, & quasi terrenum, id est, propter *superbiam, tyrannidem*, ac *immersionem in res terrenas*.

Prima nomen traxit à probitate, altera ab improbitate.

Prima progenies Filiorum Dei, qui sic dicti ob characterem *probitatis*, habuit sectarores initio multos; secundæ filiorum hominum, qui sic appellati *ob improbitatem*, sectatores habuit longè plures, *ex Adamo* descendentes *per Cain*; immò & *per Abelem*, & alios *Adami filios*, siquidem ad unum omnes fuêre diluvio obruti, exceptâ *Noë Sethiani* familiâ. Civitatem *Caini* terrestrem auxit progenies mixta, cui ansam dedêre formosæ filiæ, quæ, accedente musicâ inter suos inventâ, traxerant in ruinam etiam *Sethi* posteros, dum contra naturale præceptum vitandi periculi, ne declinarent à justitiæ semita, perniciosis illarum nuptijs se illigârunt.

§. II. §. 2.

De vivendi forma antediluviana.

Politica vivendi forma.

Quæritur III. Qualis politica vivendi forma penes antediluvianos Mundj incolas viguerit?

Fuit habitando pagos, urbes, sub regimine vario.

℞. *Probabiliùs incoluêre, ferè ad nostri temporis normam, pagos castella, urbes; adeoque videntur habuisse Monarchias, Aristocratias, Democratias, aliásque regiminis species, non minùs perfectas, quàm præsentes.*

Uti colligitur ex urbe Henochia.

Suadetur 1. Quia de urbe *Henochia*, à *Caino* erecta, constat: immò, teste sancto *Ambrosio*, (d) *Urbes condidit plures Cainus, multorúmque Princeps, ac Dominus plurimos annos impunè vixit.* Addit *Philo*: (e) quòd aquæ diluvij *civitates cunctas*, in campestribus regionibus sitas, *inundârint, atque subverterint; quæ autem in editioribus locis habitata sint, continuati imbres, nec interdiu, nec noctu intermissi, funditus subruerint.*

Indole minimè barda.

Suadetur 2. Quia absonum est judicare antediluvianos omnes fuisse *stupidos, bardos, incultos, barbaros*, cùm per novem sæcula illis convixerit *Adam*, omni sapientia repletus, & Patriarchæ alij, præclari adeò præceptores: ergo probabiliùs non omnes erant vagabundi, ad instar *Arabum*, ac *Tartarorum*; sed coluêre plerique vitam civilem, sustentandæ vitæ & commodam & *suo modo* necessariam.

Necessitate divisionis, dissensionis, vitaque commodiùs traducenda.

Suadetur 3. Quia copia *Adamitarum*, dissensionum evitatio, & terræ promovenda cultura haud dubiè suaserit rerum divisionem, factam vel *prima occupatione*, vel *Adami deter*

(a) L. 14. de civit. Dei c. ult. & L. 15. c. 1. & sequent.
(b) 2. ad. Tim. 2. 20.
(c) C. 9. Quæ omnia *in sensu orthodoxo*, & procul à *Sethianorum*, *Prædestinatianorum* & *Calvinianorum* erroribus sicuti dicta, ita & intelligenda sunt.

* Non ex commixtione propria, aut dæmonum cum fæminis, ùt non nulli fingebant; neque ùt alij, Angelorum cum ijsdem &c.

** *S. Augustinus* ait: L. 15. de civit. Dei c. 9. *Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum ex Uticensi littore, molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur, facere potuisse*, ut adeò molaris ille dens, quem in armario nostro *Orbaniano* hic loci videre est, nequaquam fidem excedat, ùt multi putant. Quòd Gigantes dicti sint non solùm *ob morum feritatem*, ac *violentiam*, sed *ob staturæ proceritatem*, pluribus probat *Natalis Alexander* Histor. Ecclesiast. T. 1. f. m. 89.

(d) L. 2. de *Cain* & *Abel*: c. 10.
(e) *Philo* de vita *Moysis*.

minatione, *forte*, vel *alio modo* nobis incognito: unde, ad defendenda propria, pagi & urbes, variæque formæ regiminis necessariæ.

Usi omnes linguâ, qua dicta postmodùm hebræa, etsi per dialectos variata.

Quæritur IV. *Quæ fuerit commercij humani ratio apud Adamitas antediluvianos?*

℞. *I. Usi sunt omnes linguâ, dicta postmodùm Hebræa, etsi per dialectos multas divisâ, ut agrè se caperent una, & alia ex illis Gentibus.*

Colligitur unitas ex eo, quòd non nisi post carælismum memoretur linguarum divisio, cùm priùs terra esset *labij unius.*

Colligitur hebræa ex communi Authorum, & ex etymologia nominum, quæ ante diluvium hominibus imposita legimus.

Colligitur diversitas dialectica ex *Galaditico Sciboleth*, & ex paritate idiomatum matricum, qualis *Græca*, *Latina*, *Germana &c.*

Nec defuit mercatura, etiam nautica.

℞. *II. Nec illis defuit mercatura, etiam nautica per navigationes.*

Desumitur 1. Ex eo, quòd, ut dictum, non omnes fuerint *trunci*, *& duro è robore nati*, *queis neque mos, neque cultus erat.* Cùm ergo *non omnis ferret omnia tellus*, necesse erat, ex una vehi in aliam regionem, quæ huic superflua, illi commoda, ac oportuna.

Desumitur 2. Insulas, terræ nobilem portionem, formatas quoque initio, ut essent navigantium asyla, & hospitia, satis est verosimile: ergo hanc quoque terram replêssent in Orbem diffusæ gentes; non natitando; ergo navigando: non enim apparet, cur ars, posteris cognita, antediluvianos fugeret, captúmque superarer.

Usi & artes alia, quarum inventores memorat sacer codex.

℞. III. *Nec caruêre artibus mechanicis, uti nec liberalibus disciplinis. Colligitur* 1. *Architectonica*, *mercatura*, & *nautica* colligitur ex dictis. 2. *Agricultura*, & *pastoritia* ex eo, quòd *Cain* dicatur *agricola; Abel pastor* ovium, & *Jabiel* Pater eorum, qui habitaverant in *tentorijs pastoritijs.* 3. Fabrilis ferraria, & metallifera desumitur ex eo, quòd *Tubalcain* dicatur *malleator*, *& faber in cuncta opera ferri & æris.* 4. Ars bellica, quam tanti æstimant miseri mortales, ut ingeniosiùs nôrint sævire in semetipsos, tot inter gentes illas, in viria prolapsas, vix defuerit, præcipuè inter Giganres antediluvianos, quos *Moyses* vocat *viros famosos*, *sæculo potentes*; & sanctus *Augustinus* ijsdem *etiam* applicat epitheton Prophetæ *Baruch*, *scientes bellum.* 5. Musica colligitur ex eo, quòd dicatur *Jubal* pater canentium *cytharâ* & organo. 6. Theosophia quædam deducitur ex eo, quòd *Enos dicatur*, *cæpisse invocare nomen Domini &c.* Verbo: dicerem, si velimus, *Adamitas* illos meros fuisse fungos, satis probabiliter concluditur, *Ulloa* Authore, (a) multos ex illis exercuisse artes mechanicas, & liberales, nec non didicisse disciplinas naturales plerasque, etsi non omninò omnes, nec ea forsan perfectione, quæ modò visitur. Profectò cùm intra quindecim sæcula, quæ diluvium, & *Romam* conditam intermediant, postdiluviani, etsi Patriarcharum primorum magisterijs destituti, curtâque ætatis decempedâ dimensi, usi sunt penè omnibus artibus, ac disciplinis; cùm Mundum mercaturâ, & navigationibus perlustrârint urbibus, pagisque repleverint, & per Monarchias, aliasque regiminis formas, civilem vitam coluerint, quis antediluvianis similia negabit, etsi per septendecim propè sæcula vividiore ingenio, longiore experientiâ, potioribus naturæ viribus hunc Mundum colentibus, & incolentibus?

Ratio victûs.

Quæritur V. *Quæ ratio victûs in statu illo hominum antediluviano?*

Cùm non constet occisionem animalium fuisse à Deo prohibitam.

℞. *I. Non constat, occisionem animalium, sive aquatilium, sive volatilium, sive terrestrium à Deo tunc fuisse prohibitam.* Patet 1. Ex illo: *dominamini piscibus maris &c.* ergo concessum *Adami* posteris fuit dominium proprietatis *in ordine ad usumfructum*: atqui hic haberi nequit ex animalibus plurimis, nisi occisis, per pelles ad vestitum; per ossium ac viscerum medicinales virtutes ad vitam; per carnium esum ad victum &c. *Patet* 2. *Ex sacrificijs*: sic obtulit *Abel ex primogenitis gregis sui*, *& de adipibus eorum*, (b) Unde illud *Ovidij*: *At vetus illa ætas non polluit Ora cruore, tunc & aves tutò movêre per aëra pennas &c.* sapit *Pythagorismum* de transmigratione animarum in corpora animalium &c. qui, si substitisset illa ætate per sedecim sæcula, nec terra accumulatos animalium greges; nec aër volatilia; nec fluvij aquatilia capere

(a) De primis & ultimis temporibus disp. 2. c. 1. n. 13. f. m. 211.

(b) Gen. 4.

pere potuissent, uti rectè notavit *Maldonatus.* (a)

Neque constat fuisse prohibitum carnium esum.

ꝶ. II. *Neque constat, esum ejusmodi animalium illo ævo fuisse prohibitum.* Nam quòd non nisi post diluvium legamus datam à Deo expressam licentiam: *omne, quod movetur, & vivit* (proportionatum complexioni humanæ) *erit vobis in cibum &c.* (b) nil obstat: siquidem priùs id memorare *explicitè Moyses* neque debuit, neque voluit, contentus id indicâsse *implicitè: dominamini &c.* Neque repetita carnis permissio est Scripturæ insueta: sic legimus post diluvium, *æstas & hyems, nox & dies non requiescent:* (c) & tamen jam ante diluvium dixerat Creator: *dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora.* (d) Nec denique prohibitio rectè deducitur ex illis verbis: *dedi vobis omnem herbam, ut sint vobis in escam, & animantibus cunctis.* (e) Nam priùs jam dixerat Deus: *dominamini &c. si exclusivè* sumantur hæc verba, nec lacticinijs vesci potuissent homines illi, nec animantes carnivoræ carnibus, repugnante natura, sed meris pomis, ac herbis, id quod absurdum. Hinc sanctus *Paulinus* in illud *Divi Pauli: quis gregem pascit, quin de lacte ejus edat?* (f) non malè subinfert: *Non igitur Abel gregem pascens, gregis lacte non vescebatur,* nec non & carne, cum specialis ratio non proferatur.

Etsi multi præsertim ex Sethianis vel plerumque, vel semper abstinuerint.

ꝶ. III. *Probabiliùs tamen Sethiani quidam Nepotes; immò & alij, vel semper, vel plerumque ab esu carnium abstinuère, non quidem præcepti ergo, sed alijs de causis.* Patriarchæ illi, in Scriptura nominati, videntur abstinuisse *severioris disciplinæ causâ,* utpote *quasi Ecclesiastici,* & *Religiosi* illius ætatis, magisque remoti à rebus carnalibus. Alij, vel eâdem de causâ, vel saltem *ob nauseam,* multiplici carnium immunditiâ procreatam, quam nos ab assuetudine etsi minùs experiamur, illi tamen ob puriorem educationem, cùm magis sentirent, hoc ipso in alimenta fructuum defæcatiora magis inclinabantur.

§. III. §. 3.

De moribus atque religione antediluviana.

Quæritur VI. Quæ morum ratio, norma, atque religio in Mundo antediluviano?

Ratio morum in Sethi linea laudata propter integritatem.

ꝶ. I. In progenie *filiorum Dei,* per *Sethi* lineam expressa, sat impleta fuit mensura nominis *morum integritate.* Non enim ullum in hac linea reprehensum legimus, sed memorantur potiùs, utique è pluribus alijs, Doctores quatuor rerum ad religionem, & salutem æternam spectantium.

In Enos.

1. *Enos,* qui cœpit *invocare nomen Domini,* hoc est, ex Interpretum sensu, qui, tanquam *Vir religiosus, & pius,* cultum religionis seu restituit, seu solemniorem instituit, *quia publicam,* sic ut, certis ritibus ac temporibus, cuncti ad preces & sacrificia convenirent. Immò teste *sancto Augustino* (g) etiam prophetavit, *exorituram populum, qui, secundùm electionem gratiæ, nomen Domini invocaret.* Et quia, *Ulloa* Authore, (h) sat verosimile, ex tam magna illorum hominum multitudine aliquos saltem *Enos* fuisse imitatos, exorta inde est disciplina sacra invocandi, & laudandi Deum cum Theologica notitia eorum, quibus invocari debet. Certè sacrificandi ritus *jam Caino* erat declaratus, non *quò ad substantiam* solùm, sed & *quò ad modum. Nonne,* inquiebat Deus, *si rectè offeras, rectè autem non dividas,* * non prima, non meliora, non debito modo, loco, & tempore sacrificando &c. *peccâsti?* Inde sanctus *Augustinus:* (i) *Cain male dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum.*

In Henoch.

2. *Henoch,* teste *sancto Juda* Apostolo, prophetavit de extremo judicio, *dicens:* (k) *ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum &c.* Et licèt antiqui Patres hoc oraculum, ex libro quodam *Henochi* à sancto *Juda* desumptum, censuerint; immò plures *Henochi* libros *Origenes* memoret, de libro tamen nil affirmat sanctus Apostolus, *sed simpli-*

(a) In 19. *Matth.* ver. 4.
(b) Gen. 9. vers. 4.
(c) Gen. 8. 22.
(d) Gen. 1. 14.
(e) Gen. 1. 29.
(f) 1. Ad Cor. 9.
(g) L. 15. de Civit. Dei c. 18.
(h) L. c. f. m. 112. n. 15.
(i) L. c. c. 7. *In Henoch.*
(k) V. 14. & 15.
* In versione 70. Interpretum.

citer ponit *prophetiam.* * Verosimile tamen est, *Enos & Henochum* quædam scripto tradidisse ob posterorum utilitatem, & ut esset apud *Adamitas*, per totum Mundum dispersos, invocandi Numinis modus, *modo aliquo permanente per characteres, vel symbola*, ** liber nihilominùs *Henochi* prætensus est satis certò apogryphus, *quia continet fabulas de Gigantibus*, quos ex commixtione Angelorum cum filiabus hominum adstruit, *Augustino Teste*, (a) præter alia absurdissima, quæ exhibet *Natalis Alexander.* (b)

In Lamech.

3. *Lamech, Mathusala filius, simili* spiritu prophetico præditus, *Adamitas* docuit spem in Messiam, ex vitæ hujus miserijs concipiendam, dum dixit *de Noë* filio suo: *iste nos consolabitur ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus*, hoc est, interprete *sancto Epiphanio*, (c) iste, vel potiùs ille, quem sub nomine *quietis* præfigurat nempe Messias, *requiem nobis dabit à peccatis nostris, hoc est, à laboriosis operibus nostris.*

In Noë.

4. *Noë*, quem virum *justum*, & *perfectum* S. Scriptura prædicat, justitiæ, ac pænitentiæ Magistrum se præbuit, fide, vaticinijs, & vindictæ divinæ denuntiatione celebrem: (d) & quia quatuor Orbis partes, probabliùs habitatas ab antediluvianis, diximus, prædicavit plurimis, per nuntios, & epistolas, denuntiando iram venturam, ùt quondam factum est tempore *Ezechia*, centum & viginti annis, ad plurimorum informationem sufficientibus. (e) Inde

Inde religio, & morum doctrina colebatur per leges naturæ.

Colligitur I. Religionem, morúmque doctrinam illius ævi antediluviani constitisse *in legibus naturæ*, & quidem primarijs de Deo, ùt Authore naturæ, conservatore, ultimo fine, bonorum præmiatore, malorum vindice, *præcipuè in altera vita anima non interitura cum corpore*, de Deo, inquam, timendo, amando, colendóque per cultum *tam internum, quàm externum*, per preces, adorationes, vota, oblationes, victimas, sacrificia varij generis *propitiatoria, expiatoria, eucharistica &c.* De se ipso & proximo, *ad Dei similitudinem creato*, diligendo, tractandóque secundùm rationis dictamen, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; de recto creaturarum usu; de sobolis procreatione, & institutione secundùm normam recti, honestique, & sic de alijs naturæ legibus secundarijs, seu ex harum norma per rationis dictamina deductis.

Et quasdam etiam positivas divinas.

Colligitur 2. Religionem constitisse *insuper in quibusdam mysterijs, & legibus divinis*, per quas naturæ jura ad perfectiorem statum deducta, & ipsâ ope Divinæ gratiæ elevata fuêre per ritus, & modum specialem colendi, & invocandi Numinis; per fidem & spem in Messiam venturum, tanquam remedium *peccati originalis*, quin accedente charitate etiam *peccati actualis*; per bona, supernaturalis & æterni præmij meritoria; per pænas æternas, immortali animæ ob scelera destinatas; per resurrectionis & judicij universalis mysteria, & sic de alijs forsan articulis Religionis tunc revelatæ, quæ ad posterorum notitiam non pervenêre.

Ratio morum corrupta in stirpe Caini, præcipuè per luxuriam, tyrannidem, non tamen idololatriam.

℞. II. Etiam progenies *filiorum hominum*, descripta per lineam *Caini*, implevit mensuram nominis, *morum impietate, ac corruptelâ.* Corruptionis fontem sat innuit Scriptura, dum in stirpe *Sethi* nullius fæminæ, *in Caini* verò progenie plurium meminit, *Ada, Sella*, uxorum *Lamechi* mæchi; dum viros variorum graviúmque criminum reos coarguit; dum memorat Magistros quatuor, merissimè profanos, *Jabelem* patrem pastoritiæ vitæ; *Jubalem* Authorem musicæ, quæ plerumque incitamentum genij solutioris; *Tubalcainum* artificem ferreum, ad cudenda arma; Gigantes denique, *scien-*

---

* Contrà quàm scripserit *S. Hieronymus* in catal. Script. Ecclesiast. *Epistolam parvam reliquit S. Judas: & quia de libro Henochi, qui apogryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque reijcitur.* Item *S. Augustinus* L. 15. de civit. Dei c. 23. scripsisse non nulla divina *Henoch*, negare non possumus, cùm hoc in epistola Canonica *Judas* Apostolus dicat.

** Contrà quàm scripserit *Natalis Alexander* Hist. Ecclesiast. Tom. 1. f. m 82. Multò probabiliùs negatur, *Henochum* N.B. prophetiam suam scripto tradidisse &c. Nam etsi probabilius negetur ille liber, *Henocho* affictus, non tamen probabilùs negatur scriptura qualiscunque, ùt diximus.

(a) L. 15. de Civit. Dei c. 23.
(b) L. c.
(c) L. 1. adversus hæreses T. 11. Hæres. 30.
(d) Videatur *Cornelius* à Lapide in c. 6. gen. v. 3.
(e) Videatur Pater *Ulloa* L. c. n. 9. f. m. 208.

scientes bellum &c. dum testatur *ex maledicta* (a) *Caini familia* pullulâsse horrenda flagitia, homicidium *Caino* præeunte, *Lamecho scelus* duplicante, (b) immò & polygamiæ crimen * superaddente; dum memorat libidinosa mulierum formosarum illicia, quêis seducta quoque *Sethi* progenies, commistione lineæ uniuŝ cum altera parturiente infandam luxuriam; dum asserit Gigantes, *viros* omni scelere *famosos*, seu projectos in omnem superbiam, violentiam, sanguinolentam tyrannidem, omnisque generis flagitia, per idololatriam, de qua, etsi specialissimæ malitiæ contra honorem Divinum, cùm sileat Scriptura, vitijs alijs *specificè* memoratis, probabiliùs immunis dicitur illa ætas. ** Admitti tamen fors poterit atheismus quidam, *saltem virtualis*, *Ulloa* teste, id est, *totalis Dei oblivio* in plerisque illorum hominum, dicente Scripturâ: *cunctam cogitationem cordis fuisse intentam ad malum omni tempore, & omnem carnem corrupisse viam suam super terram.*

Nihilominùs plures ex utraque linea in cataclismo probabiliùs sunt salvati.

℟. III. *Nihilominùs probabili conjecturâ dicitur, quosdam ex Caini progenie fuisse prædestinatos; nonnullos etiam ex Sethi propagine fuisse reprobos, adeóque ex utraque linea plures, diluvio intereuntes, salvatos.*

Quia Caini maledictio non extendenda ad singulos.

Ratio est 1. Quia ex parentibus reprobis sæpe nasci solent filij probi, & vicissim. Exemplo est *Ezechias* ex Patre *Achazo*; *Manasses ex Ezechia*; nec maledictio *Caini* intelligenda de omnibus singillatim; nec visitatio Divina, respectu *paternæ iniquitatis in filios*, (c) extendenda ad spiritualia, uti Deus protestatur apud *Ezechielem*. (d) Accedit, quòd in tanta hominum multitudine, conditionum & inclinationum diversitate, prorsus sit incredibile, per tot sæcula *Sethianos* omnes, tenore non interrupto, conspirâsse in unam speciem operationum liberarum; *Cainitas* verò in alteram.

Ubi nec illa verba: omnis caro corruperat viam suam.

Ratio est II. Quia illa verba: *omnis caro &c. cuncta cogitatio &c.* Si sumantur in sensu *Pererij* strictissimo, à salute excluderent *Mathusalemum*, & *Lamechum*, *Noëmi* progenitores; im mò ipsam *Noë* familiam, Scripturâ solum *Noëmum* justum declarante. Fundamentum restringendi hos textus est *authoritas* Interpretum, & SS. Patrum, *Hieronymi*, *Ruperti &c.* ratióque desumpta ex diluvio, sensim ingruente, & per pluvias quadraginta dierum incredulos ad pœnitentiam provocante. Videatur *Ulloa*, (e) qui sufficienter refutat opinionem oppositam, adeóque, & hanc *Natalis Alexandri* propositionem unicam, (f) quòd aliqui *ex ijs, qui diluvio perierunt, damnationem æternam evaserint, gratis asseritur.*

INSTRUCTIO IV. *Instructio IV.*

De Statu Naturæ postdiluviano ad usque legem scriptam.

§. I. *§. I.*

De vitæ norma, atque religione.

Norma religionis antediluvianæ per traditionem propagata.

QUæritur I. *Quæ ratio juris naturæ, seu morum, vitæq́ norma, atque religio apud Noachidas ad usque legem scriptam?*

℟. I.

(a) Gen. 4. vers. 11.
(b) L. c. v. 19.

* Quia attentatum contra *primam* matrimonij *institutionem*, teste *Christo Matth.* 19. *Erunt duo in carne una.* Nec est paritas cum Patriarchis postdiluvianis: quia ijs *à Deo dispensante* permissa polygamia ob varios fines, nulla accedente libidinis *Lamechica* impotentiâ, sed propagatione humani Generis, typicaque *Christi* figura, respectu multitudinis Gentium: quam dispensationem sat probant facta Virorum sanctissimorum, à Deo non reprobata; testimonia item sanctorum Patrum. Accedit, quòd polygamia in veteri Testamento nunquam prohibita fuerit, nec repugnet naturæ juri, saltem quòad finē primarium matrimonij, etsi quibusdam secundarijs non concordet. Unde illud *Joannis 8. Nos ex fornicatione nati non sumus*, non indicat connubium *Agaris*, sed fornicationem mentis *per Idololatriam*, teste *sancto Augustino*, & verbum *concubina* nil denotat nisi uxorem non primariam, seu *cum pactis dotalibus, & solemnitate ductam &c.* Videantur Coll. Hist. P. 1. Q. 7. f. 188. *Natalis Alexander* Tom. 1. Hist. Ecclesiast. Dissertatione 5. f. m. 74.

** Consentit Angelicus ob recentem creationis memoriam, & confirmat ex illo *Sapient. 4.* ubi dicuntur idola non fuisse ab initio &c. Ita contra *Torniellum*, *Majmonidem*, *Tertullianum*, *Cornelium à Lapide* in c. 14. vers. 13. Sapient. & alios.

(c) Exodi 20. 5.
(d) C. 18. 2.
(e) L. 2. disputat. 2. c. f. m. 127.
(f) Tom. 1. Hist. Ecclesiast. f. m. 125.

quoque est post diluvium.

℞. I. ***Antediluviano statui utcunque consona, nisi quòd Idolomannia crimen sacrilegum flagitijs cæteris ultimum adjecerit pondus.***

Accedente tamen speciali pacto cum Abrahamo per signum circumcisionis.

Naturæ leges ipsa hominis, à diluvio servati, conditio novo Orbi servavit; morum normam, cultúmque Religionis ex antediluviano statu *per traditionem* propagavit ad posteros, nisi quòd Deus, per speciale pactum cum *Abrahamo*, signum exterius fidei in Messiam venturum, hactenus indeterminatum, circumcisionis solemniori ritu, determinârit.

Noëmi progenies ex Semo pietatem proseminavit per Abrahami posteros.

℞. II. Sicut ante, ita & post diluvium, progenies gemina benedictionem, & maledictionem proseminavit in Posteros. *Semi* soboles, *à Noëmo* benedicta, inhæsit pressiùs naturæ legibus, cultuique veri Numinis. Hanc sapientiam exemplis magis, quàm scriptis regulis, per institutionem domesticam derivavit in suos, sic ut *populum Dei* constitueret, qui *ab Hebero*, *Hebræorum* vocabulo, à cæteris se discrevit. Inde processêre *Abraham*, cæterique Patriarchæ, pietate inclyti, qui legem Naturæ in statu integro conservârant.

Contrà ejusdem ex Chamo prognata proles propagavit impietatem per Nemrodum & alios.

Contrà Chami progenies, à *Noëmo* maledicta, degeneravit à legum naturalium semita, & per illuviem scelerum, propagatam in suos, rationis lumen pene extinxit. Hac ex contagiosa stirpe pullulavit ambitio ædificantium turrim *Babel*, ut *celebrarent nomen suum*, *antequam dividerentur in universas terras*; (a) progerminavit tyrannis in *Nemrodo*; idolomania in *Nino*; infanda luxuria in *Sodomitis*: inde bella, clades &c.

Morum corruptelam auxit universalis Idololatria contagio Authore Nemrodo.

℞. III. Præ cæteris vitijs Idololatriæ scelus totum pene corrupit Orbem. Idololatriæ origo à sancto *Ambrosio*, *Hieronymo*, *Cyrillo*, *Eusebio*, & alijs communiter adscribitur *Nemrodo*, seu *Belo*, *Viro superbo*, & *arroganti*, uti habet sanctus *Cyrillus*, qui, teste *Hugone à sancto Victore*, homines induxit, ut ignem, seu solem colerent, quasi Deum, quem errorem *Chaldæi* posteà secuti sunt. * Idololatriam *in statuis*, *publicam* & *universalem*, adscribunt *Nino*, qui primus ad *Beli* Patris idolum *authoritate publica* statuerit reorum asylon. *Occasionem* inductæ Idololatiæ adstruit *Pater Kicherus* linguarum diversitatem, & mores, qui apud diversas Gentes vigebant: *sub unius*, inquit, *linguæ elogio viguit una quoque religio, quantum Chami progenies, jam à vera disciplina degener, permisit. At sicut linguarum confusione divisi, ita primævæ religionis obliti, dum quisque ex Gentium Ducibus eam sibi religionem finxit, quæ sibi maximè congrua videbatur, in innumeros errores de Deo, Mundo, Syderibus, Heroibus &c. prolapsi sunt* &c. *qualem prævaricationem Hebræi tribuunt Nepotibus Chami, Misraim videlicet, Chuso, Phut, & Canaano, qui, per Asiam & Africam diffusi in novas colonias, novos Deos, & ridicula dogmata pepererunt v. g. Adamum è Luna prodiisse* &c. Ita ille. (b)

Occasionem dante linguarum divisione. Multiplici causâ eandem promovente.

Causas verò Idololatriæ *varias* assignat *Salomon.* (c) Prima *supervacuitas*, seu vanissima ambitio, dicitur: unde *sanctus Athanasius*: *hominum ambitione idololatria in Mundum inducta est.* 2. Furiosus amor in defunctos: *acerbo luctu dolens Pater citò sibi rapti filij fecit imaginem &c.* ** Idem fecit amor filiorum in Parentes, subditorum in Reges. 3. *Nimius amor, & adulatio constituit inter servos suos sacra & sacrificia; Tyrannorum imperio colebantur figmenta, & hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc, quòd longè abessent, è longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent sua solicitudine.* 4. Fabrica imaginum, ac statuarum: *provexit autem ad horum culturam, & hos, qui* igno-

(a) Gen. 11. *Tostatum*, qui ait Q. 8. in hunc locum, ipsos non peccâsse, erroris coarguit Dei judicium, & animadversio, dicente sancto *Augustino* L. 16. de Civit. Dei c. 4. *erigebat Nemrod cum suis populis turrim contra Dominum, qua est impia significata superbia.* Videatur *Natalis Alexander* Tom. 1. Hist. Ecclesiast. dissert. 5. f. m. 151.

* Inde sanctus *Epiphanius*, & *Suidas* ex *Philone*, docent, idololatriam in cultu picturarum cœpisse à *Sarug*, qui avus fuit *Thare*, & septimus *à Noë*; *Thare* verò ex luto, arte figulari, fecisse statuam *Arani* filij: sed hæc probabiliùs falsa sunt.

(b) L. 3. c. 2. & 3. de Turri *Babel.*

(c) Sap. 14.

** Juxta *Hieronymum Pradum* hic pater fuit *Symophanes Ægyptius*; juxta *S. Epiphanium* fuit *Sarug*, vel *Thare*, respectu *filij Aran.*

ignorabant, Artificis eximiâ diligentiâ &c. inde facta fuêre idola, ut Parentum, filiorum, Regum, inventorum artium, Heroum, beneficorum, aut amicorum memoriam servarent. 5. *Ignorantia Dei, & fraus dæmonum,* ùt loquitur *Angelicus:* (a) inde Sapiens: *Hæc fuit vita humana deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Breviter noster *Cornelius*: Idolum ergo finxit defunctorum amor, & ambitio; provexit adulatio, & metus Principum; firmavit fraus dæmonum, splendor Idolorum, tot sæculorum error, & usus: (b) *interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error, tanquam lex, custoditus est,* ùt habet Sapiens. * Accesserunt Poëtæ, *Cicerone* Authore, qui compositis ad voluptatem carminibus, in Cælum sustulerunt quosvis, sicut fecerunt apud Reges, etiam malos, qui panegyricis mendacibus adulabantur. Immò, ùt rectè habet sanctus *Athanasius*, (c) accessit *desiderium eorum*, qui scelus apotheosi donatum vellent, propudiosiùs id patrare ut possent: unde illud adolescentis apud Comicum: *quod Jupiter fecit, ego non faciam?*

Solâ propè Semi familiâ verum Numinis cultum conservante.

℞. IV. In familia *Semi*, etsi commorante inter Idololatras *Chaldæos*, servatum probabiliùs semper fuisse Dei unius, & veri cultum, dicente *S. Augustino:* (d) *una Thare domus erat, in qua unius Dei veri cultus, solàque Hebræa lingua remanserat &c.* Ratio petitur ex testimonio *Achioris:* (e) *Populus iste ex progenie Chaldæorum est: hic primùm in Mesopotamia habitavit, quia noluerunt sequi Deos Patrum suorum, qui erant in Chaldæa: unum Deum Cæli coluerunt &c.* Nec obstat illud *Josue:* (f) *trans fluvium habitaverunt Patres vestri ab initio; Thare Pater Abraham & Nachor (puta Nachoris) servierúntque Dijs alienis. Nam ii: servierunt &c.* probabiliùs appellat supra *Patres*, quorum plures à *Chaldæis* seducti; non suprà *Thare*, Patrem *Abrahæ* boni, & *Nachoris* in *Mesopotamia* seducti. *Proinde*, uti rectè concludit *S. Augustinus: sicut per aquarum diluvium una Domus Noë remanserat ad reparandum Genus humanum; sic in diluvio multarum superstitionum, per universum Mundum, una remanserat domus Thare, in qua custodita est plantatio Civitatis Dei.*

§. II. §. 2.

De Noachidarum præceptis.

Quæritur II. Quid sentiendum de Noachidarum præceptis, quæis secundùm disciplinam Hebræorum jus naturale, & Gentium coluisse perhibentur à Rabinis?

Noachidarum præcepta.

℞. I. *Noachidas* vocant *Hebræi* Gentes omnes, *ab Hebræa* distinctas: præcepta *Noachidarum* appellant juris naturalis præscripta, cunctis Gentibus observanda. Hanc disciplinam, sæculo elapso, ex *Hebræorum* documentis ** collegit *Joannes Seldenus*, famosus *Anglia* Jctus, & ob doctrinæ copiam appellatus *Magnus Dictator doctrinæ Nationis Anglicanæ*, cujus in lucubrationibus irrestrictam heterodoxiam sat indicat lemma, singulis ab ipso paginis præfixum: *super omnia libertas.* *** Librum, à *Seldeno* inscriptum, *de jure naturali, & Gentium juxta disciplinam Hebræorum*, quia digressionibus spissiorem, in epitomen coëgit *Joannes Franciscus Buddeus.*

Quasi de jure naturæ cunctis Gentibus observanda.

℞. II. Hanc disciplinam *Seldenus* revocat ad septem præcepta negativa illustriora: 1. *De cultu extraneo*, quo vetatur idololatria, & quodvis superstitionis, & sacrilegij genus. 2. *De maledictione Nominis sanctissimi*, quo interdicitur omnis blasphemia, execratio, seu profanatio Divini nominis. 3. *De effusione sanguinis*, qua prohibetur homicidium omne. 4. *De revelatione turpitudinum*, quo excluditur omnis concubitus illicitus. **** 5. *De furto & rapina.* 6. *De judicijs,* seu

Seldenus ex disciplina Hebræorum redegit in numerum septenarium.

(a) 2. 2. Q. 94.
(b) In c. 14. Sap.
* *Cicero* de natura Deorum: *suscepit vita hominum, consuetudóque communis, ut beneficijs excellentes Viros in Cælum favore, ac voluntate tolleret:* hinc *Hercules, Castor &c.*
(c) Orat. contra Idola.
(d) L. 16. de Civit. Dei c. 12.
(e) Judith. 5.
(f) 24. v. 2.
** Hæc recensentur in Beresith Rabba Parasch 34. à *Majmonide* in Halach Melakiu c. 4. à Jehuda Beu Samuel in Sopher Cozri parte 3. & alijs *Hebræorum* Magistris.
*** περὶ παντὸς τὴν ἐλευθερίαν.
**** Quo reducebant *Hebræi* concubitum cum Matre, noverca, uxore aliena, sorore uterina, masculo, bestia.

ſeu *regimine forenſi*, ac *obedientia civili*. 7. *De membro animalis viventis non comedendo*, quo vetatur eſus ſanguinis.

Ad quem adſtrictos fuiſſe ait, ab Hebraiſeti am proſelitos domicilij.

℞. III. Prima duo præcepta monſtrant *officia hominis erga Deum*; quatuor reliqua *officia hominis erga alios*, & hæc ſex præcepta, ab ipſa natura dictata, & à Creatore Deo, *velut legem primordialem*, omnibus imperata, affirmant. Septimum revocant ad tempus *Noachi*, quod non ſolis *Hebrais*, ſed omnibus impoſitum aſſerunt Geneſis nono: *carnem cum ſanguine non comedetis*. Ad horum capitum profeſſionem à *Judais* adigebantur *Proſeliti domicilij*, ſeu illi, qui ex Gentibus ad incolatum, ſeu pacem in territorijs *Iſraëlitica* ditionia fruendam, admittebantur citra *Judaiſmi* profeſſionem. Contrà *proſeliti juſtitia*, ſeu illi, qui circumciſione erant initiati, & ad *hebraicum* Populum aggregati, non modò ad hæc, ſed & *ad Moſaicam* legem, ritúſque *Judaicos* tenebantur.

Ex his ſeptenis deducta alia Natura capita, minùs principalia, Proſelitis libera.

℞. IV. His principalioribus præceptis plura alia, minùs illuſtria, naturæ capita adjungebant *Hebrai*, (a) neque numero ſatis certa, neque eorum ſententijs ſat definita. Hæc ſunt in duplici ſpecie: una eorum, quæ ex præceptis primarijs fluunt, uti ex præcepto negativo *de revelatione turpitudinum* jura propagationis humanæ, & contractûs matrimonialis; *ex interdicto furti* jura dominij, obligationis, atque promiſſionis circa illa verſantis; item pænarum modus in judicijs, quæ *appendices* primariorum vocant *Talmudici*, ex jure Gentium vel *hebræo* ſuperveniente, non rarò derivatas. Altera ſpecies eorum eſt, quæ quidem indita omnibus ab Authore naturæ, uti parentum honor &c. ad quorum tamen obſervationem proſelitos Domicilij non adigebant civili pænâ *Hebrai*, ſed ſuaſione ſolummodò urgebant.

Sed hac juris naturalis diſciplina ex hebraicis fontibus eſt imperfecta, incerta, ac manca.

℞. V. Hæc diſciplina juris naturalis, à *Seldeno* hauſta ex *Hebraicis* fontibus, eſt *imperfecta*, *incerta*, & *manca*, curioſitati magìs, quàm uſui *accommodata*. *Ratio eſt* 1. Quia, ùt rectè notat *Puffendorfius*, (b) non continet *principium omnibus certum*, ex quo Naturæ præcepta vel *evidenter* fluant, vel ſaltem *demonſtrativè* deduci queant. Fundamenti locò ponuntur ſeptem præcepta, quæ nixa *Noachidarum* authoritate, hæc verò *Hebraorum traditione*, quæ ſi ſufficeret ad perſuadendos Populos omnes, *Seldenus* ea meliùs forſan ex *Jobi* commentarijs derivaſſet. * *Ratio eſt* 2. Quia nil continet niſi ſenſa *Hebraorum*, ** neque demonſtrat eſſe rationi rectæ conformia; immò non agit niſi de proſelitis domicilij, qui hiſce præceptis, *ex Hebraorum mente*, obligabantur. *Ratio eſt* 3. Quia ſeptimum præceptum non pertinuiſſe ullatenus ad Gentes, colligitur ex illo *Deuteronomij*: (c) *Quidquid morticinum eſt, ne veſcamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas eſt, da, ut comedat, aut vende ei, quia tu Populus ſanctus Dei tui es.* Accedit, quòd duo præcepta prima contineant cultum Dei *ſolummodò negativum*, etſi ex primis *natura* principijs ſit certum, Deum *poſitivo cultu* eſſe colendum, atque amandum.

§ III. (§. 3.)

De Noachidarum politica, & lingua.

Studia Noachidarum in terra Sennaar.

Quaritur III. Qua ſtudia Noachidarum in terra Sennaar, & quot linguæ, quêis in ſe diviſis, & ipſi tandem à ſe diviſi?

Ex magiſterio Noë varia, præſertim architectonica.

℞. I. Veroſimile eſt, juxta *Kircherum*, (d) totam multitudinem illam *à Noëmo*, tanquam Capite, gubernatam, inſtitutam ab illo vivendi quamdam rationem politicam, & ut magis prodeſſet multiplicandia, ac inhabitaturis terrarum Orbem, leges politicas dictâſſe, œconomicam edocuiſſe, uti &

(a) De quibus *Seldenus* fusè L. 7. c. 2.

(b) De origine juris naturalia c. 1. f. m. 169.

* *De cultu extraneo* c. 31. ſi vidi ſolem &c. quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum altiſſimum. 2. *De blaſphemia* c. 1. 5. Ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. 3. *De homicidio* c. 31. Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat &c. 4. *De adulterio* l. c. Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere &c. 5. *De judicijs* c. 27. Cor viduæ conſolatus ſum, juſtitiâ indutus ſum &c. 6. *De furto* l. c. vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem ſpoliaverunt.

** Sæpe erronea: ſic *Seldeno* Authore L. 5. c. 6. fornicationem jure naturali licitam putabant.

(c) C. 14. 21.

(d) De turri *Babel* L. 2. Sect. 1. f. m. 26.

& artes alias parandæ calcis, eruendorum, fundendorúmque metallorum, auri præsertim, prout ex stupendæ turris *Babelicæ* machina, aliisque prodigiosis ætatis illius fabricis, immensisque divitijs probat idem *Kircherus*.

Linguam quod spectat, nulla homini insita est à natura.

℟. II. Nullam linguam esse homini insitam à natura, probant experimenta *Psamitichi*, Regis *Ægyptiorum*, magni *Mogolis Melabdini*, *Mariæ de Gonzaga*, Reginæ *Poloniæ*, quêis etiamnum lactentes, educati à mutis, vel enutriti in silvis rediêre muti penitus, ac silvestres. Vox *Beg*, quæ *Persis* panem significat, caprarum balatus est potiùs, quàm vox humana.

Originaria hebræa, si spectetur authoritas; si ratio, est incertum.

℟. III. Idioma originarium, *Adamo* infusum, *si spectetur authoritas*, *est hebræum*; *si spectetur ratio*, est incertum. Nam incertum, an prima nomina *Adam*, *Eva*, *Cain*, *Abel &c.* ex etymologia *Moysis*, an *Adami* proveniant, ùt rectè notat *Huetius*, (a) *Amiramus* primævam adstruit *Chaldæam*; *Theodoretus Syriacam*; * *Kircherus* originariam adstruit *hebræam*, sed *doctrinalem*; *vulgarem*, ab ea derivatam, *Chaldaicam* appellat. Sed *Chaldaicam* omninò *ab hebræo* idiomate esse diversam, colligitur ex Scriptura, ubi *Chaldæi* dicuntur Genus *alterius linguæ*, *quam ignorent*, *neque intelligant Hebræi*, (b) & in qua instrui debuêre tres pueri *hebræi* jussu *Nabuchodonosoris*. *Huetio* Authore lingua *Hebraica* non alia fuit, quàm *Chananæa*, una ex ijs, quæ ortæ sunt ex *Babelica* confusione; *Chananæa* forsan dicta à Natione; *Hebræa* à transitu *Abrahæ*, uti non malè contendit *Theodoretus*. Addit *Huetius*: primigeniam linguam vel funditùs interiisse, vel in alias linguas fuisse divisam; vel si perseverârit, quænam sit *Hebræa*, *Chaldæa*, an *Syrica*, an alia, scire omninò non posse. (c)

Confusio facta per oblivionem subitam primævi idiomatis, speciebus aliis infusis.

℟. IV. Linguarum confusio contigit, *teste Pererio*, factâ in familijs oblivione subita primævi idiomatis, exceptâ familiâ *Heber*, ex qua *Abraham* fuit, uti aliqui divinant: subin infusæ species cum idiomate novo, uti factum *Adamo* novimus, non tam ab Angelis, ùt vult *Origenes*, quàm immediatè à Deo: non enim legimus; *descendite*, *sed descendamus*. Illud sat contestatum, linguas divisas fuisse non *secundùm homines*, sed *secundùm familias*, quas *secundùm cognationes*, *& linguas à Noëmo* divisas legimus: unde illud; *ut non audiat vocem proximi sui unusquisque*, unamquamque familiam indicat. Immò est satis certum, quòd Deus in hac confusione tantùm indiderit linguas matrices, ex quibus cæteræ postmodùm profluxêre.

Linguarum numerus est incertus.

℟. V. Probabiliùs linguarum numerus definiri haud potest, etsi, ex communi Patrum antiquorum sententia, per confusionem *Babelicam* septuagiota circiter, & paulò plures dicantur prognatæ. *Ratio* est, quia opinio de septuaginta duabus linguis nititur septuaginta duobus posteris ** filiorum *Noë*, enumeratis capite decimo Genesis: atqui hoc fundamentum probabiliùs nullum: non enim credibile, *Phalegi* Majores, *Arphaxat*, *Sale*, & *Heber*, fuisse complices in ædificatione turris *Babelicæ*. Accedit, quòd *Jectan*, ejusdémque filij tredecim, necdum fuerint nati tempore confusionis.

Etsi quasdam superesse matrices sat certum.

℟. VI. Quasdam matrices linguas ex illa divisione superesse, sat certum est: quænam illæ sint, minùs certum. Inter omnes tamen penè convenit, *Hebræam*, *Græcam*, *Latinam*, *Teutonicam*, *& Illyricam* matrices esse, ex illa confusione etiamnum residuas, è quibus linguæ cæteræ sint enatæ. *Ex Hebraica* derivatæ sunt *Chaldaica*, *Arabica*, *Samaritana*, *Æthiopica*, *Syriaca*. *Ex Græca*, *Attica*, *Jonica*, *Æolica*, *Phrygia &c.* *Ex Latina Italica*, *Gallica*, *Hispanica*, *Lusitanica*. Ex *Teutonica*, *Belgica*, *Danica*, *Suecica*, *Anglica*, *Scotica*. Ex *Sclavonica*, *Polonica*, *Hungarica*, *Bohemica*, *Moscovitica*, *Tartarica*, *Turcica*, *Bulgarica &c.* Ex his ipsis linguis dialecticis plures aliàs cum tempore enatas esse, sat constat, ut adeò idiomatum varietas sicut non satis cognita, ita neque numerus determinari queat. ***

℟. VII.

(a) Apud *Natalem Alexandrum* T. 1. hist. Ecclesiast. f. m. 154.

* *Goropius Pecanus* absurdè obtrudit *Belgicam* pro primæva.

(b) *Jeremiæ* 5. vers. 12. Parall. ult. 17. & 21. *Isaiæ* 28. vers. 11. *Baruch* 4. vers. 15.

(c) Videatur *Natalis* & *Kircherus*. l. c.

** Annumeratis ex *græco* codice *Elisa* & *Cainano*.

*** Sic protestanticus *Myllerus* ex Patre *Angelo Rocca* hæc verba: *Pater noster* centum linguis diversis edidit. Immò *Paulus Gazius de Ragusa*, centum linguas locutus est, uti legere est in ejus epitaphio, *Romæ* posito Anno 1662. *Chamberlanes* id ipsum *Pater noster* jam pridem 150. linguis diversis vulgavit. Linguæ *Indicæ*

Quæ tamen per dialectos varias magis magísque corrupta.

℟. VII. Sicut linguæ originariæ per dialectos varias variatæ, ita & hæ ampliùs fuêre corruptæ, ut adeò plures vel corruptionem, vel oblivionem omnimodam passæ sint. *Ratio* est diversarum Gentium commixtio, Imperiorum mutatio, Regnorum destructio ad usque parvas reliquias, coloniarum introductio &c. & sic de alijs, ut adeò *Franciscus de Tramblay* existimet, nullam linguam amplius illi similem, quam ante annos sexcentos locuti sunt nostri Majores. (a)

Germanica diutiùs pura, subin per latinam corrupta, sed à Carolo Magno, Maximiliano I. priorísque seculi studijs, politior reddita, modernis denuò depravata noscitur.

℟. VIII. De lingua *Germanica* memorabile. 1. Quòd diutiùs alijs nativum tenorem conservârit, eò quòd, teste *Tacito*, hæc Natio nulli alteri permixta fuerit ad usque ævum *Julij Cæsaris.* 2. Quòd *Germani*, victi à *Romanis*, idioma nativum *latino* corruperint, id quod *de Francis* orientalibus, seu *Gallis*, potissimùm intelligendum, qui assumpsêre *latinam* linguam provincialem, quam *Ausonius latinæ æmulam*; alij *Romanam rusticam* appellabant: ex qua subin prodiit delicata nostri sæculi filia, hoc est, lingua *Gallica.* 3. Quòd *Germanica* initiò Genti asperæ, quia, Authore *Tacito, habitanti sub aspero climate*, accommodata fuisse, dicatur, sic ut sermo stridori barbaro; cantus leonum rugitibus similior fuerit: quòd mitigata sit primò per commercium politius cum *Romanis*; subin per *Carolum Magnum* sit redacta in regulas, * tum per *Rudolphum* Cæsarem in Cancellarias inducta, ** mox ab ævo *Maximiliani* I. per scientias exculta, & priore demum sæculo ad omnem elegantiam per societates Eruditorum. *** & per Poësin ætatis nostræ *germanicam* exculta noscatur, ut adeò vix causæ quidpiam subesse videatur, cur P. *Bouhour*, & *Petronius* linguam *Germanicam*, saltem hodiernam, appellitent *barbaram*, *nullo lepóre præditam*, *ideóque Gallis non addiscendam.* 4. Quòd politiorem idiomatis nostri formam, etiam nostra ætate denuò deturpare, & Eruditorum studia reddere frustranea conentur plures causæ. Præcipua est Nationis *Germanicæ* vitium, quæ, uti aliarum Gentium vestitus, ac mores; ita & linguas affectat: inde absona exterarum vocum commixtio**** modus loquendi affectatus,***** ac ampullatus &c.****** præterquàm quòd vernacula dialectis suis minimè careat, nec *politiori* facilè sit cominiscenda, per quam vernaculá intelligimus linguam in loquendi, & scribendi methodo

dica tam incertæ, quàm variæ sunt; in solis *Indiæ* occiduæ *Americanis* Regionibus idiomata facilè quingenta numerari, ex Missionarijs nostris colligimus; omnium verò Regionum in *Indijs* linguæ ad mille & septuaginta reduci posse, scribit noster *Pater Kircherus.* De Turri *Babel* L. 3. c. 1. f. m. 132.

(a) In Tract. de linguis Anno 1703. edito.

* Sic *Eginbardo* teste *Carolus Magnus* Grammaticam *Germanicam* confici jussit, ex qua sua carmina *Otfridus Monachus*, teste *Trithemio* in Chron. *Hirsau.* ad A. 882. Inde nomina mensium, & ventorum *Carolo* suam debent originem, ùt habet *Pfeffingerus* T. 1. *in Vitriarium* f. m. 439.

** Anno 1273. in Comitijs *Norimbergensibus*, ubi statutum, ut diplomata, recessus &c. idiomate *Teutonico* ederentur; id confirmatum Anno 1512. in Comitijs *Colon. à Maximiliano I.*

*** Talis fuit anno 1617. 24. *Augusti* erecta in castro *Hornstein Wismariensi*, die sogenandte Frucht-bringende Gesellschafft des Palmen Ordens *Caspare Trautleben* Moderatore.

**** Ætatis nostræ Author *Germanicus* vocat die eingeschalte ausländische Flücht-Wörter ꝛc. Addit exemplum: Monsiéur hochgeehrter Patron: Seine höche meriten / dardurch er mich à l' extreme verobligieret / caulieren mich denselben mit disen Zeilen zu serviren ꝛc. Meinen jetzigen état concernierend / so ist derselbe / rebus sic stantibus, entre deux, muß derohalben der balance deß verkehrten Glücks mich submittieren / nit zweiflende / ein bessere esperence werde mich secundieren / basta, & hæc de his. Bey allen nouvellen passieret weiters nichts memorables, als daß sich realisiere das alte Sprüch-Wort. molto di rumore, poco di lana &c. Del resto, bitte mich in derselben souvenance, und grace favorabiliter zu conservieren ꝛc.

***** V. g. mutilando vocales, di / si / Uflauf loco die / sie / Auflauff; omittendo consonantes: Smertz / Swerdt / loco Schmertz / Schwerdt; mutando consonantes: Togchter / loco Tochter; fingendo nomina flüglen / aiglen / bandlen ꝛc.

****** Exemplo ejusdem Authoris: als das hellschimmerende / Glantz-volle Himmels-Aug die von tieffisten Meers-Flutten hervortrabende / mit der Aurora begleittete / annehmlich lachende Sonne / in ihrem Feur-Blitz-und Glantz außgezierten Wagen in das weit außgebreite blaue Himels-Feld mit Risen Schritten hereintratte ꝛc.

thodo usitatam Eruditis, seu speciali studio *Germanismi* culturam, ac puritatem servantibus.

Illud mysticum, quòd Nomen Dei in omnibus linguis sit tetragrammaton, seu quadrilitterum. ℣. IX. Id denique notatu haud indignum, quòd nomen *Altissimi* in omnibus linguis, quæ quidem nobis sunt cognitæ, *sit tetragrammaton*, seu *quadrilitterum*, forsan ut Nationibus cunctis per hoc significentur *quatuor* in Deo esse Orbi credenda, *unitas* in essentia, *Trinitas* in personis. Hæc exprimitur Germanicè GOtt, Latinè *Deus*, Græcè Θεὸς, Hebraicè *Jehova*, יהוה, Syriacè *Ella*, Arabicè *Allo*, Ægyptiacè Θῶυτ, Æthiopicè *Agel*, Abyssinè *Agzi*, Persicè *Syri*, Illyricè *Boog*, Hispanicè *Dios*, Gallicè *Dieu*, Hungaricè *Bogi*, Moscoviticè *Tios*, Bohemicè *Buoh*, Belgicè *Goot*, Anglicè *Good*, Scoticè *Goed*, Hibernicè *Dieh*, Saracenicè *Agdi*, Mogicè *Orsy*, Assyricè *Adad*, Copticè Θεος, Peruanicè *Zimi*, Indicè *Tura*, Tartaricè *Anot*, Calefornicè *Soeo*, Conganè *Aneb*, Angolanè *Anup*, Mauricè *Alla*, Islandicè *Gudi*, Conodanè *Birib*, Mexicanè *Bosa*, Quirenicè *Hoba*, Paraquaricè *Diur*, Chilicè *Hana*, Philippinicè *Mora*, Japonicè *Zaca*, Sumatranicè *Pola*, Narsingicè *Bila*, Melindicè *Abag*, Maldivicè *Obra*, Zaflanicè *Bora*, Ormusicè *Alai*, Cyrenicè *Popa*, & sic de aliis.

§. IV.

§. IV.
De Nationum origine.

Nationum origo incerta. *Quæritur IV. Quæ, facta dispersione, Nationum origo inter Noachidas?*

Nisi in tribus Authoribus Japhet, Sem, & Cham. ℣. I. *Incerta*, nec nisi Anthorum conjecturis plerumque innixa, Illud certum, *Noachidarum* Protoparentem esse *Noëmum*, ejusque tres filios *Japhet, Sem, & Cham*, Patriarchas primos, queîs Populi & sua nomina, suámque originem debeant. At quomodò horum posteritas in tot nomina, & Nationes divisa sit, ex imaginaria nominum analysi potiùs, quàm fundamento solido, deduci potest.

Semi posteritas, dignitate prima, in varias Gentes divisa conjecturaliter per quinque filios. ℣. II. *Semi* posteritas, *dignitate prima*, constitit in filiis quinque. Primus *Elam*; unde derivant *Elamitas*, è quibus *Persæ*. Secundus *Assur*; unde *Assyrij*. Tertius *Arphaxat*, cujus filius *Sale*, Pater *Heberi*, unde aliqui deducunt *Hebræos*, etsi hæc denominatio probabiliùs derivetur ab ejus pronepore *Abrahamo*, quem venienrem *in Chanaan* Incolæ appellârunt *Hebreu*, hoc est, Divo *Augustino* interprete, *transfluviatilem*, eò quòd transiisset *Euphratem*, qui priùs habitâsset trans fluvium, *in Mesopotamia* scilicet, *ac Chaldæa*: unde, ut suprà jam diximus, & lingua *Hebræa* nomen suum sortita est, eò quòd nullus, *ex Heberi* posteris, per septem generationes dictus *Hebræus*; sed primus nomen hoc portaverit *Abraham*. Quartus *Semi* filius fuit *Lud*; unde *Lydy*: quintus *Aram*; unde *Syri*: nam *Syria hebraicè* per *Aram* significatur.

Chami per quatuor. ℣. III. *Chami* posteritas quatuor filios numeravit. Primus *Chus*, qui lingua *hebraicâ* significat *Æthiopiam*; unde *Æthiopes*. Secundus *Mesraim*, qui *hebraicè* sonat *Ægyptum*, in qua hodiedum civitas *Mesra*; unde *Ægyptij*. Terrius *Phut*; unde populi *Lybiæ*, & *Mauritaniæ*, id indicante *fluvio Phut*. Quartus *Chanaan*; unde *Chananei*, Incolæ terræ sanctæ. *Chus*, inter alios filios, genuit *Nemrod* & *Saba*; unde *Sabai*. *Mesraim*, sex inter filios, habuit *Ludim*; unde *Lydy*. *Chanaan*, inter undecim filios numeravit *Sidonem*; unde *Sidonij*: *Hetaum*; unde *Hetai*; *Jebusaum*, unde *Jebusai &c.* & in his populis impleta *Noëmi* est maledictio, cùm per *Semi* Posteros sunt subjugati, & è terra *Chanaan* ejecti.

Japheti per septem. ℣. IV. *Japheti* progenies septem filiis, veluti totidem ramis genealogicis, constare dicitur. Primus *Gomer*; unde pnpuli *Galatiæ*. Secundus *Magog*; unde *Messageta*, & *Scytha*. Tertius *Madai*; unde *Medi*, aliique populi vicini. Quartus *Javan*; unde *Jonij*, & *Græci*. Quintus *Thubal*; unde *iberij* trans pontum *Euxinum*, & juxta aliquos *Hispani*. Sextus *Mosoch*; unde *Moscovita*, *Cappadoces*. Septimus *Thiras*; unde *Thraces*. *Gomer* inter tres filios numeravit *Ascenem*, à quo nonnulli *Alemannos* oriundos putant, quos *Hebræi* adhuc hodie dicunt *Askensin*. Dixi oriundos putant: nam alij aliter loquuntur. *Ab Aventino* statuitur *Tuisco*, qui *Abrami* tempora anteccessit, regnavitque *in Europa*; unde *Theutones*. *A Manno* alij derivant *Alemannos*; *ab Ingervon*, ejus fratre, *Ingevones*; *ab Istervon Istavones*; *ab Hermanno Germanos*; *à Suevo Suevos*, & sic de aliis.

§. V.

§. V.
De Origine Dominiorum.

Dominiorum origo. *Quæritur V. Quæ origo dominiorum inter Noachidas, seu prima rerum divisio?*

Debetur terrarum divisioni, facta circa annum ℣. I. Terrarum, seu rerum divisio com-

1787, effectui data circa annum 1931.

communiùs adstruitur duplex. Primam, quæ quasi dederat *jus ad rem*, factam ajunt circa ortum *Phalegi*, anno Mundi M DCC LVIII. post diluvium CXXXII, id indicante Scripturâ, (a) quæ *Phalegi* nomen à *divisione* derivat, *eò quod in diebus suis divisa sit terra.* Consonat Interpretum sat communis cum *Josepho*, qui ait *Phalegum* natum, dum *habitationes distribuerentur.* * Alteram divisionem, quæ dederat *jus in re*, ad turrim *Babelicam* referunt, seu ad annum Mundi M CM XXXI. Diluvij CCL XXV. confusione linguarum urgente, ut factam, jam ante annos CXLIII. effectui darent, atque exequerentur.

Qualitas & modus divisionis est satis incertus.

℟. II. Qualis fuerit Terrarum divisio, sat obscurum, aliam *Epiphanio*, aliam alijs adstruentibus. ** Idem sentiendum *de modo divisionis*, quam allegatus *Epiphanius* non determinatione *Noemi*, aut prima occupatione, sed sortitione factam interpretatur. Probabiliore calculo *Semo* obtigit *Asia* ab *Euphrate* ad usque mare *Indicum*: habitavit primò *Chaldæam*, dein *Ægyptum*. *Chamus* obtinuit *Africam*, *Arabiam*, *Syriam*, *Æthiopiam*: habitavit primò juxta *Euphratem*. *Japheto* cessit *Europa*, & pars *Asiæ* orientalis, quæ cis *Euphratem*, *à Tauro* monte divisa excurrit in *Archipelagus*, seu mare *Ægeum*: habitavit primò *Insulas* Gentium, quas alij nominant *Europam*. Hæc tamen divisio non servata semper, cùm multos *è Chami*, *Japhetique* posteris venisse *in Asiam*, & *è Semi* propagine plures *in Europam*, & *Africam* migrâsse, legamus.

Author primus Noë; causa multitudo dividenda, dissensio evitan-

℟. III. Divisionis, saltem primæ, Authorem allegant *Noëmum*, divino lumine ad hanc adductum. Causa primaria haud dubiè fuerit multitudo *Noachidarum* immensa, quæ circa molimina turris *Babelicæ*, ex probato Mathematicorum computo, jam ultra 4195000. excurrerat. 2. Evitatio jurgiorum, atque dissensionum, quæ circa primam rerum occupationem facilè emersissent, potentioribus minùs validis cuncta facilè erepturis. 3. Ipsa terræ procuranda cultura: nam ubi cuncta communia, cuncta facilè negliguntur; cessat magnam partem industria in colendis agris, arboribus, procurandisque vitæ necessarijs &c.

da, cultura terræ procuranda.

Rerum communio fuit naturæ conformior.

℟. IV. Absolutè loquendo, *rerum communio*, maximè immobilium, *** qualis habita fuit initio, Creatore Deo terram, maria, & omnia, quæ in eis sunt, *Adamo*, ejúsque posteris subjiciente, *Naturæ*, saltem *per se* loquendo, *fuit conformior.* *Ratio* est, quia *supponit statum naturæ rectæ*, sublativum frigidi illius verbi: *meum ac tuum &c.* è quo pullulant innumeræ lites, jurgia ac bella. **** Unde *Thomasius* (b) in statu naturæ integræ rejicit recessionem à communione, seu *dominiorum distinctionem.* 1. Quia tritum proverbium, *amicorum omnia sunt communia*: atqui ibi regnâsset amicitia maxima. 2. Quia ibi summa fuisset *æqualitas*, opposita statui dominij inæquali: certe divites & pauperes fecisset dominiorum distinctio. 3. Quia divisionis nulla adfuisset causa: sponte proferebat omnia tellus; labor non erat inter molestias; natura paucis contenta, nulla lis, nulla invidia. Hoc tamen non obstante, semper *licita*, immò, *multiplicato Genere humano*, juxta dicta superiùs, fuisset *probabiliùs* etiam facta divisio *in statu quoque naturæ integræ.* 1. Quia probabiliùs fuisset factus *status*, etiam *civilis*, ex rationibus ibi allatis. 2. Quia non obfuisset perfectæ amicitiæ, immò profuisset, cùm non omnes in naturæ dotibus fuissent æquales. 3. Quia non induxisset paupertatem, sed perfectiorem suffi-
cien-

(a) Genes. 10. vers. 25.

* Etsi *sanctus Hieronymus & Genebrardus* hæc, ab *Hebero* Patre dicta, *propheticè* interpretentur, *cum Rabbi Jose* dicente: *Heber fuit Propheta Magnus, quoniam afflatu Spiritûs Sancti filium suum nominavit Phaleg, à futura videlicet divisione in fine vitæ ejus.*

** Apud Patrem *Kircherum* in Turri *Babel* L. 1. s. m. 16. item in area *Noë* L. 3. de divisione Gentium.

*** Nam greges ovium *Abelis*, utique ei fuêre propriæ, uti & alia labore proprio comparata &c. Sic & alia v.g. fructus arborum, & agrorum; animalia item fera, & mansueta, etsi quilibet ijs frui licitè posset, utpote communia, erant tamen *propria primò occupantis*, & sic de alijs, eo modo, quò hodie sunt bona *derelicta*, uti rectè advertit *Lugo* de Justit. disp. 6. sect. 1.

**** Ejusmodi statum repræsentavit primitiva Ecclesia, & etiamnum repræsentant Communitates religiosæ teste *Grotio* de J.B. & f. L. 2. c. 2. §. 1. quem hac ex parte, malignitate satis protestantica, carpunt *Kemnitij*, *Osiandri*, *Henniges*, & alij.

(b) In Jurisp. Div. L. 2. c. 10. n. 71.

cientiam, non invidiam vel lites, quas ejusmodi subordinatio efficaciùs exclusisset. Unde errat *Thomasius*, cùm scribit: valde errant, qui distinctionem in statu integro, *propter ejus perfectionem*, quærunt: *quia, ùt omnis ordo rectæ rationi consentaneus, ita pulcherrimus ordo possidendi res illi statui quàm maxime profuisset.* Quasi verò perfectior sit hodie Ecclesiæ status, in quo diu, *propter cessationem charitatis*, cessavit communio, præ altero, qui erat in primitiva Ecclesia: & fortè ibi etiam fuissent Reges, Electores, Comites, Barones, Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalaurei? *quia & horum est pulcher ordo.* Ita ille. Sed hæc vana sunt. Nam sicut præsens Ecclesiæ statûs, *cessante charitate*, vel potiùs increscente Fidelium numero, non est quidem perfectior in se, sed tamen *magìs necessarius*, & *utilis &c.* etsi *manente charitate* potuisset, immò multiplicato Fidelium numero probabiliùs fuisset quædam rerum divisio, *sed demptis imperfectionibus præsentis statûs*: ita à pari respectu statûs integri. Cæterùm ordo per Reges, Principes, Doctores &c. est ordo, supponens *statum naturæ corruptæ*, adeóq; non comparandus est cum illo ordine civili, quem in statu naturæ integræ induxisset *abundantia perfectionis.*

Supposito tamen statu naturæ lapsæ divisio fuit utilior.

℟. V. *Unde supposito statu naturæ lapsæ, & multitudine hominum*, ad rationis rectæ dictamina adstringi nolentium, *licita*, * *justa*, *congrua*, *melior*, & ùt aliqui volunt, à Deo inspirata *Noemo* fuit hæc rerum divisio, qua acquirerentur dominia particularia cum aliorum exclusione. Unde cùm *Clemens I.* summus Pontifex ait: (a) *per iniquitatem factam esse inter mortales divisionem*, loquitur *de causa divisionis*, qua multi multa sibi *iniquè* appropriarunt, ortis inde rixis; non *de ipsa divisione*, facta ex hisce causis. Hinc sicut *mali mores facere solent bonas leges*, ita natura depravata fecit justam, & meliorem rerum divisionem.

Hinc rerum di- *visio alijs est juris naturalis, alijs est juris Gentium.*

℟. VI. Rerum divisio juxta quosdam *juris est naturalis*: quia supposita hominum multiplicatione, præsertim in statu naturæ lapsæ, natura divisionem rerum exigit, ùt *necessarium medium* ad conservandam felicitatem Generis humani, qua sine divisione terra non coleretur, nec evitarentur rixæ, atque dissensiones. Juxta alios *est juris Gentium*: quia naturæ jure cuncta communia, & licèt natura humana exigat conservandam tranquillitatem, non tamen exigit *per se*, conservandam hoc *determinate* medio divisionis, sed *per quodcunque*, determinandum consensu Gentium, quo evitata fuissent jurgia &c. Juxta alios denique originaria acquisitio habebatur per *occupationem*; sed ubi discedere mortalibus placuit à primæva communione, habebatur *per divisionem*, sic ut de rebus in medio positis, *prævio Gentium pacto*, *saltem præsumpto*, sua cuivis assignata sit portio authoritate *Adami*, vel *Noachi*; vel mutuo consensu, uti respectu *Lothi* ac *Abrahami &c.* Sed de his infrà ** expressiùs mentem nostram declarabimus.

§. VI.

§. VI.

De origine Imperiorum.

Quæritur VI. Quid sentiendum de origine Imperiorum?

Origo Imperiorum, abolenda Anabaptistis, & Luthero.

℟. I. Erronea est opinio *Donatistarum*, *Anabaptistarum*, & etiam *Lutheri* varijs in locis, *** quæ vel omne imperium tolli, maximè inter *Christianos*; vel id non nisi à Deo irato procedere, adeóque tutâ conscientiâ neminem posse gerere Magistratum, affirmat. *Ratio* est: quia hæc doctrina, *Besoldo* teste, confundit omnia, Reipublicæ est perniciosa, fovet seditiones, & inducit anarchiam exemplo *Judæ Galitai*, tot cladium Authoris, qui & ipse asseruit, solum Deum & *esse*, & *dici* debere *Dominum*.

Non debetur per se, & abstrahendo ab acquisitionis modo, vi, & tyrannidi.

℟. II. Falsa etiam est sententia *Bodini* asserentis, *Regna omnia vi tyrannica coaluisse.* (a) Patet experientia, qua scimus, plura Regna, Populorum consensu erecta, *uti Israëliticum: constitue*

* Non enim jus naturale *præcipiebat*, ùt hæc bonorum communio semper observaretur: sed eam tamdiu permittebat, donec ex justis causis res seu *per occupationem primam*, seu *alio modo* particularibus Dominis attribuerentur. *Bæclerus* negat in statu innocentiæ debuisse, vel etiam potuisse esse rerum communionem *propter ordinem pulcherrimum possidendi res &c.* Sed rectè refutatur à *Puffendorfio* L. 4. de J. N. & G. c. 4. §. 13.

(a) C. dilectissimis. 12. Q. 1.

** P. II. Tit. 2. Instruct. 1.

*** Maximè in L. de bello rustico, & alijs, fusè à nobis allegatis P. IV. Coll. Hist. Q. 13. f. 426.

(b) L. 1. de Republica: c. 6.

stitue nobis Regem &c. (a) Hinc etsi Imperiorum principium, quod statuunt *in Nemrodo*, Monarcha tyrannico, transmittatur esse malum, * id respectu Imperij est merè *per accidens*, nec *status* Monarchicus malus, sed acquirendi *modus*; cùm aliud sit potestas, aliud abusus potestatis. Unde illud *Osea: ipsi Reges constituunt absque me, Principésque assumunt me inscio:* (b) pertinet ad solos Reges *Israëliticos*, Deo rebelles, ac impios, non *ob potestatem*, sed *ob acquisitionem*, & *usurpationem potestatis*: & licèt tyrannis non sit à Deo, *prout est malum culpæ*, est tamen à Deo, *prout est malum pænæ*, juxta illud ejusdem *Oseæ:* (e) *Dedi tibi Regem in furore meo:* sic contra *Jeroboamum* non permissus pugnare *Roboam*, testante Propheta: *A Deo factum fuisse hoc Verbum.*

Eorum initia ab antediluvianis temporibus petenda.

℟. III. Regnorum prima initia jam antediluvianis temporibus debentur, rectè dicente *Griphandro*, (d) etiam ante lapsum *Adami* futurum fuisse quamdam politiam *non quidem dominandi libidine, sed quodam officio dirigendi. Adamum* paternum quoddam imperium exercuisse in filios, & nepotes, atque post eum Majores in suas familias, constat. Certè *Cainus* jam tunc urbem *Henochiam* condidit, non ùt *Plato* censet, (e) quò se adversus feras securum redderet: sed quòd homines vivere in societate, rerúmque communionem habere, docuit, uti ex *Aristotele* refert *Pererius*. Immò & filij Dei, *Onckelo* Interprete, filij Principum, & Magnatum dicti sunt.

Etsi perfectior species primò post diluvium invaluerit, in quatuor præcipuè Monarchijs.

℟. IV. Regnorum perfectiorem speciem, de qua constet, puta *Monarchicam*, non nisi post diluvium apparuisse, compertum est. Nam etsi Regnum universale nunquam extiterit, per Dei tamen providentiam semper viguit magnum quoddam in Orbe Regnum, quod si minùs potentiâ, celebritate saltem, ac famâ, antecelluit cæteris, quale novimus primum *Assyricum*, deinde *Persicum*, *Græcum*, & *Romanum*, quod hodie *Romano-Germanicum.*

Súntque juris Gentium.

℟. V. Imperia *juris Gentium* esse dicunt, quia toti humano Generi communia, & ex ipsis rerum naturis, primáque eorum constitutione oriunda. Unde Philosophus: *nil esse tam aptum ad jus & conditionem naturæ, quàm imperium:* (f) adeò ùt *Cicerone* reste: (g) *sine illo nec domus ulla, nec civitas, nec Genus hominum, nec Mundus stare posset.* Profectò, uti rectè animadvertit Pater *Molina*, etsi in novo Orbe, quem vocant, detecti occidentales Populi nil ferè nobis cum commune habeant, quamdam tamen Reipublicæ formam servare comperti sunt; sic *in America* saltem Duces habent, ac Capitaneos; *Mexicani* Reges statuuntur electione; *Peruani* etiam successione, uti ex historijs est compertum.

Quæritur II. Quis fuerit primus in Orbe Monarcha?

Primus Monarcha.

Respondet I. *Petrus Gregorius Tolosanus*, (h) *Adamum* fuisse primum, utpote à Deo constitutum, *ut præesset piscibus maris, volatilibus Cæli, & universis animantibus super terram.* (i) Sed hoc imperium *in creaturas irrationales*, non verò *homines* fuit, adeóque non dicendum nisi imperij veri *aliquale præludium.* Adde, quòd *Adami* imperium in cæteros homines *paternum* solummodò fuerit, non *Monarchicum.*

Non Cainus.

Respondent alij II. Primum Monarcham fuisse *Cainum*, quia primus condidit urbem *Henochiam.* Quòd si Monarchæ nomen sumatur *latè*, pro qualicunque administratore Reipublicæ, seu Regulo, quales triginta legimus *à Josue* debellatos, (k) & *ab Adonibezek* sub mensam ad colligendas micas detrusos, numero septuaginta, (l) facilè damus, ejusmodi parvulum Monarcham fuisse *Cainum.* Sed si nomen Monarch accipiatur *strictè*, pro Capite summo Monarchæ, qualem quadruplicem memorat Scriptura, id meritò negamus.

Sed Nemrodus, seu Nabuchodonosor.

Respondent III. Alij, assignando *Nemrodum*, alij *Ninum*, alij *Nabuchodonosorem.* Sed si Monarchiæ primæ ortus sumatur *simpliciter*, primus in Orbe Monar-

(a) 1. Reg. 8. 5.
* Nam sunt, qui *Nemrodum* negant fuisse Tyrannum, sed asserunt Venatorem, qui grassatores, aliósque facinorosos represserit per suos, & in humani commercij commodum subjugârit.
(b) C. 8. v. 4.
(c) C. 13. v. 11.
(d) Disputatione politica 3.
(e) In *Protagora.*
(f) L. 1. Polit. c. 3.
(g) De leg. in prin.
(h) L. 19. de Republica c. 1. sect. 2.
(i) Gen. 1.
(k) Judicum 1.
(l) Jud. 1. v. 7.

Monarcha probabiliùs fuit *Nemrodus.* Patet ex Genesi, (a) ubi legimus: *fuit autem principium Regni ejus Babylon.* * Si Monarchiæ ortus intelligatur *in sensu limitato*, quò ad excellentiæ & dignitatis gradum præfiguratum *Danielis* secundo *per caput aureum*, primus Monarcha fuit *Nabuchodonosor*, eò quòd ille Rex primus Monarchiæ *Babylonia* appelletur *Danielis* 2.

Instructio V.

INSTRUCTIO V.

De jure naturæ in statu legis antiquæ.

De cultura juris Naturæ, & Gentium in statu Legis scriptæ, seu veteris Testamenti.

§. I. Connexio juris Naturæ cum lege veteri.

§. I.
De Connexione juris Naturæ cum Lege veteri.

Quæritur I. Qua ratione Jus naturæ & Gentium ex lege Divina scripta sit confirmatum, magisque perfectum ac illustratum?

Jus naturæ, etsi distinctum à jure divino, utpote revelato,

℟. I. Jus naturale & Gentium, etsi quàm maximè distinctum *à jure Divino* positivo, rectè tamen consideratur in ordine *ad jus Divinum*, neque sic confunditur, sed magis firmatur, & illustratur.

Ratio primæ partis est, quòd jus naturale spectet *officia hominis*, ùt ab omni elevatione, & religione revelata *abstracti*; jus verò divinum spectet *officia hominis*, *ùt elevati* per leges divinas ad statum supernaturalem, supponitque religionem revelatam: illud deducitur *ex ratione naturali*, nititúrque principijs, nulli non cognitis, & *ad omnium captum* attemperatis; hoc habetur *ex Authoritate Dei loquentis*, nec omnibus, sed soli tunc Nationi *Hebrææ* proprium erat, ac revelatum.

Illustratur tamen, & magis declaratur per jus Divinum.

Ratio secundæ partis est, quòd, ipso *Puffendorfio* teste, per legem scriptam librósque divinos, lex naturalis quàm maximè sit illustrata, *sic ut vix ullum caput sit juris naturalis, quòd tactum non sit.* (b) Addit *Kemerichius*, *Puffendorfij* enucleator, in legibus scriptis, & *per Moysen* promulgatis, *contineri omnes regulas honesti, decori, & justi, quas & David in suis psalmis egregiè illustrârit; Salomon quoque varijs sapientiæ regulis in suis proverbijs, & Ecclesiaste adauxerit; quin & Prophetæ, oraculorum divinorum interpretes, in suis orationibus & explicârint, & inculcârint. Subjungit denique, multos Hebræorum, qui præcepta morum incorrupta tradiderint, fuisse Syracidem, & Authorem libri sapientiæ.* (c)

Sic decalogus est mera confirmatio legum naturalium.

℟. II. Præcepta decalogi præcipuè *ad officium hominis* spectant, & jus naturæ firmant, ac explicant. Si sub die sabbathi intelligatur *cultus Dei externus in genere*, leges sunt naturales simul, *ac Divinæ positivæ: naturales* quidem, quatenus mores dirigunt ad honestatem, cordibúsque inscriptæ omnes homines, imperantes, parentes, & sub quacunque Republica viventes obligant. *Divinæ positivæ*, quatenus digito divino tabulis quoque lapideis insculptæ, Populóque *Israëlitico* per *Moysen* sunt traditæ.

Hebrais additæ & aliæ leges Divinæ cùm ceremoniales, tum judiciales: sed soli Synagogæ propriæ.

℟. III. Præter has leges *naturales divinas*, datæ *Hebræis* sunt aliæ leges divinæ positivæ, cùm *ceremoniales*, tum *judiciales*. Illæ spectabant ad ritus pro Testamento veteri præscriptos; istæ ad justitiæ, & Reipublicæ administrationem. *Leges divinæ, quatenus naturales*, incommutabiles sunt, & in utroque Testamento in omnium hominum mentibus permansêre, & permanent; positivæ erant *Hebrais* solummodò propriæ, & cum eorum Republica sublatæ, unà cum Testamento veteri, per mortem *Christi* exspirârunt.

Accessère variæ traditiones, Mosaicæ laudabiles, Pharisaicæ superstitiosæ.

℟. IV. Præter leges divinas, cùm *naturales* tum *positivas*, in Testamento veteri erant etiam variæ *traditiones Mosaicæ*, & *Pharisaicæ*; illæ laudabiles, istæ vituperabiles. Inter illas erant præcipuæ, quòd libri, in *Hebræo* Canone contenti, verè essent divini; quòd fæmellis esset remedium contra originale, qualecunque tandem fuerit, seu fides Parentum, seu aliquod aliud; quòd sacrificia cruenta essent mortis dominicæ præfigurativa, & sic de aliis, quæ etsi non scripta, tamen tradita novimus. Inter *Pharisaicas* traditiones erat *lavatio*

(a) C. 10. vers. 10. A. M. 1931. diluvij 276.

* Inde notæ sunt urbes, *à Nemrodo, & Nino* erectæ, ad littora *Tigris & Euphratis: Babylon*, *Arath*, *Achad*, & *Calna* in terra *Sennaar* Gen. 10. v. 10. *Ninive*, *Ursen*, *Orpha in Chaldæa &c.* Videatur Pater *Kircherus* de Turri *Babel* L. 2. c. 11. f. m. 96.

(b) De discip. Juris naturæ c. 1. f. m. 168.

(c) In *Puffendorfio* exculeato c. 4. prælim. f. m. 18.

vatio manuum antè & inter comedendum, (a) fuga Publicanorum, (b) superstitiosa observatio Sabbathi, (c) & sic de aliis, (d) quas sæpe reprehensas à *Christo* Domino legimus.

Unde Religio naturalis, quò ad præcipua capita, per legem seu religionem revelatam est confirmata, sed & explicata, articulisque pluribus extensa, ac illustrata.

℟. V. Religio naturalis, quò ad præcipua capita, quòd nempe *sit Deus*; quòd *unus*; quòd *providus*, *puniens malos*, & *præmians bonos*, non modò per legem, seu religionem revelatam est confirmata, (e) sed & explicata, articulisque pluribus extensa, ac illustrata. (f) Mysterium tamen sanctissimæ Trinitatis in Testamento veteri nullibi expressè, sæpius tamen *obscurè*, revelatum legimus. (g) Multa tamen fuêre revelata *de Christo*. Illud Genesis 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & semen tuum, & semen illius: ipsa (in textu Hebraico) ipse conteret caput tuum*: illud, inquam, oraculum est quasi fons, ex quo manârunt omnes Dei promissiones, figuræ, & visiones de *Christi* passione, & morte, adeóque totius Ecclesiæ lapis fuit, *velut angularis*. * In specie revelatum legimus, quòd Messias esset nasciturus ex semine *Abrahæ*: Gen. 22. v. 18. 2. Quòd ex familia *David* Jerem. 23, v. 5. 3. Quòd ex Virgine. *Isaia* 7. v. 14. 4. Quòd in *Bethleem Juda*. *Michea* 5. v. 2. 5. Quòd prædicaturus esset evangelium salutis, & pacis, idque confirmaturus multis prodigiis. *Isaia* 61. v 1. item 35. v. 4. 6. Quòd infanda passurus. *Isaia* pluribus locis. 7. Quòd descensurus ad inferos, & tertia die resurrecturus. *Psal.* 15. v. 10. 8. Quòd ascensurus ad Cœlum. *Psal.* 67. v. 10. 9. Quòd sessurus ad dexteram Dei Patris, Psal. 109. v. 1. 10. Quòd missurus Spiritum sanctum. *Isaia* 44. v. 3, *Joël.* 2. v, 38. 11. Quòd judicaturus vivos, & mortuos. Psal. 95. v. 13. & sic de aliis, quæ indicant, *Christum*, *ùt hominem*, in Testamento veteri *clarè* prænuntiatum; *subobscuriùs tamen*, *ùt DEUM*: uti patet ex illo Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ex quo loco probat Apostolus: *Hebr.* 1. v. 4. *Christum* esse majorem Angelis. Item: *Dixit Dominus Domino meo*, Psal. 109. v. 1. quem locum ipse *Christus Matth.* 21. v. 44. explicat de sua divinitate. Clarius locutum legimus *Isaiam* 35. v. 4. *DEUS ipse veniet & salvabit vos.* Porrò in Lege veteri fidem in *Christum*, ùt Redemptorem, fuisse necessariam ad salutem, certum est, *Augustino* teste, (h) & primum, qui crediderit in *Christum* fuisse *Adamum*, probat sanctus *Hieronymus*. (i)

§. II.

De juris naturalis conditione apud Gentiles in statu Legis scriptæ,

§. II. Juris naturalis conditio apud Gentiles in statu legis scriptæ.

Quæritur II. Quæ inter Gentes illo ævo fuit tam juris naturalis, quàm moralis Philosophiæ conditio?

Durante statu Testamenti veteris conditio disciplina juris naturalis apud Gentiles. Sat erat imperfecta in principijs honesti, & justi, præcipuè in fine, seu vera felicitate.

℟. *Admodùm imperfecta.* Ratio est, quòd principia vera circa officia hominis, falsis sophisticisque sic depravârit Sophorum lusca nimis prudentia, vel potiùs cæcitas oculata, ut *ratio justi, honesti, decorique* sæpe non nisi in spissis tenebris scintillârit. Id unum apud omnes sana ratio inconcussum reliquerat, officium hominis consistere *in operatione ad finem*; finem verò esse *felicitatem*, cujus vera cognitio ad rectè vivendum, maximum habet momentum, eò quòd ex illo discamus, *quid*

(a) Matth. 7. & 15.

(b) Matth. 9. Lucæ 7.

(c) Matth. 12. Lucæ 6.

(d) Matth. 9. 15. 23.

(e) Exodi. 3. v. 14. *Ego sum, qui sum*: Deut. 6. v. 4. *Deus unus est*: Sapient. 6. v. 8. *æqualiter est illi cura de omnibus.*

(f) Quòd sit *infinitè Bonus*. psal. 72. 144. *ubique præsens* psal. 124. *Immutabilis* Num. 23. *Æternus* psal. 89. *Omniscius* 1. Reg. 2. *Omnipotens* gen. 17.

(g) Gen. 1. vers. 1. & 26. Gen. 3. vers. 22. 11. v. 7. 19. v. 24. psal. 66. v. 8.

* Huc pertinet illud, quod Pater *Kircherus* noster refert Tom. 1. *Œdipi Ægypt.* f. 110. missam nempe ad se tabulam, descriptam ijsdem caracteribus, qui leguntur in saxo quodam posito ad radices montis *Horeb*, ubi lex data *Moysi* est. Erat scriptura illa plerisque linguarum orientalium peritis nodus, plusquàm *Gordius*, quam tamen Pater *Kircherus*, per combinationem triplicis linguæ, *Hebrææ* scilicet, *Samaritanæ*, atque *Syriacæ*, sic evolvit cum omnium polyglottorum approbatione & calculo: *Deus Virginem concipere faciet, & ipsa pariet filium.* Oraculum prorsus simile illi *Isaiæ* 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.*

(h) Epist. 89. *ad Hilarium* Q. 3. & L. 1. contra duas epistolas *Pelagianorum* c. 7.

(i) L. 3. Coment. *ad Ephesios.*

quid sit agendum, quid fugiendum, ùt rectè tradidit *Aristoteles*. (a) At tota diversitas Antiquorum erat *de fine*, *Ciceroni* si fides, quem verum, & ultimum hominis, cùm non ritè perspectum haberent in ethnica illa caligine, licèt, tralucente paululùm ratione, campos elysios, seu tartara sibi post fata proponerent, factum est, ut extra *veram felicitatem*, *seu finem* aberrantes, ad alios spurios sua præcepta dirigerent, & in officiis hominis, eorúmque principiis, ad tam diversa avia dilaberentur.

Quam Stoici statuebant in bonis animi; Epicurei in bonis corporis ac fortunæ; Peripatetici in utrisque.

Quæritur III. Quos fines, & qualia principia statuerunt illius ævi Sophistæ?

℞. *Varia*, sic ut, Sancto *Augustino* teste, (b) *Marcus Varro*, ea curiosiùs scrutatus, sectas octoginta octo ultra ducentas enumerârit. * Tres tamen præ cæteris erant famosiores: *Epicurei*, ** qui finem seu feliciratem statuerunt *in bonis corporis*, *ac fortunæ*: unde negârunt providentiam Divinam, & animæ immortalitatem. Alij cum *Seneca* & *Stoicis* finem, seu summum bonum, fixerunt *in bonis animi*: hinc inter alia ajebant, cuivis in sua virtute gloriandum; ad se se liberandum à miserijs licitam esse occisionem sui; passiones animi esse vitiosas, omnia regi fato; Deum esse animam Mundi &c. (c) Alij cum *Aristotele* & *Peripateticis* finem quærebant *in complexo ex corporis, animíque bonis*: hinc admittebant triplicis Generis bona, *externa*, quæ *parva*; *corporalia*, *quæ media*; virtutes, *quæ magna bona* nominabant: sic unum bonum alteri subordinabant, eò quòd bona externa subserviant corpori, corpus animæ, anima operationibus virtutum, & honestatis, ac proin beatitudinem hominis in operationibus virtuosis sitam definiebant, *quòd sit operatio virtuosa animæ, non carens bonis externis, & corporalibus, tanquam adminiculis, conjuncta honestati, & jucunditati, quæ ex honestate actionis oritur.*

Quæritur IV. Quod fuerit systema Veterum circa officium hominis, & ejus principia?

Unde systema Veterum triplex, quo vel corporis, animíque bona propter virtutem; vel virtutem propter hæc bona; vel utraque propter se appetenda esse, docebant.

℞. Illud *ex Varrone* refert sanctus *Augustinus*: (d) ad beatitudinem, seu finem hominis indagandum, teste *Varrone*, posuerunt *tria quædam* ipsius naturæ ductu *cognata capita*, quæ homines absque doctrinæ adminiculo (seu virtutis adscitæ, uti ajebant) *quasi naturaliter appeterent*. Hæc inter quatuor capita primum erat *Voluptas*, qua delectabiliter moventur corporis sensus: alterum erat *quies*, seu *carentia molestiæ corporalis*: tertium *utraque simul*: quod complexum exprimebant *per prima naturæ*, denotantes *incolumitatem hominis* in corpore & animo, quæ habetur per *integritatem membrorum*, *valetudinem*, *sensus integros*, *carentiam doloris in corpore*, uti & per ea dona, *quæ in hominum ingenijs* reperiuntur. Hæc dixerunt esse *virtutum semina*, quibus, si adolescere homini liceret, quin ab opinionibus pravis, veluti spinis succrescentibus præfocarentur, ipsa hominem ad beatam virtutem perducerent. Verbo: hæc rria, scilicet *voluptatem*, *quietem*, & *utrumque simul*, seu *prima naturæ* ita esse in homine dicebant, ut *virtus*, quam postmodùm adijcit doctrina ac institutio, *propter hæc* sit appetenda; aut ista sint appetenda *propter virtutem*; aut utraque *propter se*. Inde *Varro*, ùt diximus, tot varias sectas deduxit, quas sanctus *Augustinus* reduxit ad tres, quæ sunt, cùm vel prima naturæ *propter virtutem*; vel virtus *propter prima naturæ*; vel utraque, id est, virtus, & prima Naturæ *propter se* sunt appetenda.

Adstruentes insuper vitam socialem.

Denique vitam beatam etiam *socialem* esse perhibebant hi Sophi, quæ amicorum bona *propter se* diligat, sicu ti sua, eisque propter se ipsos hoc velit, quòd sibi, sive in domo sint sicut *conjux*, *liberi*, alilque *domestici*; sive io loco, ubi domus est, sicuti est *pagus*, *oppidum*, *urbs*, ùt sunt hi, quos *cives* dicimus; sive in Orbe toto, ùt sunt

---

(a) 1. Ethicorum.
(b) L. 9. de Civit. Dei c. 7.
* Huc spectant *Græci* Sapientes, immò & Poëtæ, quorum apophtegmata, ad morum doctrinam spectantia, adhuc extant. Huc pertinent moralia instituta *Pythagoræ*. Item inter barbaras Gentes *Sabij*, *Chaldæi*, *Persæ*, *Indi*; cumprimis verò *Sinenses*, in quorum scitis verioris quidem sapientiæ vestigia, sed mixta superstitiosis, & perversis dogmatibus, tectáque mysticis ac hieroglyphicis involucris, reperire est.
** Quid quid sit *de Epicuro*, de quo multi malè, non nulli bene; illud certum, ejus sectam apud Veteres malè audiisse.
(c) Videatur *Cornelius* à Lapide ad acta Apostol. c. 17. v. 18.
(d) De Civit. Dei L. 19. c. 1. 2.

ſunt Gentes, quas *humana ſocietas* conjungit. Et hoc erat ſyſtema, vel potiùs chaos Sophorum veterum, dum, circa hominis beatitudinem vagabundi, *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* (a)

§. III.

§. III.

Cauſa moralis Philoſophia adeò præpoſtera, apud Gentiles.

De diſciplinæ naturalis tantoperè corruptæ cauſa.

Quæritur V. Quæ erroris tanti, & tam variæ aberrationis cauſa fuit apud Sophos Gentiles?

Erat error in fine, ſeu genuina hominis felicitate, dum caducam ſtabili præferrent.

℟. Quòd errârint *in fine*, ſeu vera hominis felicitate, quæ non *in bonis creatis, imperfectis, incertis, caducis* cum *vita labentibus*; ſed *in bono increato, perfecto, certo, ſtabili*, ac poſt fata *perenni*, hoc eſt, *in cognitione & amore, ſeu fruitione Creatoris* conſiſtit, ſaltem *naturali qualicunque*, id quod, *ipſa natura dictante*, omnibus notum eſt, abſtrahendo nempe, an ipſa immortalitas animæ, hujúsque ultimi boni fruitio *perpetua*, *ex ſolo naturæ lumine*, omnibus cognita eſſe poſſit, qua de re per decurſum uberiùs differemus. Hic nobis ſufficit illud Divi *Auguſtini*: (b) *Dicebat Epicuræus: mihi frui carne bonum eſt. Dicebat Stoicus: mihi frui mea mente, bonum eſt. Dicebat Apoſtolus, mihi autem adhærere Deo, bonum eſt. Errat Epicuræus; fallitur Stoicus. Tunc enim rectè anima vivit, ſi non ſecundùm carnem, neque ſecundùm ſe ipſam vivit, ſed ſecundùm Deum: ſicut enim anima carnis, ita Deus animæ vita eſt.*

Hoc eſt,

Quæritur VI. Quis ex iſthoc errore finis profluxit error in naturalis juris principia circa officium hominis?

Dum negligerent finem ultimum fruitionis divinæ; uti & medium, ſeu vitam naturæ rationali conformem.

℟. *Æquè multiplex.* Cùm enim, ùt diximus, creaturæ rationalis *finis ultimus*, ſeu felicitas ſumma, conſiſtat in fruitione Creatoris, ſaltem naturali; cùm ad hunc finem ſit medium unicum *vita conveniens naturæ rationali*, ſequitur, officium hominis in hoc Mundo unicum eſſe, in actionibus omnibus eò intendere, *ut vivat vitam conformem ſuæ naturæ*, ſeu ut agat ea, quæ naturæ rationali ſunt *convenientia*; vitet verò ea, quæ illi *diſconvenientia*.

Dum negligerent vera Naturæ principia honeſti, decori, ac juſti.

Porrò *principia*, in ordine ad talem vitam, ſunt *dictamina*, ſeu *præcepta naturalia*, quæ homini exhibet *lumen intellectûs*, naturæ ejus inditum, circa actiones ſuas in genere moris dirigendas, per quod diſcernit inter ea, *quæ decent*, & *dedecent* naturam rationalem, judicátque *bonum* inter & *malum*; *honeſtum* ac *inhoneſtum*; *virtutem* ac *vitium*, ſic ut illa ſit amplectenda, hoc fugiendum. Quòd ſi penitiùs indages in iſta principia, naturæ rationali *per ſe nota*, & implantata circa actiones, in genere moris dirigendas, reponit *Angelicus*, eſſe præcipuè tria: nempè, *ut homo vivat ex honeſtate.* 2. *Ut vivat ex ratione.* 3. *Ut vivat ex juſtitia, & jure.* In quibus principijs obſervandis ſitum eſt *officium* hominis *univerſale*, ſeu *officium officiorum*, quamdiu in Mundo eſt, ut nempe cuncta agat ad normam *honeſti*, *rectæ rationis*, & *juſti*. His ſuppoſitis, *per argumentum à contrario*, jam ultrò ſeſe denudat multiplex Sophorum gentilium error. Unde

Dum in medijs ſiſterent, veluti fine.

℟. II. Errârunt Veteres 1. *In fundamento* ſeu *fine*, quòd in *ſubordinato ultimum*, hoc eſt, *in medio finem* ſtatuerent, nempe in creaturis, bonis corporis, & animæ, ſeu ſana mente, vitáque naturæ conformi, quæ creaturam *diſponere* ad felicitatem ultimam, reddere verò *plenè* beatam non poteſt. Siquidem ſatiativa beatitudo animæ rationalis non in hac vita per creaturas, utpote caducas; ſed ſolummodò poſt vitam in Deo obtineri poteſt, quam cùm non niſi à longè perſpicerent Veteres, & *in creaturis*, non *in Creatore*; *in ipſo homine*, non in hominis Conditore quærerent, *dereliquerunt fontem aquæ vivæ, fodientes ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* (c)

Et principia ſpuria, ex carne ac ſenſibus deducta, ſectarentur.

Errârunt 2. *In principijs*, quæ non *ex recta ratione*, ſed *ex carne* & *ſenſibus* deduxêre: nam ſicut vera principia *ex ratione*, ita falſa fluunt *ex carne*, ſeu in *Lipſiana* phraſi, (d) *ex opinione*, ac ſenſibus: ſiquidem recta ratio nil aliud eſt, quàm *verum de rebus humanis judicium*; opinio contrà *judicium fallax*, ſic ut ex hoc gemino fonte *& virtutes & vitia* oriantur in rebus humanis. Hinc ſicut recta ratio ſuggerit principia vera v. g. *vivendum eſſe ex honeſtate, ratione, juſtitia*, adeóque

(a) Pſal. 63.

(b) Apud *Cornelium à Lapide* ad Epiſtolam *ad Romanos* c. 8. n. 123.

(c) *Jeremiæ* 1.

(d) De conſtantia L. 1. c. 4. & 5.

que vitandum esse *turpe*; *honestum* esse præferendum *utili*, & *jucundo*, &c. ita *opinio*, ac *sensus* inclinat ad principia, rationalis juris aversiva, v. g. *Vivendum esse ex passione, utile & jucundum honesto præferendum*, & sic de alijs adinatis, in quæ abstractos novimus veteres illos Sophistas potiùs, quàm Sophos.

§. IV.

§. IV.

De Philosophiæ Gentilis applicatione ad eruendas naturæ leges.

Ex testimonijs Sophorum gentilium non probatur jus Naturæ

Quæritur VII. An ex Gentilium Sophorum dictis fluat legitimum argumentum pro eruendo, adstruendóque jure Naturæ, sic ut illatio valeat: hic actus pro honesto, vel inhonesto est agnitus à Gentilium Sophis: ergo est naturæ lege prohibitus, vel præceptus?

Immediatè, utpote ex principijs intrinsecis eruendum.

℞. I. *Immediatè* non fluit, ùt patet: siquidem jus naturæ, ratióque honesti ac inhonesti non tam *ex testimonijs Gentilium* merè extrinsecis, quàm ex *natura actûs*, principiisque intrinsecis est determinandum. Fluit tamen *mediatè*, tanquam à signo extrinseco, satis probabili, sic ut sensus sit: *hic actus pro honesto, vel inhonesto est agnitus à Gentilium Sophis, non nisi solo rationis lumine plerumque præditis: ergo indicium est, in ipsa materia subesse rationem honestatis, vel inhonestatis, sic ut à natura prohibitus sis, vel præceptus. Ratio est*: quia judicium Sophorum est judicium prudentum: ergo habet fundamentum in rei natura, quod ipsa est ratio conformitatis, vel difformitatis cum Natura.

Neque sufficiens est pronuntiatum unius, vel alterius, forsan aliundè haustum.

℞. II. Unius, alteriúsve pronuntiatum non est indicium, semper sufficiens, inferendæ conformitatis, seu difformitatis naturalis, nisi hæc ex ipsa qualitate actûs satis traluceat. *Ratio est*: quòd Gentilium Sophi (queîs Oratores, Historicos, atque Poëtas jure accenseas) vel sint *Ægyptij, Græci*, vel *Romani*: *at Ægyptij* ab *Hebræis*; *Græci* ab *Ægyptijs*; *Romani* à *Græcis* rudimenta legum traxêre, nec *Moysis* volumina antiquis Sophis fuêre incognita, præterquàm, quòd illi Populi, haud longa terrarum intercapedine à se invicem distracti, ex perpetuo commerciorum usu, belli pacisque negotijs publicis, & vitæ quadam, atque motum convenientia, facilè in quasdam conditiones tacito consensu transire potuerint. Unde forsan non immeritò quandoque vapulat *Grotius* à suis Scholiastis; & *Valentinus Alberti* à *Thomasio*, (a) dum jus naturæ satis demonstrâsse non ratò se autumant, *si, rationis locò*, unius alteriúsve Sophi gentilis testimonium exhibuerint.

Consensio tamen non malè à Grotio admittitur pro argumento saltem extrinseco.

℞. III. Haud tamen meritò iidem Authores *Grotij* regulam seu reprobant, seu observationibus suis obscurant, qua statuit, (b) argumentum ex testimonijs Gentilium, *siquidem sit discretè adhibitum*, ad juris naturalis probationem (saltem extrinsecam & mediatam) non esse inutile. *Rationem* addit, quia, *cùm multi, diversis temporibus ac locis, idem pro certo affirmant, id ad causam universalem referri debet, quæ in quæstionibus juris* (seu materia morum) *alia esse non potest, quàm aut recta illatio, ex naturæ principijs procedens, aut communis aliquis consensus: illa jus naturæ indicat; hic Gentium, quorum quidem discrimen non ex ipsis testimonijs, sed ex materiæ qualitate, desumendum est.*

Hinc ejusmodi sensus, atque consensus, etsi *partialiter* forsan innixus cuidam notitiæ ex *Hebræorum* commercio haustæ, *principaliter* tamen *præcipuè* fundatus præsumitur *in recta illatione, ex natura principijs procedente*, qua sine notitiam illam, ùt pleraque alia Gentis *Hebrææ* scita, gentiles hi Sophi potiùs inter superstitiosa phantasmata rejecissent. Neque rectè *Thomasius* ad universales causas, absque omni limitatione, *refert legem Divinam*, (c) cui, tanquam causæ, ejusmodi Gentilium effata suam originem debeant: nam lex Divina, ùt à naturali distincta, partialis est causa non Gentilibus, sed solis Fidelibus manifestata, ac cognita.

Unde à fortiori consensus omnium Nationum universalis, in materia morum, legitimum est argumentum.

℞. IV. Consensus unanimis tam Gentilium, quàm Fidelium, doctorum & indoctorum, omni loco & tempore, in materia morum, est argumentum legitimum, ex quo, *mediatè* saltem, eruitur jus naturæ, actuúmque honestas, vel inhonestas. *Ratio est*, quòd aliàs natura foret malè constituta in ordine ad suum finem; deficeret in fundamento honestatis, redundarétque imperfectio in Deum, ùt

(a) In programmate f. 60. Item L. 1. c. 2. n. 70. item L. 3. c. 2. n. 12.
(b) In prolegomenis de J.B.&P. n. 40.
(c) L. 3. c. 2. n. 16. & 17.

ùt Authorem Naturæ, ficuti alibi fufiùs demonftrabimus.

Eò forfan reducas illud *Seneca:* (a) *apud nos veritatis argumentum eft, aliquod omnibus videri: fic Deos effe (quò ad fubftantiam,* feu prædicatum fupremi cujusdam Entis, non *quò ad numerum) inter alia colligimus, quòd omnibus opinio de Dijs infita eft: nec ulla Gens usquam eft adeò extra leges, morèsque projecta, ut non aliquos Deos credat.* Cùm *de animarum æternitate* (potiùs immortalitate, prout dicit durationem, quantamcunque demum ultra fata hujus vitæ extenfam) *differimus, non leve momentum apud nos habet confenfus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac publica perfuafione: neminem invenies, qui non putet & fapientiam bonum, & fapere.* Ita ille.

§. 5.

§. V.

De morum corruptela durante ftatu legis fcriptæ.

Corruptela morum in Teftamento veteri

Quæritur VIII. Quæ & quanta fuerit morum in Orbe corruptio illo ævo legis fcriptæ, feu ante Chriftum natum?

Magna etiam in Populo electo ex Gentium affuetudine.

℞. I. *Etiam in Populo electo, feu Ifraëlitico, magna.* Etfi Naturæ leges per fcriptam fuerint roboratæ, magis perfectæ, ac fublimatæ; nihilofeciùs Gentium affuetudine pars *Judaica* Nationis potiffima, non modò præcepta Divina ac pofitiva, fed & naturalia pene dedidicit. *Patet 1.* Ex tot Prophetarum teftimonijs, querelis, lamentationibus, minis. *2.* Ex decem Tribubus, in fædum fchifma, ac *Idolomaniam,* per *Roboamum* delapfis. *3.* Ex tot pœnis captivitatum, ac fervitutum; ex fceptro *à Juda* ablato; ex jugo, *à Romanis* impofito. *4.* Ex Sacerdotio fædùm corrupto; ex ipfa lege, per *Pharifaicas* fuperftitiones adulterata; ex tota Synagoga, ad repudium fenfim fe difponente. &c. &c.

Major apud gentiles Sophos, Vità doctrina, utcunque fana,

℞. II. *Major adhuc corruptio fuit penes Gentilium Sophos, etfi nonnulli natura leges, vitámque ijs conformem, doctriná publicá profeffi fint.*

Declaratur pofterius affertum. Negari nequit 1. Fuiffe inter illos Sapientes, maximè *Stoicos*, * qui officium hominis erga Deum, proximum, ac fefe ipfum, præceptis, rationi quàm maximè congruis, ftabiliverint, uti Author eft *Tullius.* (b) Profectò non pauci inter prima principia numerabant, *honeftatem vel folam, vel maximè propter fe expetendam effe:* unde *Stoici omnem*; Academici *præcipuam partem beatitudinis naturalis in virtute* collocaverant. Hi certè etiam in illa Idolomaniæ caligine, quæ univerfum pene Orbem oppleverat, argumentis, æquè multis ac validis, contra fequiores Sophaftros vindicabant *hoc fuum proprium officium hominis,* quem *ad virtutem & honeftatem,* non *ad fcelera* & *turpitudines* natum, & ejus *beatitatem naturalem in honefta,* ad rectæ rationis, & virtutis leges *exacta vita* fitam effe; non verò *in fenfuum illecebris*, & *affectionibus, alijsque bonis externis*, propugnabant; immò & confutabant eorum errorem, *qui utile* præferrent *honefto*, & actiones hominis *ex fuis commodis*, & *non ex honeftate* metirentur. **

Negari nequit 2. Non paucos ex illius ævi Philofophis, folo dictante rationis lumine, per præcepta & apophtegmata, propemodùm *Chriftiana*, mores & officia hominis formâffe, ac reformâffe. Exemplo fit *Seneca*, ob doctrinam non femel *Chriftiano* cognomine honoratus, qui de beata vita fcripfit: (c) *Beatitudo eft vita conveniens naturæ fuæ, quæ non aliter contingere poteft, quàm fi primùm fana mens eft, & in perpetua poffeffione fanitatis fuæ. Summum bonum eft animus, defpiciens fortuita, virtute latus, cui unum bonum honeftas, unum malum turpitudo.* Rectè, fi modò hoc bonum ad acquirendum fummum & ultimum ordinetur. Exemplo fit *Plato*, ob doctrinæ præftantiam etiam *Divinus* non nullis dictus, qui *Auguftino* tefte (d) finem homi-

Et Natura legibus apud quosdam fatis conformi.

(a) Epift. 117.

* His certè *Gregorius Nazianzenus* in epiftola *ad Eudoxium* Rhetorem, in doctrina morum, principem locum adjudicat.

(b) L. 1. & 3. offic. qui & ipfe egregium opus hoc *de officijs* ad ductum præcipuè *Stoicorum* confcripfit.

** Inde *Puffendorfius* c. 1. §. 1. de origine Difcip. Juris Nat. uber quoque fuit proventus Philofophorum moralium, quibus circa mores hominum, ad dictamen fanæ rationis componendos, opera eft pofita.

(c) C. 1.

(d) De Civitate Dei. L. 8. c. 8.

miois esse docuit *secundùm virtutem vivere, & ei soli convenire posse, qui notitiam Dei habeat, & imitatio- nem, nec esse aliam ob causam beatum: idémque non dubitat, hoc esse philosophari, amare Deum, cujus natura sit incorporalis: ipsum autem verum, ac summum bonum dixit Deum:* unde *Philosophum vult amatorem Dei, ne, quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus, qui Deum amaverit.* Hæc sanctus *Augustinus de Platone*, cujus Philosophiæ primas tribuit, præsertim in moralibus, eò quòd *Platonici* proximè ad fidei *Christiana* veritatem accedant.*

Depravati tamen animi nebulas quasdam ad miscendo.

Declaratur prius assertum. In aprico est 1. Etsi rationis lumen penes veteres illos Philosophos splendore satis visibili scintillâtit, hunc tamen ab animi pathematis, veluti totidem nebulis, fuisse haud modicè obfuscatum. Accessit non rarò *habitus depravatus*, quo rectum judicium ampliùs cotruptum fuit, sic ut recta ratio circumobsessa, velut scintilla inter vapidos aëris fumos, intermicuerit quidem, sed sua luce haud prævaluerit. ** Inde factum, ut in illos, quos diximus, errores, circa veram beatitudinem, in Deo quærendam, prolapsi sint; immò *cùm cognoverint Deum, nec tamen ùt Deum glorificaverint*, teste Apostolo Gentium, (a) *obscuratum est insipiens cor eorum, traditique sunt in passiones ignominia.* Hinc

Neque vitam ac mores ex toto ad illius normam conformando.

In Aprico est 2. Quòd non obstante doctrinâ propria, plerique superbissimi, spurcissimi, ac flagitiosissimi, ùt testis est *Diogenes Laërtius* (b) *1. Periander*, inquit hic Author, *Crateâ*, propria Matre sua, abusus est. *2. Socrates Alcibiadi* in delicijs fuit. *3. Theodorus* ait, sapientem publicè absque pudore scortis congressurum. *4. Phadon*, captus ab hostibus, infami se quæstui addixit. *5. Stelpo*, præter uxorem, *Micarete* pellice utebatur. *6. Menedemus* notatur nimiùm fuisse familiaris amasio *Asclepiadis. 7. Aristippus* testatur, *Platonem* fuisse captum amore *Stellæ* Astrologi, & *Dionis*: alij *Phadrum* addunt; alij etiam *Alexin. 8. Dion Dorystenites Theodota* & *Phileta* scortis palàm congrediebatur: duos itidem adolescentes, *Demetrium & Myrleanum Leocharem*, turpiter amavit; unde *ab Aristone Chio* pæderastes est appellatus. *9. Aristoteles Hermia* concubinam, ad usque insaniam latreutici cultûs, amâsse traditur. *10. Demetrius Phalereus*, qui trecentis & sexaginta statuis honoratus est, *à Cleone* turpia est perpessus. *11. Aristenes* dicebat, Sapientem formosissimis quibusque mulieribus congressurum. *12. Diogenes* volebat communes esse mulieres, & filios. *13.* Idem dogma in Republicâ statuebat *Zeno. 14. Chrisippus*, nec abstinendum matribus, filiabus, ac filijs, censebat. *15. Eudoxus Theomedonti Medico* in delicijs fuit. *16. Epicurus, Leontiâ & Themistia* meretricibus; immò & *Pythocle* adolescente abusus scribitur, & sic de alijs. Ita *Cornelius* ex *Laërtio*, etsi unum & alterum non nulli excusent. ***

℣. III.

---

* Sunt, qui hæc sensa de Deo, ex *Hieremia* Propheta, *Platonem* hausisse, existimant.

** Animadvertit hoc ipsum etiam *Kemerschius* protestanticus in *Puffendorfio* enucleato c. 4. de Hist. J. N. n. 27. f. m. 20. Generatim de omnibus his Sophorum sectis affirmare liceat, eas *honesti, decori*, & *justi* regulas neque exhausisse, neque distinxisse. Ipse *Puffendorfius* de orig. Discip. Juris Nat. c. 1. §. 4. f. m. 171. ait, Veterum Philosophorum monumenta non paucas quidem sententias continere ad jus Naturæ illustrandum facientes; ut tamen longè minoris sint, quàm exspectari ab illis par erat, quibus hæc præcipua esse opera debebat, mores hominum ad legem naturalem formâsse &c.

(a) Ad Rom. 1. v. 21.

(b) Apud *Cornelium à Lapide* in c. ad *Rom.* v. 26.

*** *De Socrate Brietius* ad annom 3654. *Si vera sunt, qua de Deo moriens dixit, de ejus salute cum aliquot Eruditis dubitare licet:* eundem, pæderastias injustè accusatum, damnatúmque à populo, fortiter cicutam bibisse scribit. *Erasmus* scribere ausus est, *vix me contineo, quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis. Emanuel Thesaurus* L. 2. Phil. Mor. c. 3. & 5. *Epicuro* tribuit vitam, *eremeticâ magis austeram*, aitque finem non posuisse *in voluptate*, sed *in mortificatione*, seu *exstinctione passionum, ac quiete mentis.* Quid quid sit de his, id dicimus, sanctum *Bernardum* non malè scripsisse *de Petro Abailardo Platonizante: dum multum sudat, quomodò Platonem faciat Christianum, se probat ethnicum:* Videatur *Cornelius* noster.

L 2

Maxima denique corruptela apud cæteros, Mundo suis vitiis propemodùm demerso.

℞. III. Corruptio maxima, prorfúsque infanda fuit in cætera Gentilium fæce, sic ut, inversis eversisque naturæ legibus per corruptissimos mores, & idolomaoniæ contagionem universalem, totus Orbis vitiorum veluti cataclismo fuerit inundatus, dum tandem apparuit Iris illa, ex rore cœlesti deplua, *Christus* scilicet, *Reparator* Orbis.

Instructio VI. De ulteriore cultura Juris naturæ, & Gentium in statu Testamenti novi.

INSTRUCTIO VI.

De ulteriore progressu, majorique perfectione Juris naturalis, ac Gentium, in statu Legis novæ, seu Testamento Gratiæ.

§. I.

§. I. De Lege novæ respectu naturalis. Lex evangelica Naturæ legem & reparavit, & illustravit.

De Legis novæ aptitudine ad disciplinam juris Naturæ.

Quæritur I. Quid lucis, ac perfectionis attulerit Philosophiæ naturali, atque morali Lex Evangelica Christi Salvatoris?

℞. I. *Splendoris attulit plurimum, sic ut jus naturæ, idololatricis tenebris propè extinctum, non modò reparârit, sed & ad nativum splendorem evexerit.*

Teste Puffendorfio.

Declaratur à Puffendorfio. (a) In libris novi Fæderis, inquit, præcepta legis naturalis passim *luculentissime* inveniuntur expressa, & quidem, ut illa non solùm jubeantur exerceri citra ullum Nationis discrimen, *sed & omnibus cum requisitis, quæ perfectam actionem absolvunt.* Et ut ea omnia *ad unum caput, velut ad legem quampiam fundamentalem*, possent revocari, ex qua cæteræ perspicua consecutione deducerentur, ipse Salvator noster, eum in finem, *dilectionem* proposuit, quæ cum nostra Societate (loquamur universaliùs *cum humanæ vitæ felicitate*) quàm amicissimè conspirat: nempe *diliges Deum & proximum sicut te ipsum, sic ut, quod tibi non vis, alteri ne feceris* &c. Addit: Isthæc præcepta omnibus modis illustrare conati sunt, qui in libros Divinos edidêre commentarios, tantùm non infinitos, sic ut in Theologia *Christiana* nullum præceptum desiderari videatur, quod ad regendas in universum hominis actiones, morésque faciat. Ita ille. Ad *Puffendorfii* mentem scripsit quoque ejus Enucleator *Kemmerschius*: (b) sed nova lux veræ Sapientiæ exorta, suúsque juri naturali splendor est restitutus, dum *Christus* servator, doctrinâ & veritate cœlesti, Orbem illustrare cæpit, eandémque Apostolis ulteriùs explanandam demandavit. Ita illi.

℞. II. *Lex Evangelica suo splendore naturalis juris principia sic illustravit, ut ea etiam perficiendo in multis correxerit, ac elevârit.*

Immò in multis perficiendo ac emendando elevavit, naturali jure ad perfectionis Evangelicæ culmen provecto.

Declaratur. Occurrit multiplex in Evangelio locus, ubi *Christus* Naturalis juris dictamina à *Christianis* distinguit, perficit, ac elevat ad gradum Naturâ altiorem. Sic legimus: (c) *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente? Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Rursus: *Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum? Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos &c. si salutaveritis fratres vestros tantùm, nónne & Ethnici hoc faciunt?* Sic Apostolus Gentium: (d) cùm *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente ipsis conscientiâ.* Verbo: notum est illud: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo:* ubi officia hominis, quà hominis, & quà *Christiani*, sat indicantur, & distinguuntur. Rectè *Buddæus*: (e) Ea utique *Christianæ* doctrinæ est indoles, ut præter fidem, vitam quoque, ad omnem honestatem compositam, ab hominibus exigat, modo quidem longè excellentiore, quàm ut ad mores *Christianos* formandos sola sufficiat ratio: at tamen modo tali, quo ex rationis præscriptis honesta neutiquam habeantur pro turpibus, sed & cæteræ virtutes, propriæ *Christianis*, uti & illæ, quæ omnibus communes sunt, commendentur, Servatore ipso

---

(a) De discipl. Juris Natur. c. 1. n. 2. f. m. 169.

(b) In *Puffendorfio* enucleato c. 4. n. 30. f. m. 21.

(c) Matth. 5. v. 38.

(d) Ad *Romanos*. 2. v. 14.

(a) In Hist. Juris Nat. f. m. 13.

ipso subinde ad rationis dictamen provocante.

§. II. Patrum studia,

§. II.

De Patrum studijs respectu juris Naturæ.

Jurisprudentia naturali utcunque commoda, sed tamen ejusdem confusiva cum Theologia morali, si fides Puffendorfio,

Quæritur II. An sanctorum Patrum monumenta lucis quidpiam disciplinæ juris naturalis attulerint?

℞. I. *Si Protestantium crises venari volupe, Patres locavêre non inutilem operam, etsi imperfectam, utpote juris naturalis cum Christiana ethica, ac morali Theologia confusivam.* Ita *Puffendorfius: Ex commentarijs eorum, quibus primæva & genuina religionis Christianæ dogmata unicè cordi fuère, plurimum* lucis, & subsidij, disciplinæ juris naturalis accessisse fatetur, etsi naturalis juris principia cum *Christianis* malè confusa non semel pronuntier.

Et Kemmerichio.

Breviter ejusdem enucleator: (a) *Patres* Ecclesiæ quoque de officijs hominum & *Christianorum* commentati sunt, sed philosophiam ethnicam doctrinæ *Christianæ* parùm feliciter sæpe junxerunt.

Si Grotio & Zieglero, fuère etiam corruptiva, saltem respectu eorum, qui posterioribus sæculis vixère.

Etiam *Grotius* haud nihil defert sanctorum Patrum effatis, quò ad ea, quæ *magna cum asseveratione, & quasi comperta*, affirmant, eòque magis, *quò & plurium apparet consensus, & propiùs acceditur ad prima puritatis tempora, cùm nec dominatus adhuc, nec coitio ulla primitivam veritatem adulterare potuit.* (b) Paraphrasin subjungit *Zieglerus:* post priora enim quinque sæcula *Anti Christi* machinationes magis magisque invaluerunt, propter quas cùm inficeretur in dies Ecclesia, mirum non est, Doctoribus talia excidisse, quæ à puritate prioris Ecclesiæ multùm recesserunt. Rectè igitur *Grotius* consensum Patrum, *ad prima puritatis tempora*, restrinxit, quippe quibus Ecclesiæ Doctores, tum doctrinæ puritate, tum morum integritate excelluerunt, ut in utroque genere meritò nunc ab eis consilia petantur. Hinc oppidò falluntur, aut fallunt potiùs hodierni Moralistæ, qui difficultates, quæ circa fidem emergunt, è Veteribus hauriendas; doctrinam morum à Recentioribus summendam esse, imprudenter asserunt, quos idcircò atro carbone notat *Ludovicus Montaltius.* (c) Ita ille.

Suorum crises firmat Buddæus.

Suorum crises firmat *Buddæus*, dum ait: sæpiùs antiquissimis etiam Ecclesiæ Doctoribus, de juris naturalis capitibus, haud perfunctoriè sermo instituitur. *Basilium Magnum*, *Gregorium Nazianzenum*, ipsùmque *Chrysostomum* evolvat, legat, scrutetur, cui dubium fortè id, quod à me asseritur, videtur. Hos, ingenio acri & judicio singulari, juris hujus quæstiones, quoties attigêre (attigêre autem sæpiùs) expedivisse constat, ut ipse *Hugo Grotius*, restaurator philosophiæ hujus felicissimus, tum demum & pondus & robur, & lucem insignem se assertis suis conciliare posse, si Præsulum horum authoritate sententiam suam muniret, fuerit opinatus. *Ambrosius*, qui planè ad *Tully* exemplum * *tres de officijs* libros composuit, quantâ solertiâ in hac doctrinæ parte versatus sit, nemo, puto, ignorat, aut, si quis ignorat, adeat *Baclerum*, qui in præfatione ad hosce *Ambrosii* libros, quanti sanctissimi viri labor sit faciendus, omnes edocuit. Hi ipsi autem Ecclesiæ Doctores officia hominis & *Christiani* (id quod non est dissimulandum) multò minùs principia, utique diversa, non ita, ùt par est, secernendo, quæ tamen secernenda esse ipsi sine dubio perspectum habuère, alij ut in eundem errorem inciderent, & quod hodiè non adeò infrequens est, Theologiam moralem cum jure Naturæ confunderent, suppediravêre occasionem. Ita ille

Sed Patres non quidem unicè, concomitanter tamen, magísque accomodatè ad sua tempora, coluêre jus naturæ.

℞. II. *Sanctorum Patrum studia non quidem unicè ac directè, quod illi ævo haud necessarium; concomitanter tamen, & indirectè, quod tunc percommodum, disciplinam juris naturæ & Gentium plurimùm illustrârunt. 2. Et quidem absque confusione, seu temporis primævi respectu, velut Moralistæ protestantici nugantur.*

Utpote intenti

Declaratur 1. Pars. Sancti Patres plerisque scriptis (si demas Theologica, maximè polemica contra hæreticos, & paganos) illustrârunt *doctrinam morum*, tradendo dogmata, *non modò*

(a) *Kemmerichius* l. c. n. 31. f. m. 21.

(b) In prolegom. §. 51.

(c) Epist. provinc. 5.

* L. 1. c. 7. sic ait *S. Ambrosius: de quibus officijs, etiamsi quidem philosophiæ studentes scripserunt, ut Panætius, & filius ejus apud Græcos, Tullius apud Latinos, non alienum duxi à nostro munere, ut & ipse scriberem.*

ad doctrinam normam Evangelicam potiùs, quàm naturalem.

modò rationi congrua, quod minus; *sed & Evangelicæ normæ conformia*, quod majus; instituendo suos, ut in officijs ad Deum, se ipsos, & proximum, non solùm tanquam homines viverent, quod antiquum; sed & tanquam *Christiani*, quod novum. Rursus: iidem sancti Patres non judicârunt, scopo suo necessarium, ut traderent *disciplinam merissimè naturalem*, qua ipsi etiam Ethnici discerent vivere *rationi conformiter*, & in Republica temporali *feliciter*; sed hanc, aliunde suppositam, vel à Sophorum nævis correctam, ordinare conati sunt, ac elevare ad disciplinam, Evangelij legibus conformem, qua ipsi etiam Ethnici discerent vivere, *& hic & ibi feliciter*, quod illo ævo percommodum: ergo sanctorum Patrum studia, non quidem *unicè*, & *directè*, quod haud necessarium; *concomitanter* tamen, & *indirectè*, quod tunc percommodum, disciplinam juris Naturæ illustrârunt. A: Patet ex notitia eorum, quæ reliquêre posteris sancti Patres, & Orthodoxis est contestatum. Acatholicos convincet vel solus sanctus *Ambrosius* in libro, ab ipsismet tantoperè laudato; maximè verò sanctus *Augustinus* de Civitate Dei, ubi singula antecedentis verba totidem penè capitibus firmat, ac roborat. Inde *Macedonius*, *Africa* Vicarius, perlectis his libris rectè exclamavit: *Anceps sum, quid in illis magis mirer, an sacerdotij perfectionem, philosophiæ dogmata, historiæ plenam notitiam, an facundiæ jucunditatem, quæ ita imperitos etiam illicere potest, ut, donec explicent, non desistant, & cùm explicaverint, adhuc requirant. Convicti namque sunt impudenter pertinaces &c.* Ut nihil dicamus de partu *Angelici*, cui titulus *de regimine Principum*, quem interpolatum quis forsan veriùs dixerit, quàm suppôstum. *

Tractando illud cum subordinatione ad divinum, non cum illius confusione.

Declaratur 2. pars. Jus naturale non *privativè*, & *solum*, sed unà cum *Divino* tractare; Naturæ placita legibus evangelicis jungere, hisque illa perficere, ac elevare; officia hominis officijs *Christiani* conformare, atque subordinare, per Sophorum scita, naturæ conformia, doctrinam *Christianam* firmare, id quod fecerunt sancti Patres, veluti scopo orthodoxo magis proficuum, & necessarium &c. sic, inquam, jus naturale tractare, non est, illud cum Divino *confundere*, hoc est, unum ab altero non secernere, officia *Christiani* pro officijs *hominis* venditare, philosophiam ethnicam doctrinæ *Christianæ parùm feliciter* jungere, id quod non fecerunt sancti Patres, prout tamen illis, merissima dicacitate, affingunt protestantici Naturalistæ: ergo nugantur. A. Si vel semel phantasio suo ritè imprimerent, *argumentum hujus confusionis* haud toties Orthodoxis oggererent, nec responsionem toties cum confusione propria audirent. Cæterùm Patres, ævo quarto posteriores, defecisse in doctrina morum, Orthodoxis vel ex eo persuadent protestantici hi Novatores, quòd ipsi primævas hæreses, uno *Protestantismi* vocabulo compactas, ** *ad morum reformationem* Orbi denuò reproduxerint, & primorum Patrum disciplinam splendore *Islebico* renovârint.

§. III.

§. III. Scholasticorum studia,

De studijs Scholasticorum respectu ejusdem Disciplinæ naturalis.

Quæritur III. Num Scholasticorum studia, maximè verò Jesuitica in moralibus placita, disciplina juris naturalis quidquam profuerint, idque illustrârint, vel potiùs obscurârint?

Disciplina juris naturæ penitùs deturpativa juxta protestanticos Moralistas.

n. I. Si Idæistis protestanticis fides est, Scholastici orthodoxi naturalis juris disciplinam penitùs obscurârunt.

Prætenditur prima causa à Puffendorfio, (a) & *Buddæo*, (b) quòd neglectis *Stoicorum*, & *Platonicorum* placitis, quæ facilè emendari, ac in solidum juris naturalis corpus componi poterant, *** sola *Aristotelis* dogmata in scholas induxerint, æstimatione,

Sophi

---

* Videantur dicta de hoc libello P. II. hist. Coll.

** Uti alibi demonstramus P. IV. Coll. Hist. Q. 10. f. 359.

(a) L. c. de orig. & progressu discipl. Juris natur. c. 1. §. 4. f. m. 171.

(b) In Histor. Juris natur. f. m. 24.

*** *Buddæus*: Præclara sunt, quæ *Seneca*, quæ *Epictetus*, quæ M. *Aurelius Antoninus*, Imp. & Philosophus, præcepêre &c. non leviter *Stoicos* jus naturæ attigisse, sed exhausisse penitùs, vel *Ciceronis* libri de officijs testantur &c. *Puffendorfius* in præfat. L. de jure Nat. & Gent. plus suis idæis videtur tribuere: *Operæ pretium foret investigare*, inquit, *num quid perfectius & sublimius, præceptis morum per nos traditis, contineatur in libris Stoicorum, Senecæ, Epicteti, & Marci Antonini.*

Sophi hujus merita plurimùm fupcrante, cùm in cthicis, & politicis vix quidquam proferat præter officia civium, & instituta civitatum *Græcia*, pro disciplina totius Gencris humaoi parùm servitura. * Eventus docuit, *Buddao* teste, *Aristotelicá* Philosophiâ effectum, *ut parùm abfuerit, quin moralis doctrina jacturam penitùs Scholastisi facerent.*

Ob inductam Aristotelis spinosam quamdam pædiam.

Prætenditur secunda causa, Kemmerichio, Puffendorfii enucleatore,(a) *pædia quadam Aristotelica, spinis ac tribulis obsita.* Monachi, inquit, *in scholas* intrusi, indèque dicti *scholastici, Aristotelem in Philosophia Ducem secuti, hoc non sufficiente, Scripturam, ac Patres in subsidium vocando, varia juris Naturæ capita subtili ac spinoso disputandi genere excusserunt, unde Philosophia ac Theologia Aristotelico-scholastica enata est.*

Ob confusionem cum Theologia, maximè morali.

Prætenditur tertia causa ab alijs, *imperitissima disciplina hujus cum Theologia, maxime morali, confusio, ac depravatio.* Ita *Thomasius*: (b) Theologia scholastica, inquit, *in detrimentum inemendabile*, philosophiam ita cum Theologia, *contra monitum Pauli*, confudit, & rudem inde indigestámque molem, uno verbo, *informe chaos quoddam effecit*, cui ansam dedit neglectus Jurcconsultorum, *ante reformationem* elegantiora studia negligentium: undc Theologi Pootificij involâruot in Jurisprudentiam naturalem, *veluti rem derelictam &c.* Stylo protestanticè crudito, hæc omnia dcclarat *Buddæus*. (c) *Utinam!* ioquit, suppcditatâ à Patribus occasiooc confundeodi Thcologiam moralem cum jure naturæ, *mitiora fata, & Theologiam & jus simul Naturæ excepissent.* Et quis igoorat, fuisse tempus, cùm fæda, & tristis igoorantia (puta ante reformationem *Luthericam*) Orbi universo incumberet? Fuisse tempus, cùm superstitioois regnum, magnis undique viribus, stabiliretur? Deplorent alij cladem, puriori doctrinæ cælesti illatam; id ego nuoc non ego. Philosophiam moralem quoque, cum cæteris artibus incultam, squalore & rubiginc obsitam, jacuisse, ut proscriptam velut, profugámque avolâsse, & Mortalium deseruisse sedes, censere ejus ætatis homines potuissent, neminem fugit. Non quidem defuerunt, cùm *Scholasticorum*, ùt vocant, *barbaris vocibus* sapientiæ sacraria personarent, ex ipsis ctiam Thcologis, qui hanc doctrinæ partem sub incudem revocarent: ast adeò iofeliciter, ut nullus dubitem, multos in eam ituros seotentiam, satiùs hósce homincs & sibi, & optimæ arti consulturos fuisse, si hæc sacra non attrectâssent. De Scholasticis, aliquaotò rccentioribus, subjungit, *quòd spinoso dicendi genere, quæ ferè propria istorum hominum laus sit*, multa juris naturalis capita excusserint, *sine ordine* tameo, & *lubrico fundamento, miscendo divina humanis*, & vel planè *nulla*, vel *jejuna*, & *ridicula* afferendo rationum momenta, *sæpissime ad Patrum authoritatem, Conciliorum canones, & decreta Pontificum provocando &c.*

Inde Puffendorfii reformatio in sequestranda juris naturalis disciplina.

Inde est 1. Quòd *Puffendorfius* sibi scopum præfixerit unicum, ut disciplinam juris naturalis à Theologicis lumbricis redderet *sequestratam: non enim*, ioquit, *nativo nitore exsplendescere, & tranquilla veluti pace efflorescere potest hæc disciplina, nisi super istas tempestates subducta fuerit.* (d)

In evertendo Scholasticorum pulvere

Inde est 2. Illius scvera crisis in *Zentgravium: sanè*, inquit, *in Zentgravij scripto Suarez, Vasquez, Bonacina, Escobar, Durandus &c. & id genus Sophista, utramque paginam faciunt, quorum nugis immori, si dulce sibi Zentgravius judicat, caveat tamen, dignationem Christiani nominis tantâ contumeliâ adspergere, ut isto-*

* Inde inquit in Præfat. L. de J. N. & G. Multos ante annos meditabar commentarium *de politica Græcanica*, sed quem alia, magìs neceffaria, hactenus intercepêre. In eo recensere institueram dogmata politica, à *Græcis* Scriptoribus, eumprimis *Platone*, & *Aristotele* tradita, quæ deinceps sese in Authores *Romanos*, ac hujus quoque sæculi scholas, scriptoréque, diffodêre, è quibus noo panca absurda, & erronea alia, turbas ac convulsiones civitatum ponere apta, inveniuotur. Quale opus in os ingeri eumprimis expediebat illis, qoi adhuc, pro tuenda decrepiti *Aristotelis* authoritate, conjurationes inire narrantur, *Catilinaria* similes, nisi quod fratribus, Sacramento adstringendis, ooo cruor sanguine mistus, sed cerevisia, fæcibus turbida, pateris circumlata sit &c. ita ille, more suo satyricus.

(a) L. c. c. 4. n. 34. f. m. 22.

(b) In differt. procemiali §. 31. ad Jurisprud. Divinæ institutiones.

(c) L. c. f. m. 15.

(d) L. c. §. 7. f. m. 175.

istorum quisquilias, venerabili vocabulo disciplinæ Christianorum, venditare velit. (a)

Non sine censuris etiam in suos.

Inde est 3. Illius amarulenta querela de Theologis, *etiam suis*, cùm ait: *Viris eruditis* (Jure consultos sibi similes notat) *iniquissima lege cum talibus* (*Asinijs* tenebrionibus, aliisque) *congrediendum esse, qui vel affectibus, vel inscitia sua tam venerabilis vocabuli* (Theologi scilicet) *authoritatem circumponere soleant; qui omnibus viribus ad opprimendos, aut infamandos suos adversarios connitantur, quos rationibus sese superaturos desperant.* (b)

Magno nominis sui encomio.

Inde denique 4. Est illa laudum buccina, qoam ubique inflant *Puffendorfiani Encomiastæ. Hic vir hic est*, qui nobilissimam juris naturalis disciplinam non tantùm à *Grotiana* pædlæ residua scoria, sed & ab omoi Scholasticorum furvure, *ad ultimum usque pulvisculum*, expurgârit.

Juxta eosdem perniciosissima fuére Jesuitarum studia, Ob corruptam nimiùm doctrinam moralem.

℞. II. *Eorundem Protestantium calculo. Jesuitarum doctrina moralis tandem juris naturalis disciplinam ampliùs depravavit.* Ita laconicè *Kemmerichius.* (c) *Tandem & perniciosa Jesuitarum dogmata admixta nobilissimam doctrinam penitùs depravârunt.* Non nihil facundior *Buadaus:* (d) Antecessorum, inquit, errores varios, eósque gravissimos, tantùm abest, ut *Romanæ* Ecclesiæ Theologi posteriores emendaverint, ut etiam auxerint, hæreditatem, novis commentis locupletatam, ad Posteros transmissuri. Fidem faciunt illepida ista *de probabilis opinionis usu, de peccato philosophico* commenta, cui furori, an addi aliquid possit, vehementer dubito. Mea quidem parùm refert, sintne *Jesuitæ*, an alij figmenti hujus (de probabilismo) Authores, nunquam tamen à me quisquam impetrabit, ut non cladem, *quam alijs erroribus suis, & Theologiæ & Philosophiæ morali hi ipsi societatis JEsu sacerdotes satulerunt*, tantam esse censeam, ut nullis, quantumvis præclaris istorum in litteras, bonásque artes meritis, possit compensari. Ita moralis doctrina, nobilissima philolophiæ pars, veluti profuga, modò per Joreconsultorum, modò per Theologorum castra oberrans, mitiùs profectò ab illis, quàm his habita est, quippe quibus parùm fuit, non ita, ùt decebat, illi litare, sed corrumpere insuper & depravare pulchrum visum fuit. Ita ille.

Puffendorfius de Jesuitis Viennensibus ita queritur: (e) *Hi librum meum* (de jure naturæ & Gentium) *ad ipsos perlatum, in publico mercatu Viennæ vendi prohibuerunt, ut ut, cùm super hoc interrogarentur, nullam idoneam ejus prohibitionis causam afferre possent.* * *Sed id mihi apud Sapientes, bonósque commendationis efficacissimæ locò est, quòd istis hominibus mea scripta invisa sint: utpote quæ cum rationibus Regni tenebrarum, cujus ipsi columina sunt, haudquidpiam congruunt.*

Sed hæc censura non nisi propriam Criticorum ejusmodi seu inscitiam, seu malignitatem coarguunt.

℞. III. *Censura protestantica de Theologorum, & Jesuitarum studijs, veluti doctrina morum, & disciplina juris naturæ perniciosis, eorundem Censorum seu inscitiam, seu malignitatem, veriùs utramque simul, coarguunt. 2. Nam isthæc studia disciplinam juris naturæ non quidem seorsim, ac privativè, quod minùs necessarium; concomitanter tamen coluére semper, & quod magis proficuum, doctrina morum Christianæ subordinárunt.*

Siquidem Disciplina Peripatetica meritò fuit antepolita, ex communi omnium, maximè Orthodoxorum.

Probatur asserti pars prima. Rationes, quêis, veluti grallis, cespitant memoratæ censuræ, partim sunt *falsæ*, partim *calumniosæ*: ergo arguunt Censorum seu *inscitiam*, seu *malignitatem*, vel si mavelis, *utramque simul. A. P. 1. Aristoteles* in scholas meritò fuit inductus, & præpositus *Stoicis*: ergo prima ratio falsa est. *A. P. Aristoteles* & majoris, & sanioris longè partis judicio, *in dialecticis* tanquam primarius inventor; *in physicis* tanquam Naturæ indagator, veritati longè propinquior præ cunctis corpuscularijs; *in Metaphysicis* tanquam Author *Theologiæ Christianæ* longè accommodatior, meritò fuit selectus præ cunctis *Stoicis, Platonicis*, atque *Epicureis*, id quod à Philosophis liquidò demonstratum, tot sæculorum experientiâ suffragante hic tutò supponimus: ergo. Moralia quod spectat, de quibus hic quæritur, *Aristoteles*, etsi in ethicis haud *absolutus*; in politicis noo satis *publicus*, est tamen cæteris magis aptus, quia faciliùs supplendus, &

(a) In Spicilegio controv. c. 1. §. 1. f. m. 279.
(b) L. c. §. 7. f. m. 175.
(c) L. c. §. 34. f. m. 22.
(d) L. c. f. m. 17.
(e) L. c. §. 7. f. m. 175.
* Hæ causæ infrà io *Puffendorfiana* anatome clarescent, & amplius ampliúsque per decursum.

& *Christianæ* morum doctrinæ accommodandus: ergo in scholas præ cæteris meritò est inductus. *A. Patet* ex Orthodoxorum unanimi, adstipulante etiam Protestantium calculo saniore, cùm ipse *Buddeus*, minùs sibi cohærens, fassus sit, *Aristotelem longè majori, quàm Plato, solertiâ fuisse versatum in ea philosophia parte, qua agit de moribus.* (a) Immò, cùm etiam *Grotius* suorum crises falsitatis postulet, dicens: *Inter Philosophos meritò Principem locum retinet Aristoteles, sive tractandi ordinem, sive distinguendi acumen, sive rationum pondera consideres.* (b)

Spinosâ Aristotelis methodô non nisi imperitoi pungente,

A. P. 2. Pædia *Aristotelica* non laborat barbaris vocibus, spinosóque disputandi genere, nisi rudibus, & dialecticæ imperitis, quales hoc ipso se produnt hi syllogistici mastiges: & licèt laboraret ejusmodi tribulis, id non obesset *Veritati*, sed solùm *proponendi modo*, quô minùs molliter esset proposita veritas. Immò veritati quàm maximè prodest, utpote, quæ è paraphrastico cortice pressiùs eruitur per syllogisticam formam, ut adeò logoduli hi protestantici hoc ipso se probent fucatæ verbositatis potiùs, quàm solidæ veritatis amantes: ergo & altera ratiu vacillat.

Ac confundente imaginariam juris naturalis, & Theologiæ moralis confusionem,

A. P. 3. Jam supra probatum est, quòd aliud sit, jus naturale *confundere cum Theologia* seu speculativa, seu morali; aliud quæstiones juris naturalis in Theologia attingere, ac tractare: ergo & tertia ratio falso supposito laborat. Unde ratio triplex, tripliciter falsa, arguit *imperitiam* Censorum; parerga superaddita probant eorundem *malignitatem*, qualia sunt *detrimentum inemendabile* confusæ Philosophiæ moralis cum Theologia contra monitum *Pauli*; imaginariæ tenebræ *ante reformationem Luthericam*; superstitionis Regnum stabilitum; purioris doctrinæ strages; Philosophiæ moralis proscriptio; rationum momenta ridicula, jejuna, Scholasticis propria; Theologorum quisquiliæ; inscitiæ; *Jesuitarum* commenta de probabilismo, & peccato philosophico; eorundem doctrina moralis corrupta &c. & similia, quæ protestanticæ maledicentiæ suetam Rhetoricam sapiunt, de calumnijs dudum convictam, * responsione indignam, nec, nisi ad scribillatorum ejusmodi confusionem publicam, Orthodoxorum oculis hic subjectam.

Hinc Theologi orthodoxi, etsi non privativè, concomitanter tamen excoluêre semper Jurisprudentiam naturalem, cum debita subordinatione ad doctrinam morum Christianam.

P. Asserti pars 2. Theologi orthodoxi, seu speculativi seu practici, in materia *de Legibus*, *de jure & justitia*, *de actibus humanis*, & alibi frequenter attingunt, nec rarò solidè pertractant quæstiones juris naturæ, *in quantum nempe satis est ad scopum ipsis propositum*, etsi specialem disciplinam juris naturæ neque adornent, neque difficultates omnes exhauriant. Rectè *Grotius*, (c) *Scholasticos, si in quæstione morum consentiant, vix errare affirmat, ob perspicaciam ad ea videnda, quæ in aliorum dictis reprehendi possunt.* Commentatores itidem *in Aristotelis* moralia, seu ethica, seu politica, & ipsi controversias Juris naturæ discutiunt, etsi non *privativè* definiant, in solis naturæ scitis sistendo; sed ea *Christianæ* politicæ subordinando, quòd ad eorum scopum utilius: ergo non est, quod protestantici Naturalistæ tantoperè crepent *Cimmerias* tenebras, *Lutherico Phosphoro* anteriores. *Antecedens* ut stabiliatur, opus non est, Theologorum *catalogos* texere, cùm Orthodoxis sit experimentaliter notum, & satis appareat per decursum: immò cùm ipsis Acatholicis sit contestatum, *Velthemio sanctum Thomam* in moralibus *Principem*; *Suarezium*, *Vasquezium*, *Sanchezium*, *Molinam*, *Valentiam*, *Conimbricenses*, & alios, ut Scriptores *æternitate dignissimos*, *deprædicante*. Certè *Conringius Hispanos* Theologos, *Vasquezium*, *Henriquez*, *Rodriquez*, *Fernandez*, *De Castillo &c.* in Jurisprudentia naturali, & philosophia morali, celebriores cæteris omnibus judicat: addens, *Grotium* lectioni *Francisci Victoria* opus suum incomparabile, de jure pacis & Belli, debere, eò quòd hunc Præceptorem *Ferdinandi Vasquij*, & *Covaruvia*, sæpiùs adduxisse...

(a) L. c. f. m. 23.

(b) In præfat. cit.

* *Peccatum philosophicum*, & *probabilismum*, quod concernit, infrà probabimus, profanos hos Leguleios ne quidem scire, quid carpant. Corruptelam doctrinæ moralis *Jesuitica* contra *Jansenisticos* convitiatores, quorum hi Interpretes sunt, Parte VII. Coll. Hist. Q. 4. jam vindicavimus.

(c) In præf. §. 52.

ducat. * Unus *Puffendorfius*, ejúsque vertigine circumacti non nulli affeclæ, numerum haud faciunt Orthodoxis: nam si Scholasticorum eruditionem ignorant, probant *se imperitos*; si sciunt, & nihilominùs carpunt, probant sese *malignos simul*, id quod erat obiter hic declarandum.

§. 4.

§. IV.

Jus Civile.

De juris Civilis, atque Canonici habilitate respectu Jurisprudentiæ naturalis.

Adjumento est disciplina juris naturæ ex protestantico calculo.

Quæritur IV. Num disciplinæ juris naturæ, & Gentium adjumento fuerit jus Civile, atque Canonicum?

℞. I. *Fuit, saltem jus Civile, si protestanticos Criticos auscultemus.* Omnium ore loquatur *Puffendorfius*. Hic, postquàm *Justiniano* exprobrâsset institutum, *velut rei litterariæ oppidò perniciosum*, quòd pro integris Jureconsultorum veterum libris quasdam solùm lacinias Orbi obtruserit, qui immensam Commentariorum molem peperissent, inquit: (a) *Fatendum nihilominùs est, quidquid adhuc Romanæ Jurisprudentiæ superest, juri naturali plurimùm lucis attulisse, non solùm, quia isti magnoperè cura fuisse adparet, omnia ad rectam rationem, & æquitatem revocare; sed etiam, quia plurima, ad padiam juris naturalis spectantia, ab JCtis Romanis luculenter fuêre pertractata.* Addit: *quantumcunque tamen laudem juri Romano tribuamus, fatendum utique est, peculiari adhuc disciplinâ juris naturalis opus fuisse, siquidem doctrinæ morali sua constare debebat perfectio. Nam nec omnia, quæ ad padiam juris naturalis pertinent, in Jurisprudentia Romana ita accuratè, prout par erat, deducta inveniuntur; & cùm ibidem naturalia positivis, & quæ ex peculiari indole Reipublicæ Romanæ proveniunt, immixta sint, ista utique liquidò discernere non poterit, nisi qui aliunde hauserit, quâ notâ hæcce ab illis dignoscantur.* Ita ille.

Sed jus canonicum ingentem illi caliginem affundit, omnia detorquens ad quæstum, & potentiam Sacerdotum.

℞. II. *Sed jus Canonicum, eorundem oraculo, juri naturali, ac universæ de moribus doctrinæ, ingentem caliginem affudit.* Oraculi hujus *Cretici* Interpretem agit denuò *Puffendorfius*. (b) *Ast verò*, infert, *illi Doctores, qui in Episcopi Romani verba jurârunt, quêis omnia ad potentiam, & quæstum Sacerdotum vertere labor est, legi naturali, & universæ de moribus doctrinæ, magnam caliginem affudêre, dum immensa voluminum mole id agunt, ut penes solos sacerdotes facultas sit, conscientias hominum ex suo libitu temperandi, adeóque cæteris, liquidò suarum actionum judicio adempto, nil nisi cæci obsequij necessitas incumbat.* Inde scintillantia illa canonici juris elogia, quæ ex residuis *Wittenbergæ* cineribus eruderant *Lutherici* nepotes, dum illud *cum Joachimo Hoppio*, (c) non nisi *juris civilis simiam* appellant; dum, eodem interprete, nomen *à Canonibus* quidem derivant, *sed innoxys illis primitivæ Ecclesiæ, utpote præcisis ab additamento juris & legis, quæ omnia Patres antiqui meritò Majestati humanæ reliquerint*: ut adeò *juris Canonici* onoma primùm sæculo septimo innotuerit, quo nempe post obitum magni, humilisque *Gregorij*, *jacta sunt fundamenta immensæ potestatis Romanæ Hildebrandi astutiâ*, subin sæculo undecimo *molimina hæc ad ἀκμὴν perducente*. Dum, cum eodem, canonici juris originem, *velut purioris Ecclesiæ ævo ignotam*, ad sequiora tempora retrahunt, *malè coinquinata*, ùt ajunt, regnandi libidine Clericos; fœdiore tyrannide *Romanos* Pontifices invadente, & potestatem quoque sibi injustè vendicante. Dum cum *Adamo Struvio* (d) assentiuntur *Cyno*, JCto *Italico*, qui nova hæc jura, à Canonistis excogitata, *ambitione usurpandæ jurisdictionis sæcularis*, jam suo ævo scribere ausus est. (e) Dum, cum *Francisco Duareno*, *Gallico* Novatore, scribunt, *malè cum rebus humanis actum fuisse*

* *Conringius* Operum Tom. 4. De Republ. *Hispan.* f. m. 77. & 78. ubi addit: *Qui igitur ad sublimissimam Philosophiæ moralis cognitionem adspirat, comparet sibi Hispanos: Germani enim, & Galli, si cum ijs conferantur, nihil sunt.*

(a) L. cit. §. 3. f. m. 171.

(b) L. c. f. 170.

(c) In præcognitis Juris, editis Anno 1721. c. 8. f. m. 46. & sequent.

(d) In programmate ad *And. Dessolij*: Erotemata Juris canonici, quæ suis notis protestanticè corrupit.

(e) *Cynus*, *Bartoli* Professor, mortuus *Bononiæ* Anno 1336. Hielte von dem Jure Canonico nit vil/ uti habet *Menckens* in Lexico.

fuisse, ex quo Decretis ale creverint. (a) Dum, cum *Thomasio*, protestantico *Germano*, inter nævos Juris prudentiæ *Germanicæ*, primo loco, ponunt *introductionem juris Pontificij in Imperium Romano-Germanicum*, & sic de alijs obtrectatorum dicterijs, ac censuris.

Sed tam hoc, quàm illud Juri naturæ multum lucis affudit.

℞. III. *Utriusque Juris, tam Civilis quàm Canonici, placita juri naturæ ac Gentium multum lucis, declarationis, ac claritatis affuderunt. 2. Ut adeò ingens illa caligo non nisi in Puffendorfiani cerebri latibulis horreat.*

Ut patet ex officijs erga Deum, se ipsum, ac proximum ab utroque illustratis.

Quò ad jus civile etiam *Puffendorfio* micat lucidum intervallum, ùt vidimus. *Quò ad Canonicum* constat vel hospiti folius trihorij, officia ad Deum, se ipsum, ac proximum (quæ juris Naturæ summam conficiunt) per sacros Canones validè confirmari, declarari, extendi, ad perfectionem Evangelicam sublimari, quæ omnia exemplis fusiùs declarare, nil foret, quàm lucem in meridie pleno accendere.

Caligine ingenti non nisi Puffendorfij cerebrum obnubilante.

Unde protestanticos hac in re cavillos pluris non faciunt Orthodoxi, quàm residuos *Lutheri* incendiarij fumos, quêis vertiginem passus exclamavit: *Doctor juratus sum sacrarum litterarum; Jus Canonicum multos errores continet; pyrâ igitur dignum censeri potuit, & debuit &c.* Item: *Canones sunt scabiosi, Decretales pestilentissimi, Canonista asinista, atque Diabolista &c.* (b) Orbis Catholici commune judicium præponderat unius, alteriúsve excentrici, ac in *Lutheri* epicyclis aberrantis cerebri somnio; Divorum Imperatorum præpollent effata, quêis declamârunt in Orbem *quòd leges civiles non dedignentur Sacros Canones* (scilicet simiam illam) *imitari;* (c) *Sacros Canones pro salute nostrarum animarum conditos, ac constitutos esse;* (d) *plus studij in observatione canonum, quàm in custodia legum civilium ponendum esse;* (e) *Eos, qui canones observant, Domini Dei potiri auxilio, & qui in hosce prævaricantur, se ipsos condemnationi subijcere.* (f) Addunt: *Sacros Canones non minùs, quàm leges valere, etiam nostræ volunt leges;* (g) *quod sacri Canones prohibent, id etiam per nostras abolemus leges.* (h) Ita illi. Immò & protestantici *hi Aristarchi* sat produnt, sibi non tam displicere sacros canones, quàm canonum Authores, *summos* nempe *Antistites, eorúmque authoritatem, Novatoribus invisam, quia infestam semper:* unde etsi cum *Hoppio* (i) in terris Protestantium huic juri negent Authoritatem, quia, unà cum *Primatu*, Pontifici *Romano* negant potestatem universales ferendi leges; etsi cum eodem jus istud *ad Papatûs reliquias* referant, tamen *quia multa inibi sunt, quæ laudem merentur, illud ipsum jus in terris Protestantium receptum, aut potiùs retentum* affirmat *Hoppius*, *cùm anteà jam esset in pleno, viridíque usu tenebricosis Papatûs temporibus.* Ita *tenebricosus* hic *Lutheri* Causidicus, eodem ore, & humidus & siccus. Ipsa *Augustana* confessio (*cui genua* incurvent protestantici Legulei) Sacrorum canonum authoritate non semel sua firmare dogmata sustinuit illis verbis: *sic enim & Canones præcipiunt &c.* (k) Unde & allegatus suprà *Adamus Struvius, in Germania*, inquit, *jus Canonicum obtinere tum apud Protestantes, tum apud Pontificios; ac in Academijs exponi publicis prælectionibus, in propatulo est: nam plurima utilia, & præclara continet, ideóque non viget apud nos, ùt à Pontifice præscriptum; sèd quia Principum approbatione vel moribus, ubi æquitati, atq. juri Divino consonum, Republica nostra in Ecclesiasticis, & Sæcularibus negotijs convenit, receptum est.* (l) Ergo & à Protestantibus receptum jus illud, quod *juri naturali, & universæ de moribus doctrinæ tantam caliginem affudit.*

INSTRU-

(a) Apud *Strauchium* Disput. de O. J. Can. §. 23.
(b) Videatur Pater *Gretscherus* de modo prohibendi libros hæreticos L. 1. c. 22.
(c) Novell. 83.
(d) Novell. 132. Item 6.
(e) L. c.
(f) L. c.
(g) L. 45. Sac. Can. de Epis. & Clericis.
(h) L. c.
(i) L. c. §. 27. & 28.
(k) Num. 7. de potest. Ecclesiast. allegans Q. 7. C. Sacerdotes: & C. oves.
(l) In programmate cit.

Instructio VII.

INSTRUCTIO VII.

De Protestantium studijs sure formanda disciplina juris Naturæ, & Gentium.

De gloriosis Protestantium studijs, queîs disciplinam juris Naturæ & Gentium, tot Sæculis neglectam, ac per Scholasticos obscuratam, produxêre in novam lucem, perpurgatámque à scholastico ùt ajunt, pulvere, hoc tandem Sæculo, redegêre in formam, numeris omnibus absolutam, fortunati Reformatores, ac Moralistæ, Prytanneô, Orbísque eruditi applausu dignissimi.

§. I.

§. I. Protestantica exegesis de cultura Juris Naturæ per suos. Hujus disciplinæ novam formam, laude privativè propria, tribuunt reformationi literaria ævo protestantico.

Protestantium sensa de suis circa disciplinam juris Naturæ ac Gentium meritis.

Quæritur I. Quid utilitatis publicæ, in excolenda disciplina Juris Naturæ & Gentium, suis studijs tribuunt protestantici Moralistæ?

℟. Tribuunt plurimum, laudémque hac in sparta, velut sibi privativè propriam, contendunt.

Declaratur assertum I. Buddeo Authore, ùt suprà vidimus, cultura nobilissimæ hujus disciplinæ, sicut & purioris doctrinæ cœlestis, reformationi protestanticæ in acceptis ferenda est. Inde illæ exclamationes: *Utinam non duriora fata & Theologiam, & jus Naturæ excepissent!* Inde illa lamenta: *deplorent alij cladem, puriori doctrinæ cœlesti illatam &c. ego Philosophiam moralem cum cæteris artibus squalore obsitam, & velut profugam, avolâsse queror, &c. &c. tandem fata dedêre protestanticos Restauratores*, &c. &c. * *Thomasius* nequit satis extollere DivinamProvidentiam ob litterarium splendorem, à Protestantibus Orbi inductum, quo, excussâ servitute humanæ authoritatis, depulsísque crassæ ignorantiæ tenebris, *Aristotelica* barbaries in philosophicis, caligo in ethicis absterſa, Jurisprudentiæ naturalis chaos feliciter est dissipatum. (a)

Instauratore primo Hugone Grotio, viro incomparabili.

Declaratur assertum II. Eisdem testibus, ** Instaurator primus, immortalem laudem promeritus fuit *Hugo Grotius: Tandem fata*, inquit, *Buddeus, dedêre Hugonem Grotium, illum juris naturalis Restauratorem, qui restituta suo nitori Philosophiæ moralis gloriam apud litteratum, quacunque patet, Orbem jam pridem retulit.* (b) Authore *Puffendorfio*, *vir iste incomparabilis, nostrô sæculô, quasi classicum cecinit, ut exquisitius aliquid in moralibus investigaretur, quàm quo hactenus scholarum parietes resonuerant.* Eodem teste, *accinxit sese ad moliendum hoc opus, in quo nulla priorum vestigia ipsum regebant, admiranda instructus ingenij & judicij felicitate, pari scientiâ litterarum sacrarum, Juris Civilis, omnigenaq; eruditionis, & infinita lectione.* (c) Addit: ante *Hugonem Grotium* extitisse neminem, *qui naturalia jura à positivis accuratè discerneret, & ista in pleni systematis rotunditatem disponere aggrederetur. Friderico Ludovici* si fides, *Hugo Grotius, vir omnium encomijs major, doctrinam juris naturæ, à veteribus Moralistis admodùm conspurcatam, restaurare, ac vero suo nitori restituere animum induxit.* (d) *Laurentius Fleischerus*, postquàm dixisset, *utilissimam juris naturæ, & Gentium disciplinam per multa sæcula latuisse, aut planè occultam, aut pulvere scholastico commaculatam*; postquàm neglectûs hujus, atque contemptûs causam adstruxit *miserrimum Religionis statum*

---

* Similia *Joannes Gröningius*, jam à Clariss. P. *Francisco Schmier* castigatus in Jurisp. Can. Civ. L. 1. f. m. 72. Hic scribere non erubuit ejusmodi ambullas: *ætati Scholasticorum opponitur nova epocha, quam Lutheranam dicere soleo, utpote qua B. Lutherus, gratiâ Evangelij armatus, Romano Pontifici & Theologia scholasticæ masculè bellum indixit &c. Tum doctrina justi naturalis, solutis vinculis, atque excusso scholastico pulvere, ex obscuris Monachorum claustris erupit, atque novos sibi Parentes* (quos inter primum vocat *Philippum Melanchtonem*) *adscivit, à quibus etiam tanta curâ, studio, ac dexteritate culta, ut ob ingens incrementum novam quasi se exhibuerit, & omni ævo præstantiorem.* Profectò bellum juris naturalis protoparentem *Melanchtonem*, qui cum *Luthero* contendit, *æquè impossibilia esse præcepta omnia, ac illud unum, non concupisces.* Videatur *Bellarminus* Contr. de justific. T. 3. L. 4. c. 10.

(a) In programmate Institut.

** *Thomasius*: nachdem *Grotius* dise edle disciplin ein wenig unter dem Banck herfür gezogen / und von dem Schuel-Staub zu säuberen angefangen.

(b) Hist. Juris nat. cit. f. m. 27.

(c) De origine cit. §. 5. f. m. 272. Item §. 1. f. 238.

(d) In Doctrina Juris nat. juridicè considerata c. 1. §. f. m. 2.

ſtatum, & ſuperſtitioſa tempora, in quibus vixêre noſtri Majores, ſubdit, ſurrexiſſe tandem *magnum Grotium, immortali laude dignum, diſciplinæ hujus reſtauratorem, qui in aureo ſuo libro* (quod *Reinhardo Vitriario opus Divinum*) (a) *de jure belli & pacis, ex tenebris illam produxerit, atque ejus tam neceſſitatem, quàm utilitatem ſolidiſſimis rationibus evicerit.* In eosdem ſenſus abit *Kemmerichius*, cùm ait: Surgente demum ſæculo decimo ſeptimo feliciora fata jus naturæ experiri, atque *à ſqualore Scholaſticorum* repurgari, cœpit, *Hugone Grotio* potiſſimùm Authore, atque *feliciſſimo egregiæ diſciplinæ reſtauratore.* Hic, cùm eſſet vir acerrimi Ingenij, ac vaſtæ eruditionis, opus, hortante illuſtri *Viro Peireſcio*, aggreſſus, jus Naturæ & Gentium *in ordinem redigere*, atque *ad genuina ſua fundamenta* revocare, quæque ad jus poſitivum ſpectant, *ab eodem ſecernere*, conatus eſt: quod, quantum per id tempus licuit, opere *de jure belli & pacis* edito, præſtitit. Addit: Hoc opus ab initio, magno cum Eruditorum pariter, ac Aulicorum applauſu, ſuſceptum eſt: his inſtar oraculi, in controverſiis Principum iſtud conſulentibus; illis, tanquam novum corpus juris, idem in collegijs ſuis fundamenti locò collocantibus. Nec quisquam, dum vixit *Grotius*, quidquam contrà movere eſt auſus, niſi quod *in Indicem librorum prohibitorum*, juſſu Papæ, relatum ſit. (b) Ita ille, eiq; univoci alij plures. Certè *Lymnæus, unum Grotium plura cognita habuiſſe*, ait, *quàm centum alios.* (c) *Gerardus Voſſius* eum, *litterarij Orbis miraculum, alterumque terræ Batavæ, cum magno Eraſmo, lumen appellat, quo nihil nunc undique eruditius vel ſol videat, vel ſolum ſuſtineat.* (d)

Cujus veſtigia legêre Scholiaſtæ plures.

Declaratur Aſſertum III. Ab eodem *Kemmerichio*: mortuo *Hugone*, inquit, certatim Eruditi vel notis, & animadverſionibus illud caſtigare, vel amplioribus commentarijs illuſtrare vel redactum in compendium enucleare allaborârunt. Inter Commentatores præcipui fuêre *Böcleri, Ziegleri, Oſiandri, Gronovij, Velthemij, Obrechti, Henniges*, qui teſte *Becmanno* (e) *veluti Comites præclari ſideris, lucem ejus majorem reddere, conati ſunt.* Inter Epitomatores numerantur *Klenckij, Schefferi, Mülleri, Snieeri, Vitriarij, Kulpiſij*, & alij paſſim obvij.

Nec Seldenus, nec Hobbeſius, ſua laude fraudandi ſunt teſte Puffendorfio, Fleiſchero, & alijs.

Declaratur Aſſertum IV. Poſt *Grotium* non nullam mentionem facit *Puffendorfius* de *Joanne Seldeno. Seldenus*, inquit, nemini fortaſſe ſecundus haberi poſſet, ſi ei propoſitum fuiſſet, eâdem acribia jus naturale ad univerſum humanum Genus, quàm ad tradita *Hebræorum* accommodare; aut ſi unius populi ſcita, pro ſufficienti promulgatione juris, omnes Gentes obligaturi, haberi poſſent. (f) *Seldeno* adjungit *Thomam Hobbeſium*, de quo ait: *nemo rerum intelligens, inficias iverit, inter multa mala reperiri quoque plurima exquiſitè bona, & quantivis pretij: & illa ipſa, quæ ab eo falſa traduntur, anſam præbuerunt, ſcientiam moralem, & civilem ad faſtigium perducendi, ſic ut de non paucis, quæ ad perfectionem iſtius faciunt, vix cogitare alicui in mentem veniſſet, abſque Hobbeſio ſi fuiſſet.* (g) Alibi addit: *Hobbeſium* tam profundè ſocietatis humanæ & civilis compagem rimatum fuiſſe, ut pauci priorum cum ipſo hic comparari queant. *Fleiſcherus* inter juris naturalis inſtauratores numerat magnos Viros, *Hobbeſium & Puffendorfium.* (h)

Sed ſuperemit omnes Puffendorfius, hujus diſciplinæ glorioſus reforma-

Declaratur aſſertum V. A *Puffendorfio*, qui ait, ſeſe *iſtorum, quos recenſuimus, ſtudijs* excitatum, & *etiamnum imperfectâ juris naturalis diſciplinâ* motum, novo operi manum admoviſſe, atque *univerſam* hanc materiam, eo, qui ſibi commodiſſimus viſus ſit, ordine *digeſſiſſe.* * Hoc in labore

(a) In inſtit. Jur. Natur. & Gent. in præfat.
(b) L. c. n. 36. f. m. 22.
(c) Ad Capit. *Caroli* V. f. 10.
(d) L. 3. de Hiſt. Lat.
(e) In præfat. editionis *Grotianæ* cum omnium notis A. 1691.
(f) In præfat. de jure Nat. & Gent.
(g) In ſpecimine Controv. c. 1. de origine Juris L. c. §. 6. f. 174.
(h) In præfat. cit.

* Unde in ſpecimine Controv. c. 5. de origine moralitatis §. 22. f. m. 251. hoc ſibi teſtimonium exhibet: *quòd primus ego ſim habendus, qui glaciem fregerit, viamque ad ſolidam, de jure Naturæ & Gentium, ſcientiam monſtraverim, id jactâſſe, à mea ſemper modeſtia abfuit, nec tanto unquam me ſum dignatus honore. Quid laboris exhauſerim, ipſe novi; quòd operæ pretium fecerim, optimus & eruditiſſimus quisque liquidiſſimò judicabit.*

tor. si fides penes ipsum met. subique fautores.

bore eò intentum fuisse se asserit, *ut omnia solidis, & perspicuis rationibus confirmaret. 2. Ut illa, in quibus alij impegissent, declinaret. 3. Ut omnia, quæ ad disciplinam juris naturalis pertinent, complecteretur, & in ordinem, non hiulcum & salebrosum, digereret. 4. Ut omnes controversias Theologicas ab eadem sequestraret, ipsámque ad captum universi Generis humani, quod circa religionem in diversissimas opiniones discessisset, accommodaret*, exemplo *Richardi Cumerlandi*, qui *Hobbesij* hypothesin *solidissime destruxisset, libro erudito de legibus Naturæ*, simúlque adversam hypothesin, quæ ad *Stoicorum* placita proximè accederet, firmissimè adstruxisset, quorum utrumque * & sibi propositum fuisse affirmat. Unde ejusdem Enucleator *Kemmerichius* hoc illi elogium statuit: (a) felicior hac in parte *Puffendorfius*, qui à *Weigelio* primùm ad studia moralia excitatus, deinceps *Grotij, & Hobbesij* vestigia premens, *jus Naturæ in meliorem ordinem redigere, ac nævos, à cæteris admissos, emendare, defectúsque eorum supplere*, annisus est, editis *Elementis Jurisprudentiæ universalis*; opere majore *de Jure Naturæ, & Gentium*; denique libro *de officio hominis & Civis* ** Sed cùm tritam Scholasticorum viam desereret, non paucos Adversarios nactus est &c. Non defuêre tamen, qui justum *Puffendorfianis* doctrinis pretium statuerent, easque vel contra Adversariorum nænias defenderent, vel novis accessionibus locupletatas, vel in novam compendij formam redactas, in clariore luce ponerent. Hinc ab eodem

Quem secuti Commentatores, quos inter facilè celeberrimus illustris Thomasius.

Declaratur assertum VI. Cùm ait, quòd inter *Puffendorfij* Commentatores *Hertios, Titios, Rechenbergios, Buddeos, Weberos, Barbeyracios*, emineat illustris *Thomasius in Institutionibus Jurisprudentiæ Divinæ*, ubi duo præstiterit: Primum, quòd *Puffendorfij* principia contra Adversarios vindicarit, refellendo partim Scholasticorum opiniones *de lege æterna Dei, convenientiâ actuum Juris naturalis cum sanctitate Divina, antecedenter ad voluntatem divinam, seu perseitatem turpitudinis, & honestatis*; partim examinando *Alberti* novas hypotheses de jure naturæ, *ex statu integritatis* deducto. Deinde, inquit, genuina legis positivæ universalis fundamenta ex sacro Codice eruere laboravit. Quamvis autem à varijs, ac sinistris judicijs non prorsus immunis maneret hic liber, tamen à nemine oppugnatus fuit: quæ cum *Placcio, Praschio, Rochio, Bodino* super nonnullis juris naturæ capitibus enatæ sunt controversiæ, non adeò magni momenti fuêre. Cùm autem dies diem doceat, curas posteriores elaborato Juris Naturæ systemati adhibuit, ac fundamentis Juris Naturæ & Gentium in lucem editis, non nulla emendavit, clariúsque proposuit, cumprimis principia *honesti, decori, & justi* rectè discernere docuit. Ita *Kemmerichius*.

Laurentio Fleischero encomiaste.

Laurentius Fleischerus Thomasio palmam inter omnes adjudicat: (b) quis, inquit, non agnoscat mente grata, & hilari animo accipiat, quòd illustris *Thomasius ultimas huic disciplinæ manus* admovere voluerit? Tantum enim in ea se præstitit, ut unusquisque, invidiâ atque odio haud excæcatus, fateri omninò debeat, *palmam ab illo alijs fuisse præreptam:* secutus quidem fuit vestigia *Grotij, & Puffendorfij* in Institutionibus Jurisprudentiæ Divinæ; sed ubi perspexit socialitatis principium *difficile, ambiguum, & mancum*, illi principio junxit *leges Divinas universales*, earúmque usum, & applicationem ingeniosissimè ostendit, nec non masculè contra alios defendit. Sed & harum legum insufficientiam primus ipse agnovit: unde *fundamenta juris Naturæ, & Gentium* conscripsit, *ubi accuratiùs* demonstravit, *& melio-*

---

* Non satis consequenter ad suprà dicta *de Stoicis:* sic in epistola ad amicos scribit f. m. 102. *ego Stoicorum sanæ sententiæ proximè accedo.*

(a) L. c. n. 51. f. m. 26.

** *Adamus Hochstetterus* in Collegio *Puffendorfiano* his elogijs mactat hunc partum: Est hic libellus, inquit, si molem, exiguus; at si ordinatissimam rerum practicarum propè omnium compagem, infinitorúmque conceptuum spectes, verè magnus; immò dixerim ferè inexhaustus, quod non inficiabitur, qui post lectos, non sine contentione, *Cicerones*, Gentiles, *Grotios*, & horum Commentatores, adnotatores, observatores, ipsúmque *Puffendorfii* opus de jure naturæ & Gentium, ad hoc opusculum *de officio hominis* denuò regressus, attentè id repetierit, atque, ceu par est, velut illorum omnium compendium, & quod pauci capiunt, admirabile supplementum evolverit.

(b) In præfatione ad institutiones Juris Naturæ, & Gentium.

meliore methodo omnia totius humani Generis officia, ad veram vitæ hujus felicitatem spectantia, *ex regulis justi, decori*, & *honesti* rectiùs deduci posse, edocuit *Vir, im̃ortales laudes hoc scripto promeritus, &c.* Ita ille.

Alijque, novi semper etiamnum hodie, Puffendorfiani pedissequi.

Declaratur denique assertum VI. Triumviros hosce, qualicunque passu, secuti sunt plures, & etiamnum hodie sequuntur protestantici Moralistæ, qui in disciplinam Juris Naturæ & Gentium, magis magisque excolendam, incumbunt, proprijs quisque elogijs, vel Fautorum panegyricis (recepto jam more) decorati semper, an juxta, an supra merita, decursus dabit. Tales sunt *Vitriarij, Kemmerichij, Friderici Ludovici, Laurentij Fleischeri, Balthasari Wernheri, Henrici Koëhleri*, * *Heineccij* ** recentissimi cum alijs, comitatu haud sanè exiguo, è quibus priores hic nominavimus, quia, quòd ad manus sint, sæpius per decursum esse nominandos prævideamus.

§. II. Catholicorum sensus.

§. II.
Catholicorum judicia de hisce Protestantium judicijs.

Quæritur II. Quis hac in re sensus sit Criticis Orthodoxis? Et an à reformationis, sic dicta, tempore reformata hujus disciplinæ originem rectè deriveut protestantici Moralistæ?

Reformatio protestantica doctrinam moralem Juris Naturæ, uti alia omnia, potiùs fœdavit, penitùsque corrupit, vero nomine deformatio appellanda.

℞. I. *Reformatio protestantica (considerata in se, & abstrahendo ab Authoribus memoratis suprà) adeò nihil contribuit ad disciplinam juris Naturæ & Gentium, seu renovandam, seu illustrandam, ut eandem suis principijs potiùs fœdârit, penitúsque corruperit.* 2. *Ut adeò vana sit Buddei jactantia, qua reformationis prætensæ tempora, sicut omni litteratura, ita juri Naturæ præsertim, ac Gentium, auspicatissima gloriatur.*

Probatur Assertum. Religio protestantica *in suis principijs* corrupit officia hominis *erga Deum, se ipsum, & proximum*, seu *Rempublicam*: ergo tenet assertum.

Nam per sua principia corrupit officia hominis erga Deum.

A. P. 1. Religio protestantica *officia erga Deum* in unius verbuli, nempe *fidei*, epitomen contrahit, *qua sola* satisfacit pro peccatis, horrante ipso religionis fundatore in hæc verba, solatij plena: (a) *Pecca fortiter, sed fortiùs fide, & gaude in Christo &c. ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur, aut occidamus.* Nam *ubi fides est, nullum peccatum nocere potest.* (b) *Hinc etiam volens non potes perdere salutem quantiscunq; peccatis, nisi nolis credere &c.* (c) Unde omnem apparatum *officij erga Deum* ipse *Puffendorfius* duobus verbulis absolvit, dicens: (d) *Cultum Divinum intra declamationem, exiguumque hymnum esse redactum à Calvinisequis*, his ipsis apparatum majorem non observantibus penes fraterculos *Lutheranos*. Unde tanta sedulitate aboliti sunt dies festi, sacrificia, officia, Templorum cultus, ceremoniæ *adusque pulvisculum à Calvinistis*; etsi *à Lutheranis retenta sint, quædam inania ceremoniarum ad aliquẽ cultûs publici apparatum, & pro divertendis simpliciorum animis*, ùt habet idem *Puffendorfius.* (e) Unde augustissimi Cæsares, & Imperij Ordines in Imperij facie publica testati sunt, *quòd per damnatam Lutheri doctrinam, ejúsque errores varios, omnis extincta sit de-*

---

* *Henricus Koëhlerus*, Professor *Jenensis* anno elapso 1738. *systema juris naturalis, cumprimis cogentis*, per exercitationes septem posthumas, publico reliquit, quod, si dixeris *sine capite truncum*, absolves eo ex capite, quòd professione facta *in fronte*, officia juris naturalis *interna*, tam *perfecta* quàm *imperfecta*, à naturali jure, *uno velut ictu*, rescindat. Author de cætero sat tædiosus, quia in *Laconica* methodo dictatorius, cujus spasmum in coacervandis §. §. & numeris quis mirabitur potiùs, quam ad juris naturalis systema eruendum tam facilè indagabit.

** Hos inter Moralistas protestanticos, aliósque, qui quidem nobis ad manus venire poterant, nentiquam ad unam solummodo lampadem expensos, punctum cæteris propiùs videtur tetigisse *Joannes Gottlieb Heineccius*; subin & suo modo *Balthasar Wernherus*, ut adeò Acatholica ætas, nostro quidem judicio, naturalis juris scita, ex hisce emendatius hauriret, quàm ex alijs.

(a) Tom. 1. Jen. Lat. edit: f. m. 345. in epist. *ad Melanchtonem.*

(b) In serm: *sic Deus dilexit Mundum.*

(c) Tom. 1. Wit. Lat. f. m. 54. Item L. de captivitate *Babyl.*

(d) De statu Imperat. *German.* c. 8. §. 7. f. m. 216. edit. *Veron.* A. 1667.

(e) L. c.

devotio, tandèmque eò deventum sit, ut omnis Christiana vita decor, disciplina, virtus, lex, Dei timor, honestas, boni mores, ac vita, unà cum Christiana vera charitate penitùs intercrerit. (a)

Officia hominis erga seipsum.

A. P. 2. Religio protestantica æquè corrupit *officia hominis erga seipsum*, absolvendo eundem à præceptis decalogi *per impossibilitatem*, etsi ferè singula jure naturæ stringant; (b) eximendo eundem *ab arbitrio libero* in ordine ad operandum bonum, & omittendum malum; (c) liberando eundem à molestijs bonorum operum: *nam bona Opera*, teste Evangelistâ protestantico, *non faciunt bonum Virum, nec mala malum.* (d) Inde augustissimus Cæsar *Carolus V.* in edicto *Wormatiensi*, ex unanimi Statuum Imperij, post recensitos *Lutheri* errores, expressè edixit: (e) *Quòd, quemadmodùm permittat cæteris habenas laxare omnibus animi cupiditatibus, & dissolutè, effractis legum repagulis, pecudùmque more vivere, sic ipse homo perfracti & effrenatis ingeny, omnia Veterum instituta, legesque repudiet, conculcet, & opprimat &c.* Inde idem

Et proximum, seu Rempublicam.

A. P. 3. Religio protestantica, ex mente sui Protoplastæ, *officia hominis erga proximum, seu Rempublicam* penitus evertit, solvendo vincula societatis humanæ, id est, leges omnes, etiam naturales, (f) præcipuè tamen Ecclesiasticas, & humanas, (g) asserendo nullam legem humanam ligare in conscientia; nullam esse superioritatem inter *Christianos*: (h) verbo, *nullam Rempublicam feliciter administrari legibus.* (i) Unde augustissimi Cæsares, & Imperij Ordines publicis edictis sæpius declamârant in Orbem, quòd protestantica doctrina, à *Luthero* excocta, *verè studia contraria, & dissensiones, dissidia, schismata, bella, cædes, & rapinas inter Christianos concitârit; obedientiam, & regimen omne prorsus sustulerit: unde Populi ad defectionem, ac rebellionem à suis, tam spiritualibus, quàm temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, cum magno & manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine, provocentur &c.* (k) Atque hæc omnia alibi fusiore forsan, quàm Protestanticis gratum sit, paraphrasi demonstravimus, (l) ut adeò *Buddei* gloriatio satis hic evaporet, ac evanescat.

Sed & Moralistæ protestantici posteriores sæpe olent Lutherum, ejusque coævum Machiavellum.

℞. II. *Etsi Moralistæ protestantici posteriores, reformatore suo, ea saltem ex parte, sint minùs anomali, quòd non æquè proterant omnem potestatem saltem politicam, neque conculcent leges, seu naturales seu humanas, sæpe tamen plurimùm olent Lutherum, non rarò pessimè sapiunt Lutheri coævum* (m) *Pseudo-politicum Florentinum.* Fidem asserto huic non perimus, nisi in quantum id probaverimus per decursum. Hic satis sit unum unicum exemplum famosi *Conringij*, cui *instar Bibliothecæ vivæ, & Musæo ambulanti*, thus adolent passim sui. Hic sex vasta eruditionis suæ volumina, etiam *Machiavelli Principe*, tanquam cimelio politico, exornare; * & quia tot inter pestilentis

(a) In recessu Imperij *Augustano* Anno 1530. §. 36.
(b) Ita recessus idem §. 21.
(c) Tom. 1. Lat. Witt. f. 266. Ists doch nit möglich, daß wir uns der geringsten Sünd erwehren können; seitemahl die Schrifft sage, daß wie des Teuffels Gefangene seyn, als unserem Fürsten, und Gott, daß wir thun müssen, was er uns eingibt.
(d) L. de libertate *Christiana.*
(e) In ipsa *Lutheri* versione.
(f) Tom. 5. Germ. Witt. f. m. 211. & 216. super cap. 20. Exodi: Erstlich ist zu wissen, daß uns Christen, und Heyden, die zehen Gebott nit betreffen, sonder allein die Juden. Tom. 1. Witt. f. 189. & sequent. Das menschliche Hertz muß dem Gesatz GOttes, und GOtt selbee über die massen feind seyn.
(g) L. de captivitate f. m. 76. de Sacramento Baptismi, *Christianis*, ait, nihil, ullo jure, posse imponi per legem sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt: *liberi enim sumus ab omnibus.*
(h) In respons. *ad Catharinum. Christus, ut dixi, omnes leges per libertatem sustulit.* L. de sæcul. potest: Hinc sæcularis potestas, præsumens legibus constringere mentes, Divino regimini derogatoria, animas perderet &c. L. de captivit. *Babyl.* f. m. 86. *Esto jam certus, & sese agnoscat, quicunque se Christianum agnoverit esse, omnes æqualiter esse Sacerdotes, hoc est, eandem verbo, & Sacramento habere potestatem*, usu Communitatis tamen consensui reservato &c.
(i) In decreto *Wormatiensi* A. 1521. 8. Maij.
(k) Decreto cit.
(l) Parte IV. Coll. Hist. Q. 10. 11. & sequent.
(m) Mortuus est A. 1527.
* *Iselinus* in Lexico *V. Machiavellus.* Gedachter Tractat de Principe ist von dem berühmten

tis doctrinæ contagia politicis hinc inde luminibus scintillat, miris laudibus extollere; apologeticis scriptis defendere; lectionem commendare; in novam lucem pro Reipublicæ utilitate protrudere; scholijs ornare; & repurgatum licèt non paucis erroribus, novis tamen augere, & ampliare sustinuit, uti alibi ob oculos posuimus. (a) An id fecerit magno emolumento disciplinæ de moribus, Moralistæ protestantici judicent. Illud certum, quòd Orthodoxis, teste *Conzenio*, (b) *Machiavellus sit Pseudo-politicorum Choripheus, turpis ac publicus vitiorum Doctor, qui Principem sic instituerit ad virtutem, ut tamen & vitia permiserit, ac velut Regno utiliora virtutibus quoque anteposuerit* &c. Quòd Authore illustrissimo *Pelzhofero*: (c) *Machiavellus per omnes libros suos virtutem veram abjurârit, imperia vitijs mancipârit; religioni undequaque illuserit; crudelitatem, sævitiam, avaritiam, civium inopiam, dominandi esse præsidium; Regum tutelam fraudes, perfidiam &c. esse dixerit. Denique, quòd talem formaverit Principem, qualem olim habuêre barbari Tyrannum.* Quòd, ipso fatente *Conringio*, *Machiavellus* fuerit *atheus*, & *animæ immortalitatem in dubium vocârit*; (d) *quòd id vitij habeat, ut dolos, & vitia commendet; quòd ea attingat, quæ faciunt ad stabiliendam tyrannidem, & quidem in libello, cui malè fecerit titulum Principis, cùm inscribi Tyrannus debuisset; quòd sit impius Scriptor, & scelerum Laudator, haud aliter legendus, quàm qui de venenis scripserit, nec sine Anti-Machiavello &c.* (e) Et hæc, ioquam, vel ipsis *Conringijs* certa sunt: cur ergo partum, tenebris dignum, hi Politici protrahunt in oovam lucem, fussque commendatitijs promulgant? Nempe, uti diximus alibi, (f) Protestantium interest, habere ejusmodi opportunum mangonium, utpote quibus pretiosa semper malignitas in Apostolicam sedem; pretiosa politica, quæ religiooem subordinat felicitati status, elisâ bicipitis regiminis specie, qua prærogativâ religionem suam commendant; pretiosa illa doctrina, quæ religionem tractat *indifferenter*, facilémque sternit ad licentiam autonomicam transitum. An in exceloeda juris naturalis disciplina fors scopum similem præfigant protestantici Moralistæ, suspicari saltem possunt Catholici, conjecturâ haud sanè temerariâ, uti patebit illicò ex dicendis.

§. III.
Crisis de Hugone Grotio.

§. III. *Grotius de jure Naturæ benemeritus in multis.*

Quæritur III. Quale judicium Orthodoxis de Hugone Grotio, ejúsque libro triplici de jure belli & pacis?

R. I. *Hugo Grotius, sicut erat ingenio acutus, ita de disciplina juris Naturæ, & Gentium in multis est bene meritus, nec Protestantium elogijs indignus: immò dignior respectivè ipsomet Puffendorfio, ac Thomasio.*

Declaratur assertum I. Hugo Grotius, stirpe nobilis, anno supra millesimum quingentesimum octogesimo tertio, *Delfi*, *Bataviæ* oppido, lucem hausit unà cum tenebris *Calvinianis*. Natione *Batavus*, religione *Arminianus*. Ea ingenij felicitate excelluit, ut, etiamnum oovennis, Poëta celebris audiret; ut anno decimo quinto in Philosophicis, Juridicis, Philologicis, crearetur Doctor; anno decimo septimo Advocatum jam ageret forensem, sic ut illicò promotus in magnum *Roterodami* Syndicum spes Statibus *Bataviæ* maximas faceret. Has fefellit, dum *Belgio*, malè quondam unito ad extorquendam autonomiæ licentiam, hac ipsâ jam per *Arminios* * malè divisio, *is Calvini* castra desereret, infelix transfuga *Arminianus*, quia in *Lövensteinianam* arcem abstractus ad perpetuos carceres. Sed perpetui ne essent, effecit Conjugis *Mariæ Reigerbergicæ* astuta pietas. Hæc in cista, librorum aliàs bajula, conclusum maritum feliciter *Antuverpiam* transtulit: is, subin *in Galliam* dilapsus, sui locò conjugem incarceratam inaudit, do-

ten *Conringio* mit einer verbesserten lateinischen Version, wie auch Anmerckungen A. 1660. herausgegeben worden: darauf A. 1686. eine neue Auflag erfolget.

(a) Parte septima Coll. Hist. Q. 2. f. 207. & sequent.
(b) L. Polit. 1. c. 13. Item L. 2. c. 4. §. 1.
(c) In arcania status L. 1. c. 3. & 7.
(d) Tom. 3. operum f. m. 1097.
(e) Tom. 3. f. m. 12.
(f) Parte VII. cit. f. 213.

* *Arminiani* sic dicti ab *Jacobo Arminio*, Professore *Lugdunensi Batavo Calvinista*, qui in puncto prædestinationis recessit à *Calvino*. Dicuntur etiam *Remonstrantes* à libro, quem A. 1611. obtulêre Statibus unitis sub titulo: *Remonstratio*. Dicuntur, *Socinianos* quoque errores assumpsisse.

doluitque. Tandem legationi *Sueeica* admotus, etiam Reginæ displicuit, & brevi pòst vitæ finem invenit *Rostochij* anno 1645. exuvijs *Delfum* translatis.

Libro de jure belli ac pacis famosus.

Declaratur assertum 2. E lucubrationibus celebriores *sunt mare liberum, mari clausô Seldeni Angli* oppositum: liber *de veritate religionis Christianæ*, octo idiomata loqui doctus. Sed nominatissimus est partus *de jure belli, & pacis*, initio *Batavis* satis invisus, quòd multa in eo crederent status sui arcana prodita. Quidquid sit, inter causas scribendi operis adstruit Author. *1. Neglectum justitiæ publicæ* persuasis propemodùm cunctis, *quasi nihil injustum esset Regentibus, quod utile; id æquius, quod validius, neq; Rempublicam regi sine injuria posse. 2. Neglectum publicæ pacis*, etiam penes *Christianos* effrenatâ bellandi licentiâ dominante. *3. Neglectum Juris Naturæ, & Gentium*, quod, ùt ait, hactenus attigerint pauci, certo ordine tractârit nemo, etsi hoc fieri quàm maximè interfit Generis humani. *Tractationis ordinem* sic recenset, ut libro primo proponat existentiam bellici juris, potestatem variam Imperantium, & officia subditorum; ut libro secundo exhibeat belli causas, rerum possessiones, dominia, pacta, fœdera, legationes &c. Ut libro tertio describat effectus belli licitos, & illicitos, pacisque varias conventiones. *In tractationis modo* sibi tria proposita affirmat: ut jus naturæ deduceret ex principiis, quàm maximè evidentibus; jus Gentium ex Sophorum veterum, Nationúmque communi consensu. 2. Ut nil confunderet, jus Naturæ, immò & Gentium, à jure civili & alijs gnaviter distinguendo, nec disciplinam Jurisprudentiæ cum alijs commiscendo. 3. Ut in subsidia adhiberet quoque sacræ Scripturæ oracula, Veterum testimonia, Scholasticorum sensa, historiæ monumenta, Jurisconsultorum scita, & sic de alijs.

Etiam Orthodoxis, quò ad jus Naturæ & Gentium, redigendum in disciplinam magis curatam, primus.

Declaratur assertum 3. Hoc *Grotij* Opus nec suis carere elogijs ex toto etiam penes Orthodoxos patet. Quis enim neget, eum in disciplina hac, magis excolenda & redigenda in ordinem, veluti signa sustulisse primum? Hinc non nemo eruditissimus nostri sæculi Scriptor religiosus illud vocat *præclarum Opus*, eique adjudicat *primatum, eò quòd primus, ut omnes ferè testentur, manum doctissimam huic disciplinæ pro incredibili, quod nactus erat, ingenio & eruditione, non minùs eleganter, quàm feliciter admoverit.* (a) Illud forsan clarissimo huic Authori in animo sederat, quòd non ineptè *Buddeus*: (b) *Reprehenduntur, fateor, in Grotij libris, de jure belli & pacis, singulares quædam* (immò erroneæ) *sententiæ, quas tamen facilè declinabit peritus Lector, neque propter aliquem nævum totius corporis pulchritudinem despiciet.* * *Hic viam primus ingressus est, quam deinceps alij suis signârunt vestigijs.* Hinc

Unde protestanticis elogijs respectivè dignior, quàm Puffendorfius, & Thomasius, utpote minùs digressus à Patribus, & Scholasticis orthodoxis.

Declaratur assertum 4. Quòd *Hugo Grotius* respectivè dignior sit suis elogijs, quàm *Puffendorfius*, atque *Thomasius*, colligitur 1. Quia difficiliùs fuit invenire, inventis faciliùs addere. 2. Quia *Puffendorfius*, teste *Vitriario* (c) nil nisi perpetuus *Grotij* Commentator; *Puffendorfij* verò *Thomasius*. 3. Quia laudem illam, qua *Grotij* errores plures correxit, errores quoque non paucos superaddendo, uterque corrupit. 4. Quia disciplinæ naturalis *sequestrationem* ab omni alia, qua tantoperè *Puffendorfius* gloriatur, ùt plurimum mutuavit à *Grotio*, *qui*, ùt ait, *discernere jus naturæ à jure civili semper unicè laboravit.* 5. Quia denique *Grotius* longè minùs recedit à Patribus, Scholasticis, ac Orthodoxis principiis, quàm *Puffendorfius* cum suo Scholiaste. Nam, cùm uterque, per contemptum despoticum, Patres omnes, Scholasticósque exsufflet; imò studiosè malignâ industriâ omnem Scholasticæ disciplinæ pulvisculum everrere adlaboret, in hypotheses, nimiùm *liberè*, hoc est, *protestanticè* extravagantes, erroneásque cerebelli excentrici ideas, magis quàm ipse *Grotius*, delapsi sunt, ut clarescet sæpiùs per decursum. Hinc, hac ex parte, non admodùm malè *Buddeus Puffendorfianum εὕρημα* retundit, dum ait: (d) Jam certa me spes tenet, fore, ut quæ deesse doctrinæ hujus perfectioni videntur, addantur propediem: sed & ut illi (*Puffendorfiani Ideistæ*) rectiùs sapere

---

(a) Clarissimus Pater *Franciscus Schmier* in præfatione Jurisprudentiæ publicæ universalis.

(b) In Hist. natur. Juris. f. m. 27.

* Juxta illud *Horatij*: *Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parùm cavit natura.*

(c) In præfat.

(d) In Hist. natur. ad finem f. m. 31.

ſapere diſcant, qui *jus Naturæ* à doctrina morali, quàm *Ethicam* vulgò dicunt, *ſecernentes, hodie demum, aut nudius tertius illud enatum eſſe, doceríque cœpiſſe, adeóque è Recentiorum ſaltem ſcriptis hauriri poſſe, perperam opinantur.* Tradiderunt quippe jam antiquiſſimi Philoſophi *Ariſtoteles, Plato*, cæteríque (quos inter præcipui Patres, atque Scholaſtici) jus Naturæ, *adeóque Recentiores ita ſectandi ſunt, ne tamen penitus negligantur Veteres. Grotium* omnes imitari velim, iiſque Magiſtris, quibus ille profecit, proficere omnes. Philoſophos ille conſulit omnium ſectarum &c. quantúmque præſidij accedat ex hujusmodi Scriptoribus morali doctrinæ, ex uno incomparabili *Grotij* libro intelligi poſſe *Andreas Boſius*, verè non minùs ac prudenrer, judicat &c. Ita *Buddeus*, non admodùm malè, ùt diximus, ſi tamen *modo debito* intelligatur.

Nihilominùs ejus liber eſt admodùm defectuoſus, erroneus, adeóque meritò proſcriptus, ipſomet Puffendorfio erroneum & defectuoſum teſtante.

℞. II. *His non obſtantibus Hugonis Grotij partus, de jure belli & pacis, eſt admodùm defectuoſus, & erroribus etiam heterodoxis reſperſus, adeóque meritò inter libros, Orthodoxis prohibitos, recenſitus.*

Declaratur aſſertum I. Ipſiſmet Proteſtantium centuris, ut ne ejus fautores querimoniæ cauſam; Orthodoxi dubitationis anſam prætendere valeant. *Puffendorfius* ira diſſerit: cùm *Grotius* nulli inter *Chriſtianos* ſectæ ira rigidè ſe addixiſſe viſus ſit, niſi quòd ad illos proximè acceſſerit, qui *Arminiani* audiunt; eóque ingenio fuerit, ut propter diſcrepantes opiniones non ſtatim in partes diſcedendum arbitraretur, à ſacri Ordinis hominibus ſat aſperè fuit acceprus. Nam à Pontificijs quidem ejusdem Opus inter libros prohibitos eſt relatum, non tam ob ea (uti calumniatur *Puffendorfius*) quæ ipſorum placiris circa religionem diſſona continet, quàm quia in univerſum ſolidior philoſophia moralis rationibus Regni tenebrarum adverſatur: cùm aliàs facilè fuiſſet medicinam facere reſectis marerijs Theologicis, ſicuti à noſtratibus factum eſt, qui, contenti errores notâſſe, veris debitam æſtimationem ideò non detraxerunt. Alibi ita habet (a): Fatendum eſt, non pauca *à Grotio* fuiſſe *planè præterita; quædam levi brachio tractata; quædam admiſta, quæ, & ipſum hominem fuiſſe, arguerent.* * Imprimis non exiguam labem Operi aſpergunt, queîs paſſim *à receptis Orthodoxæ Eccleſiæ ſententijs diverſus* abit. Qui quidem magnorum ingeniorum infeliciſſimus labor mihi ſemper viſus eſt, circa Divina aliquid novare: cùm tanta aliarum rerum ſuperſit copia, in qua alicui innoxiè cornicum oculos configere liceat. Et per iſthæc verè, ac utiliter dictis authoritas detrahitur, ac plurimorum aſperrimæ cenſuræ provocantur, qui aliàs contra tales Viros ne hiſcere quidem digni erant. *Ita Puffendorfius*, cui belliſſimè reponeret *Grotius*: γνῶθι σεαυτόν. Inde concludit alibi. (b) *Hobbeſium, & Grotium*, qui tam multa, *à religione noſtra abeuntia*, ſuis Operibus immiſcuerunt, ne ampliùs Juventuti prælegere cogerer, librum meum præcipuè edidiſſe, profeſſus ſum.

Uti & Kemmerichio, Fleiſchero, & alijs, plures etiam, quàm par eſt, in Grotio errores culpantibus.

Declaratur aſſertum II. Puffendorfij enucleator *Kemmerichius* teſtatur, (c) etſi *Grotius* multum præſtirerit, nævos tamen in eodem notari: quales ait, *errores Theologicos; incautum Scholaſticorum ſtudium; convenientiam legis cum ſanctitate Divina, unà cum ſocialitate, & conſenſu Gentium principij locò collocatam; denique erroneam de jure Gentium ſententiam.* Ita ille. *Fleiſcherus* carpit, (d) quòd *Grotius plura, aut planè intacta reliquerit, aut non ſolidis ſatis ex fundamentis demonſtrârit.* Biographi *Grotiani* apud *Iſelinum*, (e) præcipuè arguunt ejusdem indifferentiſmum, quo in aliquibus cum Catholicis; in alijs cum *Luthe-*

(a) In præfarione de Jure Naturæ & Gentium.

* Alibi, nempe c. 4. ſpeciminis de fundamentali propoſitione Leg. Nat. f. m. 210. §. 11. addit: *Grotium* injuſtæ artis formam non diſpoſuiſſe jus naturæ: præter multa heterodoxa materiam de bello fuſiùs tractâſſe, quàm par erat &c. Addit, *Grotium, à Commentatoribus varijs vario modo fruſtulatim conciſum, eviſceratum, extorſuatum, & diverſicoloribus veluti juſculis commentariorum, notarum, obſervationum, compendiorum, tabellarum, & analyſeon, quod pedantiſſimum ferculum eſt, perfuſum, ac adornatum, Juventuti fuiſſe propoſitum &c.* Quaſi verò non is ipſe quoque pocillatorem *Grotij* egerit.

(b) In Apologia contra Indicem Novitatum f. m. 48.

(c) C. 4. §. 43. de Hiſt. Nat.

(d) In præfat. cit.

(e) In Lexico. V. *Grotius.*

Lutheranis, * *Arminianis*, *Photinianísve* manipulos legerit, adeóque ſicuti peſſimè ſenſerit, ita neque meliùs ſcripſerit. Sed *Barclerus*, (a) *Conringius*, (b) & ex iisdem *Oldenburgerus* (c) dant *Grotiani* partûs admodùm heterodoxam anatomen, dum ajunt. 1. *Perpetuos* eſſe errores *Grotij* Theologicos, quoties differeret de libero arbitrio, de imagine Dei in homine, de duplici lege, de diſcrimine veteris & novi Teſtamenti, quos *Photianiſmos* ne quidem oblitus ſit in opuſculo *de veritate religionis Chriſtianæ*. 2. Eſſe erroneum, & neutiquam audiendum in interpreratione Sacræ Scripturæ, ** eò quòd ſicuti *Rabbini*, ita & *Grotius* corticem tantum ſumat, nucem relinquat in interpretatione dictorum *Chriſti*. 3. Eſſe item culpandum, quòd quorumdam Patrum *Græcorum* ſententias, eorúmque Recentiorum, præſerat melioribus, communioribus, & vetuſtioribus. 4. Eſſe arguendum, quòd Ethnicorum de originibus rerum ſententias, correctionis, & ſupplementi indigas, ſecurè nimiùm arripuerit. 5. Eſſe viruperandum, quòd in explanandis quoque legibus ſingulares nonnunquam amplexus ſit opiniones. 6. Denique eſſe quàm maximè caſtigandum, quòd in gratiam Pontificis non nulla mitiùs, quàm debuiſſet, ſtatuerit, quapropter meritò à *Conringio* ſit refutatus. Inde ſubjungit *Oldenburgerus*: *Valentinum Andreæ, reprehenſum à Lutheranis, & progreſſu juris Nat. ac Gentium.* 239 *quod Grotij ſcriptum præfatione quadam nimiùm commendârit, eandem mutâſſe.* Hæc luſci proteſtantici, quos nævos detegent aquilæ in Theologicis orthodoxæ?

§. IV.

§. IV.
Thomas Hobbes.

Cenſura de Thoma Hobbeſio.

Quæritur IV. Quid Catholici ſentiunt de Thoma Hobbeſio?

Author peſtilens in moralibus & politicis, meritò in librorum indice expurgatus.

℞. *Thomas Hobbeſius eſt Author peſtilens in moralibus atque politicis, cujus partus de cive, ac Leviathane inter Machiavellicos abortus *** meritò ſunt relati, atque proſcripti.* **** *2. Ut adeò nullo honore Puffendorfius, cum non nullis, eidem inter proteſtanticos doctrinæ moralis reformatores qualemcunque locum indulſeris.*

Ipſiſmet Proteſtantibus haud invisis.

Patet 1. Ipſomet Proteſtantium calculo. Puffendorfius, etſi ſcopum ſcriptionis *Hobbeſianæ*, quo regiam poteſtatem ad culmen evehere, ejúsque ſummo imperio, *jus quoque circa ſacra*, vindicare conatus eſt, *magnoperè probet* (quia finem ex aſſe proteſtanticum, ſibimet quoque præfixum) vitio tamen vertit, quòd jus iſtud *Hobbeſius* legitimis terminis non coërcuerit. *Planè*, inquit, *ferri non poſſunt aſſumpta quædam nimiùm cruda Hobbeſiana hypotheſis, nec, quæ eidem ſuperſtruuntur, dogmata, à ſana ratione abeuntia, & non exiguam labem humanis rebus inferre idonea. Nec de ijs memorem, in quibus circa religionem Chriſtianam diverſus abit, quibus deſtruendis operam impendere aliorum eſt.* (d) Alibi ait: *quòd Hobbeſius peculiaria ſibi, & horrida dogmata finxerit, & hoc ipſo apud multos, non citra rationem, averſionem ſui excitârit.* Addit tamen, *&. illud contingere, ut ab illis maximo cum ſupercilio condemnetur, abs quibus minimè lectus fuerit, aut intellectus.* (e) *Conringius Hobbeſij* ingenium deprehendiſſe ſe affirmat, *novitatum maximè ſtudioſum, temerarium, præfidens*, ac *ineptum*: addit, ejus elementa de jure *impiè philoſophari;*

---

* *Conringius* L. infra cit. ait: *Grotium*, etſi in religione ad partes *Lutheranas* tranſiiire haud auſus fuerit, tamen & alteras (*Calvinianas*) deſeruiſſe.

(a) In diſcip. ad *Grotium* L. 1. de jure P. & B. in principio, item c. 4. §. 20.
(b) In præfat. ad *Caſſandri* controv. f. 133.
(c) In indiculo Authorum f. m. 69.

** Addit *Oldenburgerus*: *contra quod malum hoc remedio utendum eſt, ut verorum, & orthodoxorum dogmatibus pectus probè muniamus.* O *Davum* ſimplicem! Ubi & quinam *veri* illi, ac *Orthodoxi*? An *Lutherani* Theoſophi? An *Oſiander*, quem toties crepat *Puffendorfius*? At ſi *veros* hos neget *Grotius* cum *Arminianis*, & *Calviniſtis*, quomodò id probabunt *Lutheriſequa*? Ubi Judex, qui litem ultimò decidat? Nunquid Scriptura, Judex ſui, ex cujusvis ſpiritu privato? *Nempe contra hoc malum apud heterodoxos nullum remedium.*

*** Natus *Hobbeſius in Anglia Malmesburij* Anno 1588, & ipſe propemodùm abortivus, utpote ante diem ex terrore Matris in lucem effuſus.

**** Decreto S. Congr. Indicis 12. *Martij*, Anno 1703.

(d) De origine & progreſſu Juris Naturæ & Gentium c. 1. ſpeciminis §. 6. f. m. 174.
(e) In præfatione operis de Jure Naturæ & Gentium.

phari ; Authorem dignum asseverat, *quem omnium odia excipiant.* (a) *Kemmerichius* ait, *Hobbesium* non modò in saniorem Philosophiam, sed & Theologiam impegisse, unde varios sibi Adversarios concitârit, *Cumberlandum*, *Bramhallum*, *Cocquium*, *Scharrockium*, *Felmerum*, *Schafium*, *Strimesium*, & alios, etsi Apologetas quoque nactus sit *Scargilum*, *Velthuysium*, *Becmannum*, *Gundlingium*, (b) omnes protestanticos, etsi *Oldenburgerus* (c) ex *Cyriaco Lentulo Hobbesium*, *usque ad Cœli terraq; offensionem*, *novitatis cupidum asseruerit.*

Patétque ex hypothesi Epicuréa, non nisi despoticismo Machiavellico accommodata.

Patet 2. Ex damnata hypothesi, quam assumpsit. Si bene *Puffendorfius* divinat, intentio Authoris erat, stabilire *Epicuream* hypothesin, quam viderat, *civitatum in suam utilitatem cuncta referentium praxi*, satis communem, sive illam eò adegerit *genij convenientia*, sive *ingenij ostentatio* in defendenda hypothesi tantoperè exosa, & paradoxa. Veriùs eò mentem intendisse fertur, ut in illis *Anglorum* turbis potestatem regiam, etiam ultra despoticismum *Machiavellicum*, firmaret. *

Patet 3. Ex principiis impiis, quæ inde deduxit. I. Nam, fundamenti locò, statum naturalem posuit *statum belli*, quem ex jure omnium in omnia, insitáque omnibus nocendi voluntate pariter ac facultate, deduxit. II. Statuit *voluntatem solius Imperantis esse regulam boni, & mali, justi, ac injusti* (d) quo ex principio intulit. 1. Ergo Reges imperando, demum faciunt bona ac justa ; prohibendo, mala & injusta. (e) 2. Ergo regulæ boni, malive sunt merè civiles, nec ante imperia extitit justum, vel injustum. (f) 3. Ergo peccatum, propriè dictum, non est nisi legis civilis transgressio, reliqua contra rectam rationem sunt tantùm *facta imprudentia.* (g) 4. Ergo doctrina *Christi*, absque mandato Principis, *vim obligandi addentis*, se habet *per modum meri consilij*; & quòd Scriptura sacra sit fidei regula, effecêre soli *Christiani* Reges, qui & soli sunt ejusdem interpretes, sic ut summa totius religionis sit *Principum capessere jura, & parere imperio sive in sacris, sive profanis.* (h) 5. Ergo omne Regnum Dei est merè politicum, nec DEUS regit populum, nisi per Legatos, hoc est, Reges & Principes (i) III. Statuit, *nihil injustum à Principe mandari posse; ejúsque potestatem esse indefinitam :* (k) ex quo principio deduxit. 1. Regis mandato qualescunque subditorum actus indubiè justificari. (l) 2. Ad mandatum Regis licitum subdito fore, ipsum *Christum* negare. (m) 3. Si lex civilis jubeat invadere aliorum bona, vel uxores, id non fore furtum, vel adulterium. (n) IV. Statuit, *à subditis deberi Imperantibus obedientiam absolutam*, ex quo intulit. 1. Seditiosam esse opinionem, quòd subditi peccare possint quomodocunque obediendo suis Principibus. (o) 2. Finem legis esse bonum præcipientis, adeóque Principes in subditos non posse esse injurios; illis esse licitum interficere etiam iñocentes; extra civitatem quemvis à quovis spoliari jure, & occidi posse; in civitate ab uno tantùm. (p) V. Statuit denique, *Ecclesiam esse indistinctam à Civitate :* unde intulit, Reges esse Pastores sumos; & tot esse Capita Ecclesiarum, quot sunt Regna; Reges solos docere *gratiâ Dei*, cæteros *Regis gratiâ*, à quo fiunt Vicarij delegati ; Sacerdotium formale esse penes Reges ; hæresin esse *id omne, quod Rex, vel Magistratus summus credi vetuerit ;* distinctionem regiminis temporalis, & spiritualis esse prorsus inanem, cùm ejus sit *religio, cujus est regio &c.* (q) Verbo : summam totius Religionis esse, *Principum parere imperio, sive in sacris, sive in profanis* ùt suprà diximus, (r) Hæc ossæ cerbereæ non nisi extima

(a) Tomo operum 6. f. m. 575. & 562.
(b) L. c. n. 48. f. m. 26.
(c) In indiculo Authorum.
* Hinc Rex *Angliæ Sorbiario* dixerat : *seuti Hobbesio in vicem ursi, ad molossorum vires tentandas, & acuendas.*
(d) De Cive C. 12. A. 1. & C. 14. A. 1.
(e) L. c.
(f) De Civ. L. c. Leviath. c. 13. & 18.
(g) De Civ. c. 14. a. 16. 17.
(h) Leviath. c. 42. 43.
(i) Leviath. c. 35.
(k) De Civ. c. 6. a. 13, & c. 14. a. 10. Leviath. c. 22.
(l) De Civ. c. 12. a. 1. 2.
(m) Leviath. c. 3. & 42.
(n) De Civ. c. 14. a. 9. & 10.
(o) De Civ. c. 6. a. 1.
(p) De Civ. c. 6. 7. 8. 9. 14. a. 1. Leviath. c. 20. 21. 23.
(q) De Civ. c. 17. a. 21. &c. Leviath. c. 23. 29. 39. 40. 42.
(r) Item l. c. suprà, & in appendice ad c. 2.

ma ſpuma, quam, Pontificiæ poteſtatis averſione excoctam, plùs minùsve lingunt pſeudo-politici Moraliſtæ ex Proteſtantibus. *

S. V.

§. V.

Anatome Samuelis Puffendorfij.

Samuel Puffendorfius,

Quæritur V. Quale Catholicorum judicium de Samuele Puffendorfio, famoſo Moraliſta, ejúsque doctrina tam celebri apud ſuos de jure Naturæ & Gentium?

Eliæ, Lutherani Præconis, filius.

℞. I. *Samuel Puffendorfius*, proteſtanticis ſcriptis famoſiſſimus, & ſicut jam alibi diximus, (a) *Eliæ, Lutherani* Præconis, filius. Natales debet ignobili pago *Flehenſi*, non procul *Chemnitio*, à cujus celebriore nomenclatura *Chemnitenſem* ſeſe dicere maluit. E Gymnaſio *Grimenſi* ad Academias *Lipſienſem*, *Jenenſem*, & *Lugdunenſem Batavam* delatus, Theologico ſtudio, quod vocant, *jus naturale præſertim ac Gentium*, præhabuit, *Grotij*, *Hobbeſiique* veſtigia proſecutus. Subin à *Carolo Ludovico Palatino*, ad explananda publicè juris Naturæ & Gentium placita, primus ex acatholicis *Germanis*, *Heidelbergam* evocatus, inter *Calvinicolas Lutheriſequa* firmum pedem habere non potuit. *Lundam*, novam *Scandiæ Suecicæ* Academiam, digreſſus, poſt varia fata ſcholaſtica ad Hiſtorici Regij munus, & Aulæ ſecretiora promotus eſt. Sed pinguiore fortunâ eundem licitatus *Fridericus Brandeburgicus* ad conſilia interiora inter Miniſtros Aulæ adlegit. Tandem anno vitæ ultimo *à Carolo* undecimo, Rege *Sueciæ*, vix in Baronum numerum è vulgari aura evectus, ad communia vulgi fata à morte rejectus denuò, diem obiit 27. *Octobris* anno 1694.

Primipilus inter Moraliſtas proteſtanticos.

℞. II. *Puffendorfius*, qui Proteſtantibus audit *Primipilus inter Moraliſtas*, diſciplinam moralem triplici lucubratione illuſtrare conatus eſt. In prima, quam appellavit *de habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem*, egit veriſſimè proteſtánticum, dum errorem, ab orthodoxa Eccleſia pridem damnatum, verſicolore obſonio obtruſit ſuis, nempe *Religionem ſtatum non eſſe, ſed Collegium in ſtatu, negato non ſolùm Primatu Apoſtolicæ ſedis, ſed & diſtinctione regiminis Eccleſiaſtici, ac ſæcularis.* Et hoc opus, ſcandalum puſillis, à nobis infrà allidetur ad petram. Alterum, magis famoſum *de jure Naturæ & Gentium*, jam olim *Heidelbergæ in Elementis jurisprudentiæ univerſalis*, veluti informi fœtu, conceptum, ** tandem in Academia *Lundenſi* à *Puffendorfio* publicatum eſt. Hoc opus, quod *Hartevvigo* teſte (b) *abſolutiſſimum, eſt partus ejus primarius, & opere Grotij incomparabiliter excellentius*, quia à lumbricis ſcholaſticis defæcatius, *** *cordatioribus, omníque penè Orbi erudito, ſecundùm doctrinæ ſuæ ideas, æſtimatiſſimum, ac probatiſſimum*, cui, veluti anacæphaleoſin, pediſſequam ſubjunxit librum *de officio hominis & civis.*

Varijs fatis etiam inter ſuos, ratione doctrinæ ſuæ, exercitus.

℞. III. Famoſi illius libri *de jure Naturæ, & Gentium* litteraria fata obiter hic repetenda, ut pateat partim ipſorum Proteſtantium de hoc opere ſenſus; partim ut *Puffendorfiani* calami character penſiculatiùs nonnihil innoteſcat. Vix inter Academiæ *Lundenſis* Doctores *Lutheranos* (quos *Hartevvigus ſternutatorios ſcholaſtici pulveris ſectatores, & novitatum oſores* appellat) apparuit *Puffendorfianus* hic fœtus, à nugis ſcholaſticis depuratiſſimus, *turmatim* illum aggreſſi, armis ſcholaſticis laceſſere cœperunt. (c) Hos

* Quos inter *Adrianus Houtinus Belga* in Politica contracta, *Benedictus Spinoza Amſtelodamenſis*, *Remonſtrantes*, & *Arminiani* in *Belgio* cum *Hugone Grotio* in L. *de jure ſummarum Poteſtatum circa ſacra*, *Seldenus*, *Colemannus* cum ſuis in *Anglia &c.*

(a) P. III. Coll. Hiſt. Q. 5. §. 2. f. 277. quæ hic, utpote in loco proprio, ſtrictim repetenda ſunt, quia Lector Hiſtoriâ criticâ fors non eſt inſtructus.

** De quibus ait in ſpecim. Controv. c. 3. §. n. f. m. 183. Qua de cauſa (ut jus ad captum omnium foret) *etiam juvenilibus annis delineabam Libellum*, rudimenta hujus diſciplinæ continentem, quem titulo *Elementorum Jurisprudentiæ univerſalis* inſcripſeram &c. In præfat. operis de J. N. & G. ait, hæc elementa, *ut ſpecimen ingenij daret*, à ſe conſcripta, apud pleróſque bonos *excuſationem ex ætatis atque conatûs ſimplicitate* inveniſſe, unde & ipſe maturior, maturiore hoc ſcripto *prioris immaturitatem velut publicè deprecatus ſit.*

(b) In dem verteutſchten Monzambano *Lipſiæ* edito anno 1710. f. m. 665.

*** Weil er darinnen die ſcholaſtiſche Grillen mehr als *Grotius* verlaſſen / ut habent *Baſileenſes in Lexico.*

(c) Squadronen-Weiß ꝛc. Wie wohl er der meiſten ihre Attaquen, Feur-Mörſer/ und

verro-

Hos inter primus *Josue Schvvarz*, *Lundensis* Theosophiæ Professor, composito *indice novitatum*, hunc *Puffendorfij* partum *Atheismi*, (a) *Paganismi*, *Zvvinglianismi*, *Socinianismi*, *Pelagianismi*, *Cartesianismi*, & super omnia *Papismi* (b) postulaverat. Et licèt *Schvvarzij* Collegæ, congregato concilio, hoc Jus Naturæ, ùt ajebant *monstrosum*, ad moralem trutinam (ùt quidem habet Biographus) (c) *S. Thomæ*, *Suarezij*, *Vasquij*, *Sanchezij*, *Molinæ*, *Durandi*, *Bonacinæ*, de *Escobar*, & aliorum appensum, reprobârint; Authorem ùt *Novatorem*, *& Academicæ Juventutis corruptorem*, damnaverint; nihilosecius à Regimine Aulico, cui censura libri à Rege erat commissa, *Puffendorfius* est absolutus, novitatum index reprobatus, combustus, & *Beckmannus*, Juris Professor, qui eum clanculùm typis mandaverat, exiliò mulctatus. Assultus repetiêre & alij plures *Germaniæ* protestanticæ Doctores: hos inter numeranda venit Facultas Theosophica *Jenensis*, ad cujus vota Jus naturale *Puffendorfij*, edicto publico, per *Joannem Georgium*, *Saxoniæ* Electorem, est reprobatum: (d) etsi toleratas demum *hypotheses Puffendorfianas* memoret ejus Biographus. Et *Fridericus Gesenius*, Superintendens *Garlebiensis*, has hypotheses *multæ perversitatis*; *Valentinus Velthem*, Professor *Jenensis*, easdem *perniciosæ* & *periculosæ novitatis* coarguit, sed uterque satyrico *Puffendorfij* dente, ille ùt *Garleensis* cerevisiæ fumis turgidus zythopeeta; (e) hic ùt *veteris barbariei* putidus latreuta, (f) derisus, sannisque fuit expositus. His successêre certaminis Instauratores *Strimesij*, & *Zentgravij*, illi *Francofurtensis*, hi *Argentoratensis* studij Professores, & *Puffendorfi unum* principiû juris naturalis, quod *in socialitate* statuitur, impugnârunt Et *Lipsiensis Scharschmidius*, *Puffendorfianas* ideas exosus, monstrosam *Monzambani* Rempublicam diruere tentavit: sed personati *Rolletti* sarcasmis, *in Scharschmidio vapulante*, suetum in morem, est elusus.

---

verrostete Canonen vil weniger als nichts æstimirte. Dann es waren vil fast mit lauter Sophistischen Hagel und Schrott darapti, felapton, und papierenen metaphysischen Blasen geladen/ vor welches Geplärre *Puffendorfius* unverzagt ware.

(a) Scriptor vitæ f. 667.

(b) *Iselinus* V. *Puffendorf.*

(c) F. m. 678.

(d) A. 1673.

(e) F. m. 709.

(f) F. m. 723. & 727. *Velthemio*, qui in Moralibus *S. Thomam* ùt Principem, *Suarezium*, ut Metaphysicorum *Papam*, *Vasquezium*, *Sanchezium*, *Molinam*, *Valentiam*, *Conimbricenses*, ùt Scriptores *æternitate dignissimos*, deprædicabat, inter alia reponit: *Animadversum est, ex quo tempore quidam nostratium Theologorum istis Scholasticis pretium aliquod ponere cæperunt, neque in universum eosdem cum Luthero, inter σκύβαλα numerârunt, res nostræ Religionis subinde in deterius ivisse, Pontificios contrà fines suos promovisse, & ad recuperanda, quæ amiserant, non parùm spei accepisse.* Miris facetijs in hunc eum ludit Paraphrastes *Germanicus* f. m. 719. Als Puffendorf, Grotius in der Philosophie Neuerungen / und zu reformieren anfiengen/ stunde man in der Opinion, der jenige wäre ungelehrter / und Barbar / der die Scholastische / und Metaphysische pedanten Grund-Sprach nit en maitre parlieren könte: damahl ware die Wunder-heilige Scholastische Wissenschafft / absonderlich Metaphysica, als Regina omnium scientiarum, als die wohlbestellte Cammer-Fräulein der Theologie, Jurisprudenz, und Medicin denen Studiosis recommendiret / als gleichsam die Sturm-Haub der Gelehrten / und wann ein anderer Feind käme / und in die flanquen fallen wolte / stellten sie ihme gleich ein halb dutzet wohl mondirte / und mit guter Rüstung versehene Distinctiones unter Augen / trieben den ersten Sturm ab: wolte diß nit truchten / holten sie ein Hauffen metaphysische axiomata, und canonen / anstatt den canonen herfür / und feureten ihren Adversarijs ins Gesicht rc. Ja es wurden auch öffters die Adels- und Stands-Persohnen dahin persuadiret / daß sie sich auf solche absurditäten legten / und anstatt / daß sie sich auf die wahre Philosophie, und polite Wissenschafften appliciren solten / wann sie von Academien nach Hauß kommen / wusten sie nichts anderes als von metaphysischen entibus rationis, von barbara, celarent, felapton, camestres, und dergleichen monstris discurriren / wordurch dann vil edle Gemüther zu Staats-Sachen / und anderen realen affairen inhabil gemacht / und in Grund verdorben seyn. Ist diß nit zu beklagen / daß man die edle Zeit einig auf dergleichen Zeug emploiert rc. Ita hic Paraphrastes omnem scholasticam methodum, Heterodoxorum veterum more, ad supprimendam veritatis, pressiùs indagandæ, semitam, adducit in ludibrium, & contemptum. Quid si ejusmodi phantasijs, & ipsi Catholici sese imbui

sus. (a) Needum satis. Idem fundamentum Juris naturæ, *quò ad socialitatem*, aliásque Juris *Puffendorfiani* hypotheses, *Orthodoxo Juris & Gentium jure*, ùt ajebat, convellere aggressus est *Valentinus Alberti*, cum Theosophis *Lipsiensibus*: lis indiguit ordinario rursus *Puffendorfij* clypeô, è *Juvenalis* satyris deprompto. Denique & manus committere debuit cum *Seckendorfio*, qui *Albertinas* hypotheses prætulit *Puffendorfianis*, & sic de alijs fatis *Puffendorfiani* partûs *de Jure Naturæ & Gentium*, quibus bene *Seckendorfius* finem imposuit scripto anonymo, *Puffendorfius modestiâ castigatione admonitus &c.*

Quò ad systema disciplinæ dogmaticæ de jure Naturæ & Gentium suis Encomijs non est indignus.

℞. IV. *Puffendorfij liber de Jure Naturæ & Gentium (idem suo modo judicium esto de libri hujus epitome, seu officio civis, ac hominis) quò ad systema disciplinæ dogmaticæ suis encomijs non est indignus. 2. In multis est ingeniosus, eruditus, & explicando naturæ juri perquàm accommodus; in non paucis est veritati consonus, & etiam Orthodoxis haud illaudatus. 3. Immò à suis Antagonistis protestanticis non nunquam immeritò est reprehensus, & abstrahendo à stylo satyrico, à semetipso contra suos, saltem hinc inde, non inefficaciter defensus.*

Quia est respectivè dogmatista primus in methodo, etiam ipso Grotio, magis accommodus.

Declaratur assersum quò ad 1. Non immeritò *Puffendorfij* Encomiastæ hunc asserunt *respectivè primum*, qui disciplinam Juris Naturæ ad systema dogmaticum, *Grotiano* multùm accommodatius, revocârit, & ùt ipse loquitur, *pleráque, pædiam juris naturalis spectantia*, longè ordinatiore methodo pertractârit. Atque hoc præcipuè præstitit in libello *de officio hominis & civis*, ubi *officia ad Deum* supplevit, quam methodum, non modò probamus ipsi, sed & eandem imitari conabimur per decursum. Accedit, quòd *Grotium* suppleverit in multis; in pluribus *Hobbesium* emendârit, & Jus Naturæ à cæteris curatiùs non raró discreverit.

Urietiam in scopo tractandi jus Naturæ, sequestratum à cæteris, vitato tamen duplici ejusdem errore, quem hac ex parte commisit per excessum, & per defectum.

Nec ex toto displicet *Scopus*, quem sibi præfixum toties inculcat, tractandi nempe jus Naturæ *peculiariter*, & suo modo *universaliter*. *Peculiariter*, quatenus peculiarem disciplinam constituit, cujus constituendæ principium unicum sit *lumen rationis*, sequestrando jus Naturæ tam à Divino positivo, quàm humano, & utriusque controversiis, maximè Theologicis. *Suo modo universaliter*, quatenus accommodetur ad captum omnium hominum, *quamcunque circa sacra persuasionem foventium*, sic ut ex principiis, *ipso lumine naturæ suppeditatis*, ad eorum veritatem agnoscendam, *solius rationis ope*, omnes compelli queant. (b) Ubi tamen duplex vitandus est error, ab eodem commissus: primus *per excessum*, dum ipsam quoque Theosophiam naturalem *sequestrando*, abstraxit à Religione etiam naturali, etsi *universaliter omnes liget*, *tanquam fundamentum ipsius naturalis juris præcipuum*, adeóque ab ejus disciplina inseparabile, ùt initio diximus. Hunc errorem, subin agnitum, supplevit *Puffendorfius*, supplendo *officia hominis erga Deum*, in libello *de officio hominis*. Alter ab eodem commissus est *per defectum*, * dum jus Naturæ sic *privativè* tractandum suscepit, ut non adjungeret juris Divini & Humani principia, quibus illud vel perficitur, vel elevatur, id, quod disciplinam hanc *Christiano usui* reddit quàm maximè utilem, ac necessariam. Id in *Puffendorfio* desideravit eruditus *Leibnitius*, dum scripsit: (c) *Plurèmùm referret parallela addi juris Civilis, inter homines recepti, præsertim Romani, ipsiúsque etiam juris Sacri: ita usus juris Naturæ apud Theologos, & Jurisconsultos pronior futurus esset, quod nunc magis sermonibus celebratur, quàm negotijs adhibetur.* **

Decla-

---

bui sinerent? An non è *converso* dici posset illud *Puffendorfij*? Ex quo tempore quidam Nostratium scholasticæ formæ omne pretium adimunt &c.

(a) Anno 1678. *Priusquàm ad castigandam Cyclopis (Scharschmidij) stultitiam accingamur &c.* sic ungit & pungit stylo satyrico per totum, hunc in modum ubique pariter facundus, & fœcundus in suis apologijs *Puffendorfius*.

(b) In Epist. ad amicos f. m. 111. In specimine controv. c. 1. §. 7. f. m. 174. Item c. 3. §. 2. f. m. 183. & alibi.

* Etsi & hunc in grandiori opere sæpe, *necessitate connexionis*, supplere coactus sit.

(c) In epist. censoria libri de officio hominis & civis f. m. 6.

** Aliter *Thomasius* in procem. Instit. Jurisprud. Divinæ §. 15. Majorem adhuc usum Jurisprudentiæ naturalis esse experiebar in applicatione legum, cùm tot infinitæ circum-

Idem in multis nec apud Orthodoxos eſt illaudatus.

Declaratur aſſertum quò ad 2. In *Puffendorfij* ſcriptis de Jure Naturæ non pauca *ingenioſa*, *erudita*, explicando Naturæ juri *accommoda*, & veritati quàm maximè *Conſona*, uti laudant paſſim orthodoxi Scriptores, ita hæc ipſa pro illuſtranda veritate allegant: ij ſcilicet, quibus permiſſum, ſic inſpicere Authores prohibitos, ut tritici grana à furfure ſeligant, eáque in uſum, verè Catholicum, convertant.

Et hinc inde non ſatis meritò reprehenſus à ſuis proteſtanticis Criticis.

Declaratur aſſertum quò ad 3. Etſi proteſtantici Critici multò plura, optimo jure, ac veriſſimè, damoent in *Puffendorfio*, non nulla tamen, vel malè allegata, vel non ritè, nec in Authoris ſenſu, intellecta, facilè deprehendet, qui ejusdem apologiam multiplicem, indifferente oculo, luſtrârit. Sic v. g. *Valentinus Albertus* ex ſtatu integritatis non ſatis feliciter impugnavit *Puffendorfianam* hypotheſin, ſolis principiis, ratione cognitis, ſuperinſtructam. (a) Sic idem *Puffendorfius Joſuam Schvvarzium*, *Beekmannum*, (b) *Velthemium*, *Zentgravium*, & *Geſenium*, (c) perſeitatem turpitudinis in actibus, Naturæ jure prohibitis, aſſignantes, non malè repreſſit, primámque regulam moralitatis, legem DEI æternam, rectè defendit. * Sed nos Proteſtantium mutuas lites tanti haud facimus, ut fuſiore paginâ dignas hic cenſeamus. Sæpe Cenſores, ſæpiùs *Puffendorfium* ceſpitantem videbimus *defectu orthodoxæ Theologiæ*. Quid ergo mirum, quòd ex falſis præmiſſis nec illi extraxerint verum, nec ex hoc Juriſconſulto ſatis conſultus ſcintillârit ſæpe Theologus?

Nihilominùs &

n. V. *His non obſtantibus, Puffendorfij partus de jure Naturæ & Gentium, quò ad doctrinam, eſt admodùm defectuoſus. 2. Proteſtanticè corruptus, & ideis, in fide erroneis, malignè conſperſus. 3. Adeóque Juventuti Catholicæ periculoſus ac perniciosſus, meritóque inter libros prohibitos rejectus.*

hic Author eſt admodùm defectuoſus in ſuo ſyſtemate.

Ut teſtis eſt Wernerus proteſtanticus quò ad modum eruendi juris naturalis minimè demonſtrativum.

Explicatur aſſertum quò ad 1. Teſte *Balthaſare Wernero*, JCto proteſtantico, ** *Puffendorfius*, in tantoperè deprædicato *ſocialitatis* principio, veram demonſtrandi methodum nequaquam retinet, ſed in ſpecialibus præceptis ac prohibitionibus demonſtrandis, rationes ſolùm probabiles, & qualemcunque æquitatis ſpeciem obtrudit; inoumeras item quæſtiones ad jus Naturæ refert, quas extra ejusdem objectum & quaſi ſphæram, conſtitutas eſſe conſtat,

Kemmerichius quò ad principium ſocialitatis haud adæquatum.

2. Authore *Kemmerichio*, *Puffendorfij* Enucleatore ſtudioſiſſimo, (d) cujus judicium confirmat Eruditorum communis, *Puffendorfius* erravit in ipſo lapide angulari moralis ſui ædificij, fundameoto nempe, quod in ſola ſocialitate conſtituit: *eò quòd ex una parte hoc principium non ſit ita evidens, ut non aliquod evidentius poſſit reperiri:* ex altera non *ſit adæquatum; dum ex eo duntaxat officia ergà alios, non verò erga Deum*, & *ſeipſum commodè* (quia admodùm tortè, & obliquè) *deduci queant.* Hinc addit: *Anſam authori præbuit Grotius, qui, cùm jus Belli, & Pacis ſcribere vellet, ex quo controverſiæ Principum decidi poſſent, officia erga alios tantùm reſpiciebat, quæ ex ſocialitate utique deduci poterant, atque adeò ſocialitas inſti-*

---

circnmſtantiarum varietates, quibus negotia humana civilia veſtiuntur, ſæpiſſimè caſum forment, & facti ſpeciem, qui legibus civilibus planè definitus non eſt, vel ubi plures leges, diverſa diſponentes, concurrunt, principijs communibus opus eſt, quæ & Gentium cordibus inſcripta ſunt.

(a) In ſpecim. controv. c. 4. de fundam. propoſit. Leg. Nat. §. 17. f. m. 219.

(b) In Apol.

(c) In appendice, & in ſpecimine controverſ. c. 6.

* Sic & illuſtris *Leibnitius* in epiſt. cenſoria f. m. 21. & ſeq. *cauſam obligationis juridicæ*, à poteſtate *ſuperiore* deductam, quæ & *viribus*, & *juſtis cauſis* ſuffulta ſit, minùs rectè, & ex ſuppoſitis illegitimis, impugnavit contra *Puffendorfium*, non incongruè defenſum *à Webero* ſcholiaſte ad L. *de officio hominis & Civis* c. 2. §. 5. & in epiſtolæ *Leibnitianæ* ootis f. m. 21. & ſeqq.

** In Elementis J. N. c. 5. §. 14. *Puffendorfius per ſuam hypotheſin in particularibus juris naturæ præceptis expoliendis haud rarò extra limites exerrat, neque ex ſuo principio, ſed ex mera æquitate, pro qua ſæpius in utramque partem argumenta ſuppetunt, dictata rectæ rationis derivat; aliquando planè haſitat, ſententia incertus &c. Accedit, quòd non ita in proclivi ſit, quid ſit ſocialitas, & ſi vel maximè eam ita explices, ut ea omnia, quæ ad humanam ſocietatem faciunt, jure Naturæ præcepta, & quæ eidem repugnant, prohibita eſſe dicantur, hæc tamen quænam ſint, non ita expeditum eſt.* Ita ille.

(d) L. c. c. 3. n. 25. f. m. 59.

ſtituto ejus ſufficiebat, ſed non pro diſciplina juris Naturæ adæquatâ, quam venditabat, atque profitebatur.

Leibnitius quò ad finem felicitatis ſolummodò hujus vitæ.

3. Teſte *Leibnitio* fœdùm hallucinatus eſt *Puffendorfius in ipſo fine* juris Naturæ, quem *ſolâ hujus vitæ felicitate*, tanquam *termino*, concluſit. Etſi enim finis naturæ humanæ *partialis*, & *immediatus*, ſit *hujus vitæ felicitas*, non tamen eſt *adæquatus*, & *ſubſtantialis*, quia non eſt *adæquata naturæ humanæ felicitas*, quæ ſeſe *ſub ratione præmij naturalis* neceſſariò extendit ad vitæ alterius terminum *qualemcunque*. Nam ſatis liquet, *ratione ſola*, non attingi felicitatem alterius vitæ *ſupernaturalem*, ſub ratione præmij *æternùm duraturi*, id, quod identidem, ſed extra rhombum, regerit *Puffendorfius:* * non tamen ſat liquet, *ratione ſola*, nec ipſam attingi *immortalitatem animæ*. Et licèt iſta non attingeretur *ſaltem evidenter* (quòd *Puffendorfio* interim transmittemus) *ſolo tamen rationis lumine*, non poteſt non eſſe *evidenter nota* alterius cujusdam vitæ neceſſitas *ſub reſpectu præmij vel pœnæ*, ſic ut evitatione hujus, & conſecutione alterius obtineatur tandem *felicitas ſubſtantialis & conſummata*. Hoc *Puffendorfius* ſi abnuat, adſtruit naturam humanam *ab Authore Deo peſſimè conſtitutam*, quia deſtitutam principiis, ad honeſtatem vitæ, finémque ſuum *indiſpenſabiliter* requiſitis. Cùm enim, ut rectè notat *Leibnitius*, *in hac vita præſente pleraque impunita, impenſatáque transmitti conſtet*, nec virtus eſſe queat *ſufficiens præmium ſui*, nec vitium *ſui ipſius congrua pœna*, ſi cum *Puffendorfio* abſtrahas à pœna vel præmio, ſeu ab Authore naturæ, ùt præmiante bona, & puniente mala, *ſaltem in altera quadam vita*, enervis ruet obligatio juris Naturæ ad principia *honeſti, decori, & juſti*; carebit Genus humanum ſufficiente incitamento ad virtutem, & congruo abſterriculo à vitio; immò carebit ſufficiente medio ad conſequendum finem, puta felicitatem perfectam, id, quod infrà fuſiùs demonſtrabimus.

Et quò ad objectum, non niſi actionibus externis terminatum.

4. Eodem Authore *Leibnitio*, *Puffendorfius* quoque cæcutiit *in objecto juris Naturæ*, dum ſcripſit: (a) *quæ intra pectus latitant, nec foris prorumpunt, ad jus Naturæ non pertinere, quâ ratione*, inquit *Leibnitius*, *ex mutilato fine naturæ etiam objectum ejus nimis contraxit, ut planè mirer, viro inſigni, in hac eruditionis luce, talia excidere potuiſſe, non minùs paraloga, quàm paradoxa.* Id magis mirum videri poſſet, tam *paraloga*, ac *paradoxa* à *Puffendorfio*, ejusque Syndico *Webero*, etiam fucari obtruſo palpo, quaſi *interna* philoſophiam moralem, Ethicámve reſpicerent, non trahenda ad Jurisprudentiam naturalem *cum confuſione* utriuſque diſciplinæ. ** Sed quàm hæc frivola ſint, apparet, quòd philoſophia moralis, quatenus *per regulas honeſti, decoríque* dirigit *officia hominis erga ſeipſum, & Deum*, ſit conſtitutivum intrinſecum juris Naturæ, id quod in libello *de officio hominis, & civis* agnovit ipſe *Puffendorfius*, ſupplevitque inanem libri grandioris jactantiam, qua *omnia, quæ ad diſciplinam juris naturalis pertinent, complexurum, & in ordinem non hiulcum ſe digeſſurum*, (b) edixerat, vano utique promiſſor hiatu.

Denique, quò ad modum tractandæ diſciplinæ, omiſſis officijs ad Deum, ſoli foro externo accommodatæ.

5. Eodem Authore *Puffendorfius* deviavit quàm maximè *in modo tractandi diſciplinam juris Naturæ*, utpote qua ſolas fermè actiones hominis exteriores, ſibi formandas, ſumpſit; interna, quæ ad Deum, ac ſe ipſum hoc ipſo Naturæ jure formanda ſunt, *ſub prætextu vitandæ inter diſciplinas diſcretas confuſionis*, vel relegando ad forum Ethicum, Theologicum, & Divinum, vel ſupponendo talem ex Philoſophia morali, aut Theologia naturali

* V. g. In præfat. de officio hominis §. 8. Diſciplina juris naturalis hominem format, prout hanc vitam cum alijs ſociabilem exigere debeat: aſt Theologia moralis hominem *Chriſtianum* informat ad honeſtatem vitæ, & pietatem in Cælo præmiandam &c. Notator *Weberus:* finis juris naturalis non eſt, ut per ejus obſervationem *æternùm* ſalvi ſimus; ſed ut in hac vita ſociabiles, & beati evadamus.

(a) In Epiſt. cit. f. n. 13.

** Sic in ſpicilegio Juris naturalis. §. 20. f. m. 299. Laconicè *Zentgravium* reprimit: *quæ reſtant, exigui ſunt momenti, velut quòd carpit à me juris naturalis ſcita, ad uſum duntaxat fori humani, adaptari, quia in Theologiam moralem mihi falcem immittere non placebat.* At placere debebat falcem mittere in meſſem propriam, Theologiam naturalem, ſaltem volenti tractare diſciplinam juris naturalis adæquati, uti promiſerat.

(b) In præfatione citata.

rali: * unde utilissima pars juris Naturæ omissa; internorum cura neglecta; genuina juris principia malè supposita; immò ex erroneis alijs solo vitæ termino clausa felicitas, statúsque publica commoda, pro adæquato fine & objecto, proposita, ut *adeò*, *Leibnitio* teste, *parùm tuta, ac facilis sit hypothesis, quam Puffendorfius constituit, animi intus pravi, foris innoxij.* Hanc animi, intus depravati, incuriam si minùs expressè constituit in suis principiis juris naturalis, *circa interna*, ùt ait, *parùm soliciti*, (a) saltem *permisit*, & passim *latenter*, uti videbimus, innuit, forsan ex norma Religionis *Lutherica*, cujus prærogativam alibi (b) commendavit, dum *in ea bonorum operum summam, officio boni viri* (utique ex Naturæ jure *quò ad extrinseca* ritè compositi) *definitam* esse, scripsit. Atque ista ad assertum propositum satis, cùm cariosis è fundamentis judicium facile sit ad molem superimpositam, cujus fatiscentes hiatus explicabimus per decursum.

Est insuper protestanticè corruptus, proterita Patrum, & Orthodoxorum omni authoritate.

Probatur assertum quò ad 2. Quòd nempe *Puffendorfij* uterque partus sit *protestanticè corruptus*, & *ideis in fide erroneis* malignè conspersus. Non ego perstringam hic *Puffendorfium atheismi* stigmate, quod protestantici Morsilistæ illi inusserant: ** *id pro scopo Catholico* satis, *Protestantismum* ab eo passim diffusum, latentèrque instillari ut posset, velut *pro scopo* sibi habuisse propositum. Protestanticos obtutus mox in Operis fronte sic explicat: cur ab hoc opere exclusetim Scriptores, qui, *inter secta Romana addictos mores*, sibi conscientias quoque hominum regendas sumpsêre, *quos ipse Grotius, & alij magno agmine in partes vocare gaudent*, ejus rei ràtio *apud cordatos* satis, puto, constabit. Scilicet istis hominibus suorum traditorum *nullum certum fundamentum, aut hypothesin subsistere*, solemne est: sed præter illa, quæ à JCtis mutuari solent, *frivolas ùt plurimùm quæstiones parilus ratiunculis* confirmare contenti, de cætero integras legiones suæ sectæ scriptorum allegâsse, præclarum habent, quorum unum, si noveris, omnes noveris: *ita omnes magno conatu magnas nugas agunt*, ut tamen vix ulla sit quæstio, in qua isti in partes non discedant. *Cujus instituti hac est arcana ratio*, ut postquâm inter fundamenta sacræ istorum Reipublicæ *est hominum conscientias, non ratione, sed authoritate* Sacerdotum *regi*, *ubique in promptu sit Authorum nubes, qua qualemcunque sententiam stabilire idonea sit, prout quemque persuaderi horum interest.* Atque inde bono publico pessimè mereri arbitramur, qui, in tanta solidarum scientiarum luce, *ad istas adhuc nugas, Regni tenebrarum fætum juxtà, ac stabilimentum, Juventutem manuducere laborant.* *** Turpiter verò otio suo abutitur, & vulpes ungit, ac hircos mulget, qui ista in utramque partem disceptare, & cum sana ratione conciliare satagit. Ita prò suo candore protestantico *Puffendorfius.*

Explosa methodo Aristotelica.

Uti Patres, Scholasticos, & Scriptores catholicos ubique despotico calamo proterit; ita & methodum studiorum Orthodoxam, *Aristotelem* præ primis, ejúsque *syllogisticam* formam dicacitate satyrica ubique conculcat, partim ut contemptibilem reddat, quam protestanticæ verbositatis nôrat exosam; partim, ut vagam quidvis sentiendi,

---

* Inde in specimine controvers. c. 5. *de origine moralitatis*: §. 25. f. m. 253. ait, caput de religione naturali esse *consectarium doctrina de Deo, seu Theologia naturalis, adeóque nativam veluti sedem in disciplina juris naturalis non sortiri*: id tamen caput, *in usum Juventutis*, suppleviffe se, affirmat.

(a) In Præf. cit.

(b) L. de statu Imp. Germ. c. 8. §. 7. f. m. 216. edit. *Veron.* A. 1667.

** Apud *Hartevvigum* Biographum f. m. 667. Man machte ihne gar zu einem monstreusen Mann / und schädlichen Atheisten.

*** In specim. controv. c. 2. de Novit. phil. §. 5. f. m. 181. ait: Majorem mihi adplausum *apud solidè eruditos* polliceor, si Scholasticos dixerim, tractare doctrinam *barbaris vocabulis, frivola subtilitatis speculationibus adornatam, scientia profectu inanem, astutissimo consilio nutritam, ad otiosa ingenia, vanis disputationibus distinenda, ut à scrutandis Divinis litteris, solidáque eruditione, simúlque fraudibus, Regni tenebrarum perspiciendis removerentur. Qua non solùm per se nihil ad culturam confert, sed pestilentissima est, dum utiles litteras suffocat, ingenia scientia vana persuasione distendit, veraque scientia incapacia reddit: qua sola qui imbuti sunt, ne hilo rebus gerendis aptiores redduntur &c. sic ut reverà præstet omnes litteras nescire, quam nihil præter Scholasticos nôsse &c.*

tiendi, garriendique licentiam induceret, ac ſtabiliret. Hinc *formam ſyllogiſticam* vocat *circumforaneum diſceptandi genus*; *probandi verò rationem ſummam, habemus textum expreſſum in Ariſtotele.* Hujus diſciplinas, & præcipuè philoſophiam, appellat *ſcabioſam, diſputationum & dubitationum nutriculam ſolertiſſimam;* cumprimis aptam ad clamoſas diſputationes, infinitas objectiones, *ſtrepitum* nempe *& nubem ſcholaſtici pulveris excitandum:* ſuppeditari ab ea, aſſerit, *infinitam vim ſonorum, & diſtinctiunculaium ſine mente, queis auditoria ingenti altercatione reboent, Doctore in cathedra barbam mulcente, ſibique miris modis placente.* Addit: quod *frenum pedanticum* niſi bona quædam ingenia abrupiſſent, ad Mundi uſque finem philoſophi poma *Ariſtotelica*, ſcharabæorum inſtar, in circulum volviſſent, *ſcientiâ rerum naturalium ne hilum quidem promotâ.* Damnum *ab Ariſtotelicis* diſciplinis *in Eccleſiam illatum*, ait, quòd ex illis *otioſi* homines monſtroſam illam, & inquinatam Theologiam juxtà, ac Philoſophiam ſcholaſticam concinnârint, quæ *cùm idoneum ſit inſtrumentum Regno tenebrarum* * (quo vocabulo Papatum ſemper indigitat) hodie quoque in tanta luce nobilioris philoſophiæ, *ab ejus Regni propugnatoribus mordicùs defendatur: cujus nempe interſit, ſolidam rerum divinarum, & humanarum notitiam alta caligine eſſe immerſam; cùm econtrà Proteſtantium interſit*, ut etiam mulieres, & ruſtici illarum rerum cognitione *vel Albertum, Magno majorem, ſuperent.* (a)

Et proſcriptis fidei Catholicæ dogmatibus, veluti Juri Naturæ ſanæ politicæ adverſis.

Idem cùm ſtatuiſſet: *expedire, ut Civitas ejuſmodi doctrinis publicè perſonet, quæ cum fine* (felicitate ſcilicet temporali) *uſúque Civitatum congruunt, ſimúlque civium animi à puero iſtis imbuantur*, à proteſtanticis Theoſophis *Machiavelliſmi* eſt poſtulatus, cujus è placitis doceret, *Religionem ſtatui eſſe accommodandam, & pro hujus inſtrumento habendam*, eò quòd hæc explicaret non tantùm *de humana ſcientia*, ſed etiam de ea, *quæ eſt circa cultum Dei.* Hic pennam acuit animoſus Apologeta in *Aſinios tenebriones*, vindicans integritatem ſuam in *Lutherica fide*, ſcripſitque, ſe non locutum de dogmatibus, *quæ propriè ſpectarent cultum Dei*, ſeu *Religionem Chriſtianam*, illam nempe *primævam, ab erroribus, atque aſſumentis humanis*

---

* Unde cùm in ſpecim. Controv. c. 4. f. m. 208. *de Valentino Alberti* dixiſſet: *in proœmio queritur, diabolum in eo totum fuiſſe, ut Philoſophiam tam theoreticam, quàm practicam, eximia utique Dei dona, florente Papatu, corrumperet:* Addit: hoc veriſſimè dictum, ſed addi tamen debuerat, id potiſſimùm factum *ope Sacerdotum*, qui *ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem* inanibus, iisdémque intricatiſſimis nugis ſcholas oppleverunt, quibus diſtricta bona ingenia à ſolidarum rerum inveſtigatione averterentur, & ut homines cæco obſequio à nutu eorundem dependerent, genuinam Philoſophiam moralem penitus oppreſſerunt. Rurſus cùm dixiſſet ex *Valentino*: *poſt repurgatam religionem* (*à Luthero* ſcilicet) *cùm è Philoſophia practica noſtro ſæculo doctrina de jure Naturæ & Gentium enucleatiùs proponeretur, hæc ut Orthodoxæ fidei adverſa evaderet, maximoperè laboravit diabolus:* hæc ſexcentis paralangis à ſe amolitur *Puffendorfius*, & in orthodoxos Scholaſticos detorquet: *equidem*, inquiens, *id ſine dubio ad artes tenebrarum* (quo nomine denuò Papatum honorat) *pertinet, moralia dogmata, nullis ſubnixa fundamentis, mordicus retinere; falſis & pernicioſis traditis genuinam politicam corrumpere; vaſtis & intricatis voluminibus de juſtitia & jure, nec non commentitiis conſcientiæ caſibus actionum humanarum regulas certas, ſolidas, & perſpicuas obruere; animóſque hominum, inter ancipitia veluti natantes, ab hominum, ſuis commodis velificantium, nutu ſuſpendere; probabilitatem* (probabiliſſimum ſugillat) *etiam probioribus Pontificiorum deteſtatam, comminiſci. Ad iſthæc arcana ſtatûs, Regni iſtius diſſipanda, inter alios fines pertinet opera eorum* (quos inter triumphat *Puffendorfius*) *qui hoc ſæculo doctrinam juris Naturæ & Gentium, altâ hactenus caligine ſepultam, eruere, & in juſtam diſciplinam redigere laborârunt. Ubi tamen contigit, ut, qui cæteris omnibus viam præivit Grotius, intempeſtivè & præter neceſſitatem, quædam ſubinde aſpergeret, quæ à ſcitis Eccleſiarum noſtrarum abirent &c.* quæ tamen à ſe, ad uſque pulviſculum repurgata, utique meritò gloriatur *Puffendorfius.* Ex quibus omnibus, qui *Puffendorfii* hoc in opere præfixum finem non palpat, cum *Batto* in lapidem obriguerit, neceſſe eſt.

(a) Contra *Valentinum Albertum* acatholicum in commentario ſuper invenuſto *Veneris Lipſianæ* pullo. f. m. 366. & ſequent.

nis repurgatam: * sed de dogmatibus *moralibus*, religionem comitantibus, seu *ethicis*, seu *politicis*, *sub religionis specie, aliáve modo obtrusis*, statuens in hæc expressa verba: *dogmata illa, quæ sive sub religionis specie, sive alio modo obtruduntur, & jus naturale, principiáque sana* (puta *Puffendorfiana*) *politica convellunt, nec tantùm per accidens, seu ex hominum intemperie, sed suâ naturâ turbas excitare, & exitiabiles morbos in Civitate producere apta sunt, è Civitate proscribenda esse.* Atque ut protestanticis Criticis *Lutherici* pectoris sensa apertiùs denudaret, quæ ille dogmata, *per suam Jurisprudentiam naturalem*, proscriptum iret, sic scribillavit: (a) Ex eo genere dogmatum, *quæ sanè pestilentissima, sub Religionis larva*, alicubi irrepsisse nemo ignorat, sunt hæc. *1. Dari potestatem extranei cujusdam Sacerdotis* (puta Pontificis) *cui summi Imperantes civiles subjecti sint, quíque ipsos dejicere solio, ac Cives obligatione adversùs eosdem absolvere queat. 2. Omnibus Sacerdotibus cujuscunque Reipublicæ Christianæ necessariò dependendum ab aliquo Sacerdote extraneo. 3. In Sacerdotes summo imperio civili nullam esse potestatem. 4. Sacerdotibus necessariò competere immunitatem ab oneribus Reipublicæ, ut tamen ipsis in infinitum suas opes cumulare liceat. 5. Quemlibet civem actiones suas exteriores, & ad statum Civitatis spectantes, juxta propria conscientiæ dictamen, posse regere, etiam contra leges publicas, & jussa summorum Imperantium* (v. g. religionis Catholicæ cultum externum, exercitia, seu dogmata prohibentium) *6. Non dependere abs cujusvis arbitrio actiones, super quibus in foro humano solet exigi ratio* (v. g. sacramentali sigillo aliena crimina, Reipublicæ noxia, retegere prohibente) *7. Illicitos esse homini Christiano aliquos actus* (v. g. usum Matrimonij Clericis, Religiosis, Sacerdotibus) *ad conservationem Civitatum in isthac mortalium conditione necessarios. 8. Dari aliquod vitæ genus* (v. g. Monasticum) *Civitati necessarium, quod per se vitio, & impuritate labores; fanaticorum hominum* (Sacerdotum, & Monachorum) *deliria, & commenta, pro oraculis, divinitùs inspiratis, esse habenda, & si quæ sunt ejus farinæ alia.* (b) Atque hæc & similia, explicata in palma, ut contrahamus modò in pugnum, ita arguimus. Juxta *Puffendorfij* sensa in utroque libro, disciplina juris Naturæ & Gentium *tradenda est: 1.* rejectis Patribus, Scholasticis catholicis, eorúmque methodo *Aristotelicè* pedanticâ, nec nisi *tenebrarum Regno stabiliendo* accommoda. *Petenda est 2.* Ex solidioribus principiis ** *Socialitatis humanæ*, in ordine *ad finem* Civitatis, puta, *felicitatem externam, temporalem*, vitæ terminis conclusam, *** sic ut deducta exinde officia hominis, tanquam dogmata, *Reipublicæ fini ac usui congrua*, à teneris Juventuti sint instillanda, quêis religio *Christiana* (saltem *primava*, seu *ab assumentis humanis protestanticè repurgata*) haud disconvenit *juxta Augustanæ Confessionis effatum: Evangelium non abolet politias.* (c) *Stabilienda est 3. Proscriptis pestilentissimis* illis dogmatibus, *ex sua natura* Naturæ juri adversis, turbas excitare aptis, Reipublicæ perniciosis, *quæ, sub larva Religionis, tanquam assumenta*, vel *alio modo*, obtruduntur, qualia sunt *de Primatu* exteri Sacerdotis; *de distinctione potestatis Ecclesiasticæ, & civi-*

---

* Cujus concordiam cum vera politia expresso libello demonstrâsset; puta libello, cui titulus: *De habitu religionis Christianæ ad vitam civilem*, cujus anatomen intrà dabimus.

(a) In *Erida* Scandica, seu Apologia §. 6. f. m. 7.

(b) In Apologia cit. Item in specimine controv. c. 6. de examine doctrinarum §. 1. f. m. 272. & sequent.

** In specim. Controv. c. 2. De novitat. Philosoph. §. 5. f. m. 180. *Ægrè ferunt*, inquit *Puffendorfius, qui in Scholasticorum lacunis ætatem contriverunt, tu votis mihi esse, ab orthodoxa Juventute limpidos doctrinæ moralis fontes adiri.*

*** Dicente *S. Augustino* L. 2. *de Civit.* c. 10. Isti nullo modo curant flagitiosissimam esse Rempublicam &c. Reges non curent, quàm bonis, sed quàm subditis imperent; Provinciæ Regibus, non tanquam Rectoribus morum, sed rerum dominatoribus, & deliciarum suarum provisoribus serviant &c. Tantùm stet, inquiunt, tantùm floreat Respublica, copijs referta, victorijs gloriosa, vel, quod feliciùs, pace secura sit &c. Nullus ducatur ad Judices, nisi qui alienæ rei, vel domui fuerit importunus, aut noxius &c. &c.

(c) Apo. L. c. f. 7.

civilis; de Ecclesiastica quacunque exemptione; de Monachatu, & cæteris commentis * &c. Atqui per hæc sensa *Puffendorfij* uterque liber *est protestanticè* corruptus, & ideis, *in fide erroneis*, malignè incrassatus: ergo &c. **

Est denique Orthodoxa ætati periculosus, perniciosus, ac meritò proscriptus, quia Protestantismi inductivus, & Catholicismi exterminativus.

Assertum 3, quòd nempe *Puffendorfius* Juventuti Catholicæ sit *periculosus*, ac *perniciosus*, adeóque meritò *proscriptus*, fluit ex dictis, & breviter sic ampliùs declaratur. Illa disciplina juris Naturæ *est periculosa*, ac *perniciosa* Juventuti Catholicæ, quæ *ex suo scopo* sic est instructa, ut per principia varia latenter stabiliat dogmata Religionis acatholicæ, & convellat Catholicæ: talis *est Puffendorfiana. Minor probatur.* Juxta principia *Puffendorfiana, Evangelium non abolet politias, nec inter se pugnant Officia boni Civis, Politicique, ac boni Christiani:* (a) ergo illa religio *verè est Evangelica, & primæva*, adeóque tenenda, & præferenda, quæ magis congruit officiis boni civis, & principiis statûs; & *illa assumentis humanis* est corrupta, atque exterminanda, quæ disconvenit hisce principiis: atqui illa est religio *Lutherica*; hæc Catholica: nam, ùt alibi prodidit arcana statistici pectoris: *In Lutheranorum religione sane nihil licuit animadvertere, quod principijs doctrinæ civilis repugnat. Potestas circa sacra Principibus asserta; opes Sacerdotum ad tenuitatem, magno Reipublicæ bono redactæ &c.* (b) *Contrà religionis Catholicæ prorsus alia indoles, utpote cui non tam cura est, ut animi ad probitatem formentur, quàm ut Sacerdotum opes, potentia, & authoritas immensùm gliscat, &c. &c.* (c) Ut adeò *Puffendorfius* eandem *Lutheranismi* crambem, quàm alibi *ùt Historicus, apertè protestanticus*, coxerat, (d) novo obsonio politico recoxerit ùt *Monzambanus*, Statistæ Catholici larvâ tectûs; tandem *ùt Moralista*, juridico conditam pipere, denuò hic obtruserit, ubique sibi similis, ex commodis statûs religionem accommodans, *** hoc est, *Luthericus ex asse.* Inde est, quòd ipsomet teste, *in suis hisce traditis toto Cælo à Pontificiorum commentis abeat*; (e) quòd *in scopo* suæ disciplinæ naturalis tam cum *Hobbesio*, quàm *Machiavello* exactè conveniat, *in asserendo* nimirùm, ùt ipsemet ait, *unius potestate tam circa sacra, quàm circa profana*: hoc tamen discrimine, quòd *Puffendorfius* subruat *aliqua* tantùm Catholica dogmata; *Hobbesius evertat plura*; *Machiavellus omnia*, ut adeò *Puffendorfianismus* veluti *heterodoxia protestantica*; *Hobbesianismus* velut *insania pseudo-politica*; *Machiavellismus* velut *utriusque* coagulata *impietas Atheistica* Orthodoxæ ætati Academicæ sit fugienda, ac detestanda. ****

§. VI.

Appretiatio Christiani Thomasij.

§. VI. Christianus Thomasius.

Quæritur VI. Quale tandem judicium est Catholicis de Christiano Thomasio?

R. I.

---

* Hæc inter commenta alibi ponit, & execratur *directè* præmium cœleste, *ùt mercedem*; *indirectè* bona opera, ùt *meritoria vitæ æternæ*, cùm dicit: *ad aliquid à DEO exigendum nulla creatura jus habet: quippe cùm etiam, quæ ex promisso DEUS nobis præstat, ejus gratiæ* (quæ tamen merito non obest) *in acceptis referre debeamus: & omnes pij* (*Lutherice* tales) *execrantur impudentiam istius Monachi moribundi, qui veluti suo jure DEUM Cælum poscebat hisce verbis: solve, quod debes.* In specim. Controv. c. 4. f. m. 198. §. 4. Ita Monachus ex ore *Puffendorfij*: è suo dixerit cum *S. Paulo: cursum consummavi &c. de reliquo reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus, justus Judex.*

** In epist. ad *Scherzerum* f. m. 70. his suis dogmatis addit epiphonema dicens: *quò minùs ita doceam, neque Jesuita, neque Anabaptista, neque Quackeri, neque universa fanaticorum cohors me prohibebunt, qui omnes hîc amicè conspirant, & facultatem, turbas in Republica movendi hoc dogmate, subtrahi indignantur.*

(a) L. c. f. m. 6.
(b) Sub nomine *Monzambani* in L. de statu Imp. Germ. c. 8. §. 7. f. m. 215. edit. *Veron.* Anno 1667.
(c) L. c. §. 8. f. m. 218.
(d) De statu *Romano* in der Einleitung zur Histori. Vide Coll. Hist. P. III. Q. 3. f. 42.
*** Uti demonstravimus P. VI. Coll. Hist. Q. 1.
(e) In Apol. c. §. 5. f. m. 5.

**** Conferantur ea, quæ diximus de hoc Authore P. III. Coll. Hist. Q. 5. f. 288. & sequent. Hanc disciplinam juris, quod spectat, saltem apud Catholicos vera est illa *Schwarzij Eliæ* crisis: *hæc nova Puffendorfiana plus veneni, quàm commodi Juvenibus afferunt.* In Apol. cit. f. m. 37. §. 27.

Ejusdem ponderis cum Puffendorfio.

℞. I. *Thomasius, in statera Catholica, quò ad pleraque ejusdem est cum Puffendorfio ponderis, pretiique politici.* 2. *Quò ad non pauca est pretij minoris, utpote Puffendorfij paraphrastes magis anomalus.* 3. *Ut adeo Fleischeri elogia, in Thomasium tam liberaliter congesta, ad auxeses Rhetorica protestantica meritò referantur.*

Quia amanuensis maximè in erroribus.

Pars prima declaratur ab ipsomet *Thomasio*, dum institutionibus suis in ipsa fronte hanc dedit epigraphen: *fundamenta juris naturalis secundùm hypotheses Puffendorfianas*; dum fatetur, *sese in totis institutionibus suis præ oculis habuisse opus Puffendorfij, ejusque scripta apologetica, sic ut ipsi soli relinquat, quæ bona; quæ minùs aptè & convenienter posita, sibi reservet.* Immò meliùs egisset, si sibi sola sumpsisset *Puffendorfij* bona, neque mala amplificando fecisset pejora, non tam *Puffendorfij* emendator, quàm depravator. Profectò errores omnes, quos suprà in *Puffendorfio* vidimus, in *Thomasio* repetitos, non sine auctario, videmus. Idem authoritatis omnis contemptus, Scholasticorum exagitatio, * & exsufflatio in protestanticas auras: *hodie* per nos, *Luthericos Megalandros, propugnaculum priscorum Sapientum, Aristotelis, Alberti, Thomæ, Scoti ** penitus est expugnatum*; (a) rectè *Lutherus*, Reformator ille Dius, *Seckendorfio, & Gerardo* teste, *Theologiam scholasticam, veluti ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam, è Scholis protestanticis eliminavit, ejecit, protrivit.* (b) *Socialitatem esse fundamentum* juris naturalis demonstratur *ex Seckendorfio, tanquam ex quo patere vobis possit, sententiam hanc nostram jam ante Christi nativitatem floruisse, atque sic antiquiorem esse doctrinâ Scholasticorum, &c.* (c) *Inde est, cùm Scholastici rationibus destituantur, quibus propugnaculum Patrum & Aristotelicum defendant, rem non meliùs procedere posse putant, quam si sub specie Religionis Adversarios, ùt Novatores & Hæreticos, proscindant.* (d) Ita *Thomasius.*

Quos novit etiam adauget.

Pars 2. Ab eodem denuò Authore demonstratur. Fatetur ipse, objectum sibi fuisse etiam à suis, *quòd, fundamenti locò, posuerit principia, quæ heterodoxiam, & nescio, quam impietatem, atque Philosophiam novaturientem saperent, non cum parvo Reipublicæ damno.* (e) Ab isthac accusatione ut sese expurget, inquit, *nullus mihi thesin demonstrabit, quæ Scripturæ sacræ, & fidei, quam profitemur, articulis repugnet.* Mox subjungit confessionem fidei protestanticam: *credo*, inquit, *quòd potestas declarandi hæreticum, sit regale, & pertineat ad jura Principis sacra &c. ordinandum tamen ex norma Verbi divini &c.* Grandi adjuncto mendacio: *ita video, observatum esse in primitiva Ecclesia, in primis Concilijs Oecumenicis; ita docent me principia genuina Politices.* (f) Addere potuisset: (g) credo, quòd omnes *habitus Theoretici*, qui pro fine tantùm habent speculationem, *ad stultitiam*

---

* Id stylo despotico per omnem librum præstare minimè neglexit: sic E. g. phrasin scholasticam, qua DEUS dicitur *eminenter* justus &c. L. 1. c. 3. n. 64. exagitat: *quæso, quid lucratur Philosophia his nugis? Hi sunt fructus Philosophiæ gentilis, vel potiùs abusus, quo Scholastici mysteria fidei ex Philosophia deducere instituerunt, & Philosophiam normam fecerunt Theologiæ, contra præceptum Apostoli, qui Colossenses graviter monuit, ne patiantur se decipi per Philosophiam, & inanem fallaciam &c. Ad istum abusum refero pene totam Scholasticorum Pneumaticam, seu Philosophiam de Spiritibus, DEO puta, Angelis, & anima hominis separata &c.*

** Arma, quibus expugnat Antiquos, profert in suo libro varia v. g. L. 1. c. 1. §. 36. *Ex Cartesio*, quocum statuit, *bestias carere sensu, moveri ùt machinas*, rationem hominis nil aliud esse, quàm *cogitationem.*

(a) L. c. §. 27.
(b) L. c. §. 52. Ubi ex *Seckendorfij* Christen-Standt L. 3. c. 7. prolixam chartæ illinit pseudologiam de orthodoxis Scholasticis, juxta spiritum *Lutheri* concludens: D. Johan Gerhard thuet wegen der Scholasticorum folgende Erinnerung: der seelige Lutherus habe mit wohlbedachten und heilsamen Rath die scholastische Theologiam, welche er ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam/ genennet/ aus unseren Schuelen ausgemustert/ und wo man solche wider einzuführen gedächte/ wäre es eben/ als ob man statt des Brods Eichlen zur Speiß brauchen wolte.
(c) L. c. §. 53.
(d) §. 27. cit.
(e) L. c. §. 28.
(f) §. 31.
(g) Ex thesibus 48, quas *ex institutionibus suis* excerpsit, & publicè disputandas proposuit Anno 1694.

titiam pertineant. * Credo, quòd disputationes de justitia *commutativa* & *distributiva*, *universali & particulari* sint *grilli inutiles*. Credo, quòd ex ratione demonstrari non possit, Deum *externo cultu* esse prosequendum. Credo, *quòd falsiloquio* uti aliquando liceat; immò præceptum sit. Credo, quòd meris rationibus naturalibus non possit demonstrari, *omnem concubitum libidinosum*, etiam *ad bestialitatem*, qui pertinet, *aut concubinatum*, *aut lenocinium*, esse prohibitum. Credo, quòd polygamia, *etiam virilis*, mero jure Naturæ non sit interdicta. Credo, quòd *nullus incestus* juri Naturæ repugnet &c. & sic de aliis. Unde ipsemet Author ingenuè fatetur. (a) *non nisi fortunæ præsentis ævi se in acceptis ferre, quòd sentiendi, docendique licentia, in Institutionibus usurpatâ, hactenus publicum castigatorem non viderit, etsi Puffendorfianas ideas omnes non modò renovârit, sed & animosiore conatu plures excogitârit.* Nam ait: *absque vanitate* fateri ausim, me fuisse primum, qui jus divinum à naturali genuinis terminis ordinârit; qui multa officia hominis, præsertim in statu conjugii, contra communem, Naturæ juri vindicârit. Profectò si *Puffendorfii* ævo institutiones meæ lucem publicam aspexissent, næ ego *perniciosissimus hæreticus* audiissem: adeò absorptus suis præjudiciis erat Mundus. Nam si contra *Puffendorfium* tantus sonuit strepitus, cùm polygamiam muliebrem, solùm *problematica methodo*, traderet, quantus in meum caput detonuisset, publicè profitentis, *nec polygamiam muliebrem*, *nec virilem*, *nec incestum ullum*, etiam lineæ directæ, aliáque similia, esse jure Naturæ prohibita? His non obstantibus audacem fortuna juvit, & Institutionum mearum partus, fortunati hujus sæculi auspiciis tutus, etiam *cum approbatione* lucem publicam vidit, & illustravit. Hæc ille: quid ultrà egemus testibus?

Ut adeò Fleischeriana hyperbole evanescat.

Pars 3. De Fleischeri auxesibus, respectu *Thomasii*, ultrò consequitur ex his præmissis. Accedit, quòd principium juris naturalis *Puffendorfianum*, in sic dicta Jurisprudentia Divina tot phrasibus defensum, ipse *ut mancum*, *& ambiguum* agnoverit, & *per leges Divinas universales* impertinenter emendârit, tandem in fundamentis Juris Naturæ, & Gentium penitus rejecerit, & institutiones suas Divinas, admodùm humanas, declarârit, dum pleraque asserta, statuto alio principio juris Naturæ, & revocaverit & reformârit. Sed & isthæc *fundamenta*, per secundas curas vulgata (quod mireris) tam sunt exotica, juris naturalis cum positivo tam confusiva, tam paradoxis ideis, erroneisque phantasmatis farta, ut laudem, quam à suis non modicam meruit Divina illa Jurisprudentia, fundamentis suis, tam malè fundatis, penitus obscurârit. Fidem in hac crisi non poscimus, nisi eandem per decursum plenissimè faciamus. Dabit *Fleischerus*, qui secundas *Thomasii* curas compilavit in Academicam methodum, argumenta plura, quem si posthac nominaverimus, *Thomasium malè reformatum* nominare semper intendimus.

Unde fluit multiplex ratio hujus disciplinæ, Catholico studio accommodandæ.

§. II. *Atque ex his omnibus, fusiore hactenus paraphrasi, in medium allatis, manifesta fluit & utilitas, & necessitas, saltem pro Academica ætate Catholica conscribendi Institutiones juris publici, præsertim Naturæ & Gentium, queis admovere manum consultum duximus, multiplici de causa.*

1. *Ob insignem utilitatem in juris studio.*

Prima. Quòd absque doctrina juris naturalis perfectus Jureconsultus esse vix possit. *Ratio est* 1. Quia ultima juris humani ratio, ùt rectè advertit non nemo, (b) ferè in jure Naturæ quærenda est. 2. Quia jus Naturæ suppeditat media genuinæ interpretationis, & applicationis. 3. Quia principiis universalibus constat, reliquum jus nonnisi particularibus, è quibus omnes casus decidi non possunt, minimè omnium negotia Gentium. 4. Quia docet experientia, *jus publicum Romani Imperii*, *aliorúmque Regnorum* ægrè addisci, nisi *jus publicum universale*, è quo jura singulatum Civitatum, tam quò ad se, quàm in ordine ad Respublicas alias, descendunt, tractatione prævia sit explanatum; cùm tralatitium sit, rivos ex fonte deducendos, & quæ generica sunt, particularibus esse præponenda.

Secun-

---

* Hanc confutatam lege in prodromo juris controv. edito hìc loci A. 1737. Differt. 1. §. 2. n. 32. f. m. 17.

(a) In programate ad Academicos *Hallenses* f. m. 81. Ich kan es nit anders als dem Glück gegenwärthiger Zeiten zuschreiben / daß man mir meine Freyheit / der ich mich in besagten Institutionibus gebraucht / ungekränckt gelassen ꝛc. ich bin auch weiter / als *Puffendorf* gangen / und ohne Prallerey zu melden / der erste gewesen.

(b) In appendice Thematum *Puffendorf.* Disputat. 1. Themate 1. editionis *Giessensi* Anno 1703.

Ob convenientiam.

Secunda. Quòd calamo Ecclesiastico atque Religioso, magis quàm sæculari, prælertim protestantico, consentaneum videatur (si nostri temporis erudito Authori fides) (a) tractare jus Divinum, cùm *naturale* mentibus nostris impressum; *tum positivum*, seu tabulis lapideis, seu saeris paginis digito Dei inscriptum, secundùm quod homines, ejuscunque conditionis, ad bene, beatéque vivendum instituantur, id, quod exemplo suo docuère *Anglici*, (b) *Ambrosij*, *Augustini*, *Bellarmini*, *Osorij*, *& Simancæ Episcopi*, *Conzenij nostri*, aliique plurimi Commentatores in libros *Stagyritæ* politicos, qui lucubrationes suas de Regum, Principum, Regnorum, & Rerumpublicarum institutione, ac gubernatione ediderunt, nósque ad legenda utcunque sua vestigia animârunt.

Ob lucubrationum, hac in re, penes Orthodoxos paucitatem.

Tertia. Quòd disciplinæ hujus, *academico studio, saltem Catholico, accommodatæ*, ingens sit raritas, ut uno excepto vel altero (quod sanè mirum, & à Protestantibus Orthodoxæ parti toties exprobratum) vix tertium nominare possis, Academicæ ætati utiliter suadendum. Contrà apud Adversarios tanta nostro ævo pullulat *Institutionum*, *Elementorum*, *Compendiorum*, *Exercitationum*, de jure Naturæ & Gentium, seges, ut protestanticam *Palladem* penè singulis noctibus edere videas novos partus, utinam publicæ luci semper proficuos. Quid ergo mirum, si nostra penuria alienam copiam commendet? Si propemodùm cogat sitim restinguere è cisternis periculosis, quia *protestanticè* dissipatis? Hæc ipsa, fateor, raritas, etsi difficultatem objecerit, simul tamen & animos addidit, ut præsenti temporum necessitati calamum commodaremus. Tantò enim ardentiore studio oportet iis insudare scientiis, quæ Reipublicæ tam salutares; quantò pauciores est reperire, qui iisdem, pro meritò dilucidandis, navâsse operam dignoscunrur.

Ob retundendam, & retorquendam Moralistarum protestantium falsitatem.

Quarta & præcipua ratio est. Quia protestantica eruditio, hoc nostro ævo, est *tota* in eo, ut disciplinam juris Naturæ, & Gentium, ab antiquis Patribus (si credere fas est) tantoperè neglectam, à Scholasticis orthodoxis adeò confusam, atque corruptam, è Papisticis tenebris eruant; ad usum academicum reforment; & ad boni publici emolumentum illustrent. Rem tanti clamoris penitiùs si rimemur, ilicò evanescit in grande vacuum. Jus Naturæ & Gentium excolunt, *ut protestantico scopo* accommodent, & passim depravent. Anguem non rarò porrigunt sub herba, hoc est, principia *erronea*, eruditionis velata fronde. Fundamenta juris Naturæ, suis ideis commoda, statuunt, Religioni suæ magis, quàm Orthodoxæ, conformia: inde illam hac veriorem inferunt, sicque *divisionem potestatis*, & *Hierarchiæ Ecclesiasticæ Primatum* (petram scandali in protestantico oculo) non ad divina Oracula, sed *ad assumenta humana* referunt. Verbô: id agunt, ut, *sub genuini Politicismi fuco, Protestantismum latenter Juventuti instillent; Principibus obtrudant; eúmque in Imperio Romano-Germanico magis stabiliant, ac propagent.* Nemo igitur ægrè feret ex Protestanticis, si eorum studiis provocati, in partem adversam, agamus ratem; si scopum scopo opposito conemur elidere, *ut ne Juventutem catholicam protestanticis, & Apostolicæ Sedi, & Imperatoriæ Majestati parùm honorificis principijs, posthac imbui contingat.* (c) Quidquid sit, cùm meliore titulo nobis faveant Naturæ jura, *more nobis hactenus solemni*, in id incumbimus, *ut ne protestantica falsitas maneat sine vindice, & Catholica veritas sit sine Patrono.*

(a) In præfatione ad Lectorem Jurisprudentiæ publicæ universalis clarissimi Patris *Francisci Schmier*.
(b) Siquidem Author est libelli de regimine Principum.
(c) Ita Censura Theologica de opere Catholico Juris Naturæ & Gentium, quòd nuper edidit clarissimus *Sigismundus Stapffius, Friburgi Brisgoia*.

ELEMENTUM
PRIMUM
PARTIS I.
DE
JURE NATURÆ.
SEU
TRACTATIO
GENERICA,
DE
PRINCIPIIS CONSTITUTIVIS, DIRECTIVIS ET COGNOSCITIVIS JURIS NATURÆ, ET GENTIUM,

Ad normam Moraliſtarum noſtri temporis,

Maximè

PROTESTANTIUM,

Adornata,

Et pro Studio Academico,

Præſertim

CATHOLICO,

Accommodata.

INSTITUTIONUM JURIS NATURÆ ET GENTIUM

Pars I.

PARTIS I.

De Jure Naturæ. Elementum I.

DE JURE NATURÆ ELEMENTI I.

Titulus I.

TITULUS I.

De principijs moralitatis.

De Principijs & Fine Juris Naturæ circa moralitatem actuum humanorum.

Instructio I. De proprietatibus actûs humani.

INSTRUCTIO I.

De principijs constitutivis, seu de natura, & proprietatibus actûs humani in genere.

§. I. Actus humanus minùs propriè omnis motio: propriè sola libera.

§. I.

Quæritur I. Quid sit actus humanus, & quotuplex?

℞. Actus humanus *in genere* est *motio quomodocunque ab homine profecta.* Cùm enim homo sit *rationale animal*, hoc est, interprete *sancto Damasceno*, *substantia intellectiva* dependenter ab organis, *arbitrio libera*, *& per se potestativa* suorum actuum: speciei duplicis habet actus, *non liberos* v. g. circulationem sanguinis; *liberos* v. g. actum amoris DEI, hoc discrimine, ut *actus hominis* dicantur tam liberi, quàm non liberi; *actus* verò *humani* solummodò *liberi*, quorum homo est Dominus, & qui ex voluntate deliberata procedunt.

Arbitrium liberum est facultas rationis & voluntatis.

Quæritur II. Quid sit arbitrium liberum?

℞. Est facultas *rationis*, & *voluntatis*: unde quod est liberum, est voluntarium, sed non vicissim: quia multa *necessaria* sunt *voluntaria*; hinc voluntarium, respectu liberi, est prius *à subsistendi consequentia*: nam valet; *est liberum: ergo voluntarium.*

Proprietas duplex.

Quæritur III. Quænam proprietas actûs humani?

℞. Duplex: *Voluntarietas*, * *&* *libertas.*

Quæ-

* *Spontaneitas dicitur Puffendorfio*, sed minùs propriè, quia latissimè: nam *spontaneitas* omnibus substantijs cognoscentibus, etiam brutis, competit juxta *Angelicum* P. 1. L. 6. A. 2. *Vasquium* Disp. 23. c. 2.

Voluntarietas.

Quæritur IV. Quid voluntarium, & involuntarium, & quotuplex?

℟. I. *Voluntarium*, è mente *Divi Augustini*, rectè dicitur, *id*, *quod procedit ab intrinseco*, quando neınpe agens se ipsum movet ad certam actionem, *& ex cognitione finis*, dirigendo scilicet actionem ad finem, à se cognitum, & intentum: talis est v.g. sumptio *rabarbari* respectu hominis biliosi.

Involuntarietas.

℟. II. *Involuntarium est*, *quod non procedit ab intrinseco &c.* seu cui deest conditio ex requisitis ad voluntarium, sic ut sit contra positivam inclinationem agentis. *

Voluntarium multiplex.

℟. III. *Voluntarium* dividitur 1. In *formale*, & *objectivum*: illud, est ipsa volitio, seu actus elicitus à voluntate: hoc, est objectum intentum per volitionem. *Formale* subdividitur in *liberum*, & *necessarium*; illud procedit ex cognitione *liberè*, uti amor Dei in Justis: hoc sequitur *necessariò*, uti amor Dei in Beatis. *Objectivum* sub se continet *voluntarium in se*, seu *directè* volitum; & *voluntarium in alio*, seu *in sua causa*; item *voluntarium directè*, quod procedit ab aliquo tanquam agente, v.g. perforante navim, ut mergatur; *& in voluntarium indirectè*, quod procedit à non agente, v.g. omittente navis gubernationem, cum prævisione mersionis.

Dividitur 2. In Voluntarium purum, & mixtum. Illud procedit sine inclinatione contraria; hoc cum inclinatione contraria, seu nolitione inefficaci. Huc revocatur *voluntarium simpliciter*, & *secundùm quid*: illud fit cum nolitione inefficaci, etsi sit juxta inclinationem absolutam, ac efficacem: istud, etsi sit juxta aliquam inclinationem voluntatis, est tamen contra aliam prævalentem: sic projectio mercium in mare, metu naufragij, est *simpliciter* voluntaria; retentio autem est voluntaria *secundùm quid*.

Dividitur 3. In voluntarium *voluntate propria*, *& aliena*: hac posteriore contractus, initus à Tutore, pupillo est voluntarius.

Dividitur 4. In voluntarium *expressum*, *& interpretativum*, quando consensus colligitur ex circumstantiis. Item *in actuale*, *virtuale*, *habituale*, *morale*, quando quis non impedit aliquid, etsi teneatur &c. & sic de aliis.

§. II.

§. 2. Metus non tollit voluntarietatem actûs imperantis.

Quæritur V. An & quomodò metus stet cum voluntario?

℟. I. *Dum aliquid fit ex, seu propter metum, actus imperans est voluntarius simpliciter.* Patet: nam *simpliciter voluntarium est*, quod absolutè *fit ab intrinseco*, *& ex cognitione finis*: talis est actus imperans, v. g. *volitio*, *absolutè imperans* projectionem mercium in mare ex metu naufragij, qui metus *Angelico est fuga mali futuri*, *difficulter evitabilis*: ergo &c.

Vel imperati.

℟. II. *Etiam actus imperatus est simpliciter voluntarius.* Patet: nam actus imperatus est *projectio mercium*, in quam *simpliciter*, id est, *efficaciter* & *absolutè*, hic & nunc, consentit actualis volitio projicientis: ergo est voluntaria.

Saltem simpliciter.

℟. III. *Si tamen huic actui imperato, qui fit ex metu, actualiter coëxistat volitio inefficax, odio habens actum hunc imperatum, rectè dicitur involuntarius secundùm quid.* ** Iterum liquet: Illud enim est *involuntarium secundùm quid*, quod est contra actualem, virtualem, vel habitualem, *utut inefficacem*, volitionem mercatoris: atqui talis est memorata projectio: ergo *est involuntaria secundùm quid*.

Si quidem eidem coëxistat volitio inefficax.

℟. IV. *Quòd si hæc volitio non actualiter, sed tantùm conditionaliter coëxisteret in alijs circumstantijs, ratione probari non posset, actum esse involuntarium secundùm quid.* P. Quid intelligatur *per involuntarium secundùm quid*, pendet à voluntate loquentium: ergo ratione probari nequit: atqui talem actum, ne quidem *secundùm quid involuntarium*, tenent Magistri linguæ Scholasticæ nominatissimi, *Lugo*, *Palavicinus*, *Esparza*, *Maurus*, & alij communiter: ergo, cui hæc Authoritas sufficit, is rectè dicit ejusmodi actum non esse *involuntarium secundùm quid*.

Eadem est ratio de vi.

Quæritur VI. An & quomodò vis seu violentia sese habeat cum voluntario?

℟. Ea-

* Non enim involuntarium *negativum* & *privativum*, *quia impropriè tale*, agnoscimus.

** Abstrahendo, an *formaliter*, vel saltem *materialiter*, *eò quòd non metus*, *sed aliud motivum v. g. amor divitiarum causet hanc repugnantiam.*

℞. Eâdem ratione, qua *metus*, nisi tamen omninò cogat *ad actum externum* contra voluntatem: sic enim actus foret *simpliciter involuntarius*, ob nolitionem saltem *affectivè efficacem*. Dicitur *ad actum externum*, eò quòd *ad ipsam volitionem internam* homo cogi non possit. Potest quidem Deus *necessitare* voluntatem ad actum, uti patet in Beatis; nequit tamen *cogere*: nam cogere est *inferre violentiam*: atqui est impossibile, ut homo patiatur violentiam in eo, *quod vult*, seu ad quod habet inclinationem, cùm omne violentum sit *contra inclinationem*. Unde aliud *est violentum*, aliud *coactum*, aliud *involuntarium*. *Violentum est*, quod est *contra appetitum innatum*, & datur etiam respectu inanimatorum. *Coactum*, seu *invitum est contra appetitum elicitum*, & ita quidem, ut appetitus, quantum in se est, excludat permissionem effectûs. *Involuntarium positivè* (de quo hic sermo est) *est etiam contra appetitum elicitum*, sed tamen *per se* non excludit permissionem effectûs.

§. III

§. 3. Concupiscentia, Seu appetitus sensitivus.

Quæritur VII. Qua ratione concupiscentia componatur cum voluntario?

℞. I. *Per concupiscentiam* notatur *appetitus sensitivus*, vel potiùs actus hujus appetitûs *vehemens*, qui, si feratur in bonum *arduum*, pertinet ad appetitum *irascibilem*; si in bonum *delectabile*, spectat *ad concupiscibilem*. Hinc concupiscentia alia *est antecedens* usum arbitrij liberi; *alia consequens*: illa præcedit; hæc præsupponit *voluntarietatem*.

Non tollit voluntarium simpliciter.

℞. II. *Concupiscentia, non evertens usum rationis, non tollit simpliciter voluntarium. 2. Etsi possit tollere libertatem.* *P. 1.* Ponatur Bellidux, qui, ex concupiscentia promotionis vel gloriæ, animo statuat expeditionem periculosam. Jam sic: in hoc proposito plus est de voluntario, quàm involuntario; cùm expeditionem *velit efficaciter*, dicendo, *volo*: evitationem periculi *inefficaciter*, dicendo *vellem*: ergo *simpliciter* est voluntaria. C. Liquet à pari in *Æthiope*, qui dicitur *niger simpliciter*.

Etsi possit tollere libertatem.

P. 2. Ponatur casus, quo quis, ex vehementia passionis præcipiti ad vindictam, non apprehendat motiva in contrarium. Jam sic: talis fertur ad vindictam *ab intrinseco*, *& ex cognitione finis*, ut ipsi bene sit: ergo *est voluntaria*: atqui non simul *est libera*: non enim potest nolle vindictam, quia motiva absterrentia ponuntur à passione antecedente occultata; voluntas autem *in incognitum* ferri haud possit.

Quandoque causat involuntarium secundùm quid.

℞. III. *Concupiscentia, spectata ratione, quandoque causat involuntarium secundùm quid. 2. Etsi plerumque causet, immò intensiùs augeat voluntarium.*

P. 1. Decretum *efficax* suscipiendæ expeditionis, junctum cum repugnantia voluntatis naturali, virtuali, vel habituali, *est involuntarium secundùm quid*: * ergo. A. patet ex paritate cum projectione mercium, eò quòd, *Augustino* teste, *timor* sit virtualiter *amor*.

Plerumque causat.

P. 2. Actio, facta ex concupiscentia, est plerumque juxta inclinationem voluntatis, & ad illam concupiscentia inclinat; immò est causa, ut voluntas majore affectu feratur in objectum concupitum, uti testis est experientia: ergo.

§. IV.

§. 4. Ignorantia antecedens causat involuntarium negativè.

Quæritur VIII. An & quomodò ignorantia respiciat voluntarium?

℞. I. *Quòd ex ignorantia antecedente, seu invincibili fit, non est voluntarium. 2. Sed regulariter etiam positivè involuntarium.*

P. 1. Ponatur casus, quo filius, sub dumeto latitantem, occidit Patrem, inculpabiliter putans esse feram. Jam sic: ignorantia hæc antecedens facit, ut talis operatio, secundùm circumstantiam ignoratam, non procedat *à voluntate cum cognitione*: ergo nec directè, nec indirectè, est voluntaria: *nil enim volitum nisi cognitum*.

Immò plerumque involuntarium negativè.

P. 2. Operatio, ex ignorantia antecedente causata, *saltem regulariter*, ** secundùm circumstantiã ignoratam, *est*

* Abstrahendo, an debeat dici *strictè tale*, seu *minùs strictè*, quia *non formaliter ratione concupiscentiæ*, sed *materialiter*, ratione alterius motivi retrahentis, provenire concipitur.

** Quia posset fors esse casus exceptus, v. g. quo poneretur comestio carnis ex invincibili ignorantia in homine, cujus sanitati caro plus conducit, ut adeò optaret abstinentiam à carne non esse præceptam; abstineret tamen, si sciret diem Veneris: pòst autem gaudeat *speculativè*, *ratione sanitatis* de comestione, *innocenter posita*: quo casu non esset *contra inclinationem*, seu *cum displicentia*, adeòque haud *positivè* involuntaria.

est contra inclinationem actualem, virtualem, vel habitualem *agentis*; non enim poneretur, si ignorantia abesset: *ergo positivè* est involuntaria: nam in quæstione nominis loquendum cum pluribus.

Concomitans nec causat positivè voluntarium, nec involuntarium.

℞. II. *Quod fit ex ignorantia, præcise concomitante, neque est voluntarium, neque positivè involuntarium.*

P. 1. Quod non est cognitum, non est voluntarium, nec fit ex inclinatione positiva voluntatis: atqui quod fit ex ignorantia concomitante, non est cognitum: ergo.

P. 2. Ejusmodi actio non est conjuncta *cum displicentia*, nec *contra inclinationem* agentis, ùt ponitur: v. g. si quis hostem, quem maximè occisum cupit, per invincibilem ignorantiam in venatione occidat pro fera; ergo.

Consequens causat voluntarium saltem indirectè.

℞. III. *Quod ex ignorantia consequente, seu vincibili fit, semper est voluntarium, saltem indirectè. 2. Licèt quandóque possit esse involuntarium secundum quid.*

P. 1. Quod ex ignorantia consequente, seu vincibili fit, est cognitum in sua causa, nempe *in ignorantia, & omissione* debitæ diligentiæ, ex qua prævideri debebat secuturus effectus: ergo est quoque voluntarium *saltem indirectè*.

Etsi absolutè possit quandóque intervenire quædam involuntarietas:

P. 2. Potest aliquis ita esse constitutus, ut, licèt omittat debitam diligentiam, saltem aliquam, inquirendi v. g. an sit dies jejunij, si tamen *certò* sciret, esse diem jejunij, non comederet carnes, & postmodùm ipsi displiceat, quòd comederit: ergo comestio carnium est *aliquo modo* involuntaria, quia *est contra aliquam inclinationem*, etsi *simpliciter* sit voluntaria.

§ 5.

§. V.

Libertas.

Quæritur IX. Quid & quotuplex sit libertas voluntatis humanæ in ordine ad suos actus?

Alia à coactione, alia à necessitate.

℞. I. Sicuti *liberum* est idem, ac *non esse ligatum*; ita *libertas* idem est, ac *immunitas à vinculis*. Hæc autem duplex est: *Libertas à coactione*, quæ coactio dari nequit in volitione, cùm cogi non possim ad *volo*, quando *nolo*, ponique non possit volitio *nolendo*. Altera dicitur *libertas à necessitate*, quæ est facultas *proximè expedita ad agendum, vel non agendum*, vocatúrque alio nomine *libertas indifferentiæ*.

Hæc est facultas

℞. II. *Libertas indifferentiæ in actu primo* rectè dicitur, esse *potentia, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest se determinare ad agendum, vel non agendum. 2. In actu secundo est ipse actus procedens à tali potentia, sumendo actum latè etiam pro actûs omissione.*

proximè expedita ad agendum, vel non agendum.

Assertum *evidenter* patet: *Libertas* naturæ, ex ipsa sui nominis notione, communique omnium sensu, opponitur *necessitati*, éstque cuivis evidens, illum liberum non esse, qui est necessitatus ad unum. Jam sic: in primis notionibus rerum, ac nominum, est standum authoritate: ergo etiam in notione hac libertatis. Profectò pauculi, iique haud moderni, excepto uno vel altero, qui libertatem apertè negare non ausi, & per consequentiam doctrinæ de *prædeterminatione Thomistica* adacti, novam libertatis hujus definitionem confinxerant, tanti nequaquam sunt, ut ad inepta eorum placita communem linguam teformemus, & à sensu unanimi recedamus.

Dividitur in libertatem contradictionis ac contrarietatis.

℞. III. *Libertas indifferentiæ* alia est *quò ad exercitium*, quando quis potest agere, vel non agere; & consequenter quando potest ponere, vel omittere exercitium suæ libertatis, atque hæc dicitur *libertas contradictionis*. Alia est *quò ad speciem*, quando quis potest agere hoc vel illud, seque determinare ad speciem amoris vel odij; atque hæc appellatur *libertas contrarietatis*.

Quæritur X. An in statu Naturæ lapsæ detur libertas à necessitate?

Evidenter datur etiam in statu Naturæ lapsæ.

℞. *Datur evidenter. Demonstratur.* Ex una parte constat communi sensu, instinctu, & evidenti experientiâ, quòd plurima quotidiè faciamus, quæ liberè poteramus omittere: ex altera parte, nisi haberemus talem libertatem, sequeretur, omnes deliberationes esse nugatorias, fictitia præcepta, inania consilia, vana præmia, & supplicia; Deum ipsum esse tyrannum, & omnis mali authorem, quæ sunt *evidenter* falsa: ergo datur libertas indifferentiæ. *A. Quò ad primam partem* constat: secus verbera ejusmodi adversatium malignantis naturæ, dum fateatur, te *liberè* posse cessare. *A. Quò ad secundam partem* liquet: quid enim prodest deliberare, an velis mori? suadere, ne sitias? punire ignem, quòd urat? &c. *Confirmari solet à priori.* Ad hominem *evidenter* pertinet potentia, intentionaliter comparativa, qua bonitatem & malitiam, convenientiam & disconvenientiam mediorum ad finem, variorum objectorum majorem minorémve habilitatem

tem ad invicem, investiget: atqui hæc potentia esset frustranea, nisi responderet modus proportionatus, & electivus unius præ altero, &c.

Juxta quosdam est actui intrinseca,

Quæritur XI. An libertas sit actui intrinseca, vel extrinseca?

℞. I. *Sunt multi, qui actui, vel saltem potentiæ intrinsecam affirmant, dicentes, actum liberum in se, & qui talem, essentiali respectu; vel saltem potentiam per cognitionem infalsificabilem attingere actum primum indifferentem.* Ratio illorum est: quòd aliàs explicari haud possit, quomodò actus liber in se præ necessario sit *specialiter laudabilis, honestus*, ac *meritorius*; eò quòd tam actus, quàm potentia agens, *utrobique* prorsus *eodem modo*, se habeat *intrinsecè*, etsi ex parte Dei aliæ in actu primo ponantur circumstantiæ, quæ tamen ad *laudabilitatem* specialem videntur impertinentes.

Juxta alios extrinseca.

℞. II. Alij contrà libertatem actui, *qui tali*, extrinsecam statuunt, dicentes, eundem actum *in se* posse procedere à potentia libera, vel necessaria, nec nisi ab actu primo denominari liberum, vel necessarium. Ratio eorum est, quòd nulla sit *necessitas* essentialis respectûs, aut cognitionis ejusmodi infalsificabilis, eùm posito actu à potentia, proximè expedita per actum primum indifferentem, sufficienter intelligatur *actus liber*. Nobis, ad *præsentem scopum juridicum*, utriusque sententiæ probabilitas sufficit, ut probabilitatis majoris discussionem Scholasticis meritò hic relinquamus.

§. 6.

§. VI.

Libertas immediata actûs imperati non tollitur per imperantem, solummodò inefficacem. Neque per efficacem distinctum pro diverso instanti.

Quæritur XII. Qualis libertas competat actui voluntatis interno imperato?

℞. I. *Libertas immediata formalis actûs imperati non tollitur per actum imperantem, solummodò inefficacem.* 2. *Neque per efficacem, sive ponatur distinctus pro diverso instanti, sive pro eodem identificatus cum imperato.*

P. 1. Quia actus imperans *inefficax* non absolutè *determinat*, sed tantùm *allicit* voluntatem, relinquendo potentiam proximam simpliciter expeditam ad ponendum, vel omittendum actum imperatum.

P. 2. Quia actus imperatus pro instanti B, non obstante efficaci imperante, procedit à potentia simpliciter expedita, seu ad positionem, seu ad omissionem: ergo, A. P. si non procederet à tali potentia, tunc *propter perseverantiam* actûs imperantis, quem necessariò sequitur imperatus: hæc ratio nulla est: ergo. *Min. P.* Hæc ipsa perseverantia est libera, quia impedibilis, cùm voluntas possit liberè desistere à tali imperio, pro instanti B mutando propositum, & revocando actum priùs imperatum.

Aut identificatum ejusdem instantiæ.

P. 3. Actus imperans procedit ab actu primo proximo indifferente, seu potentia simpliciter expedita: ergo etiam imperatus, cùm sint idem, ùt ponitur, & etiam probabiliùs sint. Non enim ulla necessitas distinctionis, præsertim cùm juxta Angelicum omnis volitio sit reflexa suprà se ipsam, quatenus non tantùm vult, sed vult se velle.

Tollitur tamen per distinctum ejusdem instantiæ, si actus efficaciter imperans ponatur naturâ prior.

℞. II. *Tollitur tamen libertas immediata actûs imperati, si ponatur actus efficaciter imperans, pro eodem instanti distinctus, & naturâ prior ad actum imperatum.*

P. Posito, quòd eliciatur actus ejusmodi imperans, actus imperatus est necessarius *necessitate antecedente*: ergo tollitur libertas formalis actûs imperati. *A. P.* Actus imperans ponitur *efficax*, & *pro priori* connexus cum imperato, sic ut per ejus omissionem *sit inimpedibilis*: ergo potentia non erit proximè expedita respectu actûs imperati, consequenter erit hic necessarius. Dictum, *posito, quòd eliciatur actus ejusmodi imperans:* nam sicut hic absolutè posset omitti, ita & imperatus, libertate saltem *mediatâ*. Dictum, quòd ponatur actus imperans *inimpedibilis* per omissionem actus imperati: nam in casu extraordinario, quo actus imperans dependeret à scientia media de futuritione conditionata actûs imperati, *liberè ponendi*, hoc est, ponendi etiam absente efficaci imperio; tunc sicut per omissionem actûs imperati *absolutè* posset impediri scientia illa media, ita & ipse actus imperans, etsi de se connexus, & naturâ prior, adeóque salvaretur suo modo libertas actûs imperati.

Unde patent varij errores Lutheri, Calvini, Jansenij.

Quæritur XIII. Quibus erroribus proprietates actûs humani corrumpant protestantici quidam Moralistæ?

℞. I. Sicut *Lutherus* non una vice jugulavit, in arbitrio hominis libero, libertatem indifferentiæ *ratione statûs Naturæ lapsæ*; ita eandem sustulit *Calvinus ratione præscientiæ divinæ*. Hanc hæresin apud Catholicos rectè proscriptam, denuò obtrusit, hoc nostro sæculo, *Jansenismus* fulminatâ illa propositione: *ad merendum, & demerendum*,

dum, in statu Naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

℣. II. Cæteri protestantici Moralistæ, qui planam, tritámque tot sæculis semitam, seu novitatis amore, seu Scholasticorum orthodoxorum contemptu, studiosè declinant, in avia, manifestè absurda, non rarò delabuntur duce phantaso. Et ne nugis fusior erubescat pagina, exemplo esse potest *Thomasius*, qui, ipsam propè definitionem hominis aversatus, * *animal* non esse corpus sentiens; bestias sensu carere, neque aliter moveri ac machinas; sensus internos non functiones animæ, sed passiones corporis esse, affirmat; immò *id acutiores Philosophos (Cartesium* putat*) ad oculum demonstrâsse*, assereos asseverat. Quid absurdius, quàm scribere, uti tamen scribit *Laurentius Fleischerus*, *appetitum sensitivum* à voluntate differre per *solam cogitationem*, ad quam movet intellectum, sic ut hic nunquam moveat voluntatem; voluntatem, tantummodò respectu intellectûs, quem movet, esse *liberam*, *coactam* respectu rerum, à quibus movetur, voluntati non competere *libertatem intrinsecam*, seu quò ad actus intrinsecos, sic ut ei competat electio, v. g. respectu odij, vel amoris? ** Quid ineptius, quàm statuere, esse etiam hominis non consistere *in intellectu*, sed potius *voluntate?* Hominem non esse speciem infimam? Homines *specie inter se* differre, sic ut tot sint hominum species, quot homines? Et sic de aliis adinventis, quibus fundamenta ponit ad jus Naturæ & Gentium superstruendum, utique ideis anomalis conforme.

Quos hac ex parte reformat ipse Puffendorfius. ℣. III. Sed Protestantium, *hac ex parte Hobbesiana* phantasmata *** satdiluit ipse *Puffendorfius*, qui *quò ad libertatem animæ* tantùm veritati accedit, quantùm ab erroribus *Lutheri* sui, *Calvini*, *Jansenij*, *Cartesijque* recedit, quod mireris, utcunque sanus **** in puncto hoc, quàm maximè protestantico, etsi alibi, si minùs *protestanticè* insanus, saltem haud Catholicè sanus, atque legitimus. Nam præter *voluntarietatem*, quam *spontaneitatis* vocabulo exprimit, rectè adstruit plenam in voluntate libertatem indifferentiæ, tam quò ad exercitium, quàm quò ad specié, & quidem *ex Stagyrita* eidem tantoperè contempto: imò eandem adstruit ex nostro conceptu libertatis, *sic ut intrinseca voluntatis indifferentia per extraneum aliquod medium penitùs extirpari nequeat. Idque eò firmius tenendum esse*, asserit, *quòd, istâ sublatâ indifferentiâ, actionum moralium humanitas funditus simul tolleretur.* Addit: *atque hoc verè facere censendi sunt, qui nescio, quam prædeterminationem physicam in actibus humanis fingunt &c. neque minùs illi, qui ex præscientia Divina absolutam actionibus humanis accedere necessitatem volunt. Quantoperè autem Reipublicæ noxia sint ejusmodi dogmata, bene monet Grotius: (a) liberum arbitrium, si qui planè tollunt, evadere vix possint, quin Deum omnium scelerum causam faciant, id quod in Republica minimè tolerandum esse, Plato dixit.* Ita illi.

INSTRUCTIO II.

Instructio II. De moralitate actûs humani.

De principijs constitutivis actûs moralis in specie;
Seu
De moralitate, ac imputabilitate actuum humanorum.

§. I.

§. I. Actus moralis est operatio libera cum advertentia rationis ad præmam regulam.

Quæritur I. Quid moralitas actûsque moralis, ac quotuplex?

℟. I. *Morale*, latiori acceptione, etymon trahit *à moribus*, *seu simili modo agendi* ex determinatione voluntaria agentis, sic ut *actus moralis* vulgò habeatur ille, ex cujus frequentatione *mos, seu mores* nascuntur. *Momam regulam.*

* In institut. Div. L. 1. c. 1. n. 35. 41. &c.

** Hæc repetit: c. 2. n. 112. f. m. 58. *Nulla voluntatibus nostris competit libertas intrinseca, sed homines in omnibus suis actionibus agunt coactè: nam omnia, quæ omittunt, metu pressi necessariò omittere debent.*

*** Qui c. 11. de homine ait, appetitionem, & aversionem *necessariò* sequi præconceptum jucunditatis, & molestiæ, ex ipsis, objectis adfuturæ, *everso arbitrio libero.*

**** Nam etsi admittat *libertatem indifferentiæ* in ordine ad imputabilitatem actionum in foro externo, immò & interno, spectato saltem meritò naturali, negabit tamen spectato merito supernaturali, sola fide in *Christum* cum *Luthero* suo contentus.

(a) Opusculo de dogmatis, Reipublicæ perniciosis.

rale tamen, in strictiore sensu, & prout opponitur *naturali*, est id, *quod ordinem habet ad substantiam rationalem liberam:* unde *moralitas* est *forma denominans* actum moralem, qui rectè dicitur esse, *operatio libera voluntatis, cum advertentia rationis elicita ad aliquam regulam primam & universalem*, quæ dirigit actus nostros, dictans, quid conducens, quid non conducens sit ad consecutionem ultimi finis. Hinc

Triplex, honestus, & inhonestus, indifferens.

℟. II. Quòd actus moralis sit duplex: *honestus, & inhonestus.* Ille habetur, si voluntas operetur *conformiter* ad primam regulam; hic, si *difformiter*: unde *bonum morale*, seu *honestum* est id, *quod substantia rationali libera consentaneum, ac decens*; *malum morale, seu inhonestum, quod eidem per se repugnat, ac dedecens est*, adeóque *honestas* consistit in *conformitate actûs* ad primam regulam, seu in *ratione convenientiæ* cum substantia rationali libera; *inhonestas in difformitate*, seu *ratione repugnantiæ* cum substantia rationali. Actui *honesto, & inhonesto* addunt plerique *indifferentem*, sic ut actus morales in triplici specie constituant, nempe *prohibitos, præceptos, & permissos* à prima regula honestatis.

Constitutiva moralitatis formalia sunt libertas indifferentia, & advertentia ad legem, quandoque & ipse actus.

Quæritur II. Quænam sint constitutiva formalia, atque intrinseca moralitatis? *

℟. I. *Moralitas actûs humani habetur partim per libertatem indifferentia; partim per advertentiam rationis ad primam regulam honestatis, & si sit extrinseca; si intrinseca, habetur insuper per ipsam entitatem actûs.*

P. Moralitas *est conformitas*, vel *difformitas* actûs liberi cum regula rationis, dictante actum esse difformem, vel conformem primæ regulæ: sed hæc præcisè habetur posito hoc complexo; & aliquo deficiente non habetur completa: ergo. *Minor. P.* Deficiente libertate indifferentiæ, actus non erit imputabilis, saltem ad meritum, vel demeritum, præmium, vel pœnam. ** Deficiente advertentiâ ad primam regulam, honestas vel inhonestas non erit voluntaria, quia non cognita. Hinc sola natura rationalis moralitatis est capax, actúsque brutorum *gratitudinis, iræ, &c.* sunt morales *analogicè, æquivocè*, & *impropriè.*

Non est universaliter essentialis actui.

℟. II. *Moralitas universaliter non est essentialis, & adæquatè intrinseca ipsis actibus.* *P.* Actus non respicit essentialiter actum primum proximum & advertentiam ad legem, *saltem universaliter:* *** ergo. *A. P. 1.* Non debent adstrui tales respectus essentiales sine ratione efficaci. *2.* Juxta plures libertas non *est necessariò* intrinseca actui, uti diximus: ergo neque moralitas, consistens partialiter in libertate. *3.* Moralitas est separabilis ab entitate physica actuum: **** nam idem actus, *specificativè* sumptus, desinente advertentiâ, vel lege prohibente, potest fieri non malus, vel etiam bonus, & vicissim. *****

℟. III.

---

* *Formalia*, non *efficientia*, qualia intellectus, & voluntas: *intrinseca, non extrinseca, regulativa*, qualia lex Divina naturalis &c. de quibus Instructione tertia.

** Unde actus beatifici sunt quidem *latè* morales, moralitate objectiva, quatenus consonant regulæ objectivæ honestatis; non tamen sunt *strictè* morales, moralitate imputabili ad meritum, vel demeritum.

*** Non enim negatur, dari posse actus, *intrinsecè morales*, seu malos, seu bonos. Sic *Charitas DEI perfecta, contritio, voluntas nunquam peccandi &c.* sunt actus *intrinsecè* boni: quia horum *objectum semper est bonum: & si actus* prohiberetur, vel si propter aliquid extrinsecum fieret *malus*, jam non posset produci, eò quòd voluntas amplecteretur contradictoria. *Sic odium DEI, cognitum ut malum; volitio peccandi, contra legem agendi, volo hoc, quia est, licet sit, sive sit, sive non sit prohibitum &c. aliique actus reflexi similes*, sunt *intrinsecè* mali: quia *tendentia essentialis* est *affectiva transgressio*, & *objectum formale* est *malitia directè volita*, sic ut sine contradictione honestari haudqueant.

**** Alia ratio est *de habitibus*, qui tantùm sunt *analogicè morales*, quatenus nempe inclinant ad actus morales, quæ vis inclinativa cum habeatur per solum habitum, moralitas *impropriè talis*, est illis intrinseca.

***** V. g. Volitio, qua quis vult ambulare præcisè *propter sanitatem*, juncta cum vincibili ignorantia prohibitionis factæ à Superiore, posito, quòd *continuando* advertatur, hic & nunc, ambulationem non esse prohibitam, imò esse præceptam, transit de mala in non malam, vel etiam bonam. Contrà volitio comedendi carnes

Convenit primariò actibus voluntatis; secundariò etiam alijs.

℞. III. Moralitas *primariò* convenit actibus voluntatis; *secundariò* etiam actibus aliarum potentiarum, qui à voluntate imperantur. 2. Non tamen omnes actus voluntatis sunt morales; non enim morales sunt *motus primo primi, prævertentes* rationem, aliique *necessarij*: nec omnes actus liberi sunt morales, cùm multi fiant sine advertentia, v. g. *movere manum, fricare barbam &c.* Actus moralis, si est concretum physicum, pro materiali dicit entitatem *physicam* actûs, *pro formali moralitatem*; secùs si est concretum *metaphysicum*, seu si *moralitas* actui *est essentialis.*

§. II.

§. II. Moralitas refunditur in actum ex objecto, fine, & circumstantijs.

Quæritur III. Qua ratione moralitas refundatur in actum internum?

℞. I. *Moralitas, hoc est, honestas vel inhonestas refundi potest in actum ex objecto, fine, & circumstantiis.*

Ratio est: quia, juxta receptum in moralibus principium, *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*: ergo si tam *objectum*, quàm *finis & circumstantia* sunt honestæ, etiam intrinseca tendentia actûs, vel constitutio moralis erit adæquatè bona: si verò vel *objectum materiale* est vetitum, vel *motivum formale*, vel *circumstantia* prohibita, jam totum complexum erit inhonestum, seu difforme regulæ primæ. Accedit, quòd, juxta communem, actus specificentur ab objectis; quòd finis sit præcipuum objectum actûs interni, per se intentum; quòd circumstantiæ sæpe reddant objectum & finem moraliter bonum, vel malum: ergo refundunt malitiam vel bonitatem.

Honestas tamen debet esse directè volita.

℞. II. *Specialis tamen honestas non refunditur in actum ex objecto, fine, vel circumstantijs, nisi directè, & formaliter, saltem confusè, attingatur.* Ratio est: Quia aliàs honestas sese haberet solummodò *per modum motivi neglecti*: atqui talis honestas refundi nequit in actum; cùm nemo cognoscatur formaliter laudabilis, & v. g. *temperans*, si abstineat à superfluis ex avaritia, non attendendo temperantiæ honestatem. Accedit, quòd communis Theologorum ad specialem honestatem exigat, *ut directè*, & *formaliter* propter se intendatur, ex eo capite, quòd omnis actus specificetur à suo objecto *formali, & fine*; non autem *à materiali, & medio*, quod intenditur propter finem. Sufficit autem, si honestas attingatur *confusè*;* secùs enim plurimi actus, qui censentur esse virtuosi, non forent *formaliter* honesti, præsertim in rudibus.

Sufficit econtrà, si inhonestas sit volita indirectè.

℞. III. *Inhonestas tamen refunditur, etsi non directè & formaliter; sed solùm indirectè, materialiter, vel si interpretativè intendatur.*

Ratio est: Quia juxta communem: *malum ex quolibet defectu*: ergo si malitia objecti, etiam *materialiter* tantùm, *indirectè*, vel *interpretativè* est volita, jam actus erit *adæquatè inhonestus*, utpote contra regulam primam honestatis, *seu neglectam, seu violatam*, quæ vult, ut *nullo modo* intendatur quidquam prohibitum. Hæc tamen intelligenda sunt de malitia, quæ actum afficiat *intrinsecè*; nam alia ratio esse potest de malitia, solummodò *extrinsecè* actum afficiente, *vel concomitanter* se habente, v. g. respectu orationis, non factæ *debito loco, situ, tempore*; respectu confessionis factæ *ex vana gloria &c.* qui actus juxta plures boni sunt *intrinsecè ex objecto proprio*; mali *extrinsecè à sua causa, ferè* sicut obedientia subditi *intrinsecè* bona, & ob finem malum Superioris *extrinsecè* mala est: idem sentiendum de consecratione facta ex malo fine Sacerdotis &c.

Moralitas actûs externi, habitaex fine, est extrinseca.

Quæritur IV. Quomodò moralitatem participet actus externus?

℞. I. *Moralitas, quam actus externus præcisè habet ex fine, est illi extrinseca, & provenit ab actu interno; moralitas verò, quam habet ex propria materia, & circumstantijs, partialiter est intrinseca, & distincta à moralitate actûs interni.* Patet *quò ad 1.* Quia talis actus *secundùm se* nec est præceptus, nec prohibitus, consequenter non habet conformitatem, vel difformitatem propriam cum pri-

---

nes *propter sanitatem* per circumstantiam ex parte objecti, quòd sit dies *Veneris*, quæ durante actu incipit esse cognita, & volita, non quidem formaliter, sed interpretativè, & indirectè sine actu expresso transit ex non mala in malam &c.

* V. g. in actu eleemosynæ, ut intendatur objectum *non ut merè utile, vel delectabile*, sed sub ratione aliqua honestatis, hoc est, *sublevandæ miseriæ*. Multò minùs requiritur, ut actus referatur *explicitè & formaliter* ad Deum, tanquam finem ultimum &c. quia nullum extat tale præceptum, & illud *Pauli: omnia in gloriam DEI facite*, est solùm *de consilio*.

prima regula honeſtatis: ergo tota illius moralitas proveniet ab actu interno, eum ordinante ad certum finem.

Habita ex materia & circumſtantijs eſt partialiter intrinſeca.

Quò ad 2. Quia talis actus externus, habens ex objecto proprio, & circumſtantiis malitiam, vel bonitatem, *etiam ratione ſui*, præcipitur, vel prohibetur; conſequenter habebit conformitatem propriam, vel difformitatem cum lege Divina: ergo illius moralitas erit partim *illi extrinſeca*, & diſtincta ab actu interno: unde internus trahet *moralitatem objectivam* ab externo, & externus *moralitatem formalem*, & *honeſtatem propriè talem* ab interno.

Dicitur *moralitas objectiva*, quia actus externus *moralitatem formalem* non habet, cùm in illo non detur formalis, & immediatè libera proſecutio vel fuga boni honeſti, aut turpis, factâ cum advertentia ad legem, quam accipit ſolùm ab actu interno.

Unde per actum externum non augetur bonitas interni actûs formaliter.

℞. II. *Actus externus, qui habet moralitatem præcisè ex fine, non auget bonitatem, vel malitiam actûs interni, hanc tamen auget phyſicè ſaltem, & extrinſecè actus externus, qui habet moralitatem propriam ex objecto, & circumſtantijs.* Primum conſtat ex eo, quòd talis actus moralitatem totam habeat ex actu interno, ùt dictum: ergo eadem erit utriusque malitia, vel bonitas. Alterum: quòd talis actus habeat moralitatem diſtinctam: ergo *extrinſecè* ſaltem augebit.

Saltem per ſe.

℞. III. *Nullus tamen actus externus per ſe auget moralitatem actûs interni imperantis, in ordine ad majus meritum vel demeritum,* * *etſi per accidens augere ſoleat.*

Quia ratio bonitatis deſumitur ex libertate & advertentia.

Ratio eſt quò ad 1. Quia *tota ratio honeſtatis*, ac *inhoneſtatis*, & conſequenter *tota moralitas* meriti, atque demeriti deſumitur *ex libertate indifferentiæ*, quam habet actus, & ex advertentia ad legem, *ita ut ad menſuram libertatis & advertentiæ*, aliqua vel nulla, major vel minor ſit imputabilitas, & conſequenter malitia, ſeu bonitas actûs: atqui in actu externo non datur nova, vel diſtincta libertas: ergo neque nova, vel diſtincta moralitas. *Minor conſtat*, non enim minore laude dignus, *qui efficaciter* vult dare eleemoſynam, ſed prohibetur *ab extrinſeco*, nec minore vituperio, qui alterum occidere vult, ſed miraculo prohibetur; neque cenſetur quis augere meritum, vel demeritum, per hoc, quod equus, quem dirigit; moveatur ad locum, virtuti vel ſceleri deſtinatum.

Augeri tamen ſolet per accidens propter varias circumſtantias.

Ratio eſt quò ad 2. Quia voluntas in executione ſæpe *fit intrinſecè* ſecundùm ſe melior, vel pejor: ergo *per accidens* augetur meritum vel demeritum. A. patet: 1. Per *multiplicationem* actuum internorum, qui in executione ſæpiùs repetuntur. 2. Per majorem *intenſionem*: nam varia opera, *ratione difficultatis, ſeu delectabilitatis*, exigunt intenſos actus internos, & excitant: unde aliud *longè eſt ſpeculativè, aliud practicè* hoſtem debellare, ad martyrium aſpirare &c.

Unde præmiatur, vel punitur actus externus propter internum.

℞. IV. Actus externi in foro humano, *tam ſacro quàm civili*, puniuntur, vel præmiantur non ex eo capite, quaſi per eos augeretur meritum, ſeu demeritum: ſed *1.* Quòd ſæpiùs Prætor & Eccleſia non velit, immò nec poſſit judicare de internis. *2. Quòd ordinariè* non poſſit meliùs agnoſci efficacia actûs interni, quàm ab externo. *3.* Quòd externi præcipuè noceant, vel proſint Reipublicæ: hinc forum humanum actus internos non *punit propriè*, ſed ſolùm, quantum apparent in actu externo, & conducunt ad bonum commune: *propriiſſimè* tamen punit DEUS.

§. III.

§. 3.

Quæritur V. An poſſit dari actus moralis indifferens?

Actus indifferens dari poteſt quò ad ſpeciem.

℞. I. *Poteſt dari actus moralis indifferens quò ad ſpeciem.* P. Poteſt dari actus moralis, qui, *præcisè ſpectato objecto materiali*, nec eſt bonus, nec malus *formaliter*: talis foret indifferens *quò ad ſpeciem*: *Maj. P.* Poteſt dari actus, qui verſatur circa objectum materiale, quod ſecundum ſe nec præcipitur, nec ſuadetur, nec prohibetur à lege Divina, ſed purè permittitur: v. g. *ambulare, tollere feſtucam, abigere muſcas &c. &c.* ergo poteſt dari actus moralis indifferens quò ad ſpeciem.

Et in individuo ſaltem per accidens.

℞. II. *Poteſt dari actus moralis indifferens etiam in individuo, ſaltem per accidens.*

P. Poteſt aliquis, v. g. *ſe calefacere, refrigerare, &c.* quin id referat *ad finem poſitivè honeſtum*, vel quia judicat, non dari talem obligationem; vel quia

* Saltem *ſubſtantiale:* nam *accidentale*, ſaltem *de congruo*, videtur mereri poſſe actus externus, *dicente Angelico: congruum eſt, ut qui vult, & ſimul facit, habeat etiam gaudium de opere externo, & alijs bonis inde ſecutis.*

quia ad illam non attendit ex ignorantia inculpabili: talis actus est indifferens in individuo *per accidens*: *Min. P.* Non est *inhonestus*, quia non est contra dictamen rationis, cùm vel judicet, se non teneri; vel ignoret obligationem: nec est *honestus*, quia non ponitur ex motivo honestatis. Et quamvis poneretur cum advertentia hac: *quia licet* (à qua tamen potest præscindi) hæc tamen *non necessariò* esset motivum; vel etsi foret, vix sufficeret, ut actus hoc ipso esset *honestus*;* quia *honestum* ordinariè, quod *suasum*, *vel præceptum*; *licitum*, quòd *permissum*.

Multi negant dari posse per se, quia videtur dedecere naturam rationalem actus, non directus ad finem positivè honestum.

℞. III. *Videtur, dari non posse actus per se indifferens in individuo.* *P.* Homo, quandocunque *deliberate* agit, agere debet *ùt homo*: ergo debet agere modo, naturæ rationali convenie̋nte, hoc est, intendendo *finem proprium*, *bonúmque debitum naturæ rationali*, *quà tali*: sed tali modo omnem actum, utut ex sua specie indifferentem, debet dirigere *in finem & bonum honestum*; secus hoc ipso actus *erit inhonestus*: ergo nullus dari potest actus per se *indifferens* in individuo. *A.* fundatur in ordinatione, ac dignitate naturæ rationalis: nam omne agens *ordinatè* operari debet juxta finem, naturæ suæ debitum, hoc est, *modo sibi convenientè*; quia aliàs ageret contra naturam, ùt patet inductione. *Min. subs P.* Modus conveniens *est*, *rationabiliter agere* juxta dictamen rationis; finis autem proprius, & *bonum naturæ rationali*, quà tali, debitum *est honestus*: ergo omnem actum debet ordinare *ad finem honestum*, & debitum quidem tam *strictè*, ut hæc ordinatio sit naturæ rationali intrinseca, & Naturæ jure sequenda, tanquam proprietas, per quam homo differt à bruto. C. patet: quia non intendens *finem proprium*, *seu honestatem*, modo convenieote non ageret, *sed inordinatè*, pervertendò ordinem, & dignitatem naturæ rationalis, atque abutendo libertate rationis, quæ concessa est, ut agat modo nobiliore, & ad finem altiorem, quàm brutum.

Neque sufficit finis merè delectabilis.

Confirmatur. Si esset ratio, cur homo non deberet *necessariò* intendere *finem honestum*, tunc esset hæc, quòd posset intendere *alium sibi proprium*, *nempe utilem*, *vel delectabilem*: hæc ratio nulla est. *Min. P.* Non potest præcisè *intendere utilem*, quia utilis non appetitur propter se, sed propter honestum, vel delectabilem. Non *delectabilem*, quia non potest licitè in hoc quiescere, cùm non sit *bonum proprium naturæ rationalis*, *quà talis*, utpote per quod non differret à bruto.

℞. IV. *Videtur dari posse, actus per se indifferens in individuo.*

Sed affirmant alij; quia non videtur ulla implicantia; immò suffragatur potiùs persuasio communis.

P. Nulla apparet implicantia ejusmodi actûs; immò videtur communi hominum persuasioni esse conformis: ergo dari potest. *A. P. 1.* Potest poni actus ex objecto indifferens, vel etiam bonus, *ob finem merè permissum*: sed talis *est per se indifferens* in individuo. *Maj. videtur constare*: nam possunt poni, & etiam ponuntur plurimi *actus humanæ necessitatis*, *commoditatis*, *utilitatis*, se calefaciendo, manus fricando, exspuendo &c. qui non habent specialem consonantiam, vel dissonantiam cum ratione, vel lege Divina, adeòque merè permittuntur à Deo, & ratione: sicuti & à Principe humano non omnia præcipiuntur, vel suadentur, sed multa permittuntur. *Min. P.* talis actus non est *positivè honestus*, quia non amplectitur honestatem, nec *positivè* præcipitur, vel suadetur; nec etiam est *positivè inhonestus*, quia non est contra rationem, vel legem Dei, *positivè* prohibentem, nec alio fine, aut circumstantiis vitiatur: ergo erit permissus, adeòque *licitus*, & *indifferens in individuo*. *A. P. 2.* Communis est persuasio hominum, se non *agere inhonestè*, exspuendo, nares fricando, sese refrigerando *ob commoditatem naturæ*, etiamsi nullum alium finem intendant: ergo ejusmodi actus videtur esse communi persuasioni conformis.

Rationibus oppositis, de inordinatione actûs indifferentis, haud efficacibus.

Confirmatur. Si esset ratio, cur dari non posset actus *per se indifferens* in individuo, tunc esset hæc, quòd actus, ad finem honestum non directus, videatur *inordinatus*, *difformis rationi & legi*: *hac nulla est*: *Min. P.* Ejusmodi actus esset adhuc conformis legi & rationi, *saltem permittenti*: ergo non *esset inordinatus*; nec etiam *positivè honestus*, cùm motivum permissionis non sufficiat ad honestatem. Accedit, quòd tales actus non dedeceant hominem, *quà talem*: quia multi conveniunt soli homini; ponuntur cum libertate, & advertentia ad legem moralitatis, seu *ad voluntatem Dei*, saltem *permittentem*; cognoscuntur

* Nisi conjunctus foret *cum speciali submissione* ad legem Divinam, saltem *permittentem*, quod ordinariè non fit.

tur esse conformes naturæ, *saltem ùt sensitiva*, nec positivè difformes naturæ, *ùt rationali*; videntur esse proprij hominis, cujus est, procurare non modò bonum potentiæ rationalis, sed etiam animalis: ergo homo per illos operabitur adhuc, *ùt homo*, adeóque ejusmodi actus non dedecebunt hominem, *quà talem.*

Unde negativa potior authoritate affirmativa ratione.

℞. V. Utraque sententia *est admodùm probabilis*, prima probabilior *ab authoritate*, secunda *à ratione*, *illa de consilio* sectanda, cùm hominem meliùs disponat ad finem ultimum, & virtutum exercitium; hæc *in praxi* omninò tuta, * conformior humanæ fragilitati, & statui tot distractionum; benignitati itidem divinæ circa nos Providentiæ, uti rectè animadvertit *sanctus Bonaventura. Ratio fundamentalis petitur ex lege naturali, ritè exposita, ac synteresi humana natura*, quæ dictat, *hominem esse, & nasci liberum ad agendum*, quidquid non est prohibitum lege naturali vel positiva, libertatem hominis restringente. Præceptum autem, ut omnes actus liberi, ac morales referantur *ex positiva intentione operantis, ad Deum, vel etiam finem alium positivè honestum*, ex synteresi humanæ naturæ probari nequit, etsi consilium ad perfectiora clarè satis exhibeat. Quamdiu autem præceptum hoc non ostenditur, libertas hominis *manet in sua possessione*, actúsque indifferentes in individuo erunt *ex genere permissorum.*

§. IV.

§. 4. *Imputabilitas.*

Quæritur VI. Quænam est moralitatis proprietas, formaliter consecutiva in actibus humanis?

Est proprietas metaphysica actûs moralis.

℞. I. *Imputabilitas*, seu ratio, vi cujus homo pro actuum moralium causa, seu *physica*, seu *morali*, haberi, adeóque ad reddendam de illis rationem adstringi potest, sic ut in ipsum redundent effectus, qui ex illis proveniunt. (a) Dicitur *proprietas formaliter consecutiva*, seu *metaphysica* moralitatis, ** quia fluit ex actu morali, quà tali, *tanquam proprium quarto modo.*

Imputabilitas mensuratur ad normam moralitatis loquendo in genere.

℞. II. *Cùm imputabilitas* radicetur *in moralitate*, veluti causalitate; hæc autem constituatur *per libertatem* voluntatis, *ac advertentiam* intellectûs ad quamdam regulam directivam, patet, quòd *pro ratione libertatis*, & *advertentia* consequatur actuum *imputabilitas.* Unde, loquendo in genere, *regula universalis* est, quòd tanta sit *imputabilitas*, quanta actionum *moralitas*, hoc est, *advertentia*, & *libertas.* Nulla enim *Puffendorfio* Authore, (b) propior ratio est, quare alicui actio quæpiam imputari possit, quàm quia ab ipso, sciente & volente, mediatè vel immediatè, profecta est; seu quia penes ipsum fuit, ut fieret, vel non fieret. Unde si cognitio, vel consensus est *tenuis*, *aut semiplenus*, ùt in semidormiente accidere potest, proportionata ei erit *imputabilitas*, & pedissequa culpa, *levis* scilicet, atque *dimidiata.*

Loquendo in specie.

℞. III. Ex regula hac generali, uti & iis, quæ suprà diximus *de voluntario ac libero*, ultrò fluunt regulæ particulares, quæ determinant *imputabilitatem* actuum moralium in *specie*, ac *individuo.*

Inimputabiles sunt actus deficiente advertentiâ debitâ.

Sic 1. *Imputabiles* non sunt actus, prout procedunt *ex errore, ac ignorantia invincibili, seu facti seu juris*, etiam naturalis: *** *quia deficit advertentia.* Contrà *imputabiles* sunt, in quantum oriuntur *ex ignorantia vincibili, affectatâ, crassa*, &c. Unde, uti *Puffendorfius* animadvertit, *ignorantia circa officium, cuique injunctum, ab imputatione non liberat.* (c)

Uti & qui deficiunt requisita libertate.

Sic 2. *Imputabiles* non sunt actus *involuntarij*, quatenus tales sunt. Immò nec *voluntarij, si necessarij*, saltem *ad meritum*, atque *demeritum.* Tales

* Saltem *in genere*, abstrahendo à quibusdam actibus *in specie*, qualis comestio ad satietatem *ex sola voluptate &c.* aliæque nimiùm sensuales, periculosæ, naturæ rationali, ejusque finibus ordinatis oppositæ, de quibus Scholastici.

(a) Ita rectè *Puffendorfius* De offic. hom. & civ. c. 1. §. 17. f. m. 20.

** Imputabilitatem *minùs philosophicè* idem *Puffendorfius* vocat *formale actionis moralis:* nam si entitas physica actus, ùt ibidem statuit, *est materiale*, *formale* constitutivum actus moralis *erit moralitas*, ex qua, veluti radice, tanquam proprietas metaphysica fluit imputabilitas. *Puffendorf.* L. 1. de Jur. N. c. 5. §. 3. f. m. 67.

(b) L. c. de offic.

*** Unde *ab Alexandro VIII.* damnata hæc propositio 31. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris Naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ non excusat à peccato formali.*

(c) L. c. §. 21. f. 24.

les sunt actus Beatorum, infantium, ebriorum, amentium, dormientium, &c. Item expressi metu, * seu vi saltem externa, concupiscentiâ, vel alia quacunque prædeterminatione, *libertatis indifferentiæ eversivâ.* Item motus primo primi, uti & illi, qui feruntur in objectum *non indifferenter, sed cum sola ratione boni* ab intellectu propositum. Ratio est, *quia deficit libertas.* Dictum: saltem *ad meritum, atque demeritum*: nam ad imputabilitatem *quò ad pœnam in foro externo*, judicante juxta actum externum, sufficeret voluntarietas, *etsi necessaria*, casu quo quis, ex vehementia passionis præcipiti, *non apprehendens motiva in contrarium*, committeret v. g. homicidium.

Imputabiles liberi etiam in alia voluntate.

Sic 3. *Imputabiles* sunt actus *voluntarij liberi*, in quantum tales sunt, etsi *metu, vi*, vel *concupiscentiâ*, seu *passione incitante* eliciti, quæ incitamenta sicuti *libertatem*, ita *imputabilitatem* non tollunt, quantumvis minuant. *Imputabiles* itidem sunt actus etiam in voluntate *aliena*, sed tamen *moraliter propria*, v. g. Tutorum, Superiorum, Protoparentis *Adami* respectu lapsûs originalis.

Etiam liberi indirectè & in causa.

Sic 4. *Imputabiles* sunt actus tam *directè in se, quàm in causa*, & *indirectè voluntarij*: nempe illi, in quos voluntas non quidem *immediatè* per aliquem actum, sed tamen *moraliter* se extendit, atque hæc *moralis* extensio est 1. *positiva*, si quis velit causam, ex *qua per se, & necessariò* prævidetur secuturus effectus: sic rixa, seu homicidium, in crapula prævisum, *est in causa & indirectè* imputabile. Quòd-si effectus *per accidens* prævideretur secuturus, & causa *de se* non esset prohibita, effectus foret *merè permissus*, adeóque *non imputabilis.* Sic puellæ, si domo exeat, prævisum scandalum lubrici Juvenis, merè *acceptum, imputabile* non est: sic si quis habeat jus rigandi hortum, damnum alieni horti, inevitabiliter conjunctum, illi imputabile non erit, & sic de alijs. Illa ipsa *moralis extensio 2do. est negativa*: si quis *sciens* non impediat effectum, quem tamen impedire *posset, & deberet.* ** Sic mersio navis est *voluntaria indirectè*, adeóque *& imputabilis* Navarcho, negligenti directionem, ex qua prævidet secuturum naufragium.

Actus omnes seu physicè seu moraliter proprij.

Sic denique 5. *Imputabiles* sunt actus omnes, quorum voluntas est *causa*, seu *expressa*, seu etiam *interpretativa*: quando nempe ex circumstantijs sufficienter colligitur consensus vel dissensus, seu *causa* sit *actualis*, seu *virtualis*, actu scilicet moraliter perseverante; seu *causa* sit *in se* vel *per alium, physica*, vel *moralis*, hoc est influens *per cooperationem qualemcunque liberam, positivam*, vel *etiam negativam*, adjuvando, incitando, jubendo, assentando, exemplis movendo, verbis suadendo, consulendo, approbando; immò non reprobando, vel impediendo, cùm quis deberet & posset, & sic de alijs juxta notos versiculos:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Qua in materia Puffendorfius,

Quæritur VII. Quomodo hac ex parte extravagentur non nulli protestantici Moralistæ?

4. *Puffendorfium* quod concernit, sicut ubique *Aristotelis spinosam barbariem*, & Scholasticorum interpretum *pediam, implexis horrentem tenebris*, accusat; ita gloriæ sibi ducit ab his recedere, juris principia sequestrare, ac in clariorem, ùt ait, nitorem producere. Sed an istud præstiterit, quivis judicet æquus arbiter. Profectò dum non rarò è proprijs phantasmatis ideas fictiles procudit, in eam & ipse delabitur obscuritatem, ut & ejus Commentatores sat laboris invenerint ad qualecunque crepusculum, novis profundi ingenij notionibus affundendum. Immò quoties à trita Scholasticorum semita recedit, toties ferè in difficiles pedicas incidit, ac in falsitatis avia deflectit. Uno, alterove exemplo, res declaretur, ut ne Viro tanto splendoris quidpiam detraxisse videamur.

Quia sæpe novus, ideò non rarò plùs, quàm Aristotelicè obscurus.

Sic 1. *Entia moralia* confingit, veluti voluntatis humanæ attributa, *modósque* vocat, *motibus physicis superadditos* ab entibus intelligentibus *ad libertatem actuum voluntariorum dirigendam*, eo fine, ut decor vitæ humanæ concilietur. *Authorem* Deum ad-

* Gravi, quo quis compellitur *ad malum minus præ majore*, si sit merè physicum: sic nautæ *non est imputabilis* projectio mercium ob metum præsentem naufragij.

** Seu ex justitia, seu ex charitate.

adſtruit, uti *& arbitrium humanum*; *modum producendi* vocat *impoſitionem*; *finem* aſſignat *vitæ humanæ perfectionem*; ea quatruplieiter diſpertit, nempe *in ſtatum*, *perſonam moralem*, *qualitatem*, *& quantitatem*, *ſeu modos affectivos*, *& æſtimativos &c.* (a) hæcque omnia paraphtaſi, *tam ænigmaticè fuſa*, diſtendit in plura folia, ut *Sphyngem*, ex cortinis *Delphicis* dogmatizantem, exiſtimes. Si amoto vocabulotum novorum inani cortice rem introſpicias, deprehendes tribus verbulis rem declaratam apud Scholaſticos, *dum homines* conſiderant, *affectos* varijs vivendi conditionibus, juribus, dignitatibus, obligationibus mutuis, quæ *ſuperveniunt*, ſeu ex pacto, ſeu ex facto proprio ac alieno, *in ordine ad vitam*, *in ſocietate humana feliciùs ordinandam*, quibus ſic dicta *entia moralia*, ſeu *moralitatem*, Naturæ humanæ *adventitiam*, explicant.

Sæpe devius à communi, adeóque erroneus.

Sic 2. Actus morales definit, eſſe *actiones voluntarias*, *cum imputatione ſuorum effectuum in vita communi ſpectatas*: ubi acribiâ, nequaquam phyloſophicâ *voluntarietatem* confundit *cum libertate*; actûs moralis *formale* nunc dicit eſſe *dependentiam* à determinatione libera voluntatis, nunc ipſam *imputabilitatem*, ùt ſuprà innuimus. (b) Nunc reſpuit *diviſionem entis in ſubſtantiam* & *accidens*, ſubſtituitque *diviſionem in ſubſtantiam & modum*; (c) nunc diſplicet *cauſa per accidens*, tanquam *terminus obſcurior*, *ac inanibus litigijs anſam præbere aptus*; (d) nunc inter *coacta*, adeóque *nec imputabilia* numerat, ſi quis metu intentatæ mortis alienum exequatur peccatum, occidendo v. g. innocentem, eò quòd *nudum ſit executionis inſtrumentum*, uti malè ex *Hobbeſio* argumentatur, (d) & ſic de alijs, quæ, velut remotiora à ſcopo propoſito, hic ptæterimus.

INSTRUCTIO III.

De principijs effectivis, & impulſivis actionum moralium.

Inſtructio III. De principijs intrinſecis actionum moralium.

§. I.

QUæritur I. *Quænam ſunt actionum humanarum principia intrinſeca effectiva?*

℞. I. *Inprimis intellectus, circa quem*

§. 1. Effectiva

Obſervandum 1. Quòd ſit *potentia animæ rationalis*, quæ objecta, per ſpecies propoſita, apprehendit, & *vel immediatè* enuntiando, vel *mediatè* diſcurrendo, dijudicat, an naturæ ſuæ convenientia, vel diſconvenientia ſint. * Dicitur *potentia*, utpote *facultas tam activa* ad producendos, quàm *paſſiva* ad recipiendos ſuos actus, ſeu intellectiones. Dicitur *objecta* apprehendens *per ſpecies*, nempe ſpiritualia per intellectuales; materialia per materiales, eò quòd ejus objectum ſit *ens omne*, *quà tale*, & quidquid hanc rationem quoquo modo verè participat; ipſe verò ex ſe ſit indifferens, ad hæc vel illa cognoſcenda, neceſſariò debeat determinari vel ab ipſis objectis, vel ſaltem eorundem ſpeciebus vicarijs.

Intellectus, ſeu potentia animæ rationalis cognoſcitiva, dependenter à ſpeciebus.

Obſervandum 2. Quòd, etſi ſit *radix libertatis*, eò quòd proponat motiva allicientia, & abſterrentia, non tamen ſit potentia *formaliter libera*: quia penes hominem non eſt, objecta aliter apprehendere, quàm ea per ſpecies intellectui repræſententur, etſi in judicando propter imbecillitatem etrate poſſit.

Et radix libertatis.

Obſervandum 3. Quòd intellectus eatenus ſit *principium effectivum* actionis moralis, quatenùs de rebus agendis, omittendisve *judicat*, an rationi rectæ, ſeu primæ regulæ conformes, vel potiùs difformes ſint: atque hoc judicium *conſcientia* appellatur. Quatenus *dictat*, ſeu *diſtinguit* bonum à malo, dicitur *notitia principij practici*, vel à lumine naturæ, vel à revelatione inditi v. g. *neminem eſſe lædendum &c. Græcis* appellatur συντήρησις; quatenus principium *applicat* ad actionem particularem, vocatur συνείδησις, hoc eſt, notitia juris

Judicans de rebus ſibi congruis, vel incongruis.

(a) L. de jure Naturæ, & Gentium. c. 1.

(b) L. c. c. 5. n. 1. & 3.

(c) C. 1. n. 3.

(d) C. 5. n. 3.

(e) L. 1. c. 5. §. 9. & L. 9. c. 1. n. 8. Correctus à notatore *Hertio* f. m. 74. L. c. Mihi videtur, inquit *Hertius*, quoties executio ad contemptum Dei pertinet, quodvis potiùs perferendum eſſe, quàm ut miniſterium ad rem illicitam præbeatur.

* Philoſophis *eſt potentia cognoſcitiva rationalis*, id eſt, quæ objectum repræſentat cognitione per ſe non *eſſentialiter* dependente ab organo corporeo.

ris universalis, actioni particulariter applicati v. g. *Nocere proximo est prohibitum, & inhonestum: sed si hoc agerem, nocerem proximo: ergo agerem inhonestè*, quæ conclusio exhibet χ-σιν, *seu judicium*, dicitúrque *conscientia practica*, ac *antecedens*, quia versatur circa actum, hic & nunc faciendum, vel omittendum. Quòd si assumptio foret *de præterito: sed ego nocui proximo, & illatio diceret:* ergo *iniquè egi*, foret judicium, *seu conscientia speculativa, ac consequens*, diceretúrque *remorsus mala*, & in casu opposito, *testimonium bonæ conscientiæ*, ùt infrà pluribus explicabimus.

Dicitur theoreticus & practicus, prout versatur circa universalia, vel particularia.

Observandum 4. Quòd *Puffendorfio* intellectus *dupliciter* considerari possit: prout nempe versatur *circa universalia*, qualia in scientijs traduntur, & sic appellat *Theoreticum*; prout versatur *circa singularia*, qualia sunt actiones humanæ cum suis circumstantijs, & sic *practicum* nominat. Ad illum ait spectare *jura*; ad hunc *facta*. Addit: judicium de actionibus futuris, an & quomodò suscipiendæ sint, dici *consultationem*, cujus habitus *sit prudentia:* examen de præteritis, rectène an secùs perpetratæ sint? vocari *judicium*, si sit de actionibus *alienis*; si *de proprijs, conscientiam* appellari. Ita ille. (a)

Pro objecto attingit verum.

Observandum 5. Quòd objectum formale intellectûs *sit verum*; actus, propriè tales, vel *negativi vel affirmativi*; media cognoscendi, *species & habitus. Species est imago objecti vicaria, seu qualitas, ab objecto emissa*, vel *aliundè obtenta*, tum ut potentiam determinet ad certum objectum, cùm ut eandem compleat in ratione potentiæ, proximè potentis elicere cognitionem de tali objecto. Dividitur *in intelligibilem*, quæ ad intellectum; *& sensibilem*, quæ spectat ad sensus: & siquidem ad sensum internum, dicitur *phantastica*; si ad externos, dicitur *visibilis, auditiva, tactilis &c.* & utraque dicitur *intentionalis.* Dari ejusmodi species, constat *experientiâ* obscuræ cameræ, telescopij &c. constat etiam *ratione* indifferentiæ, quam habet intellectus ad objecta. *Habitus*, sic dictus ab eo, quòd potentia *bene*, vel *malè se habeat* ad suos actus, *est facilitas* in potentia *ad operandum*, dicitúrque *qualitas stabilis in potentia activa, per frequentatos actus acquisita, facilitans potentiam ad actus similes eliciendos.* Quòd in intellectu detur, constat *experientiâ*, sive dein à speciebus intentionalibus distinguatur, sive non, id quod nobis olim verosimilius visum est.

Voluntas, seu potentia appetitiva spiritualis, cujus objectum est bonum.

℞. II. Alterum *principium effectivum* actûs moralis est *voluntas.* Circa quam

Observandum 1. Quòd sit *potentia*, qua homo vel appetit bonum, vel aversatur malum ab intellectu propositum. * Inde colligitur, quòd objectum voluntatis, *quò ad actus prosecutionis*, sit bonum quà tale, seu verum sit, seu apparens: *quò ad actus aversionis* sit malum, quà tale. Bonum verò amabile triplex adstruitur, *honestum*, quod est rationi conforme; *delectabile*, quod sensibus gratum; *utile*, quod *tanquam medium* refertur *ad honestum, vel delectabile.*

Est formaliter libera.

Observandum 2. Quòd voluntati competat *plena libertas*, ùt suprà probatum est: nihilominùs hæc se non extendit ad objectum *in genere:* siquidem *& bonum, quà bonum, necessariò* appetit; *& malum, quà malum, necessariò* aversatur, saltem necessitate *quò ad speciem*, si intelligatur bonum *præcisive purum*, ** seu tale, in quo positivè non apparet omnis, sed tamen aliqua bonitas, præscindendo, an illa aliqua sit pura sine admixtione mali, & an sit infinita. Si intelligatur *bonum, positivè purum*, seu quod clarè cognoscitur, ùt includens omne bonum sine ulla admixtione mali, necessitatur voluntas, etiam *quò ad exercitium.* *** Unde si quando voluntas videtur *malum* appetere, non appetit *quà malum*, sed *sub ratione boni apparentis*: non *enim intendens ad malum operatur*, ùt habet axioma philosophicum. Potest tamen voluntas, libertate indifferentiæ, ex duobus bonis æqualibus unum

(a) De offic. c. 1. §. 3.

* Philosophis dicitur *potentia appetitiva, spiritualis*, hoc est, eliciens operationes, de se non *essentialiter* dependentes ab organo corporeo.

** Hoc enim non necessitat *quò ad exercitium*, eò quòd non appareat in illo *motivum necessitans*: ergo voluntas saltem habebit rationem suspendendi amorem.

*** Inde etiam in motibus primò primis, & actibus indeliberatis, non tantùm appetitus sensitivus, sed etiam voluntas *necessariò* refertur in tale bonum per complacentiam, & amorem, antequàm intellectus convenientiam, vel disconvenientiam cum ratione, vel lege Dei considtret.

unum præferre alteri; immò ex inæqualibus præhabere minus bonum majori: quia ad libertatem indifferentiæ plus non requiritur, quàm ut *ratione boni* utrumlibet *poſſit* amari, & neutrum *debeat*.

Habet actus elicitos & imperatos.

Obſervandum 3. Quòd actus voluntatis alij *ſint eliciti*, alij *imperati*. Eliciti *immediatè* producuntur à voluntate, quorum aliqui occupantur circa finem, *uti volitio*, quæ ſimpliciter approbat; *intentio*, ſeu proæreſis, quæ juncta cum ratione efficaciter deſiderat; *fruitio*, quæ objecto obtento delectatur. Alij contrà verſantur circa media, *ùt electio*, quæ media approbat; *conſenſus*, *& uſus*, quæ eadem adhibet. *Actus imperati ſunt*, ad quos determinat voluntas, ſùntque *interni*, ſeu ipſius voluntatis, ac intellectûs; *& externi*, qui ab alijs potentijs, per voluntatem motis, proveniunt. *Actus imperati neceſſitari*, vel cogi poſſunt, non item *eliciti*. Duobus denique modis aliquid volumus, *phyſicè & directè*, vel *moraliter & indirectè* uti dictum ſuprà.

Obſervandum 4. Quòd voluntas dicatur *cæca*, adeóque ad operandum moveri *debeat per intellectum*, ſeu per operationem intellectûs. *Ratio eſt: quia nil volitum, niſi præcognitum; neque ignoti ſit ulla cupido.* Nulla quippe potentia, ex ſe indifferens ad operandum, vel non operandum, poteſt exire in actum ſecundum, niſi à ſuo connaturali determinativo excitetur: ſed voluntas eſt potentia, ex ſe indifferens, & illius connatutale determinativum eſt intellectio, proponens objectum: ergo voluntas naturaliter non poteſt operari, niſi præcedente cognitione quaſi excitetur, & aliquo modo determinetur ad operandum. Dictum eſt *naturaliter*. Nam an per abſolutam Dei potentiam poſſit aliquid amari incognitum, alij viderint. * *Dictum eſt per operationem intellectûs:* nam poſſet ſufficere ſola objecti apprehenſio ad complacentiam ſimplicem excitandam, etſi ad efficacem appetitum objecti, cúmque prudentem, requiratur judicium, ſaltem probabile, de illius bonitate.

§. II.

§. 2. Principia impulſiva.

Quæritur II. Quæ ſunt principia intrinſeca, ac impellentia reſpectu actionum moralium?

Senſus internus, ſeu potentia animæ cognoſcitiva materialis.

℞. I. *Senſus internus*, quem dicunt eſſe *potentiam animæ materialem, cognoſcitivam*, quia reſidentem in cerebro, ** & cognoſcentem objecta, actúsque ſenſuum. Prout cognoſcit objecta præſentia, actúsque præſentes ſenſuum externorum, dicitur *ſenſus communis*; prout conſervat ſpecies rerum abſentium, appellatur *phantaſia*; prout cognoſcit quoque præterita, vocatur *reminiſcentia*, ſeu *memoria*; prout denique cognoſcit objecta, etiam inſenſata, *convenientiam* nempe *& diſconvenientiam* objectorum, *potentia æſtimativa* nominatur.

Appetitus ſenſitivus, ſeu potentia animæ dependenter à ſenſu interno operativa partim iraſcibilis, partim concupiſcibilis.

℞. II. Alterum principium *eſt appetitus ſenſitivus*, ſeu potentia animæ, quæ dependenter à cognitione, vel ſenſu interno, bonum ſenſibus propoſitum proſequitur, vel malum fugit. Prout verſatur circa *bonum difficulter amovibile*, dicitur *iraſcibilis*; prout verſatur circa bonum *facilè* obtinibile, ſeu malum *facilè* amovibile, appellatur *concupiſcibilis*. Actus appetitûs ſenſitivi dicuntur *paſſiones*, *motus*, *affectus*, eò quòd ex repræſentatione boni, malîve ſenſibilis, anima patiatur, moveatur, afficiatúrque ob adjunctam alterationem ſenſibilem, & affectionem in corpore. Actus appetitûs ſenſitivi dicuntur *paſſiones*, *motus*, *affectus*, eò quòd, ex repræſentatione boni malîve ſenſibilis, anima patiatur, moveatur, afficiatúrque, ob adjunctam alterationem ſenſibilem, & affectionem in corpore. Actus appetitûs *iraſcibilis* ſunt quinque: *ira*, *ſpes*, *deſperatio*, *audacia*, *timor*. Actus appetitûs *concupiſcibilis* ſunt ſex: *odium*, *amor*, *deſiderium*, *gaudium*, *dolor*, *fuga*: alij pauciores, alij enumerant plures. *Objectum* appetitûs ſenſitivi eſt omne id, quod per ſenſum internum cognoſcitur, *bonum & malum ſenſibile*, *ſingulare*, *delectabile*, *arduum*

---

* Sunt enim, qui ajunt, non eſſe repugnantiam in hoc, ut detur aliquis actus voluntatis ſine prævia cognitione, cum quo voluntas eſſet ſubordinata Deo cognoſcenti, à quo abriperetur, & determinaretur ad concurſum, ferè ſicut habitus, ſubordinati cauſæ cognoſcenti, determinantur ad concurſum, ſeu volitionem objecti, etſi id non cognoſcant.

** Non *in corde*, uti volebat *Stagyrita*: quia à cerebro nervi omnes originem trahunt, conſequenter facilè poſſunt propagari ſpiritus neceſſarij, & recipi ſenſationes: immò quia malè affecto cerebro, corde licèt ſano, deficiunt ſenſus interni, uti patet in phræneticis, ebrijs, doctis, qui magnum; ſtupidis, qui modicum habent cerebrum.

duum, *noxium*, *utile*, *conveniens*, vel *disconveniens*. *Ratio* est: quia sicut intellectum voluntas; ita sensum internum sequitur appetitus: ergo, sicut voluntas potest omne id prosequi, vel aversari, quod intellectus cognoscit; ita & appetitus potest prosequi, vel aversari omne id, quod cognoscit sensus internus: atqui sensus internus cognoscit bonum & malum juxta ea, quæ suprà explicavimus: ergo.

Unde lucta, hominem inter superiorem & inferiorem.

℟. III. Hisce potentijs materialibus *excitari*, *moveri*, *& inclinari* validè, etsi salva libertate indifferentiæ regulariter loquendo, potentias animæ spirituales, *Intellectum* nempe *& voluntatem*, in ordine ad actus morales, constat evidenti experientiâ. Unde est, quòd Intellectui sæpissimè non conveniat cum appetitu sensitivo, qui non fertur, nisi in ea, quæ sensibus grata sunt, etsi ratione obluctante, & nequaquam bona sibi conformia dictante. Atque hæc est illa lucta, superiorem hominem inter, & inferiorem, de qua Apostolus: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati: nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio: non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago* &c. (a)

Passiones animi in se sunt indifferentes ad bonum, & malum.

℟. IV. Hæ animi passiones, *in se* spectatæ, sunt prorsus *indifferentes*, hoc est, nec *bona*, nec *mala* moraliter: sunt enim animi motus, ex repræsentatione boni, vel mali sensibilis excitati, & à DEO, Authore naturæ, inditi ad hominis conservationem, pluràque alia bona, in humana vita præstanda. Plerúmque tamen, ob naturam hominis depravatam, degenerant, fiúntque malæ, *vel ratione objecti* prohibiti, *vel ratione modi* inordinati. Sic innatus cuilibet *amor perfectionis suæ*, & inde nascentis *existimationis*, ratione modi, degenerat in odiosam *ambitionem*; innatus *amor durationis*, seu *vitæ suæ*, *& mediorum*, ad vitam honestè transigendam necessariorum, inclinat ad sordidam *avaritiam*; congenitus *amor voluptatis innocuæ*, ratione objecti, propellit in turpissimam *voluptatem*.

Ex his oritur animorum, morúmque varietas.

℟. V. Cùm istæ voluntatis inclinationes, diverso invicem ordine, sese excipiant, diversóque gradu mixtæ sint, inde *infinita* oritur *animorum, morúmque varietas*. Hujus porrò varietatis aliæ *sunt causæ physicæ*, *aliæ morales*. *Physicæ* consistunt *in temperamentis*, seu certa primarum qualitatum mixtura, humorúmque vitalium copia, sic ut à prædominante cholerâ *Cholerici*; à sanguine *Sanguinei*; à phlegmate *Phlegmatici*; ab atra *bile Melancholici* denominentur. Horum temperamentorum, *seu simplicium, seu conjugatorum*, proprietates, atque effectus satis discussimus *in Philosopho nostri temporis discursivo*. (b) Hic advertisse sufficiat, quòd hæc temperamenta non solùm varietate *innatâ*, sed *& adscititiâ* per remotiores causas, mirum quantum, mutentur, quales sunt, *Cœli solíque genius*, *indoles parentum*, *educatio*, *victus*, *ætatis & fortunæ conditio &c.* quæ causæ omnes, sicuti temperamenta, ita & mores, propensiones, ac studia hominum propè variant in infinitum. *Inter causas morales* rectè numerantur consuetudo, cui, *velut alteri naturæ*, magna vis est in voluntatem, dum eandem per crebriores ejusdem generis actiones, ad subeundas similes reddit proeliviorem.

Quæritur III. An etiam in hisce principijs cacutiant protestantici Moralistæ?

Protestantium quorumdam aleg.

℟. Saltem nonnulli, quos inter illaudatus suprà *Fletcherus*, qui ègo malè reformato *Thomasio* scribere non dubitavit, communem esse errorem, quòd homini adstruatur *unica tantùm voluntas*, cùm habeat *tres*, in pluribus sibi invicem contrarias, nempe *ambitionem*, *avaritiam*, *voluntatem*. (c) Voluntatem moveri nunquam ab intellectu; eandem *non nisi respectu intellectûs* esse liberam, coactam *verò respectu rerum omnium*, à quibus moveatur, uti suprà jam innuimus.

INSTRUCTIO IV.

De principio directivo, seu regula objectiva actionum moralium.

Instructio IV. De regula objectiva actionum moralium.

§. I.

§. I. Videtur esse naturalis quà talis.

Quæritur I. An principium directivum extrinsecum, seu regula objectiva moralitatis, sit Natura rationalis?

℟. I. *Regula in genere est quasi men.*

(a) Ad Rom. 1.

(b) P. 1. Microcosmi, Disp. 8. *Momi fenestra* f. 187.

(c) In Instit. juris Naturæ & Gentium L. 1. c. 1. à §. 19. 43. usque ad 90.

mensura, ad quam exploratur, an aliquid *sit rectum*, hoc est, *an habeat debitum ordinem ad suum finem*: huic enim, si congruat, *rectum*; secùs dicitur *obliquum*. Unde regula moralitatis *in specie* est illa, cui si conformes sunt actus morales, hoc ipso habentur *recti seu honesti*; si sint difformes, *obliqui seu inhonesti* appellantur. Unde hic quæstio est, quænam sit regula moralitatis, non qualiscunque, *sed prima, objectiva, ac universalis*; seu quæ *sit ratio primaria, & objectiva, in quam conscientia universaliter tendit, judicando actum esse illi conformem*, & hoc ipso *rectum*, seu *honestum*; vel *difformem*, & hoc ipso *obliquum*, seu *inhonestum*. Qua in re non contemnendi Authores, (a) pro regula assignant *naturam rationalem, quà talem*, sic ut actus *illi convenientes* velint esse hoc *ipso formaliter honestos*; *disconvenientes* verò *inhonestos*.

Quia quædam sunt à DEO prohibita, eò quòd intrinsecè mala; & vicissim, quædam præcepta, quia in se bona.

Ratio illorum est 1. Quòd quædam sint *à DEO prohibita, quia mala*: v.g. *odium DEI, mendacium &c.* * Contrà quædam sint *præcepta, quia bona* v.g. *cultus DEI, honor parentum &c.* ergo *antecedenter in se, & intrinsecè mala, vel bona sunt*: atqui talia *antecedenter* esse non possunt, nisi quòd *in se*, & *ex ipso suo objecto, naturæ rationali, quà tali, difformia*, seu *conformia* sint: ergo regula moralitatis in ejusmodi actibus *erit natura rationalis, quà talis*. A. fundatur in communi Theologorum, & in recepto modo loquendi. C. P. si ponatur per impossibile, vel si fingatur cum Atheo, *non dari DEUM*, legémque ejus æternam, mendacium, honor Parentum &c. *solo dictante rationis lumine*, nihilosecius forent actus *mali*, vel *boni*, nisi quis admittere velit, magis inhonestum *in se* non esse occidere Parentem, quàm canem. Item casu, quo per impossibile concipiatur, *non dari DEUS*, Respublica tamen, natura, & ratio boni publici prohiberet furta, adulteria, perfidiam &c. præciperet fidelitatem erga Magistratus &c. ergo similes actus, *independenter à lege DEI, per se & intrinsecè*, ob solam conformitatem, vel difformitatem *cum natura rationali* vel mali sunt, vel boni. Accedit, quód teste *Suarezio* hæc judicia: *honestum est faciendum, inhonestum vitandum; non est mentiendum; nulli facienda injuria &c. per se, semper, & independenter ab omni extrinseco* vera sint: ergo & voluntas illis discordans, seu concordans vel mala, vel bona est *per se, & independenter ab omni extrinseco.*

Quia aliàs sequeretur, ejusmodi actus potuisse esse non malos, vel dispensabiles, quod certò falsum.

Ratio illorum est 2. Quòd si ejusmodi actus mali solummodò forent, *quia prohibiti à DEO*, absolutè potuissent *esse non mali*; vel saltem *forent dispensabiles* ex sola DEI voluntate, si vel ab æterno non vetuisset, vel in tempore dispensaret: atqui hoc est perspicuè falsum: cùm *v. g. blasphemia*, essentialiter malæ, naturam mutare DEUS haud possit: ergo. *Maj. P.* Lex DEI non dicit actum *Dei necessarium, sed liberum*: ** nam sicut obligatio, voluntate Legislatoris inducta, est moralis; ita & ipsa debet ab agente libero procedere. Accedit, quòd nulla detur voluntas *DEI efficax* ad creaturas, *quæ sit necessaria.*

Vel, quòd posset dari peccatum philosophicum.

Ratio illorum est 3. Quia aliàs sequeretur, quòd, si quis ageret quid quam *natura rationali difforme, cognitum ùt tale, sed cum ignorantia invincibili DEI*, seu Legis Divinæ, aut saltem *non cogitans de lege*, non committeret peccatum formale, nec mereretur pœnam æternam: atqui sic daretur peccatum philosophicum, *ab Alexandro VIII. Pontifice* damnatum.

Sed malè statuitur pro regula objectiva, natura rationalis, quà talis.

℞. II. *Regula moralitatis prima, objectiva, & universalis, malè statuitur in natura rationali, quà tali.*

Quia non est primò regulans efficaciter, nec universaliter.

Ratio est 1. Quia hæc regula debet esse ratio objectiva, *primò regulans* actus morales; regulans *efficaciter* cum virtute obligandi suprema, indefectibili, & summè æstimabili; regulans *universaliter*, obligando ubique & omnes: atqui talis ratio non *est natura*

(a) *Vasquezius* in 1. 2. Disp. 58. c. 2. n. 9. Item Disp. 71. c. 9. *Suarezius* de malitia, & bonitate actuum humanorum. disp. 1. sect. 2. Item Disp. 7. sect. 1. etsi alibi Disp. 11. videatur assignare *legem æternam*. Ab his allegantur alij plures &c. etiam Angelicus 1. 2. Q. 100. etsi sat contrarius 1. 2. Q. 71. ad 4.

* Item *blasphemia, perjurium, actus, quo dico nolo implere promissum; volo agere contra conscientiam, rectam rationem, legem DEI, furtum, adulterium &c.*

** Supposito, quòd lex Divina pertineat potiùs *ad voluntatem*, quàm *intellectum*, qua de re infrà.

tura rationalis, *quà talis*: ergo &c. *Major patet*: nisi enim à conscientia proponatur *regula regulans*, actus non poterunt reddi moraliter conformes, vel difformes huic regulæ; nisi *regulet efficaciter*, esset inutilis, nec deberet præferri omnibus bonis, malisve creatis; nisi *regulet universaliter*, non esset illi ab omnibus, & in omnibus parendum, adeóque non *esset prima*, *& adequata* mensura totius moralitatis. *Min.* pariter constat 1. quia *natura rationalis* à conscientia proponitur, *ùt regulata* à Natura naturante, *seu ùt interpres* regulæ primæ increatæ, quam per sua nobis dictamina promulgat. 2. Quia non regulat *efficaciter* cum virtute obligandi: cùm obligatio inducatur per legem Superioris; natura autem rationalis non sit superior se ipsâ. 3. Quia non regulat *cum virtute indefectibili*, *& suprema*; cùm *supponat divinam*. Non *cum virtute summè æstimabili*, quia finita, & consequenter non est æstimabilior omnibus bonis, malisve creatis. 4. Quia non regulat *universaliter*; cùm non sit superior tota specie naturæ rationalis.

Quia nequit explicari; quid intelligatur per naturam rationalem, quà talem.

Ratio est 2. Quia nequit explicari, quid intelligi debeat *per naturam rationalem*, *quà talem*: *A. P.* Nam si intelligitur præcisè natura, ùt potens operari *simpliciter*, blasphemia erit honesta; si ùt potens operari *honeste*, fit circulus. Rursus: vel per actum inhonestum intelligitur actus, *quomodocunque difformis* naturæ rationali, & sic inhonestum erit, si cogaris incedere nudus, vel in veste, quàm par est, longiore, aut ocreis giganteis: vel intelligitur actus *difformis bono physico naturæ particularis*, & sic inhonestum erit mori pro Patria: vel difformis *bono physico Reipublicæ*, & sic honestum erit mentiri pro salute communi: vel denique intelligitur actus, qui avertit *ab ultimo fine*, & sic regula erit *natura Divina* sub conceptu Legislatoris, non natura humana.

Unde rationes allatæ nequaquam evincunt esse regulam, saltem in omnibus.

¶. III. *Rationes, suprà allatæ, oppositam sententiam nullatenus evincunt. Unde indirectè*

Ad 1. Sunt etiam multa, tantùm ideò mala, *quia prohibita* v. g. comestio carnis die *Veneris*; sunt multa tantùm ideò bona, *quia præcepta* v. g. silentium respectu Religiosi &c. ergo natura rationalis non est regula *saltem prima*, *& universalis*. In forma

Dicunturque prohibi-

D. A. Quædam sunt prohibita, *quia mala*, malitiâ *formaliter tali*, *seu propriè morali*. N. A. *Quia mala*, malitiâ *materialiter tali*, & *physicâ*, seu *merè radicali*, dicente *oppositionem physicè qualemcunque cum fine*, *naturæ rationali indispensabiliter proprio*, de quo infrà: (a) C. A. Et N. C.

ta, quia mala physicè, non moraliter.

Ratione contrarietatis physicæ cum fine, Creaturæ rationali indispensabiliter præfixo.

Explicatur distinctio. Constat 1. Quòd, sicut objecta sunt varia, ita & actus tendentes in objecta sint specificè diversi: sic v. g. *blasphemia*, tendens in malum *Dei*, *antecedenter* ad omne dictamen, vel legem *Dei*, *in se*, *& intrinsecè* contrariatur, seu habet oppositionem *immediatam*, *ac physicam* cum amore Creatoris indispensabili. *Mendacium*, intendens proximi deceptionem, *in se* opponitur *immediatè* quidem bono commercij humani; *mediatè* autem DEO, ùt Universi hujus Gubernatori, & sic de alijs. Jam sic: hæc contrarietas, seu difformitas cum fine creationis, homini indispensabiliter præfixo, seu *cum felicitate hominis completa*, de qua inf. à, *non est moralis*: nam *datur independenter* ad legem, seu ad dictamen, etiam in blasphemia *amentis*: ergo non dicit malitiam *formalem*, & *propriè moralem*; sed *merè materialem*, *ac physicam*.

Quæ non nisi radix malitiæ moralis.

Constat 2. Quòd hæc oppositio materialis sit *fundamentum*, *seu radix*, vel cujus non possit elici actus *moraliter*, *seu liberè*, *ac advertenter*, quin hoc ipso appareat difformis fini creationis ex lumine rationis, & hoc mediante legi Divinæ: ergo potest hæc oppositio dici, suo modo, mala *radicaliter*, *ac fundamentaliter*: nam blasphemia, vel mendacium, *independenter à lege Divina*, talem habet malitiam, qualem bonitatem habet terminus, cui opponitur: atqui opponitur *fini* creationis, *indispensabili nisi cum præjudicio Creatoris*, quæ oppositio tantum est *fundamentaliter* inhonesta: ergo habent malitiam tantùm *fundamentalem*.

Ubi & difformitas cum natura rationali, utpote quæ non est ratio moralitatis prima, efficaciter, aut universaliter obligans.

Min. subs. D. Atqui mala, *antecedenter ad legem DEI*, esse non possunt, nisi quod ex se sint difformia naturæ rationali, sic ut hæc difformitas sit *ratio formalis*, & natura sit *regula prima inhonestatis*. N. Sic ut hæc difformitas sit *ratio fundamentalis*, & natura quædam regula *secundaria*. C. Si abstrahatur, vel si abstrahi possit à lege Divina, per solam difformitatem cum natura rationali, non habetur inhonestas *formalis*, quia non habetur difformitas actûs *cum regula prima*, *efficaciter*, & *universaliter* obligante,

(a) Instruct. V.

te, qualis esse nequit natura, uti probatum suprà.

Fit adeò prohibita, quia mala, dicuntur impropriè.

Modum illum, Theologis usitatum, quod spectat, nempe multa esse *prohibita, quia mala*, teste Angelico, (a) sumendus est de prohibitis *jure positivo*, superveniente prohibitis *jure naturali*, uti fit in præceptis Decalogi: cætera enim mala sunt, quia prohibita, vel *si impropriè* loqui volupe, prohibita sunt, quia mala *materialiter*, uti ostendimus.

Deo per impossibile non posito, remanerent malitia merè physica.

Probatio antecedentis altera D. Si per impossibile conciperetur non dari DEUS, ejusmodi actus essent mali malitia *propriè morali, ac foramliter tali: N.* Malitiâ *physicâ* vel *radicali*. C. Ad honestatem *veram*, vel inhonestatem, *propriè talem*, non sufficit cognoscere *qualemcunque* decentiam, vel indecentiam; secùs puer, inducens ocreas giganteas, ageret inhonestè: sed requiritur cognitio, quæ dictet *obligationem in conscientia* per legem, *cui necessariò* ab omnibus parendum sit. Unde etsi atheus non cognosceret Deum *sub conceptu claro, & explicito Entis à se, Creatoris, vel Gubernatoris*, cognosceret saltem *sub conceptu confuso, & implicito potestatis, universaliter obligantis*, quod sufficit. Quòd si neutro modo ponatur Deum cognoscere, occidendo Parentem contraheret majorem malitiam physicam, quàm si occideret canem, posśetque ideò à Magistratu puniri. *

Neque Respublica obligare posset efficaciter, universaliter, legéque propriè tali.

Ad rationem additam negatur 1. Quòd Respublica (abstrahendo ab existentia Dei) posset *efficaciter*, & *universaliter* obligare, quidpiam præcipiendo, vel prohibendo: cùm enim *vis tota* habeatur à lege DEI, præcipientis obedire hominibus, neque natura, neque ratio boni publici posset *proximè* obligare, ut quis Patriam sibi, vel bonum commune privato præferret, *si id DEUS non exigeret. Negatur* 2. Quòd foret *lex propriè talis*, sicut non foret obligatio *completa, efficax*, & *indispensabilis*. Unde juxta *Haunoldum* daretur forsan in casu hoc impossibili honestas, vel inhonestas, sed prorsus alterius ordinis, ac rationis, desumeretúrque ab illo *prædicato objecti intrinseco*, quod defacto attendit DEUS, dicique posset *præponderantia physica*, vi cujus aliqua bonitas prævalet opposito, uti explicat *Lugo. Ratio allata è Suarez*io distinguitur. Hæc judicia: *bonum est faciendum, malum vitandum &c.* sunt vera, *per se*, & *independenter* ab extrinseco, sic ut non respiciant terminum, tamquam *objectum*, seu *connotatum* extrinsecum, *cui consentanea* sint. N A. Sic ut evidentia veritatis non indigeat extrinseco, *sed per se* sat rapiat intellectum. C. A. & D C. Ergo etiam voluntas his judicijs conformis *per se* jam erit honesta, si hæc judicia sint regula honestatis prima. CC. Si tantùm sint *applicatio regulæ primæ*, seu *regula secunda*, per Divinam legem jam regulata: *Subdist:* Voluntas erit honesta *formaliter*. N. *fundamentaliter*. CC.

Multò minùs sequitur ejusmodi actus posse non esse prohibitos seu malos, vel dispensabiles ex supposito hominis, liberè à Deo creati.

Ad 2. Argumentum negatur, quòd *ex Dei voluntate* ejusmodi actus, *materialiter mali*, possent *non esse mali, vel dispensabiles. P. D.* Lex DEI non dicit actum *necessarium*, sed *liberum* libertate *antecedente*, sic ut Deus potuerit naturam rationalem producere, vel non producere. C. A. Liberum libertate *consequente*, sic ut, productâ liberè naturâ rationali, possit actus ejusmodi *materialiter malos*, hoc est, *fini*, ac *rationi dissonos*, non prohibere, vel in ijs dispensare. N. A. Et C. Voluntas DEI, seu lex æterna, quatenus pro suo objecto habet opera ad extra, liberrima fuit ad creaturam rationalem producendam: sed, *facta hypothesi productionis*, necessarium illi est *necessitate consequente*, eandem sapienter per suam legem gubernare, præcipiendo, vel prohibendo actus, *qui ex ipso objecto* jam *materialiter* boni, vel mali sunt. *Unde* rationem additam *Dist.* Nulla datur voluntas in Deo efficax ad creaturas, quæ sit necessaria *absolutè*, & nulla supposita determinatione libera priore. C. Quæ sit necessaria *conditionatè*, seu ex hypothesi liberæ determinationis. N. Sic DEO liberum est *absolutè*, ut creaturæ aliquid promittat; *sed necessarium*, ut promissum servet, quia teste Apostolo: (b) *DEUS fidelis permanet, & se ipsum negare non potest.*

Ne-

(a) 1. 2. Q. 71. A. 6. ad 4.

* *Caramuel* Theol. Reg. disp. 2. n. 22. Illam malitiam actionum *physicam* vocat *deordinationem realem respectu alterius entis*, uti v. g. occisio canis est mala physicè *respectu canis*, quia est deordinatio ab appetitu canis, quo cupit suam conservationem; sic homicidium, abstrahendo à lege Divina, esset malum *physicè*, quia contra appetitum hominis exercitum.

(b) 2. ad *Timoth*. 2.

Et licèt illa malitia, præsupposita in objecto, non sit indifferens ad esse malum moraliter, non tamen hoc ipso & independenter à Lege DEI jam est mala moraliter.

Neque dicas 1. Illa bonitas, vel malitia actûs, *ex objecto jam præsupposita ad legem Dei*, non est merè *materialis, & physica:* quia non est *indifferens* ad esse bonum, vel malum *moraliter.* Item: ideò DEUS præcipit, vel prohibet actum, quia movetur à præsupposita difformitate, vel conformitate actûs *cum ratione*: ergo à præsupposita malitia *formali.* Nam

Negatur *ant. sum*: Ratio addita Dist. Non *est indifferens*, ùt quædam mala physica, quæ *per se*, seu ex objecto nullam habent contrarietatem cum fine homini indispensabiliter proprio. C. Quæ habent contrarietatem, *uti odium DEI, mendacium &c.* N. *supposit.* quòd hæc mala physica debeant esse *indifferentia* ad esse bonum *moraliter.* Nam ratione oppositionis ejusmodi *fundant* exigentiam, ut non possint non prohiberi à DEO. *Ratio est*, quia, si fingeretur, hæc non posse displicere, ac prohiberi à DEO, id cederet in præjudicium Creatoris, & alicujus Divinæ perfectionis. Hinc etsi malitia illa antecedens, in odio DEI, seu mendacio, *sit merè materialis, & physica*, permitti tamen non potest, uti permitti possunt alia mala physica: quia hoc ipso, quòd præjudicaret Sapientiæ, & Providentiæ Creatoris, ac Gubernatoris Divini, causaret *negationem, seu desitionem DEI*, quod est malum physicum omni morali majus. *Ad alterum Ant.* negatur suppositum, quòd *Deus, propriè loquendo*, moveatur ad hoc, vel illud prohibendum, ab illa materiali malitia actûs; sed movetur potiùs à sua perfectione: quia nisi prohiberet v.g. *odium DEI*, posset contemni; *nisi furtum vel mendacium &c.* foret malus Author naturæ, & pessimus Gubernator Vniversi. Quia tamen juxta alios moveri *potest motivo finito*, si hoc post se trahat *motivum infinitum* suæ perfectionis, *distinguitur Ant.* Ideò DEUS prohibet actum, quia movetur à præsupposita difformitate actûs cum ratione, ita ut hæc difformitas sit *ratio malitiæ formalis.* N. Ita ut sit *ratio malitiæ fundamentalis, seu physica.* C. Formalis malitia non est, quia non est *difformitas cum prima regula honestatis*, qualis ratio, utpote ipsamet regulata, esse non potest, uti dictum.

Sed nec in furto, homicidio, fornicatione quà tali, unquam fuit dispensatum à DEO, sed mutata solùm materia, ne ampliùs furtum &c. fuerit.

Neque dicas 2. Si odium DEI, blasphemia, mendacium, antecedenter ad legem DEI, sunt *materialiter mala*, ratione *oppositionis physicæ* cum fine, creaturæ rationali indispensabiliter præfixo, vi cujus in nullis circumstantijs permitti possunt absque præjudicio, redundante in Deum, tunc etiam, *hanc ipsam ob rationem, erunt materialiter* mala furtum, homicidium, fornicatio &c. falsum hoc; nam *dispensatum* in his à DEO *cum Israëlitis, Ægyptum* spoliantibus; *cum Phinees* interficiente *Zamri*; cum Propheta *Osée*, ex fornicatione filios generante &c. ùt multi volunt. *Sed C. Maj. Negatur Minor.* Dispensatio, quæ est *obligationis relaxatio*, non intercessit in furto &c. sed mutatæ solummodò sunt à DEO circumstantiæ, ne fuerit *furtum*, hoc est, *ablatio rei alienæ;* ne fuerit *homicidium*, seu *occisio proximi privata authoritate;* ne fuerit *fornicatio*, hoc est, abusus corporis *alieni illegitimus.* * Unde sicut odium DEI, mendacium &c. ex objecto formali, quod est aversio à DEO, deceptio proximi; *ita & furtum, homicidium, ac fornicatio* ex fine, & circumstantijs, antecedenter ad legem DEI, contrariantur fini hominis creati, præsertim Divinæ Providentiæ in gubernando Universo, adeóque in se sunt æquè materialiter mala, nullisque in circumstantijs dispensabilia. **

Unde implicat agere rationi dif-

Ad 3. Argumentum, quo dictum est, quòd si natura rationalis non foret prima regula moralitatis, sequeretur

* Non placet eorum responsio, qui ajunt, DEUM dispensare non posse in præceptis, quæ sunt de jure Naturæ *absoluto*, hoc est, manente eadem materiâ, & circumstantijs, sub quibus sunt moraliter mala; posse tamen *dispensare* in ijs, quæ sunt de jure Naturæ *conditionato*, mutando materiam & circumstantias, sub quibus non sunt sub jure naturali, nec obligant. Nos siquidem non admittimus *jus naturæ conditionatum*, neque *dispensationem* ejusmodi, *nimis impropriè dictam.*

** Expeditiùs propè *Puffendorfius* in specimine controv. c. 6. qui sepositis vocibus *furti, fornicationis, homicidij &c.* quæ jam denotant *moralitatem*, seu actum *lege vetitum*, abstrahit *esse physicum à morali*, illudque ait indifferens ad esse honestum, vel inhonestum v.g. occisionem hominis esse indifferentem ad esse legitimam, vel illegitimam; nec nisi accedente lege DEI fieri talem *moraliter*, eo modo, quo in actibus alijs, naturâ suâ indifferentibus. Quidquid *sit, in modo loquendi* judicium nostrum non interponimus.

retur, eum, qui ageret quidquam *difforme rationi, cognitum ùt tale, sed cum ignorantia invincibili Divinæ legis*, seu *cum incogitantia inculpabili de DEO*, non peccaturum *formaliter*, vel saltem peccato æternùm punibili. Nam

formiter, quin saltem implicitè attingatur lex DEI.

℞. D. Sequeretur, non peccaturum *formaliter*, si tantùm *non explicitè, & sub conceptu formali* legis Divinæ, seu DEI, quidquam ageret rationi difforme. N. Si neque *implicitè, & sub conceptu Divinæ legis confusè*, aut *convertibili* cum DEO quidquam ageret rationi difforme. N. Suppositum, quòd possibilis sit ejusmodi ignorantia *invincibilis*, vel incogitantia *inculpabilis*. Ratio negandi est, quia *deliberatè* operans *contrà rationem, quà talem*, cognoscit *obligationem conscientiæ inevitabilem*, actum ejusmodi omittendi; adeóque actum hunc *esse universaliter, ubique, & prosemper* illicitum, ac præ malis omnibus vitandum: ergo cognoscit, saltem confusè, obligationem *universalem*, ac *indefectibilem*: ergo & potestatem supremam, *universaliter*, & *efficaciter* obligantem, *potentem punire*, & præmiare; atqui hoc est prædicatum convertibile cum regula prima honestatis, seu lege Divina; item cum DEO, ejus dignitate suprema, fine ultimo universali, super omnia appetendo: ergo &c.

A. P. Ejusmodi cognitio, *saltem confusa*, est principium *primum*, & *universale* moralitatis, sine quo explicari nequit, quid sit agere *moraliter*; quid *sit usus rationis*; *quid dictamen conscientiæ, seu illud Lumen Divinum, super nos signatum*; adeóque *necessarium est* ad moraliter agendum: ergo necessariò *à Deo, ut Authore Naturæ*, omnibus est inditum. A: colligitur ex eo, quòd ad agendum *moraliter*, seu *ad usum rationis*, non sufficiat, agnoscere *qualemcunque disconvenientiam cum ratione*; secùs & infans *moraliter* ageret, induens ocreas majores se: & patet ex brutis, quibus natura dictat, in nullis circumstantiis lupo capiendos mures &c. C: patet: Nam sicut pertinet ad Providentiam, & Sapientiam Dei, ut prima principia non ignorentur omnimodè à rationis capaci respectu scientiarum: ita ad eandem spectat, ut ne nesciantur prima principia moralitatis: secùs enim homo destitueretur necessariis mediis, nec posset obligari ad *moraliter* agendum, finémque ultimum, etiam naturalem, consequendum.

Neque dicas 1. Rudissimus quidam *Menalcas*, cognoscens mendacium esse quidem *contra rationem*, non tamen hoc ipso cognoscit esse, *omnibus in circumstantijs*, prohibitum, nisi per discursum instructus, quòd etiam sit illicitum ad salvandam vitam proximi: ergo non cognoscit legem universalem obligantem *semper*, hoc est, Divinam.

Saltem loquendo de ijs, quæ clarè connexa cum primis moralitatis principijs.

℞. *Transf.* A. D. C. Ergo non cognoscit legem *universalem*, obligantem *semper*, quò ad mendacium *simpliciter*. N. C. Quò ad mendacium affectum *his circumstantijs T. C.*

Neque dicas 2. Dicens præcisè, *Si nolo occidere innocentem, quia id dissonum rationi, cùm nec ego innocens occidi vellem*, non cognoscit ullum prædicatum convertibile cum DEO: ergo.

Si nec confusè cognosceret legem DEI, non ageret moraliter.

℞. Si meram cognosceret indecentiam, absque ulla obligatione, vi cujus neglectæ redderetur vituperabilis, non ageret *moraliter*; sicut nec parvulus, induens togam majorem se: si cognoscit obligationem, cognoscit obligantem, adeóque prædicatum convertibile cum DEO.

Neque dicas 3. Etsi quis cognoscat prædicatum convertibile cum DEO, non tamen cognoscit *esse* convertibile, seu *ipsam convertibilitatem cum DEO*; sed illud tribuit rationali naturæ, conscientiæ, legislatori humano, Reipublicæ: ergo non cognoscit DEUM, seu legem DEI.

Ad cognitionem verò confusam non requiritur, ut cognoscatur ipsa convertibilitas prædicati cum Deo.

℞. T. A. D. C. Ergo non cognoscit DEUM *clarè*, quà talem. C. C Non cognoscit *confusè*, quod sufficit. N. C. Error ille, quo naturæ, vel conscientiæ tribuitur obligatio, est tantùm *vincibilis*, cùm etiam rudi dictamen synteresеos suggerat: inhonestum *universaliter, ab omnibus, ubique*, & *semper* esse vitandum: ergo cognoscitur, dari potestatem supremam obligantem, quæ nequit esse Natura, vel Respublica defectibilis, saltem in occultis: hujus autem veritatis notitia, dubium, vel suspicio, seu advertentia, saltem exercita, & confusa haberi potest; immò etiam debet à rudi: secùs deficiet Natura in primis principijs moralitatis.

Neque dicas 4. Quando rudes agunt *moraliter*, sæpe non habent cognitiones *universales* v. g. hoc esse *semper* & *ab omnibus* fugiendum; esse contra legislatorem, *cunctis superiorem &c.* sed

Unde & rudes habent cognitiones universa-

les, falsem virtualiter.

ſed plerumque non habent niſi cognitiones *particulares*: v. g. hoc eſſe contra legislatorem *particularem*; dedecere *naturam*; *ſibi eſſe* illicitum: atqui hæc prædicata non ſunt convertibilia cum DEO.

℞. D. A. Non habent nniverſales *formaliter*, *explicitè*, & *clarè*. C. A. Univerſales *virtualiter*, *exercitè*, & *confusè*. N. A. & C *Exercitè* ſemper fit aliqua reflexio ad principia prima, & uoiverſalia conſcientiæ; ſecùs Natura deficeret in neceſſarijs ad agendum *moraliter*.

Neque sufficit ad agendum moraliter cognitio difformitatis cum ſola ratione.

Neque dicas 5. Sufficit ad moralitatem, quòd actus appareat diſſonus Naturæ ratiooali, & ab ea prohibitus: ergo.

℞. N. A. Quia omne honeſtum exigit, præcipi; inhoneſtum prohiberi *efficaciter*, & *indiſpenſabiliter*, *ubique*, & *ſemper*: hoc haberi nequit à Natura, ùt dictum.

Etſi forſan talis actus non abſolutè foret impoſſibilis.

Neque dicas 6. Saltem *eſt poſſibilis* ejusmodi actus, qui cognoſcatur *eſſe difformis rationi*, quin tamen, ex ignorantia *invincibili*, vel incogitantia *inculpabili* cognoſcatur *eſſe difformis legi Divinæ*: atqui talis eſſet actus peccatum ſaltem *philoſophicum*, quin eſſet offenſa Dei, aut mereretur pœnam, ſaltem æteroam. *Major P.* Quia non apparet implicantia, ſaltem ex dictis. 2. Quia difformitas cum ratione, & lege Dei, ſunt duæ formalitates, utique præſcindibiles, ſicut malitiæ furti, & ſacrilegii: ℞. D. *Maj.* Saltem *eſt poſſibilis* loquendo *moraliter*, vel *ordinariè*. N. M. *Abſolutè* non eſt *impoſſibilis* in caſu metaphyſico. *Omitto Maj.* Rationes allatæ ſaltem probant *implicantiam moralem*, quod ſufficit ad ſcopum præſentem: neque eſt paritas cum furto ſacrilego; nam formalitates *furti*, & *ſacrilegii*, ſunt ſatis diſparatæ, nec ita connexæ, ut una ſpecies formalitatis neceſſariò excitet ſpeciem alterius; ſicut tamen, *moraliter loquendo*, contingit in rationis compote, & cum advertentia ad rationem agente: immò ſpecies *de obligatione naturali* ſunt ipſæ ſpecies *de obligatione Divina*. *Ad Min.* Siquidem talis actus adſtruatur abſolutè poſſibilis, eſſet inhoneſtus ſaltem *materialiter*, offenſáque Dei *materialis*, & teſte *Lugone* mereretur Dei indignationem, ſaltem temporalem: quia foret actus, *aliquo modo moraliter malus*, utpote factus contra aliquam, ſeu proximam regulam moralitatis, nempe contra rationem: ergo operantem redderet vituperabilem, & Deo, tanquam Authori Naturæ, Gubernatoríque, cui agendo contra Naturam præjudicaretur, tribueret jus ad indignationem, ac pœnam, etſi foret ſine advertentia ad Deum, ſeu Legem Dei. *Conſequentia* liquet à paritate Principis, punientis injurias, etiam aliis ſubordinatis, ſeu ſubditis, factas; Parentis, filio indignantis, ſi quid agat contra ſuum ſtatum &c.

§. II. *§. 2.*

De exiſtentia, eſſentia, & proprietatibus Legis æternæ.

De exiſtentia legis æternæ.

Quæritur II. An ſit Lex æterna?

Datur.

℞. I. *Affirmativè.* Ratio eſt 1. Quia Deus evidenter habet providentiam, quæ neceſſariò ſupponit *æternam quamdam rationem practicam* totius gubernationis in Univerſo: atqui *hæc ratio*, in Dei mente *deſcripta*, & decreto *firmata*, ſe habet *per modum Legis* reſpectu creaturarum: ergo. *Min. P.* Hæc *ratio æterna* non eſt merè *idea*, vel potiùs exemplar; hoc enim magis conſtituitur ùt principium operandi *reſpectu artificis*; ſed ſe habet *per modum præcepti*, reſpectu rei per ideam producendæ: unde poteſt *dici imperium*, quatenus involvit reſpectum ad effectus in tempore; nec requiritur, ut ſit *promulgata* pro ſemper, ſed ut ex parte Legiſlatoris ſit *promulganda* pro ſuo tempore. * Nam illa ratio, in mente Legislatnris ſtabilita, quia *æterna* & *immutabilis*, cenſetur *in ratione Legis* completa, eò quòd ſine ſui mutatione *pro tempore* obliget: etſi aliæ leges, quia ex hominis decreto mutabili, non niſi per promulgationem *in ratione Legis* firmentur, ac compleantur, cùm ante promulgatiooem ſeſe habeant potiùs *per modum propoſiti* ferendi legem, quàm *per modum Legis* firmiter latæ, ac ſtabilitæ.

Ratio eſt 2. Quia ratio illa in mente Dei, etſi *reſpectu noſtri* non videatur eſſe lex *lata* ab æteroo, ſed *ferenda* primùm in tempore, eſt tamen ſuo modo jam *lata ab æterno*, etſi *promulganda* in tempore, & ex uſu Saoctorum, Theologornm, Philoſophorum appellatur ſimpliciter *Lex*, à quorum ſenſu, & idiomate in vocibus non recedendum.

Habet vim obligandi.

℞. *II. Lex æterna habet vim obligandi homines.* *Ratio eſt*: quia eſt pro-

* Sic providentia DEI eſt *æterna*, etſi *ab æterno* non gubernet: ita lex eſt *æterna*, etſi *ab æterno* non obliget, ſed *ùt promulgata* in tempore.

propriè lex, & Deus Legislator habet supremam potestatem imperandi: ergo & obligandi.

De materia legis æternæ.

Quæritur III. Quæ sit materia legis?

Actus liberi DEI, operantes ad extra, non sunt materia Legis respectu DEI.

℞. I. *Actus liberi Dei, operantes ad extra, quatenus morales, & honesti, non sunt materia legis æternæ.* *Ratio est:* Quia lex æterna, ùt est regula actionis honestæ, *respectu Dei*, neque habet rationem *legis positivæ*, neque *naturalis*. Non *positivæ*; quia concipi nequit, ùt posita per liberam voluntatem potentis Deo præcipere, eúmque suo præcepto obligare. Non *naturalis:* quia ratio illa Numinis, practica de agendis, merè *indicat*, quid rei natura habeat: lex autem sit *voluntas*, aut *intimatio voluntatis;* sit merè *directiva*, *non coactiva &c.*

Sed possunt esse respectu creaturarum.

℞. II. *Actus Dei liberi, operantes ad extra, quatenus artificiales suo modo in creatione, & gubernatione Universi, non sunt materia legis æternæ respectu Dei, etsi sint respectu creaturarum capacium.*

Ratio est: Quia, cùm Deus constituit legem æternam circa gubernationem creaturarum, pro ipsis creaturis illam statuit, ut ad ejus normam moveantur, non verò illam sibi imponit, ut ex ejus præscripto gubernare cogatur. Unde etsi Deus, ex infinitis modis fabricandi, regendique Mundi, certam sibi normam præfixerit, hæc tamen *lex* dici nequit, quia non à Superiore posita, directiva potiùs, quàm obligatoria, pro libitu tollenda: adeóque & locutio illa, quòd Deus non possit quædam facere *secundùm legem ordinariam*, merè est metaphorica, dicens modernam providentiam, à qua recedere nequit, non *quia obligatus, sed quia immutabilis.*

Omnes actiones morales sunt materia legis æternæ.

℞. III. *Omnes actiones morales sunt materia legis æternæ.*

Patet, quia vel prohibentur, vel præcipiuntur. *Indifferentes*, & quæ de consilio, sunt materia legis vel *quò ad modum*, ùt vult *Suarezius;* vel quòd planius, *reductivè*, ac *minùs propriè*, quatenus lex sumitur pro quacunque dispositione Gubernatoris, sub qua etiam *permissio* & *consilium* comprehenditur.

De essentia legis æternæ, consistente in actu libero DEI.

Quæritur IV. Quid sit, & in quo consistat lex æterna Dei?

℞. I. *Consistit in actu libero Dei.* Ratio est: quia *pro materia*, ùt dictum, habet *opera Dei ad extra;* nam jubet servare ordinem naturalem, & prohibet illum invertere. Jam sic: ordo naturalis non est nisi in rebus creatis: ergo, sicut hæ liberæ sunt, ita & lex æterna involvit respectum liberum. Inde *Angelicus:* (a) *Æternus Divinæ mentis conceptus habet rationem legis æternæ, secundùm quod ordinatur ad gubernationem rerum, ab ipso præcognitarum.*

Adeóque voluntatis.

℞. II. *Unde includit actum Divinæ voluntatis.* Nam libertas Dei est formaliter in voluntate Dei. Ex quo colligere est primò. Quòd lex æterna, *quà libera*, non sit simpliciter necessaria, etsi immutabilis, uti alia decreta Dei libera. 2. Quòd non sit in actu intellectûs, ùt antecedit *ratione nostra* decretum Dei liberum: quia in actu intellectûs *ùt sic* non est libertas. 3. Quòd, licèt in intellectu Divino, ùt sic concepto, sint dictamina legis naturalis V. G. *non esse mentiendum*, *puniendæ esse mala &c.* hæc tamen, ùt considerata ad Deum, non habent rationem legis, ùt dictum: neque considerata ad creaturas habent rationem legis, sine actu voluntatis Divinæ: quia non sunt imperia, nec practicè movent; sed sunt quasi cognitio speculativa talium objectorum. 4. Quòd lex æterna consistat *formaliter* in decreto Dei libero, statuentis ordinem servandum à partibus Universi in ordine ad bonum commune; sic ut *in creaturis, intellectu carentibus*, præcipiat *non loquendo*, sed *operando* per inclinationes rebus inditas; * in creaturis rationalibus *præcipiendo*, vel *prohibendo* &c. 5. Quod decretum Dei sit velut anima, & virtus legis Divinæ, à qua tota vis obligandi descendit. 6. Quòd ab *Angelico* sit dicta *conceptus Dei æternus*, quatenus intelligi potest etiam in actu intellectûs Divini, sed *subsequente* decretum illud, vi cujus actûs intellectivi Deus judicat determinatè, quæ ratio sit tenenda in gubernatione rerum, sicque in se præconcipiat legem, quæ unicuique rei suo tempore præscribenda sit. 7. Quòd differat *ab idea*, quæ etiam est de re possibili, sicut actus voluntatis ab actu intellectûs. Quòd differat *ab exemplari*, involvente causalitatem aliquo modo actualem, ad cujus imitationem aliquid fiat, vel futurum sit, quatenus exemplar respicit *DEUM*, *ut operantem;* lex *creaturam*, vel *DEUM*

(a) Q. 91. A. 1. ad. 1.

* Inde illud Proverb. 8. *Leges ponebat aquis, ne transirent fines suos.*

UM obligantem creaturas. 8. Quòd differat *à providentia*, quatenus ratio divina, ùt habet *rationem legis*, constituit veluti regulas *universales*, secundùm quas res omnes moveri debent, & operari; *providentia* verò de singulis rebus *in particulari* disponit, & ita est veluti ratio exequendi, & applicandi legem. Nam lex dicit jus in communi constitutum; providentia verò curam, quæ de singulis actibus haberi debet: unde Angelicus providentiam *non nominat legem æternam, sed aliquid ad legem æternam consequens.* (a)

De proprietatibus legis æternæ.

Quæritur V. Quotuplex sit lex æterna? Quis ejus effectus? & an sit causa legum omnium, sic ut per illas innotescat, & obliget?

Est una in se.

℞. I. Lex æterna *in se* est *una*, quia simplicissima, uti patet: ratione nostra *est multiplex* secundùm plures leges, formaliter distinctas

Effectus est multiplex.

℞. II. Effectus legis Divinæ, ùt præcipientis moraliter creaturis intellectualibus, sunt *actus boni morales*, quatenus ad illos movet, & obligat. Actus mali, etsi sint materia legis æternæ, non tamen sunt effectus, nisi *negativè*, vel *positivè* ùt *puniti*.

Est legum omnium causa.

℞. III. Lex æterna est causa legum omnium, sic ut ab illa, tanquam participationes, vim obligandi habeant. *Ratio est*: quia humanæ legis proprietas est, ut sit justa, seu rationi consona; & ut sit efficax ad obligandum: atqui utraque est à lege æterna: nam omnis recta ratio creata est ex participatione Divini luminis, *signati super vultus nostros*; inde *S. Augustinus*: (b) *nihil est in temporali lege justum, quod ex lege æterna non derivetur.* Item omnis potestas hominum à DEO est juxta illud: (c) *per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Hinc *lex Divina*, ùt formaliter est in Legislatore Divino, est ipsa lex æterna; sed ùt est in creaturis, *per cognitionem* sufficienter proposita, ad se vel alios, quò ad supernaturalia gubernandos, est *participatio legis æternæ.* Lex autem humana, etsi participet vim obligandi à lege æterna, secundùm illud principium, quo lex æterna jubet, obediendum esse Superioribus, non tamen ideò dici potest *divina*: quia, ùt à Legislatore humano, & in subditis, est aliquid merè humanum. Unde patet discrimen inter legem Divinam, & humanam; nam illius obligatio *est immediatè à DEO*, siquidem, ùt est in homine, non obligat, nisi quatenus indicat voluntatem Divinam. Hujus autem obligatio non *est immediatè à DEO*, quia, ùt est in subditis, respicit *immediatè* voluntatem Principis, à qua est obligatio *proxima*, *etsi radicaliter* derivetur à lege æterna.

Patet 2. Legem æternam non *per se ipsam*, sed per alias leges, vel in illis innotescere hominibus. Quia voluntas Divina non nisi per signa, vel effectus à nobis cognosci potest.

Patet 3. Quòd lex æterna non obliget, nisi *ùt promulgata* in tempore, hoc est, ùt applicata per legem, seu Divinam seu humanam.

§. III.

§. 3.

Regula prima objectiva est lex Divina

Quæritur VI. An lex æterna sit principium directivum, seu prima regula objectiva moralitatis?

Quia sola proprietatibus debitis prædita.

℞ I. *Affirmativè.* P. Regula prima moralitatis est illa, quæ proponitur à conscientia, *ùt primò regulans* actus morales, & quidem *cum virtute* obligandi *suprema, universali, summè æstimabili, ac efficaci ubique & semper*: atqui talis regula est *sola lex æterna DEI*: ergo. *Major* suprà est declarata: *Min. P.* Hæ conditiones soli competunt legi Divinæ, ùt patet partim ex dictis, partim patebit ampliùs ex dicendis. *Nam est primò regulans*: quia prima radix omnium prædicatorum, in quibus alij *moralitatem objectivam* constituunt. Sive enim cum *Esparza* statuatur *in conducentia rei ad ultimum finem*; sive *cum Lugone in præponderantia physica*, vi cujus aliqua bonitas prævalet opposito; sive *cum Suarezio*, & *Vasquezio in convenientia rei ad naturam rationalem &c.* hæc omnia tandem fundantur *in lege Divina*, vi cujus magis conducunt ad ultimum finem; sunt meliora oppositis; vel magis conveniunt naturæ rationali. 2. *Est regulans universaliter*, non modò *in objectis indifferentibus*, ùt patet; sed etiam *in materialiter malis*, ratione oppositionis physicæ cum fine creati hominis, seu *felicitate, naturæ rationali propria*, quæ objecta regulat *formaliter*, sic ut sub uno conceptu legis Divinæ tota ratio moralitatis comprehendatur. 3. *Est regulans* cum virtute *obligandi suprema, indefectibili,* quia

(a) Q. 3. de Verit. A. 1. ad. 6.
(b) L. 1. de liber. arbitr. c. 6.
(c) Proverb. 8.

quia divina; *est æstimabilior* omnibus bonis, malisve creatis &c.

Et consistit principaliter in actu voluntatis Divinæ, & dictamine rationis eum applicante.

℟. II. *Lex Divina*, strictè sumpta, *ùt obligans* præcipiendo, vel prohibendo, si spectetur *in homine*, tanquam regulato, connotat, *ipsum dictamen rationis*, applicans legem objectivam. Si spectetur, *ùt est in DEO*, juxta aliquos, secundùm declarata superiùs dicit *actum intellectûs Divini*, quo judicat rem, seu materiam ferendæ legis, subditis ad eorum felicitatem esse necessariam, vel convenientem, & expedire, ut illis servanda præcipiatur. Juxta alios dicit *actum voluntatis Divinæ, quo efficaciter* vult obligatos subditos ad observandum id, quod judicat, ipsis vel esse expediens, vel necessarium. Juxta alios consistit *in complexo utriusq; actûs.* Veriùs, cùm legis primaria proprietas *sit dirigere, ac obligare*, saltem *principaliter* lex Divina consistit *in actu voluntatis*, dicente *Angelico:* (a) *ipsa DEI voluntas est prima regula, qua regulantur omnes naturales voluntates.* 2. Unde dictamen conscientiæ, propriè loquendo, *non est lex:* non enim obligat *ùt quod*, sed *ùt quo*, applicando legem, ùt dictum: lex autem Divina, ut obliget *in actu secundo*, debet promulgari per dictamen conscientiæ, vel per leges inferiores humanas, habentes vim obligandi à Lege Divina assistente 3. Lex DEI hic sumitur etiam latiùs pro *suadente*, vel merè *etiam permittente.*

Est universalis regula, saltem pro creatis.

℟. III. *Quæ opponi solent huic regulæ moralitatis, inefficacia sunt.* Nam *dicunt 1.* Lex Divina non est *regula universalis:* ergo. A.P. Non est regula *respectu DEI*, cujus actus sunt honestissimi, sine conformitate cum lege Superioris. *2. Non respectu hominum*, quia aliàs possent honestè velle, quod DEUS vult: V, G. *Occisionem inimici, Parentum; damnationem reproborum &c. &c.* Adde, quòd multa sint inhonesta, quia sunt contra leges merè humanas.

℟. N. A. Ad 1. Lex divina est regula pro creatis, cùm actus *DEI, essentialiter recti & indefectibiles*, non indigeant regulâ, nisi dicere velis, voluntatis divinæ actus conformari sapientiæ, rectitudini infinitæ, tanquam regulæ impropriè tali. *Ad 2. D.* Possent homines velle v. g. *damnationem reproborum &c.* si DEUS velit, hoc illos velle, & tali modo. C. Secùs. N. Additam rationem D. Sunt contra leges *merè humanas*, non habentes tamen vim obligandi, nisi à lege DEI assistente. C. Secùs. N. Assistit autem, quatenùs vult, & præcipit, ut observentur omnes leges humanæ, legitimè latæ.

Est primaria, salsem respectu actuum humanorum.

Dicunt 2. Lex Divina non *est regula primaria:* ergo. A. P. Præsuponit sapientiam Dei, cui debet conformari voluntas. R. N. A. Etsi enim non voluntas, seu Lex Divina, *respectu Dei* & *formaliter*, sit *primam* prædicatum in Deo; est tamen primaria regula *respectu actuum creatorum.* Nam sapientia, vel bonitas Dei, secundùm se præcisè, non opponitur actibus, de se indifferentibus, qui tamen per probibitionem Divinæ voluntatis fiunt mali.

Est sufficiens, cùm actus, saltem humani, non sint æqualiter conformes, vel difformes legi Divinæ.

Dicunt 3. Lex Divina *non est sufficiens regula* ad distinguendam actuum moralitatem: ergo. A. P. Sequitur 1. omnes actus *Dei æqualiter* esse honestos, seu velit, seu nolit incarnationem. 2. Omnes actus hominis *æqualiter* esse conformes, vel difformes Legi Divinæ.

℟. Actus Dei intrinsecos esse *æqualiter* honestos, seu bonos; cùm, *teste Angelico*, Deus, etsi possit facere *melius substantivè*, hoc est, *meliorem* rem; non tamen possit facere *meliùs adverbialiter*, hoc est *meliore* modo, seu ex majore sapientia, & bonitate. (b) Hinc per volitionem Incarnationis Deus est solummodò magis laudabilis *laudabilitate extrinseca* propter majorem gloriam accidentalem.

Ad 2. N. Nam actus humani non sunt omnes *æqualiter* conformes, vel difformes voluntati Divinæ, cùm hæc aliquos magis, alios minùs approbet, vel prohibeat. Sic leviùs prohibet leve mendacium, quàm homicidium. Immò sicut actus humani sese invicem excedunt in perfectione *ratione objecti* melioris, *tendentia*, vel *intensionis* &c. ita & excedunt in honestate. Unde objectum *magìs honestum* præ altero est, quod expedit Deo magis placere, quàm alterum, eò quòd per hanc ipsam Dei complacentiam plus boni afferat, quàm mali: tale v. g. est *virginitas* respectu matrimonii. Objectum *magis inhonestum* est, quod magis displicet Deo, amari à creatura: *necessariò inhonestum*, quod, si fingeretur, aliquando posse non displicere Deo, id cederet in præjudicium Dei, ùt sapientissimi Creatoris, vel providi, justique Gubernatoris.

Unde lex est dictur quidem

Dicunt 4. Juxta *Angelicum lex*

(a) 2. 2. Q. 104. A. 1. ad 2.
(b) 1. P. Q. 25. A. 6. ad. 1.

ordinatio rationis, sed non nisi ùt directa à ratione.

est ordinatio rationis ad bonum commune, ab habente potestatem promulgata: (a) ergo principaliter est actus intellectûs. ℞. D. A. Est *ordinatio rationis*, hoc est, *actus elicitus* à ratione. N. A. Hoc est, *actus directus* à ratione, seu à quodam prævio actu intellectûs. C. A. D. C. Ergo est actus rationis *tantùm*. N. *Etiam* voluntatis: Subdist. Sic *ùt principaliter* referatur tamen ad voluntatem. C. *Ut principaliter* referatur ad intellectum. N. C. Sanctus Doctor ait, (b) unum Angelum alteri loqui *ordinando* suos conceptus ad alterum: ergo per li *ordinatio* principaliter intelligit actum voluntatis.

Puffendorfius de regula objectiva moralitatis Non malè se defendit contra suos, etsi modo loquendi minùs curato ansam cavillationibus dederit.

Quæritur VII. Quæ circa regulam moralitatis objectivam inter Moralistas protestanticos jurgia?

℞. I. Plura *Puffendorfius* est expertus à suis, * quos tamen, dente satis acuto retudit, errorisque *de perseitate* turpitudinis & honestatis, *independenter à Lege Dei*, haud imperitè coarguit. Nam si ritè combinetur ejus doctrina, saltem ùt declarata in apologia, (c) & appendice, (d) à suprà traditis non admodùm abludit. Fatendum tamen, quòd Theologici idiomatis rudior, quia contemptor, ansam dederit *loquendi modo*, *minùs curato*, ut illi imputarentur *errores*, *etiam citra meritum*. Sic ex hisce verbis: *in beneplacito Dei fuit, qualem ei* (homini) *quem creaturus erat, naturam vellet assignare:* (e) arguitur à *Velthemio*, quasi sentiret, Deo fuisse liberum, *homini* hanc vel aliam assignare naturam, *sic ut essentia hominis*, seu *combinatio* animalitatis ac rationalitatis, æquè voluntatem Dei liberam præsupponat, *ac existentia hominis actualis*, qua *sine essentia* rectè considerari haud possit, id quod *Puffendorffio* nunquam incidit, ùt ejus mentem rectè explicat *Julius Rondinus*. (f) Sic quia non semel legem divinam, æquè ac hominis creationem, ad beneplacitum Dei liberum, *haud satis distinctè*, retulit, intulêre Censores, ab eo utramque *eodem modo* attribui Deo liberam, cùm tamen creatio hominis Deo fuerit *libera absolutè & immediatè*; lex homini danda solummodò *mediatè*; imò, quia lex supponit creationem, *Deo necessaria* fuit ex suppositione: non enim poterat Deus non prohibere *blasphemiam*, *mendacium*, necessitate adactus *consequente*, seu *hypothetica*, ùt ipsemet declarat *Puffendorffius*. Sic actiones, quas, *natura sua inhonestas*, Adversarii adstruunt, is non malè asserit indifferentes *indifferentia physica*; cùm v. g. occisio hominis *in se* esse possit *legitima moraliter*, vel *illegitima*, per legem Dei præceptivam, vel prohibitivam; hanc tamen indifferentiam malè in omnes actiones *absque distinctione* extendit. Certè blasphemia, mendacium &c. hanc *indifferentiam physicam* ad esse malum, ratione contrarietatis physicæ, quam habent cum fine creationis, *seu felicitate*, *natura rationali propria*, nequaquam participant; sed malitiam quamdam involvunt, *non moralem*, seu *formalem*. quia à Dei lege independentem: *ergo physicam*, *radicalem*, seu *fundamentalem*, vel quocunque tandem vocabulo exprimi Authores velint.

Ubique ferè Scholasticorum catholicorum insulsus nimium contemptor.

℞. II. Non modicè tamen errat *Puffendorffius*, ubi *Velthemio*, Scholasticorum orthodoxorum authoritatem opponenti, reponit: *Omnia illa testimonia in authoritatem unius ex antesignanis barbariei, puta, Thomæ, aut Scoti resolvuntur, quorum commenta in popularia dogmata evaluerunt, postquàm cæteri ista, sine debita inquisitione, in sua scripta transtulerunt, & uno ansere bibente reliquos omnes sitis corrupit. Præsertim cùm notitia juris naturalis valde confusa, & jejuna fuerit, antequàm hoc demum sæculo in formam artis redigendo à quibusdam Eruditis labor susciperetur.* Papæ! Magnam Angelici, subtilisque Doctoris barbariem! Popularia nimiùm commenta!

cæcam

(a) 1. 2. Q. 90. A. 4.
(b) 1. P. Q. 101. a. 1.

* Quos inter & *Grotius: objectum juris naturalis*, inquit, *sunt actus debiti, & illiciti per se; positivi Divini indifferentes. Hinc illos præcipit DEUS, aut vetat, quia ex se justi, aut injusti sunt; hi justi aut injusti sunt, quia DEUS eos præcipit, aut vetat.* L. de Jure Belli, & Pacis c. 1. n. 10. Additi n. 11. *Et hæc locum aliquem haberent, etiamsi daremus, quòd sine summo scelere dari nequit, non esse DEUM, aut non curari ab eo negotia humana.*

(c) Contra *Asinium*, ùt vocat, *tenebrionem* §. 19. f. m. 25.
(d) *Contra Velthemium, & Genesium &c.* Item de origine moralitatis c. 5.
(e) De Jure Naturæ, & Gentium L. 1. c. 2. §. 6. f. m. 26.
(f) In dissert. epist. *contra Zentgravium* §. 8. f. m. 348.

Cæcam anſerum ſequacium turbam, à Proteſtanticis heſternis feliciter detectam, & abſterſam! *

Inſtructio V. De regula formali actionum moralium, ſeu conſcientia.

INSTRUCTIO V.

De principio directivo, ſeu regula formali actionum moralium.

§. I.

§. 1. Eſt ratio humana.

Q*Uæritur I. Quodnam ſit principium directivum, ſeu regula formalis actionum moralium?*

℞. I. *Conſcientia*, quæ in genere nil aliud eſt, *quàm ratio humana.* ** Unde nomen traxit *dictamen conſcientiæ*, quòd ratio nobis per *iſtud dictet*, quid licitum ſit, vel illicitum; quid à Deo præceptum, prohibitum, ſuaſum vel permiſſum: adeóque pertinet potiùs *ad Intellectum*, quàm *voluntatem*, uti pluribus demonſtrat *Suarezius.*

Etſi ſit applicatio regulæ objectivæ, & ipſa tamen dicitur regula, ſaltem formalis.

2. *Conſcientia* ſumitur *pro actu, & habitu. Actualis* eſt *actus rationis*, quo quis judicat aliquid, *tanquam conforme, vel difforme Legi Divinæ, hic & nunc* agendum, vel omittendum eſſe per modum conſilii, vel præcepti. *Habitualis* eſt *habitus, inclinans* ad ejuſmodi dictamina, & prout inclinat ad prima quædam *univerſaliſſima* dictamina: v. g. *bonum eſt faciendum, malum vitandum, jus cuique tribuendum &c.* dicitur *ſynterefis*: prout inclinat ad dictamina *magìs particularia* v. g. quid *hìc & nunc ſit* agendum, vel omittendum, dicitur ſimpliciter *conſcientia*. In priore ſenſu, *ſeu prout eſt habitus principiorum practicorum, ſaltem univerſalium*, à Deo, Naturæ Authore, eſt indita, qui fecit *hominem rectum*, neque naturam deſtituit in neceſſariis: unde *teſte Angelico:* (a) *oportet, naturaliter nobis eſſe indita principia operabilium, ſicut indita ſunt principia ſpeculabilium.*

3. Quamvis *conſcientia* non tam ſit *regula moralitatis*, quàm *applicatio* regulæ objectivæ, ſeu Divinæ legis, communiter tamen vocatur *regula formalis*, quatenus eſt *intentionalis applicatio regulæ objectivæ.* Hæc autem applicatio fieri poteſt per dictamina varia. *I. Per dictamen proximum*, quod *immediatè* dirigit actum: *per remotum*, quod *tantùm mediatè*, ſeu mediante dictamine propinquiore. 2. *Per ſpeculativum*, quod dictat, *quid univerſaliter* licitum ſit, vel illicitum, *præſcindendo à circumſtantiis determinatis.* 3. Per *practicum*, quod *determinate* dictat, quid in his circumſtantiis licitum ſit, vel illicitum. 4. *Per directum*, quod judicat ex principiis directis de objecto, vel actu, prout eſt à parte rei, ſive directè, quid ſit licitum, vel illicitum *v. g. judico, poſſe iniri contractum, quia juſtum.* 5. *Per reflexum*, quod judicat cum reflexione ad aliud dictamen, prout ſcilicet objectum, vel actus cognitioni operantis ſubſtat: v. g. *Judico, poſſe contractum iniri, quia omnibus perpenſis judico non eſſe injuſtum.* 6. *Per evidens, & moraliter* certum; *per probabile, vel improbabile; prudens*, vel *imprudens; verum, falſum, dubium, erroneum &c.*

Et quidem proxima.

℞. II. *Conſcientia rectè dicitur regula proxima moralitatis*, in ſenſu ſcilicet explicato. P. Ut actus moralis ſit conformis, vel difformis primæ regulæ objectivæ, adeóque bonus vel malus, malitia debet *eſſe voluntaria:* ergo debet eſſe, aliquo ſaltem modo, *** *cognita:* ergo debet dari *cognitio applicans* regulam objectivam, ſeu regula formalis proxima moralitatis: atqui hæc eſt conſcientia: ergo

Requirit neceſſariò dictamen ultimum

2. *Conſcientia regulans moralitatem neceſſariò exigit dictamen ultimum practicum de honeſtate, vel licentia actionis.* P. Si actus moralis poſſet

* *Thomaſij*, malè ſe reformantis in ſecundis curis, indéque depromptas *Laurentij Fleiſcheri* alogias, *queis normam actionum humanarum duplicem*, ſtatuit, *conſilium* nempe pro ſanis, qui audiunt rationes aliorum; *& imperium* pro ſtultis, qui rationes rejiciunt; queis item ipſam voluntatem Divinam, *ùt conſilium*; DEUM verò *ùt Conſiliarium, Patrem, & Doctorem*, in præceptis naturalibus ineptit, indignas cenſemus ventilatione critica: nam eas legiſſe, eſt refutâſſe. Accedit, quòd in ſua Juriſpr. Div. non ſemel legem Divinam, *velut figmentum Scholaſticorum*, inſigni ſanè commento explodat.

** *Angelico* 1. p. q. 79. a. 13. *conſcientia conſiſtit in applicatione noſtræ cognitionis ad ea, quæ agimus ex principijs ſyntereſeos:* unde qua cognoſcimus facta, ea dicitur *conſcientia teſtificans*; qua cognoſcimus facienda, *conſcientia inſtigans, & obligans*; qua judicamus facta, *conſcientia accuſans, vel excuſans, conſolans*, vel *remordens.*

(a) 1. P. Q. 79. A. 12. in C.

*** *Directè*, vel *indirectè*, in quantum ſcilicet aliquis dedit cauſam dictamini erroneo, vel ignorantiæ vincibili.

practi-cum de honeſtate actionis.

poſſet eſſe honeſtus, vel licitus *abſque dictamine practico* honeſtatis, vel licentiæ, runc ſufficeret *dubium practicum* de licentia, vel honeſtate: hoc non ſufficit. *Min. P. 1.* Quia cum rali dictamine, practicè dubio, non ageret *quis ex fide*, hoc eſt, non ageret ex judicio prævio honeſtatis, exponendo ſe perieulo committendæ inhoneſtatis: ergo ageret contra legem Dei, ſaltem *apprehenſam*, de cujus exiſtentia dubitar, & ſimul contra legem *Dei univerſalem*, quæ jubet, leges Dei particulares ſervare, adeóque & hanc, de vitando periculo, & deponendo per dictamen reflexum dubio. 2. Quia operans cum dubio practico æquivalenrer ita ſe habet, ac ſi diceret: *ſive hoc ſit, ſive non ſit prohibitum à Deo, nihilominùs facio:* ergo *æquivalenter* legem, ac Legislatorem contemneret.

Etſi de inhoneſtate ſufficiat dubium.

℣. *Conſcientia tamen, regulans moralitatem, non neceſſariò requirit ad inhoneſtatem actûs dictamen ultimum, quo judicat actum eſſe determinatè inhoneſtum, vel illicitum.* Aſſertum fluit ex priore; nam agens cum dubio practico honeſtatis, hoc ipſo agit inhoneſtè, ùt dictum: ergo non requirirur dictamen conſcientiæ judicantis, actum *eſſe determinatè* inhoneſtum.

§. II.

§. 2. De conſcientia certa. Non requiritur neceſſariò & univerſaliter dictamen, metaphyſicè certum, vel evidens de honeſtate actûs.

Quæritur II. Quid obſervandum de conſcientia certa?

℟. I. *Conſcientia, regulans moralitatem actûs boni, non requirit neceſſariò, & univerſaliter, dictamen metaphyſicè certum, vel evidens de honeſtate actûs.* 2. *Sed ſufficit certum moraliter.* 3. *Immò regulans moralitatem actûs mali, neque exigit dictamen moraliter certum de inhoneſtate actûs.* *P. quò ad 1.* Neceſſitas hujus dictaminis, ad moralitatem requiſiti, nec *authoritate*, nec *experientiâ*, nec *ratione* ſatis probatur: ergo.

Quia talis neceſſitas probari nequit.

A. P. *Non authoritate:* quia contrarii ſunt plerique Veteres, atque Recentiores. *Non experientiâ:* quia Fideles non experiuntur rales reflexiones: certè plures Docti de ſe negant; rudes verò procedunt *ſimpliciter*, ſine reflexionibus metaphyſicis. *Non ratione:* quia ſi eſſet ratio, forer hæc; quòd cum dictamine, *moraliter* certo, ſemper debeat dari aliud reflexum, fundarum in aliquo principio evidenti ſyntereſeos v. g. *iſto: honeſtum, vel licitum eſt, quidquid aliquis, perpenſis omnibus, judicat moraliter certò eſſe honeſtum*, quo judicio operans evidenter concluderet quaſi per ſimilem diſcurſum: *Quidquid, omnibus ritè conſideratis, judicatur morali certitudine eſſe honeſtum, id evidenter fit honeſtè: ſed ego, ritè conſideratis omnibus, judico moraliter certè, hanc actionem mihi eſſe honeſtam: ergo evidenter à me fit honeſtè;* atqui hoc ſuppoſitum Adverſariorum non eſt efficax: ergo. *Min.* P. 1. Quia nulla eſt neceſſitas, experientia, vel ratio talis dictaminis reflexi, cùm voluntas poſſit ſine ulla formidine, ſaltem actuali, amplecti honeſtatem directè cognitam 2. Quia, etſi adeſſet talis certirudo, probari non poſſet, quòd requiratur *vi moralitatis*, multò minùs, quòd ſit *metaphyſice evidens.* Nam agens ſæpiùs *nequit metaphyſicè* ſcire, an omnia ritè examinârit; an nulla negligentia, paſſio, vel illuſio intervenerit, uti patet in actibus præteritis *timoratorum*, de quorum honeſtate ſæpe timent, *item ſcrupuloſorum*, quorum dubia ſatis indicant, non adfuiſſe metaphyſicam evidentiam, omnis formidinis excluſivam.

Sed ſufficit certum moraliter, quia per tale jam agitur ex fide.

P. Quò ad 2. Qui judicat, *morali certitudine*, actum eſſe honeſtum, jam operatur ſine formidine prudenti, & intelligitur ſeſe *liberè* conformare regulæ honeſtatis: ergo *agit ex fide*, neque *indirectè*, neque *directè* ſe exponit perieulo agendi inhoneſtè. A. negari nequit, quia etiam in graviſſimis negotiis non requiritur major certitudo v. g. in adminiſtratione Sacramentorum, recta diſpoſitione ad mortem, in judiciis de vita proximi, de vitandis mortis periculis &c.

De inhoneſtate neque opus eſt dictamine moraliter certo, quia agens cum dubio jam non agit ex fide.

P. Quò ad 3. Ad inhoneſtatem ſufficit operari cum dubio practico de malitia, vel ſuſpicione prudenti prohibitionis, cùm talis jam non *agat ex fide*; virtualiter contemnat legem; atque exponat periculo inhoneſtè agendi, ùt ſuprà diximus: ergo non requiritur certirudo de inhoneſtate actûs.

Reſpectu honeſtatis ſufficit moralis certitudo, minùs ſtricta, ſeu excluſiva ſaltem

℟. II. Conſcientia regulans honeſtatem actûs non *debet neceſſariò niti dictamine, ſtrictè moraliter certo, ſeu tali, quod, licèt non ſit evidens, tamen nec actu ſit conjunctum, nec deſe conjungi poſſit cum formidine ſaltem prudente de oppoſito*; ſed ſufficit, ſi nitatur dictamine *moraliter certo, latiùs tali, quod non eſt actu conjunctum cum formidine, ſive dein ratione motivi conjungibile ſit, ſive non.* *Ratio eſt:* Quia operans ex motivo honeſtatis,

tum actualis formidinis
Quia sic jam agitur ex fide.

statia, de se quidem fallibili, sine reflexione tamen ad fallibilitatem, & consequenter absque formidine, sese liberè conformat regulæ honestatis sine omni periculo inhonestatis, à se cognito, seu virtuali contemptu legis, ac Legislatoris: ergo operatur honestè. A. patet experientia rudium, qui sæpe ob authoritatem alicujus hominis probi, ac docti, sine ulla formidine operantur, & quidem juxta communem sensum *honestè*: quia non advertunt ad fallibilitatem authoritatis, nec ad obligationem inquirendi certiora: aliunde autem nec ratio, nec experientia probat, dari in illis *universaliter* dictamen reflexum, longe minùs evidens de honestate actûs.

Non tamen sufficit dictamen, merè probabile, seu non exclusivum prudentis formidinis actualis.

℟. III. Conscientiæ tamen, regulanti honestatem actûs, non sufficit *dictamen probabile, strictè acceptum*; seu *actu conjunctum cum prudenti formidine*: potest tamen sufficere *probabile, latiùs acceptum*, seu tale, qund ex vi motivi quidem *est conjungibile, non tamen actu conjunctum sit cum formidine, saltem prudenti.*

Quia talis se exponeret periculo inhonestatis.

P. A. quò ad primum membrum. Operans eum dictamine, strictè probabili, seu formidoloso de honestate *actûs, æquivalenter* dicit: *quamvis absolutè, & probabiliter possit esse, ut inhonestè agam, quia tamen probabiliter, vel probabiliùs* * *judico, oppositum esse verum*, id faeio: vel quod idem est; *sive hoc prohibitum sit, ut faclè potest esse, sive licitum, ùt ego quidem judico, tamen actum ponam*: sed talis operatur inhonestè: *Min. P.* Quia non minùs, quàm in dubio practieo, sequitur regulam fallibilem, & consequenter se exponit periculo inhonestè agendi; *virtualiter* consentit in inhonestatem, *& exercitè* contemnit legem, & Legislatorem.

Aliud fores, si excluderes actualem formidinem.

Probatur etiam quò ad secundum membrum. Potest aliquis vel *non reflexè* cognoscere probabilitatem, vel fallibilitatem motivi; vel si cognoscat, potest tamen simul judicare, *hic & nunc*, non esse probabile oppositum, nec ullum esse morale perieulum inhonestè agendi: ** ergo operabitur *honestè*: quia non consentiret *virtualiter* in inhonestatem, seu periculum violandi legem &c.

Unde probabilitas directa saltem potest fundare conscientiam moraliter certam.

℟. IV. *Probabilitas* directa eatenus servit ad honestè agendum, quatenùs potest fundare conscientiam *moraliter certam*, per dictamen ultimum reflexum, *excludendo actualem formidinem.* Unde non semper, & neeessariò requiritur, ut quia per dictamen, etiam directum, judicet de licentia actionis, modò per reflexum ultimum deponat dubium, uti fit in rudibus, qui sæpe non possunt judicare, an hoc liceat, vel non? & tamen *per dictamen reflexum* in authoritatem Parochi, vel Confessarij, sine hæsitatione judicant id esse licitum, & honestum. Porrò prineipia, *moraliter certa*, quibus fundari debet conscientia in probabilibus, sunt v.g. si quis judicet *moraliter certum*, quòd liceat sequi sententiam verè probabilem, relictâ probabiliore, & minùs tuta; vel saltem si quis utatur *principio* reflexo: *probabile, vel saltem probabilius est, cuivis licere sententiam minùs probabilem, & minùs tutam sequi, cùm plures Doctores id judicent: atqui licitum est, & prudens operari secundùm communiorem Doctorum sententiam: ergo & mihi ita operari licitum est.* Quamvis enim hæe propositio: *licitum est sequi sententiam minùs probabilem &c.* sit fortè tantùm probabilis, ex qua, *tanquam dictamine directo*, operari non licet, çùm non exeludat formidinem: *** hæc tamen propositio: *probabile, vel probabilius est, licitum esse, sequi sententiam minùs probabilem*, ex qua tanquam *Majore* deducitur dictamen ultimum practicum, *est evidens*, vel salrem moraliter certa, **** adeóque & dictamen erit *moraliter certum*, ex quo operari licitum, cùm omnis formidinis sit exelusivum. Neeesse tamen non est, ut formetur ejusmodi discursus *expressè*, & *formaliter*; sed sufficit, si formetur *confusè, & æquivalenter*, prout faciunt, qui procedunt *bona fide*, & *absque formidine rationabili* judicant, sese agere honestè.

§. III.

---

* Vel etiam *notabiliter probabiliùs*: nam hoc non obstante oppositum manet *verè probabile*: ergo relinguit *prudentem formidinem* de inhonestate actûs.

** Quo casu foret motivum *unicè probabile*, seu tale, *ut nulla habeatur ratio probabilitatis de opposito.*

*** Quæ propositio est *præmissa objectiva*, seu objectum *præmissæ formalis*, dicitúrque judicium, seu dictamen *directum remotum*, ac *speculativum.*

**** Quæ præpositio est *præmissa formalis*, reflexa in objectivam, judicando illam moraliter certò probabilem; unde fluit dictamen *reflexum, proximum, practicum,* & *moraliter certum.*

§. III.

§. 3. De conscientia probabili.

Licitum est sequi sententiam probabilissimam, aut æquè probabilem, minùs tutam.

Quæritur III. Quid sciendum de conscientia probabili?

℟. I. *Licitum est, in operando sequi sententiam ex theologicè probabilibus * saltem probabilissimam, aut probabiliorem. 2. Immò etiam æquè, vel quasi æquè probabilem, minùs tutam, relictâ oppositâ tutiore. ***

Quia obligatio absoluta in omnibus sequendi tutiora.

P. Assertum: Obligatin absoluta, ubique & semper sequendi in operando tutiora, ex una parte esset *juris naturalis, universalis*, etsi à longè majore Moralistarum parte *haud foret agnita*: ex altera parte esset *difficillima, plus afferet incommodi, quàm commodi*, etsi *efficaciter haud probetur* ab Adversarijs: ergo non est adstruenda. Sequela tenet, fundatúrque in eo, quòd homo sit in possessione libertatis, donec efficaciter probentur obligatiooes tam graves; & quòd in quæstiooe juris naturalis, circa obligationem aliquam universalem valde arduam, præferenda sit sententia, quæ à potiori Moralistarum parte tenetur tanquam vera, magisque proficua.

Esset juris naturalis.

P. A. Quò ad 1. partem. Obligatio hæc circa honestatem, & licentiam actionum, oritur ex primis moralitatis principijs, & Naturæ dictamioibus *de faciendo bono, vitando malo &c.* url fatentur omnes: *ergo esset juris naturalis.*

Et universalis.

Obligatio hæc naturalis extenderet sese *ad omnes* homioes, *ad innumeras* actiones quotidiè occurentes: *ergo esset universalis.*

Nec agnita.

Obligatio hæc negatur *à plùs quàm ducentis & quinquaginta Authoribus*;*** non atteoditur à majore parte doctorum & proborum, tam veterum, quàm recentiorum, qui summâ solertiâ singulos apices excusserunt; non observatur à conscientiæ arbitris, qui consulunt; non à Fidelibus, qui operantur juxta seotentias probabiles, etsi minùs tutas, ut adeò multis sententia, obligationi huic opposita, videatur ab authoritate moraliter certa: ergo *hæc obligatio à potiore parte Moralistarum non est agnita.* Jam sic: Est incredibile, & manifestè falsum, quòd talis obligatio, *ex Natura jure* tam universalis, non fuerit à DEO per naturale lumeo promulgata, & proborum cordibus inscripta: ergo &c. A. Patet: nam secùs fatendum foret, quòd Natura deficeret in oecessarijs, re nempe gravissimâ, pertinente ad prima principia moralitatis,

Esset difficillima.

A. P. Quò ad 2. partem. Hæc obligatio *universaliter* nos adstringeret ad tutiora in praxi, nisi sententiæ minùs tutæ forent *evidentes, vel moraliter certa*, adeóque sequi non possemus innumeras sententias etiam sapientissimorum Authorum, licèt doceant eas in praxi tutas, *uno P. Cardena*, è solo *Aquinate*, trecentas enumerante sententias probabiles, & minùs tutas. Saltem ejusmodi obligatio nos adstringeret ad servandas plutimas leges, etsi difficillimas, noo tantùm existentes, sed probabiliùs, vel æquè probabiliter non existentes: ergo, quò ad moralem certitudinem, hæc obligatio *esset moraliter impossibilis*; quòad probabiliores sententias *difficillima*, quia innumeris dubiis, & scrupulis *circa excessum illum probabilitatis* obnoxia.

Plùs afferret incommodi quàm commodi.

Totum commodum sententiæ oppositæ foret *observatio* aliquarum legum particularium, quæ quandoque *materialiter* violareotur, qua violatione tamen neque Deus offeoditur, oeque salus animæ periclitatur. Contrà per talem obligationem multiplicarentur *peccata formalia*, orirentur maximæ difficultates *in officiis, contractibus, directione propria, & aliena conscientia*, aliæque innumeræ anxietates, scrupuli, dubia &c. *ergo hæc obligatio afferret plùs incommodi, quàm commodi.* Jam sic. Ex uoa parte, juxta angelicum Doctorem, lex debet esse *ordinatio rationis ad bonum commune promulgata, quæ plus boni, quam mali afferat*: ex altera parte Deus, in casu æqualis probabilitatis, & resultantis ex ea ignorantiæ invincibilis de lege, potest *permittere*, ut sequamur

minùa

---

* Hoc *est verè* probabilibus, quæ nituntur motivo non tantùm *absolutè* in se, sed etiam *respectivè* gravi, *sic ut fundare possint prudentem assensum*, seu quæ perpensis omnibus virum prudentem, & ritè dispositum possunt *meritò* inclinare ad assensum irreprehensibilem.

** In materia *juris*, seu quando dubium versatur *circa existentiam legis, & resultantem exinde honestatam actionis*; non in materia *facti, dubio practico*, vel etiam *speculativo*, si diligentia non est sufficienter adhibita; neque circa alias actiones *v.g. valorem Sacramenti, jus tertij*, aliósque casus in jure expressos, in quibus *de lege certa* aliunde constat.

*** Quos allegatos videre est in *Norma recti P. Christophori Rasiler S.J.*

minùs tuta : ergo censendus *est permisisse.* Sic enim præsumitur etiam de Legislatore humano, redditúrque conscientia tranquillior, ratio commercii humani in contractibus, &c. officiis expeditior &c.

Etsi efficaciter ab Adversariis haud probetur.

Si probaretur ab Adversariis ejusmodi obligatio, tunc probaretur ex hoc præcipuè fundamento : *nemo potest licitè in operando sequi sententiam minùs tutam nisi priùs directè judicet esse veram : sed non potest judicari vera, nisi appareat moraliter certa, vel saltem notabiliter probabilior : cùm probabilitas, maxime æqualis, non excludat formidinem, periculúmque agendi inhonestè :* atqui hoc fundamentum nullum est : ergo. *Min. P. Potest intellectus assentiri opinioni probabili, etiam quando opposita apparet æquè, vel magis * probabilis, & quidem prudenter, saltem quando talis assensus est melior voluntati, proprio vel alieno supposito : ergo. A. P. Quia nulla apparet repugnantia*, cùm opinio ponatur *vere* probabilis, adeóque intellectus habeat *rationem formaliter propriam*, scilicet veritatem saltem apparentem, cum spe notabili illius realiter obtinendæ ; cùm habeat motivum grave, *etiam respectivi*, seu respectu motivi oppositi : *ergo absolutè* potest assentiri, saltem accedente imperio voluntatis, cui subjacet in probabilibus, idque *non imprudenter* tantum modò, uti fit in hæreticis, sed etiam *prudenter.* C. P. Prudentia talis assensûs desumitur præcipuè ex actu imperante, habetúrque non tam ex *bono redundante in intellectum*, quàm ex *bono redundante in voluntatem*, seu suppositum proprium, aut alienum, uti patet in actu charitatis, bene interpretantis actiones proximi, probabiliùs inhonestas; in actu obedientiæ, judicium conformantis judicio Superioris, probabiliùs falso &c. Rursus : *Non requiritur necessariò judicium directum de veritate absoluta sententiæ probabilis, minùs tuta, ad illam licitè sequendam : ergo Adversariorum suppositum, etiam alterum, falsum est.* A. P. Potest absque judicio directo formari *dictamen reflexum, moraliter certum de probabilitate sententiæ, atque licentiâ actionis*, quod sufficit, & dependenter à quo conscientia, actúsque meliùs dirigitur : ergo. A. Patet : nam dici potest : *moraliter certum est, ex communi sensu Doctorum, legem, non satis alicui promulgatam citra suam culpam, non obligare illum in actu secundo, sed certò excusari per ignorantiam invincibilem : atqui talis lex mihi non est satis promulgata, nec possum, nec teneor procurare majorem certitudinem &c.* Denuò patet, quòd hoc sufficiat, quia talis *agit ex fide*, ipsúmque dictat rationis lumen, quòd, qui *certò* judicat actionem aliquam esse honestam, prudentérque eligibilem, *honestè* agat : atqui (subsumit intellectus) *etsi suspendam judicium, vel determinatè nil possim judicare de veritate directa, reflexè tamen judico, morali certitudine, hanc actionem esse honestam, & eligibilem mihi prudenter, quia mihi moraliter certum est, sententiam esse adhuc verè, & theologicè probabilem. & simul, quòd sequendo judicium prudentum prudenter agam ; & licèt foret falsa, ac daretur lex prohibens actionem, hæc tamen mihi non sufficienter est promulgata, adeóque iterum moraliter certus sum, me hic & nunc non obligari in actu secundo : ergo prudenter operor secundùm talem sententiam.* Denique patet, quòd per tale dictamen reflexum conscientia meliùs dirigatur, quia hoc de probabilitate sententiæ *est moraliter certum* ; dictamen verò directum *est solummodò probabile, atque formidolosum.* Ratio *fundamentalis* est : quia datur lex divina duplex, circa quam versati possunt dictamina conscientiæ : *una antecedens, primaria, per se, & directè*, qua Deus præcipit, vel prohibet *obligando per se*, quando nullus intervenit error, ignorantia, vel defectus cognitionis, aut deliberationis. Altera lex *est lex consequens secundaria, per accidens, & reflexa*, qua Deus præcipit, vel prohibet *ex suppositione alicujus ignorantiæ*, vel *erroris invincibilis, indebitæ cognitionis &c.* adeóque licèt judicium directum erret *circa legem antecedentem*, quando *per se* prohibet actionem ; potest nihilominùs judicium reflexum, *ex suppositione invincibilis ignorantiæ*, se conformare *legi consequenti*, vi cujus Deus permittit talem actionem. Unde dictamen ultimum reflexum potest esse longè certiùs, quàm directum, adeóque potest aliquis esse certior, quòd non peccet *formaliter*, quàm quòd non peccet *materialiter*, quia, licèt non sit certus, an non violet *legem antecedentem*,

* Abstrahendo interim, an sit *notabiliter* magis probabilis, quo casu multi negant *prudentem* dari posse assensum.

tem, certus tamen est, quòd *vi legis consequentis* talis actio sibi sit permissa.

An liceat sequi sententiam, notabiliter minùs probabilem, & minùs tutam, nobis esto problema.

℞. II. *An licitum sit in operando sequi etiam sententiam minùs tutam, etsi clarè notabiliter minùs probabilem, relicta tutiore, & longè probabiliore, inter Moralistas controvertitur: nobis esto problema.* *

Fundamenta sententiæ negativæ. Quia sequeretur nimia transgressio legum, & morale periculum laxitatis in moralibus.

Declarantur fundamenta sententiæ negativæ. Fundamentum 1. Si liceret sequi sententiam minùs tutam, *notabiliter minùs probabilem*, sequeretur nimia transgressio, & inutilitas plurimarum legum, periculum morale nimiæ laxitatis in agendo, quia tarò haberi potest in sententijs, *circa legum existentiam, atque licentiam*, certitudo moralis, excludens omnem probabilitatem, *vere & theologicè* talem, sententiæ oppositæ, accedente præsertim maxima hominum propensione ad laxitatem, qui facilè sibi persuaderent sententias, *tenuiter* tantùm probabiles, esse *verè* probabiles.

Quia talis lex videtur sufficienter promulgata.

Fundamentum 2. Lex per sententiam, notabiliter magis probabilem, *sufficienter* est promulgata ** ad proximè obligandum, ut adeò non possit prætendi ampliùs *ignorantia invincibilis*. 1. Quia major promulgatio *regulariter* in moralibus haberi nequit, suppetente tarò admodùm evidentiâ, vel certitudine morali. 2. Quia major promulgatio ad obligationem in actu secundo à Legislatore prætendi nequit: secùs enim plurimæ leges essent inutiles *ad finem intentum*, id quod repugnat Legislatoris sapientiæ, aç providentiæ.

Quia non videtur posse formari dictamen practicum moraliter certum.

Fundamentum 3. Non apparet, quomodò, *stante notabiliter majore probabilitate sententia opposita*, possit adhuc formari dictamen practicum, *moraliter certum*, de honestate actionis, hoc est tale, in quo sequatur conclusio ex majore & minore, moraliter certis: ergo. A. P. 1. Non apparet, quomodò motivum possit esse *comparativè grave*, saltem *practicè*, hoc est, in ordine ad formandum judicium *verè prudens*, & *practicum moraliter* certum, ex præmissis certis deductum, *& requisitum ad licentiam actionis:* ergo. A. P. 2. Non apparet, quomodò intellectus in hoc casu possit assentiri sententiæ probabili, vel saltem hoc est tam incertum, ut in tam debili principio fundari *nec possit*, *nec debeat* cardo præcipuus moralitatis.

Sed respondent Adversarij prima ratione probari nimium, quia sequenda forent tutiora etiam in æque probabilibus.

Sed respondent Patroni *benignioris sententiæ* ad 1. D. Et illa ratio probarct etiam in æqualiter probabilibus sequenda esse tutiora, id, quod vel juxta ipsos Adversarios est nimium. C. Non probaret. N. Quot sunt sententiæ *clarè, manifestè notabiliter* magis probabiles, sic *ut reverà* existat lex, quam affirmant? An non falsa sæpe probabiliora veris? An casus hic adeò frequens, ut laxitas induci queat? An non sæpe daretur obligatio ad leges reverà non existentes?

Promulgationem talis legis non esse sufficientem quia non agnita est à potiore parte.

Ad 2. N. Quia hæc promulgatio, *ùt sufficieni*, negatur ab Authorum *æquali* saltem parte, *si non majore*, & stante probabilitate *respectiva* oppositæ sententiæ non agnoscitur lex *ùt satis clara*: ergo est locus dubio, latiùs sumpto; adeóque *& ignorantiæ invincibili* respectu obligationis.

Ad 1. Ad obligationem, quæ esset *juris naturalis*, requiritur promulgatio, quæ *ùt sufficiens* agnoscitur saltem à potiore Doctorum parte: atqui hæc non agnoscitur à tali parte. *Ad 2.* N, utì patet ex dictis suprà.

Eidem potiori parti videtur formari posse dictamen requisitum.

Ad 3. N. A. Nam id apparet prudentibus tot vel pluribus, qui judicant, posse formari dictamen *verè prudens*, *& moraliter certum* hoc modo: *quod, perpensis omnibus, prudenter judico me licitè facere, hoc licitè facio: sed, perpensis omnibus, prudenter judico, me sequendo sententiam minùs tutam, & notabiliter minùs probabilem, licitè facere:* ergo. *Major* est moraliter certa; *Minor* pendet à judicio prudentum, fitque *certa moraliter* ex eo, quòd certò prudenter judicem id, quod judicant Doctores, æquè multi, ac plures pro hac opinione, quàm pro opposita. Ad P. geminam reponunt, non fundari licentiam in assensu *illo directo*, sed *reflexo*, moraliter certo.

Fundamenta affirmativæ sententiæ. Quia talis obligatio non asseren-

Declarantur fundamenta affirmativæ sententiæ. Fundamentum 1. Obligatio, præsertim naturalis, non est asserenda, quam, post adhibitam sufficientem inquisitionem, dari negant Viri gravissimi, *æquè multi, immò plures*, adductis rationibus, *saltem æquè probabilibus*, ac sunt pro adversa sententia:

* Quia doctis utramque sententiam à duplici Professore in Theologicis, etsi *in affirmativam* magis propendeamus.

** Promulgatione non tantùm *strictè dicta*, seu *essentiali*, sed etiam *latè sumpta, pro intimatione*, ac *notificatione* sufficienti.

da, quæ rot, tantisque Viris incognita.

tentia: sed talis *est obligatio sequendi sententiam minùs tutam, notabiliter minùs probabilem:* ergo. *Min. respectu Authoritatis* est in confesso etiam ipsismet Adversarijs. *Respectu rationum* patet: nam vel argumenta cuncta Adversarijs solvenda sunt *in æquè probabilibus*; vel dicere debent, sententiam notabiliter minùs probabilem non videri ampliùs *verè, & comparativè probabilem*, id quod adstruunt contra statum quæstionis, & opinionem *æquè multorum*, vel *longè plurium.*

Vel saltem ejusmodi lex non est sufficienter promulgata.

Fundamentum 2. An spectatis omnibus melius sit, & infinitâ DEI sapientiâ ac bonitate dignius, ut nos obligatos esse velit ad leges, quarum existentia est notabiliter magis probabilis, sive dein reverà existant, sive non, est quæstio, quæ denique devolvitur ad judicium Prudentum: at *æquè multi, immò plures* sunt, qui melius esse negant. Rursus: Lex DEI reflexa, quæ jubet sequi sententiam minùs tutam, & notabiliter magis probabilem, *non est sufficienter* promulgata, ut proximè obliget: ergo non obligat. A. patet: quia ab æquali, vel majore Doctorum parte non agnoscitur, & quidem ex rationibus, æquè saltem ponderosis.

Quia lex notabiliter magis probabilis non excludit dubium prudens, sic ut fundare nequeat ignorantiam invincibilem.

Fundamentum 3. Lex illa, etiam directa, pro cujus existentia datur quidem ratio *notabiliter magis probabilis*, sic tamen, ut pro ejus non existentia detur etiam ratio *verè & comparativè probabilis*, non est *clara*: ergo fundare potest dubium prudens, saltem latiùs dictum, adeoque & ignorantiam invincibilem. Sed

Sed respondent Adversarij, opponendo authoritatem antiquam, & rationes noviter inventas longè majores.

Respondent Patroni rigidioris sententiæ. Ad 1. Authoritas antiquorum per quatuor sæcula judicavit tutiora sequenda, etiam *in æquè probabilibus*, quorum principia v. g. *quòd ignorantia legis non excuset; quòd operans se exponat periculo agendi in dubio, & peccandi &c.* etsi non subsistant in æquè probabilibus, tenent tamen *in notabiliter* probabilioribus. Rationes pro hac sententia longè probabiliores esse, affirmant, saltem ijs, qui ritè penetrant.

Promulgationem tantam, quæ major in moralibus regulariter haberi non queat. Et denique probabilitatem positam magis esse Theologicam speculativè, quàm practicè.

Ad 2. D. Debet devolvi ad judicium Prudentum, melioribus rationibus subnixum. C. Secùs. N. Addunt, Legem reflexam DEI sat promulgatam probabilitate *notabiliter* majore, quâ clarior in moralibus *regulariter* haberi non possit, quin frustratas suo fine velimus plurimas leges.

Ad 3. Ajunt, ex theologica probabilitate tantùm sequi, quòd opinio *aliquando* mereatur prudentem assensum, nempe *in alijs circumstantijs*; non autem, quòd practicè *in his*, seu *quòd hic & nunc liceat* eam sequi: etsi enim quis actu assentiatur, potest tamen DEUS adhuc obligare ad illam non sequendam, quæ *lex reflexa* juxta horum Authorum rationes probabiliùs de facto datur. Unde D. C. Ergo lex manet dubia, vel incerta, quasi non sufficienter promulgata ad proximè obligandum. N. C. Incerta, quatenus incertitudo opponitur evidentiæ. CC.

§. IV.

§. 4. De conscientia dubia.

Quæritur IV. Quid notandum de conscientia dubia?

Dubium aliud negativum, aliud positivum, speculativum, & practicum.

℞. I. *Dubium est suspensio judicij propter defectum rationum, in alterutram partem propendentium:* unde sicut non dicit strictè *judicium*, ita nec *conscientiam propriè talem.* Aliud dubium est *negativum*, quod oritur *ex defectu*; aliud *positivum*, quod oritur *ex æqualitate rationum*: quamvis dubium negativum, *ex defectu rationum*, videatur potiùs *nescientia* v. g. de numero stellarum, *an sint pares, vel impares*? Unde dubium propriè dictum habetur, *quando quidem datur sufficiens ratio ad dubitandum* v. g. *an egerim inhonestè?* non tamen *ad assentiendum, vel dissentiendum.* Aliud itidem est dubium *speculativum*; aliud *practicum.* Illud versatur circa rem *in genere*, an liceat, vel non? istud circa rem *in particulari*, an liceat *hisce in circumstantijs.* Aliud denique est dubium *juris*, aliud *facti*: prius est *de lege, dominio, valore*, seu *honestate alicujus actionis*; posterius *de facto*, an contigerit, nec ne?

Regula, quòd melior sit conditio possidentis, valet etiam in materia conscientiæ.

℞. II. Illa regula, *quòd melior sit conditio possidentis*, non tantùm valet in materia justitiæ, sed etiam conscientiæ. *Ratio est*: Quia etiam in hac homo habet *jus certum* possessionis *quò ad suam libertatem*; Lex verò *jus dubium* obligationis: ergo homo non debet deturbari à sua possessione, nisi oppositum efficaciter probetur. Porrò tunc libertas hominis censetur *esse in possessione*, quando dubium est *de obligatione contracta*; secùs, quando dubium est *de obligationis contractæ satisfactione*, seu *exemptione.*

Regula pro conscientia dubia.

℞. III. *Stante dubio, strictè practico, seu eo non deposito, semper tutius eligendum.* *Ratio est*: Quia operans cum dubio practico non ageret *ex fide*, sed

sed cum virtuali contemptu legis, ùt dictum. Et de hoc *casu*, *strictè loquendo*, intelligendum axioma: *In dubio pars tutior eligenda.* 2. *In dubio speculativo, seu remoto, non necessariò* * *& universaliter* ** *sequendum est tutius. Ratio est:* quia hæc obligatio universalis esset valde gravis, neque sufficienter probatur: inde illa fluxêre axiomata: *in obscuris minimum sequendum*; (a) *odia restringenda, favores ampliandi*; (b) *semper in dubys benigniora præferenda.* (c) 3. *Certus de lege, & dubius de dispensatione, privilegio, cessatione legis, vel excusatione ab ea observanda*; Item: *dubius, an legem certam impleverit, tenetur ad tutius, seu ad observationem legis.* Ratio patet ex dictis: quia lex est in possessione. *Contrà dubius, an lex existat, tenetur veritatem inquirere. & interim actionem suspendere; vel tutius facere; vel legem dubiam observare.* Ratio est: quia alias laboraret ignorantiâ vincibili, saltem æquivalenter. 4. *Post factam sufficientem inquisitionem adhuc dubius de existentia legis seu humanæ, seu divinæ, seu naturalis, non tenetur ad eam observandam.* Ratio est: quia ejusmodi obligatio esset nimiùm gravis, nec sufficienter probatur: ergo libertas manet in possessione. Accedit, quòd detur invincibilis ignorantia, uti patet ex dictis.

De conscientia erronea. Alia vincibiliter, alia invincibiliter erronea.

Quæritur V. Quid de conscientia erronea?

℟. I. Conscientia *errans* est, quæ dictat, *rem aliter se habere, quàm se habet*: dicitur *errans*, quia nititur errore, falso nempe motivo. *Error* est actus intellectûs, rem falsò, hoc est, aliter, quàm reverà est, judicantis, qui fieri potest *per ignorantiam juris*, cùm ignoratur lex v. g. die festo audiendi sacrum; *& per ignorantiam facti*, cùm quidem lex scitur, sed factum ignoratur v. g. an hodie sit dies festus. 2. Alia est conscientia *invincibiliter* erronea, quæ fundatur in errore, quem deponere quis non potest, etsi faciat, quantum est in se. Alia erronea *vincibiliter*, quæ fundatur in errore, quem quis potest deponere, si faciat, quantum est in se, hoc est, si adhibeat moralem diligentiam ad eum deponendum.

Regula pro conscientia invincibiliter erronea.

℟. II. *Conscientia, invincibiliter erronea, obligat ad id faciendum, quod dictat faciendum. Ratio est*: quia voluntas, *loquendo universaliter*, agere tenetur *ex fide*, (d) hoc est, *secundum dictamen conscientiæ*, judicantis, hoc esse *præceptum, vel prohibitum*: ergo omittens sacrum v. g. *die Jovis*, qui invincibiliter proponitur esse dies *Solis*, *aget inhonestè.* Contra dicens mendacium, quod proponitur, *ùt præceptum* ad salvandam v. g. vitam proximi, *aget honestè.* C. *Patet quò ad primum*: nam objectum voluntatis non est bonum, vel malum præcisè, prout est *objectivè in se*, sed prout est *in apprehensione intellectûs*: ergo propositum, ùt legi DEI difforme, si amplectatur voluntas, contemnit legem, & æquivalenter dicit: *etsi obliger hodie audire sacrum, nolo audire*, adeóque violat non quidem præceptum *directum*, sed tamen *reflexum*, scilicet nil faciendi, quod putatur prohibitum; nec contemnendi præceptum, etiam tantùm existimatum cum injuria præcipientis. C. Patet quoque *quò ad secundum.* Nam talis se conformat legi DEI, jubenti, ut nil agatur contra conscientiam, qua lege DEUS ad mendacium non obligat *per se*, sed merè *per accidens*, supposito nempe invincibili errore, & quando peccatum *materiale* est unicum medium ad vitandum *formale.* ***

Pro erronea vincibiliter.

℟. III. *Ad actum inhonestum ex ignorantia invincibili prærequiritur advertentia quædam, saltem ad periculum inhonestè agendi.* Patet: nil enim volitum, quod nullo modo cognitum. *Hæc tamen advertentia non ne-*

---

* Nam aliud foret de *consilio*, *vel congruentia*, qua de intelligendi Pontifices.

** Nam aliud foret *de Judice*, qui obligatur ad tutius; item *de Ministro Sacramentorum*, *Medico &c. &c.*

(a) Reg. 30. in 6.

(b) Reg. 15. in 6.

(c) Reg. 56. ff. de reg. juris.

(d) Ad Rom. 14. v. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*

*** Hic actus virtualiter sic tendit: *nisi mentiar, pecco: sed nolo peccare: ergo volo mentiri. Major* est judicium erroneum quod aliunde supponitur: ad *Minorem* Deus movet *per se*; quia est actus honestus, & præmiabilis: ad *conclusionem* movet Deus *per accidens* ex suppositione *Majoris.* Sic Deus non est Author erroris, licèt velit, ut subditus obediat Superiori in incertis, in quibus sæpe errat Superior.

necessariò debet esse judicium, sed sufficit suspicio, vel prudens formido, quæ stimulet ad veritatem magis indagandam, ita ut hoc dubium, vel formido aliâ prudenti ratione non tollatur. Ratio est: quia malum ex quolibet defectu, uti initio diximus. 2. *Vincibiliter errans* v. g. judicans, hîc & nunc sibi esse mentiendum, *non debet necessariò mentiri:* quia absolutè loquendo potest, & etiam tenetur, vincere errorem, cùm habeat saltem suspicionem mali, ut advertat ad obligationem, diligentiùs inquirendi. *Si tamen hunc errorem vincibilem non deponit, peccat, si non mentiatur:* quia omittit actum, quem hîc & nunc putat esse præceptum: *sed & peccat, si mentiatur,* quia agit cum suspicione mali, adeóque contra rationem dictantem, sic agere esse illicitum. 3. *Qui ex errore invincibili est perplexus, ita, ut putet, quidquid eligat, esse æqualiter malum, licitè agit, quod vult.* Quia non est liber ad peccandum, vel non: non enim potest deponere errorem; nec utrumque membrum contradictionis omittere uti ponitur; nec habet motivum prudens, cur unum potiùs omittat, quàm alterum, secùs *debet eligere, quod judicat minus peccatum,* ut patet. *Vincibiliter perplexus debet errorem deponere; aliàs, quiquid agat, peccabit:* quia advertit ad obligationem diligentiùs inquirendi.

Protestantium adinata.

Quæritur VI. Quid circa moralitatis regulam formalem objiciunt protestantici Moralistæ?

Societas Jesu Casuistarum est antesignana, & corruptæ moralitatis Magistra, si fides est Puffendorfio.

℞. I. *A Puffendorfio*, ejúsque amanuensibus horrendùm vapulat nostra Societas, quasi Casuistarum antesignana, & corruptæ moralitatis noxa, etiam Orthodoxis infamis, & ab ipsis summis Pontificibus tetro stigmate inusta. Sic habet: (a) *Probè notandum, conscientiæ nullo alio respectu, circa dirigendas hominis actiones, locum aliquem tribui, quàm quatenus cognitione legum imbuta est: unde si quis judicio practico, aut conscientiæ peculiarem vim dirigendi actiones tribuere velit, quæ à lege non proveniat, quibuslibet hominum phantasiis vim legum tribuit, & summam confusionem negotiis hominum inducit. Fatendum est, isthunc vocabuli conscientiæ sensum, neque in Divinis litteris, neque apud veteres Authores Latinos, quantum mihi constat, occurrere, sed à Scholasticis primò introductum, ac nuperis sæculis, qui vocantur, casus conscientiæ inventos à callidis Sacerdotibus, flectendis ad suam libidinem hominum animis.* Hæc *ille de conscientia certa*, ubi cuivis, vel obiter tincto principiis orthodoxis, Author absque necessitate suam prodit *inscitiam*, atque *malignitatem*. *Inscitiam*, quòd dictamen practicum, non imbutum lege directa, existimet independens quoque à lege Dei reflexa, háncque doctrinam asserat Scripturæ, & Antiquis incognitam, sed nuperis primum sæculis introductam. *Malignitatem*, quòd conscientiæ casus *calliditati* Sacerdotum tribuat ad flectendos *pro sua libidine* hominum animos, ubi Sacramentum pœnitentiæ, more suo, *protestanticè* profanat.

Maximè in conscientia probabili.

℞. II. Idem eandem malignam imperitiam, seu imperitam malignitatem apertiùs denudat in conscientia probabili, cùm scribit: (b) *Quo pacto tamen nihil præsidii accedit pestilenti illi probabilitati, quam recentiores Casuistæ, & Jesuitæ potissimum commiscuntur, quæ sese in solam authoritatem unius Doctoris, etiam à rationibus destituti, & abs quo cæteri dissentiunt, resolvit: quo figmento omnem doctrinam moralem subverti, conscientiásque à libidine Sacerdotum, commodis suis velificantium, suspendi manifestè ostendit Ludovicus Montaltius.* (c) Similia alibi inculcat suis, queîs, in Jesuitarum probra plerumque prono ore hiantibus, per *Montaltii*, * aliorúmque oracula, *è Jansenistico* tripode profusa, obtrudere palpum potest; Orthodoxis ** fucum non faciet, qui

(a) De Jure Naturæ, & Gentium L. 1. c. 3. §. 4. f. m. 89.
(b) L. c. §. 5. f. m. 46.
(c) In litt. Provin. Addit *Nicolaus Hertius*, *Puffendorfii* Scholiastes: Scripta alia; abhinc *in Gallia* edita, non recensebo. Verè dixit, quisquis dixit, *hanc totam Casuistarum scientiam nihil aliud esse, quàm artem cum Deo cavillandi.*

* *Blasii Paschalis*, famosi *Jansenistæ*, in litteris Provin. damnatis, per carnificem publicè combustis *Lutetiæ*, & refutatis dudum per nostrum P. *Huylenbrouquium*, ac alios.

** Unde & istos, absque fundamento, velut sibi consentientes contra Societatem nostram objiciunt, etsi unus & alter probabilismum, *asperioribus forsan,*

qui nôrunt, quantum chaos ſit probabiliſmum inter; & Caſuiſtarum ſeu nimiùm laxas, ſeu nimiùm rigidas opiniones, à ſummis Pontificibus confixas; Orthodoxis, qui nôrunt, probabiliſmum nequaquam inniti ſententiis, *tenuiter* tantùm probabilibus, aut unius Recentioris enervi authoritate fundatis; Orthodoxis, qui nôtunt, probabiliſmo non ſubverti doctrinam moralem; ſed immunes declarari conſcientias, ab obligationibus ſat perſpicuè non probatis, quæ omnia, ex ſuprà dictis, vel ipſimet proteſtantici Scriptores, minùs lippientes, perſpicient.*

Uti & ejus aſſeclis.

℞. III. *Puffendorfij* nænias pleno choro ſecundant cæteri Moraliſtæ proteſtanrici. *Immanuel Weberus* probabiliſmum moralem vocat *monſtrum horrendum, ingens; dogma, egreginm ſcilicet, quo ad peſſimum quodqne facinus perpetrandum via ſternitnr, à Samuele Rachel o*(Proteſtanrico)*in examine probabilitatis Jeſuitica confutatum.*(a)*Kemerichius eundem probabiliſſimum perniciosum dogma Jeſuiticum* appellat; *Buddeus illepidnm figmentum, ex quo,ceu vitiato fonte,catera doctrina flagitia fluxerint ut & de peccato philoſophico.* (b) *Fleiſcherus* ex ſuo *Thomaſio* nuper ſcribillare non dubitavit. (c) *Inde primordia ſnmpſit probabiliſmus, quo Jeſuitarnm cohors ignoranti, ac incauta plebi perſuaſit, ſalvâ conſcientiâ delicta atrociſſima committi poſſe, ſi Director conſcientia, vel alij, de Eccleſia meriti Viri, id permittant, ac pro licito habeant.* Sed quid hiſce Scriproribus opponas, qui ignorantiam vel ipſius elenchi tam patenrer in fronte circumferunt? *Quid probabiliſmus ſit*, vidimus, cujus cenſoriam virgulam ſi ſibi ſumunt non nulli proteſtantici Juris conſulti, honori ſuo non conſulunt: non enim *Lydij* tribunalis judicia inter Regum elogia leguntur.

INSTRUCTIO V.

De fine actionum moralium.

Inſtructio V. De fine actionum moralium.

§. I.

§. I. Omnis creatura, præcipuè rationalis, per ſuas actiones intendit finem.

Q*Uaritur I. Quid, & quotuplex ſit finis actionum moralium?*

℞. I. *Cùm actio moralis* ex dictis ſit *operatio libera ex cognitione finis, facta cum advertentia ad legem*, communiter *officij* nomine exprimi ſoler à Moraliſtis. *Officinm* porrò, ſic dictum *ab efficiendo*, dicitur *quavis operatio agenti conveniens ex fine*: quòd ſi operatio fiat *ex determinatione natura*, ſic ut per inclinationem innatam moveatur agens *ad finem*, ſive apprehenſum, ſive non apprehenſum, convenit etiam creaturæ inanimatæ, & animatæ irrationali: quòd ſi operatio fiat *ex determinatione agentis*, ſic ut per appetitum rationalem ſe ipſum moveat agens ad finem præcognitum, competit creaturæ rationali, de quo *officio, ſeu actione* hic ſermo eſt.

Unde colligitur 1. Quòd omnia entia in Mundo, quæ aliquid agunt, id agant ad conſequendum finem, in quo eorum *officinm* ſitum eſt, ſic ut in conſecutione finis, ad quem agunt, eorum bonum conſiſtat, uti multis demonſtrat *Stagirita.* (d)

Colligitnr 2. Quòd fundamentum *actionum*, ſeu *officiornm*, ſit *finis*, ob quem entia agunt: nam teſte Angelico,

---

ſan, quàm par eſt, cenſuris configat. Sic *Graveſonius*, etſi haud veroſimiliter ſcribat, *à Thyrſo Gonzalez*, aliisque è Societate *novum probabilitatis commentum, ex quo periculoſa opiniones, & varia morum corruptela eruperunt, publicis lucubrationibus fuiſſe exploſum, confutatum, profligatum &c.* addit tamen, ab iisdem, *ſolidis quoque momentis, propulſatam eſſe calumniam, quam jactitant nonnulli* (*Janſeniſta*, ac Proteſtantes) *quì doctrina de vaga probabilitate inventionem, Theologis Societatis Jeſu acceptam, referunt; aut ejus defenſionem toti Societatis Jeſu Schola falsò imputare praſumunt.* Hiſt. Eccleſ. Tom. 8. Colloq. 4. f. m. 205. edit. *Veneta.*

* Cùmque ipſe *Puffendorfius* maximam partem Mortalium *regi per conſcientiam probabilem* aſſerat, quæri fors poſſet, an ſi ejus *Pater*, *Lutheranus* Præco, conjugi ſuæ dixiſſet, libellum repudii eſſe in conſcientia licitum Proteſtantibus, utpote in contractu matrimoniali merè civili, an, inquam, illa huic ſententiæ unius Authoris, *notabiliter minùs probabili, ac minùs tuta*, tutò acquieſcere potuiſſet?

(a) In notis ad *Puffend.* de officio hominis. C. 1. §. 5.

(b) In Hiſt. juris naturalis.

(c) In inſtitutionibus Juris Naturæ, & Gentium L. 1. c. 4. §. 29. f. m. 96.

(d) 1. Ethica.

co, *omnia agunt propter finem, & unumquodque ordinatur ad finem suum per actum suum.* (a) Rationem addit: quia prima *est causa finalis*, cùm agens non moveatur, *nisi ex intentione finis*, qua determinatur *ad certum effectum.* Ratio est *à priore*, quia opus naturæ est opus *intelligentiæ summæ* Creatoris, qui cuncta sic ordinavit, ut suos haberent fines, in quos tenderent, suáque per hoc officia adimplerent.

Finis autem in genere est ultimum, quod appetitur propter se.

℟. II. *Finis* autem in genere est id, *cujus gratiâ* aliquid agitur; seu teste Philosopho est *ultimum agendarum rerum, quod appetitur propter se, & propter ipsum cætera*, quæ dicuntur *media ad finem*, quia electa, & suscepta propter consecutionem finis.

Adstruitur multiplex.

Porrò *varij* sunt *rerum fines. Finis qui* intenditur, est *bonum* illud, quod appetitur, & propter cujus consecutionem aliquid agitur; *finis quo* obtinetur, est ipsa ejus rei *possessio*, ac *fruitio*; *finis cui*, est id, cui bonum illud intenditur; *finis immediatus & subordinatus* est is, ad quem quædam sic ordinantur, ut & ipse ordinetur ad alium finem; finis *mediatus & ultimus est*, ad quem cætera omnia sic ordinantur, ut ipse non ordinetur ulteriùs; finis denique *ultimus negativè est* is, qui quidem, hic & nunc, non refertur *ulteriùs*, non tamen *positivè* excludit ordinabilitatem ulteriorem; finis *positivè ultimus* est, ad quem *simpliciter* omnia referuntur, *tanquam ad terminum.* Sic in exemplo *finis qui* Reipublicæ est bonum commune; *finis quo* est ipsa possessio hujus boni, *finis cui*, est ipsa Communitas; *finis immediatus & subordinatus est* salus Populi in hac vita; *finis mediatus & ultimus est* salus Populi completa, seu etiam alterius vitæ.

Finis actionum moralium est bonum.

Quæritur II. Quis sit finis actionum moralium?

℟. I. *Finis* actionum moralium *in genere est bonum*, seu *verum* seu *apparens.* Patet: nemo enim intendens ad malum, *quà malum*, operatur. *Finis particularis & immediatus est* illud bonum, quod quis intendit per actionem v. g. *divitiæ, honores.* Finis *totalis & mediatus* actionum omnium est, *ut agenti undequaque bene sit*: nam quidquid appetimus, appetimus tanquam rem, quæ saltem *partialiter* ad hoc contribuat. Id autem, per quod *agenti undequaque bene est*, dicitur felicitas *completa*, quam per actus singulos appetimus, *tanquam finem totalem*, ordinando ad illum media, & etiam fines immediatos, seu partiales.

Homo necessariò intendit aliquod bonum, tanquam finem, saltem negativè ultimum.

℟. II. *Homo, deliberatè operans, necessariò per actiones morales intendit aliquod bonum, tanquam finem, saltem negativè ultimum. Ratio est*: quia, si finem, quem *immediatè* intendit, v. g. *studium*, non ordinat ulteriùs, jam ipsum hoc studium erit finis ultimus *positivè*, vel saltem *negativè*, siquidem non cogitet de ulteriore fine, nec tamen *positivè* excludat. Si studium ordinat ulterius v. g. ad *divitias*, tunc in his debebit denique sistere vel *positivè*, vel *negativè*; secùs enim daretur in finibus processus in infinitum, essétque *finis sine fine*, quod implicat.

Non tamen intendit semper finem simpliciter ultimum.

℟. III. *Homo, deliberatè operans, non agit semper propter finem simpliciter ultimum, seu felicitatem completam. 2. Semper tamen agit propter rationem, saltem genericè convenientem ultimo fini. Ratio primæ partis* patet *evidenti experientiâ* in sceleratis, qui quoties graviter peccant, toties operantur contra finem *simpliciter ultimum*, * seu felicitatem perfectam, dum in bono particulari finem ultimum statuunt, & quiescunt. Patet etiam ex eo, quòd bonum particulare *per se* sit appetibile à voluntate; quamvis non repræsentetur connexio cum fine *simpliciter* ultimo, de cujus ratione non est, ut ad eum omnia *referantur actu*, sed *ut omnia referri possint.*

Etsi semper agat propter rationem, ultimo fini saltem genericè congruam.

Ratio secundæ partis est, quòd actio moralis necessariò feratur *in bonum*, seu *honestum*, seu *utile*, seu *jucundum*, quod in objecto relucet, ùt habile ad conferendam agenti aliquam felicitatem, appetitúmque saltem ex parte satiandum: ergo ratio motiva operantis, *saltem genericè* convenit cum fine *simpliciter* ultimo, seu felicitate perfectè satiativâ.

Necessitate legis naturalis tenetur tendere per suos actus ad finem, simpliciter ultimum;

℟. IV. *Quamvìs homo, deliberatè operans, non semper intendat finem, simpliciter ultimum, necessariò necessitate facti; tenetur tamen necessitate legis naturalis per suos actus, absolutè loquendo, tendere ad finem simpliciter ultimum.* P. Homo, obli-

gatio-

(a) 1. 2. Q. 1. A. 2. Q. 21. A. 1. ad 3.

* Puta *verum*, & ex merito *ultimum*: siquidem creatura tantùm est ultimus finis peccantium *ex errore intellectûs*, & *abusu voluntatis.*

gatione naturali, tenetur ad ordinem, rebus creatis ab Authore Naturæ inditum, ac præscriptum: secùs enim ageret *inordinatè*, rationi reluctando & DEO: ergo, cùm res omnes à DEO sint ordinatæ ad finem *simpliciter* ultimom, ad hunc tendere lege naturali obligatur. Dictum tamen, *per suos actus absolutè loquendo*: hoe enim præceptum, cùm sit affirmativum, obligat quidem *semper*, sed *non pro semper*, eò quòd non obligemur semper *actu* omnia referre ad finem *simpliciter ultimum*, uti dictum. *

Actus morales necessariò respiciunt DEUM sub ratione regulæ primæ objectivæ.

℞. V. *Actus morales, sub aliqua ratione, necessariò respiciunt DEUM, saltem ut normam recti, & regulam primam honestatis objectivam.* Hæc autem ratio non præcisè consistit in tendentia physica actuum, sed potius in morali, quatènus imputari possunt *moraliter* homini agenti, vel juxta, vel contra bonitatem finis ultimi. Nam per hoe differunt actiones humanæ à non humanis, quòd homo per illas *libere* possit accedere, vel recedere à suo ultimo fine: unde si actus est inhonestus, respicit DEUM, *ut prohibentem, & potentem punire*; si honestus, respicit DEUM, *ut præcipientem, consulentem, & præmiare potentem*; si indifferens respicit DEUM *ut permittentem, & potentem indulgere*.

Finis ultimus creaturæ rationalis est beatitudo, saltem naturalis.

℞. VI. *Finis ultimus creaturæ rationalis est felicitas perfecta, seu beatitudo saltem naturalis.* P. *Finis ultimus* ereaturæ rationalis *est bonum*, quod secundùm rectam rationem *ita propter se* amatur, ut propter illud amentur, & eligantur cætera omnia: atqui tale bonum est felicitas hominis perfecta, seu beatitudo: ergo. *Min.* P. Felicitas completa, seu beatitudo, teste *Angelico*, est eentrum, *cujus possessio totaliter quietat, & satiat appetitum rationalem, sic ut nihil amplius cum anxietate quærendum supersit*; est, *Authore Boetio, status omnium bonorum aggregatione perfectus &c.* ergo est bonum, ad quod seeundùm rectam rationem sic tendit rationalis ereatura, ut ad illud omnia eætera ordinet, tanquam finem simplieiter ultimum ** C. Patet: nam omnes appetunt ex naturæ instinctu beatitudinem; appetitus autem naturalis & universalis nequit esse frustraneus, & imprudens, eùm proveniat, ab Authore Naturæ sapientissimo.

Unde deducitur 1. Beatitudinem soli naturæ rationali competere: cùm enim sit bonum perfectissimum, ad id, teste Philosopho, tendi nequit nisi dependenter *a cognitione & amore*. 2. Non sufficere ad beatitudinem, ut natura rationalis sit *tantum negative* contenta, seu, ut nihil amplius appetat; sed opus est, ut contenta *sit positivè* per quietem, fundatam in vera cognitione, & possessione boni sufficientis. 3. Neque sufficere, ut satietur appetitus *ex errore*, vel *pravo affectu*, sed ut satietas proveniat ex sufficientia boni possessi: unde *Sancto Augustino* ille est beatus, *qui habet omnia, quæ vult, & nihil malè vult.* (a)

Omnium ultimus rerum finis est DEUS.

℞. VII. *Deus est universaliter finis ultimus rerum omnium. Ratio est: rerum fi*Quia sicut monstrante vel ipso Naturæ lumine, à Deo *omnia proficiscuntur, tanquam à primo Principio rerum omnium; ita ad Deum, tanquam ad finem ultimum*, omnia tendant, necesse est: nam pari necessitatè est *Omega*, seu *finis ultimus*, qua *est Alpha*, seu *principium primum*. Unde ad eundem hunc finem ultimum *** tendit, & creatura rationalis, & irrationalis, etsi differant in assequendi modo: siquidem creatura rationalis eum assequitur per cognitionem & amorem; irrationalis verò participando physicè aliquam Dei similitudinem, atque perfectionem: illa tendit in finem se movendo, & agendo; hæc contrà agitur, & movetur, ut suprà innuimus.

Unde officium hominis in genere. Est agere ad suum

Quæritur III. Quale ex dictis fluat officium hominis isthoc in universo?

℞. I. Ut sponte fluit ex dictis, *officium hominis in genere est agere ad suum*

---

* Videantur dicenda inferiùs de obligatione legis naturalis respectu Dei.

** Unde, licèt homo amet beatitudinem *propter se ipsum*, seu, *ùt sibi bonam*, amore concupiscentiæ; eandem tamen amat amore benevolentiæ *propter Deum*, nec ordinat ulteriùs ad gloriam Dei, quia hæc ipsa Dei gloria est hominis beatitudo.

(a) L. 13. de Trinit.

*** *Qui:* nam finis ultimus *quo* in Creatura rationali est fruitio summi boni *per cognitionem & amorem*; in creatura irrationali est participatio similitudinis Divinæ *secundùm diversos gradus.* Item homo tendit ad hunc finem ultimum *per se*, *ùt extrinsecum*; nam *per accidens* sibi sæpe figit finem ultimum *intrinsecum* in illicitis.

finem reverà ultimum.

ſuum finem, ad quem à Deo Creatore in hoc Mundi theatro eſt poſitus; unde ad finem, *non qualemcunque*, ſed, *loquendo univerſaliter, ad finem reverà ultimum*, ſeu felicitatem perfectam, ſaltem naturalem, * *qua beatitatis* nomine exprimi ſolet. Hinc actiones hominis, finéſque illius particulares, quos ipſe ſibi *ex arbitrio libero* forſan præfigit, ſi exorbitent *ab hoc fine*, per Authorem Naturæ præſtituto, exorbitant *ab officio hominis*: adeóque agens ex voluntate *malè affecta*, eligénſque media *proportionata* ad malum finem, agit *ex prudentia carnis*, ſeu *inhoneſtè*, redditque ſe vituperio, & pœnâ dignum. Contrà præfigens ſibi *finem bonum* ex voluntate *rationi conformi*, nec obcæcata per paſſiones, eligénſque *media proportionata*, procedit *ſecundùm officium hominis ex prudentia ſpiritûs*, ſeu rectæ rationis, agitque *honeſtè*, ac ſeſe reddit laude dignum, & præmio.

In ſpecie agere quoque ad finem ſui ſtatûs.

℟. II. Officium hominis *in ſpecie* eſt inſuper agere *ad ſuum finem*, ad quem peculiaris ipſi incumbit obligatio *ratione ſtatûs* particularis, in quo à Deo eſt conſtitutus. Et quia ejuſmodi officia in Mundo ſunt diverſiſſima, ita & varii ſint fines particulares, quos homo actionibus ſuis præfigat, neceſſe eſt. Sic alia officia *ſunt publica*, alia *privata*; alia circa ea, quæ homo *ſecum* agit; alia, quæ agit *cum alijs*: nulla enim pars vitæ vacare poteſt officio, in quo colendo omnis *vita honeſtas*, & in quo negligendo *inhoneſtas* ſita *eſt*, *Cicerone* teſte. (a)

§. 2. De beatitudine naturali.

§. II.

De beatitudine naturali.

Quæritur IV. An, & in quo conſiſtat felicitas hominis perfecta, ſeu ſic dicta beatitudo naturalis?

Datur beatitudo aliqua hominis. Ubi patet univerſali conſenſu, & inſtinctu.

℟. I. *Datur Beatitudo aliqua objectiva creaturæ rationalis.* 2. *Eſtque poſſibilis merè naturalis*, *ſiſtendo in ſtatu ſolius Naturæ.* *P. prima pars.* Conſenſu omnium ætatum, Nationum, & Sapientum, qui licèt erraverint in ſtatuenda beatitudine, omnes tamen convenerunt in eo, quòd dari poſſit, ac debeat beatitudo, qua appetitus rationalis expleatur. 2. Omnes appetunt naturaliter beatitudinem, *tanquam ultimum finem*, in quo quieſcant: cùm ergo naturalis appetitus non poſſit eſſe fruſtraneus, & imprudens, utpote ab Authore Naturæ inditus, dari debet beatitudo: hæc autem neceſſariò includit objectum, in quod tendit: ergo. 3. Quælibet res habet ſuum finem, ad quem per ſuas operationes tendit: ergo etiam creatura rationalis; alias foret deterioris conditionis, quàm cætera creata.

Eſt quoque poſſibilis merè naturalis.

P. ſecunda pars. Eſt poſſibilis ſtatus hominis ſolummodò naturalis: ergo debet pariformiter eſſe poſſibilis beatitudo, illi ſtatui conformis. A. conſtat ex dictis *de poſſibilitate ſtatûs puræ naturæ*, (b) quò ad naturalia haud diſſimilis ſtatui naturæ lapſæ: ergo & natura lapſa ſaltem poteſt conſiderari *præciſivè in ſe*, *& independenter ab omni ſtatu elevationis ad finem*, ſeu beatitudinem ſupernaturalem. C. P. 1. Reliquæ creaturæ obtinere poſſunt ſuum finem: ergo & creatura rationalis in hoc ſtatu: atqui non obtineret, ſi poſt ſtatum *viæ*, *conformiter rationi tranſactum*, deberet pati perpetuam inquietudinem cordis, ob defectum ultimi finis ſatiantis, quæ inquietudo ſecum neceſſariò traheret triſtitiam, & dolorem. Certè hoc neque Deo videtur convenire, nec creaturæ rationali: *Non Deo*; quia omnia prudenter dirigit ad ſuos fines: ergo, ſicut *Author gratiæ* poteſt ſatiare appetitum *per beatitudinem ſupernaturalem*, non eſt, cur non etiam poſſit, *ùt Author naturæ, per beatitudinem naturalem.* Neque convenit *creaturæ rationali*: cùm enim hæc appetat *naturaliter* ſuam beatitudinem ex inſtinctu innato, à Creatore indito, debet ejuſmodi beatitudo eſſe poſſibilis: alia autem pro ſtatu merè natutali non eſt poſſibilis, quàm naturalis, in quocunque demum conſiſtat, qua de re infrà.

Hæc, in genere loquendo, nequit conſiſtere in una crea-

℟. II. *In genere Beatitudo objectiva hominis, etiam naturalis, nequit eſſe una aliqua creatura ſeorſim.* 2. *Immò nec collectio omnium.*

P. Beatitudo objectiva eſt illud objectum, cujus poſſeſſione mihi *unde-*

---

* Non enim hic, puta, in inſtitutionibus *Juris naturæ*, agimus *de ſupernaturali* beatitudine, per revelationem cognita; ſed *naturali*, per rationis lumen manifeſtata.

(a) L. 1. de officiis.

(b) In prolegomenis ſuprà.

tura, nec etiam in omnium collectione. Quia debet esse satiativa.

dequaque bene est; juxta *Angelicum* est bonum *totaliter quietans*; juxta *Philosophum* bonum *per se* sufficiens, quo habito non est aliquid anxiè appetendum: talis nòn est creatura seorsim, nec omnes simul: ergo. *Minor P. quòad 1. universaliter.* Quia appetitus rationalis est *capax boni universalis*: ergo non poterit satiari bono solummodò *particulari*, *creato*, *& finito*. * *Min. P. particulariter:* petendo talem creaturam, quæ seorsim sit omne bonum, *nec inconstans*, *fluxa*, *nec conjuncta cum miseria*, *nec abjecta*, *vilis*, *meritò contemptibilis &c.*

Et ipsa collectio dicat dependentiam ab ente perfectiore.

Min. P. 2. quò ad collectionem omnium creaturarum. Collectio hæc dicit essentialem dependentiam ab alio bono perfectiore: ergo perfectè satiativa esse haud potest, cùm vel ex ipsa sui cognitione accendat desiderium videndi, & possidendi bonum illud perfectius.

In specie nequit consistere in bonis fortunæ, quia extrinsecis.

℞. III. *In specie. Perfecta felicitas, seu beatitudo nequit consistere in bonis extra animam, seu externis fortunæ, fama &c.*

Explicatur. Non in divitijs, quia beatitudo expetitur, & possidetur *propter se*, divitiæ *propter alia*: deinde, divitiæ non tam possessione sui, quàm effusione sui commodum afferunt. 2. *Non in bonis famæ:* quia meliùs est habere bonum, & illam excellentiam boni, propter quam natura laudem meretur, vel famam, quàm habere ipsam famam. 3. *Non in honoribus:* quia beatitudo debet esse in beato, & in potestate illius; honor verò non est *in honorato*, *sed honorante*. 4. *Non in potentia:* quia hæc ordinatur ulteriùs, scilicet ad bonum Reipublicæ, & illâ potest quis malè, vel benè uti; beatitudo autem nec ordinatur ulteriùs, cùm sit ultimus finis, nec potest quis illâ malè uti. Adde, quòd hæc bona omnia sint merè *extrinseca*, homine inferiora, communia probis & improbis, incerta, mutabilia, per mortem auferibilia, mille periculis, plurimisque curis, veluti totidem spinis, circumdata, non satiativa, nec potentia tollere humanas miserias, & maximum hominis malum, puta peccatum.

Neque in bonis corporis, quia animâ inferioribus.

℞. IV. *Beatitudo illa neque potest consistere in bonis circa animam, sive in bonis corporis, uti sunt valetudo, robur, pulchritudo, voluptates sensibiles.*

Explicatur. Hæc bona sunt homini cum brutis communia, immò sæpiùs in bestijs perfectiora; sunt turpia, caduca, neque satiant partem hominis superiorem, id est, animam, sed sæpe multis miserijs affligunt, v.g. cæcitate rationis, inordinatis desiderijs, pravitate voluntatis, judicij, reatu culpæ & pœnæ. Partem quoque inferiorem sæpe cruciant morbis, aliisque miserijs. Adde, quòd hæc bona *per se* ordinentur ad bonum animæ, & sint conjungibilia cum miserijs, & peccatis.

Aut etiam animi, quia nec puris, nec satiativis.

℞. V. *Neque beatitudo illa potest consistere in bonis intra animam, uti sunt scientiæ, & virtutes.*

Explicatur. Vel scientiæ ponuntur esse excellentes, & sublimes; vel inferiores, & non excellentes? si posterius, patet, eas non constituere veram beatitudinem, cùm ista *sit bonum excellentissimum.* Si prius, habent suam perfectionem ab objectis, quæ sunt perfectiora, & ideo magis appetuntur, & beant, uti constat ex visione, & amore Dei, etiam naturali. Deinde scientiæ non sunt bona pura, constant magno labore, neque bona satiativa: nam acquisita accendunt potiùs desiderium ulterius rimandi. Virtutes verò morales non conjunguntur cum gaudio satiativo in hac vita, sed potius difficiles pugnas exigunt, & continuam de repugnante natura victoriam: unde, si non essent ordinatæ ad alium finem potentiorem, & ablativum omnis miseriæ, quò quis foret virtuosior, eò foret miserabilior.

Unde beatitudo objectiva, nempe DEUS, fluit ex ipsa natura actuum humanorum.

℞. VI. *Ex natura actuum humanorum, bonorumque creatorum probari potest, objectivam hominis beatitudinem esse Deum.*

Probatur I. Beatitudo hominis *nunquam potest*, multò minus *unquam debet* contemni *prudenter*, & *laudabiliter*: ergo nequit consistere in bono creato, ac temporali, sed in Deo. A. constat: nam omnis actus maximè in eo est *prudens*, & quodvis bonum *ideò optabile*, quòd bene disponat ad beatitudinem, seu ultimum finem; ergo hic finis *prudenter* contemni nequit. C. P. Homo per actus humanos sæpe potest *prudenter*, & *laudabiliter*; immò subinde obligatur omnia bona hujus vitæ contemnere, & subire ipsam

etiam

* Etsi enim capacitas, & appetitus hominis sit particularis & finitus *subjectivè*, est tamen universalis, & infinitus *objectivè*.

etiam mortem, ne per actum inhonestum agat contra legem Authoris naturæ: ergo. 2. Omnis actus honestus, ad quem possumus obligari, *per se* exigit præmium propositum, quod nos possit allicere ad exercitium ejusmodi actûs; aliàs enim frustranea foret obligatio, tantoperè ardua: atqui præmium esse nequit bonum merè temporale, & creatum: *Minor P.* Bonum merè temporale non esset proportionatum, præsertim respectu actuum difficillimorum, quales *sunt resignatio ad tormenta*, *ipsámque mortem:* siquidem bonum merè temporale non esset magis æstimabile, quàm bonum, quod propter præmium debet contemni, puta, quàm omne bonum hujus vitæ, ipsáque propria vita: ergo non esset sufficienter alliciens, adeóque nequaquam proportionata.

Statúque naturali.

℞. VII. *Beatitudo objectiva creaturæ rationalis absolutè loquendo, est solus Deus. 2. Immò etiam respectivè, seu considerato solo statu Naturæ.*

Probatur quò ad 1. In solo Deo est reperire *omnes conditiones*, ad beatitudinem hominis objectivam *requisitas*, bonáque omnia cum stabilitate, per quorum possessionem homini *potest undequaque* bene esse: ergo solus Deus est beatitudo objectiva. *A. P.* Deus solus est *bonum ultimum*, ad quod omnia alia referuntur; * est solum *bonum sufficiens*, quia *universale*, & *infinitum*, adeóque sublativum omnis indigentiæ; est *possibile*, *summum*, *optimum*, *ac jucundissimum*; *est perfectè satiativum*, quia non modò complectens, saltem *eminenter*, omnia bona repetibilia in creaturis, sed etiam illa, quæ ratio naturalis dictat, esse possibilia extra collectionem creaturarum, scilicet *Creatorem*.

Probatur quò ad 2. Hac ipsa ratione, quæ etiam pro statu solius Naturæ stringit: nam in hoc statu foret eadem capacitas naturalis seu intellectûs seu voluntatis: ergo pariter expleri haud posset, nisi bono universali, continente omne bonum. Eadem quoque forent bona creata: ergo nec ista possent satiare appetitum universalem, & capacitatem boni infiniti.

Beatitudo formalis consistit in cognitione &

℞. VIII. *Beatitudo formalis creaturæ rationalis, seu actualis possessio & fruitio Dei satiativa, consistit in cognitione, & amore Dei, statui suo proportionata.*

amore DEI naturali, saltem statui proportionato.

Probatur. Per solam *cognitionem*, & *amorem* creatura rationalis *propriè* fruitur Deo, tanquam bono infinito, sic ut ex hac fruitione oriatur voluptas, delectatio, & quies perfectè satiativa, vi cujus creaturæ *undequaque bene sit:* ergo per *solam cognitionem & amorem Dei* habetur *beatitudo formalis*, & *supernaturalis* quidem per visionem intuitivam, & amorem perfectè beatificum; *naturalis* per cognitionem, etsi solummodò abstractivam, tam perfectam tamen, & claram, ut creaturam raperet ad perfectum amorem; liberaret ab omni peccato, & miseria, satiarétque appetitum innatum fruendi DEO.

Quæ, etsi abstractiva, nihilosecius foret respectivè satiativa.

Neque quis dicat 1. Hanc fruitionem non fore *perfectam*, ac *satiativam*, quia *mere abstractivam*, eò quòd anima cognosceret intuitivam possibilem, adeóque naturali appetitu elicito supernaturalem illam appeteret sicque ista capacitas inexpleta remaneret. Nam

Contrà est: Etiam abstractiva fruitio pro illo statu foret *perfecta*, & *satiativa*, cùm anima cerneret majorem beatitudinem *pro Naturæ statu* non esse possibilem, neque debitam. Immò negatur suppositum, quòd ad beatitudinem requiratur, ut expleatur tota capacitas, & tribuatur omne id, quod est melius creaturæ: secùs enim nemo foret in Cælo beatus, cùm nullus possideat DEUM *modo perfectissimo.*

Quòd si, *revelatione suppositâ*, possit homo appetere appetitu elicito, *merè naturali*, beatitudinem supernaturalem, etsi hoc plures negent, appetitus iste foret *merè conditionatus:* si nempe hæc foret homini possibilis, & debita, adeóque nullius anxietatis foret causa.

Et collectio omnium bonorum, saltem naturaliter obtinibilium.

Neque quis dicat 2. Beatitudo *merè naturalis* non foret collectio omnium bonorum v. g. *impeccabilitatis*, *perpetuitatis &c.* ergo non foret satiativa. Nam

Contrà est: ad naturalem beatitudinem sufficit collectio bonorum, *naturaliter obtinibilium*, & consecutio finis, *naturaliter satiantis:* hæc autem collectio obtineri posset viribus naturæ per cognitionem abstractivam, valdè perfectam, & amorem DEI perpetuò

* Nam creatura respicit quidem Deum *ut sibi bonum*, seu se ipsam, *ut finem cui immediatum*, *perfectibilem* tamen, *minùs appretiatum*, & *referibilem* ad Deum, tanquam *finem cui principalem*, *ac ultimatum.*

petuò conjungentem cum summo Bono, adeóque exclusivum omnis peccati. Quamvis autem homo sit mortalis *secundùm quid*, anima tamen est immortalis, adeóque capax beatitudinis naturalis, etiam perpetuæ.

Unde in hac vita non nisi inchoativa haberi potest.

℟. IX. *Beatitudo formalis pro statu hujus vitæ, nequit esse perfecta, sed merè inchoativa.*

Declaratur 1. Beatitudo in vita sic repræsentatur, ut non modò non satiet, sed potiùs accendat desiderium ad acquirendam ulteriùs beatitudinem perfectiorem: ergo nequit esse perfectè satiativa. Imperfecta tamen beatitudo, consistens *in possessione inchoativa DEI*, haberi potest *per puritatem conscientiæ, amorem suo modo perfectum, & spem firmam* beatitudinis perfectæ, aliásque virtutes, quibus DEO magis conjungimur, magisque disponimur ad finem, seu terminum beatificantem, ut patet.

§. 3. De principijs, lumine naturæ notis, circa DEUM, atque beatitudinem hominis.

§. III.

De principijs, lumine Naturæ notis, circa DEUM, & beatitudinem hominis.

Quæritur V. An & quomodò Deus, quatenus est norma actionum humanarum, sit lumine Naturæ notus, ac cognoscibilis?

Est principium lumine naturæ notum, Mundum non esse à casu. Uti patet ipsa oculari consideratione hujus Universi.

℟. I *Est principium, lumine Naturæ notum, hoc Universum non esse à casu. Ita contra quosdam Epicureos.*

Demonstratur à Philosophis ex ipsa oculari inspectione Mundi. Est evidenter impossibile, hanc admirabilem rerum omnium structuram; hoc opus adeò stupendum, & magnificum, compositum ex innumeris, & summè contrarijs partibus, tot generationibus & operationibus inanimatorum, & animatorum mirabile; hanc singularum creaturarum ad suos tam varios fines tendentium dispositionem, ac coordinationem &c. *Evidenter*, inquam, *est impossibile*, hæc omnia, tam constanti & ordinata rerum omnium temperantiâ, ac conservatione invariata, esse præcisè *à casu fortuito*: ergo est principium lumine naturæ notum, hoc Universum esse ab aliquo alio ente intelligente. A. Patet: quia casui proprium non est agere *ordinatè, & uniformiter*; sed *inordinatè, & confuse*, miscere omnia, absque ratione proportionis, ordinis, ac finium, sic ut prodire non possit, nisi disparata, & perturbata quædam rerum congeries, *quam veteres dixère chaos*: secùs enim quis æquè rationabiliter diceret, ædificia omnia ex lapidibus temerè congestis; pictutas omnes ex atramenti guttis, casu in chartam effusis, coaluisse &c.

Est principium, lumine Naturæ notum, dari ens aliquod supremum, Authorem, & Rectorem hujus Universi. Uti constat ex Naturæ instinctu, sensu, ac consensu Nationum communi.

℟. II. *Est principium, lumine Naturæ notum, dari aliquod Numen, sub ratione Entis primi, atque supremi, seu Authoris hujus Mundi, ac Gubernatoris. Ita contra Atheos.*

Demonstratur ab ijsdem. Est evidenter impossibile, hoc Universum esse *à casu: ergo evidenter est* ab aliqua Mente, seu Intellectu supremo, rerum omnium effectore, ac conservatore, qui providè omnia disponit, atque gubernat. A. patet ex dictis: C. tenet. Rursus: Est Nationum omnium, omnibus sæculis, unanimis sensus, atque consensus, esse aliquod Numen, seu *Ens primum*, atque *supremum*, à quo sit, conservetur, & gubernetur hæc Universi spectabilis machina: atqui evidens est, quòd hic sensus, atqui consensus unanimis falli haud possit: ergo. *Major demonstratur.* Hanc de Numine quodam supremo vocem personabant hactenus omnes, quibuscunque ratio utcunque scintillaverat, *Ægyptij, Æthiopes, Assyrij, Persæ, Græci, Romani, Germani, Sarmatæ, Iberi, Tartari, Turcæ, Chinenses* quoque, & *Japones*, uti *Lessius & Segneri* noster ostendunt: (a) unde & *Cicero*, nullam dixit esse Gentem, neque tam immansuetam, neque tam feream, quæ, etiamsi ignoret, *qualem* DEUM habere deceat, *tamen habendum* esse non sciat: atque hoc omnibus innatum, & ab ipsa Natura insculptum esse, affirmavit. Patet itidem *evidenter* ex Mortalium omnium instinctu, quo DEO, Enti supremo, *supremam Mundi regionem* attribuunt, *palmásque ad sydera tollunt*, quando preces & vota faciunt, idque in repentinis periculis v. g. naufragij, & mortis, ubi etiam *non advertentibus* sese prodit hic naturæ instinctus, atque sceleratissimis quoque, *vel invitis*, manus sursum erigit, ut opem inclament &c. * *Minor æquè est evidens.* Nam implicat *evidenter*, ut omnes ætates, ac Nationes in tanta geniorum, ac ingeniorum diversitate, & contradicendi

(a) *Lessius* L. de Providentia. *Segneri* in incredulo inexcusabili.

* *Ordinariè* loquendo, *nisi per accidens* desperatio rationis lumen extinguat, aut obdurata voluntas eidem obluctetur, uti fit in pauculis, si qui *verè* esse possunt, *Athei*.

di pruritu, in unam ſententiam conſpirent, niſi altior quædam vis naturæ, & veritatis evidentia illos rapiat.

Eodem modo notum eſt, dari Ens ſummum, ſub ratione Legislatoris juſti, punientis mala, aut premiantis bona.

℞. III. *Eſt principium, lumine Naturæ notum, dari aliquod Numen ſub ratione Legislatoris ſupremi; Entis omniſcij, juſti ac providi, quod mala puniat, & bona præmiet, atque remuneretur. Ita contra eosdem.*

Quia hæc veritas eſt fundamentum omnis honeſtatis.

Demonſtratur ab iјsdem 1. Illa veritas, cujus cognitio, *eſt fundamentum* omnis honeſtatis, éſtque *medium, indiſpenſabiliter neceſſarium* ad finem, ac vitam, ad rationis leges ab homine inſtituendam, *debet* eſſe principium lumine naturæ notum: talis veritas *eſt dari aliquod Numen juſtum, omniſcium, providum, puniens mala, & remunerans bona:* ergo *debet eſſe* lumine Naturæ nota: ergo à fortiori lumine Naturæ *nota eſt. Major eſt* in terminis manifeſta: ſecùs enim natura deficeret *in neceſſarijs*, nec eſſet homini proſpectum *de medijs, indiſpenſabiliter requiſitis* ad finem, & honeſtatem, eſſétque miſerior brutis, quæ meliùs conſtituta novimus in ordine ad ſuum finem.

Nixa inſtinctu univerſali.

Demonſtratur 2. Ex ipſo lumine Naturæ, inſtinctu, atque remorſu conſcientiæ judicamus, *bonum eſſe faciendum, malum fugiendum; virtutem eſſe honeſtam, ſcelus inhoneſtum; proximum non eſſe lædendum, nec quod quis ſibi noluerit, alteri faciendum &c.* ergo *ex ipſo lumine Naturæ* judicamus *dari aliquam poteſtatem ſupremam, Legislatorem ſummum, omniſcium remuneratorem, & vindicem. C. Evidenter* fluit: nam ſine tali poteſtate ſuprema non daretur lex *efficaciter* obligans; * juramenta forent inania; boni forent miſerrimi omnium: contrà ſcelerati forent feliciſſimi, & error maximus eſſet unicum medium ad honeſtè vivendum, quæ omnia *evidenter* in terminis implicant.

Unitas DEI, ſaltem per ratiocinium evidenter ab homine erui poteſt.

℞. IV. *Etſi non ſit principium lumine Naturæ notum, qualis ſit DEUS; evidenter tamen ab homine, rationis compote, & cujus cor per ſcelera non obſcuratum, erui poteſt, non eſſe, niſi unicum DEUM. Ita contra Polytheos.*

Ob ſequelas evidenter abſurdas.

Demonſtratur ab iјsdem 1. Si plures ſunt Dij, vel omnes habent poteſtatem, & libertatem faciendi, quod lubet; vel aliqui tantùm; vel nullus? Quidquid dicatur, dicitur aliquid *evidenter* abſurdum, & falſum. *Minor demonſtratur.* Si nullus: ergo nullus eſt DEUS; qualis enim DEUS abſque viribus, & libertate diſponendi pro libitu? Si aliqui; vel omnes poterunt & velle, & facere contraria; *Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabit Apollo:* ergo unus neceſſariò ſuccumbet, alter ſine jurgijs non vincet; hic miſer, ille miſerior DEUS. Item. Si plures ſunt Dij, vel omnes æquè excellunt, vel unus cæteris; ſi unus: ergo cæteri non erunt Dij, quia ſubordinati, & dependentes: ſi omnes æquales: ergo nullus erit DEUS, quia nullus ſummè perfectus, utpote aliorum perfectionibus deſtitutus.

Eſt principium, lumine naturæ notum, felicitatem hujus vitæ non eſſe finem ſufficientem actionum moralium.

Quæritur VI. An, & quomodò alterius vitæ felicitas, ſeu beatitudo, quatenus eſt finis actionum moralium, ſit lumine naturæ nota, aut cognoſcibilis?

℞. I. *Eſt principium, lumine Naturæ notum, felicitatem, vitæ hujus terminis concluſam, non poſſe eſſe finem ſufficientem, & adæquatum actionum moralium, ſeu in particulari, ſeu in communi reſpectu totius Reipublicæ.* Ita contra Moraliſtas *Puffendorfianos.*

Quia & ipſa hæc felicitas ſæpe contemni debet ob honeſtatem.

Demonſtratur 1. Eſt principium, lumine Naturæ notum, quòd finis actionum moralium *ſit bonum*, non *qualecunque, ſed verum*, hoc eſt, *felicitas per actus honeſtos*, rationi & regulæ primæ conformes, *intendibilis:* atqui eodem Naturæ lumine notum eſt, quòd hæc felicitas eſſe nequeat *merè temporalis*, ſeu vitæ hujus terminis clauſa. *Minor demonſtratur.* Hæc omnis felicitas evidenter *poteſt*, & ſæpe *debet* contemni, ut quis *agat honeſtè*, ſeu rationi & regulæ primæ, *efficaciter* obliganti, conformiter: v. g. ſi quis tyrannus civi, vel etiam toti communitati minitetur excidium, *niſi DEUM blaſphemet &c.* ergo feliciras, merè temporalis, nequit eſſe finis actionum moralium *ſufficiens, formalis, & adæquatus.*

Nec eſſet ſufficiens præmium pro lege, univerſa-

Demonſtratur 2. Eſt principium, ex ſynthereſi conſcientiæ notum, quòd creatura rationalis non ſit *exlex*, ſed ab Authore Naturæ *ad bonum faciendum, & ad malum fugiendum*, obligetur

* Inde *Puffendorfius* in Spicilegio Juris Nat. c. 1. §. 16. f. m. 295. Etſi jus naturæ à Theologia naturali ſequeſtrandum ubique inculcet, tamen ait: *quòd ſibi, qui ſocietatis humanæ indolem, vincula, legéſque unicè ſibi exponenda ſumpſerit, non poſſit Divini Numinis conſideratio planè ſequeſtrari, quippe cùm ab eo legum ſocialium origo, & firmitas promanet.*

liter, & semper obligante ad honestè operandum.

getur *efficaciter*, *indefectibiliter*, & *universaliter*: ergo pariter notum est, quòd præmium propositum debeat esse *sufficienter alliciens* ad bonum, & supplicium *sufficienter retrahens* à malo: nam ubi nulla pœna, vel præmium, nulla esse potest obligatio *efficax*: atqui felicitas, *merè temporalis*, nequit esse præmium, *sufficienter alliciens*; nec pœna, vitæ hujus terminis clausa, *universaliter retrahens* à malo. *Minor subsumpta constat* oculari experientiâ: nam sæpe ad honestè agendum necessarij sunt actus difficillimi v. g. resignatio ad tormenta, ad omnis boni temporalis, immò ipsius vitæ jacturam, quo casu optimi forent infelicissimi, carentes omni felicitate & præmio. Rursus: Scelestissimi sæpe in hac vita sunt felicissimi; immò in ipso mortis articulo blasphemi non haberent supplicium retrahens; & sicut impunè vixissent, ita magis impunè morerentur absque omni supplicio, quæ omnia sunt *evidenter absurda*, & rationis *lumini difformia*, ut suprà ℞. IV. obiter jam declaravimus.

Est insuper principium, lumine naturæ notum, animam hominis non desinere cum corpore. Quia aliàs sæpe virtus maneret absque præmio, vitium absque pœna cum præjudicio Legislatoris. Deficerétque Natura in medijs, ad finem, ac honestatem vitæ indispensabiliter requisitis.

℞. II. *Est principium, lumine Naturæ notum, animam rationalem non esse mortalem cum corpore, sed manere superstitem, saltem ad pœnam, vel præmium. Ita* contra *Epicureos*.

Demonstratur 1. Felicitas hujus vitæ, *præcisè temporalis*, sæpe nec est, nec esse potest congruum, ac sufficiens præmium; nec infelicitas, pœna *efficaciter* puniens vitium, uti constat ex dictis, adeóque DEUS sæpe *nec foret*, *nec esse posset* Legislator, ac Rector *providus & justus*: ergo ipso rationis lumine evidenter constat, animam debere esse superstitem, *saltem ad præmium vel pœnam*.

Demonstratur 2. Veritas, cujus notitia *est fundamentum omnis honestatis*, *éstque medium*, *indispensabiliter necessarium ad finem*, felicitatem, ac vitam, rationi conformiter instituendam, non *modò est*, sed etiam debet ipso rationis lumine *esse nota*: talis veritas est, *quòd* anima, *saltem ad pœnam vel præmium*, debeat esse superstes post mortem: *Major patet*: nam DEUS est evidenter sapiens Creator, & providus Gubernator Universi; ergo debuit homini prospexisse *de medijs*, *ad finem & honestatem vitæ necessarijs*, non minùs ac brutis; neque potuit deficere in re tanti momenti, nisi admittere velis, nobilissimam Creaturam præ alijs ignobilioribus malè constitutam. *Min. Dem.* Ad vitæ honestatem, ac felicitatem naturalem, sæpe necessarium est, gravissimas difficultates vincere, & quidem per totam vitam; necessarium non rarò est, contemnere cuncta præsentia, perferre ardua, ipsámque mortem: atqui sine *evidenti* cognitione (non enim sufficeret *probabilitas* ad tam ardua *constanter* exequenda) & instinctu naturali *de præmio saltem alterius vitæ*, nec homo posset talia exequi, nec DEUS *efficaciter* obligare; sæpe præclarissimæ virtutes, in ipso agone exercitæ, carerent debito præmio; gravissima flagitia, in agone patrata, manerent impunita, adeóque sceleratissimi ad ipsum ultimum vitæ instans essent felicissimi; justissimi ad usque mortem essent infelicissimi *cum evidenti præjudicio DEI*, *ùt Creatoris*, *Legislatoris*, *ac Gubernatoris*.

Ipsa quoque animæ immortalitas,

℞. III. *Etsi positiva & naturalis immortalitas animæ in se non sit ipso lumine naturæ nota; nec ratione intrinseca tam manifestè demonstrabilis; est tamen ex ratione cuivis, rationis compoti, evidenter innegabilis.*

Etsi tam clarè non sit demonstrabilis,

Declaratur 1. Immortalitas animæ naturalis & positiva videtur involvere æternitatem durationis à parte pòst: hæc *ipso Naturæ lumine* esse cognita dici vix potest.

Ratione intrinseca.

Declaratur 2. Illa demonstratio immortalitatis *ex ratione intrinseca*, à Philosophis afferri solita, cuivis sapiat, quantum possit; neque nos tam hebetes sumus, ut negemus esse *demonstrationem simpliciter*, saltem pro intellectu, in ideis philosophicis ritè disposito: sed neque tam faciles quis esse nos velit, ut pro demonstratione, *adeò manifesta*, *& intellectum illicò rapiente*, illam prono occipite revereamur.

Est tamen evidenter innegabilis ob rationem extrinsecam unanimis omnium consensûs.

Declaratur 3. Evidenter est innegabile, quod ùt verum habent, & habuêre semper sapientes & probi omnes omnium Nationum, & omnium temporum, dissentientibus non nisi pauculis, iisque insipidis, ac flagitiosissimis homulis: atqui tale quid est animæ immortalitas: ergo *evidenter est innegabilis*, saltem ab homine rationis compote. *Maj.* constat: quia natura non potest tam universalem sensum, qui tamen falsus sit, implantare: aliàs enim censeretur Author Naturæ nos decipere; & sequeretur, DEUM omnibus probis ac sapientibus voluisse abscondere veritatem maximi momenti; revelare autem paucis quibusdam sce-

ſceleratis, quod in terminis utique abſurdum. *Min.* patet ab enumeratione omnium Gentium, earumque ritibus, ac honoribus, ſuperſtitioſè in defunctos collatis; ipſis quoque Poëtis per campos Elyſios, & ſtygiæ paludis pœnas huic veritati alludentibus.

Beatitudo alterius vitæ non eſt nota lumine Naturæ, niſi ſub prædicato generico felicitatis perfectæ.

℞. IV. *Etſi beatitudo alterius vitæ ſit inter prima principia, Naturæ lumine cognita, quò ad exiſtentiam, ſeu quòd ſit; non tamen eſt taliter cognita quò ad eſſentiam, ſeu qualis ſit, niſi ſub prædicato generico felicitatis perfectæ, ac quietantis.*

Quia hoc ſufficit ad fundamentum honeſtatis.

Declaratur. Hæc notitia eſt ſufficiens medium ad finem, & vitam honeſtè inſtituendam; ad efficaciam legum naturalium, DEI Juſtitiam, ac Providentiam &c. & major, citra revelationem, ex ipſo naturæ lumine, ſaltem *evidenter*, deduci nequit: ergo.

Quæritur VII. An & quomodò in homine, plenæ rationis compote, dari poſſit invincibilis ignorantia DEI, juriſque naturalis?

Unde non eſt poſſibilis Invincibilis ignorantia DEI, ſub prædicato poteſtatis supremæ, efficaciter obligantis.

℞. I. *Non eſt poſſibilis in homine, plenæ rationis compote, etiam ad breve tempus, invincibilis ignorantia DEI, ſaltem ſub prædicato confuſo, & convertibili, * poteſtatis efficaciter obligantis, Entis ſuperioris, Legislatoris, potentis mala punire, & præmiare bona. 2. Etſi aliquo tempore poſſibilis ſit ſub alijs prædicatis explicitis v.g. Deitatis, Entis à ſe unius, infiniti &c.*

Quia eſt veritas fundamentalis.

Aſſertum quò ad 1. Fluit ex dictis ſuprà, quia hæc veritas *eſt fundamentum omnis honeſtatis, & medium, indiſpenſabiliter neceſſarium* ad honeſtè vivendum: ergo eſt, & *debet* eſſe unum ex principijs, lumine naturæ notis; ſecùs Natura deficeret in neceſſarijs; homo ad finem ſuum foret malè conſtitutus, eſſet miſerior brutis; Creator foret injuſtus, malè providus &c.

Scripta in corde humano.

2. Quia dantur, & dari *debent* prima principia *reſpectu intellectûs*, quæ cuivis adulto ſunt evidentia, hominémque dirigunt ad cognoſcendam veritatem: ergo à pari debent quoque dari *principia, reſpectu* voluntatis, quæ eandem dirigant ad honeſtatem. Cur enim DEUS minùs proſpexerit voluntati, quàm intellectui? Inde rectè *Sanctus Auguſtinus:* (a) *Scripſit DEUS naturæ legem in cordibus hominum, quam non ſinuntur ignorare, ut eſſet, unde judicarentur.*

Etſi poſſibilis ſit ſub alijs prædicatis.

Aſſertum quò ad 2. Patet: quia cætera prædicata debent primùm erui per diſcurſus, haud ſanè rudibus obvios.

Neque poſſibilis eſt ignorantia invincibilis juris Naturæ, quò ad prima principia.

℞. II. *Neque eſt poſſibilis in homine, plenæ rationis compote, etiam ad breve tempus, invincibilis ignorantia Juris naturalis, quò ad prima principia, aut alia, cum primis evidenter connexa. 2. Poſſibilis tamen eſt, & frequenter datur ignorantia invincibilis circa alia, jure Naturæ ſeu prohibita, ſeu præcepta.*

Aſſertum quò ad 1. Probatur duplici ratione, ùt priùs, cui addi poteſt univerſalis inductio: cùm nullus hactenus ignorârit, *bonum eſſe amandum; honeſtum ſectandum; malum odio habendum; inhoneſtum vitandum; quod ſibi quis fieri non vult, neque alteri faciendum; DEUM colendum; Parentes honorandos &c.*

Eſt tamen frequens quò ad alia, naturæ jure ſeu præcepta, ſeu prohibita. Quia Doctores oppoſita frequen-

Aſſertum probatur quò ad 2. Niſi adſtruatur circa multa, reſpectu juris Naturæ minùs obvia, *invincibilis ignorantia*, ſequerentur plura, immò plurima abſurda: ergo rectè adſtruitur. *A. P. 1.* Sequeretur SS. Patres, Theologos, & Moraliſtas ex alterutra parte peccâſſe, utpote operantes, vel docentes ſententias contrarias *circa jus Naturæ*: E. G. *Angelicus Doctor* negat; Doctores Seraphicus, ejuſdem coævus, ſeu *S. Bonaventura*

* Ubi non requiritur, ut cognoſcatur *ipſa convertibilitas*, ſeu prædicatum *eſſe convertibile cum Deo*, ex quo tantùm ſequitur, quòd quis non cognoſcat *Deum clarè quà talem*, id quod non requiritur ad peccatum; ſecùs nemo Infidelium offenderet verum Deum, quia, licèt Ens quoddam ſupremum agnoſcant, hoc tamen prædicatum tribuunt *Jovi*, aut alteri creaturæ. Unde hæc ignorantia eſt *tantùm vincibilis:* cum enim etiam cuivis rudi conſcientia dictet, inhoneſtum *univerſaliter*, & *ubique* vitandum, conſequenter *dari poteſtatem ſupremam, efficaciter obligantem*, quæ nun poteſt eſſe natura rationalis, Legislator humanus, ſeu Reſpublica, *utpote defectibilis*, jam habet quivis notitiam Dei *confuſam*, ùt ſupra diximus, adeóque ignorantiam *vincibilem*. Sic ſi quis ſciens dignitatem regiam, quamvis illam per errorem applicet ruſtico, contemnat, jam cenſetur formaliter offendiſſe verum Regem, nec prætendi ab alio poſſe ignorantiam Regis invincibilem.

(a) In Pſal. 57.

ter docent, forèque abſurdum dicere, alterutros peccare ob ignorantiam merè vincibilem.

Bonaventura affirmat, eſſe obligationem naturalem poſt lapſum gravem, illicò ſeſe reſtiruendi in ſtatum gratiæ; *ſic Thomiſtæ* affirmant, *Scotiſtæ* negant, innocentem, à judice privata notitiâ cognitum *ut talem*, poſt allegata & probata contraria condemnari poſſe ad mortem. * *2.* Sequeretur, plures, inſigniter Sanctos, peccâſſe *contra jura naturæ* v.g. *S. Marcum*, abſcindendo ſibi pollicem, ne in Sacerdotem conſecraretur; Abbatiſſam, denaſantem ſuas, ob periculum perdendæ virginitatis, & ſic de alijs. Vel certè dicendum, habuiſſe ſpeciales inſpirationes, ſeu revelationes, quod, quia probatu difficile, dictu haud facile.

Sequeretur, peccâſſe plures Sanctos.

Omnes inſuper, qui ſequuntur ſententias minùs tutas.

3. Sequeretur, quòd cùm juxta Adverſarios *juris Naturæ* ſit, ſequi ſententias magis probabiles, & magis tutas, omnes hoc negantes, laborarent vincibili ignorantiâ, & operando peccaverint: immò ſequeretur, neminem poſſe ſequi ſententiam minùs tutam, verſantem circa jus Naturæ, etſi foret *probabiliſſima*, id quod *ab Alexandro* VIII. meritò eſt damnatum. **

Immò ſequeretur, dari non nunquam neceſſitatem peccandi inevitabilem.

4. Sequeretur, dari *ſæpe neceſſitatem peccandi inevitabilem*, ùt patet in Judice, *probabiliùs* judicante contractum, *reverà uſurarium*, non eſſe *uſurarium*: ſi enim jubeat ſolvere, peccabit, jubens ſolutionem uſurariam, vincibiliter ignoratam; ſi non jubeat, peccabit contra decretum *Innocentij* Undecimi, *** vi cujus tenetur ferre ſententias juxta probabiliorem. Patet item in Officiali, qui juſſu Principis debet inire contractum, *reverà uſurarium*, ita tamen, ut & Princeps & Officialis id neſciat. Officialis ſiquidem neceſſariò peccabit vel contra obedientiam Principi debitam, vel contra jus Naturæ, ineundo contractum uſurarium, vincibiliter ignoratum, & ſic de alijs. Ex quibus haud dubiè ſequitur, *ab Innocentio* XI. rectè confixam fuiſſe hanc theſin, *à Lovanienſibus* quibusdam Theologis malè defenſam in Collegio *Adriani*. 12. *Julij*: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris Naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contrà jus Naturæ agit.* ****

℞. III. *Momenta in contrarium afferri ſolita videntur nullius momenti.*

Adverſariorum fundamenta nil evincunt. Nam Authoritas Antiquorum.

Opponi ſolet 1. *Authoritas.* Oppoſita ſententia eſt pene omnium Antiquorum. *2.* Eſt *S. Auguſtini*, ſæpiùs dicentis, *multos peccaſſe ignorantiâ, atque neceſſitate:* eſt itidem *Angelici* ſtatuentis, ignorantiâ juris non excuſari fornicationem: (a) eſt *Innocentij* Papæ, damnantis *Simoniacum*, ignorantiæ titulo defenſum. 3. Eſt Patrum in Synodo *Paleſtinæ* damnantium hanc propoſitionem: *oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quia non ſecundùm voluntatem, ſed neceſſitatem eveniunt.* 4. Eſt Juris conſultorum (b) qui ſtatuunt ignorantiam *facti excuſare, non juris; unde & Gratianus: omnis ignorantia juris naturalis in omnibus adultis eſt damnabilis.*

Vel probaret nimium, vel intelligenda eſt de ignorantia vincibili.

℞. I. *In genere. D. A.* Et hæc authoritas vel probat *nimium*, vel intelligenda eſt de ignorantia, *ſolùm vincibili.* C. Secùs. N. A. & C. Probat *nimium*, quia negaret etiam ignorantiam invincibilem juris poſitivi, tam humani, quàm Divini; immò & facti, quod certò falſum.

℞. II. *In ſpecie*: ad 1, Antiqui nonnulli

---

* *Certè S. Auguſtinus* docuit ſimulationem non eſſe licitam, oppoſitum docente S. *Hieronymo* epiſt. 11. *ad Auguſtinum. Caſſianus*, Vir ſanctus, & doctus, putavit, mendacium officioſum in circumſtantiis v.g. *ſalvandæ alterius vitæ eſſe licitum.* Sic alius *apud Saraſam in arte ſemper gaudendi.* P. 2. §. 6. ex zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum baptizabat *Maurorum* infantes, à Parentibus abſtractos, ſtatimque trucidabat, ne ad Parentes reducti denuò ſeducerentur. Addit *P. Viva*, eſſe, qui admittant, etiam circa pollutionem, poſſe eſſe ignorantiam invincibilem, etſi rariſſimam.

** Propoſ. 3. *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.* Certè ipſi *Lovanienſes*, hac ex parte nobis contrarij, uti teſtis eſt *Ludovicus de Schilderen*, docuêre oppoſitum. Sic *Lovanienſis Rector docuit, licitum eſſe cenſum perſonalem; ipſe Janſenius* in quinque propoſitionibus famoſis, an non docuit minus probabilia & minus tuta?

*** Damnantis propoſitionem, qua ſtatuitur, Judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem.

**** Refert *Claudius la Croix* Tom. 1. Theolog. moral. L. 1. de Legibus n. 726. f. m. 412. confixam eſſe hanc propoſitionem *Romæ* Anno 1685. 8. Auguſti.

(a) 3. p. Q. 80. a. 4. ad 5. Quodl. 8. a. 13.

(b) Reg. juris in 6.

nulli neque admiserunt ignorantiam invincibilem juris Divini, quod utique nimium. Plures tantùm negârunt invincibilem ignorantiam *totius juris naturalis*, *primorum principiorum*, aut *talium*, quæ cum primis principijs sunt *evidenter connexa*; aut denique aliorum, quorum notitia facilè haberi potest; aut certè de quibus habetur dubium, seu scrupulus, quibus in circumstantijs non refragamur. *Ad 2. S. Augustinus* loquitur tantùm de ignorantia *vincibili*, vel invincibili, ùt effectu, pœna, vel causa peccati. Item de necessitate, seu impossibilitate *morali* vitandi omnia venialia peccata, etiam collectivè sumpta. *Angelicus* dicit fornicatorem inexcusabilem, quia præsumitur ignorantia *vincibilis*, cùm præceptum non forniciandi facilè sciri queat: nam alibi nostram adstruit expressè sententiam. (a) Sic *ab Innocentio* damnatus *est simoniacus ex præsumptione ignorantiæ vincibilis*, & quidem tantummodò in foro externo.

Ad 3. Patres in synodo *Diospolitana*, damnando illam propositionem simpliciter, damnâssent omnem ignorantiam invincibilem, *etiam facti*, quod nimium: ergo censendi sunt, non nisi *vincibilem* damnâsse. Adde, quòd Synodus damnârit illam propositionem *in sensu Pelagij*, hoc est, *ignorantia non subjacet peccato*, seu non habet originem, *ex peccato originali*, quod affirmârat *Pelagius*. *Ad 4.* Regula illa juris in 6. solummodò vult, *quòd in foro externo* non præsumatur ignorantia juris, *ordinariè* loquendo: nam in valde rudibus etiam ista præsumi potest. Unde *Gratiani* textus de primis, vel primo primis juris naturalis principijs intelligendus est.

Etsi DEUS obliget.

Opponi solet II. DEUS obligat ad omnem legem naturalem: ergo debet esse cognita. 2. Lex foret semper cognita, si homo oraret: ergo ignorantia non est invincibilis. 3. Ignorantia juris naturalis saltem est voluntaria *in radice*, seu *peccato originali*. 4. Saltem abesse nequit aliquis scrupulus: ergo jam est *vincibilis* ignorantia.

Obligat tamen solùm remotè, neque suffi-

℟. Ad 1. D. DEUS obligat ad omnem legem, *etiam positivam*, semper *proximè*. N. A. Saltem *remotè*. C. A. *Ad 2.* Si homo oraret, & leges *positivæ* forent semper cognitæ: ergo nec in istis habebit locum invincibilis ignorantia, quod utique nimium. Doctor *Angelicus* & *Seraphicus* orârunt, & tamen circa jus naturale docuerunt opiniones contrarias. Nec obest, quòd DEUS velit omnes salvos fieri, cùm ad hoc opus non sit tolli omnes ignorantias juris naturalis, quia non omnia sunt *de necessitate medij*, primis nempe principijs exceptis. *Ad 3. D.* Est voluntaria voluntate *moraliter* propria. C. Proptia *physicè*, id quod requiritur. N. Argumentum eliminaret ignorantiam invincibilem, *etiam in positivis*; immò probaret, quòd nec amentia excuset à vincibili ignorantia, & quòd malè *Alexander* VIII. damnârit propositionem primam *Jansenij*: *In statu naturæ lapsæ sufficere ad peccatum libertatem in causa, seu peccato originali. Ad 4.* Hic scrupulus præsumi nequit, saltem in rudibus: neque levis scrupulus impedit, sequi sententiam, minùs tutam, sed debet contemnî, formarique dictamen moraliter certum de licentia actionis, uti dictum.

cit voluntas, moraliter propria, in peccato originali.

Opponi solet III. Nequit dari ignorantia invincibilis legis Naturæ, *saltem universalis*: ergo neque legis *particularis*, contentæ sub universali. 2. Ipsa natura refugit, quæ sunt contraria juri naturæ, dicente *Tertulliano*: (b) *Ipsa nos docet natura, quæ instar legis est ignorantibus legem*: ergo ignorantia invincibilis esse nequit. 3. *Alexander* VIII. tantùm decrevit, posse aliquem operari juxta sententiam *probabilissimam*, & *minùs tutam* in materia *juris positivi*, non *naturalis*: ergo nil infertur ex propositione damnata. 4. Patres & Doctores cùm defendunt sententias minùs tutas, *etiam in materia juris naturalis*, nil suadent: ergo non peccant, ùt suprà intulimus.

Etsi leges particulares sint contenta sub universalibus principijs juris naturæ.

℟. *Ad 1.* Retorquendo. Nequit dari ignorantia legis universalis v. g. *parendum est præcepto legitimi Superioris*: ergo nec legis particularis *humanæ*, sub illa contentæ. *D. C.* Ergo nec particularis, *manifestè*, & *evidenter* connexæ, atque contentæ. C. Tantùm connexæ *probabiliter*, & quò ad applicationem determinatis in circumstantijs contentæ solummodò *dubiè*, & *incertè*. N. C. *Ad 2. D. A.* Ipsa natura refugit, & *est instar legis*, quò ad prima prin-

Non tamen ipsa hæc connexio est tam evidenter cognita, ignorari ut nequeat.

(a) 1. 2. Q. 76. a. 3. ubi ait, si sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, *sive quia est invincibilis*, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, *talis ignorantia omnino excusat à peccato*.

(b) Contra *Marcionem L. 5. c. 13.*

principia, atque conclusiones, *immediatè* & *clarè* inde deductas. C. A. Quò ad alia. N. A. & C. Accedit, quòd, licèt quis nollet agere aliquid coram aliis, non ideò statim agnoscatur *inhonestas moralis*, cùm *honestas*, & *verecundia* naturalis quædam vetet fieri publicè, quæ tamen non sunt moraliter inhonesta, uti per se patet. *Ad* 3. N. Quia *de jure positivo* nullum ibi motum est dubium, sed *de jure naturali*, de quo agebant theses, à quibusdam Doctoribus *Belgis* promulgatæ, atque *ab Alexandro* reprobatæ. *Ad* 4. *N.* Nam Patres, docentes minùs tuta contra jus naturæ, docerent illicita jure naturæ, & quidem, uti Adversarij volunt, *ex ignorantia vincibili:* ergo peccarent. Adde, quòd sæpe afferant, ejusmodi sententias in praxi tutas.

Ignorantia in officio universali, ex jure naturæ proprio, saltem quò ad secundaria potest esse invincibilis.

Opponi solet IV. Ignorantia illorum, quæ sunt *officii proprii*, nunquam excusat à culpa, teste Angelico, *quia ea quivis tenetur scire:* ergo dari nequit ignorantia invincibilis juris naturæ, *cum* jus hoc sit *de officio omnium*, ratione utentium. 2. Suppetunt plurima exempla in Sacris paginis, ubi ignorantia, *etsi invincibilis*, punita velut culpabilis. V. g. in *Jonatha*, ignoranter comedente de melle; in Gentibus, quas *Paulus* dicit inexcusabiles, etsi nil *de Christo* unquam audierint, quia saltem *indirectè* noluerunt credere, tradentes se vitiis, pariterque *de facto* in multis Idololatris, qui errorem, velut legem religionis, custodiunt. Item in Acatholicis, errori velut veritati sic inhærentibus, ut de eo nec dubitare sibi licitum putent. 3. Saltem conscientia, formata secundùm ejusmodi ignorantiam invincibilem, non faciet operationem, *positivè* honestam.

℟. D. A. Ignorantia eorum, quæ sunt officii proprii *particularis* v. g. Judicis &c. nunquam excusat. T. Quæ sunt officii *universalis* hominis, quale est *honestè vivere*; vel etiam *Christiani*, quale est *vivere Christianè*, *Subdist.* Nunquam excusat *quò ad obligationem* in secundariis. N. A. Quò ad obligationem in primis principiis. C. A. & N. C. Cùm *ratio officii latissimè* pateat, & contineat plurimas obligationes, ac diversissimas, possunt quædam secundariæ, saltem ad tempus, *invincibiliter* ignorari, ideóque, licèt *per se loquendo* quis obligatus ut ad ea facienda, *per accidens tamen* proximè non obligatur, quia hic & nunc, *loquendo moraliter*, non est proximè potens similia scire. *Ad* 2. *N.* Suppositum, quòd interveniat ignorantia *invincibilis*. *De Jonatha* lex illa merè fuit humana, ubi nec Adversarii negant impossibilitatem ignorantiæ invincibilis. Unde si minùs peccavit gustando, fortè peccavit informatus de lege, eandem improbando, & populum inducendo ad comedendum, uti innuit contextus. *Quò ad Gentes* supponit *S. Paulus* ignorantiam vincibilem; secùs malè damnata foret hæc propositio *Baiana* 68. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Quò ad Idololatras ex iis, quæ diximus, *saltem aliquo tempore* possibilis est ignorantia invincibilis unius Dei, adeóque tales, saltem loquendo *in genere*, theologicè non peccarent. Quò ad Acatholicos, notum est, dari posse hæreticos merè materiales. *Ad* 3. *N. A.* Quia talis conscientia, saltem *ethicè* recta, foret; ergo refundet positivam honestatem in actum, uti suprà jam diximus.

§. IV.

§. 4. De mendis protestanticis.

Quæritur VIII. Quibus alogiis in fine actionum humanarum exerrant protestantici Moralistæ?

Puffendorfius adæquato actionum moralium fine adstruit felicitatem, termino vitæ conclusam.

℟. I. *Puffendorfius cum suis, spectato statu merissimè naturali, pro fine actionum moralium ultimato & adæquato, adstruit non nisi felicitatem, hujus vitæ terminis conclusam.* 2. *Sed adstruit errore, etiam à suis Theosóphis rectissimè culpato.* 3. *A se malè defensò.* 4. *Quia juris naturalis eversivo.* 5. *Periculoso, ac perniciosò, neque parùm olente pestiferum Epicurismum.* Ne quid ex præjudiciis dixisse videamur, probemus membratim omnia.

P. *Quò ad I.* In strictúris *contra Josuam Schvvarzium* reponit: (a) *Jus naturæ, quod hoc libro traditur, ex jus vitæ lumine rationis cognoscitur, & tranquillitatem hujus vitæ pro fine*, (ùt habet contextus) *ultimato habet.* Alibi: (b) *Juris naturalis, quatenus peculiarem disciplinam constituit, cujus principium unicum est lumen rationis,* finis

(a) In Apolog. f. m. 60.
(b) In epist. ad amicos f. m. 111.

finis ac usus intra terminos hujus vitæ coërceatur. Hæc alibi passim. (a)

Sed errore, etiam à suis rectè culpato, quos inter Leibnitius.

P. Quò ad II. Rectè inter alios *Leibnitius* hoc *Puffendorfianum* principium & reprehendit, & elisit, scribens: (b) *Firmum argumentum, & bonum omnibus* (ut cætera prætoream nunc silentio) præbet ipsa Divini Numinis agnitio, quam rectè admittit Author, & inter *ipsa juris Naturæ fundamenta* meritò collocat. Neque enim dubitari potest, Rectorem Vniversi sapientissimum, eundémque potentissimum, bonis præmia, malis pœnas destinâsse, & exequi destinata in futura vita, *quando in hac præsente pleraque impunita, impensataque transmitti, constat.* Itàque negligere hîc futuræ vitæ curam, quæ cum Providentia Divina inseparabiliter connexa est, & contentum esse inferiore quodam juris Naturæ gradu (puta felicitate hujus tantùm vitæ) *qui etiam apud Atheum valere possit,* est scientiam pulcherrima sui parte multare, & multa quoque hujus vitæ officia tollere. *Cur enim aliquis pro Patria, pro recto & justo, discrimen fortunarum, dignitatum, vitæque ipsius subeat, si eversis aliorum rebus ipse consuleret sibi, & in honore, atque opulentia vitam ducere possit?* Nam uni nominis immortalitati, famæque posthumæ, id est, rumoribus, unde nihil ad nos perveniat, vera ac solida bona posthabere, quid aliud, quàm splendida stultitia fuerit? Sublimior est, pleniórque disciplina juris Naturæ, * *quàm ut omnia vitæ præsentis commodis metiatur.* Quin ampliùs nisi quis ita natus, institutúsve sit, ut insignem in virtute voluptatem, & in vitiis molestiam inveniat (*quod non est cujusvis*) nulla ratione à magno scelere deterrebitur, quo ingentia bona impunè sibi parare possit: *sit spes fallendi, miscebit sacra profanis. At Divinam vindictam in futurum, neque vitam productam nemo fallet, eáque firma ratio est, qua homines omnem juris obligationem in factum traduci debere intelligant, si sibi ipsis consulere velint.* Ita ille.

Ast malè defenso per hoc, quòd alterius vitæ felicitas sit æterna, non nisi supernaturali lumine cognita.

P. Quò ad III. Ad hæc, & similia argumenta quid reponit *Puffendorfius*? Jus naturæ, inquit, tantum respicit probitatem, naturæ viribus operabilem, finémque naturæ congruum, hoc est, felicitatem hujus vitæ temporalem: ergo *impertinenter* Naturæ aptatur secuturæ vitæ *æterna felicitas*, quæ supernaturalis, & nota esse nequit, nisi ex revelatione, ac *Christi* promissione: ergo, *miscendo rotunda quadratis*, Naturæ præfigitur pro fine æterna salus, & Theologia moralis imperitè confunditur cum disciplina juris Naturæ, cùm illius, non hujus sit, *Christianum* hominem informare ad honestatem vitæ, *in Cælis præmiandam.* (c) &c. Sed

Cùm natura respiciat alterius vitæ felicitatem merè naturalem.

℞. Hæc & similia *impertinenter*, & admodùm *imperitè* oggeri à *Puffendorfio*, *merissimè ad eludendum argumentum.* Nam C. A. D. C. Ergo *impertinenter* Naturæ aptatur pro fine secuturæ vitæ felicitas *æterna, supernaturalis, Christiana*, ex sola revelatione nota. C. C. Ergo *impertinenter* pro fine præfigitur alterius vitæ *felicitas naturalis, qualiscunque, sub ratione præmii*, quæ ipso lumine naturæ non tantùm nota est, sed nota esse *evidenter debet.* N. C.

Neque pœna, vel præmium alterius vitæ sit solùm probabile.

Unde colliges nugas *Weberi*, apologetæ *Puffendorfiani* contra *Leibnitium*, dum ait: 1. Quòd Creator bonis præmia, malis pœnas destinet pro vita altera, quando in hac *ordinariè* id fieri non soleat, *speciosa probabilitatis vim non excedere*: ergo *Epicurei*, nil obstante *Webero*, & *Puffendorfio*, contra Moralistas naturales tutò triumphabunt: ergo fundamentum omnis honestatis *non nisi speciosæ probabilitati* innitetur. Quid inanius?

Dum

(a) In præfatione de officio hominis, ac civis. §. 8. *Illud porro discrimen longè maximum, quòd finis hujus disciplinæ, juris naturalis, tantùm ambitu hujus vitæ includatur.*

(b) *In epist. de principiis Puff.* f. m. 10.

* Addit: *exposita secundùm disciplinam Christianorum, immò veterum Philosophorum.* Non quòd disciplina *Christiana, quà talis, seu quà revelata,* debeat fundare principia juris Naturæ, uti malè glossatur *Weberus*: sed quòd disciplina *Christiana, qua talis,* seu prout congruit principiis juris Naturæ non debeat excludi, inter quæ principia est, notitia alterius vitæ, saltem *sub ratione præmii* naturalis *qualiscunque, & quomodocunque* in ordine ad felicitatem, *seu finem ultimum,* Naturæ rationali propositum.

(c) In epist. ad amicos f. m. 111. In præfat. de officio hominis, & civis. §. 8. & alibi passim.

Aut DEI justitia incerta.

Dum ait 2. Ab homine naturali, de DEI justitia certi quid statui haud posse, cùm etiam sanctissimis viris hæ meditationes crucem subinde fixerint. At *D. Origenistis* crucem fixit Divina justitia, ùt puniens peccata *simpliciter* in vita altera. N. Ut puniens peccatum momentaneum *ipsa pœna æternitate.* C.

Adeóque & vita altera spectato jure naturæ, quæ sapiunt ethicam Epicuræam.

Dum ait 3. Puffendorfium, statuendo pro fine felicitatem hujus solummodò vitæ, voluisse evitare suspicionem, ac si gratiam salutis æternæ *per virtutum studium, & opera* acquiri posse, sibi persuaderet. At seu studuerit evitare *Pelagianismum*, seu voluerit adstruere *Protestantismum*, certè non evitavit suspicionem *Epicurismi*, jus naturæ restringendo ad vitæ hujus terminos.

Unde jus Naturæ, foro solùm externo accommodatum, est jus oppidò mancum.

Dum ait 4. Puffendorfium Naturæ præfixisse terminum *civilis* felicitatis, eò quòd jus naturæ tantùm voluerit adaptare *foro humano*, nec quidquam adhibere, *quod Christianorum* est proprium, quale est præmium, vel pœna alterius vitæ. Sed jus naturæ foro solùm humano, seu beatitudini merè civili, adaptare, est jus naturæ *corrumpere*, non excolere, quod profitetur *Puffendorfius.* Item: non *Christianorum* solummodò, sed omnium cujuscunque Religionis, proprium est, scire præmium, vel pœnam, *saltem naturalem in vita altera* destinatam, cum sit *fundamentum omnis honestatis*, & *sit*, ac *doceat* esse lumine naturæ notum.

Nec sufficiens convincendo Atheo.

Dum ait 5. Beatitudinem hujus vitæ civilem esse gradum, naturæ jure sufficientem, ut Athei convinci possint. Sed Rex atheus, totâ vitâ felicissimus tyrannus, parùm tremet *ad Puffendorfij DEUM, spectato naturæ jure* (cui *soli* Atheus autem commodat) non *nisi in hac vita* punientem; immò hoc ipso DEUM dari non credet, eò quòd in se, & sui similibus, experiatur sceleratissimos in hac vita *plerumque* felicissimos; honestissimos verò infelicissimos.

Nec Ethnici, pro salute Patriæ prodigentes vitam, speraverant felicitatem supernaturalem revelatam.

Dum ait 6. Etsi ponatur, quosdam ipsam quoque vitam prodegisse pro salute Patriæ, non famæ gratiâ, sed spe meliorum bonorum, ex hoc tamen minimè sequi, finem jurisprudentiæ naturalis esse consecutionem salutis æternæ. Sed denuò nugas agit *Weberus*: non enim *Leibnitio* sic fuit vacuum syncipur, ut beatitudinem supernaturalem naturæ pro fine supponeret, sed beatitudinem animæ immortalis, *saltem naturalem*, etiam absque revelatione innegabilem; vel saltem felicitatem animæ *non mortalis*, sub ratione pœnæ, vel præmij duraturam, & ipso lumine Naturæ notam, spetatámque ab illis quoque, quos ùt Heroes, vitæ prodigos, pro salute Patriæ celebravit gentilis quoque Antiquitas.

Adeóque, abstrahendo à vita altera, officia hominis à Puffendorfio nequaquam planiùs,

Dum ait 7. Ex Puffendorfij principijs hæc officia hominis, pro salute Reipublicæ bona omnia exponentis, *tutiore*, & *planiore* via deduci. Sed qualis hæc via tutior? An obligatio felicitatis publicæ promovendæ? Sed quis *ad tam ardua obligabis* sine *congruo præmio*, ut facere debeas? Quis sine *proportionata pœna*, ut, quæ facere debes, non omittas?

Sed planè inaniter sunt probata.

Dum ait 8. Absque meditatione futuræ vitæ *firmas esse rationes*, ob quas legibus naturalibus obsequendum esse, homo intelligat. Sed unde rationes *hæ firmæ*? Ab obligatione legis Divinæ, vel humanæ? At illa sine præmio & pœna *inevitabili* enervis; ista in internis defectibilis. Tanto nempe verborum apparatu opus erat *Webero*, ut *Puffendorfij* lumbricos ad quemdam fucum expingeret, ac excusaret.

Adstruit idipsum errore, juris naturæ eversivo, periculoso, ac perniciosò.

P. Quò ad IV. & V. Error, qui adstruit pro fine juris naturæ *ultimato* & *adæquato* beatitudinem aliquam merè civilem, seu felicitatem hac solummodò vitâ terminatam, facit obligationem juris naturæ *enervem*, *defectibilem*, neque *sufficienter allicientem* ad bonum, neque *efficaciter* abstahentem à malo, *ubique, semper*, & *ab omnibus* fugiendo: ergo hic error est juris naturæ *eversivus, perniciosus*, multumque olens *Epicurismum*, vitæ hujus spatio pariter terminatum.

Quia facit obligationem juris Naturalis inefficacem, nec sufficienter allicientem ad bonum, nec sufficienter abstrahentem à malo.

A. P. Supponendo 1. Tanquam principio evidenter noto, quòd lex, sine pœna & præmio, sit ad obligandum inefficax; quòd nec virtus, nec vitium, saltem *respectu omnium*, possit esse sufficiens seu præmium, seu pœna *sui ipsius.* Supponendo 2. *Tanquam principio experimentaliter innegabili*, quòd pleraque gravissima scelera, maximè Potentum, in hac vita maneant *impunita*, & virtutes maximè heroicæ *haud præmiata*, id quod saltem de vitijs & virtutibus, in ipso mortis articulo plerumque elicitis, *evidenter* constat: item, quòd flagitiosissimi, & in ipsa Naturæ jura maximè injurij non rarò per totam vitam sint felicissimi; honestissimi quique miserrimi, id quod etiam in ipsis Regnis, atque Rebuspublicis v. g. Turcicis, Paganis &c. patet ad oculum.

Jam

Jam ſic: obligatio juris naturæ, *abſtrahendo penitus à vita altera*, ſubinde foret *abſque ulla abſolutè pœna, ac præmio*, uti patet in pijs *conſtanter* miſeris, impiiſque *totâ vitâ* felicibus; vel ſaltem foret ſub *præmio incerto*, ſeu *pœna evitabili* certis in circumſtantijs, ipſo nempe mortis articulo: ergo foret *enervis, ac defectibilis, nec ſufficienter* alliciens ad bonum, nec efficaciter abſtrahens à malo, *ubique, ſemper, & ab omnibus* fugiendo. C. liquet: nam talis error facit ruere obligationem *indefectibilem* naturæ ad prima principia *honeſti, decori, & juſti*; negat humano Generi media, ad conſequendum finem neceſſaria, immò ad honeſtatem vitæ indiſpenſabiliter requiſita, facitque *Naturam peſſimè conſtitutum* cum præjudicio ſui Creatoris.

Saltem univerſaliter, utpote ſoli beatitudini civili innixa.

Neque dicat *Puffendorfius*, beatitudinem civilem per ſua commoda participata, & evitata incommoda, eſſe ſufficiens præmium, ſeu incitamentum ad naturæ, & ſocialitatis leges *inviolabiliter* obſervandas. Nam

Contrà eſt 1. Sicut hæc commoda non ſunt *ſemper* ſingulorum; ita non ſunt *ſufficiens* medium *ubique, & ſemper ad efficaciter* obligandos illos, qui ſe & ſua, cum maximis incommodis deberent ſacrare alienæ felicitati, ſeu Reipublicæ.

Contra eſt 2. Hæc ipſa felicitas non eſſet toti Reipublicæ *ſufficiens* medium ad vitæ honeſtatem ſectandam: ſi enim foret ultimus Naturæ finis, talis Reſpublica, ſub comminatione excidii, licitè Deum blaſphemare poſſet, quod vel in terminis eſt abſurdum.

Quòd Religio, ſpectato jure naturæ, ſit hujus vitæ termino clauſa, theſis ejuſdem Puffendorfii eſt, æquè malè aſſerta.

℞. II. *Æque malè aſſerta, pejùs defenſa, quia naturalis juris everſiva, periculoſa, ac pernicioſa theſis eſt Puffendorfii, qua ait: Religionem, quatenus ad diſciplinam juris naturalis pertinet, intra ſphæram hujus vitæ terminari.* (a)

Declaratur 1: Quòd ſit theſis malè aſſerta. Eſt ſublativa præmii & pœnæ ſufficientis, ac neceſſariæ ad obligationem juris naturæ *univerſalem, efficacem, ac indefectibilem*, uti fluit ex aſſerto priore: ergo. Rurſus: teſte ipſo *Puffendorfio*, (b) in diſciplina juris, merè naturalis, *de religione non ultrà tractari poteſt, quàm quatenus homines per eandem ad vitam hancce, honeſtè exigendam, diſponuntur*: atqui per pœnam, vel præmium, ſaltem naturale alterius vitæ, *homines ad vitam, honeſtè exigendam, diſponuntur*, aliter non diſponendi, ſaltem *univerſaliter, & efficaciter*: ergo de religione, *quatenus docet præmium vel pœnam alterius vitæ, ſaltem naturalem*, in diſciplina juris naturalis tractari *poteſt*, immò neceſſariò *debet*.

Pejùs defenſa, transiliendo impertinenter ad Religionem ſupernaturalem.

Declaratur 2. Quòd ſit pejùs defenſa. Nam theſi ſuæ hanc ſubdit rationem *Puffendorfius: Quia ex ſola Religione naturali jam nemo ſalvatur: ſecùs enim quis cogeretur admittere, dari viam ſalutis æternæ extra Chriſtum.* Nugæ! Rurſus malignè diſſimulat Author naturale præmium, ſeu beatitudinem alterius vitæ qualemcunque, Naturæ, ſuis viribus relictæ (de qua ſola hic ſermo eſt) *evidenter* debitam, & ùt talem *ipſo lumine naturæ* cognitam, ſicut ſuprà demonſtravimus. Rurſus ſubdolè ſtatum naturæ transfert ad elevatum, & ad præmium ſupernaturale, de quo, *veluti Naturæ debito*, Moraliſtæ naturales, jus naturæ *ad captum omnium*, eujuscunque ſectæ, etiam paganæ, juxta *Puffendorfii* mentem tractaturi, ne quidem ſomniant.

Quam utiq; nemo dicit, reſpici à Natura quà tali.

Subdit. 2. (c) Rationem humanam, *ſibi relictam, & abſque Divinis litteris*, ignorare pravitatem naturæ corruptæ proveniſſe *ex culpa*, ſic exitium æternum promerita, ut orta fuerit neceſſitas Salvatoris ad æternam ſalutem hominibus procurandam. Sed

Contrà eſt: Præterquàm, quòd iſta oleant *Bajaniſmum*, in prolegomenis reprobatum, * videanturque adſtruere neceſſitatem *abſolutam* ſeu incarnationis divinæ, ſeu ſtatùs elevationis ad beatitudinem ſupernaturalem, *evidens* eſt, quoſdam Gentiles, *etſi invincibiliter ignorantes ſtatum elevationis*, ſolo naturæ jure obligari *efficaciter, ubique, & ſemper* ad honeſtatem vitæ ſectandam, inhoneſtatémque vitandam; & denuò *evidens* eſt, *efficaciter* eos obligari non poſſe ſine pœna vel præmio alterius vitæ, uti patet ex dictis. Jam ſic; præmium ſupernaturale *invincibiliter* ignorant: ergo ſaltem cogno-

(a) In append. ad Apologiam f. m. 90. In ſpicilegio §. 16. f. m. 295. In ſpecimine controv. c. 16. §. 2. f. m. 274. & alibi paſſim.

(b) In ſpecimine. L. c.

(c) L. 1. c. 4. §. 8. f. m. 73. De officio hominis & civis.

* Quo docuit, *hominem initio non potuiſſe creari talem, qualis nunc naſcitur.*

gnoſcunt naturale, *pro illis circumſtantijs* à natura propoſitum, cognituri pro alijs, *ſi nempe faciant, quod eſt in ſe*, etiam *ſupernaturale.* Secùs enim natura, *in ſe ſpectata*, deſtituta foret neceſſarijs medijs ad honeſtatem vitæ, ac finem, id quod evidenter falſum.

tſi reſpiciat vitam alteram, ſaltem ratione pœna vel præmij naturaliter duraturam: quidquid ſit de poſitiva animæ immortalitate.

Subdit 3. (a) Pœnam vel præmium vitæ alterius niti ſuppoſito animæ, *naturaliter immortalis*: atqui hoc ſuppoſitum *è ſolo verbo DEI* hauritur; in ipſa natura, quæ ultra hanc vitam ſe non extendit, nil habet *apodicticæ certitudinis*, ſed *meriſſimæ probabilitatis*, è qua originem trahit & illa plerorumque Gentilium perſuaſio *de animæ immortalitate*, niſi eandem forſan & ipſi *ex conſuetudine Hebræorum, Divinisque litteris* * hauſerint. Sed

Contra eſt 1. Quod rectè animadvertit *Leibnitius* proteſtanticus: (b) *Licèt tam verum eſſet, quàm falſum eſt*, immortalitatis animæ *plenam* demonſtrationem *à naturali ratione* non ſuppeditari, *ſufficeret* tamen demonſtratio moralis extrinſeca: *neque enim aut conſenſus omnium pene Gentium, aut inſitum deſiderium immortalitatis ſperni poſſunt.* Inde eſt, quòd ſuprà animæ immortalitatem *ex ratione intrinſeca*, ac *naturali inſtinctu* diximus *demonſtrabilem ſuo modo*; ex *ratione* tamen *extrinſeca*, ſeu *morali*, *evidenter innegabilem.* Sed negat hoc *Puffendorfius*, ejúsque Scholiaſtes *Weberus* cum alijs. Sit: nihiloſeciùs theſin ſuam non fulciunt. Nam

Contra eſt 2. Quòd, animam non eſſe mortalem cum corpore, ſed *ex natura ſua* manere ſuperſtitem, *ſaltem ad pœnam vel præmium qualecunque*, ſit principium, ipſo lumine naturæ notum, quod ſufficit ad demonſtrandam falſitatem theſis *Puffendorfianæ*, patètque ex dictis. Sed & hoc ipſum ijdem negant, expreſsè dicente *Webero*: (c) *probabile ſolùm viſum eſſe pleriſque Gentilibus, animam cum corpore non interire*: ergo negant *Epicuraiſmum* naturali demonſtratione refutabilem: ergo negant, *evidens eſſe*, quòd homini ſuppetant media, ad honeſtè vivendum *indiſpenſabiliter* requiſita. Quid ſequitur? Hoc, quòd Naturæ jura, dum ſeſe excolere venditant, ipſa prima Naturæ principia jugulent, ac convellant; quòd theſes ponant, *juris naturæ everſivas, periculoſas, pernicioſas, ac Epicuraiſmum olentes*, id quod erat demonſtrandum.

℞. III. *Pariformiter malè aſſerta, quia falſa; pejùs excuſata, quia periculoſa, ac pernicioſa theſis eſt Puffendorfij, qua diſciplinam juris naturalis primario, & maximam partem ad externa, non verò interna dirigendam eſſe, ſtatuit.* (d)

Quòd diſciplina juris naturæ præcipuè externis, non internis adaptanda ſit.

P. primum membrum. Officia hominis *interna*, tam erga Deum, quàm erga ſeipſum, immò & proximùm, ſunt *objectum* juris naturalis *formaliter proprium, neceſſarium*, & quidem *primarium*, ac ad honeſtatem *præcipuè regulandam* primariò requiſitum, è quibus internis externa officia, velut *imperata* tantummodò, profluunt, nec niſi *denominativè* honeſtatem ac bonitatem participant: ergo *malè aſſerta*, ac *falſa* theſis eſt *Puffendorfij*, quæ actiones internas in diſciplina juris naturalis tractandas ſtatuit ſolummodò *ſecundariò*, quaſi *per accidens*, ſupponendo potiùs velut huic diſciplinæ *improprias* & ad aliam ſcientiam, Theologiam nempe moralem, reijciendas.

Denuò Puffendorfij theſis eſt, malè aſſerta, quia manca in officijs erga Deum, & ipſum hominem.

P. II. membrum. Excuſationes, *cur hujus doctrinæ non pœnituerit Puffendorfium*, ſunt 1. (e) Quia actiones hominis internæ ad Ethicam ſpectant, ſupponendæ ex Theologia morali, non *confundendæ* cum diſciplina juris naturalis, *uti Scholaſtici, & fermento Scholaſticorum infecti Theologi, Jureconſulti,*

Eſt pejùs excuſata, quaſi interna pertinerent ad Ethicam.

(a) In præfat. L. de officio hominis. §. 8.

* *Weberus*, Scholiaſtes *Puffendorfii*, in epiſt. *Leibnitianæ* notis. f. m. 9. inquit: *immò poſſunt Gentiles eam perſuaſionem habuiſſe ex traditione, aut converſatione cum Judæis, quemadmodùm etiam alia, ad divinam revelationem primariò ſpectantia, iſtis modis ad notitiam Gentilium pervenerunt.*

(b) In laudata epiſt. cenſoria f. m. 8.

(c) L. c.

(d) In præfat. de offic. hom. §. 8. & 9. *Inde & juris naturalis ſcita ad forum duntaxat humanum adaptantur*: cùm forum iſtud tantùm circa externas hominis actiones occupetur, circa interna non ſit ſolicitum; jus quoque naturale *magnam partem* (*Weberus* refert *maximam partem* in notis ad epiſt. *Leibnitii* f. m. 13.) circa formandas hominis exteriores actiones verſetur.

(e) In præfat. cit. Item in ſpicil. c. 1. §. 20. f. m. 299. Itidem. c. 2. §. 10. f. m. 312. Epiſt. ad amicos & alibi.

ſulti, & non pauci Philoſophi faciunt: (a) ergo, teſte *Webero*, *Puffendorfius* tantùm non voluit confuodere diſciplinas. Sed

Cùm tamen principia honeſtatis ſint conſtitutiva juris naturæ.

Contra eſt: Hæc *confuſio* non niſi *prætextus* eſt ad tueandam *Puffendorfij* diſciplinam de jure naturali, *admodùm mancam, incompletam*, & in primis principijs *defectuoſam*. Nam principia Philoſophiæ moralis, quatenus dirigunt actus humanos per regulas *honeſti decori* & *juſti*, *ſub ratione juſti ſunt propriſſimè propria* diſciplinæ juris naturalis; ſunt conſtitutiva *intrinſeca*, ſine quibus hæc diſciplina foret *inefficax*, & *imperfecta*, uti initio ſat demonſtavimus.

Quaſi juris naturalis ſcopus foret ſolùm forum humanum.

Excuſatio 2. Puffendorfij mens & ſcopus *tantummodò fuit*, diſciplinam juris naturalis *accommodare foro humano*, quod oon ſcrutatur *ſecreta cordium*: interna, ſicut pertiuent ad forum divinum, *ſuppoſuit*, non *excluſit*, ooo *neglexit*, *ſprevit*, aut *negavit*: ergo ingenti calumnia *Zentgravij*, *Valentini Alberti*, aliique onerant illuſtrem Authorem. Sed

Cùm tamen actiones internæ ſint primarium objectum Juris naturæ.

Contrà eſt. Hic ſcopus non fuit *accommodus* ad alium ſcopum, quem profeſſus eſt in hæc verba: (b) *ſe oempe omnia, quæ ad diſciplinam juris naturalis pertinent, complexurum, & in ordinem non hiulcum ac ſelebroſum digeſſurum.* Hic ſcopus non fuit juri naturali *ſufficiens*, ſpectato etiam noo niſi foro humano, quod etſi *merè interna* dijudicare *immediatè* haud poſſit, *mediatè* tamen, & dependenter ab externis *per præſumptionem legitimam*, ioterna quoque dijudicat, puuit, & præmiat, utpote ad quæ, *tanquam actus imperantes*, *jus naturæ primariò*, *& immediatè*; ad actus exteroos *ſeu imperatos*, non niſi *ſecundariò* & *mediatè*, obligare cognoſcitur.

Quod ſe extendit immediatè ad interna.

Excuſatio 3. Si jus Naturæ *primariò*, *& tanquam objectum proprium* reſpicit quoque *interna*, velut præcepta, ſeu prohibita ſub præmio aut pœna ſaltem naturali, teſpicere deberet etiam *remedia*, pro expiandis peccatis, contra Naturæ jura commiſſis: atqui hæc ſolo lumine rationis nequit reſpicere, ſed debet è Theologia revelata ſupponere: ergo *

Et licèt non reſpiciat remedia reconciliationis ſupernaturalia.

Contrà eſt 1. Gentiles, etiamnum *invincibiliter* ignorantes teligiooem *Chriſtianam*, ſaltem *in voto* neceſſariam, *neceſſitate medij* ad ſalutem, utique obligantur *jure naturæ* etiam in merè internis, ſic ut ſolo lumioe rationis, & ex remorſu cognoſcant ſe peccatores, etſi *invincibiliter* ignotent remedia reconciliationis *revelata in Chriſto*: ergo jus naturale, *reſpectu iſtorum*, fruſtrà ad forum internum, *ſaltem primariò* applicabitur: ergo, *iſtorum intuitu*, quæ *forum internum* ſpectant, ad Theologiam temittere *Puffendorfio* placebit. Eſtne hoe diſciplinam juris tradere pro uſu, & captu omnium, *cujuscunque religionis* ſint, ** quo ſcopo taotoperè gloriatur hic Author?

Reſpicit tamen Naturæ congrua.

Contra eſt 2. D. Maj. Jus Naturæ reſpicere deberet remedia *ſupernaturalia*, non niſi ex hypotheſi naturæ elevatæ *neceſſaria*, & per *Chriſti* ſatiſfactionem *condigna*, immò *ſuperabundantia.* N. *Maj.* Deberet reſpicere remedia *qualiacunque*, expiandis peccatis ſaltem *congrua*, ac *opportuna.* Traoſ. *Maj.* Cut io ſtatu ejusmodi, merè naturali, ùt eum conſiderat *Puffendorfius*, dari noo poſſit, vel reſpici remedium *per condonationem Dei gratuitam*, ſicut in prolegomenis diximus de ſtatu poſſibili puræ naturæ?

Habeſque uſum meliorem in vita civili, ſi ad interna ſeſe principaliter referat.

Excuſatio 4. Jus naturæ, traditum de internis, non foret uſui *in vita civili*, cùm tamen etiam juxta iſtud pronuntiare debeant Judices humani: *ergo ita tradendum eſt, ut foro humano aptum ſit, & per conſequens directè non niſi circa formandas hominis exteriores actiones verſatur.* Ita *in theſi Puffendorfiana Fridericus Kayſer defendens*, jam ſuprà notatus. Sed

Con-

(a) Uti in excerptis è *Puffendorfio* theſibus nugatur *Joan. Frider. Kayſer*, *Gieſſenſis* defendens, quæ eriam *Weberus* in *Puffendorfii* ſcholis continuò inculcat, præſertim contra epiſt. *Leibnitii*. f. m. 13.

(b) In ſpecim. controv. c. 1. de orig. juris nat. §. 6. f. m. 174.

* Inde infert in ſpicil. c. 2. §. 10. f. 312. *Igitur jus naturale, ex ſolo lumine rationis traditum, fruſtra ad forum internum, ſaltem primariò, refertur*, ubi ſolo hoc jure inſtructus damnari poſſum, abſolvi non poſſum, & ubi morſus conſcientiæ ſentiuntur, medicina non invenitur. Unde, *quæ ad forum internum ſpectant, ad Theologiam remittere placuit*, quæ præter cognitionem peccati etiam expiationem docet. Ita ille.

** In apol. §. 11. f. m. 17. in ſpecimine controv. c. 3. §. 2. f. m. 183. & alibi ſæpiùs.

Contrà est D. A. Jus naturæ, *traditum solummodò de internis*, non foret usui civili. *Transf. A. Traditum de internis, & externis* simul. N. A. Et transf. prima illatione, negatur altera, imperitissimè nulla.

Illa ipsa thesis est juris naturalis eversiva, periculosa, ac perniciosa, uti rectè Leibnitius demonstrat.

P. Etiam membrum III. Vel ipse protestanticus *Leibuitius* restis est, (a) hac *Puffendorfij* thesi. 1. Objectum juris naturæ *nimiùm contrahi*, adeóque disciplinam *juris Puffendorfiani* esse *mutilatam*. 2. Theologis vindicari, quæ non modò *Christiani* Philosophi, sed & veteres Ethnici quàm maximè curâssent, hortantes, Dijs offerendum esse *compositum jus, fásque animi, sanctósque recessus mentis, & incoctum generoso pectus honesto*; adeóque ab ipsis Ethnicis traditam fuisse Philosophiam moralem, *magis sobriam, severam, & sublimem*. 3. Hæc esse *paraloga*, ac *paradoxa*, *Christiana* Philosophiæ dedecorosa, quam vel Ethnici habuissent *tam sanctam*, ac *generosam*, ut non tantùm docuerint officia externa erga societatem, sed & interna erga Deum, & se ipsum *in animo veris sententijs imbuto, ac voluntate ad recta constanter tendente*. 4. Hæc esse *eversiva omnis jurisjurandi* in jure naturæ, si internorum cura ad illud non spectet. 5. *Esse inductiva corruptela in moribus*, si Parentes & Superiores *jure natura* haud obligentur, *ad mentes suorum præclaris monitis informandas, curandúmque, ut virtutis assuetudine, tanquam alterâ Naturâ, voluntates ad honesta ferantur.* 6. Esse bono publico derogatoria, ad quod promovendum plus possint boni mores, quàm bonæ leges: *& quamquàm fieri possit, ut aliquis, spe metúve, pravas cogitationes comprimat, ne noceant (quod tamen ægrè fit) tamen non efficiet, ut prosint, ut adeò rectè non institutus, sæpe peccaturus sit saltem officij omissione.* Verbo: hanc *Puffendorfij* hypothesin *animi intus pravi* (quem jus naturæ non curat) *modò foris innoxij*, *esse parùm tutam, ac facilem*; dicamus, quod res est, esse *periculosam, ac perniciosam*, id quod erat demonstrandum. Et quid ad ista *Puffendorfii* cum apologeticis *Weberis*? In angustias compressi, anguillæ instar se torquent, *calumniam, calumniam* sibi impactam quiritantes, eò quòd internorum curam *non spernant*, sed *supponant ex Ethica*; ad disciplinam juris naturalis non trahant, *ne scientias confundant*. Sed inanes hos clamores rectè confundit *Leibnitius*, dum addit, uti initio jam retulimus: *cùm in internis quòque jus, & obligationem, peccatáque in Deum, & rectas actiones à natura constitui, nemo negare possit, ubi, quæso, tractabuntur hæc naturalis utique juris, justitiaq; capita, nisi in scientia juris naturalis?* Ita ille. *

℞. IV. *Denique Puffendorfius malè negat, saltem absolutè, habitus primorum principiorum moralium, natura hominis connatorum, etsi eos in Adversariorum suorum sensu non malè redarguat.*

Idem Puffendorfius malè negat absolutè habitus primorum principiorum moralium homini congenitos. Nam etsi non consistant in propositionibus actualibus distinctis.

Declaratur 1. Peckmanni, Josua Schvvarzij, Genesij, Zentgravij, referente *Puffendorfio*, (b) volunt *generalia juris naturalis principia* homini esse congenita, inditáque *per modum habitûs*, hoc est, ùt quidem interpretatur *Puffendorfius*, *per modum distinctarum & actualium propositionum citra ullam antegressam seu informationem, seu ratiocinationem, sicut habitus legis naturæ nil aliud dicat, quàm systema aliquod propositionum, officia hominis exprimentium, animo infantis actu inhærens*, quasi aliter explicanda haud judicent *D. Pauli* verba, (c) queîs testatur, *legem naturæ scriptam in nostris cordibus*. Sed si *Puffendorfiani* Censores *ejusmodi habitum* innuant, & non præcisè ex *Puffendorfij* explicatione, malè philosophica, ** illis imputetur, rectè refutantur à *Puffendorfio*, saltem ex eo capite, quòd ejusmodi propositionum neque sufficiens ratio, neque necessitas sit, præcipuè quòd *lex scripta in cordibus* per notitias primævas, seu *per species congenitas*, sufficienter explicetur, *** uti illicò clarescet.

Decla-

(a) In epist. censor. f. m. 13. & sequent.

* Videantur etiam ea, quæ infrà Tit. 2. Instruct. 3. §. 2. Quæsito IV. dicentur.

(b) In Apol. §. 24. f. m. 33. In specim. Controver. c. 4. §. 23. f. m. 225. In spicil. Juris Naturæ c. 1. §. 19. f. m. 299. L. 2. de jure nat. & Gent. c. 3. n. 13. f. m. 191.

(c) ad Rom. 2.

** Uti videtur colligi, cùm *ait universaliter: illum habitu v. g. Theologia præditum dicimus, in cujus animo hærent propositiones, Theologia dogmata exprimentes.*

*** Unde rursus *Puffendorfius* & ipse gratis adstruit hæc verba, *ut merè metaphorica*

Rectè tamen explicantur per species connatas.

Declaratur 2. Puffendorfius ſtatuit, abſque ullo congenito habitu intellectum hominis naſcentis *eſſe ad inſtar tabulæ nudæ*, cui quidvis inſcribi poſſit. Hanc igitur *nativam facultatem* recipiendi per ſenſus ſuo tempore ſpecies, ſeu *hanc hominis naturam*, ſic à Creatore diſpoſitam, ut notitia legis naturalis ejus animo ſeſe inſinuet, *quamprimùm rationis uſus ſeſe exſerit*, ait, eſſe *legem ſcriptam in cordibus*. Rationem addit: (a) ſicut v. g. neceſſe non eſt, ut organis ſenſuum ſpecies viſibiles actu ab ipſa natura inhæreant, ſed ſufficit, illa per naturam ſic eſſe diſpoſita, ut ubi ab iſtis feriuntur, ſtatim objecta comprehendere & dijudicare queant: ſic & mens hominis à Deo formata eſt, ut ſtatim ac ſuper actionibus ſuis ſe poſſit reflectere, de earum rectitudine, & pravitate, & num ſibi conveniant, an minùs, judicare queat. Sed

Contrà eſt: Nativæ hominis potentiæ eſſe *congenitum* quemdam *habitum*, non quidem *per propoſitiones actuales*, ſed tamen *per ſpecies intentionales* de primis moralitatis principiis, antequàm acquiri poſſint *dependenter à ſenſibus*, ab ipſo Authore naturæ inditas, * aſſerit verior philoſophia, quam olim ſecuti ſumus, probátque ex eo, quòd multa in animis experiamur, quæ nunquam in ſenſu fuiſſe ſcimus: qualia v. g. *ipſo Puffendorfio* referente, ſunt ideæ de Deo, de propoſitionibus: *ego cogito*, *ego ſum*, aliiſque ſimilibus, quæ in homine, etſi ſurdo cæcóque, ab incunabulis, *ſi modò rationis compote*, dependenter à ſpeciebus inſitis elici poſſunt, ac debent. Et quia paritatem è ſenſibus adduxit *Puffendorfius*, adducamus paritatem è brutis, quibus connatas primigenias quasdam ſpecies probat experientia, cùm, antequàm videant pulli, in naturæ ſuæ commoda ferantur. Inde non movet illud *Puffendorfii: nemini mortalium conſtat, quales ſint imagines rerum, & quæ earum conſecutio in animis infantum, antequam fari queant.* Specierum qualitas *Puffendorfio* captu facilis à paritate ſpecierum, quas, *dependenter à ſenſibus hauſtas*, ipſemet adſtruit; conſecutio habetur ab Authore naturæ, qui deficere nequit in neceſſariis. Sed de hiſce philoſophicis ſatis, quæ, ſi cætera concordarent, in *Puffendorfii* gratiam, connivente pauliſper oculo, transmitteremus.

Titulus II.

TITULUS II.

De Lege Naturæ.

De Lege Naturæ, ac Gentium, déque principio ejusdem cognoſcendæ.

Inſtructio I. Status hominum naturalis.

INSTRUCTIO I.

De Statu hominum naturali.

QUæritur I. *Quid ſtatus hominum, præcipuè naturalis?*

Eſſentia ſtatûs in genere.

℟. I. *Status hominum in genere nil aliud ſonat, quàm certam hominum conditionem, ſeu rationem vivendi*, quæ duplici modo concipi ſolet. *Merè naturalis*, quam homo ſortitur à ſola natura, *independenter* à facto alio, libertatis congenitæ *reſtrictivo*, ſeu proprio, ſeu alieno; *adventitia*, quæ homini ex facto alio, libertatis congenitæ reſtrictivo, ſeu proprio, ſeu alieno, ſupervenit. Et in hoc ſenſu *ſtatus, merè naturalis*, denotat hominis conditionem, ſibi congenitam, nec niſi nati-

---

phorica, queis *firmitas iſtius notitiæ*, non autem *modus ejusdem comparandæ*, inſinuetur.

(a) In ſpicileg. contra *Zentgravium.*

* Quas *Zentgravius* L. c. niſi propoſitiones actuales intelligat, *rectè notitias inſitas* vocat, *velut lumen recti, & ſemen boni ſuperadditum intellectui, eique, tanquam tabulæ, à Deo inſcriptum.*

nativis dotibus inſtructam, opponitúrque ſtatui, quomodocunque ex facto alio *dependenti*, ſeu *proprie* ſeu *impropriè* civili, hoc eſt, ſeu *ex alienis auxilys*, *artibus*, & *inventis*; ſeu *ex alieno imperio*, præcipuè *coactivo*, per proprium alienúmve factum ſuperveniat.

Naturalis in ſpecie,

℞. II. *Status* hominum *naturalis in ſpecie* rectè dicitur *conditio hominum, inter ſe æqualium, neque alterius, quàm Creatoris arbitrio, legibúsque ſubjectorum.*

Conditio hominum inter ſe æqualium.

Explicatur. Dicitur 1. *Conditio hominum, inter ſe æqualium*, ſub eo nempe reſpectu, ſub quo *nativa* libertate, ſeu cunctis *æqualiter* congenitâ, fruuntur. Quo ſenſu non ij ſolummodò veniunt, qui, ſocietatis omnis expertes, vitam ſolitariam agunt; ſed & ij, qui licèt ſocietatem colant, ſub certo tamen reſpectu libertatem retinent, à natura congenitam, nulli ſubjecti, ſimilibus æquales, cujus generis ſunt *Imperantes ſummi*, & quævis Societates independentes, *reſpectivè* ad alias ſibi ſimiles, quæ & ipſa *ſtatum veriſſimè naturalem* nobis repræſentant.

Nullius legibus, vel arbitrio ſubjectorum.

Dicitur 2. Nullius legibus, vel arbitrio ſubjectorum. Hæc enim præcipua ſtatûs naturalis prærogativa; hæc unica differentia eſt, qua diſcernitur à ſtatu, ſeu *imperfectè*, ſeu *perfectè* civili: in hoc ſiquidem neceſſaria eſt dependentia, ſubordinatio, imperium, ut ſocietas in debita ordinatione conſervetur. Et hæc ipſa proprietas quàm maximè elucet in Imperantibus ſummis, immò & Civitatibus eo reſpectu, quo quævis alterius legibus, & poteſtate ſoluta eſt. Unde *D. Chryſoſtomus*: (a) *Non Romanorum Rex Perſis, aut Perſarum Rex Romanis ferre legem poteſt.* Et *Arioviſtus* Legato *July Cæſaris*: (b) *ſi quid ipſi à Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum; ſi quid ille ſe velit, illum ad ſe venire oportere.*

Præterquam Creatoris.

Dicitur 3. Præterquam Creatoris. Nam dependentia iſta *eſt naturalis*, atque *congenita*; leges, implantatæ ab Authore naturæ, ſunt libertatis naturalis potiùs *perfectiva*, ac *directiva*, quàm *reſtrictiva*, ùt illicò clareſcet.

Naturalis hominis ſtatus, etſi denotet vitam exlegem legibus humanis,

Quæritur II. An naturali hominis ſtatui, ratione congenitæ libertatis, non potiùs congruat, ut penitus ſit exlex?

℞. I. *Status naturalis, ratione congenitæ libertatis, denotat vitam, omni lege humana exemptam.* Patet. Lex enim humana appellat poteſtatem ſuperiorem, inter homines, *naturâ æquales*, libertatis congenitæ reſtrictivam: ergo ſtatus naturalis everſivam.

Non tamen naturalibus.

℞. II. *Non tamen denotat vitam penitus exlegem, ſeu exemptam lege naturali, ſanaq; rationis ductu.*

Quia ejusmodi libertas non foret humana.

P. Ex Puffendorfio, (c) Ejusmodi libertas, vel omninò non foret *humana* moraliter; vel certè conditioni humanæ *inconveniens*, ac prorſus *perniciosa*: ergo ſtatui naturali nequaquam competit. *A. P. 1.* Libertas, *moraliter* humana, requirit actus, *procedentes ex cognitione finis*: atqui actus hominis *exlegis*, ſeu *qui omnia ageret pro libitu, vagoque quodam impetu*, non procederent *ex cognitione finis*: ergo.

Sed Rationi potiùs inconveniens.

2. Conditioni naturæ humanæ, ratione præditæ, *convenit* ſapere ſupra bruta; ſeu *convenit* actiones ſuas exigere *ad quamdam* legem, ſeu regulam ordinis, nativique cujusdam decoris adminiſtram: ergo naturæ rationali opus eſt lege. A. Patet: Secùs enim *fruſtranea* foret vis illa humanæ mentis, cum indita in finem, ut homo, quid ſibi congruat, vel non congruat, judicet; media ad finem comparando diſpiciat; affectus excitet, ſiſtat, vel temperet; ex actis pro agendis dictamina colligat, ex quibus omnibus innata illa ſynteresis conſcientiæ eluceſcit.

Ac Naturæ humanæ perniciosa.

3. Tanta eſt naturæ humanæ ad deteriora proclivitas, *maximè in ſtatu naturæ lapſæ*, ſeu corruptæ corruptione ſaltem *morali*, ut intellectus ſit vitiatus per ignorantiam; voluntas infirmata per propenſionem ad malum; appetitus ſolutus in effrenem concupiſcentiam &c. Tanta eſt diverſitas ingeniorum, & geniorum, ut homo non ſolùm alijs, ſed & ſibimetipſi ſit ſæpe diſſimilis ac oppoſitus; tanta eſt ſtatuum, munerúmque varietas, ut in diverſa homines continuò abſtrahant: *ergo libertas*, vel *licentia* potiùs exlegis vitæ, ubi lex nulla extravagantes hominis impetus regeret; ubi norma nulla in oppoſitum tendentia ſtudia conformaret, & in concordiam, difformiter uniformem, in commercio humano reduceret, penitus foret naturæ humanæ *perniciosa*.

Quæ-

(a) In Pſal. 44.
(b) L. 1. De bello Gall.
(c) L. c. de Jure Naturæ & Gentium. c. 1. ſ. m. 139.

Status hominum naturalis non videtur possibilis. *Quia homo animal absque imperio indomitum.*

Quæritur III. An absolutè detur, vel etiam dari possit status hominum naturalis?

℞. I. *Videtur*, quòd non. P. 1. Natura humana (saltem prout hæreditaria modò propagatur in posteros) *de se* est inclinata ad malum, sicque corrupta, ut omnimoda libertas illi foret *perniciosa*, velut diximus: ergo indiget non tantùm lege naturali directiva sed & imperio coërcitivo: atqui hoc habetur per statum solumodò civilem, non naturalem: ergo status naturalis nec datur, nec dari potest.

Quia sociale, 2. Homo ex natura sua est animal sociale: ergo connaturalis illi societas: atqui hæc est exclusiva libertatis omnimodæ.

Saltem societate conjugali. 3. Si extitisset unquam status merè naturalis, extitisset initio: atqui & ille status (uti habemus saltem ex revelatione) fuit *civilis*, seu *societas conjugalis*, ipso Creatore statum merè naturalem, ùt naturæ minùs convenientem, declarante: *non est bonum, esse hominem solum.*

Sed verius datur, ℞. II. *Datur, & dari potest status hominum naturalis, saltem in particulari.* 2. *Non tamen in genere, seu respectu totius Generis humani unquam extitit, existit, aut existere potest in moderna Creatoris Providentia.*

Uti patet in summis Imperantibus, solitarijs, omni potestate humana liberis. *Ratio prioris est*, quia constat à primis sæculis, & extitisse & existere multos, seu interveniente morte, seu consensu mutuo, solutos non modò patria, sed & omni alia potestate: ergo constat, & vixisse & vivere liberos naturali, seu omnimoda libertate, quales initio fuere filij, à Parentibus emancipati; fratres peculiarem sibi formantes familiam, ab omni imperio independentem; confluentes in unam Civitatem, seu Rempublicam, potestati nulli in terris obnoxiam. Quales hodiedum sunt solitarij plurimi, in eremis viventes; Imperantes summi, Respublicæ independentes respectu similium; Civitatis, in anarchiam delapsæ, membra, omni imperio libera; mortalium multi in terris vacuis, aut Insulis desertis erigentes sibi colonias &c.

Non tamen respectu totius Generis humani, quod nunquam extitit *Ratio posterioris est*, quia Genus humanum in moderna Creatoris providentia nunquam extitit, existit, aut existere potest extra societatem, *saltem conjugalem*: ergo nunquam fuit, est, vel esse potest omninò independens, ac liberum. C. Patet: *nam in natura lapsa* noscitur subjectio fœminæ, etiam *pœnalis* jux ta illud: (a) *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Immò *& in natura* pura, vel etiam integra, elarescit eadem mulieris subjectio, etsi non *eodem modo*, nec ordinata nisi ad propagationem humanam: cùm *mulier propter virum, non vir propter mulierem factus sit* teste *Apostolo*, & in Paradiso jam fuerit legitimum matrimonium, quod citra consensum, obligationémque mutuam esse nequit. *sine mutua dependentia.*

Unde Natura humana non indiget absolutè imperio civili. ℞. III. *Rationes suprà allatæ non sunt efficaces.* *Ad 1. D. A.* Natura humana sic est corrupta, ut *omnimoda* libertas etiam à lege naturali, tam *directiva* quàm *coërcitiva*, per pœnas alterius vitæ, illi foret perniciosa. C. A. Sic ut libertas ab imperio solùm civili sit illi *simpliciter* perniciosa. N. A. D. C. Ergo indiget etiam imperio civili *absolutè*. N. Ad melius esse. C. C.

Nec homo est animal necessariò semper sociatum. *Ad 2.* D. A. Homo est animal *sociale*, hoc est, appetitu innato inclinatur ad societatem. C. A. Est animal *sociale*, hoc est, *necessariò*, *semper*, & *ubique* sociatum. N A. D. C. Ergo societas illi est connaturalis, sic ut semper sit naturæ conformis. C. C. Sic ut semper, *& pro omnibus circumstantijs*, sit præcepta. N. C.

Nec societas conjugalis, propagatio generi humano, singulis præcepta. *Ad 3.* Dicitur, quòd status *merè naturalis* eluxerit *in Adamo*, etiam *solitario*; nec reprobatus sit ille status, *quasi non bonus*, *nisi ratione propagationis humanæ*. Siquidem *homo solus* si fuisset, *in Adamo* humana species emarcuisset contra intentionem Creatoris. Post adimpletum hunc finem, seu post Orbem, hominibus refertum, cessavit, *saltem quò ad singulos*, obligatio naturalis, *bonúmque* est multis *mulierem non tangere*, (b) ut soluti impedimentis illis, quæ in natura præcipuè lapsa secum trahit conjugalis societas, *expeditiùs* ad consequendam vitæ felicitatem, præcipuè ultimam, ferantur.

Proprietas status naturalis non est bellica, uti scribit Hobbesius. *Quæritur IV. Quænam sit proprietas status naturalis?*

℞. I. *Absurda est sententia Hobbesij, qua adstruit statum belli.*

Nam status natura lapsa non cogit *Ratio prætensa est*, quòd status naturæ lapsæ hominem quasi *continuò* compellat, vel impedire mala propulsando, vel prævenire alijs inferendo, ut in se fuisque perstet indemnis: ergo status naturalis est status belli. A. Infer-

(a) Gen. 3. V. 16.
(b) 1. Cor. 7.

omnes ſeſe continuò defendere contra omnes.

Infertur partim, *ex naturali amore*, quo homo ſe ſuáque tuetur; partim *ex naturali timore*, quo videt alios, non modò *potentes* ſibi nocere, quia ſuperiores viribus, vel ſaltem dolis; ſed etiam *volentes* nocere, ſeu neceſſitate compellente, ut ſe ſuáque defendant; ſeu arrogantiâ ac avaritiâ ſtimulante, ut damna inferant, vel prævertant. Sed

Secùs foret nimiùm defectuoſus, neque homo creari potuiſſet, uti nunc naſcitur.

Contrà eſt 1. Abſurdum eſt dicere, ſtatum naturæ tantoperè eſſe corruptum, ut homines penitus faciat exleges, ſoloque ſenſuum impetu, ac paſſioum cæca, effrenique libidine rapiat in omne nefas: cùm, non obſtante proclivitate ad malum, homo maneat *ratione* præditus, ac juris naturalis lumine inſtructus, vi cujus ſcit bonum à malo, juſtúmque ab iojuſto ſecernere, illáque amare, iſta reſpuere: ergo abſurda eſt *Hobbeſij* opinio, qua ſtatum naturalem adſtruit *ſtatum belli omnium in omnes*. *A.* Patet ex eo, quòd aliàs Deus non potuiſſet hominem creare, qualis nunc naſcitur, quæ eſt propoſitio *Bajana*, *Romanis* meritò damnata faſtis. Item ex eo, quòd non eadem hominum ſit proclivitas ad nocendum, ſed in aliquibus ſit major, in alijs minor; nec accidat ſemper, ut pravi cum pravis conveniant, quibus in circumſtantijs, credendum, improborum malitiam proborum modeſtiâ facilè coërcendam.

Accedit, quòd ſtatus belli ſit naturæ violentus, rationi adverſus.

Contrà eſt 2. Status continui belli eſt violentus, pernicioſus, ac rationi rectæ oppidò adverſus, quæ ſueta eſt inordinatos affectus temperare, vindictam, avaritiam, & arrogantiam frenare, ac reprimere, pacem denique cum Deo, ſecum, & proximo, tanquam felicitatis humanæ teſſeram, conſervare: ergo non niſi abſurdè ſtatus hominis naturalis appellatur ſtatus belli.

Sed eſt pacifica, inclinante ad pacem natura ſimilis cognatione.

℞. II. *Status naturalis in ordine ad alios homines eſt ſtatus pacis.*

P. 1. Ipſa naturæ æqualis in omnibus origo, ipſa ſimilitudo, ac ad ſocietatem nativa propeoſio fundat, homines inter, quamdam cognationem: ergo ſtatus oaturalis potius eſt ſtatus pacis, quàm belli. *

Connato ejus dictamine quod tibi non vis fieri.

2. Ipſa naturæ principia, & dictamina ſyntereſeos inſpirant ſingulis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & viciſſim: atqui nemo ſibi vellet inferri bellum; nemo inferri nocumentum; pacem depoſcimus omnes, vitámque quietam, ac tranquillam agere deſideramus: ergo ex naturæ dictaminibus inclinamur ad pacem, non bellum.

Ipſa nocendi facultate ob præjudicia propria pacem ſuadente.

3. Ipſa nocendi facultas, ad quam depravatio naturæ ſtimulat, pacificum potiùs ſuadet naturæ ſtatum, quàm bellicoſum: ergo. A. P. Vel enim vires ſunt æquales utrinque, vel inæquales? Si æquales; uterque habet, quod timeat, ne, dum alteri vitam, aut vitæ ſubſidia conatur eripere, ipſemet utriſque privetur. Si inæquales; is, qui robore prævalet, non habet, quod metuat ab inferiore; qui potentiâ careret, cum fortiore congredi vix audebit. Deinde, ut rectè notat *Puffendorfius*, (a) *contradictionem implicat, poſitis pluribus hominibus, jure æqualibus, dicere omnibus in omnia, & in omnes jus competere: cùm utique unius jus ad omnia non poſſit non cæterorum jura abſorbere, ſi effectum aliquem ſit habiturum. Illud enim non minùs abſurdum eſt, jus fingere, quòd nullum effectum in ordine adverſus alios homines obtineat. Nam in mortalibus non eſſe, & nullum habere effectum, idem ferè eſt. At quale jus eſt, cui alter pari jure poſſit reſiſtere?* Ita ille. Sed piget *Hobbiniani* cerebri vertigines pluribus rimari.

Errata Puffendorfiana.

Quæritur V. Quid circa ſtatum hominis naturalem errârit Puffendorfius?

Imbecillitas, & inſufficientia naturæ humanæ inſocialiſ.

℞. I. Proteſtantici ejuſdem Cenſores non ſemel nigro calculo notârunt, *ejuſdem hominem*, quem, ad explicandam ſtatûs naturalis imperfectionem atque inſufficientiam, finxit *undecunque in hunc Mundum projectum, ac ſibi ſoli*

* Secùs homines deterioris forent naturæ, quàm bruta, juxta illud *Juvenalis*, ſatyrâ 15. *Parcit cognatis maculis fera: quando leoni fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam expiravit aper majoris dentibus apri? Indica tigris agit rabida cum tigride pacem perpetuam, ſævis inter ſe convenit urſis.* Barbaries quarumdam Gentium nihil probat, niſi quòd rationis lumen apud illas per pravos mores pene extinctum fuerit, ùt rectè reſpondet *Puffendorfius*. Addit tamen pacem, merè naturalem, ſat eſſe debilem propter malitiam hominum, augendæ potentiæ libidinem, & alienis imminentem cupiditatem, accedente præſertim impunitate hujus ſtatûs, ubi quivis ſuus Judex, & ſui juris.

(a) De J. N. & G. L. 2. c. 2. ſ. m. 147.

tatis gratiam nimiùm exaggerata.

soli planè relictum, citra omne subsidium humanum, vel peculiarem Numinis curam &c. ejus *conditionem miserrimam, vitámque fere belluinam* dixit, *sive ponatur infans, sive justâ jam staturâ, ac robore præditus.* (a) Ex ultimis hisce verbis intulêre ejusdem Censores, sermonem illi fuisse *de Adamo*, ejúsque statu, quasi miserrimo, vitáque ferè *bellnina*: sed rectè eosdem repressit, ac confutavit, (b) etsi & *homo ejusmodi fictus* errore non vacet, dum miserabilem adeò formam, vitámque ferè belluinam illi Author affinxit, ut ex naturali statu tam horrido *socialitatis suæ principium* faciliùs persuaderet. * Nam homo, ùt *in statu naturali* concipi debet, *per se* loquendo, vel supponit *curam Numinis*, puta creationem in statu physicè perfecto; vel includit educationem Parentum, usque dum *rationis compos* quis sibi sufficiat ad vitam sustentandam, si minùs *commodè*, saltem *sufficienter.* Hoc si *Puffendorfius* abnuat, malè reposuit suis Censoribus: (c) *sanè à me nuspiam scriptum est, hominem physicè perfectum sine lege, ordine, & decore unquam extitisse. Contrarium à me docetur varijs locis, Nuspiam à me scriptum fuit, hominem ab ipsa creatione reluctantem rationi habuisse voluntatem, brutísque ipsis miseriorem, ac praviorem esse. Contrarium potiùs insinuo, dum rationes, quare extex vita hominum non decueris, peto ex conditione hominis primigenia.* Ita ille. Porrò infans expositus, inter ursos educatus; projectus quispiam in terram incultam, & vagabundus, aliáque barbararum Gentium, prædnnúmve monstra potiùs, quàm humana ectypa, queîs pagani Scriptores humani Generis originem, primævúmque statum fœdissimum adumbrârunt, sunt extra rhombum: non enim statum naturalem *in se*, sed depravatum *per accidens*, rationísque lumen, belluinis moribus hebetatum, ac propè extinctum, probant, id, quod ipse fassus est *Puffendorfius.* (d) Inde, licèt *statum naturalem*, ùt oppositum *conditioni brutorum*, *statuíque civili*, rectè distinguat, hunc tamen malè distinguit ab omni prorsus cultura, *seu aliena* per educationem Parentum, *seu propria* per rationis propriæ inventa, & adminicula: siquidem *status naturalis* consideratus solummodò in naturâ, *per nativitatem merissimè nudâ*, & contradistinctâ *ab omnibus ijs, quæ seu facto alieno, aut proprio accedere possunt*; ** consideratus solummodò in natura, *ùt scatente inclinationibus pravis, quámque summa indigentia, inscitia & imbellia sola comitetur*, sicuti statum hunc considerat *Puffendorfius*, (e) est statum naturalem, si minùs *Sociniano*, aut *Hobbesiano* (quod ei objecerant ejus Censores) *Bajano* saltem more describere, *sic ut Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, quális nunc nascitur*, id quod falsum, meritóque damnatum.

INSTRUCTIO II.

Instructio II. De jure Naturæ.

De essentia juris Naturæ, ejúsque proprietatibus.

§. I.

§. 1. Datur jus naturale.

De essentia juris Naturæ prætensa.

Quæritur I. *An detur jus Naturæ?* ℞. Negavit quondam *Carneades*, asophos hac ex parte, cuncta ex

Patet ex communi sensu.

(a) De Jure naturæ & Gentium. L. 2. c. 2. §. 2. f. m. 148.
(b) In Apolog. §. 11. & sequent. f. m. 17. Item f. 61. In specim. controv. c. 3. de statu naturali f. m. 183.

* Nam concludit: *igitur quòd homo non miserrimam vitam inter omnia animantia degat, à conjunctione & societate similium habet: non est bonum hominem esse solum &c.*

(c) In apol. cit. f. m. 20.
(d) L. c. §. 10. *Neque* est, inquit, *quòd aliquis occinat barbariem, apud plerosque priscorum Populorum, consuetos vivere rapto. &c. Enimverò ad ista rectè regeritur, dictatum sanæ rationis apud multas Gentes per pravos mores fuisse oblitteratum.*

** *In hoc sensu:* alibi dicit, *statum naturalem opponi vitæ, per industriam excultæ.* L. 2. de offic. hominis c. 1. §. 4. At *Kemmerichius* epitomator rectè animadvertit, quòd status naturalis hominis, in ordine ad se ipsum, *vita sociali*, & per industriam hominum excultæ, minùs rectè opponatur: nam considerandus est, ratione humanæ naturæ, non præcisè *in se spectata*, sed & eorum, quæ humanæ naturæ *naturaliter* accidunt, scilicet ratione nativitatis, sexûs, integritatis, ætatis, immò & necessariæ educationis: unde & status corruptionis, etsi opponatur statui integritatis, homini *naturalis* dici potest.

(e) L. c. de statu naturali f. m. 185.

ex utilitate propria, non *ex jure* dimensus. Sed oppositum demonstrat 1. Comunis hominum consensus, jus naturale instinctu tacito confitentium, ùt habet Philosophus. (a)

Ratione recta.

2. Recta ratio, citra divinam revelationem, agnoscens discrimen, honesta inter ac turpia, utique ex quadam *norma;* agnoscens itidem *obligationem* tendendi ad suum finem per media, hoc est, ad felicitatem per actiones honestas: ergo agnoscit *legem naturalem.* Unde est & conscientiæ synteresis, quæ omnes, etiam ex occultissimè gestis, immò & Principes, nulli subjectos potestati, mordet *ratione pœnæ*, utique propter transgressionem *legis:* atqui non alterius, *quàm naturalis:* ergo &c.

Statu hominum diverso.

3. Status hominis diversus, seu societas naturalis in statu coniugali familiæ, vel etiam hypothetica, & ex Gentium placito inita, sine jure naturali haud conservanda.

Quæritur II. Quid nominis jus naturæ, & quæ ejus usitata acceptiones?

Respondet homini, ùt talis.

℟. I. *Jus naturale* respondet homini, ut est *creatura rationalis.* Nam cùm *homo* subiter *triplici considerationi* respectu triplicis status, ita considerari solet *jus*, seu *regula triplex*, qua dirigatur: unde est *jus naturale*, quo regitur in statu naturali, *ut creatura rationalis; jus Gentium*, quo dirigitur, ùt membrum totius societatis humanæ, per omnem Orbem diffusæ; *jus positivum*, quo indiget, ùt membrum status particularis, seu Reipublicæ.

Et nomen habet à natura rationali.

℟. II. *Jus naturale*, ùt respondens *homini*, tanquam creaturæ rationali, nomen trahit *à Natura rationali*, eò quòd ab ipsa, *tanquam proprietas à radice*, promanet, nobisque velut congenitum sit; unde *Cicero* legem naturalem dicit, *quam non didicimus, sed ex ipsa natura hausimus; ad quam non docti, sed facti.* (b) *Et Divus Ambrosius legem vocat innatam, non lectione aliqua perceptam, sed profluo quodam naturæ fonte expressam in singulis.* (c)

Accipitur impropriè & propriè pro lege.

℟. III. Juris naturalis *acceptio* à variis varia. *Plato* sumpsit pro *quavis inclinatione naturali*, rebus indita à Creatore, qua singulæ tendunt ad proprios actus, & fines: & hæc acceptio, quia etiam rebus inanimatis propria, *est nimis impropria.* 2. Veteres Jurisperiti accepêre *pro genio & instinctu naturali*, quo quodvis animatum ducitur ad suos actus & fines; & hæc acceptio est impertinens, quia *metaphorica.* 3. Recentiores Jureconsulti sumunt *pro potestate aliquid agendi, vel omittendi* ex concessione naturæ, qualis est v. g. *potestas venandi* &c. Et hæc acceptio est *minùs stricta*, quia complexa etiam *jus permissivum* 4. Politici sumunt *pro lege, seu norma actionum humanarum, quæ insidet menti ad discernendum honestum à turpi.* Et hæc acceptio propria est ad scopum præsentem.

Juris naturalis descriptiones Veterum.

Quæritur III. Quæ juris naturalis descriptiones apud Authores?

℟. I. Veteres eandem variè *describunt* potius, quàm *definiunt. Stagyrita* per jus naturæ intelligit id, *quod ubique vim habet eandem* (quia ex natura) *& non, quia videtur, vel non videtur* (dependenter ab arbitrio hominum.) 2. *Ciceroni* dicitur *recta ratio, naturæ congruens:* (d) alibi ait: *Lex natura* nihil est aliud, *nisi recta, & à Numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, & prohibens contraria.* (e) 3. *Senecæ est lex Divina ab Authore natura;* (f) *Angelico est participatio legis æternæ in rationali creatura.* (g) Rationem addit: (h) *quia homo inter cætera animantia rationem finis cognoscit, & proportionem operis ad finem, ideò naturalis conceptio ei indita, qua dirigitur ad operandum convenienter, lex naturalis, seu jus naturale dicitur*, & sic de aliis. *

Recentiorum.

℟. II. Et Recentiores, Veterum inhærentes vestigiis, genuinam legis naturalis essentiam non attingunt. Nam 1. aliqui cum Philosopho non nisi proprietates juris naturæ exprimunt. Has inter *Puffendorfius* vocat legem *uni-*

(a) L. 1. Rhet. ad *Theod.* C. 13.
(b) Pro *Milone.*
(c) L. 5. epistola 41.
(d) L. 3. de Republ.
(e) L. 2. de Legibus.
(f) De beneficiis L. 4. c. 7.
(g) 1. 2. Q. 91. a. 2.
(h) In 4. D. 33. a. 1.

* Satis ista: *Justiniani, & Ulpiani* descriptiò *juris naturalis, quod natura omnia animalia docuit*, in terminis prodit *metaphoram*, indignam, quæ à nonnullis per quasdam apparentias *de pœnis, sagacive canum* vi &c. convestiatur.

universalem, & perpetuam. (a) Alibi eam definit esse illam, *qua cum rationali ac sociali natura hominis ita congruit, ut humano Generi honesta, & pacifica societas citra eandem constare nequeat.* Sed breviùs, & ad *Puffendorfii* mentem limatiùs scholiastes *Weberus*, *jus naturæ*, ait, esse *dictamen rationis rectæ, super socialitatem reflexum, officia homini incumbentia proponens.* (b) Sed quòd istæ juris naturalis paraphrases *ex falso socialitatis principio* vacillent, ex dicendis clarescet.

Non rectè statuitur in natura rationali. ℟. III. Alii cum *Cicerone subjectum* legis naturalis, hoc est, *ipsam naturam rationalem* cum lege confundunt, asserentes cum *Vasquezio*, legem naturalem esse ipsam naturam humanam *in se*, quatenus *ratione sua essentiæ*, eidem tanquam normæ, peculiares actiones conveniunt, vel disconveniunt. Sed

Quia ex falso supposito, *Contrà est. 1.* Hæc sententia, præterquàm quòd sit *contra communem*, teste *Suarezio*, nititur *falsò supposito*, quòd natura rationalis *sit norma moralitatis*, quod suprà rejecimus.

& fundamento. *Contra est 2.* Nititur *falsò fundamento*, quòd honestas, vel inhonestas *formalis* nonnullis actibus sit *intrinseca, & essentialis*, independenter à lege æterna Dei, quod pariter reprobavimus suprà,

Quia effectum non producit. *Contrà est 3.* Natura, spectata *in se*, nec præcipit, nec dirigit. nec honestatem ostendit, aliúmque legis effectum producit.

Est radix honestatis, non lex. *Contrà est 4.* Etsi natura rationalis sit *radix*, seu *fundamentum* honestatis, vel mensura inhonestatis lege præceptæ, non ideo est *ipsa lex*: siquidem fundamentum, & mensura latiùs patet, quàm lex. Sic indigentia pauperis est fundamentum legis de danda eleemosyna, non tamen est lex.

Quæritur IV. An juris naturalis essentia bene statuatur in dictamine rationis. *Jus naturæ videtur benè definiri per dictamen rationis.*

℟. I. Videtur multis, quòd sic. Unde cum *Grotio* (c) legem naturalem definiunt, *quòd sit dictamen rationis, ab Authore naturæ inditum, circa ea quæ honesta, & agenda; vel inhonesta & omittenda; aut indifferentia, & permissa sunt.* (d)

Probant I. Ex satis communi Theologorum, *Suarezii*, *Molinæ*, *Laymanni*, *Pirhingii* &c. fundata in effatis sacræ Scripturæ: nam dicitur, quòd Gentes ostendant opus legis *scriptum in cordibus suis*, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum. (e) Quòd legem non habentes, cùm naturaliter ea, quæ legis sunt, faciant, *sibi ipsi sint lex.* (f) Et postquàm quæsivit Psaltes Regius *quis ostendet nobis bona?* hoc est, regulam operationis bonæ, mox subjungit: *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* (g) Inde interpres Angelicus: (h) *lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, quid sit malum, quod pertinet ad legem naturalem, nihil aliud est. quàm impressio Divini luminis in nobis.*

Authoritas Theologorum, & Patrum. *Probant. 2.* Authoritate suprà nominatorum Theologorum, & Patrum. *S. Damascenus conscientiam* vocat *legem mentis nostræ*, interpretante *Clictovæo*: lex mentis nostræ est *ipsa naturalis ratio, Dei legem habens sibi inditam, qua bonum à malo interno lumine dijudicamus. S. Hieronymus* jus naturæ appellat *legem intelligentiæ*, quam nescit infantia, tunc autem percipit, quando intelligentia incipit. *S. Maximo* jus naturæ *est ratio naturalis; S. Augustino* lex est à Deo *scripta in cordibus* hominum. *S. Ambrosio lex innata; Lactantio ratio naturæ congruens, diffusa in omnes* &c. *S. Chrysostomus* ait: mentem habens, scies *ex temetipso,*

(a) De J. N. & G. L. 2. c. 3. §. 1.

(b) L. de officio hominis L. 1. c. 2. §. 16. f. m. 47.

(c) De jure belli & pacis L. 1. c. 1. n. 10. Jus naturale *est dictatum rectæ rationis indicans, actui alicui, ex ejus convenientia, aut disconvenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab Authore naturæ Deo talem actum aut vetari, aut præcipi.* Ejus sequaces succinctiùs, meliusque definiunt esse *dictamen rectæ rationis congenitum, præcipiens ea, quæ creaturæ rationali, quà tali, sunt consentanea, & prohibens contraria.*

(d) Ita P. *Josephus Seybold* Tr. de prudentia & Jurisprudentia P. 2. f. m. 103.

(e) 1. ad *Rom.* 2. v. 15.

(f) v. 14.

(g) Ps. 4. v. 7.

(h) L. 91. a. 2.

ipſo, quid tibi ſit faciendum, & quomodò. (a)

Et ipſa ratio, quæ legem ſuadet, homini intrinſecam.

Probant 3. *Ratione*: Quia lex naturalis *in homine* eſt, non *in Deo*, utpote *creata*, *& exarata* in cordibus; non in ipſa natura hominis *immediatè*, uti dictum; nec in voluntate, quam ligat: ergo per dictamen in intellectu.

Et tota legiſlatio immediata intelligitur homini intrinſeca.

2. Quia ſic *propriè* intelligitur, quomodò tota legiſlatio immediata ſit *in homine*. Nam quaſi legiſlator *eſt intellectus* cognoſcens, quid ſit conveniens, vel diſconveniens; *fundamentum* eſt natura ipſa rationalis; *vis illa naturæ* ad diſcernendum, ſeu *dictamen* eſt lex; *ſubjectum* eſt voluntas, cui lex ponitur; ſimul eſt tota à Deo, *ſaltem mediatè*, quatenùs, ùt Author Naturæ, ſic naturam conſtituit.

Et objectum, abſtrahendo à lege Dei malum vel bonum.

3. Quia abſtrahendo *ab ordinatione Divina* (ſi modò producta concipiatur natura rationalis) dictamen rationis quædam indicat eſſe mala, & omittenda, v. g. *blaſphemiam*, *mendacium*; quædam indicat eſſe bona, & facienda v. g. *colere Deum*, *Parentes* &c. ergo non eſt tantum *promulgatio*, *ſed lex in ſe*, nec videtur reſpicere Deum (ſaltem *immediatè*, ùt *Legiſlatorem*) cum hæc ſint intrinſecè mala, ſeu bona, & ideò, quia mala vel bona *in ſe*, à Deo prohibita, vel præcepta *per legem ſuperadditam*. Id ipſum patet in legibus humanis, quæ latæ à Principe obligant etiam in conſcientia, & ſub pœna inferni, quia feruntur à Principe per poteſtatem à Deo acceptam, & lege Dei roboratam, juxta illud: *non eſt poteſtas, niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit*, Dei *ordinationi reſiſtit*. (b)

Quia ſoli dictamini conveniunt effectus legis.

4. Quia effectus legis naturalis *immediatè* proveniunt à dictamine rationis: nam *dirigit* dictando hominibus, quid agendum vel omittendum; obligat, & eſt norma conſcientiæ, quæ facta vel approbat, vel accuſat.

Quia dictamini conveniunt inſuper proprietates legis.

5. Quia habet omnes legis proprietates requiſitas: nam eſt *ſuperior*, ùt indita ab Authore naturæ; *Divina*, ùt indicans voluntatem Divinam, quæ hac lege, ſeu lumine rationis, vult hominem obligatum; *eſt præceptiva*, ùt intimans ordinationem divinam, qua Deus vult naturam, ex ſua conſtitutione naturali ſic obligatam, ut voluntas dictamini obſecundet; *eſt prohibitiva*, ùt intimat contraria dictamini diſplicere Authori, & Gubernatori Naturæ; ſtatuit pœnam & præmium, non quidem *immediatè*, ſed quatenùs indicat Deum offendi peccatis per transgreſſionem, à Deo punibilem, & coli per obſervationem præmiabilem.

Sed negativa ſententia eſt præferenda.

R. II. *Lex naturalis minùs limatè definitur per dictamen rectæ rationis circa ea, quæ homini agenda, vel omittenda ſunt.*

Quia lex conſtituì debet actu, & authoritate Superioris.

Ratio eſt 1. Quia omnis lex conſtituitur *actu*, & *authoritate* Superioris: ergo & naturalis: atqui dictamen rectæ rationis non conſtituitur *actu*, & *authoritate Superioris*: provenit enim à natura rationali, quæ ſe ipſa non eſt ſuperior, & ſimul inferior.

Debet eſſe præceptiva & obligatoria.

Ratio eſt 2. Quia omnis lex, *propriè talis*, debet eſſe *præceptiva*, & *obligatoria*: talis non eſt dictamen: nam 1. Conſiſtit tantummodò in actu *intellectûs indicantis*; *non voluntatis decernentis* obligationem. 2. Eſt obligatio hominis ad ſe ipſum, adeóque inefficax. 3. Eſt actu judicans, hoc vel illud objectum eſſe præceptum, adeóque formaliter non eſt lex: non enim ideò eſt præceptum, quia cognoſcitur; ſed ideò cognoſcitur, & judicatur eſſe præceptum, quia eſt: ſecùs actus intellectûs, quo quis judicat jejunium ab Eccleſia præceptum, foret ipſa lex de ſervando jejunio.

Indefectibilis.

Ratio eſt 3. Quia dictamen rationis eſt eſſentialiter *defectibile*, ac ipſa natura: ergo nequit eſſe regula *indefectibilis*: atqui lex naturalis debet eſſe regula *indefectibilis*.

Rationes affirmativæ ſententiæ non ſunt efficaces. Nam eſt ſufficienter ſcripta in corde virtualiter per dictamen, ùt legis conditionem eſſentialem.

R. III. *Rationes, ſuprà allatæ pro dictamine rationis, plus non evincunt, quàm illud eſſe applicationem, ſeu promulgationem, hoc eſt, conditionem legis Naturæ, eſſentialiter requiſitam.*

Aſſertum patet 1. Ex reſponſione ad primum de S. Scriptura. Lex naturæ eſt *ſcripta in cordibus*, ſcriptione promulgante ordinationem Divinam per dictamen, ùt conditionem neceſſariò requiſitam conformiter ad alias leges. C. Eſt *ſcripta in cordibus*, ſcriptione conſtituente ipſam legem. *Subdiſt.* Conſtituente *formaliter*. N. Conſtituente *virtualiter* in aliqua ſui *virtute*, vel *ſigno*, quatenùs non obligat, niſi

(a) *S. Damaſcenus* L. 4. c. 23. de fide. *S. Hieronymus* epiſt. 151. *S. Maximus* T. 5. *Biblior.* centur. 5. c. 13. *S. Auguſtinus* L. 2. de ſermone Domini in monte. *S. Ambroſius* ſupra cit. *Lactantius*. L. 6. de vero cultu. c. 8. *S. Chryſoſtomus* orat. 10. de ſervis. Videatur *Suarezius* de legibus L. 2. c. 4. n. 11. ſ. m. 77.

(b) Ad *Rom.* 13.

niſi ùt ſe tenet *ex parte hominis*, & per *dictamen* remanet promulgara. C. Plus S. Scriptura non probat, niſi extendatur ad legem impropriam: unde verba perdunt, qui diſtinguunt legem naturæ *ex parte Dei*, & *ex parte hominis*; uti eſt *primario* in Deo, ſecundariò *in homine*: hæc enim diſtinctio non tam definit legemnaturæ, quàm confundit.

Patres locuti ſunt minùs rigorosè, & impropriè.

Aſſertum patet 2. Ex reſponſione ad ſecundum de authoritate PP. Nam Patres *non in rigore ſcholaſtico*; ſed *ſenſu improprio* ſunt locuti: ergo nil probant pro dictamine. A. patet: ſiquidem legem naturæ *appellant conſcientiam*, quæ tamen aliud nil eſt, quàm *dictamen practicum*, *applicans legem in particulari*; vocant *naturam*, ſeu *rationem naturalem*, *intelligentiam &c.* id quod ipſis Adverſarijs diſplicer; vocant legem *ſcriptam*, *innatam &c.* eo ſenſu latiore, quo locutus eſt *S. Auguſtinus:* (a) *nulla anima eſt, quæ ratiocinari poſſit, in cujus conſcientia non loquatur Deus. Quis enim legem in cordibus hominum ſcribit, niſi Deus?* Ecce! ſubinfert *Caramuel:* Legislator non eſt ratio, ſed Deus: ratio autem eſt tabula, in qua DEI digito ſcribitur lex naturalis, per dictamen ſcilicet, tanquam promulgationem neceſſariò requiſitam. Theologos quod ſpectat, locuti ſunt illi ex falſo ſuppoſito, quòd plura naturæ prohibitione fiant *intrinſecè mala*, independenter à lege Divina, quòd minùs rectè dici, ſupra jam ſatis oſtendimus.

Unde dictamen eſt mera applicatio legis, homini intrinſeca.

Aſſertum patet 3. Ex reſponſione ad tertium de ratione. Nam 1. Lex naturalis eſt *in homine*; eſt *creata*; *ſcripta* in corde per dictamen, ſic ut dictamen ſit *formaliter* ipſa lex. N. Sic ut *ſit intrinſeca* homini, *creata*, & in corde *exarata* conditio, ad legem naturalem, *ùt ſe tenet ex parte hominis*, *eſſentialiter requiſita*. C.

Negatúrque ſuppoſitum, quòd legislatio tota debeat eſſe intrinſeca.

2. Negatur ſuppoſitum, quòd *tota* legislatio debeat *immediatè* eſſe in homine, ſed ſufficit, ut ſit in homine ſecundùm conditionem, ſeu applicationem *eſſentialiter* requiſitam.

Et indicat tantùm mala vel bona radicaliter, non formaliter.

3. Dictamen, independenter ab ordinatione Divina, indicat quædã eſſe mala *formaliter*. N. Eſſe mala *radicaliter*. C. Unde falſum eſt, malitiam illam rectè denominari *peccatum*; falſum eſt, eſſe legem à Deo ſuperadditam, vi cujus accipiat ſpecialem rationem mali, quam præter priorem habeat *in ordine ad Deum*, & ſecundùm hanc denominari *ſpeciali modo* peccatum &c. quæ omnia ex dictis alibi, ùt inania, corruunt.

Effectus ùt quò, non ùt quod.

4. Effectus legis naturalis proveniunt à dictamine *immediatè*, ſic ut dirigat, ac obliget *per ſe*, & *ùt quod*. N. Proveniunt, *tanquam ab applicatione legis*, ſic ut dirigat, & obliget *ùt quò*. C.

Non eſſet ſuperior, divina, præceptiva, propriè in ſe, ſed in alio.

5. Lex naturalis, conſiſtens in dictamine eſſet *ſuperior*, *Divina*, *præceptiva &c. propriè in ſe*, ùt ſumpta *immediatè*, *ac ſpecificativè*. N. *Impropriè* in alio, ùt ſumpta *reduplicativè*, ſeu ùt appellans legem Divinam ſuperadditam, Authorem Naturæ &c. C. Et N. Suppoſitum, quòd eatenùs *in ſe* dici poſſit lex, *propriè* talis, & non potiùs *applicatio* ordinationis Divinæ.

§. II. *§. 2.*

De vera juris naturalis eſſentia, ejúſque objecto.

Jus naturale.

Quæritur V. Quænam ſit vera eſſentia, ſeu definitio legis naturalis?

Si dicatur

℞. I. Rectè definitur, *ordinatio Divinæ ſapientiæ, per dictamen ſynteresis naturæ rationali manifeſtata, præcipiens rectæ rationi ſimpliciter conſentanea, & prohibens diſſentanea:* addunt alij de jure naturæ *impropriè* tali, vel etiam *permittens indifferentia*. In eundem ſenſum recidit definitio, qua dicitur eſſe *ordinatio divinæ ſapientiæ, per dictamen ſynthereſeos, naturæ rationali impreſſum, qua dirigitur ad finem ſuum ultimum, per media neceſſaria conſequendum.* *

Ordinatio Divinæ ſapientiæ.

Explicatur definitio. Dicitur 1. Ordinatio, ut, *tanquam genus*, conveniat cum jure legali. 2. *Ordinatio Divina*, ut, *tanquam cauſa efficiens juris naturalis*, ſignificetur *intellectus Divinus*, agnoſcens convenientiam objecti cum natura rationali; *præcipuè* tamen, & *primariò Divina voluntas* obligans ad id, quod recta ratio dictat.

3. *Na-*

(a) L. 2. de ſerm. Domini in monte.

* Concordat *Cicero* ad *Lucilium* epiſt. 65. dum ait, naturæ jus eſſe à *Deo*, *tanquam Authore naturæ; impreſſum, inditúmque cordibus noſtris, per quod ſecundùm dictamen rationis practicæ actus humanos liberos ad bonum, juſtúmque dirigimur. Vitrarius* in Inſtit. J. N. & G. f. n. 5. *breviter*, ſed minùs *methodicè* ait: jus naturæ eſt, *quod Deus per rectam rationem inter omnes homines conſtituit propter honeſtatem, & turpitudinem.*

Natura rationalis manifestata.

3. *Natura rationali*, ut indicaretur *subjectum*, quod est *omnis*, & *solus homo*: *omnis*; quia, qui homo, simul est rationalis: *solus*; cùm ineptè dicatur, jure & regulâ rationis gubernari, qui ratione non pollet. Unde nullo modo cadit in bruta; in infantes, & mente captos cadit non nisi *in actu primo*.

Per dictamen syntereseos.

4. *Per dictamen synteresеos manifestata*, ut clarefceret dictamen non esse *legem*, sed *applicationem legis*, non aliter, ac dictamen rationis in subdito de servanda lege humana est applicatio. Est autem *dictamen synteresis*, judicium practicum *habitûs primorum principiorum* moralium, rectè dicente *Gonzales*: (a) *lumini naturalis rationis subservit synteresis, quæ est virtus, vel mentis nostræ habitus, quo inducimur ad consequenda imperata per jus naturale, & adfugienda quæ prohibet*. Dicitur *lex*, *per dictamen impressa*, seu *scripta* in natura rationali, quatenus, seu spreto seu attento hoc legis indice, mox exurgit *conscientia*, seu, ùt loquitur Mellifluus, *cordis scientia*, testificans accusando, vel consolando.

Præcipiens rectæ rationi consentanea, & prohibens dissentanea.

5. *Præcipiens ea &c.* ut significaretur *duplex* esse jus naturale, *affirmativum*, seu *præceptivum*; *negativum*, seu *prohibitivum*, qua de re infrà. Item ut significaretur objectum juris naturalis, hoc est, omne id, quod rationi naturali, quà tali, vel absolutè convenit, vel absolutè disconvenit. *Permittens indifferentia* significat illam juris naturalis acceptionem, qua *impropriè* dicitur *facultas aliquid agendi, vel omittendi à natura concessa*, & *reductivè* saltem pertinet ad jus naturæ, *propriè* acceptum.

Rectè definitur.

℞. II. *Hæc definitio juris naturæ est satis exacta, ac cæteris præhabenda.*

Quia servat leges definitionis.

Probatur 1. Quia est clara, habet *genus*, & *differentiam*, convenit omni & soli, nec ostendi potest, in quo deficiat à legibus exactæ definitionis.

Est melior cæteris.

2. Lex naturæ *malè* definitur *per naturam rationalem*; minùs limatè *per dictamen rectæ rationis*, ùt vidimus: ergo meliùs *per ordinationem divinam*, mediante dictamine nobis indicatam &c.

Et Deo, Authori Naturæ, tribuit legislationem naturalem, propriam, ac immediatam.

3. Deus, ùt *Author Naturæ*, tenetur *propriè* vetare mala, & præcipere bona, dicente *S. Anselmo*: (b) *Quicunque legi naturali obviat, Dei voluntatem non servat*: ergo tenetur vetare per legem Divinam, *propriè naturalem*; non *superadditam* legi naturali dictaminis: ergo per legem non tantùm *fundatam* in essentiis rerum *per se malis*, & prohibentem mala, quia sunt; sed fundatam quidem in exigentiis rerum, prohibentem tamen *radicaliter* mala, ne talia *formaliter* sint; ergo tenetur vetare non tantùm, *ùt Author Naturæ*, creando hominem rectum; sed *propriè*, ùt Legislator, *per ordinationem immediatam*, ùt homo rectus perseveret, & per operationes, rationi dissonas, rectus esse non desinat.

Unde lex naturalis non est extra naturam, saltem adæquatè.

℞. III. *Quæ in oppositum afferri solent, levia, immo inania sunt.*

Opponunt I. Quòd lex naturalis hac ratione sit *extra naturam rationalem*. *Sed contrà est*: D. Est extra naturam rationalem *adæquatè*. N. *Inadæquatè*. C. Nam etsi *principaliter*, ùt consideratur *in Deo*, *sit propriè lex Divina, non positiva*, sed *naturalis*, utpotè posita *à Deo*, *ùt Authore Naturæ*, adeóque indistincta à lege æterna, *ùt præcipiente vel prohibente in hac materia*; est tamen *virtualiter*, & *secundariò* etiam in natura, tanquam signum, & conditio ad legem necessariò requisita, quatenus consistit etiam in dictamine rationis, significante voluntatem Dei de agendis vel vitandis, circa ea, quæ naturæ rationali consentanea, vel dissentanea sunt. Unde

Etsi sit in Deo principaliter, in homine secundariò.

Colligitur I. Quòd lex naturæ, *ùt est in nobis*, dupliciter spectari possit: *minùs propriè in actu primo*, seu secundùm *habitum*; & *propriè in actu secundo*, seu juxta *actum*. In priore sensu nil aliud est, *quàm lumen, seu vis cognoscendi voluntatem Dei, vel prohibentem dissentanea, vel præcipientem consentanea rationi*, & in hoc sensu *est congenita, permanens*, & etiam, homine nil judicante, concipitur retineri *scripta in cordibus*. In acceptione posteriore *est judicium rationis, manifestans voluntatem Dei, vel præcipientem rationi consona, vel prohibentem contraria*, & in hoc sensu est verè *intrinseca*, diciturque *transiens*. Inde *Angelicus* rectè dixit: *legem naturalem contineri principaliter in lege æterna Dei; secundariò verò in natu-*

(a) In apparatu de Orig. & prop. Juris Can. n. 9.

(b) L. de voluntate Dei.

naturali judicatorio rationis humanæ. (a)

Iis ſignum manifeſtans ordinationem divinam.

Colligitur 2. Quòd dictamen de objecto non ſit *nuda repræſentatio* naturalis diſconvenientiæ, vel convenientiæ cum natura rationali; ſed etiam *promulgatio ordinationis Divinæ*, ſeu *ſignum divinæ voluntatis*, id præcipientis, vel prohibentis, & conſequenter conditio ad legem, *quà obligantem*, neceſſariò requiſita.

Differt ſufficienter à lege poſitiva.

Opponunt II. Quòd, ſi dictamen ſit *ſola promulgatio*, lex naturalis non diſtinguatur *à lege poſitiva*, promulgata per Scripturam ſacram &c. niſi *in modo promulgationis*, quatenus hanc per verbum internum dictaminis Deus intimaret. Sed

Quò ad cauſam efficientem.

Contrà eſt, quòd multiplex ſit diſcrepantia legem *naturalem* inter & *poſitivam*.

Nam 1. Differt *in cauſa efficiente:* dum jus naturæ Deum, *ut Authorem naturæ*; poſitivum, aut hominem, aut Deum, *ſub alio tamen reſpectu*, pro fonte agnoſcit.

Materialem.

2. Differt *in cauſa materiali*: nam objecta juris naturæ, antecedenter ad prohibitionem, fundant radicalem, ſeu phyſicam quamdam ſeu bonitatem ſeu malitiam; juris poſitivi capita, independenter à prohibitione, vel præcepto ſunt indifferentia.

Formalem.

3. Differt *in cauſa formali*: ſiquidem jus naturale ſola Dei, tanquam Naturæ naturantis, voluntate conſtitutum, ac hominum mentibus inditum, nec voce, nec ſcripturâ promulgatur; jus poſitivum, non cordi impreſſum, legitur, ſed vel ſcripto exaratur, vel voce præconis promulgatur.

Finalem.

4. Differt *in cauſa finali*: finis enim legis naturalis eſt felicitas neceſſaria totius naturæ, in ſe conſideratæ; finis legis poſitivæ pro legum varietate varius eſt, ſpectâtque felicitatem omnigenam, variíſque in circumſtantijs variam.

Effectum.

5. Differt denique *in effectu*: nam jus naturale obligat omnes, quotquot intellectuali natura pollent, & tantâ quidem efficaciâ, ut mutationem, *propriè* talem, non recipiat; contrà jus poſitivum non omnes, ſed Legiſlatori ſubjectos, obſtringit, nec tanta virtute, ut mutationem, *propriam* quoque, non patiatur.

§. II.

De diviſione, & objecto Juris naturæ.

§. 2. Diviſio juris naturæ.

Analoga in jus primarium, & ſecundarium.

Quæritur VII. Quotuplex ſit jus naturale?

℞. I. Nulla eſt diviſio juris naturæ *in primarium*, quod commune hominibus & brutis; *& ſecundarium*, quod ſolis hominibus proprium. Nam eſt æquivoca; eò quòd nec ratio, nec jus conveniat brutis: unde in jure (b) ſumitur *impropriè pro inſtinctu naturæ ſenſitivæ*, cùm dicitur eſſe id, *quod natura omnia animalia docuit.*

Satis recepta in abſolutum, & conditionatum.

℞. II. *Satis recepta* eſt penes Authores diviſio juris naturæ *in abſolutum & conditionatum.* Illud *immediatè* obligat in ſuis materijs, & *independenter* ab omni prævio ſtatu, conſenſu, vel conditione: uti *colere Deum*, *non mentiri &c.* Hoc obligat ſolummodò *mediatè*, ſeu *factâ ſuppoſitione ſtatûs* cujuſdam, vel conſenſûs humani, hoc eſt, *dependenter* ab aliqua conditione: ſic pacta obligant *mediante contractu liberè inito*; rerum proprietas tenet *ſuppoſito ſtatu diviſionis factæ*; ſolutio debiti ſtringit, *ſi creditor rationabiliter petat*, vel *niſi remittat &c.* Sed quia jus naturale ſemper *idem in ſe*, & propriè loquendo *abſolutè* eſt invariabile, eò quòd ſuppoſitio ſtatûs, conſenſûs, vel conditionis qualiſcunque, *ſolummodò ſit prærequiſita*, ut reſultet materia juris naturalis, ſine qua, ut nulla unquam fuit obligatio naturalis, ita illa datâ ſemper *eſt abſolutè*, multis non placet iſthæc diviſio, qua tamen in re, quia attinente modum loquendi, nos ad aliorum arbitrium facilè accommodamur.

Legitima in affirmativum & negativum; reductivè in conceſſivum, ſeu permiſſivum.

℞. III. *Legitima* eſt diviſio juris naturæ *in affirmativum*, cujus objectum eſt poſitio actûs, ſeu quo aliquid præcipitur; & *in negativum*, * cujus objectum eſt omiſſio actûs, ſeu quo aliquid prohibetur. *Reductivè*, & *impropriè* dividi ſolet in jus *conceſſivum*, vel

---

(a) 1. 2. Q. 71. A. 6. ad 4.

(b) Inſtit. de J. N. & G. in principio.

* *Negativum* ſumunt alii pro *permiſſivo*, & ita nominant, *quia objecta illius, poſitiva diſpoſitione & obligatione, recta ratio non attingit*: non improbamus loquendi modum, ſed tamen cum pluribus aliter loquimur.

vel *permiſſivum*, * oujus objectum, *reſpectu juris naturæ*, eſt *actus indifferens*, nec *poſitivè* præceptus, nec *poſitivè* prohibitus, qualis eſt *communio rerum*, & *libertas homini conceſſa*; diviſio rerum, & ſervitus *permiſſa*. Si quæras, an inter objecta *conceſſa*, & *permiſſa* ſit aliquod diſcrimen? ℞. Eſt: nempe quòd *ad conceſſa* ſuo modo *poſitivè*; ad permiſſa *negativè* ſe habeat natura, ad illa potiùs *inclinando*, ad iſta *non repugnando*.

Thomaſius inaniter cavillatur diſcrimen præcepti affirmativi & negativi.

n. IV. *Thomaſio* ſcholaſticum pulverem olet iſtæc diviſio, cujus uſum dicit *exiguum*, & ſubtilitate ſuperfluâ *implexum*. (a) Sed, inquit Scholaſticus, uſus ſe exerit haud contemnendus. Præcepta *affirmativa* obligant *ſemper*; *negativa ſemper*, & *ad ſemper*. Ego verò, reponit *Thomaſius*, *rebare te fari ſcio, ſed fabare neſcio*: loquamur, ut unus intelligat alterum. Utraque præcepta, replicat Scholaſticus, ſemper obligant, quia ſunt æternæ veritatis. Sed affirmativa oon obligant *ad ſemper*, id eſt, non obligane omnes homines, oec *omni momento*: v. g. *cole Parentes*, *da eleemoſynam &c.* Negativa verò *omnes*, & *omni tempore* obligant v. g. *neminem læde &c.* Sed urget *Thomaſius*: an non itaque præcepta: *Superiori pare*, *honeſtè vive*, *ſuum cuique tribue*, obligant *omnes*; & *omni momento*? An lex: *non committe crimen læſæ Majeſtatis*, omnes homines, & v. g. ipſos Principes obligat? Vides, inquit, effectus hos non *ab affirmatione*, *vel negatione* dependere, ſed aliunde eſſe arceſſendos: ſcilicet leges naturales vel inculcant officia hominum, in quacunque ſocietate viventium; vel ad officia pertinent ſingularum ſocietatum particularia. ** Item: homo, uno eodémque momento, poteſt vel mille actus diverſiſſimos omittere, actus diverſos, eóſque ſpeciales, uoo plures, commodè agere nequit. *** Hæ ſunt iſtæ ſubtilitates, quas quis, ſine dictis elegantiarum floſculis, capere poteſt. In eo tamen putamus, adæquatum hujus diſtinctionis eſſe uſum, quòd præcepta ſpecialia, juris Divini *affirmativa*, *ſemper exceptionem ſummæ neceſſitatis habeant*; *negativa non ita*. Hæc Scholaſticorum diaſyrticus cavillator. Sed prævalet communis lingua balburienti *Thomaſio*: nam 1. Teſte *Puffendorfio*, *hæc præcepti affirmativi*, *& negativi natura eſt*, *quòd hujus obligatio ſit perpetuò uniformis*, *& æqualiter efficax*; *illa*, *ad exercitium actûs*, *occaſionem*, *materiam*, *& facultatem præſupponat*, *quæ ſæpe deficit*. (b) Inde præceptum, *Superiori pare*, ad poſitionem actûs non obligat pro ſemper, *ſeu omni momento*, ſed data occaſione; *ſuum cuivis tribue*, non obligat niſi ſuppoſita facultate, ni obſtet extrema neceſſitas, uti ipſe *Thomaſius* explicat. **** Præceptum *honeſtè vive*, ùt eſt *affirmativum*, *non omni momento* obligat ad poſitionem actûs honeſti; etſi *ut negativum* obliget *ſemper pro ſemper* ad omiſſiooem inhoneſti. De præcepto negativo *criminis læſæ*, *feloniæ*, nugæ ſunt, cùm utique ſe extendat ad omnes, ſed *obligationis capaces*.

2. Balbutit *Thomaſius*, cùm ait; præcepta affirmativa, *ſaltem generalia*, obligare *omni momento*: an ergo præceptum, *colendi Parentes*, *omni* obligat *momento*? Nempe obligatio *omni momento* manet, ſed non niſi ad actum, *ſuo tempore* ponendum.

3. Balbutit deniquè, dum ex falſo ſuppoſito juris naturæ, *reſpectu Gentium* & *ſingulorum*, præcepta univerſalia, & particularia; ***** affirmativa verò & negativa, *imperitè eorundem expreſſione*, penitus confundit. Sed nova *fabari* juvat inſomoia, *Scholaſtici* ut carpi queant.

Qua-

---

* *Permiſſivum* alii vocant, *eò quòd exercitium actionis circa talia objecta pendeat ex libera Gentium*, *ſeu hominum voluntate*.

(a) Jurispr. Div. L. 1. c. 2. n. 110. & ſequent.

** Subdit in notis, *illa ſive ſint affirmativa*, *ſive negativa*, *omnes homines obligant*; *hæc illos ſaltem*, *ad quorum ſtatum pertinent*.

*** Subdit: *Unde non omnia præcepta affirmativa ſpecialia obligant omni momento*, *ſed generalia ſaltem*.

(b) De jure naturæ & Gentium. L. 2. c. 6. §. 2. Item L. 5. c. 12. §. 23. In quæ & ipſe *Thomaſius* conſentit. L. 2. c. 2. n. 143.

**** Addit: etſi creditor in pari neceſſitate foret conſtitutus, *quia putat poſſidentem præferendum*. Sed quid ſi alii putarent oppoſitum?

***** Nam n. 101. dividit legem naturalem intuitu *ſocietatum*, & viventium in ſocietate; illa, inquit, appellari ſolet *jus Gentium*: ipſe vocat *jus naturale ſtrictè dictum*. Sed iſthæc vocabulorum abuſio detegetur infrà.

Objectum materiale juris naturalis. *Quæritur VIII. Quale sit objectum materiale & formale legis naturalis?*

℞. I. *Materia, seu objectum materiale legis naturalis est omne, quod convenit naturæ rationali, ut præcipiatur; & omne, quod eidem disconvenit, ut prohibeatur ab Authore Naturæ. Unde lex naturalis*

Principia morum generalia immediata. *Versatur 1.* Circa principia morum *prima generalia*, ac *nota per se*, qualia sunt: *bonum faciendum, malum vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* Item principia, magis quidem *particularia*, & ipsa tamen *ex terminis nota*. v. g. *Justitia est servanda, Deus colendus, temperatè vivendum. Ratio est:* quia ad hæc omnia natura rationalis *immediatè* inclinat, sic ut *absque ratiocinatione* ex ipsa veluti profluant.

Particularia, ex primis evidenter illata. *Versatur 2.* Circa conclusiones, ex primis principijs moralitatis *evidenter* deductas, seu circa omnia præcepta moralia, quæ fundant honestatem, moribus necessariam, sive dein *proximè*, vel *remotè* inferantur ex primis principijs. Horum aliqua *faciliùs*, & *à pluribus, ùt adulterium, furtum*, aliàque in decalogo contenta &c. alia *difficiliùs*, & *per plures rationis discursus* eruuntur, uti *præcepta negativa* de vitandis usuris, de vindicta privatâ authoritate non sumenda; & *præcepta positiva* de servandis promissis, de eleemosyna ex superfluis *juxta non nullos. Ratio horum omnium est*, hæc ipsa evidens connexio, convenientia cum natura rationali, & veluti necessitas, qua ejusmodi scita ex ipsa natura, & à Deo, ùt Authore naturæ, mediante ratiocinatione eruuntur, eò quòd tendant ad eundem finem cum suis principijs, debitâ nempe conservationem & felicitatem naturæ humanæ. Cùm igitur principij veritas contineatur in conclusione, hoc ipso, qui unum præcipit, vel prohibet, necessariò quoque præcipit, vel prohibet in illo contenta, & per evidentem illationem deducta.

Item exercitium virtutum quandoque, & suo modo. ℞. II. Teste *Suarezio* (a) etiam virtutes possunt esse *suo modo* materia legis naturalis, quatenus quandoque datur obligatio naturalis, saltem venialis, quò *ad earundem exercitium. Ratio est*: quia, cùm ex omnibus virtutibus, simul sumptis, resultet integra rectitudo hominis, & debitus operandi modus, tam respectu sui, quàm in ordine ad alios homines, verosimile est, virtutes omnes habere suas opportunitates, & circumstantias, in quibus ex obligatione vera, ac naturali, exercendæ sunt, quam obligationem nec liberalitas, nec quævis virtus alia excludat.

℞. III. *Forma*, seu *objectum formale* juris naturæ consistit *in conformitate* principiorum cum lege Dei, *tanquam norma universali*, per quam naturæ congrua, vel dissona fiunt *formaliter* honesta, vel inhonesta, justa, vel injusta &c. Et per hanc formam jus naturale differt specificè *à conscientia*, quatenus hæc est *applicatio omnis legis*, non tantùm naturalis, sed & positivæ, immò etiam existimatæ, adeóque latiùs patet; item quatenus est *applicatio legis naturalis per dictamen practicum* de ijs, quæ hic & nunc in particulari agenda sunt. Unde quatenus dictamen conscientiæ est promulgatio legis Divinæ, est *constitutivum essentiale* juris naturalis; quò *ad vim obligandi completam*, dicitùrque eruditissimo *Stapfio* forma juris naturalis *extrinseca*. Illud rectè animadvertit *Suarezius* noster: (b) Licèt *promulgatio* fiat in singulis, non tamen censetur propositio *particularis*, sed communis vox totius naturæ, vel potiùs naturæ Authoris: siquidem loquendo ad singulos non loquitur ùt persona privata, sed publica, quia loquitur ùt Author ipsius Naturæ. *Objectum formale conformitas principiorum cum lege Divina.*

§. III.

§. 3. *Proprietates juris naturalis Unitas.*

De proprietatibus juris naturæ.

Quæritur IX. Quænam sint proprietates juris naturalis?

℞. I. *Unitas quò ad finem*: etsi enim in quovis homine sint plura præcepta naturalia, in omnibus tamen non nisi *unum* resultat *jus naturale. Ratio est*: quia omnia præcepta naturalia reducuntur *ad unum principium, unum finem, unum Authorem.*

℞. II. *Uniformitas*: nam una est lex naturæ *in omnibus*, & *ubique*, nec ex varietate locorum variationem recipit, ùt leges humanæ. *Quòd una in omnibus sit, ratio est*: quia est proprietas consequens non rationem propriam alicujus individui, sed naturam specificam, quæ eadem est in omnibus, & ubique. Et hæc est haud dubiè causa, cur *Stagirita* jus naturæ describeret *Uniformitas.*

(a) L. 2. de legibus. c. 7. n. 12.

(b) L. 1. c. 11. n. 4. de legibus.

ferit suprà, (a) *quod ubique eandem vim habet, & non quia videtur, & non videtur.* Unde, quòd *Germani* veteres probârint *furtum*; *Lycurgus* etiam *adulterium &c.* tantùm probat, quòd non sit eadem in omnibus, *quò ad notitiam; non quò ad substantiam.* Quòd una *ubique*, hoc est *omni tempore & statu humanæ naturæ*, ratio est, quia non sequitur ex statu aliquo naturæ, sed ex ipsa natura *secundùm se.* Et licèt nonnullis visum, quòd, cùm *in statu naturæ integræ* fuisset *omnium libertas, bonorum communio &c. in statu naturæ lapsæ sit servitus, rerum divisio &c.* ita aliud fuisset jus naturæ in illo, quàm sit in isto, haud tamen sequitur, quòd aliud fuisset *quò ad existentiam præceptorum*, sed tantùm *quo ad obligationem & exercitium*, quatenus in isto occurrunt occasiones exequendi aliqua præcepta, in illo alia. Sic eadem est ars medica, etsi alia præscribat facienda *pro statu & tempore ægritudinis*; alia *pro statu sanitatis.*

Universalitas. ℞. III. *Universalitas*: cùm enim fundamentum habeat in ipsa ratione, obligat omnes, in quibus recta ratio est; & sub hoc respectu apud Jureconsultos non rarò confunditur cum *jure Gentium*, auditque *commune omnium Nationum.* (b)

Evidentia. ℞. IV. *Evidentia* quò ad omnes, sic ut *invincibiliter* ignorari haud possit *ex toto*, seu quò ad principia, *saltem prima*, uti initio diximus. Quò ad principia, *magìs particularia*, etsi invincibili ignorantiæ subsit, vix tamen subesse potest *ad longum tempus*, cùm quòd facili discursu cognosci possint; tum quòd ipsa natura, ac conscientia per remorsus excutiat brevi ignorantiam inculpabilem, præcipuè circa præcepta Decalogi, & similia, uti *Suarezius* animadvertit.

Excellentia. ℞. V. *Excellentia*, qua rectè statuitur norma omnium cæterarum legum: nam si ab hac æquitatis regula lex positiva deflectit, legis nomen jam non meretur, sed evadit in corruptelam. Etsi enim lex humana circumstantiam aliquam addere, vel detrahere possit juri naturæ, * non tamen potest præcipere, quod jure naturæ prohibetur; vel prohibere, quod eo jure præcipitur.

Jus naturale. *Quæritur X. An, & quomodò juri naturæ competat proprietas immutabilitatis?*

℞. I. *In genere. Jus naturale, propriè tale, mutationis veræ est incapax, adeóque absolutè loquendo immutabile.* 2. *Unde certò falsa, & absurda est Ockami, & aliorum sententia, quæ mutabilitatem legum naturalium universalem, eámque propriè talem adstruunt.*

Propriè tale, non merè permissivum. *Explicatur Assertum.* Dicitur 1. jus naturale *propriè* tale, hoc est, *præceptivum*, vel *prohibitivum*: nam de jure naturæ, *impropriè tali*, quod *concessivum*, *permissivum*, seu merè *negativum* appellant, dubium non est, quin sit *mutabile. Ratio est*: quia nil præcipit, nec prohibet, sed merè *negativè* se habet, aliquid concedendo, vel permittendo: ergo superveniente necessitate à Legislatore humano mutari, ac tolli potest. Res patet *in primæva libertate, rerúmque communione*, homini concessa à Natura, quæ justis de causis mutata est, inducta *servitute, rerúmque divisione.* Sic jure naturæ *concessa* cuivis venatio, sed modò justis de causis à Legislatore humano restricta est, vel abolita; sic jure naturæ *concessivo* testatio valida est absque ulla solemnitate, & tamen jure positivo invalidata est absque testibus; personæ quædam inhabilitatæ; determinata successio ab intestato, & sic de alijs. Ubi tamen rectè notat *Suarezius* noster, juri naturæ, *impropriè tali*, seu permissivo, semper conjunctum esse jus *propriè tale*, seu *præceptivum*: nam stante primæva communione bonorum, & libertate, ejúsque dominio homini concesso, fuit lex naturalis *præceptiva*, ut ne quis in utriusque usu *injustè* impediretur, vel privaretur invitus. Sic jure Gentium inductâ rerum divisione, & servitute, quam jus naturæ *merissimè permittit*, ** successit lex

(a) L. 5. Ethic. c. 7.

(b) In Can. 7. Dist. 1.

* Atque hoc sensu accipiendus est textus L. 6. ff. de J. & J. quo *Ulpianus: Jus civile est, quod neque in totum à naturali vel Gentium recedit, nec per omnia ei servit: itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est, civile efficimus.*

** Inde rectè observat *S. Augustinus* tr. 6. in *Joannem* in fine: quòd *libertas* & *rerum communio* magis sit de jure naturæ, quàm *divisio*, & *servitus.* Nam natura

lex *prohibitiva furti, vagaq; libertatis &c.*

Est incapax mutationis vera, hoc est, afficientis ipsam legem, ejúsque obligationem, manentibus ijsdem circumstantijs.

Dicitur 2. Mutationis *vere* incapax: siquidem mutatio *vera, propria,* & *formalis* (de qua hic agitur) tunc intercedit, quando *directe* afficit ipsam legem, vel ejus obligationem, hoc est, quando, *manentibus ijsdem circumstantijs*, lex in se, vel *totaliter*, vel *partialiter* tollitur, uti evenit *in abrogatione*, vel *dispensatione*. Mutatio *improprie* & *mere materialis* (quæ nihil officit immutabilitati legis naturalis) tunc intervenit, quando non ipsam legem, sed ejus tantùm *materiam* afficit, hoc est, quando materia à lege, seu Legislatoris mente eximitur, quod fit, si circumstantia, quæ obligationem fundat, mutetur, sic ut materia non ampliùs sit sub prohibitione, vel præcepto legis. Sic in exemplo: *furtum* est prohibitum jure naturæ, quatenus est *ablatio rei alienæ Domino rationabiliter invito*, & sic est incapax mutationis *propria*, adeóque, *manentibus hisce circumstantijs*, lex absolutè est immutabilis. Quòdsi tamen, *ablatâ* vel *additâ circumstantiâ*, mutetur materia legis v. g. *Domino consentiente*; Deo, ùt *supremo Domino*, jus concedente in rem, vel necessitate ultima accedente, non mutabitur *lex furti* prohibitiva, sed materia eximetur à lege, ne ampliùs *furtum* sit, quia *ablatio rei non aliena*, vel saltem *Domino non invito*.

Adeóque absolutè loquendo immutabile.

Dicitur 3. Absolutè immutabile, sic ut neque *per Dei absolutam authoritatem*, atque *potentiam*, mutari possit manente natura rationali cum usu rationis, ac libertatis, sive dein *lex universalis* sit, sive *particularis*.

Contrà quàm sentiat Ockamus cum nonnullis.

Dicitur 4. Ockamum adstruere mutabilitatem *universalem*, & *propriè talem*, siquidem existimat, Deum, ùt *supremum Legislatorem*, & *absolutum Dominum*, non solùm dispensare posse, sed etiam abrogare legem naturalem solvendo præcepta Decalogi, aliáque, ex primis moralitatis principijs *immediatè* deducta dictamina. (a) His præmissis.

Nam quò ad constitutiva intrinseca, supposita naturâ rationali, est necessaria.

Probatur Assertum quò ad 1. membrum. Jus naturale, si mutari *propriè* posset, tunc vel *intrinsecè*, per se ipsam desinendo, sic ut fieret *noxia, irrationalis, injusta*; vel *extrinsecè* per potestatem superiorem, sic ut *abrogaretur* in totum, vel saltem *dispensaretur* ex parte: neutro modo mutari *propriè* potest: ergo nullo. *Min. Prob. quò ad 1.* Jus naturale, ùt *est ordinatio divina*, & *in Deo*, est *lex æterna, essentialiter recta*: ergo immutabilis; ùt est *applicatio legis*, & *in homine*, quò ad sua præcepta est proprietas hominis *intrinseca*, necessariò fluens ex natura rationali, *quà tali*: ergo, manente naturâ, est immutabilis.

Quò ad potestatem extrinsecam, divinam, qua uti nequit rerum essentias, ita nec proprietates, seu veritates, ex essentijs necessariò deductas, mutare.

Probatur eadem Min. quò ad 2. Si mutari posset *extrinsece* per potestatem superiorem, tunc vel *per Divinam*, vel *per humanam* v. g. *Pontificiam*. Non *per divinam*: nam qua tenus consistit in principijs primis, per se notis, dicit veritates, stantibus rerum naturis, *æternas* & *necessarias*: ergo immutabiles à Deo. Quatenus notat conclusiones, ex primis principijs *immediatè & evidenter* deductas, dicit veritates æquè necessarias: ergo æquè immutabiles à Deo. *A. Patet.* Nam veritas principiorum nequit consistere sine veritate talium conclusionum: ergo judicium, fundatum in his principijs, nunquam potest esse falsum, sed oportet esse necessariò verum.

Unde multò minùs potestas humana, divina subordinata.

At multò minùs mutari potest *per potestatem humanam*: nam Legislator est *ipsemet Author naturæ*, contra quem potestas inferior prævalere nequit. (b) Accedit, quòd jus naturale sit fundamentum humani juris: ergo hoc illi derogare non potest; secùs fundamentum suum, & consecutivè se ipsum destrueret.

Us adeò mutatio vel abrogatio, propriè talis, redundaret in præju-

Probatur Assertum quò ad 2. membrum. Si Deus, *ùt supremus Legislator, & Dominus*, dispensando, vel abrogando mutare posset præcepta naturæ, tunc ideò juxta *Ockamum*, quia versantur circa mala vel bona, non nisi *sola prohibitione*, vel *præceptione* talia: hæc

natura homines fecit liberos *positivè*, non autem servos *positivè*; cuivis dedit potestatem utendi rebus cum jure intrinseco, non autem sic fecit proprietatem & dominationem: unde jus illud diximus *concessivum*, hoc *permissivum*.

(a) In 2. Q. 19. ad 3. dubium apud *Suarezium* de legibus. L. 2. c. 15. n. 3.

(b) C. *Inferior.* Dist. 21. *Clemen.* Ne Rom. de elect.

dicium Authoris naturæ, quod absurdum, & certò falsum.

hæc ratio frivola est: nam etsi talia sint *formaliter* per solam prohibitionem, vel præceptionem Dei; tamen multa legis objecta v.g. *odium Dei*, *mendacium &c.* uti sæpe inculcatum, ex sua natura, & contrarietate essentiali cum fine, naturæ rationali præfixo, sunt talia, ut fundent malitiam, saltem *radicalem*, & *physicam*, vi cujus, *consequenter* ad hominis creationem, ab Authore naturæ *necessariò* sunt prohibita, quia aliàs redundaret imperfectio in ipsum Deum, ùt naturæ Authorem, & Gubernatorem. Nam si posset non prohibere ejusmodi mala materialia, posset & imperare, adeóque & ipse posset *se odisse*, posset *mentiri*, sicque odio se ipsum habendo, simul *virtualiter* se amaret obsequendo, & simul non amaret odiendo, quæ utique sunt absurdissima, uti rectè notat *Suarezius*. 2. *Fidelis Deus se ipsum negare non potest:* (a) sed si legem naturæ mutaret, mutatione *propriè tali*, vel abrogando, vel dispensando, se ipsum negaret. *Min. Prob.* Negaret sibi deberi cultum, amorem &c. quin & affirmaret se odio & injuria dignum &c. hoc ipso, quòd præcepta similia abrogaret, vel dispensaret.

Jus Naturæ est tamen capax mutationis, impropriè talis, seu afficientis materiam legis.

℞. II. *Etsi jus naturale sit absolutè incapax mutationis, propriè talis, uti ostensum, non uno tamen in casu mutari potest mutatione impropriè dicta, seu tali materialiter; & quidem non tantam à Deo, ùt Legislatore supremo, & Domino absoluto, 2. Sed etiam ab homine, seu potestate humana.*

Casu, quo hac sit subjecta potestati Dei, ùt absoluti Domini.

Probatur Assertum quò ad 1. Casu, quo jus naturæ *materiam* respicit, *potestati Divinæ subjectam*, non aliter obligat, quàm hac conditione imbibitâ, *nisi Deus, ùt absolutus Dominus viâ extraordinariâ aliter disponat:* ergo hoc casu jus naturæ mutari poterit *non propriè*, seu mutatione cadente *in ipsam legem*, vel ejus obligationem: ergo *impropriè*, seu mutatione cadente *in materiam legis*, accedente circumstantiâ extractam ab obligatione legis. Res clarescet in exemplo. Occisio *Isaci* erat materia, potestati *DEI, ùt absoluti Domini vitæ, necisque*, subjecta, adeóque, uti per se ipsum *immediatè*, ita & *mediatè* per alium *justæ* executioni mandanda: ergo per imperium, *Abrahamo* datum, velut per accedenté circumstantiam, materia hæc mutata, & exempta a lege est, sic ut non fuerit *homicidium* lege vetitum, quod dicit *occisionem, nulla legitima authoritate, justáque causa factam:* & sic de alijs, de quibus infrà. Inde

Quæ mutatio malè dicitur à nonnullis dispensatio.

Colligitur 1. Hanc *materiæ mutationem*, haud rectè à non nullis vocari *dispensationem:* nam *dispensatio* est *exemptio subditi ab obligatione legis, facta per Legislatorem*, cujus solius, uti est legem condere, ita ejusdem est legem abrogare in totum, vel ex parte: atqui in hoc casu, aliisque similibus, non fit exemptio subditi ab obligatione legis; sed mutatio materiæ, ne ampliùs sit sub obligatione legis; non fit *à Legislatore* per potestatem *legislativam*, sed *à supremo Domino* per potestatem *absolutam*.

Nisi forsan respectu ordinarii cursûs.

Colligitur 2. Hanc materiæ mutationem à Doctore mellifluo (b) vocati quidem dispensationem, sed *non respectu præcepti naturalis*; sed *respectu ordinarij cursûs*, legisque Divinæ Providentiæ, quatenus Deus *ex absoluto Dominio* hic procedit.

Quæ mutatio in iis, quæ fundant malitiam physicam, non procedit.

Colligitur 3. Hanc mutationem materiæ non procedere in eo casu, quo jus naturæ respicit materiam arbitrio, seu potestati Divinæ haud subjectam; qualis est *Idololatria*, *mendacium* &c. aliáque in se radicaliter inhonesta propter essentialem repugnantiam cum ratione, ac fine Creaturæ rationali proposito: hæc enim, ùt sæpe dictum, si ullis in circumstantiis Deus posset facere licita, se ipsum facere posset defectuosum, quod implicat.

Unde est differentia in præceptis primæ & secundæ tabulæ.

Colligitur 4. Differentia inter præcepta primæ & secundæ tabulæ *Mosaicæ*. Illa enim neque mutationem impropriam, seu in materia, recipere possunt; hæc saltem pleraque ejusmodi mutationis sunt capacia, ùt infrà magis dilucidabitur.

Eadem est ratio mutationis, si jus naturæ versetur circa materiam, potestati humanæ subjectam.

Probatur Assertum quò ad 2. Casu quo jus naturæ *materiam* respicit, *potestati humanæ subjectam*, non inducit *obligationem absolutam*, sed ex certa conditione pendentem, quæ ab homine est auferibilis: ergo potestate humanâ mutari potest, non quidem *propriè*, sic *ut directè* auferatur obligatio legis naturalis, sed tamen *impropriè*, sic ut *indirectè* fiat remissio *ex parte materiæ*. Res patet denuò in exemplo. Lex naturalis, quæ jubet, ut res, contractu valido promissa, præstetur; ut juramentum servetur; votum emissum impleatur &c. obligat naturaliter. non tamen *absolutè*, sed imbibita conditione

nisi

(a) 2. ad *Timoth.* 2. 13.
(b) Apud *Suarezium* L. c.

niſi legitimus Superior contractum, *juſta ex causâ*, diſſolverit; juramentum, aut votum relaxaverit &c. Sic qui non implet promiſſum, eò quòd res *notabiliter* mutatæ ſint, nec mutat legem, nec mutatur ipſe, ſed per circumſtantias mutatur materia legis; & quia illa mutatio per conditionem, in promiſſione ſubintellectam, excepta fuit, eſt mutatio tantummodò *impropria*, quia *apparens*, & *per denominationem extrinſecam*. * Inde

Pendeatque à priore conſenſu voluntatis humanæ per pactum, ſeu contractum.

Colligitur 1. Quòd præcepta juris naturalis, quæ in ſua obligatione pendent *à priore conſenſu voluntatis humanæ*, per pactum, contractum &c. mutari non modò poſſint *impropriè*, ſed & frequenter debeant propter varias viciſſitudines, & exigentias humani ſtatûs: unde conſentaneum eſt Divinæ Providentiæ, ut hanc poteſtatem reliquerit hominibus. At quando præcepta naturalia obligant *ex vi ſolius rationis naturalis*, in materia, *independente à priori conſenſu humano*, ceſſat neceſſitas, & poteſtas ejusmodi mutationis.

Quæ mutatio tamen, impropriè dicta, nil officit immutabilitati juris naturalis.

Colligitur 2. Ejusmodi mutationes improprias, jure humano factas, non præjudicare *immutabilitati juris naturalis*, quia ſub tali materia, & circumſtantijs, nunquam fuit jus naturale: unde ſicut medicina, etſi tradat alia præcepta pro his, alia pro alijs circumſtantijs & ægrotis, propriè non mutatur, etſi multiplicentur præcepta; ſic etiam jus naturale, idem in ſe, aliud præcipit in hac, aliud in alia occaſione, & circumſtantiâ, & abſque ſui mutatione modò obligat propter variatam materiam, ſine qua anteà non obligârat.

Jus naturale, propriè loquendo, nunquam fuit mutatum,

Quæritur XI. An jus naturæ unquam fuerit poteſtate Divinâ, vel humanâ, mutatum mutatione propriè tali, per abrogationem, vel diſpenſationem?

℞. I. Jus naturæ nunquam fuit mutatum, mutatione *propriè tali*, & *intrinſeca*, uti prætendunt Adverſarij. Reſp. P. Explicando exempla, quæ afferunt.

Mutatione, ſeu ceſſatione intrinſecâ, in reddendo debito &c.

1. Lex naturalis jubet reddere depoſitum, reſtituere debitum, tenere naturale ſecretum &c. Jam ſic: lex *intrinſecè* mutatur, quando, ceſſante motivo formali legis, & ipſa ultrò de ſinit, ac obligatio exſpirat: atqui hoc fit caſu, quo accedat periculum mortis, detrimentum Reipublicæ, damnum tertij innocentis &c.

Contrà eſt 1. Leges ejusmodi non jubent reddere depoſitum, debitum &c. *ſimpliciter*, ſed *limitatè*, nempe *rationabiliter petenti*, *abſque detrimento tertij &c* *Ratio eſt:* quia leges ejusmodi non obligant, *niſi ſuppoſito pacto*, & *libera obligandi voluntate*, unde, inſtante mortis periculo, obligatio nulla eſt, quia ex præſumpta paciſcentium mente præſumi nequit, quemquam voluiſſe ſeſe obligare *rigore tanto*: ergo pro ejusmodi caſibus leges hæ, cùm nunquam fuerint, non mutantur.

Contrà eſt 2. In ejusmodi caſibus nulla mutatio cadit *in legem*, vel ejus *obligationem*, quæ pro hiſce circumſtantijs nunquam fuit, ùt dictum; ſed cadit *in ſolam materiam*, à præcepto obligationis naturalis eam eximendo: ergo nulla intercedit mutatio *propria*, ſed *impropria*, *ſeu per denominationem* merè extrinſecam.

In homicidio.

2. Lex prohibens homicidium, accedente juſtæ defenſionis titulo, ceſſat: ergo mutatur *intrinſecè*. Sic lex omnis affirmativa, etſi obliget *ſemper*, non tamen obligat *pro ſemper*: ergo per certas circumſtantias mutatur, & tollitur obligatio. Sed

Contrà eſt 1. Lex: non occides, non prohibet homicidium *ſimpliciter*, ſed hac limitatione intrinſeca, *abſque juſta cauſa*: ergo hac accedente non eſt homicidium, lege vetitum: ergo hac accedente mutatur *ſola materia*, non lex, vel obligatio, quæ pro caſu juſtæ defenſionis nunquam extitit.

Contrà eſt 2. Præcepta affirmativa ſunt hujus naturæ, ut pro certis circumſtantijs non obligent, hoc ipſo, quia obligant non *pro ſemper*: ergo his intervenientibus non mutantur, quia non ceſſat obligatio, quæ pro his circumſtantijs nunquam fuit.

Nec per diſpenſationem divinam.

℞. II. Jus naturæ poteſtate Dei abſoluta nunquam fuit mutatum *per diſpenſationem*, *vel abrogationem*, *proprie talem*, uti Adverſarij prætendunt: Reſp. *P.* declarando exempla, quæ objiciunt.

In præcepto ſexto.

1. Deus dicendo *Oſeæ: fac tibi filios fornicationum*, (a) diſpenſavit in ſexto.

* Sic lex naturalis ſuccurrendi Parenti, extremè indigo, indirectè mutari poteſt à Rege præcipiente, ut potiùs ſuccurratur periclitanti Reipublicæ: quia lex illa non obligat *abſolutè*, ſed *hac reſtrictione*, niſi obſtet major, potiorque neceſſitas, opémque poſcat.

(a) *Oſeæ.* c. 1.

in fexto. Item: *Hebrais*, *Ægyptum* fpoliantibus (a) difpenfavit in feptimo. Sed

Contrà eft 1. Si fupponatur *Ofee* commercium cum fornicaria, * non intercessit *difpenfatio in præcepto fexto*, quia non fuit exemptio à præcepto, facta à Legislatore; fed à Deo, ùt abfoluto Domino, conceffus eft ufus humani corporis; immò *fornicatio* non fuit, quia non fuit *abufus corporis alieni*, fed dato dominio in corpus, five cum, five fine mulieris confenfu, *ufus legitimus*: ergo non intercessit *mutatio legis*, *fed exemptio materiæ à lege*.

Vel feptimo. *Contrà eft* 2. Neque Deus difpenfavit in furto mutando præceptum, fed *ùt abfolutus Dominus* rerum omnium *Hebrais* tradidit fpolia, *vel ùt fupremus Judex*, ea in mercedem juftam, conceffit, sicque mutavit materiam, ne effet *furtum*, hoc eft, *ablatio rei alienæ*.

2. Cultus Dei, ùt eft præceptus præcepto affirmativo, non obftante, quòd fundet honeftatem *intrinfecam*, faltem *radicalem*, videtur effe *abfolutè* difpenfabilis à Deo: non enim apparet implicantia in permiffione Dei, qua homo per totam vitam, imò & per omnem æternitatem, nullum actum cultûs, five extrinfecum, five intrinfecum, Deo fen exhibeat, feu exhibere teneatur; utpote quo hominis cultû Deus haud indiget. Sed

Neque in cultu Dei. *Contrà eft*: Implicantia refpectu potentiæ Divinæ, *faltem ùt conjunctæ eft fapientiæ*, apparet in hoc, tefte *Suarezio*, quòd ejusmodi ceffio juris fui omnimoda, quia *prodiga*, & *irrationalis*, refunderet imperfectionem in Deum, quod implicat. 2. Quòd ejusmodi difpenfatio videretur implicita negatio, cultûs, fibi neceffariò debiti, adeóque negatio fui ipfius: *at fidelis eft Deus*, *& fe ipfum negare non poteft*. (b) **

Vel Parentum. 3. Saltem cultus Parentum erit *propriè difpenfabilis* à Deo: nam, *Durando* Authore, ideò à cultu *divino* obligatio eft infeparabilis, adeóque indifpenfabilis, quia dependentia hominis à Deo eft infeparabilis: atqui dependentia hominis ab homine abfolutè eft feparabilis: ergo & à cultu obligatio eft difpenfabilis. Sed

Contrà eft: Sicuti, *fuppofita hominis creatione*, ita & *fuppofita hominis nativitate*, dependentia æquè eft *infeparabilis* tam à Deo, quàm Patre: ergo utrobique obligatio cultûs æquè eft *indifpenfabilis*. Quòdfi tamen fermo fit de ipfis actibus, quibus huic obligationi fatisfit, ficut Deus facere poteft, ut homo fine peccato per omnem vitam nunquam exerceat actum honoris erga Parentes; ita poteft etiam facere, ut nunquam exerceat actum cultûs erga fe: at hæc non eft *difpenfatio* in lege, vel ejus obligatione, fed potiùs *permiffio*, ne lex obfervetur, aut obligationi fatisfiat.

Nec unquam propriè fuit mutatum poteftate humana. R. III. Jus naturæ neque unquam fuit mutatum, *mutatione propriè tali*, per variationem, vel difpenfationem, à poteftate humana profectam, uti Adverfarij prætendunt. A. P. Dilucidando exempla, quæ opponunt.

In votis, vel præcepto reftitutionis. 1. Votum naturaliter obligat ad fervandam fidem; lex de reftituenda re aliena obligat naturaliter detentorem: atqui votum eft difpenfabile poteftate humana; obligatio reftitutionis relaxari à Domino rei, vel etiam aboleri poteft jure Gentium *per ufucapionem*, vel *præfcriptionem*. Sed

Contrà eft: Hæ mutationes non funt *propriè tales*: non enim afficiunt *legem*; vel *obligationem naturalem* de fervanda fide, feu reftituenda re aliena, fed folummodò *materiam*, quæ *refpectu voti* eft *promiffio*, feu *voluntas voventis* fubjecta poteftati humanæ; *** *refpectu legis* de reftitutione eft *res aliena*, dependens à difpofitione Domini, vel publicæ poteftatis: ergo obligatio non *eft abfoluta*, fed *fub reftrictione*, quamdiu Superior voluerit obligatum voventem; quamdiu res erit aliena, ergo: accedente Superioris re-

---

(a) Exodi 3.

* Nam juxta S. Scripturæ Interpretes *Ofee* juffus eft accipere fornicariam *pro ftatu*, feu, quæ *fuit* talis, fibique legitimo matrimonio jungere: vel juffus eft, fibi *facere filios fornicationum*, hoc eft, illegitimè priùs fufceptos facere *fuos* per adoptionem.

(b) 2. ad *Timoth.* 2.

** Addunt alii, quòd, tranmiffâ ejusmodi poffibilitate, demonftrari ampliùs haud poffet exiftentia veræ Ecclefiæ. Videantur dicenda infrà de officiis erga Deum.

*** Juxta illud: *omnis anima poteftatibus fublimioribus fubdita fit*. Rom. 13. 1.

relaxatione, Domini remissione, * vel legitima usucapione, aut præscriptione, jure Gentium inducta, voluntas voventis, & res ablata extrahetur à lege, ejúsque obligatione, ut jam sit *voluntas libera*, atque *res propria*, qua sub consideratione nunquam fuit ulla obligatio naturalis. **

2. Matrimonium ratum obligat naturaliter, & tamen dispensabile est potestate Pontificia, seu Ecclesiastica. Sed

In matrimonio rato. *Contrà est 1.* An dissolutio matrimonij repugnet propriè juri naturali, dicemus infrà. Hic nôsse sufficit, quòd matrimonium ratum habeatur *ex contractu*, seu *mutua voluntate* conjugum de individua vitæ consuetudine: ergo materia, *respectu juris naturalis*, est absolutè mutabilis: ergo nulla hic intervenit mutatio propria, seu dispensatio in præcepto naturali, quod *ratione dissolubilitatis absoluta* nunquam fuit. Dixi, materiam esse *absolutè* mutabilem: nam licèt contractus matrimonij rati, *spectato jure naturæ*, admittatur indissolubilis *authoritate privatâ*, uti cum *Suarezio* nonnulli docent, eò quòd talis dissolutio esse haud possit sine præjudicio Communitatis, seu ipsius naturæ conservandæ, cui per tale vinculum jus acquisitum est; non tamen videtur *absolutè* indissolubilis etiam *authoritate publica*, eò quòd ejusmodi dissolutio non sit contraria, sed potiùs consentanea ipsi naturæ ob bonum majus v. g. cultûs divini per religionem, quod etiam in ejus commodum redundat.

Vel residentia Episcopi. 3. Residentia Episcopi est de jure naturali, & tamen frequens fit dispensatio. Sed

Contrà est: Hoc jus naturale denuò nititur *pacto* Episcopum inter & Ecclesiam, & quidem non *absoluto*, sed subordinato, ac dependente à voluntate summi Antistitis circa Ecclesiæ provisionem: ergo mutari potest materia per potestatem publicam, nec dispensatur in jure naturali, sed in pacto, quo soluto nulla unquam fuit obligatio naturalis.

Jus naturale admittit interpretationem humanam. *Quæritur XII. An jus naturale saltem sit capax interpretationis, vel etiam epikiæ?*

℟. I. *Admittit interpretationem etiam humanam.* *Patet 1.* Communi authoritate. 2. *Inductione*: sic præceptum: *non occides*, indiget declaratione, qua restringatur *ad authoritatem privatam*, & *modum aggressionis*; præceptum solvendi votum opus habet interpretatione *ad mentem voventis*, sic ut non obliget ad circumstantias, sub intentione voventis haud comprehensas; & sic de alijs. 3. *Patet etiam ratione.* Lex naturalis, *quò ad aliqua saltem præcepta*, est admodùm remota à primis principijs, adeóque non satis nota; versatur circa materiam mutabilem per circumstantias, & licèt obliget *semper*, non tamen obligat *pro semper* absque determinata operandi opportunitate, & sic de alijs: ergo ne sæpe fiat injusta, & obliget ultra genuinum sensum, opus est interpretatione. Quòd autem interpretatio debeat esse *humana*, liquet: non enim recursus ad Deum immediatus naturali ordini est conveniens, nec haberi potest ab homine: ergo, cùm interpretatio sæpe sit moraliter necessaria, verisimile non est, Deo reservatam, sed hominibus, tanquam Ministris suis, esse comissam, ne deesset in necessarijs, id quod Divinæ Providentiæ incongruum.

℟. II. *Non tamen jus naturale admittit epikiam, propriè dictam, neque divinam, neque humanam.* *Non tamen epikiam propriè dictam, quæ est emendatio legis deficientis.*

P. *Epikia*, propriè dicta, est *emendatio legis*, qua casum, in lege comprehensum, ex benigna præsumptione, à lege & Legislatoris mente excipimus: seu, ut loquitur *Suarezius*, est *emendatio legis universalis, deficientis in casu particulari*, sic ut quis excusetur *propter æquitatem*, eò quòd hic & nunc *lex justè* observari non possit: atqui talis emendatio nequit dari in naturalibus præceptis. *Min. P. Ratione.* Præcepta naturalia posita sunt *à recta ratione*; suntque principia *vel immediatè nota*, vel propositiones necessariæ, ex principijs naturalibus deductæ: ergo in nullo individuo possunt deficere, seu esse falsæ, ac emendandæ. Eadem *Min. P. Inductione. Præcepta affirmativa*, cùm obligent *semper*, sic ut circumstantias determinet recta ratio, *non emendantur per exceptionem*, eò quòd pro ejusmodi circumstantijs ex sua natura obligârint nunquam: sic fraterna correptio nunquam fuit de jure naturæ obligatoria pro casu, quo non est fructus. *Præcepta negativa obligant semper*, *pro semper*: ergo non admittunt exceptionem.

* Unde *hæc relaxatio*, *seu remissio* est potiùs *dispensatio facti*, quàm *juris*.

** Si præscriptio sit etiam juris naturalis, sub hac circumstantia res desinit esse *aliena*, & Dominus prior non poterit esse amplius *rationabiliter* invitus.

nem. *Confirmatur:* Mutatio, *propriè talis*, in jure naturæ non est possibilis ex dictis: atqui ejusmodi *emendatio legis* esset *mutatio propriè talis* in hoc casu particulari: ergo pariter non est possibilis. Quòd si mutatio fiat, *impropriè talis*, *in objecto*, *materia*, vel *circumstantys*, non est ampliùs locus *epükiæ*; nam præceptum *non furandi*, accedente *extrema necessitate*, mutatur *in materia*, quæ non manet *res aliena*, sed *communis*, quo casu non datur *exceptio* in præcepto, sed *simplex intelligentia præcepti*. Sic præceptum, prohibens matrimonium in primo gradu, Patris nempe cum filia, casu quo deficeret propagatio Generis humani, non emendatur *per epukiam*, sed *cessat per defectum materiæ propriæ:* siquidem ejus materia non est actus *simpliciter*, & *abstractè sumptus*, sed *cum aliqua circumstantia intrinseca*, qua sublata cessat obligatio. Non enim prohibitum est naturæ lege matrimonium *Patris cum filia simpliciter*, sed *ut noxium* humanæ naturæ, & naturali honestati contrarium secundùm rectam rationem: quo in casu ultimæ necessitatis cessat ratio, & incipit esse commodum naturæ, qui finis est intrinsecus huic actui, sicque mutat materiam præcepti negativi. Idem est *de mutilatione proprij corporis*, quæ non est prohibita jure naturæ, nisi *quatenus est noxia corpori humano:* ergo, accedente necessitate conservandæ vitæ, *mutatur materia legis*, *non emendatur lex* per *epukiam*, quæ sub hac materia nunquam fuit.

Quæ solummodò locum habet in lege humana. Neque sequitur, quòd sic omnis *epükia* tollatur etiam in legibus positivis: nam si dicas, quòd manentibus ijsdem circumstantijs epükia locum non habeat, ùt patet; mutatis verò circumstantijs æquè per seipsam cesset lex humana.

℞. N. Sequelam. Siquidem 1. manentibus ijsdem circumstantijs *intrinsecis* v. g. *non portandi gladium noctu*, si modò accedat circumstantia *extrinseca* necessitatis, datur locus exceptioni, eò quòd malitia, *proveniens ex sola prohibitione*, sit separabilis per *epukiam*. 2. Lex naturalis obligat omnes *universaliter* ex intentione Authoris naturæ non *qualicunque*, sed *fundata* in ipsa necessitate naturæ, & exigentia materiæ: ergo pro nullo casu formari potest prudens præsumptio. Contrà lex positiva fundatur *in sola intentione Legislatoris*, qui, si humanus sit, nequit omnes emergentes casus prospicere: ergo formari potest prudens præsumptio de intentione, ad ejusmodi casum se non extendente, quæ, si deficiat, hoc ipso deficit ipsa lex.

Quòd si præcepta naturalia spectentur, *ut per legem positivam constituta sunt*, recipiunt exceptionem *epükiæ*, non quidem, ùt naturalia sunt, sed in ordine ad intentionem Legislatoris humani. Sic *reddere depositum*, *solvere promissum &c.* ùt *generaliter* præcipitur à Legislatore humano, sese non extendente ad ullam exceptionem pro casu quocunque, patitur *epükiam:* & sic loquuntur Authores sæpe *minùs propriè* de interpretatione legis naturalis, vocantes *epukiam*, seu exceptionem à lege, quæ tamen *propriè loquendo* non est nisi *sola declaratio materiæ*, seu *veri sensûs*, respectu legis naturalis. *Vel naturali impropriè, seu ùt constituta per legem humanam.*

§. IV.

De effectu & obligatione juris naturalis.

§. 4. Effectus juris naturalis.

Quæritur XIII. Quis sit effectus, vel obligatio juris naturalis?

Obligatio in conscientia sub pœna hujus, vel alterius vitæ.

℞. I. Effectus juris naturalis *primarius* est *obligatio in conscientia* ponendi actionem præceptam, vel omittendi prohibitam, sub præmio, vel pœna, ab Authore naturæ in hac, vel saltem altera vita conferenda. Patet 1. *Ex Scriptura: quicunque sine lege* (scripta) *peccàrunt*, *sine lege peribunt*. (a) 2. *Ratione:* Quia jus naturale est regula honestatis: nam lex æterna, *quò ad nos*, explicatur per legem naturalem: unde, si materia est gravis, & necessaria ad amorem DEI, vel proximi servandum, atque adeò ad felicitatem humanam consequendam, erit obligatio *gravis*; secùs erit tantummodò *levis*. Et licèt lex naturalis, *ùt est in homine per dictamen*, non cognoscat *pœnam* determinatè *æternam*, sufficit, quòd lex, *ùt est in DEO*, seu Divina voluntas eandem cognoscat: non enim ad incurrendum reatum alicujus pœnæ necessarium est, ut ipse transgressor cognoscat pœnam, culpæ suæ *proportionatam*, ac *debitam*, sed satis est, quòd faciat actum dignum tali pœnâ.

Secundarius, quòd actus quandoque sit etiam irritus.

℞. II. Effectus juris naturalis *secundarius*, & *specialis* est, quòd actus contra legem positus, non tantùm illicitus, sed *quandoque* etiam *irritus*, ac *invalidus* sit. Patet ex communi: nam

(a) Ad *Rom.* 2.

nam contractus ex dolo, circa substantiam rei versante, initus est nullus; matrimonium, Patrem inter & filiam, juxta plerosque irritum est jure naturæ; usuræ, seu promissæ seu etiam solutæ fæneratori, nullum retinendi jus tribuunt, sicque invalidè tam promittuntur, quàm solvuntur.

Non tamen semper. Dictum *quandoque*: non enim eo ipso, quòd actus jure naturæ illicitus sit, hoc jure statim est irritus: sic matrimonium, post sponsalia alteri facta; vel votum castitatis simplex est illicitum, sed tamen validum; rei venditio ultra justum pretium, item secunda venditio, traditione rei factâ, illicita est, non tamen jure naturæ irrita. Unde

Irritantur actus ex quadruplici capite. ℟. III. Quoties actus jure naturali est prohibitus *ob defectum potestatis*, vel *voluntatis*, aut *ob incapacitatem materiæ*, aut denique *ob turpitudinem perpetuam, ac in ipso effectu durantem*, toties est illicitus simul, ac irritus. *Ratio est*: quia primo triplici casu deficit *principium substantiale* ad valorem actûs necessarium; in quarto ipse valor repugnat juri naturæ. Unde traditio corporis secunda, post priorem validam, & permanentem, irrita est jure naturæ *ob defectum potestatis*; matrimonium ex errore substantiali est nullum *ob defectum consensûs*; ex impotentia perpetua fit irritum *ob incapacitatem materiæ*; denique ex turpitudine durante multi volunt matrimonium irritum Patrem inter & filiam; Matrem & filium, quod intelligendum *extra casum ultimæ necessitatis* de propagando Genere humano, quæ turpitudinem auferret pro illis circumstantijs, ut dictum suprà.

Secùs, etsi illicitè jure tamen naturali sunt validi. 2. Extra hos casus quando actus jure naturæ prohibitus est ex alio motivo, illicitus quidem est, non tamen invalidus. *Ratio est*: quia supposita potestate, & voluntate agentis, capacitate materiæ, & absentiâ turpitudinis in ipso effectu, concurrunt omnia requisita ad substantiam actûs, ac proinde, licèt aliundè prohibitus, & illicitus sit, non tamen erit invalidus. Sic matrimonium contractum cum voto simplici castitatis, quia votum hoc non abstulit, sed tantùm ligavit potestatem, quam homo habet in proprium corpus, potest insuper in matrimonio, post votum contracto, honestus esse ipsius usus in reddendo, non autem petendo debito. Similiter venditio, ultra verum rei pretium facta, relinquit quidem obligationem perpetuam restituendi excessum pretij, hæc restitutio si fiat, cessat omnis turpitudo in valore, & perpetuitate contractûs, adeóque nulla est ratio, cur sit absolutè irritus, ac nullus.

INSTRUCTIO III.

Instructio III.

De objecto juris Naturæ regulativo, seu fundamentali principio dignoscendi juris naturalis.

De principio dignoscendi juris naturalis.

§. I.

§. I.

De vero, ac fundamentali principio dignoscendi juris naturalis.

De fundamentali principio.

Status quæstionis, non quale sit objectum, sed quomodò cognoscibile. QUæritur I. *Quis status quæstionis?*

℟. I. Non est quæstio, *quale* sit objectum juris naturæ; nam suprà declaratum, ad objectum juris naturalis pertinere id omne, quod rectæ rationi *simpliciter* consentaneum, & dissentaneum est: sed quæritur, *unde* objectum juris naturalis dignosci possit, & debeat; seu *ex quonam principio, regulâque fundamentali* discere liceat, quænam rectæ rationi *simpliciter* consentanea, quænam dissentanea sint, sic ut ab Authore naturæ præcepta, vel prohibita, adeóque justa, vel injusta; *honesta*, vel *inhonesta*; *æqua*, vel *iniqua*, aut saltem *concessa*, vel etiam *permissa*, hoc est, *indifferentia* censeri debeant.

Quæ in re cardo difficultatis. ℟. II. In hoc fundamentali principio statuendo *præcipua* est difficultas, quæ in Jurisprudentiæ naturalis disciplina Moralistas fatigat. *Ratio est*: quòd licèt lex naturalis omnium mentibus congenita sit, nemo tamen sui cordis recessus sic hactenus penetrârit, ut omnia illa juris naturalis arcana, quæ sæpe operoso discursu evolvenda sunt, luculenter perspexerit: unde opus esse aliquâ regulâ, quâ explorari possit, quid jure naturæ *præceptum*, *prohibitum*, vel *permissum* sit, omnes Authores inclamant. At hic *Rhodus*, hic salta. Illud convenit inter omnes, *dari* in natura rationali tale principium. Patet utique ex *principiato*, seu jure naturali, quod suum in natura fundamentum habeat, oportet. Patet ex intellectu, qui habitu primorum principiorum moralium instructus est à natura. Sed maximè dissconvenit inter Authores, an illud principium sit *unum* vel *multiplex*; quale inter illa prima principia sit *fundamentale*, ad quod cætera reduci, & ex quo præcepta naturalia

turalia omnia deduci queant. Hac in re quot Authores, tot sunt diversæ sententiæ, ex quibus (si verum fateri fas est) hactenus nulla satisfecit ex toto: neque tam præfidentes sumus, ut speremus, nostram præ cæteris placituram, etsi difficultatibus satisfacere, utcunque fieri potest, conaturi simus.

Quaritur II. Quid intelligitur per principium fundamentale, & quanam ejus proprietas?

Est hoc principium propositio generalis, ex qua, veluti radice, natura scita deducuntur.

℞. I. Per hoc *principium*, quo dignoscenda sunt juris naturalis objecta, intelligitur *propositio generalis, immediatè nota in se, & sic fundata in natura humana, ut ex ea, veluti radice, omnia & sola juris naturalis capita vel ultrò fluant, vel facile deducantur.* Unde

Unde non est principium essendi juris, sed juris dignoscendi.

Colligitur 1. Ex *Kemmerichio:* (a) Non quæri *hìc principium essendi*, seu *causam*, à qua originem trahant leges naturæ: nam constat ex dictis, quòd hæc causa sit *ordinatio Divina*, quæ sola est *norma debita* humanarum actionum: sed quæri *principium cognoscendi*, seu quæri propositionem, ex qua lex Divina, quò ad singula objecta, nobis liquidò innotescat. Nam cùm ordinatio Divina universo Generi humano, per rectæ rationis dictamina, sit promulgata; cùm recta ratio sit facultas ratiocinandi, hoc est, veritates alias ex alijs eruendi, facilè patet, dari aliquam veritatem, seu propositionem, ex qua, veluti radice, per necessariam consecutionem, quid ordinationi Divinæ consentaneum, seu justum sit, elici queat, quam propositionem fundamentalem Authores juris naturalis cognoscendi *principium* appellant.

Discrimen utriusque.

Colligitur 2. Ex *Heineccio* (b) discrimen inter *normam* actionum humanarum & *principium* juris naturalis: illa enim est *voluntas*, seu *ordinatio DEI*, diciturque apud Philosophos *principium essendi* juris naturæ, nobisque *principium obligationis* est: hoc est *medium probandi*, seu *principium cognoscendi* voluntatem DEI, & consistit in propositione quadam, ex qua, ad quid obligati simus, illicò apparet. Sunt hæc & in Rebuspublicis diversa. Nam *principium obligationis*, quæ civibus incumbit, est voluntas summæ potestatis; eaque simul *norma* est, ad quam omnes tenentur actiones suas componere. At si quæras, unde cognosci possit illa potestatis summæ voluntas, ad leges te remittent, eæque adeò unum, & adæquatum erunt *cognoscendi principium.*

Proprietates hujus principij.

℞. II. Proprietates, quas debet habere *principium illud cognoscendi fundamentale*, ex quo *per solam rationem* demonstrari queat, hanc illamve actionem cum ordinatione Divina convenire, vel eidem repugnare, sunt

Debet esse primum.

1. Ut sit *primum:* secùs enim non esset *principium*, neque *fundamentum*, ex quo, veluti radice, cætera juris capita eruantur, ut patet.

Unicum.

2. Ut sit *unicum*, seu *generale:* nam in adstruendo multiplici principio nulla est controversia, cum constet intellectum habitu primorum principiorum instructum esse, ex quibus ratio sua formet dictamina, voluntatis Divinæ indicativa. Difficultas tota versatur in eo, ut adstruatur ex illis principijs *primum* & *unicum*, ad quod, *veluti fundamentum*, cætera reducantur. Accedit, quòd inter plura principia redeat quæstio, *quale* hic vel ibi sit adhibendum, ut *per solam rationem* demonstretur, hanc vel illam actionem Divinæ voluntati esse consentaneam, vel dissentaneam.

Natura intrinsecum.

3. Ut sit naturæ *intrinsecum*, seu *in ipsâ natura humana fundatum:* secus enim non foret *radix immediata*, ac *propria*, ex qua juris naturalis objecta, ac scita *formaliter* eruantur.

Verum.

4. Ut sit *verum:* nam si falsum, vel in ficta solum hypothesi consistat, etiam conclusiones nil veri, saltem ultra nudam fictionem vix quidquam solidi, contineant, necessum est.

Evidens.

5. Ut sit *evidens*, & *cuivis notum in se*, *seu secundùm se:* nam cùm non modò docti, sed etiam indocti ad obsequium, juri naturali præstandum, obstricti sint, principium hoc debet esse cognoscibile à quolibet plebeio, seu, ùt rectè loquitur *Puffendorfius*, debet esse *ad captum omnis hominis*, etiam *gentilis:* ergo *evidens* in se, vel absque *operoso discursu*, notum sit, oportet.

Proprium.

6. Ut sit *proprium*, hoc est, *soli cognoscendo natura juri accommodum. Ratio est 1.* Ne confundat Jurisprudentiam cum Ethica, Politica, Theologia morali, vel naturali, quæ perpetua *Puffendorfij* querela est, eò quòd circa virtutes multa sint honesta, quin

(a) In Elementis J. N. & G. c. 3. n. 4. f. m. 54.

(b) In Elementis J. N. & G. L. 1. c. 3. f. m. 45.

quin tamen ſint *præcepta jure naturæ.* *Ratio eſt* 2. Ne confundat *jus naturale* cum *poſitivo Divino*, ſeu *humano*, redeátque ulterior quæſtio, an deducta ex hoc principio obligent *determinatè* jure naturali, vel tantùm poſitivo.

Adæquatum.

7. Ut ſit *adæquatum*, hoc eſt, *omni cognoſcendo naturæ juri accommodum.* *Ratio eſt*, quòd niſi ex illo fluant officia hominis, tam Deo, quàm ſibi, & proximo, ac Communitati jure naturæ debita, principium erit *mancum*, *imperfectum*, & ſcopo Jurisprudentiæ naturalis *minùs utile*, ac *conſentaneum.*

Ut patet ex Authorum mente, & poſtulatis.

Quòd autem hæ proprietates ad principium, quale hic quæritur, ſint neceſſariò requiſitæ, patet *ex mente Authorum*, quæ indagat in regulam, ex qua totum jus naturale, adeóque officia hominis omnia, jure naturæ debita, exploranda, & menſuranda ſint: atqui, quacunque proprietate ex recenſitis deficiente, regula non erit, omni ex parte, commoda, mentíque *Authorum* congrua, uti patebit conſideranti.

Principij hujus ſphæra.

Quæritur III. Quænam illa officia ſola, & omnia, è memorato principio dignoſcenda, ut verè proprium, & adæquatum dici poſſit?

Objecta juris naturæ non ſunt ea, quæ quomodocunque ſunt rationi conſentanea, vel diſſentanea.

℟. I. *Supponendum 1.* Ex dictis, etſi id omne, quod rationi *conſentaneum*, *ſit objectum naturæ rationalis*, quia circa *omne id* verſatur ratio, non tamen eſſe *objecta juris naturæ*, propriè ſumpti, quia circa *id omne* non verſatur ratio ex principijs naturalibus *prohibendo*, *præcipiendo*, vel ſaltem *permittendo*, id quod ſoli Jurisprudentiæ naturali proprium. Sic objecta *virtutum naturalium* v. g. *Religionis* in ſupererogatoria devotione *erga DEUM*; *temperantiæ* in arbitraria refrenatione ſenſuum etiam in licitis *reſpectu ſui*; *amoris* erga proximum in ultronea beneficentia &c. Sic objecta *juris poſitivi* tam Gentium, quàm civilis &c. ſunt quàm maximè *conformia* rationi, ipsíque naturæ, utpote ad cujus finem, ſeu felicitatem, *meliore modo habendam*, directè tendunt, nemo tamen erit tam hebes, ut hæc objecta dicat eſſe *juris naturæ*, niſi Jurisprudentiam naturalem cum Ethica, Politica, & Jurisprudentia civili velit in unum confuſiſſimum conflare chaos. *

Sed quæ ad felicitatem, naturæ rationali debitam, ſunt neceſſaria.

Supponendum 2. *Id omne & ſolum* eſſe objectum juris naturæ, quòd rationi non *qualitercunque*, ſed *ſimpliciter* eſt conſentaneum, ſeu diſſentaneum, hoc eſt, quod ad finem, ſeu felicitatem, naturæ rationali debitam, tam eſt requiſitum, ut fundet *neceſſitatem in natura*, vi cujus non poſſit non eſſe *prohibitum*, *præceptum*, vel ſaltem *permiſſum.* Unde jus naturæ tantùm dirigit homines, ùt ſunt *creaturæ rationales*, tendúntque ad felicitatem, *naturæ rationali tam propriam*, ac *neceſſariam*, ut ſine hac humanum Genus foret *poſitivè*, vel ſaltem *negativè* ** defectuoſum, & malè conſtitutum. *Ratio eſt*: quia *augmentum felicitatis* Natura reliquit juri Gentium, & civili, ut ne præceptis propemodùm infinitis humanum Genus obrueret, ſéque ipſam confunderet.

Felicitas autem adæquata tam integralis, quàm formalis, eſt naturæ rationali propria per ſe loquendo.

Supponendum 3. Per finem naturæ præfixum, ſeu *felicitatem naturæ rationali propriam*, ex dictis titulo primo, intelligi felicitatem tam *integralem*, quam *formalem.* *Integralis* habetur in pace externa & interna, per bona corporis & animi: quia verò pax eſt externa *auferibilis*, interna non ſatiativa, dicitur *integralis*: unde *formalis* habetur in ſola pace cum Creatore *per cognitionem* & *amorem*, naturæ ſtatui proportionatum, quæ felicitas ſola *ſubſtantialis*, quia *inauferibilis*, & *ſatiativa*, ſaltem poſt mortem. Res iſta tam plana eſt, ut adverterit quoque antiquos Philoſophos: certè *Stagyrita* externam felicitatem, merè *adventitiam*, & à viro *bono auferibilem* appellat, nec admittit, niſi ùt adjumentum eſt *ad internam.* Idem felicitatem *practicam* poſtponit *theorica*, quia pluribus indigentem; *Theoricam* verò *propriè talem* eſſe demonſtrat, quæ in *contemplatione DEI*, hoc eſt, ſummi boni, conſiſtit: (a) quod idem & *Plato* ſenſit, ac docuit.

Atque hæc objecta, iiſque conformanda officia ſola & omnia, tam erga De-

Supponendum 4. Cùm objecta, juri naturæ propria, ſint ea *ſola* & *omnia*, quorum *prohibitio*, *præceptio*, vel *permiſſio* fundatur in *neceſſitate naturæ rationalis*, tendentis ad *felicitatem* ſibi *ſimpliciter* propriam, ac debitam, uti vidimus, principium fundamentale his *ſolis* & *omnibus* dignoſcen-

* Videantur dicta initio in proleg. §. 4.

** *Poſitivè* per neglecta officia *perfecta*; *negativè* per neglecta *imperfecta*, quorum diſcrimen infrà dabimus.

(a) L. 10. *Ethicorum*, *Nicomachiorum* c. 7. 8. & 9.

um, seipsum, & proximum, à fundamentali principio debent possè dignosci.

noscendis debet esse accommodum: & quia naturæ juri respondent *officia* hominis, puta, *actiones ex obligatione* naturæ legibus *conformanda*, hoc ipsum principium, *his* quoque *solis* & *omnibus* dignoscendis, & dirigendis, debet esse idoneum. Porrò non nisi triplicis generis entia hominem circumstant, quibus hujusmodi officia, *jure natura debita*, præstare fas est, * nempe *DEUS*, ùt Author naturæ; *nos ipsi*, qui nobis utique proximi, & *alij* homines, *naturâ æquales*; adeóque ab hoc *triplici termino* hæc officia *triplicis* quoque sunt *generis*, hoc est, officia DEO, nobis, & proximis *debita*, seu *ex obligatione* naturæ legibus conformanda.

Unde alia officia in natura debito non fundata sunt extra sphæram juris naturalis.

℟. II. Ex hisce suppositis *fluit 1.* Alia officia erga DEUM, seipsum, & proximum, *in debito naturæ necessario*, & *obligatione indispensabili* non fundata, qualia sunt officia *pietatis spontanea* erga DEUM, *virtutis ultronea* erga seipsum, *amoris mere benevoli* erga proximum, esse extra sphæram juris naturæ. adeóque tanquam honesta *honestate morali Theologica*, *ethica*, vel *politica* ad disciplinas alias meritò *sequestranda*, uti habet phrasis *Puffendorfiana*.

Fundata verò in ejusmodi debito sunt juri naturali propria, utpote participantia objectum formale, seu rationem justitia.

Fluit 2. Officia *sola* & *omnia*, quæ fundantur *in natura debito necessario*, & quæ sub obligatione pœnæ indispensabiliter sunt explenda, dici *propria* Jurisprudentiæ naturali. *Ratio est*: quia hæc disciplina *ex fine intrinseco*, & *propriè tali*, dirigit actiones omnes, quæ participant *rationem justitia, propriè talis*; hoc est, quæ participant *honestatem formalem*, relucentem *ex debito cuicunque reddendo, ac necessariò explendo*: atqui tales actiones sunt officia erga DEUM, seipsum, & proximum, quæ non participant rationem *honestatis qualiscunque*, seu *nuda virtutis* v. g. religionis &c. sed honestatis, ac religionis, *fundata in debito natura necessariò, ac indispensabiliter explendo*: ergo diriguntur à Jurisprudentia naturali, *quà tali*, & participant *rationem justitia propriè talis*.

Natura debitum necessarium desumitur ex fine, seu felicitate naturæ rationali propria.

Fluit 3. Quænam officia *fundentur* in naturæ *necessario debito*; uti & *ipsam exigentiam natura*, eique respondens *debitum*, seu *obligationem necessariam*, desumendam esse *ex fine*, Naturæ præfixo, hoc est, *ex felicitate, natura rationali propria*. Si enim officia ita sunt necessaria, ut, ijs neglectis, *positivè* vel *negative* deficeret isthæc felicitas, & natura rationalis foret malè constituta, datur *exigentia* in natura, vi cujus illa officia exiguntur à natura, *ùt absolutè debita*, hoc est, *fundantur in natura debito necessario*. Sic religio, seu cultus divinus *in genere*, fundatur in naturæ necessario debito, quia hoc neglecto deficeret *pars primaria* felicitatis homini propriæ, nempe *pax cum Creatore DEO*, adeóque redderetur malè constitutum humanum Genus, & sic de alijs.

Potestque sumi in sensu strictissimo fundans jus rigorosum.

Fluit 4. Hoc *debitum natura* intelligi posse *tripliciter*. *1.* In sensu *strictissimo*, prout fundat jus naturæ *rigorosum*, ad æqualitatem, ad alterum, restitutionis inductivum, & *justitia formali* proprium, cui conformantur *officia perfecta* erga proximum, ad quæ cogi quis potest, seu quorum obligatio *cum coactione* conjuncta est, qualia sunt: *neminem lædere*, *cuique jus suum tribuere &c.* sic ut omittens isthæc officia denominetur *formaliter injustus*. Idem juxta nos dicendum *de officijs erga DEUM* ùt Creatorem, eò quòd inter DEUM, & hominem, hac ex parte, intercedat justitia *propriè talis*, seu *commutativa*: unde qui deest hisce officijs, nobis denominatur *formaliter injustus*, etsi nonnullis dicatur *impius*.

In minùs stricto fundans obligationem honestatis.

Intelligi potest 2. In sensu *minùs stricto*, prout nempe hoc debitum fundat obligationem, à DEO creaturæ impositam, in ordine ad sanitatis, vitæ, & corporis proprij conservationem, præcipuè verò ad animi affectus ratione regendos, ac refrenandos, sic ut negligens isthæc officia partim denominetur *injurius* erga DEUM, partim *inhonestus*.

In latiore fundans æquitatem naturalem.

Intelligi potest 3. In sensu *latiore*, prout nempe hoc debitum fundat *æquitatem*, *ex æqualitate* naturæ profluam, vi cujus quis obligatur ad officia erga proximum *imperfecta*, qualia sunt, quæ *coactionis* expertia *sine omni incommodo* præstari possunt, uti *roganti monstrare viam*, *sitienti permittere haustum frigida &c.* quæ officia denegans, non quidem denominaretur formaliter *injustus*, sed tamen *iniquus*.

Unde deducuntur principia honesti, justi, & decori.

Fluit denique 5. Quòd principia *honesti*, *justi*, atque *decori*, quæ ad regulanda officia juris naturæ Authores communiter huic disciplinæ associant,

---

* Ad Angelos enim sola ratio non pertingit, nec ad animalia se extendit, uti patet.

ſi ritè intelligantur, & fundari in dicto naturæ debito, & ex fundamentali principio erui debeant. Unde & nos *per principia honeſti*, *non qualiscunqae*, ſed in naturæ debito neceſſario *fundati*, regulari dicimus *officia hominis* erga ſeipſum, maximè, quæ ſpectant ad felicitatem internam, pacémque ſecum ipſo ſervandam. *Per principia juſti* dirigi dicimus officia perfecta erga DEUM & proximum, in ordine ad felicitatem externam, paeémque cum DEO, & proximo conſervandam. *Per principia decori*, regulari cenſemus officia hominis *imperfecta*, ad decorum naturale ſpectantia, & ad vitam, humanæ naturæ congruam, neceſſaria. In alio ſenſu, præſertim *latiore*, qui non fundetur in naturæ debito neceſſario, has regulas non admittimus, ſed ad diſciplinas, à Jurisprudentia naturali diſtinctas, qualis eſt Ethica, Politica &c. amandamus.

Principij ejusdem conceptûs fundatur in amore ad felicitatem vitæ neceſſario.

Quaritur IV. Quisnam conceptus principij fundamentalis, memoratis suprà proprietatibus conformis?

℟. I. Videtur ita enuntiandus: *Fac vel omitte ea, quæ ex amore, DEO, tibi, & proximo naturaliter debito, hoc eſt, ad felicitatem naturæ rationali* propriam neceſſario, vel facienda, vel omittenda ſunt.* Ex hoc principio lex univerſa naturæ pendet, dignoſcitur, ac à lege poſitiva ſequeſtratur. Inde

Quò ad præcepta.

Inferes 1. Illud *omne* & *ſolum*, ſeu graviter ſeu leviter eſt *jure naturæ preceptum*, *quod ſtrictè vel minùs ſtrictè exigitur ab amore, DEO, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc eſt, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſario.*

Quò ad prohibita.

Inferes 2. Illud *omne* & *ſolum*, ſeu graviter ſeu leviter eſt *naturæ jure prohibitum*, *quod graviter vel leviter repugnat amori, DEO, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc eſt, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſario.*

Quò ad permiſſa.

Inferes 3. Illud *omne* & *ſolum* eſt *jure naturæ licitum*, *conceſſum*, ſeu *permiſſum*, quod nec *abſolutè* repugnat, nec *abſolutè* exigitur *ab amore, DEO, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc eſt, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſario.*

Explicatio conceptûs. Ex amore.

℟. II. *Explicatur conceptus.* Dicitur 1. *Ex amore*,** qui cùm ſit cuivis inſitus à natura, ſat notus eſt *experimentaliter*. Illud patet, hic non intelligi *amorem ſenſitivum*,*** *ſed rationalem*, qui noſcitur eſſe *affectio animi, qua quis ſibi vel alteri bona cupit, ea procurando, & mala oppoſita amovendo, ſic ut in boni præſentia, malique abſentia, veluti felicitate deſiderata, quieſcat, & delectetur.*****

Dicitur 2. Ex amore erga DEUM, ſeipſum, & proximum: tot enim, ùt ſupra vidimus, ſunt entia, quibus amoris quædam officia ab homine, ex naturæ lumine, præſtari fas eſt.

DEO, ſibi, & proximo

Naturaliter debito.

Dicitur 3. Ex amore naturaliter debito, hoc eſt, in natura rationali, ejúsque exigentia *fundato*, ſic ut non ſit amor quidam ethicus *meræ devotionis*, *beneficentiæ*, ſeu *humanitatis*, vel etiam *amicitiæ*, qualem admittere videtur *Heineccius*:***** ſed *amor*, naturali Jurisprudentiæ *proprius*, hoc eſt, *amor juſtitiæ* tam *rigoroſæ*, quàm *minùs rigoroſæ*, prout notat æquitatem, in naturæ debito fundatam, utpote cujus objectum formale eſt *honeſtas illa*, quæ apparet in tribuendo cuivis bono *naturaliter* debito.

Dici-

* In ſtrictiore, communique ſenſu, ùt nempe *natura rationalis* Phyſicis eſt *principium motûs in corpore ſecundùm ſe, & non per accidens*, excluſâ naturâ Angelica.

** Quod nomen eſt *notius*, abſtrahendo à vocabolaria diſtinctione *dilectionis*, *quæ amori*, animantibus quoque applicabili, ùt ajunt, jungit *electionem precedentem*; item à diſtinctione *charitatis*, quæ amori addit *æſtimationem*, ſoli creaturæ rationali propriam.

*** Qui dicitur eſſe *actualis propenſio appetitûs concupiſcibilis in bonum ſenſibile, æſtimatum tanquam conveniens.*

**** Unde *S. Auguſtinus L. de amicitia*, amorem vocat *rationalis animæ affectum*, quo quis bonum *cum deſiderio* quærit, adepto fruitur *cum ſuavitate*, & cum *gaudio* conſervat.

***** *Heineccius* in elementis J. N. & G. L. 1. c. 3. poſtquàm §. 79. rectè adſtruxit *principium amoris*, illud explicat per varios gradus, §. 82. *per amorem juſtitiæ*: hoc quidem bene. §. 83. per amorem *humanitatis*, & *beneficentiæ*, & hoc minùs bene; nam amor *humanitatis*, vel potiùs *æquitatis*, ut in naturæ debito *fundatus*, participat rationem juſtitiæ latiùs ſumptæ, & pertinet ad jus naturæ; non tamen *amor beneficentiæ*, qua etiam, cum noſtro detrimento, atque præju-

 dicio,

Quia necessario,

Dicitur 4. Ex amore necessario &c. non quidem necessitate *potentia ad actum*, sed necessitate *medij ad finem*, ut illicò pateat, qualis sit *amor* ille, *naturaliter debitus*: nam is solummodò est *naturaliter debitus*, qui ad finem, naturæ rationali præfixum, *felicitatem* scilicet *natura rationali propriam*, est strictè vel minùs strictè necessarius. Talis autem erit ex dictis suprà, si eo servato manet salva; eo neglecto ex parte deficit illa felicitas, sic ut neglectis amoris officijs, seu *perfectis*, seu *imperfectis*, natura redderetur *positivè* vel *negativè* infelix, atque defectuosa.

Ad felicitatem, natura rationali propriam.

Dicitur 5. Ad felicitatem, natura rationali propriam: hanc *ipsa experientia* sitam esse docet *in fruitione boni, vi cujus homini undequaque bene est*, seu *in pace, & tranquillitate vita, totaliter quietante.* Erit *totaliter* quietans, si quis fruatur pace cum DEO, secum ipso, & proximo; fruetur, *quantum in se est, si amore justitie*, seu *naturalis aquitatis*, cuique debitum reddat, hoc est, si rationem DEO, corpus *rationi* subordinet, proximóque tam *perfectè*, quam *imperfectè* debita officia impendat. Etsi autem hæc *adequata* felicitas sit *natura rationali propria*, loquendo *simpliciter*, non tamen est propria *eodem modo*: sic *pax cum proximo*, ùt notat commoda tranquillæ vitæ externa; *pax secum ipso*, ùt supponit bona fortunæ & corporis extrinseca, in sufficientia mediorum pro sustentanda vita, in sanitate corporis &c. immò & *pax secum ipso*, ùt notat bona animi interna in multiplici habitu virtutum naturalium, sunt finis à natura intentus, sed *secundario*; sunt felicitas, naturæ rationali propria, sed tantùm *integralis*, nec absolutè *necessaria*, nec *sufficiens*, quia illa *merè extrinseca*; *auferibilis* saltem per mortem, animæ spirituali *improportionata*; hæc intrinseca quidem, sed tamen *nec pura*, nec *satiativa*, uti titulo primo fusiùs est declaratum. *Intenditur* ergo utraque à natura, *sed integraliter, & secundariò*, seu *cum debita subordinatione* ad felicitatem *formalem*, seu *substantialem*, & *primariò* intentam, quæ consistit in conjunctione cum DEO per cognitionem congruam & amorem, & quæ sola *necessaria*, *satiativa*, *inauferibilis*, in hac vita sic inchoanda, ut in altera sit complenda, efficiatque felicitatem hominis *completam*, & *consummatam*.

Probatio conceptûs.

Quæritur V. Quibus rationum momentis stabiliatur hic conceptus principij fundamentalis?

Quia illi conveniunt proprietates boni conceptûs.

℟. 1. Huic conceptui conveniunt proprietates, memoratæ suprà, tanquam totidem characteristicæ bonitatis requisitæ: ergo tenet.

Est primum principium.

P. 2. Est principium *primum*. Illud enim est *primum* principium *cognoscendi* juris naturalis, quòd non ex alio; sed ex quo, *tanquam communi axiomate*, aliud præceptum omne cognoscitur: tale est nostrum principium, nempe *amor necessarius ad felicitatem, natura humana propriam*: ergo &c. *Min. P.* Supposito, quòd omnis lex naturalis sit ab Authore Naturæ intenta, *tanquam medium* ad felicitatem, *natura rationali simpliciter propriam*, uti infrà probabimus. Amor est tale medium, quod *immediatè* fundat hanc felicitatem, éstque suo modo *indistinctum* à fine; cæteræ leges sunt *media*, quæ *immediatè* fundant amorem; *mediante* amore felicitatem: ergo amor est principium, quod non ex alio, & ex quo alia: ergo *primum*. Neque quis

dicio, alterius commoda procuramus, qui amor participat rationem *mera virtutis*, & est extra sphæram *Jurisprudentia naturalis*. Sequentibus §§. distinguit ex objectis varios amores: *obedientia*, & *devotionis erga Deum*, ut Ens perfectius, cujus felicitate ita delectamur, ut illud omni veneratione, & obsequio prosequendum censeamus. Dein amorem *amicitia* jungit respectu nobis æqualium, quorum felicitate æquè ac nostra delectamur. Denique addit amorem *benevolentia* respectu inferiorum, quorum felicitate sic delectamur, ut illam servare, & amplificare studeamus. Hæc inprimis *minùs propriè*: nam ex Ethicorum communi *amor benevolentia* est, quo quis vult bonum *gratiâ illius*; si benevolentia sit mutua, dicitur *amor amicitia*; si quis alteri vult bonum *gratiâ sui*, dicitur *amor concupiscentia*. Hæc ille insuper *parùm accommodè* ad jus naturæ, quia hi amores, ùt fundati *in virtute, vel vitio*, non Jurisprudentiæ naturali, sed Ethicæ proprii sunt. Triplex axioma, *quod ex amore* erga Deum, se ipsum, & proximum eruit § 91. & *sequent.* quidem tenet, sed ut fundatum *in amore justitia*, *ac aquitatis naturalis*, qui cum amore, *alterius speciei* indebito, non confundendus.

quis dicat, quòd ipse amor sit *præceptus*, adeóque *lex*: ergo supponit principium, *se ipso* prius. Nam

Contrà est 1. Indirectè. Ipse amor DEI & proximi supernaturalis est mandatum, & quidem *maximum*, & tamen est principium, ex quo universa lex pendet: ipsa societas, ejúsque cultus juxta *Puffendorfium* est præceptus, & tamen principium cæterarum legum; ergo & ista supponent principium se ipsis prius: ergo non erunt *prima*: quidquid Adversarij dixerint, nos reponemus.

Contrà est 2. Directè. Sicut ipsa felicitas est à Creatore seu intenta, seu præcepta *propter se*, quia *finis*, ita & *amor*, ut est indistinctus à fine, seu ut est ipsa fruitio pacis cum DEO, secum ipso, & proximo, in qua consistit formalis felicitas: *amor*, ut est *affectio* procurans bona cuivis debita, & removens mala indebita, est quidem medium ad finem, seu felicitatem, sed *propter convenientiam immediatam* fundamentale, & universale, adeóque præceptus est *ut principium*, ex quo cæteræ leges, in amore fundatæ, deducendæ sunt, *tanquam ex fundamento primo cognoscendæ legis naturalis.* Neque quis dicat, quòd *convenientia illa immediata cum fine sit principium prius amore*: nam illa non est principium cognoscendi leges, sed ratio *principij statuendi*: secus enim rediret quæstio, unde desumatur illa *convenientia*, an *ex judicio prudentum*, ut volunt aliqui; an *ex socialitate*; an *ex amore* cuivis debito.

Unum. *A. P. 2.* Est principium *unum*: nam est *in amore* simplex, etsi respiciat objectum *triplex*, quod tamen per subordinationem, naturaliter debitam, *sic connexum*, ut amor sui præcedat amori alterius privato, sed cedat publico; uterque postponatur amori, Creatori DEO naturaliter debito.

Intrinsecum. *A. P. 3.* Est principium naturæ *intrinsecum*. Quid enim *amore* intrinsecum magis? Quid connaturalius? Quid in natura magis fundatum? Nam *si causa amoris* est *bonum*, quod per *cognitionem* apprehenditur, *per amorem* possidetur, nil Authore naturæ est melius. Si causa felicitas *propria*, nil animæ, tanquam subjecto, intimius. *Si similitudo*, nil homini homine per naturam ipsam similius. Unde patet denuò *ordo naturalis amoris*: nam cùm unusquisque sibi ipsi sit *unus* in ipsa *substantia*, alteri verò non nisi *in similitudine* alicujus formæ, scilicet humanæ naturæ, fluit, amorem naturalem incipere *à se ipso*, juxta illud apud *Terentium*: *proximus sum egomet mihi.* * Quia verò DEUS est *infinitum bonum*, etiam amor DEI prævalet utrique, sic ut DEUS diligi debeat *super omnia.*

Verum. *P. 4.* Est principium *verum*, quia *conforme objecto*, puta naturæ humanæ felicitati, quæ consistit *in pace cum DEO, secum ipso, & proximo*: atqui huic felicitati nil conformius *amore*, dum, cuivis tribuendo suum, procurat hanc pacem; immò est ipsa pax, atque felicitas. Est principium *verum*, quia contradictoriè oppositum est evidenter falsum: *amor DEI, sui ipsius, & proximi non est necessarius ad felicitatem, natura rationali propriam.* Est principium *verum*, quia in applicatione procedit *universaliter*, ut clarescet.

Notum in se, ac evidens. *P. 5.* Est principium *evidens*, & cuivis notum *in se*. Nam, ut dicit *finem, seu felicitatem, natura rationali propriam*, est *immediate* notum in se, cum etiam rudes, immò & stulti, *per naturalem instinctum*, felicitatem hanc appetant, in omnibus quærant, ejúsque consecutione conquiescant. Ut notat *amorem*, tanquam necessarium *medium*, est notum secundùm se cuivis etiam rudi, dictante rationis etiam tenui lumine prima saltem principia: *DEUM, ut Authorem sui, amandum; quod sibi quis fieri nolit, aut velit, id proximo faciendum, vel non faciendum*: ex quibus principijs componitur, & ultrò fluit *amor*, *cuivis naturaliter debitus*, *quia ad finem felicis vitæ necessarius.* Denique *&* *evidens* connexio conclusionum, seu legum naturalium *cum hoc principio*, infrà expressiùs, & per decursum sæpius patescet, etsi *evidentia major* elucescat in conclusionibus *immediatis*; *minor in mediatis*, magísque reconditis, quæ tamen sufficiat ad intellectum *ritè dispositum*, nec *pertinacius refragantem*, facilè convincendum. **

A. P.

* Abstrahendo ab obligationibus adventitiis respectu Reipublicæ.

** *Thomasius* quidem petit ubique evidentiam *primi generis*: sed hæc ab imperitis peti, à peritis sponderi nequit, multò minus exhibitam *à Thomasio* videre licuit.

Proprium.

A. P. 6. Est principium *proprium*, quia *distinctivum* juris *naturalis* ab omni *non naturali*, seu *positivo*. Nam 1. Adstruit *pro fine* felicitatem, *non qualemcunque*, sed *naturalem*, neque naturalem *quomodocunque congruam*, sed naturæ rationali *simpliciter propriam, ac necessariam*. 2. Adstruit pro principio *amorem*, non qualemcunque *beneficentiæ*, sed amorem *justitiæ*, hoc est, *naturaliter debitum*, & in naturæ exigentia fundatum: unde leges naturales sunt, propriè loquendo, *immutabiles*. Contrà *Jus Divinum positivum* respicit *pro fine felicitatem indebitam*, supernaturalem; pro *principio* amorem *devotionis*, *benevolentiæ &c.* aut alterius virtutis, naturæ viribus altiorem. *Jus humanum*, seu *Gentium* seu *civile*, habet *pro fine* felicitatem, creaturæ rationali *propriam quidem*, sed non *simpliciter*, quia accommodam *ad melius esse* seu Societatis humanæ, seu Reipublicæ; fundatur in amore ultroneo beneficentiæ mutuæ, *necessario quidem*, sed *suo modo*, quia ad incrementum debitæ felicitatis.

Adæquatum.

A. P. 7. Est denique principium *adæquatum*: non enim est assignabile *objectum juris naturalis*, seu *præceptum*, quòd sub illo, *tanquam communi axiomate*, non sit comprehensum, ac facilè eruendum, uti clarescet per decursum. Hic sufficiat effatum *D. Ambrosij*: (a) *Lex naturalis*, inquit, *tres habet partes, cujus prima hæc est, ut agnitus honoretur Creator, nec ejus Majestas alicui creaturarum deputetur. Secunda pars est moralis, ut bene vivatur, modestiâ gubernante. Tertia pars est docibilis, ut notitia Creatoris DEI, & exempla morum cæteris tradantur.* Jam sic: nostrum principium aptum est ad eruendam hanc partem triplicem juris naturalis, etiam in extensione debita intellectam: ergo *est adæquatum.*

Quia amor est fundamentum finis, seu felicitatis, adeóque & mediorum, seu legum naturalium.

Confirmatur hoc principium I. Omnis legis humanæ finis est *felicitas in genere* juxta illud: *Salus Reipublicæ suprema lex esto*; siquidem humani Legislatores, *tanquam variarum rerum pro se, suísque indigi*, in ferendis legibus partim subditorum felicitatem, & comodum; partim & suum, licèt Reipublicæ felicitati, *suo modo*, subordinatum, intendunt: ergo etiam legis naturalis *in specie*, & quidem *à fortiori*, finis est felicitas naturæ rationali, *modo specifico*, propria. C. Patet. Cùm enim DEUS, tanquam Ens perfectissimum, nulliusque rei indigum, leges naturales, non nisi hominum causâ condiderit, pro sua infinita sapientia, ac bonitate, *saltem immediatè*, * aliud nil intendit, quàm ut homines beati sint, & felicitatis, naturæ rationali propriæ, sese reddant participes. Jam sic:

Quod est *fundamentum*, *principium*, seu *causa* formalis, ac immediata *finis*, puta *felicitatis*, naturæ rationali *simpliciter* propriæ, est etiam fundamentum, principium, & causa *mediorum*, puta legum naturalium, quæ *ratione suæ proportionis cum fine* sunt ordinatæ ad finem ejusmodi, seu felicitatem: atqui amor DEO, sibi, & proximo naturaliter debitus, est tale *fundamentum*, *principium*, & *causa* formalis, & immediata *finis*, seu felicitatis: ergo etiam est fundamentum, principium & *causa mediorum*, seu legum naturalium. *Maj. est evidens*: nam quod est principium, seu causa causæ, est etiam principium, seu causa causati. *Min. Dem.* Amor DEO, sibi, & proximo debitus, *est radix*, seu *causa formalis* conjunctionis cum DEO, tranquillitatis secum ipso, & pacis cum proximo: atqui in hac triplici qualitate consistit felicitas, naturæ rationali *simpliciter* propria: ergo.

Immò, quia est fundamentum ipsius proportionis naturalis, ratione cujus præcepta sunt ordinata ad finem, seu felicitatem homini propriam.

Ex quibus *sic ulteriùs inferes*: Ratio formalis, cur præcepta juris naturæ, *tanquam media*, ordinentur ad finem, seu felicitatem homini propriam, est *aptitudo*, seu *proportio*, quam habent ad hunc finem, puta, ad felicitatem, in pace cum DEO, secum ipso, & proximo consistentem: ergo *fundamentum hujus aptitudinis*, seu *proportionis*, erit principium, è quo media dignoscas, atque deducas: atqui hoc fundamentum est amor, quo quis procurat bona, cuivis naturaliter debita; & amovet mala indebita: ergo amor est principium cognoscendi, & eruendi præcepta naturalia.

Neque finis est utilitas qualiscunque, sed à Deo

Neque quis dicat, quòd si finis legum statuatur *humana felicitas*, jus naturale *ex sola utilitate nasci* videatur, adeóque obligatorium dici non possit, cùm quivis, vel saltem totum huma-

(a) In epist. ad *Rom.* c. 5.

* Non enim excluditur finis *mediatus*, & *ultimatus*, nempe *gloria Creatoris*, quæ ex tot rebus, sapientissimè conditis, immò ex ipsa hac hominis felicitate eruitur, utpote consistente *primariò in cognitione & amore*, hoc est, *in gloria Creatoris*.

præcepta, adeóque fundant obligationem juris.

humanum Genus utilitati ſuæ renunciare poſſet. Nam

Contrà eſt: Cùm hæc felicitas ſit *per voluntatem DEI* nobis præfixa in finem, & etiam *præcepta*, ſufficientem *fundas* juris obligationem, non modò interoam, ſed etiam externam: non enim *motivum formale*, quo hæc officia præſtamus, eſt felicitas *ſimpliciter*, ſeu quà præeisè *utilis*; ſed *felicitas*, quà nobis *à DEO præfixa*, atque *præcepta*: unde tantùm abeſt, ut renunciare quisquam ſuæ utilitati poſſit, ut potiùs pœnam mereatur, qui legem, ſuo bono conditam, violat, non aliter, ac qui in Republica contra legem, omnium, ſingulorúmque civium bono latam, vel in ejus fraudem aliquid facit.

Quia amor ſupernaturalis eſt principium fundamentale omnium legum divinarum: ergo amor naturalis legum naturalium.

Confirmatur hoc principium II. Juris poſitivi Divini *principium fundamentale* eſt amor ſupernaturalis erga DEUM, ſe ipſum, & proximum, ex quo, *tanquam communi axiomate*, omnes leges Divinæ eruuntur; ad quod omnes revocantur; & in quo omnes adimplentur: ergo etiam juris naturalis *principium fundamentale* eſt amor naturalis. C. Videtur ſtringere *propter rationis identitatem.* 2. Quòd jus naturale contineatur in divino poſitivo, & ab iſto partim firmetur, partim perficiatur. *Ant.* eſt æternæ Veritatis: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c. & proximum, ſicut te ipſum &c. in his duobus præceptis univerſa lex pendet, & Prophetæ.* (a) Unde Apoſtolo *Jacobo* amor vocatur *lex regalis*, (b) ſeu cæteras dirigens. Doctori Gentium *plenitudo legis* (c) *& finis præcepti.* (d) Alibi ait: *qui diligit proximum, legem implevit: nam non adulterabit, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum ſicut te ipſum.* (e) Rurſus alibi: *omnis lex uno ſermone impletur: diliges proximum, ſicut te ipſum.* (f) Inde *S. Joannes* Evang. *hoc præceptum, ſi ſolum fiat, ſufficit.* Explicatiùs *S. Gregorius* Papa: (g) *Quid eſt, quod de dilectione, quaſi de ſingulari mandato, Dominus dicit, hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, niſi quia omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia unum præceptum ſunt? Quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, ſic multa virtutes ex una charitate generantur &c. præcepta ergo dominica, & multa ſunt, & unum, multa per diverſitatem operum, unum in radice charitatis.*

Confirmari poſſet III. Hoc ipſum noſtrum principium authoritate *Puffendorfij*, præcipui hac ex parte Adverſarij, cui & ipſi nonnullus de amore radius illuxit, dum ſcripſit: (h) *Summam legis* Salvator noſter ad duo capita redegit: *Diliges Deum & proximum.* Ad hæc capita referri poteſt *univerſa lex naturalis* tam in integro, quàm in corrupto ſtatu hominum. Nam & *ſocialitas*, quam nos pro fundamento juri naturali ſubſtravimus, *commodè in dilectionem proximi* reſolvi poteſt. Et in alio loco, (i) ubi ait: *Zeutgravium* charitatem, *pro fundamento legis*, ex diſciplina *Chriſtiana* ſubſtituiſſe, *ſe neutiquam repugnante, cùm iſta ſocialitati amicè conſpiret.* Addit tamen, *amoris fundamentum* magis ſapere Theologiam, *ſocialitatis* magis uſui humano eſſe congruum, quòd quàm falſum ſit, infrà clareſcet.

Ipſo Puffendorfio amori principium inclinante.

Quæritur VI. Qua ratione per ipſam applicationem firmatur, ac declaratur iſtud principium?

Applicatio concepitus in genere.

℟. I. *in genere.* Applicatio, quâ ad ſingula *juris naturæ capita*, dabitur per decurſum. Hic, in quantum ſatis eſt ad ſtabiliendum principium, ejus uſus ob oculos eſt ponendus.

In ſpecie, quò ad præcepta negativa gravia.

℟. II. *In ſpecie, quò ad præcepta naturæ negativa, graviter obligantia. Idomne*, & *ſolum* eſt jure naturæ graviter prohibitum, *quod repugnat amori, cuicunque tandem naturaliter debito, quia ad felicitatem, naturæ rationali propriam, ſimpliciter neceſſario:* atqui tale quid eſt, *reſpectu DEI idolomannia, blaſphemia; reſpectu ſui ipſius*, mutilatio propria, mollities; *reſpectu proximi* furtum, adulterium, & ſimilia: ergo naturæ jure ſunt graviter prohibita. *Min. demonſtratur. Idolomannia*, & *blaſphemia* utique repugnant *amori*, & quidem DEO, ùt Creatori, & Conſervatori naturaliter debito, quia ad pacem eum DEO, partem felicitatis homini propriæ,

(a) Matth. 22. v. 37.
(b) Jacob. 2. v. 8.
(c) Ad Rom. 13. 10.
(d) 1. Tim. 1. 5.
(e) Ad Galat. 5. v. 14.
(f) Ad Rom. 13. v. 8.
(g) Homil. 27. in Evangel.
(h) In præfat. ad L. de officio hominis §. 12.
(i) Spicileg. J. N. c. 1. §. 17.

priæ, *ſubſtantialem*, indiſpenſabiliter requiſito. *Mutilatio propria*, abſque neceſſitate, æqoè repugnat *amori*, & quidem ſibi naturaliter debito, quia ſimpliciter neceſſatio ad conſervationem ſui perfectam, quæ pars eſt felicitatis integralis à Creatore præfixæ, & cuivis homini propriæ. *Mollities* poſitivè invertit amorem ſibi naturaliter debitum, hoc eſt, ad animi pacem, corporiſque uſum, naturæ rationali proprium, *abſolutè requiſitum*: nam facit animam paſſionum ſervam, ſoli voloptati intentam, plusquàm belluinam; corpus infirmitatibus ſubjicit, finem ſpeciei conſervandæ, & propagandæ impedit, ac invertit. *Furtum, adulterium*, & ſimilia *per ſe* repugnant amori, ptoximo naturaliter debito, quia pacem cum proximo, partem felicitatis homini ptopriæ, penitùs perſundat.

Quò ad negativa levia.

℟. III. *Quò ad præcepta negativa, leviùs obligantia. Id omne* & *ſolum* eſt jure naturæ *leviter* prohibitum, quòd *abſolute loquendo repugnat quidem amori, cuivis naturaliter debito, ad felicitatem tamen naturæ rationali propriam minùs ſtrictè neceſſario*: tale quid *eſt mendacium* in re levi, *detractio*, *furtum* in leviori materia, & ſic de alijs naturæ jure prohibitis: ergo &c. *Min. demonſtratur.* Hæc repugnare *amori proximi*, & quidem *naturaliter debito*, patet; nam ſunt contraria paci, cum proximo conſervandæ, in qua ſita partialis noſtra felicitas. Quia tamen dici nequeunt *ſimpliciter* everſiva *conjunctionis* mutuæ, *minùs ſtrictè* ſunt neceſſaria ad felicitatem, naturæ rationali propriam, adeóque leviore obligatione prohibita.

Quò ad præcepta affirmativa gravia.

℟. IV. *Quò ad præcepta naturæ affirmativa, graviter obligantia. Id omne & ſolum* eſt jure naturæ *graviter* præceptum, *quod exigitur, ùt conforme amori, ad felicitatem naturæ rationali propriam, cuicunque naturaliter debito, & abſolutè neceſſario*: tale quid eſt *reſpectu Creatoris* religio in genere; *reſpectu hominis* erga ſe ipſum refrenatio inordinatorum affectuum; *reſpectu proximi* exhibitio officij, ſeu in procurando bono, ſeu in avertendo malo præſtandi, ſi ſit *extrema*, vel *abſolutè gravis* neceſſitas, idque levi incommodo fieri poſſit: ergo ejusmodi officia naturæ jure ſunt *graviter* præcepta. *Min. demonſtratur*: amor DEI, ſine cultu, eſt nullus, cùm neget DEO bonum proprium: ergo exigitur ut conformis amori, & quidem naturaliter debito, quia *ſimpliciter* neceſſario *ad pacem, cum DEO* ùt Creatore & Conſervatore ſervandam, felicitatis, naturæ rationali propriæ, partem primariam, & *abſolutè* requiſitam. Refreoatio paſſionum abſolutè exigitur ab amore ſui, & quidem *naturaliter debito*, quia *ſimpliciter* neceſſario *ad tuteruam malatiam*, quæ pars felicitatis, homini propriæ, qua ſine homo foret poſitivè infelix, & malè conſtitutus. Officium, proximo exhibitum in neceſſitate extrema vel abſolutè gravi, ſi facilè poſſis, utique eſt conforme amori; immò ut exhibeatur, abſolutè exigitur ab amore non qualicunque, ſed naturaliter debito, quia ad conſervandum *neceſſitatis mutuæ* vinculum juxta illud: *quod tibi vis fieri, alteri facies*; ad pacem, ſeu felicitatem naturæ rationali propriam, non *quomodocunque*, ſed *indiſpenſabiliter* requiſito.

Quò ad præcepta affirmativa levia.

℟. V. *Quò ad præcepta naturæ affirmativa, leviùs obligantia. Id omne* & *ſolum* eſt naturæ jure leviùs præceptum, quod *abſolute* loquendo *exigitur* quidem, *ùt conforme amori, ad felicitatem naturæ rationali propriam, cuivis naturaliter debito, ſed tamen minùs ſtrictè neceſſario*: tale quid ſunt officia, non quidem *in jure rigoroſo*, * *æquitate* tamen *naturali* fundata v.g. petenti dare conſilium, erranti viam monſtrare digito, ſitienti permittere aquæ hauſtum, aliáque ſimilia, quæ *abſque incommodo proprio* præſtari poſſunt: ergo ejusmodi officia ſunt quidem *jure naturæ*, *leviùs* tamen præcepta. *Min. demonſtratur.* Ejusmodi officia eſſe amori conformia, patet; eſſe autem conformia *amori*, non qualicunque, *ſed naturaliter debito*, ſaltem *minus* ſtrictè, liquet ex eo, quòd ſint *in æquitate naturali* fundata; quòd ad conjunctionis mutuæ nexum, felicitatémque naturæ rationali propriam, etſi *non abſolutè*, *minùs ſtrictè* tamen, ſint neceſſaria: nam tolle in hujusmodi officijs *omnem obligationem naturæ*, non quidem *abſolute* diſſolves conjunctionis mutuæ nexum, enervabis tamen, non ſine præjudicio felicitatis homini propriæ, & ad naturam, beoè conſtitutam, admodùm neceſſariæ.

℟. VI.

* *Per ſe*; nam *per accidens*, accedente *extrema neceſſitate*, fundarent *jus rigoroſum*; aut interveniente alio *affectu pravo* poſſent degenerare in peccatum etiam *grave*.

Quò ad concessa, seu permissa.

℞. VI. *Quò ad indifferentia, seu permissa jure naturæ.* Id omne & *solum* jure naturæ est *concessum* seu *permissum*, quod nec *positive* repugnat, nec *absolute* exigitur *ab amore, cuivis naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario:* tale quid est *primæva communio bonorum*, *servitus inducta*, aliáque similia: ergo. *Min. demonstratur. Communio* bonorum *non positivè* repugnabat amori proximi, ùt patet: & licèt potiùs fuerit eidem conformis, non tamen fuit *absolutè* exigita ab amore, proximo naturaliter debito, quia non erat *determinatè* necessaria ad felicitatem, homini propriam, cùm, nil obstante divisione, hæc felicitas haberi poterat, & conservari. Ita neque servitus positivè repugnat amori, proximo naturaliter debito, ac ad felicitatem vitæ necessario, cùm proveniat ex delicto, *tanquam causâ fundamentali*, & naturæ ac homini, *per se loquendo*, optabilius sit vivere servum, quàm à Victore ipsâ etiam vitâ spoliari: ergo communio bonorum *concessa*, servitus naturæ jure *permissa* est. Idem esse judicium *de divisione bonorum*, & similibus, suo loco fusiùs dilucidabitur.

Quò ad quadam objecta controversa.

℞. VII. *Quò ad objecta magìs dubia dignoscenda. 1.* Admodùm controversum est inter Authores, *an polygamia* naturæ jure permissa; *polyandria* verò *absolutè* prohibita. Jam sic: *Polygamia*, seu *simultanea*, seu *successiva*, nec *absolute* exigitur ab amore, generandæ & educandæ proli naturaliter debito, ùt patet; nec etiam *absolute* repugnat: nam manet *certa* generatio prolis; habetur, *per se* loquendo, *sufficiens* educatio; manent salva officia, Parentes inter & filios, à natura statuta; & licèt *individuus amor* sit ad finem conjugij accommodatior, non tamen *simpliciter* est *necessarius*, præcipuè cùm haberi possit propagatio speciei copiosior: ergo polygamia non repugnat *absolute* amori, naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali *in conservanda & propaganda specie* propriam, *simpliciter necessario*, ac requisito: ergo non est *naturæ jure* prohibita, sed permissa. *Contrà polyviria simultanea*, *per se* loquendo, *absolutè* repugnat amori, generandæ & educandæ proli naturaliter debito, quia generatio *incerta*, adeóque & educatio *insufficiens*; quia confundit officia, Parentes inter & liberos, naturæ jure statuta, & *universaliter* loquendo, impedit potiùs, quàm promovet speciei humanæ propagationem, Accedit, quòd ob specialem naturæ repugnantiam nullum permissionis exemplum, satis authenticum, etiam inter Gentes quàm maximè barbaras, proferri possit: ergo est jure naturæ positivè prohibita *polyandria*.

2. Nec convenit inter omnes, quinam gradus matrimonij sint, naturæ *jure*, ita prohibiti, ut matrimonium faciant *irritum*, vel tantùm *illicitum*; quinam verò sint *liciti*, & *permissi*. Jam sic: Matrimonium *in primo gradu*, Patrem inter & filiam, filium inter & Matrem, *per se* loquendo, * est contractus, qui *saltem quò ad modum* ** positivè repugnat amori, Parentes inter & proles, in ordine ad felicitatem, naturæ rationali in propaganda specie propriam, naturaliter debito, & *simpliciter* requisito: ergo est naturæ jure prohibitus ac nullus. A.P. Amor debitus, & simpliciter necessarius, *respectu Parentum*, requirit *authoritatem*, educationis officio congruam; *respectu prolium* requirit *reverentiam*, filiali observantiæ, alijsque officijs propriam, cui authoritati, & reverentiæ, *per se* loquendo, incompossibilis *æqualitas conjugalis*, adversa *familiaritas mutua* ex usu corporis, è cujus indecentia ortus est naturalis instinctus, qui ab ejusmodi matrimonijs etiam Gentes, quàm maximè barbaras, deterruit, ut oppidò rarum earum extet exemplum: ergo ejusmodi contractus *absolutè* repugnat amori, Parentes inter & proles, ordinato, & simpliciter necessario. *A. P. Æqualitas*, & *familiaritas* conjugalis summè confundit in una persona obligationes, seu officia *uxoris & matris*, *patris & fratris*, *matris & sororis*, *** incompossibili-

* Seclusâ ultimâ necessitate deficientis aliàs humani Generis, cujus conservatio prævaleret reverentiæ, tanquam bono ordinis interioris, qua de causa *S. Ambrosius*, & *Chrysostomus* excusârunt incestum filiarum *Loth.*

** Etsi haberi posset finis, seu *generatio* prolis, vel etiam *individuæ vitæ societas.*

*** Veluti in nuptiis *Hersili*, & *Marullæ*, de quibus vetus epigramma:

Hersilus hic jaceo, mecum Marulla quiescit,
Quæ soror & Genitrix, quæ mihi sponsa fuit,
Me Pater è nata genuit, mihi jungitur illa,
Sic soror & conjux, sic fuit illa Parens.

ſibilitatem notantibus ipſis Paganis apud *Ovidium:* (a) *Túne ſóror nati, genitríxque vocabere fratris? Nec, quòd confundas & jura & nomina, ſentis?* Et quia *hæc turpitudo* in ipſo effectu durat, forétque *perpetua*, ex traditis ſuprà ejusmodi matrimonium non modò eſt jure naturæ *illicitum*, ſed etiam *invalidum*, ac *nullum.* Matrimonium, ſorores inter & fratres, non eſt jure naturæ *irritum. Patet 1.* Quia ceſſat tanta officiorum confuſio, & incompoſſibilitas. 2. Quia hac ratione propagatum initio fuit humanum Genus. 3. Quia *adſunt exempla in Abrahamo* reſpectu *Saræ*, & *Thamare*, reſpectu *Ammonis*, dicente: *non negabit me tibi.* An ſit naturæ jure illicitum, ſeu *extra caſum neceſſitatis* prohibitum, eò quòd evitari non poſſit officiorum quædam ſaltem confuſio, ùt vult *Heineccius*, ſuo loco determinabimus. Cæteros gradus, quod attinet, jure *naturæ permiſſi* ſunt. Nonnulli Authores ex proteſtanticis etiam de cultu interno *reſpectu DEI*, de fornicatione interna *reſpectu ſui & proximi*, controverſiam movent: ſed hæc, uti & alia plura, *ex noſtro principio* definiemus in locis proprijs. Hæc *de applicatione* noſtri principij in ordine ad ejus veritatem comprobandam hic dicta ſufficiant.

Confirmatio principij negativa per ſolutionem replicarum.

Quæritur VII. Quomodò hoc ipſum principium ſtabilitur argumento petito à diſſolutione replicarum, quæ forſitan ab Adverſarijs opponi poſſent?

Hic conceptus ſatis eſt clarus, & ſuccinctus.

℞. I. *Opponi poſſet 1.* Hoc principium videtur *minùs planum & liquidum*, uti vel ex deductionibus, magis quàm par eſt operoſis, colligitur: ergo caret proprietate *claritatis ac evidentiæ.* 2. Videtur ſuccinctiùs poni poſſe, dicendo: illud *omne* jure naturæ eſſe prohibitum, vel præceptum, *quod difforme, vel conforme amori, ad felicitatem naturæ rationali propriam neceſſario:* ergo caret proprietate *brevitatis.* Sed

Saltem negativè, quia clarior haberi nequit.

Contrà eſt 1. Si principium hoc eſt *minùs pellucidum*, proferatur ſplendidius, *ſed debitis proprietatibus convestitum*, & erit à nobis protinùs ſuſceptum cum plauſu: profectò tale hactenus nec nobis excogitare licuit, nec excogitatum ab alijs legere contigit. An abſtruſum tantoperè eſt axioma? *Ut ſis felix, ama; aſſequere finem per debitum amorem. Beatitudinis ſupernaturalis principium fundamentale eſt amor ſupernaturalis: ergo & beatitudinis naturalis eſt amor naturalis.* Detur diſparitas.

Et brevior in ſubſtantia concedet.

Contrà eſt 2. Seu principium iſtud breviore, ſeu longiore peripheriâ circumſcribatur, parùm refert, modò ſervetur *amoris debiti, quia neceſſariò requiſiti*, ſubſtantia: nam *claritas* hic potior eſt *brevitate.* Cur *amorem debitum* exprimamus, ratio eſt juxta dicta, ut amorem non *qualemcunque* naturalem, ſed *amorem æquitatis*, tanquam juris naturalis fundamentum diſtinctivum, exprimeremus. Unde nobis neutiquam invitis vario modo, ſed *quò ad ſubſtantiam eodem*, exprimi poteſt conceptus v.g. *Fac, vel omitte ea, quæ ad felicitatem naturæ rationali naturaliter debitam, mediante amore neceſſario erga DEUM, te ipſum, & proximum, vel facienda, vel omittenda ſunt.* Item: *quæ ex amore erga DEUM, te ipſum, & proximum, tanquam medio neceſſario ad felicitatem, naturæ rationali propriam, facienda, vel omittenda ſunt &c.*

Multa quidem ſunt conformia amori, nec tamen præcepta jure naturæ.

II. *Opponi poſſet 2.* Sunt multa *conformia*, vel *difformia amori*, in ordine ad felicitatem publicam requiſito, & tamen neque ſunt *præcepta*, neque *prohibita jure naturæ*: ergo conceptus non convenit *ſoli.* A. Patet: V.G. Fuiſſet conforme amori erga proximum, ſeu Rempublicam, ut *clandeſtina matrimonia* jure naturali vetita eſſent, atque invalida, propter infinita, quæ ſecum trahunt incommoda, & ſic de alijs, quæ non niſi jure poſitivo præcepta, ſeu prohibita ſunt. Sed

Quia tantùm ſunt conformia amori qualicunque, non abſolutè neceſſario ad felicitatem homini propriam.

Contrà eſt. Sunt multa *conformia*, vel *difformia amori* erga proximum, ſeu Societatem humanam *qualicunque*, & ad felicitatem publicam *quomodocunque* requiſito. C. Sunt conformia, vel difformia amori, *naturaliter debito*, hoc eſt, ad felicitatem publicam *abſolutè neceſſario.* N. Amor Societati humanæ neceſſarius, adeóque naturaliter debitus, ſe non extendit. niſi ad felicitatem, qua ſine natura rationalis, ſeu Societatis humanæ ſtatus foret *poſitivè* defectuoſus, quod non fieret per matrimonia clandeſtina, etſi valida, ùt patet. *Ratio eſt:* quia etſi multa, ſiquidem forent jure naturæ *præcepta*, vel *prohibita*, bono publico pro ſemper fuiſſent valde proficua, nihilominùs haud erat *commodum* Generi humano, obrui velut legum naturalium *immenſa mole.* Unde magis expediebat, ea ſolùm eſſe jure naturæ prohibita,

(a) Metam. 10. v. 9. inducens *Myrrham* loquentem.

bita, vel præcepta, quæ essent conformia, vel difformia amori erga DEUM, seipsum, & proximum, in ordine ad felicitatem, Societati humanæ *absolutè debitam*, *necessario*, sic ut cuivis nota esset obligatio naturalis, ulteriora verò, magisque recondita, *quò ad majorem*, *minorémve vitæ*, *statúsque publici utilitatem*, dispositioni humanæ relinquerentur.

Sunt quædam prohibita, etsi conformia amori, sed tantùm qualicumque, privato, & per accidens in casu particulari, cùm principium amoris respiciat felicitatem universalem.

III. *Opponi posset 3.* Sunt quædam prohibita *jure naturæ*, etsi conformia amori, vel sibi, vel Communitati naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem vitæ necessario: ergo conceptus non convenit *omni*. A. Patet 1. In vindicatione sui privata. 2. In occisione hominis improbi, vel tyrannicè regnantis, facta propria authoritate. 3. In mendacio, conservandæ Reipublicæ gratiâ prolato. Sed

Contrà est: Sunt aliqua *prohibita*, etsi conformia amori, in ordine ad felicitatem propriam vel publicam necessario, & hoc *per se*, & *universaliter loquendo*. N. Et hoc *per accidens*, ac *in casu quodam particulari*. T. A. Et N. Suppositum, quòd jus naturæ respiciat id, quod in uno alteróve casu *per accidens*, & non potiùs, quod *universaliter*, & *plerumque* expedit ad felicitatem, seu publicam seu privatam. *Unde ad 1. & 2.* Etsi, *loquendo* extra *statum merè naturalem*, hoc est, *supposita quadam societate*, vindicatio sui privata, occisio hominis improbi, vel tyranni, *in casu particulari* videri posset haud esse difformis amori debito, & ad felicitatem propriam, vel publicam requisito; nihilosecius, spectatâ depravatæ naturæ conditione, hominum judicijs, amore sui & proximi odio excæcatis, nimiáque temeritate in transversum actis, ejusmodi jus, seu licentia universalis foret *nimium periculosa*, *absolutè perniciosa* amori debito, & ad felicitatem, tam propriam quàm publicam *simpliciter* necessario: ergo ejusmodi licentia jure naturæ est meritò *absolutè* prohibita. C. Liquet ex ratione suprà allata: siquidem jus naturæ respicit potiùs utilitatem *communem*, eámque meritò præfert *particulari*: unde est merè *per accidens*, quòd *in casu particulari* homo privatus, vel etiam Respublica cogatur sustinere incommodum, quod *utilitati communi* meritò subordinandum. Eadem est ratio *de mendacio*: nam uti rectè ratiocinatur *Pallavicinus noster:* (a) *cùm humana Societas sermone, veluti præcipuo adjumento, juvetur; cùm ejusdem veritate deliberationes cunctæ, judicia, & negotia universa regantur; cùm omnis mortalium rerum procuratio ab eadem dependeat, præstat, ut eventu nullo mentiri liceat, alioquin semper auditor jure verebitur, ne tum forte in eo eventu, in quo mendacium innocens est, loquutor aut re, aut opinione versetur.*

Quædam, naturæ jure præcepta, sunt absolutè conformia amori.

IV. *Opponi posset 4.* Cum *Puffendorfio.* (b) Sunt aliqua *jure naturæ* debita, quin tamen sint conformia amori *propriè* tali: ergo conceptus necdum convenit *omni*. A. P. Juris naturæ est, *æs alienum exsolvere*, & alia ex obligatione perfecta præstare, quin tamen hæc præstari dicantur *ex charitate*.

Non quidem qualicunque,

2. Amor est *virtus*, ad quam nemo cogi, vel externa obligatione obstringi potest: ergo male assumitur *pro fundamento juris naturalis*.

Suíque ipsius privato,

3. A nobis pro fundamento substernitur *amor sui*: atqui, teste *Puffendorfio*, *inter dogmata, ob quæ Hobbesius tantoperè vapulat, est vel præcipuum, quòd amorem sui, velut fundamentum, legi naturali substraverit*. Sed

Sed amori justitiæ.

Contrà est ad 1. N. A. Ad P. D. Quin hæc præstari dicantur ex amore qualicunque *benevolentiæ*, vel *amicitiæ*. C. Ex amore *æquitatis naturalis*, fundato in exigentia, seu debito, etiam justitiæ qua tali proprio. N. Nostrum fundamentum est *amor æquitatis naturalis*, quæ *in motivo formali* convenit suo modo cum *justitia*, uti est *virtus specialis*.

Ut est virtus obligationis externæ.

Contrà est ad 2. D. Amor *qualiscunque & qualitercunque* sumptus. C. Amor *justitiæ*. *Subdist.* Est virtus incapax obligationis externæ. N. Capax. C. Nunquid præcepta decalogi sunt præcepta naturalia, & præscribunt officia *perfecta*, ùt vocant, seu fundata in *jure* etiam *coactivo*, & tamen ipse Servator pro illorum *principio* adstruxit *amorem*, exclusivum læsionis alterius, & junctum proposito, cuivis suum tribuendi, hoc est, *amorem justitiæ*. Inde denuò repetendum, quod suprà ex *Suarezio* (c) adduximus, nempe etiam virtutes posse esse *suo modo* materiam legis naturalis, quatenus quandoque datur obligatio naturalis *quò ad earundem exercitum*, id quod *de amore*, *in ratione motiva justitiæ fundato*, principaliter intelligendum.

Con-

(a) Phil. mor. seu de bono L. 1. c. 21. f. m. 38.
(b) L. 2. de legibus c. 7. n. 12.
(c) In spicilegio J. N. c. 1. §. 17.

Et subordinationis debita capax.

Contrà est ad 3. Hobbesius vapulat, quòd pro principio juris naturalis adstruat *amorem proprium*, eúmque *solum*, non *subordinatum* amori Divino Creatoris, & publico Coṁunitatiś humanæ; item quòd adstruat amorem proprium, velut unicè regulantem officia, proximo exhibenda, *cùm tamen amor ille nostri, ne in devia abeat, néve societatem humanam perturbet, potiùs per officia erga alios temperandus sit*, uti rectè animadvertit *Puffendorfius.*

Amor cuivis debitus in ordine ad felicitatem possidendam exhibitus est principium universale.

V. *Opponi posset* 5. Amor DEO, sibi, & proximo naturaliter debitus, non *est universaliter* fundamentum *congruum*, ne dicam, *necessarium* ad felicitatem, naturæ humanæ propriam, seu singulis, seu omnibus communem: ergo non est *principium juris naturalis*, intenti unicè ad felicitatem, tanquam finem. A. P. 1. Potest aliquis cuivis amorem debitum exhibere, & tamen per omnem vitam miserrimè vivere, uti patet satis ordinariâ experientiâ.

2. Patet in casu, quo quis, ne contraveniat *juri naturæ* v. g. Creatorem inhonorando, cogitur perdere bona fortunæ, vitámque ipsam: id, quod procedit, *etiam respectu Reipublicæ*, si tyrannus eidem minaretur excidium, nisi Deos admitteret &c. Sed

Per se loquendo, & saltem respectu felicitatis substantialis.

Contrà est: Amor non est *universaliter congruum*, ne dicam, *necessarium* medium in ordine ad felicitatem, naturæ rationali *substantialiter*, seu *formaliter* propriam. N. Non est *congruum*, seu *necessarium* medium, in ordine ad felicitatem naturæ rationali tantùm *integraliter*, seu *materialiter propriam. Subdist.* Et hoc *per accidens*, ratione amoris naturaliter debiti, ex delicto hominum neglecti. C. Et hoc *per se*, ratione principij, seu juris naturæ. N.

Constat ex dictis suprà, quòd *felicitas substantialis* Naturæ rationalis non consistat *formaliter* in bonis corporis, quia animâ inferioribus; non in bonis fortunæ, quia aufferibilibus; nec in animi bonis, quia neque puris, neque satiativis: sed *in cognitione & amore DEI naturali* inaufferibili, & saltem post mortem *formaliter* beante. Hinc licèt à natura intendatur felicitas quoque temporalis, atque corporea, non tamen intenditur nisi *materialiter*, tanquam pars integrans; *secundariò* & cum debita subordinatione ad pacem, cum DEO Creatore conservandam, quæ, tanquam felicitas *substantialis*, à Natura *principaliter* ac *primariò* est intenta. Ex quo fluit, quòd si amor, cuivis debitus, conservando jura naturæ, observaretur ab hominibus cunctis, frueretur humanum Genuś beatitate quadam naturali, tam *formaliter*, quam *integraliter* perfectâ; pace quidem cum DEO, *veluti felicitate substantiali*; pace secum ipso, & proximo *tanquam felicitate integrali*, seu beatitudinis complemento. Quia verò à plurimis negligitur *amor debitus*, ac ad felicitatem integraliter perfectam *necessarius*, proculcatis naturæ juribus, in nostra potestate non est felicitas integralis, quia dependens ab arbitrio hominum, ac *aufferibilis*, manente tamen semper salva felicitate *substantiali*, quia *independente*, ac *absolutè*, etiam per mortem *inaufferibili*. Unde

Quia independens, ac inaufferibilis.

Ad 1. Potest aliquis amorem, cuivis debitum, exhibere, & tamen miserrimè vivere, miseriâ exclusiva felicitatis *substantialis*, naturæ rationali *formaliter* propriæ. *N.* Miseriâ exclusiva felicitatis *integralis*, alienâ culpâ, *& per accidens* aufferibilis. C.

Ad. 2. *& 3.* Negatur suppositum, quòd in utroque casu amor hujusmodi, seu à subdito Reipublicæ, seu à Republica DEO Creatori debitus, non sit medium *absolutè necessarium* in ordine ad felicitatem, naturæ rationali præfixam, puta, *pacem cum DEO Creatore*, quæ sola felicitas *vera est*, quia *sola substantialis*, naturæ rationali *formaliter propria*, *independens*, & *inaufferibilis* à malitia aliena, *satiativa*, & *sufficienter præmiativa*, saltem post mortem, abstrahendo ab immortalitate animæ, prout denotat præmium *æternum*, vel pœnam *æternam*. Unde si tyrannus minitaretur excidium Reipublicæ; vel si per Dæmones iṁineret interitus toti Societati humanæ, casu quo DEUS permitteret, ferendus foret.

Quæ est finis primarius, naturæ rationali à Creatore præfixus.

Et ex his *casibus evidenter* patet, finem *primarium*, & *substantialem*, à Creatore Naturæ rationali præfixum, *nec esse, nec esse* etiam *posse* felicitatem quamdam *meritissimè temperariam Reipublicæ, vitæ hujus termino conclusam*, ultra objecta utilitatis cujusdam corporeæ, & per mortem aufferibilis, non extensam, quia ex tali fine, *evidenter manco, & imperfecto*, manifestè flueret, homines naturalis juris observantissimos, plerumque fore infelicissimos; contrà verò naturalium legum quàm maximè incurios, fore felicissimos;

mos; illos fore destitutos debito præmio, hos debitâ pœnâ, id quod *evidenter* repugnat primis naturæ principijs, justitiæ, & providentiæ Creatoris, tanquam fundamento omnis honestatis.

Amor, naturaliter debitus, habet pro fine felicitatem, omni homini tam collectivè quàm distributivè propriam, ac communem, debito tamen modo subordinatam. Unde qua repugnans immediatè singulis, distributivè sumptis, mediatè cedunt quoque in præjudicium Communitatis.

VI. *Opponi posset 6.* Vel nostrum principium adstruit amorem, *simpliciter* requisitum in ordine ad felicitatem cuivis *peculiarem*, vel *communem* toti Generi humano? neutrum potest dici: non primum, ùt patet ex dictis suprà de vindicatione sui propria. Non secundum: quia multa sunt jure naturæ prohibita, etsi non repugnent amori, ad commune bonum totius Generis humani necessario. V. G. *Occisio sui ipsius, fornicatio interna, mollities, blasphemia &c.* Sed

Contrà est: Nostrum principium adstruit felicitatem naturæ humanæ propriam, sive natura consideretur *distributivè* pro singulis, sive pro omnibus *collectivè*, eò quòd utroque sensu intendat *felicitatem communem*, cum subordinatione tamen naturaliter debita, sic ut bonum singulorum postponat publico, utrumque bono DEI, in cujus amore consistit *felicitas substantialis.* Cæterum omne, quod naturæ legibus adversum, sicuti repugnat amori tam DEO, quàm sibi, & proximo naturaliter debito, ita & contrariatur amori, ad felicitatem naturæ rationalis, tam privatam quàm publicam necessario, *etsi non eodem modo*: nam blasphemia repugnat *immediatè* amori, tam ad suam, quàm ad Reipublicæ, cujus membrum est blasphemans, felicitatem necessario. Fornicatio interna, mollities &c. repugnat *immediatè* amori, sibi naturaliter debito; *mediatè* amori Creatoris, & Reipublicæ, ad cujus præjudicium inclinat, uti ostensum suprà. Occisio sui ipsius *immediatè* repugnat amori, sibi naturaliter debito in conservatione sui, contra quam agit ex perversa phantasia, mortem, tanquam minus malum (etsi naturaliter maximum sit) eligendo, & stulto furore sibi adimendo vitam, quam recuperare ablatam nequit. Repugnat *mediatè* amori, Creatori naturaliter debito, usurpando dominium vitæ, & mortis, soli DEO reservatum. Repugnat *mediatè* ipsi quoque Reipublicæ, eò quòd auctoritas usurpata, & promiscua facultas diminuat numerum civium, inferátque injuriam Societati humanæ, & sic de alijs.

Confirmatio

Quæritur VIII. Quomodò hoc ipsum principium roboratur omnium validissimè argumento altero negativo, per rejectionem aliorum principiorum?

principij negativa per rejectionem aliorum principiorum.

℟. *Hoc modo*: nequit afferri in medium principium juris naturalis dignoscendi *exactius*, & proprietatibus requisitis *conformius*: ergo hoc cæteris præferendum. A. Indiget fusiore apodisi. Unde sit

§. II. §. 2.

De multiplici principio dignoscendi juris naturalis, ab Authoribus varijs assignato.

De alienis principijs.

Quæritur IX. Quale principium cognoscendi juris naturalis ex hactenus assignatis per varios Authores, verosimilius, scopóque naturali propinquius?

De principio convenientio vel disconvenientia in ordine ad felicem statum naturæ humanæ. Cui jungitur alterum hominis hypothetici.

℟. I. Id, quod penes Theologos, & Jureconsultos orthodoxos hactenus receptum, quo statuerunt *pro fine bonum universale totius naturæ humanæ*; pro principio *convenientiam*, sic ut illud sit *præceptum*, vel *prohibitum* jure naturæ, *quod ad felicem statum naturæ humanæ simpliciter expedit esse præceptum, vel prohibitum, licitum, seu illicitum.* Quia autem redit quæstio, unde quivis dignoscat, quidnam *simpliciter expediat*, vel non *expediat*? alteram junxêre regulam, dicentes: *id omne simpliciter expedire, vel non expedire, in cujus licentiam, vel prohibitionem homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authore naturæ requisiti suffragium tulissent. Rationem assignant 1.* Quia prior regula desumpta *est ab intrinseco* fine legis naturalis, qui est *felicitas naturæ rationalis.* 2. Quia ejusmodi *homo abstractus* nil judicasset, nisi ex hoc fine, puta, *bono universitatis*, cùm bonum communitatis sit bonum etiam singulorum, & vicissim. 3. Quia in applicatione neutra regula fallit. Accedit authoritas maxima Theologorum, & Jure consultorum ex Orthodoxis: nam ita *Haunoldi, Palavicini* cum Theologis; *Francisci Schmier, Placidi Pöcken, Antonij Soll, Sigismundi Stapfij* cum Jureconsultis pluribus.

Non satisfacit hoc principium, quia ca-

℟. II. *Non satisfacit hoc principium.* P. Caret proprietatibus requisitis: ergo. *A. P. 1.* Quia non est principium *notum secundùm se*: nam tedit quæstio, *quidnam simpliciter expediat,*

vel proprietatibus requisitis.

pediat, vel non expediat ad felicem statum naturæ humanæ? Unde hi ipsi Authores, quæstioni huic ut satisfaciant, *judicium hominis hypothetici*, velut alteram regulam, subjungunt. Abs re non est animadversio *Christiani Thomasij*: (a) Hic, postquam proprietates, ad ejusmodi principium requisitas, adstruxisset, subdit: rides fortè tantum apparatum, & in sinu gaudes, quòd facili negotio te putes invenisse, quod hic quærimus. Quid enim aliud erit, cogitas, quàm *fac ea, quæ necessariò conveniunt cum natura hominis rationali; & quæ eidem repugnant, omitte.* Pater igitur principij *veritas, adæquatio, & evidentia.* At compesce gaudium. Omnes quidem convenientiam crepant; at quid sit *convenientia* cum natura hominis rationali, hoc opus, hic labor est. *Connexio* quidem ipsius principij *cum primo principio practico, honestum est faciendum*, evidens est; sed *connexio conclusionum* cum ipso principio *in obscuro* posita est. v. g. *atqui servatio pactorum convenit; homicidium disconvenit.* De paraphrasi autem, quam singuli dant, querendum, *quòd veritas lateat in puteo*: unà cum veritate igitur & *adæquatio*, & *evidentia* est abscondita. Ita ille.

A. P. 2. Non est unicum, sed duplex; neque omni ex parte *verum*, quia nixum judicio hominis ficti, ac hypothetici; & denique nec est *intrinsecum*, saltem secundùm alteram regulam, ùt patet, contra Apostoli scitum, quo edixit, normam juris naturalis non extra hominem esse indagandam, sed in ipso homine, utpote cujus cordi sit inscripta. Nempe plus non satisfacit *hoc hypothetici hominis judicium*, quàm apud Philosophos, differentiæ specificæ indagatores, *judicium prudentum.* Hinc conformiùs ad scopum, ni fallor, illa *convenientia* ad finem, seu *felicitatem* naturæ humanæ, explicatur *per amorem*, à natura homini inditum, quia *ad felicitatem* necessarium; quàm judicium hominis, in idea *Platonica* abstracti, & in consilium à Creatore DEO adhibiti.

Nec videtur esse satis proprium, & adæquatum.

A. P. 3. Non est *satis proprium*, *ac adæquatum.* Nam si *felicitas* humani statûs non denotat *principaliter* bonum *substantiale*, rationali naturæ *primariò* proprium, quod consistit *in cognitione & amore Creatoris*, saltem in altera vita *proportionaliter*, hoc est, ad naturæ exigentiam satiativo, atque *inauferibili*; sed præcisè indicat *bonum naturæ* humanæ *universale* quidem, sed merè *integrale*, hujus vitæ termino clausum, adeóque *auferibile* (prout *communiter* intelligunt Politici etiam orthodoxi) principium non erit *adæquatum*: nam homo, *jure naturæ obligatus*, ad se, suáque omnia consecranda pro communi salute Reipublicæ; Respublica, *jure naturæ obligata*, ad consecrandam felicitatem omnem temporalem pro cultu, uni Creatori debito haud deferendo, foret destituta fine, seu felicitate a naturæ jure præfixa, sic ut juris naturalis observantissimi forent plerumque infelicissimi; ejusdem quàm maximè incurij essent felicissimi, frustrato naturæ fine, id quod neutiquam dicendum, vel admittendum.

Et explicatio Wernheri insufficiens.

℞. III. In eandem propè viam abit *Balthasar Wernherus*, author recentissimus ex Protestanticis, dum pro principio assignat *convenientiam, vel disconvenientiam cum natura humana necessariam*, quam hoc duplici axiomate declarat: *quidquid ita comparatum, ut si ab omnibus hominibus omitteretur, Generi humano pereundum esset, illud per legem naturæ est à DEO præceptum. Et quidquid ita comparatum est, ut si ab omnibus hominibus fieret, Generi humano pereundum esset, illud à DEO naturaliter prohibitum.*

Addit Sirbrandus (b) *tertiam regulam, quòd, quidquid ita comparatum non sit illud sit indifferens, ac licitum. Fundamenta* hujus principij afferunt. *1.* Insufficientiam hominis ad sui conservationem sine aliorum ope. *2.* Finem, à Creatore humanæ naturæ præfixum, conservationem sui & salutem communem. *3.* Æqualitatem naturæ in omnibus, adeóque quod in ordine ad hunc finem à DEO prohibitum, vel præceptum toti naturæ, id singulis hominibus prohibitum, vel præceptum censeri debeat. Atque hoc principium, ajunt, ex levi consideratione ipsius naturæ esse *evidens*; in applicatione apparere *adæquatum &c.* Sed

Quia & ista non reddit principium proprium, & adæquatum.

Contrà est 1. Hoc principium non est *sufficiens*: nam sistit in conservatione humani Generis, & salute merè externa, vitæ termino conclusa, qui finis naturæ est solùm inadæquatus, & minùs, ùt suprà diximus. *2.* Non est *principium proprium*, & *adæquatum*: nam sequeretur, *agriculturam* naturæ jure

(a) In instit. Jurispr. Div. L. 1. c. 4. n. 6. f. m. 122.

(b) In dissert. de principijs Nat.

jure præceptam; *cœlibatum* naturæ jure prohibitum, & sic de alijs, id quod certò falsum.

Principium socialitatis, tantoperè deprædicatum à Protestantibus.

Quæritur X. Quod alterum principium, ab Authoribus, maximè protestanticis, adornatum, & adoratum?

℞. I. Famosa *socialitas*, quam *Hugo Grotius* velut concepit; * enixus est *Puffendorfius*; ** de fonte levârunt *Christiani Thomasij*, *** *Bœcleri*, **** *Nicolai Herty*, *Ryssely*; à contradictionibus vindicare conati sunt *Immanueles Weberi*, *Joannes Geilfusij*; in triumphum duxêre *Vitriary*, *Bohmeri*, *Friderici Ludovici*, *Henningy*, aliique passim Acatholici, exceptis non paucis, quos inter illustris *Leibnitius*, *Kemmerichius*, *Heineccius*, *Mevius*, *Coccejus*, *Kestnerus*, *Groningius*, aliique, ut nihil dicamus de ijs, qui mox initio hunc fœtum, *velut monstrosum*, rejecêre, uti in fatis *Puffendorfiani* hujus partûs suprà jam recensuimus.

Cui, quæ conveniunt, præcepta; quæ disconveniunt, prohibita.

℞. II. Pro principio cognoscendi juris naturalis hanc regulam statuit *Puffendorfius*: (a) *cuilibet homini, quantùm in se, colendam, & conservandam esse pacificam adversùs alios socialitatem, indoli & scopo Generis humani in universum congruentem.* Inde deducit *Thomasius* hoc axioma: (b) *fac ea, quæ necessariò conveniunt cum vita hominis sociali; & quæ eidem repugnant, omitte.* Vel ùt Paraphrastes *Weberus*: *quidquid cum socialitate convenit, id est juris naturalis, & contrà, si contrà.*

Ratio est, hominis impotentia ad se conservandum sine aliorum ope.

℞. III. *Demonstrationes afferunt* 1. *A priori.* Quia homo est animal tam conservandi *sui studiosum*, quàm *impotens* sine similium ope; tam *idoneum* ad promovenda mutua cōmoda, quàm ad impedienda *malitiosum*: ergo inferunt, ut homo sit salvus, & sospes, socialitatem amet, & socialitatem quærat, necesse est; néve suâ malitiâ sociorum indignationem sibi consciscat, legem de colenda societate præfixam habeat, opus est: quidquid ergo socialitati confert, ad objectum juris socialis, seu naturalis, referendum est.

2. Crea-

* *Hugo Grotius* in prolegomenis. §. 7. & 8. postquàm ex Philosopho adstruxisse homini *appetitum societatis excellentem*, cujus instrumentum est *sermo*, subdit: *hæc verò societatis custodia, humano intellectui conveniens, fons est ejus juris, quod propriè tali nomine appellatur, quò pertinet alieni abstinentia &c.*

** *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 2. c. 3. §. 15. f. m. 197. Ex hisce positis facilè est *fundamentum legis naturalis* invenire. Scilicèt manifestè apparet, hominem esse animal, *sui conservandi studiosissimum*, *per se egenum*, sine sui similium auxilio servari *ineptum*, ad mutua commoda promovenda *maximè idoneum*, idem tamen sæpe malitiosum, petulans, facilè irritabile, ac ad noxam inferendam promptum, ac validum. Ejusmodi animali, ut salvum sit, necessarium est, ut sit *sociabile*, id est, ut conjungi cum sui similibus velit, & adversùs illos ita se gerat, ut ne isti ansam accipiant eum lædendi, sed potiùs rationem habeant ejusdem commoda servandi, aut promovendi &c.

*** *Thomasius* in Instit. Jurisp. Div. L. 1. c. 4. *Status* norma legis est; lex norma actionum n. 34. Ratio hominis in cogitatione consistit; *cogitare est ratiocinari*, ratiocinari verò non possumus, *nisi per verba.* n. 52. ut multa paucis contraham: ratio absque sermone non est, sermonis extra societatem nullus usus, nec ratio citra societatem se exerit. n. 54. Igitur cùm hominem rationalem dicimus, idem est, ac si dicamus *socialem*. *Socialitas* verò est inclinatio communis, toti humano Generi à Deo indita, vi cujus desiderat vitam cum alijs hominibus *beatam*, & *tranquillam.* Cur verò tranquillam? Quia in statu turbulento, quà tali, non ratiocinamur. A posteriori sententiam nostram probamus, *quoniam homo citra societatem non potest esse beatus &c.* Manet igitur inconcussum, naturam hominis *rationalem* eandem esse ac *socialem*, & consequenter per convenientiam cum natura rationali intelligi convenientiam cum societate hominis &c. Ita ille: atque jejunam hanc perissologiam Author hic obtrudit, ùt veritates apodicticas: sed meliore jure eidem opponas: *hæcne connexio conclusionum tam evidens, ut ferè palpari possit?* n. 6. *An non de periphrasi hac querendum, quòd veritas lateat in puteo?* n. 8. *An non obscurum exponitur per æquè obscurum?* n. 15.

**** *Bœclerus* in *Grotium.* Hanc ergo *societatis custodiam*, seu appetitum societatis ordinatæ, instructæque naturalem, rectè *Grotius* juris naturalis *originem*, *fontem*, ac *principium* fecit, seu magis hoc juri naturali fundamentum substravit. Nam sicut ad talem societatem Deus homines condidit, natura instruxit, ratio deduxit, oratio copulavit, ita si fingeretur status hominum extra societatem, ille non humanus esset, nec naturalis, & sic omnis coaguli, ùt omnis juris, expers.

(a) Breviùs in L. de officio hominis c. 3. n. 9. *Cuilibet homini, quantum in se est, colenda & servanda societas: omnia, quæ ad istam socialitatem necessariò, & universim faciunt, jure naturali, præcepta; quæ eandem turbant, aut abrumpunt, vetita* intelliguntur. Ita *Puffendorfius*.

(b) L. c. n. 64.

Loquela ad communicationem mutuam à Creatore indita.

2. Creatnr DEUS ſoli inter animalia homini ſermonem indulſit, quia eundem non ſolum, ſed ſocium eſſe voluit, atque adeò facultate communicandi, & negotiandi cum hominibus præditum: ergo ſocialitas eſt fundamentum.

Natura ipſa ad ſocialitatem inſtructa.

3. Juxta Philoſophum homo eſt animal *naturâ ſuâ civile, ſeu ſociabile*, uti teſtatur experientia, generandi, & iraſcendi facultas, principia practica, * conatus juvandi alios, quæ omnia forent fruſtranea, niſi ad ſocietatem homo natus eſſet: ergo quod eſt ordinatum ad vitam ſocialem hominis, eſt conveniens naturæ hominis: ergo ſocialitas eſt genuinum principium juris naturalis.

Proprietates huic principio convenientes.

4. *Confirmatur à poſteriori*: Hoc principium *eſt verum*, ùt patet; eſt *evidens*, nam *in ſenſus incurrit*, ùt vult *Weberus*. Si enim quæſtio ſit de actione aliqua, an juri naturali conveniat, nec ne? non majori aliqua evidentiâ id oſtendi poteſt, quàm ſi exemplo paucorum videas, an ad amorem communem & mutuum, id eſt, ad ſocialitatem conſervandam ea ſit idonea, vel non? unde de habitu ejus ad univerſam hominum ſocietatem facilè licet argumentari. Evidentiam paulò aliter ob oculos ponit *Thomaſius*: (a) *Si DEUS voluiſſet hominem non ea facere, quæ cum ſocialitate ejus conveniunt, non voluiſſet rationalem: at homo irrationalis involvit contradictionem.* Connexio concluſionum eſt *evidens* cum primo iſto principio: nam quando v. g. quæro, quomodò *homicidia, furta &c.* repugnent ſocialitati? *evidenter* reſpondeo, quia ea turbant tranquillitatem comunem totius Generis humani. Similiter quando quæro: quomodò *pactorum obſervatio* neceſſariò conveniat cum ſocialitate? evidens eſt reſponſio, quia ſi ea non ſervarentur, turbaretur eadem tranquillitas. Inde infert *Fridericus Ludovici*: *hoc principium eſt ad captum omnium gentilium; diſſentientes autem tale proferre non poſſunt.* (b)

3. *Eſt proprium diſciplinæ*, ac velut *domeſticum*, ùt loquitur *Weberus*: quia ex dictamine rectæ rationis depromptum. 4. *Eſt adæquatum & ſufficiens*: quia omnia officia hominis, etiam erga DEUM, & ſeipſum, *ſaltem à poſteriori* & *indirectè*, exinde demonſtrari poſſunt.

Quæritur XI. Quid contra rationes hujus principij excipiunt Puffendorfij Antagoniſtæ?

Sed illa impotentia, etſi magnam, non tamen abſolutam inducit ſocietatis neceſſitatem, etiam pro ſingulis.

℞. I. *Ad 1. Diſtinguunt.* Et illa, impotentia ſe conſervandi; illa malitia nocendi; illa indigentia alieni auxilij, per hypotheſin *Puffendorfianam* tantoperè exaggerata, eſt tanta, tàmque innegabilis, ut inferat neceſſitatem *abſolutam* colendæ, & incolendæ ſocietatis pro ſingulis. ** N. Ut inferat neceſſitatem *indeterminatam* colendæ cujuſdam ſocietatis, ſaltem conjugalis, *pro toto Genere humano.* C. Cùm nec ſocietas, ſaltem ſingulis, præcepta ſit; cùm innumeros videamus, ſolitariam vitam, tantoperè haud incommodam, ducere; cùm neque ij, qui in ſocietate ſunt, cum ſolis ſocijs habeant, quod agant, ſed etiam DEO, ſibique debita exhibere officia debeant, ſocialitas *nec proprium*, nec *adæquatum* principium dici poteſt, ex quo objecta juris naturalis, *rectè* & *univerſaliter*, deduci queant.

Ut neque ſermonis capacitas, & naturæ cætera diſpoſitio.

Ad 2. & 3. Denuò diſtinguunt. Et illa ſermonis, & communicationis capacitas; illa naturæ diſpoſitio, & nativa inclinatio ad ſocietatem mutuam &c. evincit aliquam ſocietatem, nempe conjugalem, eſſe *abſolutè* neceſſariam, & *neceſſariò* colendam *à Genere humano.* C. Aliam quamdam, humano Generi communem. *Subd.* Eſſe neceſſariam *ad meliùs eſſe*, ſeu admodùm *conformem naturæ.* C. In alio ſenſu. N. Omnis *Puffendorfiana* paraphraſis plus non evincit, quàm ſocietatem (ſuppoſito decreto DEI de propagatione, & multiplicatione humani Generis) eſſe naturæ rationali neceſſariam *in genere, ſuo modo, & conſequenter*, nempe ut iſta ſocietas ritè inſtituatur, opus eſſe legibus tum naturalibus,

---

* Qualia ſunt *honeſtè vivere, neminem lædere, jus ſuum cuique tribuere, quorum extra ſocietatem nullus eſt uſus*, uti ait *Vitriarius* in Proleg. Inſtit. juris Naturæ & Gentium. Quaſi verò extra ſocietatem nulla foret *vita honeſtas*.

(a) L. c. n. 66. 167.

(b) In doctr. juris naturæ. c. 4. §. 15.

** *Thomaſius* L. 1. c. 3. n. 84. adſtruit homini *quò ad corpus* imbecillitatem, non modò animalibus brutis majorem, ſed & tantam, ut *neceſſariò* periret, ſi alij homines *obligati* non forent, ut ipſi ſuccurrerent; *in animo* majorem pravitatem nocendi alijs, quàm ſit in beſtijs.

bus, tum positivis, universalibus & particularibus.

Neque evidentia hujus principij convincit ipsum Thomasium.

Ad 4. Ajunt, *evidentiam* hujus principij, quam affert *Thomasius*, esse admodùm profundam *in puteo*, si ejus phrasibus uti fas est. *Unde* est, quòd nimiâ hujus principij *Puffendorfiani* evidentiâ convictus & ipse, id tandem, *ùt multis difficultatibus expositum*, repudiârit. * Cæteris proprietatibus, an socialitas meritò gloriari possit, paulò pressiùs disquirendum. Unde

Unde principium socialitatis est proprietatibus debitis destitutum.

Quæritur XII. Quid, absolutè loquendo, de socialitatis principio sentiendum?

℟. I. *Est principium proprietatibus debitis destitutum, adeóque illegitimum. P. 1.* Non est *principium primum.* Nam *socialitas*, seu *inclinatio naturalis* ad vitam socialem, in ordine ad obtinenda exinde comoda, fluit, *tanquam effectus*, ex amore sibi naturaliter debito, quia ad felicitatem naturæ humanæ propriam, hoc est, *ad conservationem sui, & propagationem speciei simpliciter necessario:* ex quo deducimus *socialem vitam*, saltem *conjugalem*, seu societatem familiæ esse *de jure naturæ* præceptivo, sed indeterminato, hoc est, non quidem singulos, sed humanam speciem obligante. Porrò societas familiæ, sicut est medium *necessarium* ad felicitatem naturaliter debitam, ita est *sufficiens*, sic ut cæteræ societates, ad percipienda exinde majora commoda, initæ, respiciant *jus naturæ merissimè concessivum*, utpote conformes quidem amori sui ipsius, sed tamen ad felicitatem, naturaliter debitam, *determinatè* haud necessario. Suppositâ tamen ejusmodi societate, sese ampliùs exerit jus naturæ, non tamen mensurandum ex convenientia *cum socialitate*, sed *cum amore*, seu proximo, seu societati humanæ naturaliter debito, quia ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario. Jam sic: convenientia *immediata* in ordine ad felicitatem, naturæ humanæ propriam, notat principium *primum* juris naturalis, velut medij ad hunc finem intenti: sed convenientia *cum amore*, ad conservationem sui necessario, *est immediata*; convenientia *cum socialitate*, ad quam velutì medium, conservationi propriæ congruum, inclinat amor, *est mediata*: ergo illa, non ista notat principium *primum*. Quæ ratiocinatio sicut principium *socialitatis* infirmat, ita principium nostrum *de amore* confirmat.

Non est adequatum quia non aptum ad eruenda, saltem directè, officia erga DEUM, & seipsum.

2. *Non* est principium *adequatum*, quia haud aptum ad eruenda officia hominis *erga DEUM*, atque *seipsum*. Res clara est, habétque fatentem ipsummet *Puffendorfium*, qui hac de causa officia hominis *erga DEUM*, atque *seipsum*, à disciplina juris naturalis *malè sequestravit*, & ad Theologiam moralem, vel Ethicam remisit. Unde suppleturus defectum in libro de officio *hominis, & civis*, hæc officia ex socialitate, *saltem indirectè*, deducere annisus est, id quod *sufficere* malè sibi persuasit; pejùs alijs persuasum voluit Notator *Weberus*, eùm *ex ipsa divisione officiorum erga DEUM, seipsum, & proximum, quæ ex lege naturali homini incumbunt*, ùt loquitur ipse *Puffendorfius*, principium socialitatis apertè *mancum* demonstretur. Sinceriùs scripsit *Thomasius:* (a) *plures putant, ex principio socialitatis officia hominis erga DEUM, & seipsum deduci haud posse: de officijs erga DEUM* facilè concedemus, quæ *ad Theologiam*, non verò *jus naturale* pertinent: *officia* hominis *erga se*, propriè loquendo, non dantur, nam nemo sibi obligatus esse potest. Ita Doctor hic resolutus. Unde *Wernherus* protestanticus: (b) *Altera difficultas principij Puffendorfiani est, quòd omnium, qui pro hàc hypothesi pugnant, confessione officiorum erga DEUM necessitas, non nisi indirectè, ex eo fluat: atqui fundamentum, quod universæ morum disciplinæ substernendum est, ita perspicuum esse debet, ut quivis sanæ mentis directè omnia officia ex eo liquidò cognoscere possit.* ** Immò nec officia

---

* *Fleischerus* in Inst. J. N. & G. L. 1. c. 6. §. 38. f. m. 176. *Quamvis illustris Thomasius in Jurisp. Div. sententiam de socialitate contra omnes dissentientium objectiones strenuè tueretur, ipse tamen eam posteà reliquit, postquàm satis perspexit, multis ipsam difficultatibus esse expositam. Vid. ejus elementa J. N. L. 1. c. 6. §. 19. & seqq.*

(a) L. 1. c. 4. n. 73.

(b) In elementis J. N. c. 5. §. 14. f. m. 121.

** Alij aliter nec *primum*, nec *adequatum* esse probant socialitatis princiciplum, eò quòd *Adamus* ante omnem societatem; tot Anachoretæ extra societatem humanam *actu* obligati *naturæ jure* fuerint ad officia *erga DEUM*, & *seipsos*, ut adeò

officia hominis erga alios *ex ſocialitatis principio* univerſim rectè deduci (prout malè indulgent *Puffendorfio* nonnulli ex Authoribus orthodoxis) * ex eo probatur, quòd Author pro ſocialitatis fine adſtruat felicitatem merè externam, *integralem, non ſubſtantialem*, utpote hujus vitæ terminis concluſam ; *non ſufficientem*, quia *auſſeribilem*; non *adæquatam*, quia *partialem*, ac *minùs principalem*, ùt ſæpe jam demonſtravimus.

Non eſt principium proprium, quia juri Gentium cum jure naturæ confuſivum.

3. Non eſt principium *proprium*: nam, uti per decurſum clareſcet, plura *Puffendorſiana* ſocialitatis principia non tam *in neceſſitate naturæ*, quàm *in libero humanæ conſtitutionis arbitrio* fundantur: unde eſt, quòd *Puffendorfius* jus Gentium cum jure naturæ confundere ſit coactus, uti infrà declarabimus.

Non eſt principium verum & evidens, quia nixum falſis ſuppoſitis de exiſtentia hominis in ſocietate.

4. Non eſt principium *verum*, ut ne dicam *evidenter noxium*: nam nititur non uno ſuppoſito certè falſo. *Supponit 1. exiſtentiam plurium hominum*, ſeu ſupponit *hominem in ſocietate*, qualicunque tandem, *conſtitutum*, extra quam jus naturæ *actu* nec fuerit, nec eſſe poſſit, ** id quod certò falſum, uti patet in *Adamo*, naturæ jure ad officia Creatori DEO, antecedenter ad creatam *Evam*, *actu* obligato. Item ex eo, quòd *abſolutè* neceſſum haud ſit in ſocietatem quamdam coire *ſingulos* homines, etſi naturæ jure actuali tam DEO quàm ſibi adſtrictos, id teſtante Aanachoretarum haud uno millione. *Ratio eſt:* quia jus naturale, etſi non unius hominis in particulari, ſed totius naturæ humanæ commune bonum reſpiciat, nihilominùs *per ſe* hominem prius *reſpectu ſui Creatoris*, *ſuique ipſius* informare intendit, quàm reſpectu *ſocietatis humanæ*, ut adeò primò *bonum hominem*, deinde *bonum ſocium* efficere conetur. Accedit, quòd multiplicari Genus humanum poſſet, datâ ſola ſocietate conjugali, etſi *ſocietas quædam generalis* non eſſet introducta.

De hominis abſoluta inhabilitate ad ſe conſervandum extra ſocietatem.

Supponit 2. Hominem in ſtatu naturæ lapſæ adeò in miſerias *projectum*, deſtitutum, egenum, miſerum, & miſerabilem, ut interprete *Thomaſio* non foret *rationalis*, quia non *ſocialis*; ùt extra ſocietatem nullatenus poſſet ſibi eſſe ſufficiens; immò, *Bæclero* notatore, ſolitarius ſtatus nec *naturalis* foret, nec *humanus*, id quod *univerſè* loquendo, rurſus certò falſum, *** cùm conſtet, vitam ſolitariam, *abſolutè & in ſe ſpectatam*, haud adeò miſeram, ſed, ſi bene ſuſcipiatur, & in ordine ad vacandum liberiùs contemplationi Creatoris, etiam ſuavem, ac beatam *Platone* teſte, ipsâque veterum Sophorum praxi; immò meliore experientiâ tot Anachoretarum, quorum vitam (etiam abſtrahendo à ſupernaturalibus ſtudijs) nec *naturalem*, nec *humanam*, aut *rationalem* nemo dixerit, niſi admodùm *inhumanus*, ac *irrationalis*.

De fine juris naturæ merè inadæquato, inſufficiente, ſeu felicitate merè temporali.

Supponit 3. Finem adæquatum juris naturæ eſſe felicitatem *merè externam*, & quidem *ſolis hujus vitæ terminis concluſam*, manifeſto errore, cùm conſtet *finem*, à natura intentum, eſſe *felicitatem adæquatam*, quæ *primariò & ſubſtantialiter* conſiſtit in amore, & cognitione Creatoris, naturæ proportionato, tam hujus quàm alterius vitæ, eóque ab hominibus independen-

---

adeò *Adamus* aliud principium, *ſocialitate* prius; Anachoretæ aliud *ſocialitate extenſius* habuerint, oportet. Ajunt quidem, etiam non datâ exiſtentiâ plurium, fuiſſe in *Adamo* ſaltem *reſpectum* ad ſocietatem futuram; in ſolitarijs ad præſentem, qui *reſpectus* jam conſtituerit *fundamentum* officiorum erga DEUM, & ſeipſum, quæ in illo ſtatu etiam ſolitario exercenda fuiſſent eo ſaltem ex capite, ut ne ſe ad ſocietatem futuram, ſi quando eandem incolerent, inutiles redderent. At quis non videt, ex hoc reſpectu *non directè & neceſſariò*; ſed *indirectè* tantùm, & *per accidens* officia erga DEUM, & ſe ipſum erui, quod ſufficere *Wernherus* rectè negat.

* Clariſs. Sigiſ. *Stapfius* in J. N. & G. P. 1. c. 1. n. 4. f. m. 14. *Socialitatis principium ſufficere videtur ad colligenda ea officia, quæ hominibus erga alios homines incumbunt &c.* Etiam clariſſ. *Böken* in Juriſpr. univerſa L. 1. titulo 2. P. 2. Q. 1. §. 4. n. 24. f. m. 296. *hanc ſocialitatem*, pro principio ad eruenda officia hominis erga alios, ùt *ſufficientem*, videtur admittere.

** Nam *reſpectus* ille ad futuram, vel poſſibilem ſocietatem eſt ad demonſtranda officia erga DEUM, & ſeipſum *inſufficiens*, *fundamentum indirectum*, *non neceſſarium*, *uti dictum.*

*** Et tamen *Puffendorfius* in ſpecim. Controv. c. 4. §. 1. *has obſervationes* eſſe dicit, *quas ipſa natura rerum, uti & hominis, ſuppeditat, & quæ à nullo, ſanæ rationis compote, in dubium vocari poſſint.* Quanta hæc abundantia ſenſus proprij!

dependente, ac inauferibili; etsi *secundariò*, & *integraliter* quoque consistat in felicitate hujus vitæ, tam interna quàm externa, uti in præmissis jam demonstravimus. Ex quo ercote fluit, teste *Leibnitio* protestantico, quòd *jus naturæ, ex hujusmodi socialitatis principio deductum*, incisis veluti nervis, flaccescat; efficaciâ ad obligandum in *quibusvis circumstantiis* careat, ex defectu *præmij* vel *pœnæ naturalis*, saltem in altera vita à Creatore DEO redhibendæ, quo fit, ut juris naturalis observantissimi plerumque infelicissimi; ejusdem vel maximè incurij felicissimi forent, id quod vel prima justi, honestique principia lubruit, ac labefactat.

Et externa.

Supponit 4. Quòd jus naturæ *ad interna* haud *necessariò* sit trahendum, utpote Ethicæ propria, adeóque *ad usum fori, præcipuè humani*, aptandum sit: quo quid esse possit magis *paralogum, ac paradoxum, Leibnitius* perspicere nequit: unde sequitur, quòd *socialitatis principium (circa interna parùm sollicitum)* in præcipua parte juris naturalis sit maneum, inutile, ac defectuosum. Hinc

Principium socialitatis, spectatis suppositis, est etiam reprobum.

℞. II. *Principium socialitatis Puffendorfianum, spectatis suis suppositis, est etiam reprobum, adeóque nullatenùs cognoscendo naturæ juri accommodum. 2. A qua censura nec Thomasij, Weberi, Hemmingy, Bæhmeri, nec alij Apologetæ protestantici id rectè vindicant, vel absolvunt.*

P. primum membrum. Principium socialitatis vitam solitariam omnem, velut naturæ juri *directè* oppositam, subruit; naturæ leges exigit ad normam politicismi, rationali naturâ haud satis digni, dirigendo nempe ad finem *nequaquam sufficientem*, quia *unum unicum* respiciendo Reipublicæ commodum, hoc est, felicitatem merè externam, hujus vitæ *temporariam*, naturæ rationali *secundariò* præfixam, non attenta felicitatis parte *primaria*, ac *substantiali*, quia *inauferibili*, interna nempe tranquillitate, ac conjunctione *cum DEO per cognitionem & amorem* naturæ proportionatum, ac etiam post fata *sub ratione præmij, saltem temporalis*, beatorum; non attendit *interna*, in quibus tamen *honesti* principia præcipuè fundantur: quæ omnia, quàm jus naturæ reddant *mancum*, ac *imperfectum*; quàm justi honestique principia enervènt; quàm naturæ rationalis dignitatem ad sola corporis commoda deprimant; quàm studio internæ virtutis, cultuique Creatoris præjudicent &c. verbo: quæ omnia, quàm sint reproba, ut ne dicam, perniciosa, nemo non Orthodoxus politicus videt, nemo non palpat, uti sæpe jam indicavimus.

Nec à Thomasio, aliisque rectè vindicatum. Nam internorum cura & officia erga Deum suo modo sunt intra sphæram juris naturæ.

P. Secundum membrum confutando replicas, quas afferunt Naturalistæ, nominati suprà

Opponunt 1. Jus naturæ se non extendit *nisi ad merè externa*; internorum directionem & curam, in ordine ad animi tranquillitatem, resignat *Ethicæ*; pacem cum DEO, per cultum debitum, transcribit *Theologiæ naturali*, ut ne confundat disciplinas diversas *more papistico*, & cum Scholasticorum grege misceat *quadrata rotundis*.

℞. Hoc nempe est illud *desperatæ socialitatis asylon*, ad quod *Puffendorfium* cum suis cogit dira necessitas: jus naturæ dividitur, principaliore parte truncatur, ad alias scientias relegatur, formosa socialitatis inventæ *Helena* ut triumphet. Hoc est *Puffendorfiani* systematis indelebile stigma, nempe disciplina juris naturæ *manca, imperfecta, dimidiata*; jus naturæ sine pœna & præmio Creatoris *enerve*; soli foro externo *accomodatum*, de internis *parùm sollicitum*; in occultis infractionibus, si modò non turbent Rempublicam, *securum*; ultra fata non extensum; adeóque in observantissimis sæpe sine præmio, in negligentissimis sine pœna. Ideæ hujus, ad politicismum quemdam fucatæ, gloria ut perennet, lex DEI, velit, nolit, *Thomasio* sit oportet *figmentum Scholasticorum*; Scholasticorum doctrina *Puffendorfio* debet esse *confusio scientiarum*. O Nugatores, in socialitatis principio inaniter nimiùm sociatos! Sed hos lumbricos suprà jam dissipavimus.

Neque confunditur à nobis lex naturæ cum norma virtutis.

Opponunt II. Nos malè confundimus *legem naturæ* cum *norma virtutis*, Ethicæ propria. A. P. 1. Lex naturæ habet *pro fine bonum* commune Societatis humanæ, *dirigendo externa* ad tranquillitatem publicam; *Virtus* habet *pro fine* bonum *singulorum*, *dirigendo interna* per ordinationem affectuum. 2. Lex naturæ est *ad alios*, tribuendo cuique suum, cujus effectus *inter homines* haberi nequit per obligationem *merè internam*, sed requiritur vis *externa*, & *coactiva*; virtus pro *objecto* habet *interna*, ad quæ nemo cogi potest. 3. Actiones juris naturæ sunt *justa*, quia directæ ad redden-

dendum alteri debitum; actiones virtutis ſunt *bona*, quia ordinatæ ad honeſtatem. Ita *Bohmerus.* (a)

Nam lex naturæ intendit etiam bonum ſingulorum, ſeu commune in ſenſu diſtributivo.

℞. N. A. *Ad 1.* D. Lex naturæ habet pro fine *bonum commune* totius naturæ humanæ, hoc eſt, omnium, tam *in ſenſu diſtributivo* quàm *collectivo.* C. Omnium tantùm in ſenſu *collectivo. Subd.* Habet bonum commune pro fine *adæquato.* N. Pro fine *inadæquato*, & quidem *minùs principali.* C. *Explicatur diſtinctio*: Lex naturæ non intendit bonum *ſingulare unius, vel aliquorum*, ſed bonum commune omnium, ſeu totius naturæ humanæ. Natura autem humana conſiderari poteſt ùt *ſpecies*, communis pluribus *diſtributivè* acceptis; vel ùt *collectio*, ſeu ſocietas, *denotans membra, per ſubordinationem ad totum *collectivè ſumpta.* In priore ſenſu lex naturæ, etſi præcipiens ſolùm *interna*, intendit *bonum commune*, quia non unius, vel aliquorum, ſed *omnium diſtributivè*, quibus natura rationalis communis eſt, id quod ſufficit *ad rationem legis*, diſtinctæ à *præcepto*, vel etiam *virtute*, ad finem ſolummodò *particularem* ordinata. In poſteriore ſenſu lex naturæ rurſus intendit *bonum commune*, ſed alio modo, quia *ſocietatis, quà talis.* Unde negatur ſuppoſitum, quòd hoc bonum commune ſocietatis, *in ſenſu collectivo*, ſit finis legis naturalis *adæquatus*, utpote quæ intendit felicitatem completam, cujus pars *ſubſtantialis* eſt pax cum DEO; *pars magis principalis* pax ſecum ipſo per ordinationem internorum; pars *minùs principalis* eſt pax cum proximo, per ordinationem externorum in ordine ad tranquillitatem publicam.

Eſt ad alios ſuo modo, & ſortitur effectum abſque obligatione externa ſaltem per ſe loquendo. quod ſufficit.

Ad 2. D. Lex naturæ eſt ad alios, hoc eſt, ad ſolam Rempublicam. N. Ad *alios*, hoc eſt, ad proximum, DEUM, & ſemetipſum, ùt Creatoris depoſitarium, *fictione juris diſtinctum* C. Item: *Juris* naturalis effectus *inter homines* haberi nequit *per ſe*, ſola obligatione interna. N. Haberi nequit *per accidens.* T. Etiam *lex pœnalis*, à Legiſlatore humano ſuperaddita legi naturali, non ſemper ſortitur effectum, quia nil obſtante vi coactiva committuntur furta, rapinæ &c. ergo nec iſta obligatio foret *ſufficiens*; immò ſine obligatione interna foret plerumque fruſtranea, cum plurima ſcelera in occulto patrari, & in judicio probationes abſque jure jurando eludi poſſent. Unde lex naturalis, *per ſe loquendo*, ſufficienter obligat in conſcientia *per Creatoris juſtitiam, præmia* vel *pœnas* graviſſimas, ſaltem poſt fata, intentantem, *abſtrahendo ab earum æternitate*, ad quam ſola ratio non pertingit.

Actiones, profectæ ab amore, ùt eſt virtus fundata in natura debito neceſſario participant juſtitiam, & dicuntur non ſolùm bona, ſed etiam juſta.

Ad 3. D. Actiones dicuntur *bona*, quæ à *quacunque* virtute & *quomodocunque* ſunt imperatæ. C. Quæ ſunt imperatæ à virtute, *participante juſtitiam*, quatenus reſpectu DEI, & ſui ipſius fundantur *in debito naturæ neceſſario.* N. Suppoſitum, quòd ejuſmodi actiones dici nequeant *juſta.* * Sed *hujus aſſerti* utrumque membrum cùm ſupra jam ſemel, & iterum pluribus ſit demonſtratum, hic ulteriore paraphraſi ſuperſedemus. (b)

Quæritur XIII. Quæ alia principia dignoſcendi juris naturalis, à recentiſſimis Authoribus nuper in medium prolata?

De alijs principijs magis memorabilibus. Heineccij amor non ſatis proprius.

℞. *I. Joannis Heineccij*, qui & ipſe pro principio adſtruit *amorem*, ſed non ſatis euratè digeſtum: nam deficit in explicatione amoris, quem nec redigit ad debitam unitatem, nec ad *proprietatem*, poſitivi juris omnimodè excluſivam. ** Id tamen elogij meretur *Heineccius*, quòd inter proteſtanticos Authores, ſaltem hactenus nobis cognitos, primas meritò tulerit, propiúſque cæteris punctum veritatis tetigerit, ſic ut inoffenſo propemodùm oculo legi poſſit. Debet hanc laudem moderationi ſuæ, qua maluit receptis dudum principijs,

---

(a) In introduct. in jus univerſ. edita A. 1710. P. gener. c. 1. §. 29. & ſeqq.

* Alia nugamenta potiùs, quàm argumenta coacervavit cum *Heninge Bœhmerus.* v. g. Lex juſto *non eſt poſita, ſed injuſtis* teſte Apoſtolo: ergo eſt aliud *norma virtutis*, quam habent juſti; aliud *lex naturæ*, quam habent injuſti. Quid enervius? Quaſi lex naturalis, impleta abſque pœnæ timore, non eſſet *lex*, ſed *norma* virtutis. 2. Deus in prima tabula diſtinxit præcepta *reſpectu ſui*, à præceptis ſecundæ tabulæ *reſpectu proximi*: ergo innuit, aliud eſſe *normam virtutis*, aliud jus naturæ. Quid poſſit eſſe inanius? Indignæ ſunt hæ ineptiæ, ut occupent contextum.

(b) In prolegomenis inſtr. VII. §. 5. In anatome *Puffendorfii* ℞. V. Item Tit. 1. *Inſtruct. V.* §. 4. per totum. Item ſupra Q. 3.

** *Amorem DEI & hominum*, adhuc magis confuſum, pro principio venditârunt jam prius *Hedingerus*, *Weiſſius*, *Hopperus*, *Strimeſius*, *Janus*, *Wincklerus*, & alij.

pijs, quàm phantaſiis ſuorum excentricis eslamum commodare, potiùs vera, quàm ſpecioſa ſectatus.

Axioma triplex aliorum non ſatis digeſtum, & ſimplex. Sanctitas DEI regula nimis obſcura.

2. Nonnemo ex Recentioribus adſtruit (a) *ſubordinationem ac unionem ad DEUM, ordinationem & dilectionem ſui ipſius, & ſocialitatem cum alijs.* Sed quis non videt hoc principium priore minùs compoſitum, in ſocialitate etiam defectuoſum? *

3. Fuit nuper, cui non diſplicuit, quod dudum antiquioribus Theologis placuit, axioma: (b) *Quidquid convenit cum ſanctitate Divina, id jure naturali præceptum eſt; quidquid diſconvenit, id eſt prohibitum.* Sed præter *claritatem*, *proprietas* deeſt, non enim excludit jus poſitivum.

Decalogus ſignum à poſteriori.

4. Non defuêre etiam hodie, (c) qui pro principio fundamentali *Decalogum* adſtruxêre, ſic ut quidquid in Decalogo (excepta circumſtantia ſabbathi) contentum legimus, id juris ſit naturalis. Sed patet, Decalogum non eſſe legem illam, in cordis humani tabula à Creatore exaratam, quæ non modò *Judæis*, ſed etiam Gentilibus, abſque decalogo, ſed ſolo rationis lumine promulgata eſt, ut adeò Decalogus non ſit regula à *priori*, ſeu prima radix, à qua univerſa juris naturæ capita progerminant; ſed potiùs ratio à *poſteriori*, atque inſtar promulgationis authenticæ, qua, quid æquum vel iniquum ſit, naturaliter edocemur.

Status perfectior incertus.

5. Recentiſſimus *Henricus Kæhlerus* ex *Wolfio* (d) hoc principium profert: *fac ea, quæ te, ſtatúmque tuum perfectiorem efficiunt; omitte ea, quæ te, ſtatúmque tuum imperfectiorem reddunt.* item: *ea facienda, quæ voluptatem duraturam progenerant; ea omittenda, quæ tædium duraturum progignunt.* Sed prius principium non eſt *proprium*, quia juris tam Divini, quàm humani incluſivum: alterum omninò eſt *paradoxum*.

Status integritatis ſuprà rationis ſolius captum.

6. *Valentinus Alberti* juris naturalis principium *à ſtatu integritatis* partim *formaliter*, partim *normaliter* ** deduxit: ſed à *Puffendorfio* jam dudum fuit depexus, eò quòd ſtatus naturæ integræ ſit impertinens ad jus naturæ, *citra revelationem, ex ſola ratione* Gentibus demonſtrandum.

Felicitas non tam principium juris naturalis, quàm finis eſt.

7. *Laurentius Fleiſcherus* (e) ex *Thomaſio* ſe reformante, ſeu *ex ſecundis ejusdem curis*, ac *fundamentis* Juris naturæ & Gentium (f) nuper in publicum protulit hoc axioma: *Fac ea, quæ hominum vitam reddunt & maximè diuturnam, & feliciſſimam; contrà omitte, quæ vitam hominum infelicem reddunt, mortémque accelerant.* Subjungit: vita verò feliciſſima conſiſtit in eo, *ut cum maxima laude, ſuavitate, & rerum omnium ſufficientia referta ſit:* hanc enim, inquit, exoptant *ambitioſi*, *voluptuoſi*, atque *avari*, & nemo inficias ire poterit, vitam hominum *ſapientiâ* eſſe laudabilem, ſuavem, ac ſibi ſufficientem. Homines enim conſiderari debent, uti ſunt, non uti eſſe debent &c. Hujus hominis ideas, ex paradoxo *Thomaſij* reformati ſyſtemate deſumptas & paraphraſi vana, etiam Evangelio *Chriſti* proteſtanticè accommodatas, memorare libuit, non tam ad refutationem, quàm ad paradoxi calami, erudito hoc noſtro ſæculo indigni, oſtentationem.***

8. Et

(a) Clariſſim. P. *Böcken* in Jurisprud. controv. f. m. 296.

* Deſumptum hoc principium ex *Franciſco Buddeo*, qui pro fundamento adſtruxit hoc apophtegma: *DEUM cole, temperanter vive, ſocialiter te gere.* Similia *Chriſtianus Müldenerus*: *DEUM cole, philautiam exerce, ſocialitatem obſerva. Titius* adſtruit pro principio *Naturam religioſam, ſui amantem*, & *ſocialem.* Sed & ſimilia jam pridem innuit *Tribonianus*, dum finem juris eſſe ſcripſit *honeſtè vivere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere.*

(b) *Ræbrenſee* de fundam. J. N. §. 7.
(c) *Hemmingius* in typo. J. N. *Kulpiſius* etiam tribuit *Bæclero.*
(d) In methodo ſyſtem. J. N. Exercit. 2. §. 340. f. m. 67.

** *Formaliter* in ijs officijs, quæ & tunc, & nunc obtinent, ùt *colere Parentes. Normaliter* in ijs officijs, quæ ex ſtatu corrupto emerſêre, ùt *quòd ſervus Domino ſubeſſe debeat:* quaſi verò *ſtatus integritatis*, qui cum *ſtatu naturæ lapſæ*, ratione officiorum ſpecialium, nullatenus convenit, pro ejus *norma* haberi poſſit.

(e) In inſtitut. J. N. & G. editis Anno 1730.
(f) Editis *Halæ* & *Lipſiæ* A. 1728. L. 1. c. 6. §. 21. & ſeqq.

*** Paralogis plurimis turget libellus v. g. *Maximum dubium eſt, an conveniant hæc cum doctrina S. Scriptura? Certè ſi interpretatio S. Litterarum inſtituenda eſſet ex opinione non nullorum, utique aliter formanda eſſet doctrina hactenùs propoſita. Hi enim nihil urgent quàm mortificationem veteris Adami &c. Ve-*

 rùm

Malè à Thomasio, sese reformante, statuta.

8. Et quia hos flosculos non è suo, sed *Thomasij* hortulo deprompsit *Fleischerus*, de principio juris naturalis *Thomasiano* addamus unum, & alterum verbulum. Constat ex dictis, quòd *Thomasius*, in institutionibus suis, *principium* juris naturæ cum *Puffendorfio* fundârit *in necessaria convenientia, & disconvenientia cum natura hominis sociali:* (a) sed fassus est hoc principium *difficile*, *ambiguum*, *mancum*, & *insufficiens*, dum in secundis curis (b) scripsit: *Custodia socialitatis*, quæ hactenus quidem à nobis, *contra objectiones dissentientium non malè* (si credere fas est) *fuit defensa, jam displicet, quia partim ambagibus opus est in deducendis hominis officijs erga se ipsum; partim non adeò perspicuè comprehendit præcepta honesti; partim etiam vel miscet, vel certè non accuratè secernit præcepta justi, & decori.* Hinc *emendaturus* institutiones Jurisprudentiæ suæ Divinæ, aliud commentus est *principium universale*, quod à *Fleischero* explicatum suprà retulimus. Ait *Thomasius*, illam propositionem esse *veram*, sed an veritate, *soli* juri naturæ propria? non probat. Ait, esse *perspicuam*, *quia valde ad captum, & palatum stultorum.* An etiam ad palatum Eruditorum? id dissimulat. Ait, esse *adæquatam*. An etiam satis *distinctiva*? non demonstrat. Addit, hoc principio suppeditari clavem secernendi regulas *honesti*, *decori*, & *justi*: nam regulam *honesti* definit: *quod vis, ut alij sibi faciant, tu tibi facias:* regulam decori; *quod vis, ut alij tibi faciant, tu ipsis facies:* regulam justi; *quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Porro in applicatione hujus sui principij, & triplicis regulæ, inde deductæ, progreditur *ad stultos*, hoc est *ambitiosos*, *luxuriosos*, & *avaros*, propositâque Sapientum vera felicitate revocare conatur ad *honestum*, *decorum*, & *justum*, tam *impertinente*, & *inani* loquentia, * inspersis passim calumnijs ** & protestanticè erroneis scitis, *** ut quis mirari satis non possit, hominem, in Jurisprudentia sua in multis sat subtilem & solidum, in fundamentis Juris naturæ nugaciter paradoxum, & in commentitijs ideis plùs quàm *Platonicum*. Nobis cum phantasmatis luctari haud volupe. Ad demonstrandam *Thomasiani* principij *insufficientiam* sufficit, quæ illico contra *Kemmerichium* memorabimus. Nam

Eadem felicitas nec à Kemmerichio rectè asserta, quia haud satis determinata, simplex, & propria.

9. *Dietericus Hermannus Kemmerichius* (c) & ipse *Thomasij* principium, rejecto *Puffendorfiano*, assumpsit, statuitque pro *universali* regula juris naturæ: *Fac ea, quæ vitam hominum reddunt felicissimam;* seu ùt alij, *salus hominum suprema lex esto:* quem naturæ finem per tria principia declarat: per principium *honesti*: fac ea, *quæ felicitatem tuam internam, cumprimis tranquillitatem animi promovent;* per principium *decori: fac ea, quæ amicitiam conciliant;* per principium *justi:*

rùm hi sibi fingunt non hominem, non Christianum; sed *Christianum Platonicum, Stoicum &c. hácque sua doctrinâ magis nocent Evangelio &c. immò homines eò perducunt, ut sibi persuadeant, Evangelium Christi non esse conveniens omnibus, sed paucis solummodò melancolicis &c.* Tum ex Evangelio probat sectandos quoque honores, divitias, & voluptates saltem *suo modo*, omnisque *Christi* leve demonstrat. Applicationem suæ regulæ proponit ex *Thomasio* per emendationem stultorum in triplici gradu, pro stultis maximis coërcendis designat pœnas; pro medijs præmia; pro infimis exempla, quæ omnia, quam sint paradoxa, vel lippus palpet, nì videat.

(a) L. 1. Instit. Jurispr. Div. c. 4. §. 64. 69.

(b) Seu fundamentis J.N. & G.L. 1. c. 6. §. 19. & seqq.

* V. g. Dum §. 29. ait: *ita Christus jugum suum vocat leve, & suave* ad persuadendos nempe stultos: ita *David* ps. 33. v. 13. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo &c. diverte à malo* (en! honestum;) *fac bonum* (en! decorum.) *inquire pacem* (en! justum) quid ista ad secernendum jus naturæ à positivo?

** V. g. §. 30. Ita Monachi, ante reformationem, commendantes paupertatem deplumabant divites; obedientiam & ignominiam, supprimebant potentes; dolores corporis, ipsi fruebantur summis delicijs. Et quasi calumnia latina non satis pateret, eam idiomate germanico *Luthericè* magis emphaticam reddit.

*** V. g. *Non quæres solitudinem, neque separabis te ab hominibus, etiam stultis. Nutrit solitudo & voluptatem & ambitionem & avaritiam.* Hoc axioma *ex regula honesti* deducit, & ne quis *de scopo protestantico* ambigere possit: addit in nota: *Contra Monachos, & Pharisæos hodiernos.*

(c) In *Puffendorfio* enucleato c. 3. n. 30. & seqq.

ſti: fac ea, quæ pacem & tranquillitatem ſocietatis humanæ conſervant.

Sed hæc omnia, quàm non ſint *propria*, *ſolíque* juri naturæ eruendo accommoda, ſed cunctis virtutum officijs applicanda; quàm non ſint *ſimplicia*, finémque ſolummodò incompletum, quia felicitatem merè temporalem vitæ hujus, eámque inſufficientem, reſpiciant, vel primo intuitu oculos oſtendit.

De alijs principijs, ſcopum minùs tangentibus. Qualia inſtinctus naturalis, notitia indita.

Quæritur XIV. Quæ cætera ſupellex, in hujus variatione principij magìs jam derelicta?

℞. *Kemmerichius* revocat ad ſeptem *claſſes*.

1. In prima ſunt, qui pro principio *inſtinctum naturalem* cum *Cicerone* commendant; vel cum *Melanchtone*, & *Scharrockio* ad notitias *inſitas*; vel cum Jureconſultis Romanis, *Ulpiano* & *Triboniano* ad actus, *quos natura omnia animalia docuit*; vel cum antiquis Scholaſticis *ad convenientiam naturæ*; vel denique cum *Pritio ad finem naturæ*, aut *hominis* cum *Muldenero*; aut etiam *finem Mundi* cum *Lamberto Velthuſio* confugiunt. Sed hæc omnia ultrò concidunt.

Lex æterna DEI, aſſimilatio DEI &c.

2. Qui in claſſe ſecunda ſunt, partim aſſignant cum antiquis Theologis *legem DEI æternam*; partim *conformationem creaturæ rationalis cum Creatore*, aut *aſſimilationem DEI* cum *Jochaimo Zentgravio*. Alij ſtatuunt cum *Rachelio providentiam Divinam*; alij cum *Nitſchio cultum Divinum*; alij cum *Ludovico Praſchio legem*, & *Evangelium*. Quæ omnia denuò, velut quàm maximè impertinentia, refutatione non indigent.

Mundi ordo.

3. Claſſem tertiam merentur, qui cum *Bodino Mundi ordinem* pro principio adſtruunt. Sed rectè *Fridericus Ludovici*: (a) 1. Incognitum eſt, in quonam ille ordo conſiſtat, & ſic evidentia deficit. 2. Ordo etiam de reliquis Creaturis, præter hominem, prædicatur; jus naturæ autem ad ſolum hominem ſpectat. Et 3. Jus quidem eſt ordo, ſed non omnis ordo pro jure haberi poteſt: nam decorum quoque ordo eſt, ſed tamen pro juris ſpecie haberi nequit.

DEI voluntas.

4. In quarta claſſe eſt *Coceejus* cum *Keſtnero* & alijs, qui jus naturæ *ex DEI voluntate* ſic deduxit, ut eam per ſex principia cognoſcendam declarârit. 1. *Per verba DEI*, ſive *S. Scripturam*. 2. *Per motus hominibus inditos*. 3. *Per actiones Creatoris*. 4. *Per finem actionis neceſſarium*. 5. *Per medij neceſſitatem*. 6. *Per naturam perfectiſſimi Creatoris*. Sed quòd *DEI voluntas* ſit principium *eſſendi juris*, apud omnes in confeſſo eſt: difficultas eſt in principio *cognoſcendi juris*, quod per *S. Scripturam*, per *naturam*, per *actiones Creatoris* &c. explicare, eſt cæco cæcum pro Duce aſſignare.

Utilitas privata.

5. Quintam claſſem conficiunt, *qui utilitatem ſingulorum privatam*, vel *ſtudium ſalutis propriæ*, principij loco, commendant, quorum prius *Epicuro*, *Carneadi*, & *Cyrenaicis*; poſterius *Hobbeſio* tribuitur: ſed nec *verum*, nec *adæquatum* eſt hoc principium, etſi enim omne honeſtum ſit utile; non tamen omne utile eſt honeſtum.

Conſenſus Gentium moratiorum.

6. Sexta claſſis complectitur eos, qui cum Philoſophis nonnullis, & *Grotio*, *conſenſum Gentium moratiorum* pro principio venditant: ſed hoc principium eſſe naturæ *extrinſecum*, *ambiguum*, & *incertum*, per ſe conſtat.

Noachidarum præcepta ſeptem.

7. Septima claſſis numerat *Seldenum*, atque *Hobbeſium*: ille, ùt alibi jam declaravimus, juris naturalis principium ad ſeptem illa *Noachidarum* præcepta revocare contendit, fruſtraneo conatu, quia proprietatibus genuini principij haud conſentaneo. *Hobbeſij* mentem non omnes eodem modo declarant. Nonnulli putant ejus principium eſſe *potentiam*, alij *conſervationem ſui ipſius*; alij *bellum omnium adverſus omnes*; alij *pacta eſſe ſervanda*; rurſus alij *æquitatem*, *ſtatúmque naturalem*; denique alij *conſilium* Servatoris: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Punctum forſitan tangunt illi, qui putant, *Hobbeſium* de principio aliquo juris naturalis haud fuiſſe ſollicitum, ſed tantummodò originem ſocietatis & civitatis inquirere voluiſſe. Cæterùm *Hobbeſij* hypotheſin ſic deſcribit *Fridericus Ludovici*: (b) Supponit *Hobbeſius*, inquit, hominum naturam in ſtatu lapſo ad inferenda mutuò damna proclivem, id *quod bellum omnium contra omnes* vocat. Immò ſingulis jus concedit nocendi alijs, his autem viciſſim facultatem reſiſtendi attribuit. Hinc infert, quòd, cùm homines viderint, hac ratione Genus humanum neceſſariò interiturum, ſi alter in alterum perpetuò læviat, coacti denique ſint, *per modum pacti*, juri gerendi belli renunciare, ut ſic in ſtatum pacificum tranſeant.

(a) In doctrina juris Naturæ. c. 4. §. 10.
(b) In doctrina J. N. c. 4. §. 1. & ſeqq.

lesnt. In hoc systemate *Hobbesius* est excentricus 1. Quòd statum hominum naturalem sibi fingat *statum Belli.* 2. Quòd cuilibet jus invadendi alterum tribuat, & alteri jus resistendi. 3. Quòd inclinationem nocendi alijs depravatam prætulerit inclinationi se conservandi, & pacificè vivendi, id quod sine aliorum ope impossibile deprehendit. Sed non vacat *Hobbesij*, aliorúmque hac in re epicyclos pluribus delineare, sufficiat *ad pleniorem controversia hujus notitiam*, plures in sensu proprio, quàm alieno hactenus abundâsse.

Instructio IV. De Jure Gentium.

INSTRUCTIO IV.

De Jure Gentium.

§. 1.

§. I.

D existentia & essentia Juris Gentium.

De ejus existentia videtur non dari ob defectum consensûs universalis, & observantia.

QUæritur I. *An detur jus Gentium?*

℟. I. *Videtur, quòd non. Ratio est* 1. Quia, si daretur, esset ex mutuo Gentium consensu: at est impossibile convocare Gentes ad jus, consensu mutuo pangendum. 2. Quia illa objecta, seu capita, quæ juris Gentium esse Authores perhibent, ne quidem à Gentibus moratioribus observantur.

Datur, uti constat authoritate, & necessitate normæ, qua societas Gentium instituenda.

℟. II. *Datur jus Gentium.* Patet 1. Ex Authorum communi, qui jus Gentium tradunt, & à Gentibus ad id omni tempore provocatum fuisse, testantur. *Patet 2. ratione.* Nam, supposita societate à Gentibus initâ, *evidenter* opus est normâ, secundùm quam in commercijs, negotijs, & actionibus publicis ritè instituatur societas: atqui hæc norma non est *jus naturale*, uti illicò clarescet; nec jus *positivum particulare*: ergo *commune*, quod *Gentium* appellamus.

Unde negatur necessitas consensûs expressi & observantia.

℟. III. *Ratio duplex, in oppositum allata, nulla est.* Nam ad 1. Negatur suppositum necessarij consensûs, verbîs expressi, adeóque & convocationis, cum sufficiat *consensus tacitus*, uniformi observatione, ac subsecuta in transgressores animadversione, per Gentes sat declaratus.

De ejus distinctione, quam quidem negant esse specificam, non nisi denominativè talem adstruentes.

Ad 2. D. Et ejusmodi non observatio declarat *defectum juris.* N. Declarat *neglectum juris existentis.* C. Inde est, quòd toties non observato hoc jure, toties ad vindictam, & arma Gentes proruere, videamus.

Quæritur II. An jus Gentium à jure naturæ sit specie distinctum?

℟. I. Sunt nostri ævi Moralistæ, præcipuè protestantici, qui jus naturæ & Gentium non *specie*, sed *subjectis*; non verè, sed præcisè *denominative*, quò ad applicationem extrinsecam, invicem distinctum volunt, sic ut, si spectetur jus illud in negotijs singulorum hominum, *jus naturæ* dicatur; si in negotijs integrarum Gentium, *jus Gentium* appellari consueverit. Debetur hoc phantasma *Hobbesio*, qui legem naturalem dividit in *naturalem hominum, & naturalem Civitatum, quæ*, ut ait, vulgò *jus Gentium appellatur. Præcepta utriusque*, addit, *eadem sunt; sed, quia Civitates, semel instituta, induunt proprietates hominum personales, lex, quam, loquentes de hominum singulorum officio, naturalem dicimus, adplicata totis Civitatibus, Nationibus, sive Gentibus, vocatur jus Gentium. Puffendorfius* huic sententiæ planè subscribit, (a) socialitatis suæ principio compulsus, cujus normâ, quæ juris Gentium sunt, in jus naturæ transformat. Inde addit, eos sibi haud esse antilogos, qui jus naturæ in *conformitate cum natura rationali* statuunt; jus Gentium verò in eadem conformitate, *supposito tamen ratiocinio humana indigentia, cui per socialitatem succurritur. Puffendorfij* vestigia legit *Thomasius:* (b) inde chorus *Puffendorfiani* agminis, in quo *Nicolai Hersij, Rysselij, Schambogij*, nuperíque *Jac. Lechmanni*, (c) & *Immanueles Weberi*, (d) *Friderici Ludovici, Heineccij*, aliíque.

Rationes. Quia jus civile non distinguit.

℟. II. *Rationes*, quas pro *identitate specifica* juris naturæ, & Gentium afferunt, sunt 1. Quia jus civile non distinguit: nam, *quod ratio inter omnes homines constituit*, (c) *sunt naturalia jura,*

(a) De J. N. & G. L. 2. c. 3. §. 23. f. m. 216.
(b) Jurisp. Div. L. 1. c. 2. n. 101. & seqq.
(c) Trutina *Europæ* edita A. 1716.
(d) In notis ad *Puffendorf.* de offic. *hominis & civis.* c. 4. §. 13. f. m. 62. ubi *Grotium* vocat, *juris Gentium voluntarij magno nisu vanum fabricatorem*, forsitan ipsemet satis hoc ex parte *vanus.* Idem dicere non dubitat in notis ad epistolam *Leibnitij* f. m. 23. Jus Gentium *Grotij* esse commentum, *nulla solida ratione nixum, à se confutatum &c.*
(c) In §. *jus autem*, 1. Instit. de J. N. & G. Item. c. *Ibi.* Item l. *omnes Populi* 9. ff. de

ra, quæ apud Gentes peræquè obſervantur, ſuntq; immutabilia; (a) quêis nanciſcimur dominium, expreſsè vocat *jus Gentium*; alibi aliud diſcrimen non facit, quàm quia *jus naturale omnibus animalibus, jus Gentium ſolis hominibus commune eſt.* (b)

Quia ſocietas inter Gentes eſt juris naturæ.

2. Quia ſocietas inter Gentes eſt juris naturæ: ergo & leges Gentium, tanquam neceſſaria media, ſunt de jure naturæ. *Ant.* eſt *Seneca*, qui homines vocat *membra corporis magni, quos natura edidit cognatos.* (c) Alibi: *ſocietatem tolle*, inquit, *& unitatem Generis humani, quâ vita ſuſtinetur, ſcindes.* (d) Item *Ciceronis*, qui ait, negantes, *rationem exterorum eſſe habendam, dirimere communem humani Generis ſocietatem; eſſe impios adverſus Deos &c.* (e) Adde, quòd utriusque juris ſit idem principium, ſcilicet *dictamen rationis, ſuper ſocialitatem reflexum.*

Securitas Gentium exigit jus perpetuum.

3. Quia jus Gentium debet eſſe *perpetuum*, & *immutabile*, cùm ſic ſecuritati Gentium magis proſpectum ſit: ergo nequit eſſe merè humanum.

Conſenſus Gentium expreſſus gratis, tacitus fruſtrà aſſeritur.

4. Quia, ſi foret merè humanum, haberetur ex Gentium pacto, ſeu conſenſu *expreſſo*, vel ſaltem *tacito*: primum *gratis*; ſecundum *fruſtrà* aſſeritur. Nam 1. Ubi de *expreſſo* pacto, vel conſenſu monumenta certa? Ubi tabulæ? A. quonam facta Gentium evocatio? Ubinam comitia univerſalia? Accedit, quòd, transmiſſo etiam pacto, obligatio orta foret juris *naturalis*, non *poſitivi.* 2. Ubi de pacto, vel conſenſu tacito ſigna *certa*, quæ derogent poſſeſſioni certæ libertatis? *An moralis neceſſitas* ad publicam tranquillitatem? Ergo ea capita erunt juris naturæ, deducta ex principio *neceſſarij amoris*, non ex *conſequente* Gentium *conſenſu.* An Gentium *arbitrium liberum*? At nec unquam cognita *omnium* voluntas, nec præſumenda eſt in tanta diverſiſſimarum Nationum inclinatione, & genio; nec aliquarum ſufficit, quia *incapax ad inducendam* legem *univerſalem.* Adde, quòd non appareat, quomodò Populi ſucceſſores obligari poſſint pactis Anteceſſorum. *An ex uſu, & factis Gentium*, ſaltem moratiorum? At incertum, quænam moratiores; nec uſus eſt *univerſalis*, cùm conſtet de actibus ſæpe contrarijs, magnâque inter Gentes difformitate.

Nequit aſſignari Superior, nec objectum, quod non ſpectet ad jus naturæ.

5. Quia jus Gentium, ùt à naturali diſtinctum, nequit procedere à Superiore.

6. Quia pleraque, quæ juri Gentium tribuuntur, veriùs reducuntur ad jus Naturæ Authore *Puffendorfio*: ergo nulla opus ſpecifica diſtinctione. *Ant.* fuſiùs exemplificat hic Author.

Quale eſt diviſio Regnorum.

Nam 1. *Diviſio Regnorum* eſt *juris naturalis*: quia *neceſſitate* facta eſt, cùm tot Gentes, linguis geniòque diverſæ, regi aliter haud potuiſſent.

Quia ſocietas inter Gentes eſt juris naturæ.

2. *Bellum*, ùt eſt *defenſio* publica, eſt naturæ jure permiſſum; immò Imperantibus præceptum: patet ex paritate defenſionis privatæ. *Denuntiatio* eſt juris naturæ, præcipientis priùs ſatisfactionem expoſcere, quàm *cruento bello* ſe vindicare. Uti veneno, naturalis ratio vetat, quia truculentum.

Legatorum admiſſio.

3. *Legatorum admiſſio*, & *ſecuritas* eſt naturæ præcipientis, quia *neceſſarium medium* componendæ pacis, finiendi belli, tollendarum litium, ſervandæ publicæ tranquillitatis, à natura præceptæ. *Hinc idem jus caviſſe Legatis cenſeri debet, ſine quibus finis præceptus obtineri non poſſet.* (f)

4. *Fæ-*

---

ff. de J. & J. L. 1. princ. ff. de A. R. D. Item §. *ſed naturalia* 11. *eodem.*

(a) §. *Singulorum* 11. Inſtit. de R. D. §. *vendita.* 41. ibidem. Item L. *cùm amplius* 84. §. un. ff. de R. J.

(b) L. 1. §. ult. ff. de J. & J.

(c) *Seneca* epiſt. 95. *Omne hoc, quod vides, unum eſt; membra ſumus corporis magni: natura nos cognatos edidit, cùm ex iiſdem & in eadem gigneret. Hæc amorem indidit mutuum, & ſociabilem.*

(d) Idem L. 4. *de beneficijs.* c. 18. *Quo alio tuti ſumus, quàm quòd mutuis juvamur obſequijs? hoc uno inſtructior vita, contráque incurſiones ſubitas munitior eſt beneficiorum commercio. Fac nos ſingulos, quid ſumus? Præda animalium, ac imbecilliſſimus ſanguis. Hominem imbellia cingit, nudum, & infirmum ſocietas munit. Duas res dedit DEUS, quæ illum validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem &c. Societas morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit: hanc tolle &c.*

(e) *Cicero* de offic. 3. *Qui civium dicunt rationem habendam, exterorum negant, hi dirimunt communem humani Generis ſocietatem, quâ ſublatâ beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditùs tollitur, quæ qui tollunt, etiam adverſus Deos immortales impii judicandi ſunt, ab iis enim conſtitutam ſocietatem evertunt, cujus ſocietatis antiquiſſimum eſt vinculum.*

(f) *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 2. c. 3 §. 23. f. m. 218.

Fœdera.

4. *Fœdera*, ùt pacta, obligant *naturaliter*; ùt pactiones, rationaliter *petita*, negari nequeunt, quia sunt *necessarium medium* ad felicitatem humanæ societatis. Idem sentiendum *de commercijs*.

Repressaliæ.

5. *Repressaliæ* sunt juris naturalis saltem *permissivi*: si Princeps cogatur, uti hoc medio ad defensionem sui civis, est juris naturalis.

Sepultura.

6. *Jus sepulturæ* ad officia humanitatis referri potest. *Neque cætera*, inquit *Puffendorfius*, *tanti sunt*, *ut peculiarem juris speciem constituere debeant*, *cùm sat commode in systemate juris naturalis* (Puffendorfiani) *locum sortiri queant*. (a)

Sed rationes hæ non sunt efficaces. Nam jus civile loquitur in sensu evidenter improprio.

℞. III. *Hæ rationes identitatem specificam utriusque juris minimè evincunt.*

Ad 1. Dist. Jus civile non distinguit, & hoc ideò, *quod sit idem* utrumque jus. N. Quòd non curârit, seu examinârit, *an sit idem*. C. Imperator, cum antiquis JCtis, magis intentus ad æquitatem, quàm utriusque juris distinctionem, *evidenter* confudit jus Gentium cum naturali, loquendo *in latiore sensu*, & à subjecto, utrique juri propriè communi, jus naturæ vocando *jus Gentium*, & vicissim. *Evidenter* locutus est *ex falso supposito*, jus naturæ *animalibus commune* reputando, & quod *solis hominibus proprium*, vocitando *jus Gentium*. Inde est, quòd ejusmodi textus nihil probent, præsertim cùm ex alijs sufficienter elarescat differentia utriusque juris. Sic *jus Gentium* alibi dicitur, *quod usu exigente*, *& humanis necessitatibus*, *sibi Gentes constituerunt*. (b) Alibi *jus Gentium* appellatur, quia eo jure *omnes ferè Gentes* utuntur. (c)

Neque societas inter Gentes est juris naturæ formaliter & propriè, sed merè originaliter.

Ad 2. Dist. Societas inter Gentes est juris naturæ *originaliter*, hoc est, est à jure naturæ concessivo, tanquam principio ad societatem, ut sibi congruam, inclinante. C. Est juris naturæ *formaliter*, seu est à jure naturæ præceptivo, tanquam principio ad societatem obligante. N. A. Ergo & leges pro Gentibus sunt juris naturæ, si sint media, ad felicitatem naturæ humanæ propriam *simpliciter* necessaria. C. C. Si tantùm sint media necessaria *ad melius esse*, quales sunt leges, ex usu Gentium ad capienda ex societate commoda introductæ. N. C. *Jus naturæ* prospicit societati humanæ *in necessarijs simpliciter*, sine quibus non attingeret felicitatem debitam, essétque *positivè* vel saltem *negativè* defectuosa. *Jus Gentium*, velut in subsidium juri naturæ superadditum, prospicit societati humanæ in necessarijs *ad melius esse*, ut ordinatiùs procedat communicatio mutua in ordine ad ea, quæ in commercijs, publicis negotijs, communi bono magis opportuna sunt. *Jus positivum* adhuc abundantiùs prospicit eidem societati, ordinando etiam, quæ in particulari sunt magis proficua, commodáque vitæ subsidia. *Ratio* addita est dupliciter falsa: nam *dictamen*, *super socialitatem reflexum*, est quidem causa efficiens juris Gentium, sed non juris naturæ, cujus mera est promulgatio; immò *reflexio illa*, in ordine ad jus naturæ, est ex falso principio mutuata.

Immutabilitas juris Gentium esset minùs proficua.

Ad 3. Immutabilitas sufficit pro securitate Gentium *in necessarijs absolutè* ad felicitatem humanam: secùs argumentum probaret etiam *jus civile* debere esse *perpetuum*, *& immutabile*, quod nimium; immò quod Gentium bono incommodum, cùm diversa exposcente, uti civium ita & Gentium, utilitate, jus utrumque expediat esse *mutabile*, sicuti hac de causa jus Gentium, *respectu servitutis*, mutatum novimus.

Consensûs taciti signa sunt sufficientia.

Ad 4. Qui jus Gentium *pactionem tacitam* esse volunt, *obligationem immediatam* deducunt ex consensu Gentium præsumpto; *mediatam* ex jure naturæ, quod ortum ex illo principio: *fides data servanda*. Et quia hæc obligatio non *absolutè* est ex jure naturæ, sed solummodò *ex suppositione* liberi consensûs paciscentium, ajunt, jus istud, saltem quò *ad constitutionem*, *esse arbitrarium*, & consequenter *positivum*. Expressum pactum esse necessarium negant; taciti consensûs signa

Judicium Gentium.

Afferunt 1. *ipsum judicium Gentium* atque *traditionem*, qua passim ad communia Gentium placita provocant, & contravenientes juris Gentium læsi reos esse, pronuntiant.

Necessitas ad melius esse.

Afferunt 2. Necessitatem quò ad melius esse in ordine ad publicam tranquillitatem, è qua, quia haud *absoluta*, non jus naturæ, sed Gentium inferri debet. *

Affe-

(a) L. c.
(b) Instit. de J.N. & G. & C. Item §. *sed jus* 2. eod.
(c) C. *Jus Gentium*. 9. Dist. 1.
* Unde Imperator. §. 1. de J. N. & G. Jus Gentium *usu exigente*, *& humanis necessi-*

Gentium arbitrium.

Afferunt 3. Gentium arbitrium, quod utilitatis publicæ causâ, ad frenandam inclinationum diversitatem, illud induxerit. *

Consuetudo.

Afferunt 4. Usum & consuetudinem, consensûs clara indicia in Gentibus, saltem moratioribus, quem dicunt sufficere ad *τὸ universale*, sumptum in sensu accommodo, eò quòd Nationes efferæ ne quidem Gentis humanæ nomen promereantur. ** Denique actus quarumdam Nationum, hinc inde contrarios, juri Gentium præjudicio esse inficiantur. Unde *uniformitatem formalem* sufficere affirmant, quæ habetur ex actibus insignioribus frequentatis; ex improbatione, pœnâque sumpta de transgressoribus; ex ipsis his transgressoribus, *per prætextuum fucos*, obligationem profitentibus, quæ omnia satis certa præsumptionem pro libertate elidunt, ac obligationem, *pro communi Gentium utilitate*, inductam esse, demonstrant. Cæterùm moratiorum Gentium consensus, etsi obligare nequeat Gentes cæteras dissentientes (cum non pariat legem propriè talem) dici tamen potest *universalis* in sensu accommodo, suprà dicto; obligat insuper Populum successorem, quia *moraliter eundem*: nam, dum cives semper novi in demortuorum locum succedunt, repræsentant populum eundem, quem in æstimatione morali semper continuant: quare, hodie non alia reputatur Gens *Germana*, *Gallica*, *Hispana*, quam ante unum alterumve sæculum, de qua nemo ampliùs extat. Ita illi. Qui verò jus Gentium *in mero usu* constituunt, tantoperè haud premit hæc replica, uti videbimus. Inde

Ad 5. Qui jus Gentium *in usu & consuetudine* constituunt, id dicunt procedere *à DEO*, tanquam Superiore societatis humanæ, uti infrà declarabitur.

Objecta juris Gentium, non nisi cum confusione, trahi possunt ad jus naturæ.

Ad 6. N. A. Ad P. D. Pleraque capita juris Gentium reduci possunt ad jus Naturæ juxta systema illius proprium, ac genuinum. N. Juxta systema *Pufendorfianum* de faciendis ijs, quæ *necessariò* conveniunt cum vita hominis sociali. T. Nam si *ly necessariò* ritè sumatur, nec *Puffendorfius* emerget. *Ratio est*: quia, *ex communi Authorum*, juris naturalis, propriè talis, non sunt nisi ea capita, quæ sunt *absolutæ necessitatis*, seu quæ *simpliciter in se*, ac *determinatè* exiguntur ab amore ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario; quæ autem sunt *necessitatis solummodò qualiscunque*, *utilitatis*, vel *commodi*, dicunturque *necessaria moraliter*, vel *ad melius* esse, ad jus naturale reduci nequeunt, nisi præcepta naturæ multiplices in infinitum, confundasque cum jure arbitrario, seu positivo, quod & ipsum pro fine intendit *felicitatem societatis humanæ*, ejúsque commodis, ac utilitati intentum est. Hinc diversa sunt, esse *conforme naturæ*, & esse *præceptum* à natura: cùm multa, naturæ consentanea, sint juris arbitrarij, & humani. Atque ideò etsi illa capita sint naturæ conformia, quia tamen non sunt *necessariò debita*, sed vel *quò ad substantiam*, vel saltem *quò ad modum*, & *determinationem* arbitraria, reduci nequeunt ad jus naturæ, sed sunt juris Gentium, seu meri seu mixti.

In specie ad 1. Divisio Regnorum est *necessitatis* absolutæ, præcipuè in tot Regna, & quò ad modum. *N. Necessitatis moralis. Tr.*

Ad 2. Bellum, quà *solemne*, secundùm conditiones est ex arbitrio Gentium: *denuntiatio* non est *necessaria* absolutè, multò minùs abstinentia à veneno.

Ad 3. Legatorum admissio, *commercia &c.* non sunt media ad felicitatem vitæ necessaria *absolutè*, & *determinatè*.

Ad 4. Fœdera, etsi rationabiliter petita, sunt quidem *de æquitate*; non tamen *de absoluta necessitate*.

Ad 5. Repressalia, *respectu subditi*, insontis ob culpam alterius, non est juris naturalis, sed Gentium.

Ad 6. Jus sepulturæ, etsi fundetur *in æquitate* aliqua naturali, absolutæ tamen necessitatis non est, etsi sint, qui *ad*

---

necessitatibus introductum, scribit. *Struvius* in synt. Tit. de Just. & jure *fundamentum* juris Gentium esse ait, *communem hominum in societate necessitatem, & utilitatem.*

* Inde *Albericus gentilis* de jure belli L. 1. c. 1. ait, *quòd utilitas & necessitas consensum plerumque omnium provocârit, & obtinuerit.*

** Profectò nisi obligationem universalem agnoscerent Gentes, verosimiliùs omitterent, cùm ex commodo privato non sit v. g. *Belli denuntiatio*, *seu improvisa potiùs hostis præoccupatio*, & sic de alijs. Inde etiam *Grotius* L. 1. c. 1. §. 14. scripsit: Jus Gentium rectè probari *usu continuo & testimonio peritorum.*

ad officia humanitatis, vel *ad jus Gentium* * referant. **

Distinctio specifica est multiplex. *Quæritur III. Unde probetur, & in quo consistat differentia specifica juris Gentium à jure naturæ?*

Ex fine. ℞. I. *Differentia est multiplex*, & P. 1. Jus Gentium à jure naturæ differt *ex fine*: ergo est distinctum *formaliter*. *A. P.* Jus Gentium, pro fine formali & *adæquato*, respicit *utilitatem* Gentium, seu *felicitatem societatis humanæ* merè externam hujus vitæ, eámque non fundatam *in absoluta necessitate naturæ*, hoc est, *simpliciter* necessariam; sed fundatam in necessitate quadam morali, seu *ad melius esse*, in ordine ad communicationem Gentium convenientem, formando Nationes, *ùt sociales*. Contrà jus naturæ pro fine *primario* respicit felicitatem, homini *substantialiter* propriam, seu *internam*, etiam ultra fata extensam, formando *hominem* in ordine ad seipsum, ac DEUM; pro fine *secundario* respicit felicitatem, homini *integraliter* propriam, formando hominem, *ùt socium*, seu in ordine ad proximum, & suppositâ societate, in ordine ad felicitatem communem & publicam, in quantum naturæ rationali est propria, & *simpliciter* necessaria.

Ex objectis. P. 2. Differt in *objectis*: ergo *specificè* est distinctum. A.P. Jus Gentium respicit *objecta*, haud fundata *in absoluta necessitate*, sed, *Ciceroni* si fides, fluit ex Gentium *opinione* in ordine ad majora societatis humanæ commoda, qualia objecta suot *immunitas Legatorum*, *jus commerciorum &c.* de quibus infrà: contrà jus naturæ respicit objecta, fundata *in absoluta necessitate*, in ordine ad felicitatem homini propriam, *simpliciter debitam*, & si denuò *Ciceronem* audimus, fluit *ex evidentia naturali*, vel per principia *per se nota*, vel saltem per determinationes ex illis principijs deductas, *evidenter* cognita: ergo magna est differentia in objectis.

Ex constitutivis. P. 3. Differt *in constitutivis*: ergo *intrinsicè* est distinctum. A. P. Jus Gentium est jus *non scriptum*, sed vel pactione tacita, vel usu, & diuturnis Gentium moribus introductum, earúmque consensu coalitum: contrà jus naturæ est *jus scriptum* in hominum cordibus, ex convenientia cum ratione prognatum, & sic e hominum voluntare sancitum: ergo diversa sunt constitutiva utriusque juris.

Ex subjectis. P. 4. Differt *in subjectis*: nam jure Gentium obligantur eæ solummodò Gentes, quæ vel *pactione* tacita, vel *usu*, & *consuetudine* se subjecêre; jure naturæ obligantur homines & Gentes omninò omnes.

Ex causis. P. 5. Differt *in causis*: nam causa *efficiens* juris Gentium est voluntas Gentium, quà talium, à DEO, Gubernatore Gentium roborata; juris naturæ est DEUS, ùt Author naturæ. *Causa impulsiva* juris naturæ est felicitas, naturæ humanæ *simpliciter* propria, ac necessaria; juris Gentium est felicitas, societati humanæ congrua, vel non nisi *moraliter* necessaria. Cùm enim Gens nulla sibi adeò sit sufficiens, ut non *ad melius esse*, majorémque utilitatem; immò quandoque ad *moralem necessitatem*, mutuo auxilio, societate, & communicatione indigeat, ideò jure opus erat, quo Gentes, *in hoc genere societatis & communicationis*, dirigerentur. Et licèt, magna ex parte, hoc fiat per jus naturæ, illud tamen suppeditat regulas nimiùm generales, quæ non sufficiunt singulis negotijs determinandis, in quibus liberæ Gentes inter se communicant, adeóque necesse erat, ut specialia quædam jura, pro usu Gentium, introducerentur. Sic jus Gentium prohibet hostem veneno interficere, quod tamen, suppositâ belli justitiâ, indeterminatum relinquit jus naturæ, cujus intuitu nil refert, hoc vel illo modo hostem interficias, si jure interfici potest. Sic jus Gentium præcipit, ut, nisi justa subsit recusandi causa, Legati admittantur, de qua admissione, ratione felicitatis homini necessariò propriæ, nil desinit, seu præcipit jus naturæ.

Ex proprietatibus. P. 6. Differt denique *in proprietatibus*. Nam jus naturæ est *immutabile*; contrà jus Gentium est *absolutè mutabile*, quatenus vel ex hominum consensu, vel ex arbitraria tantùm consuetu-

* Videri potest *Grotius* L. 2. c. 19. ubi non malè disserit hac de re, etsi, *quò ad bestes*, ex lege naturali difficulter erui possit obligatio sepulturæ.

** Illud paradoxum, quod *Thomasius* in Disput. 12. respondente *Mathia Holzklau* defendit: *sepeliri mortuos in templis juri naturali repugnat.* In fundamentis J. N. non tam secundas curas, quàm novas calumnias addidit, dum scripsit f. m. 284. ad finem: *Addendum, quòd Clerus Pontificius doctrinam hanc de officijs erga mortuos valde promoverit ob interesse suum, videlicet ob doctrinam de cultu Sanctorum, & purgatorio.*

tudine dependet. 2. Jus naturæ (loquendo *per se*) est *universale*, sicque obstringit omnes, ut non nisi per errorem possit alicubi non observari; contrà jus Gentium non est commune omnibus *semper*, sed *regulariter*, & *fere* omnibus, hoc est, *plerisque*, vel saltem *moratioribus*: unde absque errore alicubi potest non observari. 3. *Jus naturæ* non solùm præcipit bona, sed etiam prohibet mala *tam absolutè*, ut nullum in ullo homine, *respectu subjecti proprij*, permittat; contrà *jus Gentium* potest aliqua mala permittere: sic, *Martinezio* si fides, (a) possent v. g. non tantùm *jure civili*, sed & *jure Gentium*, propter necessitatem, provenientem ex fragilitate & conditione hominum, *absolutè* permitti meretrices, vel leves deceptiones in contractibus. 4. *Effectus* juris naturæ est *obligatio legis naturalis*; *effectus juris Gentium*, si consistat in *pactione*, est *obligatio rigorosa justitiæ*, sed non *legalis*; si consistat *in consuetudine*, est obligatio *legalis*, sed *positiva*.

Alia differentiæ incongrua. ꝟ. II. *Alia differentiæ, jus naturæ inter & Gentium, quas passim in medium proferunt Authores, sunt incongruæ, nec admittendæ.* Nam

1. *Nimis impropria est* distinctio veterum JCtorum, qua *jus naturale* dixerunt id, *quod natura omnia animalia docuit*; jus Gentium, quod *naturalis ratio inter omnes homines constituit*. (b) Siquidem jus non competit animali *formaliter*, seu *quò ad rationem legis*, quia incapaci; & licèt *materialiter* competat quò ad actus communes v. g. *generationis*, *educationis*, *defensionis* &c. competit tamen *quò ad distinctionem juris* impertinenter: eò quòd actus illi *longè alio modo*, quia non per instinctum merè naturalem, sed ex rationis ductu, & in ordine ad regulam moralem in homine reperiuntur.

Soti insufficiens respectu ratiocinij. 2. Insufficiens est distinctio *Soti*, (c) & quorumdam *Thomistarum*, qua jus naturale, vel *sine*, vel *facili ratiocinio* notum; jus Gentium *per plures* & *difficiles illationes* deductum esse, affirmant. *Ratio est*, quòd deducta ex naturæ principijs, per illationes qualescunque, sint præcepta in cordibus hominum scripta, adeóque juris naturalis: contrà verò præcepta juris Gentium non nisi ab hominibus, seu per conventionem arbitrariam, seu per receptam consuetudinem, inducta sint.

3. Nec illa distinctio quorumdam satisfacit, qua conclusiones *absolutè* seu *absque ulla suppositione*, ex naturæ principijs fluentes, dicuntur esse *juris naturæ*; cæteræ, *ex suppositione humana societatis, vel alia deductæ, juri Gentium* attribuuntur. *Uti & aliorum respectu suppositionis.* Nam, quæ per evidentem illationem ex naturæ principijs, *etsi facta quadam suppositione*, inferuntur, *ex communi Authorum* sunt juris naturalis. Sic nemo dicit, præceptum parendi Dominis, *supposita servitute, vel Republica*; justitiam contractuum, *supposita rerum divisione*; legem reddendi debitum, *supposita promissione*, & sic de alijs, esse juris Gentium, sed naturalis. Et ratio est: quia jus naturale sæpe non habet materiam, in qua actu obliget, *nisi supposita vitâ hominum sociali, seu supposita societate*: unde talis suppositio prærequiritur, ut resultet materia talis juris; regula autem ipsa rationis *antea* jam erat, & *semper* naturalis uti est, ita & manet. Contrà convenit inter Authores, quòd ea, quæ per illationem, minùs certam, inferuntur, sic ut *arbitrium humanum*, & *moralis commoditas* potiùs, quàm *absoluta necessitas* ad honestatem intercedant, dici debeant juria Gentium. Ita *ipsa Gentium discretio & Regnorum divisio* dicuntur *suo modo* esse *juris Gentium*, (d) etsi ante illam divisionem non supponatur aliquid *præter statum hominum naturalem*.

Demum & Vasquij, respectu juris Gentium merè concessivi, vel permissivi. 4. Demum & opinio *Vasquij* malè congrua, qua jus Gentium à naturali distinctum cupit per hoc, quòd non sit *præceptivum*, sed vel *concessivum*, vel merè *permissivum* aliquid agendi, vel non agendi, *respectu viventium in comunitate*, propter communem utilitatem, *tanquam honestum*, non tan quam *necessarium ad honestatem*. Sic, ex *Vasquij mente*, *bellum* supponit communitatem humanam, *nec præcipitur*, etsi eum titulo justo, sed merè conceditur, tanquam *honestum*. Sic *divisio agrorum* supponit communitatem, & illâ suppositâ, *ex vi rationis naturalis*, licita est, etsi *necessaria* non sit. Sed

Contrà est 1. *Jus Gentium* non est merè *permissivum*, sed *præceptivum*, & *prohibitivum*, uti infrà probabitur.

Con-

(a) Apud *Suarezium* L. c.
(b) Tit. 2. L. 1. §. 1. & 2. Instit. de J. N. & G.
(c) L. 1. Q. 5. a. 4. apud *Suarezium* L. c. de legibus c. 17. n. 8.
(d) Juxta L. *Ex hoc jure* ff. de Justitia, & jure.

Contrà eſt 2. Præterquàm, quòd illa *ſuppoſitio communitatis* non efficiat *jus Gentium*, uti dictum; facultas aliquid operandi, poſito, quòd *ſpectata ratione naturali* juſta ſit, erit juris naturalis, quia etiam jus naturale in multis eſt merè conceſſivum, uti jus *ducendi uxorem*, *conſervandi libertatem* &c. *Ratio eſt*, quia jus naturale non ſolummodò dictat, quid *neceſſarium* ſit, ſed & *quid liceat*.

Contrà eſt 3. Omne jus *conceſſivum* per connexionem involvit jus *præceptivum*, ſeu *prohibitivum* reſpectu aliorum, ut ne impedimentum injuſtum ponant in uſu conceſſi juris. Accedit, quòd allata exempla, etſi ſint juris naturalis, ſaltem *permiſſivi*, jus Gentium non evertant: unde *agrorum diviſio*, *pax*, *induciæ*, *facultas negotiandi*, *mittendi Legatos*, *ſervitus &c.* & alia pleraque, quæ juris Gentium ſunt, poſſunt quidem dici eſſe *juris naturæ conceſſivi*, vel *permiſſivi*, ſed non omnia, quæ juris naturalis *conceſſivi*, vel *permiſſivi* ſunt, poſſunt dici eſſe juris Gentium, uti patet, *in jure nubendi, conſervandi libertatem, jure cælibatûs &c.* Sic jure Gentium permiſſivo quædam poſſunt eſſe impunita, uti alibi diximus, quæ tamen juri naturæ poſitivè repugnant.

℟. III. *Etſi jus Gentium ſpecificè differat à jure naturæ, in aliquibus tamen convenit, habétque ſpecialem cum jure naturali propinquitatem.*

Patet 1. Quia utrumque eſt *aliquo modo* commune omnium Gentium; inde eſt, quòd multi Veterum jus Gentium dixerint *naturale ſecundarium*.

Convenientia quædam juris naturæ & Gentium.

Patet 2. Utrumque reſpicit *ſuo modo* felicitatem publicam ſocietatis humanæ *pro fine*, nititúrque *convenientia cum ratione* in ordine ad feliciorem ſtatum naturæ humanæ, ex qua, veluti *fundamento*,* uſus & conſuetudo Gentium convaluit. Inde rectiſſimè *Covarruvias*: (a) *quòd naturalis diſcurſus fecerit, ut unaquæque Gens, ratione utens, & communem utilitatem reſpiciens, in idem cum alijs placitum conſenſerit.*

Patet 3. Quia utrumque, *propter convenientiam* cum ratione humana, *eodem ferè modo* ortum cum Genere humano, & vel *per uſum & imitationem*, vel *per pactiones* Populorum propagatum, ac inductum legitur. Accedit, quòd in quorumdam ſententia *utriuſque obligatio legalis* à DEO deſcendat; jus naturæ quidem ùt ab *Authore naturæ*; jus Gentium, *ùt à Gubernatore humanæ ſocietatis*.

℟. IV. *Jus Gentium eſt inſuper ſpecificè diſtinctum à jure civili.*

Specifica differentia juris Gentium à jure civili.

Patet 1. Quòd jus civile ſit *ſcriptum*, Gentium *non ſcriptum*, ſed moribus, uſu, & conſuetudine introductum.

Patet 2. Quòd jus civile originem trahat *à voluntate Legiſlatoris humani*; Gentium *ab uſu & conſuetudine Populorum*.

Patet 3. Quòd jus civile reſpiciat tanquam fundamentum *privatas*; jus Gentium *communes* neceſſitates; illud ſit unius Regni, vel Reipublicæ; hoc Gentium plerarumque. Quæ differentia, cum ſit ſolummodò *ſecundùm magis & minùs*, adeóque merè accidentalis, priori duplici ſubſtantiali conjungi debet.

Quæritur IV. Quæ origo juris Gentium.

De origine juris Gentium.

℟. I. *Origo cauſalis ſatìs eſt explorata.* Nam fluit 1. *Ab indole naturæ humanæ ſociabili*, adeóque ad communem quamdam ſocietatem inclinante. Inducta enim rerum diviſione, non ita diviſæ ſunt Gentes, ut non fundamentalis quædam relatio, ſocialitas, ſeu unio quædam moralis, & quaſi politica remanſerit. Fluit 2. *A principio amoris*, cuivis etiam extraneo *naturaliter debiti*, ſaltem minùs *ſtrictè*, quia neceſſarij *ſaltem ad melius eſſe*, ſeu felicitatem reſpectivam. Fluit 3. *Ab exigentia uſûs*, humana neceſſitate id poſtulante, & utilitate ſuadente. Cùm enim Gens nulla ex toto ſibi ſufficiat, ſic ut ad commodiorem vitam non ſæpe opus ſit auxilijs mutuis, ipſa natura per rationis dictamina inclinavit Gentes ad ſocietatis inſignia commoda, communémque tranquillitatem certiùs obtinendam, & ſecuriùs conſervandam.

Cauſalis ſatis certa.

℟. II. *Origo tamen formalis eſt ſatìs incerta.* Sunt qui cum Magnifico *P. Schmier* (b) modum juris Gentium inducti explicant per actiones quaſdam, ad rectè temperandam ſocietatem diutius

Formalis ſatis incerta.

---

* Nam, ùt ſuprà ex *Struvio* diximus, *fundamentum juris Gentium eſt communis hominum in ſocietate neceſſitas, & utilitas.*

(a) Apud *Grotium* L. 2. c. 1. §. 14. edit. *Francof.* A. 1691.

(b) In Juriſpr. Can. Civ. L. 1. c. 4. ſect. 1. §. 2. n. 27.

tiùs exercitas, v. g. *admittendo Legatos, fœdera jungendo, commercia mutua continuando &c.* His actionibus, longiore usu exercitis, accessisse, ait, consensum Gentium in jus legale, mutuò obligativum, quo supposito DEUS, ut Rerum publicarum Institutor primus, sua authoritate obligationem legislativam addiderit. Contrà sunt alij, qui suffragia *tacita* cum *Alberico Gentili*; (a) vel cum *Rachelio* pacta expressa adstruunt. (b) Sunt, *qui merum usum* inter unam & alteram, vel si mavelis, aliquot Gentes finitimas assignant, quæ seu *pacta* seu *usum* suaserat ratio partim publicæ securitatis, partim communis utilitatis. Hac insigni commoditate allectæ aliæ, atque aliæ Nationes, seu *per consensum*, seu *per imitationem*, & sibi propria fecêre ejusmodi scita, tandémque *usu continuo* amplius & amplius sic propagârunt, ut *consuetudine communi* roborata, si minùs *in leges*, saltem in conventiones, *ex justitia* publica obligatorias, transirent, quas à Gentibus *jus Gentium* appellamus. Exempla asserunt in *Spartanis*, quorum Respublica, *ad imitationem Cretensium, à Lycurgo* formata est teste *Cœlio*; (c) item in *Romanis*, qui leges *Atheniensium*, decem tabulis contentas, in se transtulerunt; in Paganis, qui *Josepho* Authore (d) multa è *Judæorum* scitis sibi appropriârant. Accedit, quòd sæpe Gentes à subactis Gentibus plurima mutuârint canente *Horatio*: (e) *Græcia capta ferum victorem cepit, & artes intulit agresti Latio.* Hæc illi: nos in ideis selectum Lectori relinquimus.

De essentia juris Gentium. Multis dicitur,

Quæritur V. Quæ essentia juris Gentium?

℞. I. *Jus Gentium multis Authoribus dicitur conventio tacita, quâ Gentes, ut tales, obligatione mutua consociantur in ordine ad ea, quæ ad communem ipsarum felicitatem pertinent.* Ita *Grotius* (f) ejúsque hac ex parte fautores, (g) queis unisonus celebris Jureconsultus *Gleile*, hujúsque nuperrimè Apologetæ clarissimus *Sigismundus Stapfius*, (h) *P. Placidus Pockhen*: (i) & his prior *P. Franciscus Schmalzgruber* (k)

Conventio tacita,

Explicant 1. Nam per *conventionem tacitam* indicant *formam intrinsecam* juris Gentium, quam statuunt *in pactione arbitraria Nationum*, sicque distinguunt à jure naturæ, quod habet *formam legis*, propriè dictæ. Unde ultrò admittunt, jus Gentium non participare *speciem univocam legis, propriè dictæ*, eò quòd pacta inter Gentes, *Superiorem* non agnoscentes, naturam legis inducere nequeant, neque ea de causa, quòd *pluralitate* Gentium sint extensa, & *ad bonum commune* ordinata, pacti naturam exuere queant.

Quæ, per obligationem mutuam,

2. Per obligationem mutuam innuunt *effectum* juris Gentium, nempe *obligationem rigorosam justitiæ*, immediatè ortam ex Gentium pactione, & sic denuò distinguunt à jure naturæ, quòd obligationem parit strictè *legalem*. Addit tamen clarissimus *Stapfius*, (l) quòd hoc non obstante *jus Gentium* comitetur obligatio legalis, quæ immediatè proveniat ex illo juris naturæ principio: *fidem datam esse servandam.* Clarissimus *Pöckhen* ait, jus Gentium dici posse *legale* certo respectu, nempe subditorum in singulis Gentibus, saltem secundùm ea, quæ subditos attinent, & ad exterorum quoque commodum ordinantur. Ita illi. At obligatio, merè con-

(a) De jure belli L. 1. c. 1. Constituerunt jus Gentium inter se omnes, vel multæ Gentes, *non fortuitò*, aut *altera alterius imitatione*, sed quasi *ex compacto*, non *quòd convenerint*, ut legem scriberent, sed quòd *utilitas* & *necessitas* plerumque *omnium* provocaverit, & obtinuerit consensum, & ex hoc deinceps jus constitutum sit.

(b) In J. N. & G. dissert. altera. n. 30. & 31.

(c) Antiqu. lect. L. 18. c. 26.

(d) L. 1. contra *Appionem*.

(e) L. 2. epist. de *Romanis* & *Græcis*.

(f) Pluribus in locis: nam in prolegom. §. 1. Jus Gentium, *moribus* & *pacto* introductum, & §. 53. tanquam *ex condicto* obligare affirmat. L. 1. c. 1. §. 14. ait omnium, vel multarum *voluntate vim obligandi* accepisse. L. 2. c. 3. §. 5. expressè asserit jus Gentium habere *vim pacti* inter Gentes, illúdque distinguit *à jure civili plurium Gentium*, quod in prolegomenis §. 53. ait à Jureconsultis sæpe confundi *cum jure Gentium*, esséque id, *quod non tanquam ex condicto, sed quod alij aliorum imitatione, aut fortuitò acceperunt.*

(g) *Albericus Gentilis, Connanus, Zieglerus, Henniges*, aliique Commentatores apud *Grotium*.

(h) *Stapfius* in J. N. & G. Parte 1. c. 1. §. 3. n. 2. & seqq.

(i) *Pöckhen* in Jurispr. controv. L. 1. Tit. 2. P. 2. Q. 3. f. m. 327.

(k) *Schmalzgruber* in introductione ad jus Canonicum. Assert. procem. §. 4. n. 127.

(l) L. c. n. 17. f. m. 37.

concomitans; neque ſufficit, neque parcit legem, niſi merè *naturalem*; & reſpectus alter non efficit *legem Gentium*, ſed *civilem*, quæ & ipſa nonnunquam reſpicit bonum commune, etiam exterorum.

Conſociantur Gentes, quà tales.

3. *Per Gentes, quà tales*, ſignificant *ſubjectum* juris Gentium. Poſſunt ſiquidem homines, teſte clariſſimo *Stapſio*, conſiderari vel tanquam creaturæ rationales; vel tanquam membra Generis humani, in diverſas Gentes diſperſi; vel tanquam membra ſingularis Reipublicæ. Primo modo ſpectati diriguntur *jure naturæ*; *ſecundo jure Gentium*; *tertio jure civili*. Addit idem *ex Grotio*: jure gentium non obſtringi *omnes omninò Gentes*, eò quòd, extra jus naturale & Divinum novum, de facto non ſit reperire jus *omnibus Gentibus commune*. Unde contingere poteſt, ut, quod in una Orbis parte jus Gentium eſt, alibi non ſit, uti ſuprà diximus *de ſervitute*.

Ad communem felicitatem.

4. Per verba, *ad communem Gentium utilitatem*, declarant *finem*, ad quem jus Gentium *intrinſecè* eſt ordinatum, diſcretúmque à jure civili: hoc enim particularem Reipublicæ ſalutem; illud incolumitatem Gentium, quà taſium, ſeu communem pacem, tranquillitatem, ac concordiam inter ſe *pro fine* reſpicit.

Addunt promulgationê, conſiſtentem in conſtanti uſu.

5. Denique *pro forma extrinſeca* promulgationem aſſignant, quam ſtatuunt *in conſtanti uſu*, & *praxi Gentium*, in materia ſibi conſentanea conformiter operantium, & oblata occaſione, tanquam *ad jus commune*, provocantium.

Alijs definitur

℞. II. Juxta communiorem Authorum *jus Gentium* definitur, eſſe *Ordinatio rationis, diuturnis Gentium moribus, ad communem utilitatem Gentium, quà talium, conſtituta, & ſummi humanarum Politiarum Principis conſenſu approbata.* Ita clariſſimus *P. Schmier* (a) cum *Mezgeris*, *Franzijs*, alijſque Orthodoxis, quêis conſentit ex Acatholicis *Vitriarius*, *jus Gentium* appellans *jus*, *quod DEUS per rectam rationem inter omnes Gentes*, *propter communem neceſſitatem*, & *utilitatem, conſtituit.* (b)

Ordinatio rationis,

Declarant 1. *Per ordinationem rationis* genus indicant, & quidem *univocum* reſpectu juris naturalis, atque civilis, ſic ut jus Gentium *propriam juris legalis ſpeciem* eſſe, affirment. Inſuper indicant, jus Gentium non uſu *qualitercunq. arbitrario*, ſed *in ratione* fundato, eſſe inductum: non enim *ſimpliciter* id omne, quod Gentes inter ſe ſtatuunt, *jus Gentium* dicitur, ſed quod, *humana neceſſitate* exigente, recta ratio Gentibus *dictat*, jus Gentium propriè fundat, ac mediante uſu conſtituit.

Diuturnis Gentium moribus conſtituta.

2. Per ordinationem, *diuturnis Gentium moribus conſtitutam*, innuunt constitutivum juris Gentium *proprium*, ac *formale*, non eſſe *conventionem*, ſeu *pactionem*, ſed *ipſum uſum*, ac *conſuetudinem*. ex qua, velut *tacita conſenſûs mutui profeſſione* introducitur ordinatio inter Gentes eo modo, quo de *conſuetudine* loquuntur Jureconſulti.

Et ſupremi humanarum Politiarum Principio conſenſu roborata.

3. Per ordinationem, *ſupremi humanarum Politiarum Principis conſenſu roboratam*, ſignificant poteſtatem ſupremam, ferendæ legi neceſſariam, non eſſe *à Gentium collectione* ad morem Ariſtocraticum, quo populus *diviſim* obtemperat, ùt *inferior*; *collectim* imperat ùt *ſuperior*; quæ eſt explicatio *Strickij*, & nonnullorum. Nam 1. ejuſmodi collectio Gentium, ſeu univerſalis Reſpublica, cum ſuprema in Gentes ſingulas poteſtate, eſt ignota Gentibus, nec uſſibi indicata per jus poſitivum in hiſtorijs; per Divinum in ſacris paginis; per naturale in rationis dictamine, eò quòd talis poteſtas haud ſit abſolutè neceſſaria ad gubernationem Generis humani. 2. Singulæ Gentes *cenſent* ſe liberas, & à poteſtate humana independentes *abſolute*, hoc eſt, non tantùm *reſpectu ſui*, ſed etiam *reſpectu aliarum Gentium*, adeóque *cenſent* ſe magis liberas, quàm civem, *liberum* quidem reſpectu alterius civis, ſed non Principis; *cenſent* ſeſe invitas, neque à Comitijs Gentium, ad novas leges adſtringi poſſe. Significant ergo per illa verba poteſtatem ſupremam, & virtutem legislativam in Gentes haberi *à DEO, non tanquam Authore naturæ*, ſed *tanquam Authore ſocietatis humanæ*, & *ſupremo Politiarum humanarum Principe*, ùt loquitur Clariſſimus *P. Schmier* (c) cum alijs. Rationem aſſignant, quòd, *ſuppoſitâ ſocietate humana* (ad quam ſaltem inclinat DEUS, tanquam *Author naturæ*) non potuerit non velle DEUS, *tanquam ſupremus politiarum humanarum Princeps*, & *primus Inſtitutor*, ut Gentes habeant aliquam regulam actionum, Gentibus competentium, directivam, & à DEO

(a) In Jurispr. Canonico civili L. 1. tract. 1. c. 4. ſect. 4. §. 2. n. 13.
(b) In inſtit. J. N. & G. c. 1. n. 21.
(c) L. c. n. 19. & 27.

DEO, *tanquam humanæ ſocietatis Auſpice*, profectam, quæ vel ideò veram juris legalis ſpeciem indueret, ut jus Gentium *propriè* dici poſſet.

Etſi utraque definitio

℞. III. *Etſi utraque definitio ſit ſatìs commoda, nos tamen poſteriorem, ùt minùs incomodum, in ſenſu debito, præhabemus.* 2. *Dicimúſque jus Gentium eſſe ordinationem rationis, longævo Gentium uſu, Deique, ut ſocietatis humanæ Gubernatoris immediate, conſenſu inductam ad Gentium, quà talium, publicam felicitatem.*

Sit ſatis commoda.

Declaratur aſſerti primum membrum. Utraque definitio jus Gentium à juribus alijs ritè diſcernit; naturam juris hujus ſufficienter explicat, finémque declarat: ergo utraque ſatis eſt commoda. 2. Definitio prior, jus Gentium explicans *per pactionem*, non adſtruit *obligationem legalem*, ſed ſolius *juſtitiæ*, niſi *naturalem, concomitanter* ſolummodò, mutuet à jure naturæ; non adſtruit *obigationem univerſalem* conſtitutionis, ſed *particularem pacti*, extenſam in ſolos conſentientes; nec adſtruit uſum, niſi ùt formam, ſeu promulgationem extrinſecam, etſi ad hunc, *veluti conſtitutivum*, Authores communiter provocent. Contrà definitio poſterior, jus Gentium explicans *per conſuetudinem*, adſtruit quidem obligationem *legiſlativam*, ſed, ùt ajunt, *abſque neceſſitate*, cùm ſufficiat ſola *juſtitia*; adſtruit obligationem deſumptam à DEO, *ùt Authore* ſocietatis humanæ *ſolum remoto*, de qua *ſpeciali legiſlatione* nullum uſpiam eſt veſtigium; adſtruit jus Gentium, ſuo modo *Divinum*, cùm tamen Authores, *velut merè humanum*, communiter agnoſcant. Hæc habentur utriuſque partis incommoda. Jam

Poſterior tamen, etſi in ſenſu debito, eſt præhabenda; quia utriuſque vitat incommoda.

Declaratur aſſerti ſecundum membrum. Noſtra definitio vitat priora incommoda, adſtruendo obligationem *legalem univerſalem* conſuetudinis, obligantis omnes majori parte conſentiente, facitque *uſum longævum*, hujus juris conſtitutivum. Poſteriora incommoda, ſi quæ ſunt, complanat: nam neceſſitatem adſtruendæ obligationis *legalis* facit univoca ratio cum cæteris juribus: ergo, ſi poteſt adſtrui, debet. Obligationem legalem non deſumit à DEO, *ùt Authore mediato* ſocietatis humanæ, ſed à DEO, ùt *Gubernatore immediato* ejuſdem ſocietatis, in Reſpublicas varias diviſæ, quatenus Gentes, non modò *diviſim*, ſed *& collectim* ſpectatæ, Superiorem humanum non agnoſcunt. Veſtigium autem *hujus ſpecialis obligationis legiſlativæ* ſatis viſibile ſuppeditat partim Divinæ Providentiæ, partim ſocietatis humanæ ratio, conſervatio, tranquillitas, majórque vitæ felicitas, per comerciorum compendia, aliáque mutua, comoda, ad quæ *communi & univerſaliter obligante regulâ* opus eſt, cui, ſua approbatione ſtabiliendæ, DEUS deeſſe nequit, nec, quòd deſit, præſumendum eſt. Unde negatur ſuppoſitum, quòd jus Gentium ſic debeat eſſe *merè humanum*, ut etiam *vis obligandi* debeat eſſe *merè humana*; ſufficit, ſi modò ſit *verè poſitivum*, & à jure naturali, Divinóque *verè diſtinctum.* Diſtinguitur autem *à jure naturali, & Divino* non ſolùm *quò ad finem* ex toto, ſed etiam *quò ad Authorem*, cùm utrumque illud ſit à DEO, ùt authore *imediato*, & *imediatè* obligante, ſine prærequiſito hominum conſenſu: jus gentium ſit à DEO, *ut Gubernatore* ſocietatis humanæ, *immediato* quidem, ſed non obligante, niſi *mediante* Gentium conſenſu, per diuturnos mores declarato.

Jus Gentium, eſt ſatis diſtinctum à conſuetudine,

℞. IV. *Jus Gentium, etſi ſatìs diſtinguatur, multam tamen habet affinitatem cum jure conſuetudinario.*

Quò ad 1. Patet: nam jus conſuetudinarium vim obligandi habet à conſenſu tacito Superioris humani, jus Gentium à DEO, ùt Gubernatore ſupremo ſocietatis humanæ; illud *pro fine* utilitatem Reipublicæ, *pro ſubjecto* ſubditos particulares; hoc *pro fine* felicitatem Gentium, quà talium; *pro ſubjecto* Nationes integras reſpicit, & ſic de alijs.

Eſt illi tamen affine.

Quò ad 2. Pariter liquet: nam utrumque uſu & moribus introductum; utrumque Superioris conſenſu obligationem *legalem*, legiſque *rationem univocam* eſt ſortitum.

§. II.
De diviſione, objecto, & effectu juris Gentium.

§. 2. De diviſione

De diviſione juris Gentium.

Quæritur IV. Quæ diviſio juris gentium?

In primævum, & ſecundarium exoleta.

℞. I. *Exoleta* eſt diviſio juris Gentium in *primævum*, quod naturalis ratio inter homines conſtituit; & *ſecundarium*, quod uſu, & neceſſitatibus exigentibus introductum eſt. Ita contra Veteres. * *Ratio eſt*: quia nititur fal-

* Quibus acceſsêre *Sanigallenſes* de LL. ſect. 2. Q. 3. concluſ. 1. Clariſſ. de *Clingenſperg.* ad 2. Inſtit. de J. N. G. & C. Q. 3.

falſo ſuppoſito *Juſtiniani* de duplici jure naturæ; (a) & jus gentium cum naturali confundit.

In univerſale & particulare nulla.

℟. II. *Nulla* eſt diviſio juris Gentium *in univerſale*, ſeu *commune*, quo plures, vel pleræque Gentes; & *in particulare*, ſeu *proprium*, quo duæ vel tres ſolummodò Gentes utuntur. Ita contra Recentiores. * *Ratio eſt*: quia jus Gentium confundit cum civili. Quòd ſi dicas, jus Gentium non *ex numero*, ſed *ex fine* æſtimandum; negatur ſuppoſitum, quòd finis ſit *particularis* Gentium duarum, triùmve utilitas, & non potiùs *communis* ſocietatis humanæ felicitas.

In propriè, & impropriè dictum inanis.

℟. III. Non ſatis facit diviſio juris Gentium *in propriè dictum*, quod eſt cum mutua obligatione; & *in impropriè dictum*, quod eſt ſine mutua obligatione: quia eſt in terminis *impropria*. Æquè imperfecta eſt diviſio in jus Gentiū *verum*, quod non repugnat juri naturæ, & in *putativum*, quod eidem adverſatur. Nam jus, naturæ juri adverſum, nullum eſt, niſi intelligatur fors *permiſſivum*, impropriè tale, quo actus quidam à Gentibus tolerantur *impunitate extrinſeca*: unde alij in *externum*, ſeu permiſſivum, & in *internum* diſpertiunt, quod actum in foro quoque interno juſtum reddit, uti fit, ſi verſetur circa actum indifferentem, v. g. jus, quod hoſti hoſtem, & in perſona, & in rebus lædere permittit ſuppoſito juſto bello. Sed & hæc diviſio eſt *analoga*, uti diximus.

In ſcriptum, & ſcriptum non ſcriptum ſuperflua.

℟. IV. *Superflua* eſt diviſio juris *in ſcriptum*, ſeu expreſſo Gentium conſenſu ſtabilitum, per fœderum & pacificationum inſtrumenta publica; & *in non ſcriptum*, ſeu conſenſu tacito, uſu ac conſuetudine ſtabilitum. Sed hoc jus ſcriptum eſt potiùs effectus juris Gentium, per ſpecialia pacta ſicuti ad finem particularem, ita & ad jus particulare referendus.

Legitima in affirmativum & negativum.

℟. V. *Legitima* eſt diviſio juris Gentium *in affirmativum*, quod pro objecto habet poſitionem actûs, ſeu quo aliquid præcipitur, V. g. *admiſſio Legatorum*; & *in negativum*, quod pro objecto habet omiſſionem actûs, ſeu quo aliquid prohibetur v. g. *ne arma*, & *fontes veneno inficiantur*. Illud in actu ſecundo *pro ſemper* non obſtringit propter humanarum virium limitatam virtutem; hoc obligat *ſemper pro ſemper*, eò quòd omiſſio actûs non excedat menſuram humanæ potentiæ. *Reductive* & *impropriè* dividi ſolet etiam *in permiſſivum*, quod nec præcipit, nec prohibet, ſed *negativè* ſe habet, vel tolerando actum, ſi malus non ſit, vel ſi malus, impunitatem extrinſecam concedendo.

De objecto juris Gentium.

Quæritur VII. Quale & quotuplex eſt objectum juris Gentium?

In genere omnia ſimul congrua.

℟. I. *Eſt multiplex*: cùm enim, teſte *Vitriario*, (b) *fundamentum juris Gentium ſit communis inter omnes Gentes utilitas, neceſſitas*; *in genere objectum juris Gentium* conſtituunt ea omnia, quæ *ex fine ſuo* tendunt *ad convenientem communicationem*, & *emolumentum Gentium, quà talium.*

In ſpecie primæva rerum diviſio.

℟. II. *In ſpecie primæva* rerum diviſio, etſi ſuppoſitâ humani Generis multiplicatione, ſtatûque naturæ lapſæ, & inde emergente neceſſitate, multis videatur eſſe *de jure naturæ præceptivo*, veriùs tamen *ad jus Gentium* revocatur. *Ratio eſt*: quia natura pro illo ſtatu *ſimpliciter* exegit quidem aliquod medium *indeterminatè* pro evitandis illis incommodis; non tamen exegit hoc *determinatum*, tanquam *determinatè neceſſarium*. Idem, ob eandem rationem, intelligendum eſt *de præſcriptione* inter Gentes, uti infrà fuſiùs declarabimus.

Gentium diviſio.

2. *Ipſa Gentium diviſio*, licèt *in fieri & formaliter*, non ſit juris Gentium, quatenus jus gentium illam non facit, ſed *tanquam principium* ſupponit, eſt tamen juris Gentium *reductivè*, eò quòd non deſcendat à jure naturæ, ſitque prima Gentium origo; immò *in conſervari* etiam *formaliter* eſt juris Gentium. Idem intelligendum *de diviſione Regnorum*: etſi enim, ſuppoſitâ humani Generis multiplicatione, natura *abſolutè* exegerit *aliquod medium* pro evitandis incommodis, diſcordijs, rixis &c. inde exortis, non tamen exegit hoc *determinatum* medium *diviſionis* in has, vel illas Gentes, in hæc vel illa Regna &c. cùm, *abſolutè loquendo*, difficulter probari poſſit, cur implicâſſet, Orbem coire in univerſalem quamdam Rempubli-

(a) Tit. 2. L. 1. §. 1. & 2. Inſtit. de J. N. & G.

* Clariſſ. *Sigiſm. Stapfium* J. N. & G. P. 1. c. 1. §. 3. n. 7. cui rectè opponas illud *Puffendorfij* L. 2. c. 3. n. 21. f. m. 219. *Quòd non nemo ad jus Gentium quoque referre inſtituit particularia conventa, duorum pluriumve populorum fæderibus & pacificationibus definita, id nobis planè incongruum videtur.*

(b) Inſtitut. J. N. & G. c. 1. n. 23.

publicam, ſeu ariſtocraticè, democraticè, ſeu monarchicè temperatam; vel ſi hoc moraliter implicâſſet, certè *tanta Gentium, Regnorúmve diſcretio neceſſaria minime* fuiſſet, in quantam tamen hodie cernimus conſeoſiſſe Gentes, ſic ut una Reſpublica alterius poteſtatem ſummam agnoſcere, jure Gentium, teneatur.

Jus commerciorum. 3. *Commerciorum*, hoc eſt, negotiandi cum alijs Gentibus *libera facultas* eſt juris Gentium. P. Ejuſmodi facultas non eſt *ſimpliciter neceſſaria* ad felicitatem, naturæ rationali propriam, etiam ſuppoſito ſtatu multiplicati Generis humani: nam *abſolutè* loquendo poſſet quævis Reſpublica *per ſe* ſubſiſtere, etſi incommodè: ergo *per ſe* * non eſt juris naturæ. Eſt tamen *neceſſaria moraliter*, cùm *non omnis ferat omnia tellus*, ſic ut ad ſublevandam indigentiam mutuam, uſu Gentium, inducta ſit: ergo eſt juris Gentium.

Belli. 4. *Bellum* juſtum tam defenſivum, quàm offenſivum, *in ſe præcisè ſpectatum*, eſt quidem juris naturalis, ſeu *conceſſivi*, ſeu *permiſſivi*, quia non *ſimpliciter* repugnat, nec *abſolutè* exigitur ab amore, ſibi naturaliter debito, & ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſario: ùt *publicum* tamen, & *ſolemne eſt* juris Gentium: quia neque conditiones *de prævia indictione*, neque *effectus* à jure naturæ agnoſcuntur, uti ſuo loco diſtinctius probamus.

Repreſſaliarum. 5. *Repreſſaliæ* ad jus Gentium pertinent: ſiquidem, *mero naturæ jure*, ex facto alieno nemo tenetur, niſi qui bonorum ſucceſſor eſt. Contrà uſu, conſeoſúque Gentium eſt, inductum, ut pro eo, quod Reſpublica debet vel pro ſe, vel pro ſuis, in caſu denegatæ juſtitiæ, ſubditorum bona, veluti oppignorata, habeantur. Unde reſpectu utentis eſt *lex permiſſiva*, reſpectu aliorum *præceptiva*, qui hoc pati obligantur.

Servitutis. 6. *Servitus* ex jure Gentium deſcendit. Nam videbatur communis eſſe utilitatis, ùt ſervituti potiùs, quàm morti deſtinarentur bello juſto devicti: *ſed in Chriſtiana* Republica ſublata eſt ſervitus, non quòd ſit contra naturam, hoc eſt, contra ſtatum naturæ liberæ, ſed quòd *Chriſtianæ* pietati adverſetur.

7. *Legatorum admiſſio*, & *immunitas* ** non eſt juris naturæ, *quatenus* *Legatorum.* *ſpectat publica Nationum negotia*: quia non eſt medium ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *abſolutè* neceſſarium: nam ſicuti Gens quælibet ſibi ſola poteſt *abſolutè* vivere; ita & aliarum conſortia poteſt recuſare. Neque eſt juris naturæ, *quatenus ſpectat negotia pacis conciliandæ, ſeu firmandæ*, quia, etſi ſupponatur cum *Puffendorfio*, (a) pacem eſſe juris naturæ, hæc tamen admiſſio non eſt medium, *determinatè neceſſarium* ad hunc finem, cùm plura media, inter quæ & ipſum bellum, ad pacem reducendam ſuppetant. Unde, ſuppoſitâ ſocietate humanâ, non tam propter *neceſſitatem*, quàm *propter utilitatem* jure Gentium inducta eſt, eò quòd modus Legationis Gentibus viſus, uſúque probatus ſit *expeditior cæteris*.

8. *Pax*, abſolutè *ſpectata in ſe*, ùt *Pacis.* notat *tranquillitatem cum DEO, ſecum ipſo, & proximo*; ſeu concordia per communia humanitatis officia ab omni vi, & læſione proximi aliena, non modò *originaliter*, ſed & *formaliter* eſt à natura *præcipiente*: quia eſt exigita, ùt conformis amori, cuivis naturaliter debito, hoc eſt, ad felicitatem, *naturæ rationali propriam*, *abſolutè neceſſario*, uti infrà declarabimus. Pax in ſenſu ſtrictiore, *ſeu relativè ad bellum* conſiderata in ſuis effectibus, & circumſtantijs, *eſt juris Gentium.**** Patet à paritate cum bello: nam contrariorum eſt eadem diſciplina, neque enim *ratio paciſcendi*, *ceſſatio à conatu hoſtili*, *oblivio malorum*, *reſtitutio bonorum &c.* niſi *ex diſpoſitione Gentium*, in ordine ad communem utilitatem, neceſſitatémque publicam, profluere poterant.

9. *Fœdera*, ſeu pactiones publicæ, *Fœdera.* à perſonis publicis arctioris conjunctionis ergo initæ, ſunt *juris Gentium*. Nam etſi obligatio fœderum ſit juris naturalis, ipſa tamen *admiſſio*, ſeu *pactio*, ùt ſpectat ad jura Majeſtatis, neque negari poteſt *abſque ratione*, *hoc eſt*, *ſi rationabiliter*, *& debito modo* petatur, *eſt*

* Dictum *per ſe*, nam *per accidens*, ratione extremæ neceſſitatis, qua ob negata commercia alteri Genti præcavendum, aut gravibus miſerijs conflictandum foret, eſſet *obligationis naturalis*, ex lege amoris, naturaliter ſtringentis.

** Quò revocant jus hodiernum de ſecuritate tubicinum.

(a) De J.N. & G. L. 2. c. 3. §. 23.

*** Eadem eſt ratio de *treuga*, ſeu *armiſtitio*.

eſt juris Gentium: quia non obſtante, quòd illa admittere ſit *conforme naturæ*, *& magnæ æquitatis*, non eſt tamen *abſolutæ neceſſitatis*, ſic ut exigatur *determinate* ab amore, alteri naturaliter debito, ſeu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *abſolutè* neceſſario, & requiſito. Nam, ùt dictum ſuprà, ſicuti Geos quælibet, *abſolutè loquendo*, poteſt ſibi ſola vivere; ita poteſt & aliarum fœdera recuſare, niſi *circumſtantia extremæ neceſſitatis*, qua Gens altera, ad ſibi ſubveniendum, fœdus expoſceret, obligationem ex lege naturalis charitatis induceret. *Jure Gentium* igitur eſt inductum, *utilitatis, & neceſſitatis publicæ causâ*, ut admitti fœdera debeant: v. g. quando petuntur de finibus regundis, de commerciis mutuò promovendis, de definiendis rebus, quæ, inter finitimos incertæ, quietem turbaverant; de jungendis viribus adverſus hoſtem, & ſic de alijs. *Ritus* pangendi fœdera non tam à jure Gentium, quàm *à ſpeciali* quarumdam Nationum *conventione* provenit, eò quòd apud diverſos populos omni tempore fuerit diverſus.

Jus tranſitûs, & ſepulturæ.

10. Denique *ad jus Gentium* rectè revocatur *jus tranſitûs*, ſeu *commigrandi*, *quando non eſt juſta ratio excludendi peregrinos & advenas. Ratio eſt*, quòd hæc facultas ſit cunctis Gentibus & valde commoda, nec minùs utilis. * *Jus ſepulturæ* etiam reſpectu hoſtium: etſi enim *in naturali quadam æquitate* fundetur, cùm in mortuos ſævire non deceat, nequaquam tamen foret *abſolutæ neceſſitatis, nec poſitivè turpe*, ſi cadavera hoſtium inhumata relinquerentur: unde jure Gentium inducta eſt obligatio, quam pluribus exemplis demonſtrare *Grotius* conatur. (a) *Jus præſcriptionis*, etſi naturæ haud difforme, quia pacem & quietem publicam attinet, ſocietatiſque humanæ intereſt, ne ditionum ſemper, vel ſaltem diu ſint incerta dominia, nullúſque litium finis ſit, non tamen eſt naturæ tam *abſolutè conforme*, ut ad felicitatem, naturæ rationali propriam, ſit *determinatè* debita, ac *ſimpliciter* requiſita: nil enim natura determinavit *de quantitate temporis, qualitate bonæ fidei, aliíſque requiſitis*. Unde licèt dici poſſit præſcriptio de jure naturæ *conceſſivo*, ** *formaliter* tamen eſt *juris Gentium*, quia uſu Gentium inducta eſt propter neceſſitatem quamdam moralem, utpote ſine qua ſecura bonorum ſtabilitas obtineri, & inter Gentes pax ſtabilis ſervari, *moraliter* loquendo, haud poſſet.

Uſus monetæ.

Denique *uſus monetæ*, *jus cudendæ*, & *valoris tribuendi* deſcendit à jure Gentium. Non enim valet naturâ nummus, ſed permutationi rerum primævæ, pro majore commoditate, atque utilitate ſubſtitutus eſt à Gentibus: (b) unde obligatio acceptandi pecuniam, & agnoſcendi valorem, *loquendo in genere*, & *abſtrahendo à circumſtantijs*, jure Gentium inducta eſt.

Effectus juris Gentium legalis.

Quæritur VIII. Quinam effectus juris Gentium?

℟. I. Effectus eſt *legalis*, ſeu *obligatio obedientiæ*, ſtringens in conſcientia, qua Gentes communibus ſancitis morem gerere tenentur. Quòd effectus ſit *legalis*, colligitur ex dictis; quòd ſit *obligatorius*, patet 1. Ex Gentium ſenſu communi, quo non majus ſcelus objicere ſolent, quàm violationem juris Gentium. 2. Ex earundem Gentium conſenſu, ob quem lex iſta reputatur *ſanctiſſima*. 3. Ex materia hujus juris, quæ pacem, tranquillitatem, & felicitatem Gentium mutuam concernit. Unde

Stringens ſummos etiam Imperantes.

Deducitur 1. Obligationem hanc in ipſa ſumma Orbis capita eſſe extenſam, *ob authoritatem DEI*, ſocietatem humanam ſupremo dominio gubernantis; *ob finem*, ſeu emolumentum commune, cujus intuitu per conſenſum Gentium immediatè oborta eſt.

Unde eorum lites decidendæ.

Deducitur 2. Lites inter ſummos Principes *ex jure naturæ*, vel *Gentium* decidendas eſſe, eò quòd jure civili ſuperiores, jure Gentium inferiores ſint.

Bella dirigenda.

Deducitur 3. Bella inter Principes ſummos ſecundùm jus Gentium eſſe dirigenda, rectè dicente *Dione Pruſienſi*: *quòd inter hoſtes ſcripta quidem jura, id eſt, civilia non valeant, at valeant non ſcripta, ſeu ea, quæ natura dictat*,

---

* Quomodò & quando *innoxius tranſitus* poſſit parere jus naturæ, ſaltem minùs rigoroſum, infrà declarabitur *Tit.* V.

(a) De Jure Pacis & belli L. 2. c. 19. §. 3.

** Et in hoc ſolummodò ſenſu præſcriptionem & uſucapionem de jure naturæ eſſe, defendimus in Coll. Parte VIII. Q. 122. f. 408.

(b) L. 1. Princ. ff. de contrah. empt. *olim non ita erat nummus &c.*

dictat, aut Gentium conſenſu conſtituit.

Interpretatio juris Gentium. ℞. II. Ad effectum juris Gentium revocari poteſt ejus *interpretatio.* Hæc in dubio non malè petitur ex Scriptoribus probatis; in Scriptorum diſſidio præferendum judicium Recentiorum, eò quòd per uſum contrarium jus iſtud, in ſe *mutabile*, abrogatum præſumi poſſit. In dubio de actibus, ad introductionem hujus juris requiſitis, ajunt, *reſpectu plerarumque Gentium* requiri plures; *reſpectu ſingularum* ſufficere unum, ne difficilior fiat ejus probatio, cum non modico Rerumpublicarum detrimento.

Perſeverantia. ℞. III. Ad effectum juris Gentium reduci poteſt ejus *perſeverantia*, quæ per mutationem aboleri poteſt. *Ubi obſervandum 1.* Jus Gentium, *impropriè tale*, ſeu ſuſceptum *ſine ulla obligatione*, eſſe mutabile, uti per ſe liquet. Jus iſtud *Suarezio* noſtro eſt illud, quod Gentibus comune, *propter convenientiam plurium rationum in tali lege*, aitque, eſſe reſpectu Reipublicæ *merè civile*, dicique jus Gentium *impropriè*, vel propter relationem quamdam ad plures Gentes, vel propter propinquitatem cum jure naturali, quo jure niti affirmat v. g. *prohibitionem lupanaru, reſciſſionem venditionis injuſtæ in quocunque exceſſu &c.* (a)

Mutabilitas. *Obſervandum 2. Etiam jus Gentium, propriè tale, in ſe eſſe abſolutè mutabile:* quia eſt ſpecies juris arbitrarij, & poſitivi, uti oſtenſum ſuprà. *Neque refert 1. Quòd ex rationis dictaminibus* profluat: quia non profluit *per deductionem neceſſariam, ac evidentem*: ergo mutatis circumſtantijs *abſolutè* mutari poteſt. *Neque refert 2.* Quòd in noſtra ſententia à DEO firmatum ſit, trahátque obligationem à poteſtate, hominibus ſuperiore, ad inſtar juris Divini, authoritate humana immutabilis. Nam non trahit obligationem à DEO *abſolutè*, ſeu *irrequiſito homine*, uti jus Divinum; adeóque ſicut DEUS obligationem ſuo conſenſu non roborat, *niſi præſuppoſita Gentium voluntate*; ita ultra eandem voluntatem firmare jus Gentium non intendit.

Ex Gentium conſenſu. *Obſervandum 3. Jus Gentium* formaliter mutari non poſſe, *ſaltem ex toto*, niſi vel omnium Gentium, vel majoris partis aſſenſu. P. Nequit conſuetudo privata, à majori vel unanimi conſenſu Populi ſtabilita, mutari à privatis: ergo nec conſuetudo publica, unanimi vel majori parte Gentium firmata, ab una, alteráve Gente infringi poteſt: quia ſicut ſe privati habent ad communitatem; ita Gentes particulares ſe habent ad totam Gentium univerſitatem. Accedit, quòd utilitas communis, quam pro fine intrinſeco reſpicit jus Gentium, præferri debeat utilitati & commodo privato unius, alteriúsve, uti per ſe eſt manifeſtum.

Obſervandum 4. Jus Gentium neque mutari poſſe *ex parte*, niſi memorato Gentium conſenſu, contrà quàm aſſerat *Suarezius.* (b) *Ratio eſt*, quia obligatio communis, ſeu oriatur *ex conventione*, ſeu *ex legali conſuetudine*, invitis cæteris, aut cum præjudicio cæterarum, ſeu negligi, ſeu excuti nequit. Accedit, quòd, etſi utilitas ceſſaret reſpectu unius Gentis, non tamen deſinat reſpectu aliarum, adeóque nec deſinat obligatio. Exempla *Suarezij* mutationem non evincunt: nam, etſi Gens particularis in ſua ditione non utatur libertate comerciorum, quæ juris Gentium v.g. *comercia privatis interdicendo*; non ideò mutat jus Gentium: nam ſicuti hoc obligat *imediatè* ſolas Gentes, *quà tales*; ita obligatione *reſpectu alterius Gentis* deberet deſtitui, mutatum dici ut poſſet: atqui hoc ſine Gentium conſenſu fieri nequit. Exemplum de ſervitute, inter *Chriſtianos* ſublatâ, non videtur ſufficiens: quia, ùt habet non nemo, *Chriſtianæ Gentes* (ſiquidem *moratiores* ſolummodò in cenſum veniant) majorem ferè numerum conficiunt, ut adeò majoris, vel ſaltem ſanioris partis conſenſu mutuo jus Gentium, hac ex parte, mutatum eſſe, cenſeri queat. Sed veriùs jus Gentium, hac ex parte, *propriè* non eſt mutatum, ùt eſt *facultas Gentibus communis*: non enim *reſpectu Gentium* ſublata eſt, ſed ejus uſus inter *Chriſtianos* ſolummodò ceſſat, ſine ullo præjudicio; immò cum emolumento cæterarum Gentium. *Requiſita etiam ad mutationem ex parte.*

Quæritur IX. Quomodò probetur aliquid eſſe juris Gentium? *Modus cognoſcendi juris gentium.*

℞. I. *Cùm Grotio, Vitriario*, & alijs 1. Si contineat communem utilitatem, vel neceſſitatem inter omnes, aut ſaltem pleráſque Gentes. 2. Si pleræque Gentes, quæ ratione rectè utuntur, ſaltem in quantum hæc convenit cum com-

(a) L. 2. de LL. c. ult. n. 7. Tale jus adſtruit *Grotius* L. 2. c. 3. §. 5. *quod ait, non habere vim pacti inter Gentes, ſed eſſe jus civile plurium Gentium diſtributum, quod à ſingulis tolli poteſt.*
(b) L. c.

communi utilitate, vel necessitate, aliquid judicant, ipsóque usu declarant, esse juris Gentium.

Protestantium Moralistarum symptomata. Errores in principio cognoscendi juris suprà detecti.

Quæritur X. Quæ denique Moralistarum protestantium avia hac in materia?

℟. I. *Grotij, Puffendorfij*, aliorúmque, *socialitatis* vestigia legentium, erroneas ambages in principio juris naturæ, tam *essendi*, quàm *cognoscendi*; item in juris Gentium cum jure naturæ *confusione*, satis jam perspeximus in suprà dictis, ex quibus id unum hic repetimus: si in ipsis principiis utriusque juris jam aberratio tanta à veritate, in quos anfractus, labyrinthlque ambiguos recessus deducet tandem hæc semita? Id expertus *Thomasius*, qui socialitatis avia cùm decurrisset animositate *magis pervicaci*, quàm *rationabili*, tandem ineluctabili exitu offensus, relegit iter *Fleischero* Authore, (a) & *principio socialitatis insufficienti* adjunxit leges Divinas universales; sed & istarum quoque legum *insufficientiam* & ipse mox primus agoovit, aliósque edocuit, sic ut tandem ad regulas *justi*, *decori*, *honestíque*, *velut fundamenta disciplinæ hujus magìs universalia*, declinârit, eorum more, qui semel vagabundi per avia, viam quamvis obviam tentant, ut exitum qualemcuoque demum nanciscantur.

Alia quædam stria.

℟. II. *Quæ suppetunt ex Protestantium bivijs, magìs erroneis, strictim hic indicabimus.*

1. *Thomasius*, *de jure Gentium* rejecto *pacto* etiam *tacito*, sic argutatur: (b) *sed fortè mores utentium illo jure facient, ut jus Gentium sit jus non scriptum: fortè verò id non producent. Jus, non scriptum, extra civitatem non est. Consuetudo enim jus est ob tacitam Principis approbationem, quæ si deficiat, consuetudo dicitur facti. At tacita Principis approbatio inter Gentes ubi?* Respondemus, *à DEO*, ùt immediato liberarum Gentium Principe, & supremo *Gubernatore*.

2. Omitti nefas *Laurentij Fleischeri* paradoxa, quibus institutiones juris naturæ & Gentium non ita pridem ex malè reformato *Thomasio* illustravit, ut appareat, quanta in hanc nobilissimam disciplinam sint oonnullorum Protestantium metita. Statuit ille: (c) Præcepta naturalia ooo esse *leges propriè dictas*, sed *mera consilia, monita paterna*; rationem, sibi relictam, ignorare conceptum DEI, taoquam *Legislatoris* ac *Domini*, sed *solius Patris*, ac *Doctoris*; conceptum DEI, tanquam *Legislatoris* & *Domini*, non producere in homine, nisi *metum servilem*; (d) legem naturæ esse *dictamen rationis tranquillæ*, & differre à legibus alijs, quòd ijs mens homiois oon teddatur *tranquilla*, sed *cauta*, ne exterois actionibus turbet Rempublicam; legem naturæ, *propriè talem*, taotùm complecti præcepta moralia, quæ fluunt ex regulis *justi*, seu officia erga alios, ne turbemus socialitatem externam; ea, quæ fluunt *ex regulis honesti*, *vel decori*, seu officia erga se *interna*, & *externa humanitatis*, pertinere ad Ethicam & Politicam; (e) præcepta *negativa* fluere ex regulis *justi*; *affirmativa* ex regulis *honesti* & *decori*. Vagam libidinem ooo pugnare cum regulis *justi*; incestum non repugnare juri naturali, *strictè dicto*, sed rectiùs ab eo abstineri, & peccaturum Magistratum, si eum *promiscuè* permitteret &c. (f) Objectiooi, quòd hæc doctrioa de meris consilijs *sit periculosa, gignat libertatem effrenem, magísque homines atheos, ac contemptores Divinæ voluntatis efficiat, quàm ut eos emendet, & ad veram ducat felicitatem*, reponit: *quæso, quibus hominibus datum est jus naturæ? Omnibus quidem, sed qui ita debent esse comparati, ut incipiant sanâ ratione uti. Qui enim brutorum instar vivunt, non desinunt desipere, si ipsis proponas, jus naturæ producere obligationem internam; immò si maxime exclamet, leges Divinas esse leges propriè dictas, & producere obligationem quoque externam.* (g) Ita *Thomasius* in secundis curis, & ex eo *Fleischerus*. Sed quid possit esse inconveoieotius?

SOLI DEO GLORIA

ELEN-

(a) In præf. ad instit. J.N. & G.
(b) De Jurispr. Divin. L. 1. c. 2. n. 109.
(c) L. 1. c. 5.
(d) §. 55. 61. 70. 103. 69.
(e) §. 67. 95. 100.
(f) §. 91.
(g) §. 71. 72.

ELENCHUS POSITIONUM,

Quæ continentur in primæ partis Elemento primo de Jure naturæ, & Gentium.

I. PRima omnis juris, jurisdictionis, ac legum origo est *Creator, summúsque Legislator DEUS.* 1. f. 1.

II. Origo juris publici universalis est naturali jure posterior. 2. Progressus successivus ad usque hodieroos apices admodùm politos. 4. f. 1.

III. Jurisprudentia publica universalis distinguitur *à Politica* ex objecto saltem formali. 2. *A Ratione status.* 3. *Ab Ethica.* 4. Et *à Theologia morali.* 8. f. 2.

IV. Constitotiva Jurisprudentiæ publicæ & universalis primaria ac propriè talia, sunt *Jus Naturæ & Gentium:* reductivè etiam *Jus Divinum positivum, & humanm.* 12. f. 3.

V. Constitutiva Jurisprudentiæ naturalis, intrinseca & propriè talia, non sunt illa tantùm principia, quæ dirigunt officia hominis *ad hominem*, ac *societatem.* 2. Sed etiam illa, quæ dirigunt officia hominis *ad DEUM*, ùt Authorem Naturæ, & *ad seipsum* in ordine ad felicitatem, vitæ rationali propriam, ac completam. 13. f. 4.

VI. Inter adjumenta Jurisprudentiæ naturalis rectè ab Orthodoxis adsciscitur *Jus positivum, & Theologia moralis.* 21. f. 6.

VII. Homo ab ipso DEO fuit creatus in statu, conformiter ad finem creationis perfecto. 26. f. 7.

VIII. Homini in naturalibos recto, atque perfecto, à DEO fuêre superaddita dona supernaturalia gratiæ. 2. Et qoidem probabiliùs in primo creatioois Instanti fuit eidem infusus habitus gratiæ saoctificantis. 31. f. 8.

IX. Naturæ & gratiæ donis accesère plura alia privilegia, & dona DEI quasi extrinseca, præcipuè specialis DEI providentia, & origioalis justitia. 37. f. 8.

X. Propagatio humani Generis fuisset etiam in statu naturæ integræ. 37. f. 10.

XI. Probabilior est sententia, quæ statuit, homines in statu naturæ integræ, si diutiùs durâsset, habituros fuisse *societatem quamdam Civitatis*, seu *Regni politicam.* 40. f. 10.

XII. Hoc non obstante in statu naturæ integræ conservanda tamen fuisset, suo mddo, *primæva quadam rerum communio*, nullâ necessariò inductâ tam stricta divisione, privatisque dominijs. 43. f. 11.

XIII. In statu oaturæ integræ vita, majori ex parte, futura fuisset *contemplativa*, cum aliqua tamen moderata actiooe mixta. 45. f. 12.

XIV. Etsi *Adamus* non peccâsset, potuissemus tamen nos peccare. 46. f. 12.

XV. *Status naturæ puræ* saltem fuissec possibilis. 2. In eo tamen homini non potuisset à DEO præfigi *finis, merissimè temporalis.* 47. f. 12.

XVI. Beatitudo naturalis, in statu naturæ puræ, sufficienter fuisset *rectus*, etsi *creatus cum concupiscentia luctante adversùs spiritum.* 54. f. 14.

XVIII. In statu naturæ puræ, sicut fuisset *libertas, & peccati occasio*, ita & fuisset *peccatum.* 56. f. 14.

XIX. *Propagatio humani Generis, & ratio vitæ civilis*, in statu naturæ puræ, eodem modo obtiouisset, quo in statu naturæ lapsæ. 57. f. 15.

XX. Essentia peccati originalis, *quà actualis*, consistit in *peccato Adami præterito, quatenùs istud est moraliter nostrum; quà habitualis* autem in eodem, *quatenùs est moraliter posterorum.* 58. f. 15.

XXI. Existentia peccati originalis, tam actualis quàm habitualis, datur in *omnibus Adæ Posteris, exceptâ solâ Immaculatâ.* 60. f. 15.

XXII. Pœnæ peccati origioalis fuêre *quò ad animam privatio gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum supernaturalium &c.* 2. *Quò ad corpus*, mors, morbi, dolores, & passiones aliæ afflictivæ. 3. Quibus additæ pœnæ, *quasi extrinseca.* 63. f. 16.

XXIII. An *natura lapsa* per originale sit facta *debilior*, problema esto. 66. f. 12.

XXIV. Gentilibus, quibus, *absque culpa*, est incognita vera religio, si quidem servent legem naturæ, salutis spes superest. 70. f. 18.

XXV. Notitia, de triplici naturæ statu, est scitu digna & utilis, propter plurimos errores Acatholicorum; nominatim *Pelagij, Massiliensium, Lutheri, Calvini, Baij, Jansenij, Puffendorfij cum suis Amanuensibus, Gulielmi de Muelen &c.* 74. f. 19.

naturalis juris principia plurimùm illustravit, ac perfecit. 173. f. 44.

XLV. Sanctorum Patrum studia disciplinam juris naturæ, & Gentium, plurimùm illustrârunt, & quidem *absque confusione*. 2. Quod ipsum etiam fecêre Scholastici orthodoxi. 3. Contrà quàm nugantur protestantici Moralistæ. 177. f. 45.

XLVI. Censuræ protestanticæ, de Scholasticorum, & Jesuitarum præcipuè studijs, veluti *doctrinæ morum, & disciplinæ juris naturæ perniciosis*, eorundem Censorum seu inscitiam, seu malignitatem; veriùs utramque simul, coarguunt. 2. Nam isthæc studia disciplinam juris naturæ non quidem *seorsim* ac *privativè*, quod minùs necessarium; *concomitanter* tamen coluêre semper, & quod magis proficuum, doctrinæ morum *Christianæ* subordinârunt. 191. f. 48.

XLVII. Juris tam Civilis, quàm Canonici placita juri naturæ ac Gentium *multum claritatis* affuderunt, secùs ac venditant quidam Critici protestantici. 197. f. 50.

XLVIII. Culturam juris Naturæ & Gentium deberi reformationi litterariæ ævo protestantico, nonnullorum vaniloquentia est. 2. Nam sic dicta reformatio protestantica, *per sua principia*, adeò nihil contribuit ad disciplinam juris Naturæ, & Gentium illustrandam, ut eandem potiùs fœdârit, penitùsque corruperit. 205. 219. f. 52. & 55.

XLIX. Etsi Moralistæ protestantici, posteriores Reformatore suo, minùs proterant omnem potestatem, saltem politicam, legésque conculcent; sæpe tamen & ipsi plurimùm olent *Lutherum*, eique coævum *Machiavellum*, naturæ juri injurium. 224. f. 56.

L. *Hugo Grotius*, sicut erat ingenio acutus, ita de disciplina juris Naturæ & Gentium in multis est bene meritus, nec Protestantium elogijs indignus; immò dignior *respectivè* ipsomet *Puffendorfio*, & *Thomasio*. 2. Ejus tamen partus, *de Jure Belli & Pacis*, est admodùm defectuosus, & erroribus etiam heterodoxis respersus, adeóque meritò inter libros, *Orthodoxis prohibitos*, recensitus. 227. f. 57.

LI. *Thomas Hobbesius* est Author pestilens in moralibus, atque politicis, cujus partus *de Cive*, *ac Leviathane*, inter *Machiavellicos* abortus meritò sunt relati, atque proscripti. 2. Ut adeò nullo honore *Puffendorfius*, cum nonnullis, eidem inter protestanticos doctrinæ moralis Reformatores qualemcuoque locum indulserit. 239. f. 60.

LII. *Puffendorfii* liber, *de Jure Naturæ & Gentium* (uti & hujus epitome *de officio Civis ac hominis*) quò ad systema disciplinæ dogmaticæ, suis encomiis non est indignus. 2. *Quò ad doctrinam* est admodùm defectuosus; protestanticè corruptus, & ideis, in fide erroneis, malignè conspersus, adeóque Juventuti Catholicæ periculosus ac perniciosus, meritóque inter libros prohibitos rejectus. 253. f. 64.

LIII. *Thomasius* in stätera Catholica, quò ad pleraque est ejusdem cum *Puffendorfio* ponderis, prœrisque politici. 2. Quò ad non pauca est minoris; ut adeo *Fleischeri* elogia, In *Thomasium* tam liberaliter congesta, ad auxesin Rhetoricæ protestanticæ meritò referantur. 3. Unde fluit *necessitas* conscribendi institutiones hujus disciplinæ Catholicas, saltem pro Academica ætate. 281. f. 71.

LIV. Actûs humani proprietas est *voluntarietas*, & *libertas*. 2. Metus non tollit voluntarietatem actûs imperantis vel imperati, *saltem simpliciter*, sicut neque vis, seu violentia. 297. f. 76.

LV. Concupiscentia non tollit voluntarium *simpliciter*, etsi possit tollere libertatem. 2. Spectatâ ratione, quandoque causat involuntarium *secundùm quid*, etsi plerumque causet, immò intensiùs augeat voluntarium. 300. f. 77.

LVI. Ignorantia *antecedens* causat involuntarium saltem *negativè*. 2. *Concomitans* nec causat *positivè* voluntarium, nec involuntarium. 3. *Consequens* causat voluntarium saltem *indirectè*. 302. f. 77.

LVII. In statu naturæ lapsæ evidenter datur *libertas indifferentiæ*. 2. Libertas immediata formalis actûs imperati non tollitur per actom imperantem solùm inefficacem. 3. Nec per efficacem, nisi ponatur actus efficaciter imperans, pro eodem instantia distinctus, & naturâ prior ad actum imperatum. 4. Quò ad libertatem actuum est multiplex error prostestantium Moralistarum. 306. f. 78.

LVIII. Moralitas actûs humani habetur partim per libertatem indifferentiæ; partim per advertentiam ad regulam pri-

ad

ad finem sui status, in quo à DEO constitutus est. 440. f. 112.

LXXV. Datur beatitudo aliqua objectiva Creaturæ rationalis. 2. Estque possibilis *merè naturalis* sistendo in statu solius naturæ. 3. In genere Beatitudo hominis objectiva, *etiam naturalis*, nequit esse una aliqua creatura *seorsim*; nec *collectio omnium*. 4. *In specie* perfecta felicitas, seu beatitudo nequit consistere in bonis *extra animam*, seu externis; nec in bonis *circa animam*, seu corporeis; vel etiam *intra animam*, hoc est, scientijs seu virtutibus. 5. Sed in *solo DEO absolutè* loquendo; immò & *respectivè*, seu considerato solo statu Naturæ. 446. f. 113.

LXXVI. Ex natura actuum humanorum, bonorúmque creatorum probari potest, objectivam hominis beatitudinem esse DEUM. 2. Unde beatitudo formalis Creaturæ rationalis consistit *in cognitione*, & *amore DEI*, statui suo proportionato. 3. Beatitudo formalis pro statu hujus vitæ nequit esse perfecta, sed merè inchoativa. 453. f. 115.

LXXVII. Est principium, *lumine naturæ notum*, hoc Universum non esse à casu. 2. Dari item aliquod Numen, sub ratione *Entis primi*, atque *supremi*, seu Authoris hujus Mundi, ac Gubernatoris summi. 3. Item dari aliquod Numen sub ratione Legislatoris supremi, Entia omniscij, justi ac providi, quod mala puniat, bona præmiet, atque remuneretur. 456. f. 116. & 17.

LXXVIII. Etsi non sit principium, *lumine naturæ notum*, *qualis* sit DEUS; *evidenter* tamen ab homine, rationis compote, & cujus cor per scelera non est obscuratum, erui potest, non esse, nisi *unicum DEUM*. 456. f. 117.

LXXIX. Est principium, *lumine naturæ notum*, felicitatem, vitæ hujus terminis conclusam, non posse esse *finem sufficientem*, & *adæquatum* actionum moralium, seu *in particulari*, seu *in communi*, respectu totius Reipublicæ. 2. Hinc simile principium, *lumine naturæ notum* est, animam rationalem non esse *mortalem cum corpore*, sed manere superstitem, saltem ad pœnam, vel præmium. 3. Et licèt positiva & naturalis immortalitas animæ *in se* non sit ipso lumine naturæ nota; nec ratione intrinseca tam *manifestè* demonstrabilis, est tamen *ex ratione* cuivis, rationis compoti, *evidenter innegabilis*. 465. f. 118.

LXXX. Etsi beatitudo alterius vitæ sit inter prima principia, *natura lumine* cognita, *quò ad existentiam*, seu *quòd sit*; non tamen est taliter cognita *quò ad essentiam*, seu *qualis sit*, nisi sub prædicato generico felicitatis perfectæ, & quietantis. 467. f. 119.

LXXXI. Non est possibilis in homine, plenæ rationis compote, etiam ad breve tempus, *invincibilis* ignorantia DEI, saltem sub prædicato confuso, & convertibili potestatis efficaciter obligantis, Entis superioris, Legislatoris, potentis mala punire, & præmiare bona. 2. Etsi aliquo tempore possibilis sit sub alijs prædicatis explicitis v. g. *Deitatis*, *Entis à se*, *unius*, *infiniti* &c. 3. Non est possibilis in homine, plenæ rationis compote, etiam ad breve tempus, *invincibilis* ignorantia Juris naturalis, quò ad prima principia, aut alia, cum primis *evidenter* connexa. 4. Possibilis tamen est, & frequenter datur ignorantia *invincibilis* circa alia, jure Naturæ seu prohibita, seu præcepta. 467. f. 119.

LXXXII. *Puffendorfius* cum suis, spectato statu meritimè naturali, pro fine actionum ultimato & adæquato, adstruit non nisi felicitatem, hujus vitæ terminis conclusam. 2. Sed adstruit errore, etiam à suis Theosophis rectissimè culpato. 3. A semalè defenso. 4. Quia naturalis juris eversivo. 5. Periculoso ac pernicioso, neque parùm olente pestiferum *Epicurismum*. 482. f. 122.

LXXXIII. Æquè malè asserta, pejùs defensa, quia naturalis juris eversiva, periculosa, ac perniciosa thesis est *Puffendorfij*, qua ait: *Religionem, quatenus ad disciplinam juris naturalis pertinet, intra sphæram hujus vitæ terminari*. 492. 125. 2. Pariformiter malè asserta, quia falsa, pejùs excusata, quia periculosa thesis est *Puffendorfij*, qua disciplinam juris naturalis *primariò*, & *maximam partem* ad externa, non verò interna, dirigendam esse statuit. 497. f. 125. 126. 3. Denique *Puffendorfius* malè negat, saltem *absolute*, habitus primorum principiorum moralium, naturæ hominis connatorum, etsi eos in Adversariorum suorum sensu non malè redarguat. 505. f. 128.

tem, naturæ rationali propriam, necessario. 603. f. 153.

XCIII. Hinc non satisfacit principium, penes Theologos, & Jureconsultos hactenus receptum, quo dicunt, illud esse *naturæ jure* præceptum, vel prohibitum, *quod ad felicem statum naturæ humanæ simpliciter expedit esse præceptum, vel prohibitum, licitum, vel illicitum*: illud autem expedire, vel non expedire *simpliciter*, *in cujus licentiam vel prohibitionem homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authore naturæ requisiti suffragium tulissent.* 645. f. 163.

XCIV. *Principium socialitatis Puffendorfianum* est principium proprietatibus debitis destitutum, adeóque illegitimum. 2. Spectatis suis suppositis est etiam reprobum, adcóque nullatenùs cognoscendo naturæ juri accommodum. 3. A qua censura nec *Thomasii*, *Weberi*, *Henningij*, *Bæhmeri*, nec alij Apologetæ protestantici, id rectè vindicant, vel absolvunt. 651. 659. & 668. f. 155. 167. & 169.

XCV. Longè minùs satisfaciunt alia principia, pene non tot quin plura, quæ Moralistæ recentiores, maximè protestantici, passim in publicum proferunt. 674. & 683. f. 170. & 173.

XCVI. Datur jus Gentium. 2. Et quidem à naturæ jure distinctum. 3. Non unâ differentiâ specifica, sed multiplici. 4. Ex quibus fluit multiplex quoque error Moralistarum, maximè protestantium. 687. 703. f. 174. 178. 5. Etsi jus Gentium *specifice* differat à jure naturæ, in aliquibus tamen convenit, habétque specialem cum jure naturali propinquitatem. 6. Est insuper *specificè* distinctum à jure civili. 712. f. 180. 7. Origo juris Gentium *causalis* est satis explorata. 8. *Formalis* verò satis incerta. 714. f. 180.

XCVII. Jus Gentium multis Authoribus dicitur *conventio tacita, qua Gentes, quà tales, obligatione mutua consociantur in ordine ad ea, quæ ad communem ipsorum felicitatem pertinent.* 716. f. 181. 2. Juxta communiorem tamen Authorum definitur esse *ordinatio rationis, diuturnis Gentium moribus, ad communem utilitatem Gentium, quà talium, constituta, & summi humanarum politiarum Principis consensu approbata.* 720. f. 182.

XCVIII. Etsi utraque definitio sit satis commoda, nos tamen posteriorem, ùt minùs incommodam, *in sensu debito*, præhabemus. 2. Dicimúsque, jus Gentium esse *ordinationem rationis, longævo Gentium usu, Deique, ùt Societatis humanæ Gubernatoris immediati, consensu inductam ad Gentium, quà talium, publicam felicitatem.* 723. f. 183.

XCIX. Jus Gentium, etsi satis distinguatur, multam tamen habet affinitatem cum jure consuetudinario. 725. f. 183. Exoleta est divisio juris Gentium in *primævum*, & *secundarium*. 2. Nulla in *universale* & *particulare*. 3. Impropria in *proprium* & *improprium*. 4. Superflua in *scriptum* & *non scriptum*. 5. Legitima in *affirmativum* & *negativam*. 726. f. 183. 6. Objectum juris Gentium *in genere* est omne id, quod *ex fine suo* tendit ad convenientem communicationem, & emolumentum Gentium, quà talium. 7. *In specie* est primæva rerum, Gentiúmque divisio. 729. f. 184.

C. Effectus juris Gentium est *legalis*, seu *obligatio* in conscientia, qua Gentes communibus sancitis morem gerere tenentur. 2. Item interpretatio, perseverantia, mutabilitas &c. 737. f. 3. Etiam circa jus Gentium in plura avia declinant protestantici Moralistæ. 737. f. 186.

ERRA-

ERRATA

Benevolus Lector ita corriget.

Tempore	lege	p. 1. tempori. f. 2. lin. 20. b.
fundani		fundandi. p. 1. f. 7. l. 12. Not.
dominum.		dominium. p. 1. f. 11. l. 20. a.
dam.		Adam. p. 1. f. 21. l. 17. not.
No		Noe. p. 1. f. 22. l. 7. not.
Idololatia		Idololatriæ. p. 1. f. 28. l. 7. b.
Kicherus.		Kircherus. p. 1. f. 28. l. 7. b.
Flücht-Wörther		Flich-Wörther. p. 1. f. 32. l. 16. not.
quatuor.		tria p. 1. f. 39. l. 12. b.
opinionet		opiniones. p. 1. f. 54 l. 12. a.
præpositio		propositio. p. 1. f. 103. l. 7. not.
afferet		afferret. p. 1. f. 104. l. 15. a.
quiquid; ff-		quidquid. p. 1. f. 109. l. 33. a.
Jullij		Julij. p. 1. f. 120 l. 10. b.
.		, p. 1. f. 122. l. 19. a.
constitutum		constitutam. p. 1. f. 125. l. 30. a.
Jutis		Juris. p. 2. f. 120. l. 29. b.

PARS II.

ELEMENTUM
SECUNDUM
PARTIS I.
DE
JURE NATURÆ,
SEU
TRACTATIO
SPECIFICA
DE
OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM, SE IPSUM, ET PROXIMUM, JURE NATURÆ PRÆSCRIPTIS,

Ad normam Moraliſtarum noſtri temporis,

Maximè

PROTESTANTIUM,

Adornata,

Et pro Studio Academico,

Præſertim

CATHOLICO,

Accommodata.

INSTITUTIONUM
JURIS UNIVERSALIS,
NATURÆ PRÆSERTIM
ET GENTIUM

Partis I.

PARTIS I.

De Jure Naturæ Elementum II.

DE JURE NATURÆ ELEMENTUM II.

Titulus III.

TITULUS III.

De Officiis erga Deum.

De Officiis hominis erga Deum.

Instructio I.

INSTRUCTIO I.

De Religione naturali.

§. I. De Religionis naturalis propositionibus Theoreticis.

§. I.

De Religionis naturalis prima parte, seu notitia Dei.

Officium hominis in genere.

Q*Uæritur I. Quid & quotuplex officium hominis?*

℟. I. *Officium* in genere, sensúque latiore, est *quævis actio directa ad suum finem*: unde, cùm hominis finis sit *beatitudo in genere*, officium hominis proprium est, *per suas actiones tendere ad consecutionem hujusce finis*, ùt initio diximus. Porrò quia hominis, in naturali statu considerati, finis est felicitas non qualiscunque, uti constat ex dictis; sed *rationali naturæ propria*; quæ *primariò* & *formaliter* sita est in conjunctione cum Deo Creatore *per cognitionem & amorem, statui huic proportionatum*; *secundariò* autem & *integraliter* consistit in tranquillitate secum ipso, ac pace cum proximo, ultrò consequitur, officium hominis, in statu naturali, esse, *actiones suas dirigere ad hunc finem*, seu *tendere ad consecutionem hujus felicitatis*.

℟. II. *Officium* in specie, sensúque pressiore, est *actio hominis*, non *qualitercunque*, * *sed ex præscripto legis directa ad finem*, *In specie respectu Juris naturalis.*

* Unde animadvertit *Heineccius* in elementis J. N. & G. l. 1. c. 5. §. 121. f. m. 92. *Officium* non facere eum, qui sibi ipsi, quod lex non præcipit, imperat v. g. *se mutilando ex bono fine*; vel qui

finem, seu *est actio ex debito legibus conformanda*: unde patet, officium hominis, pressiùs sumptum, fundari *in lege*, seu *obligatione*, sic ut ex juribus fluant officia, non jura ex officiis. Patet, cùm officii norma sit *lex*, lex verò vel *Divina*, vel *humana*; Divina denuò *naturalis*, vel *positiva*, juxta varietatem legum nasci quoque *officium multiplex*. Patet, cùm legis naturalis finis sit felicitas, dependens ab objecto triplici, *Deo* nempe, *semetipso*, ac *proximo*, *triplex* quoque esse *officii* genus, proprium hominis, in naturali statu considerati, sic ut alia officia *respectu Dei*, alia *respectu sui ipsius*, alia *respectu proximi* præstanda, ipsi incumbant; de quibus jam suo ordine agendum.

Officia hominis

Quæritur II. Quid, & quotuplex officium hominis erga Deum?

Erga Deum,

℞. I. Officium hominis erga Deum est *actio*, *ex debito conformanda legi naturæ*, *præcipienti Religionem erga Deum*, *in quantum quidem naturalis ratio eam consequi potest*. Hæc porrò Religio naturalis *Puffendorfio duabus partibus* absolvitur, *tum ut de Deo rectè sentiamus*, *tum ut actiones nostras ad ipsius voluntatem componamus*. (a) Inde

Duplicis generis.

℞. II. Cum eodem, *Religionem naturalem*, constare propositionibus tum *theoreticis*, tum *practicis*, hoc est, notitiâ Dei, & cultu, ut adeò *duplicis generis* officia homini, *respectu Dei*, incumbant, *de Deo rectè sentire*; *modò debito Deum colere*.

Nixa duplici fundamento.

℞. III. *Fundamentum primum*, in quo fundatur religio hominis erga Deum, habetur *ex illa essentiali dependentia* hominis à Creatore, quæ notat beneficium *creationis*, *conservationis*, *& gubernationis*, unde fluit amor, *quàm maximè debitus*, *ac simpliciter* necessarius, tanquam *principium*, à quo officia religionis cætera & eruuntur, & cognoscuntur. *Fundamentum alterum* habetur *ex Dei perfectionibus cæteris*, quantum eas assequi potest humana ratio, præcipuè ex universali *providentia*, *justitia* &c. Ex quibus fluit Deum amore *dignissimum*, ejusque cultum esse *justissimum*.

Officia theoretica, seu notitia de Deo.

Quæritur III. Quid de Officiis theoreticis sentiendum?

℞. I. *Hæc* de Deo *notitia* partim est præsupposita ad jus naturæ, partim sub eo, ejusque officiis est comprehensa.

Partim est præsupposita

Notitia præsupposita, hominique insita ex primis principiis, lumine naturæ notis, est 1. Mundum non esse *à casu*, sed dari *aliquod Numen* sub ratione *Entis primi*, seu Authoris; item sub ratione *Entis supremi*, seu Gubernatoris; rursum sub ratione *Entis justi*, ac *providi*, seu Legislatoris omniscii, mala quæque interna perspicientis, punientis, & bona præmiantis.

ad jus naturæ.

Est. 2. *Felicitatem*, hujus vitæ terminis conclusam, non posse esse *finem hominis sufficientem*, *& adæquatum*, adeòque animam *non esse mortalem* cum corpore, sed manere superstitem saltem ad pœnam vel præmium. Jam sic: Jus naturæ est *ordinatio D. Sapientiæ*, per dictamen naturæ rationali manifestata, *efficaciter obligans* ad facienda rationi consentanea, & ad vitanda dissentanea: ergo hæc notitia ad jus naturæ, & exinde fluentia officia, ex primis principiis, est *præsupposita*, uti supra jam demonstravimus. (b)

Partim sub eo est comprehensa.

Notitia de Deo *amplior*, quoad ejus essentiam, atque perfectiones, *ut rationis adminiculo obvio*, *facilique habenda*, quam *acquisitam vulgarem* dicimus, cadit sub jus naturæ, estque officii humani, quod sic ostenditur. Etsi notitia ipsa sit actus intellectûs, notitia tamen, *ut obtinenda*, *parandaque obviis mediis*, involvit actum voluntatis: ergo etsi ipsa notitia *in se*, *& specificativè* sumpta, cadere nequeat sub jus naturæ, notitia tamen, sumpta *reduplicativè*, cadere potest sub jus naturæ, esseque officii humani: atqui cadit, & est, ùt mox videbimus.

Utraque notitia suo modo est propria Jurisprudentiæ naturali.

℞. II. *Utraque hæc notitia propriè spectat ad disciplinam Jurisprudentiæ naturalis*, *contrà quàm acatholici Moralistæ passim statuunt.* De notitia posteriore constat, cùm propriè sit juris naturæ, ejus acquisitionem imperantis. De priore seu præsupposita P. 1. Ex eo, quòd illa principia sint præsupposita *ad jus naturæ*, non sequitur, quòd sint quoque præsupposita *ad disciplinam juris naturæ*; sicuti ex eo, quòd principia logica *dictum de omni & nullo*, sint præsupposita ad *syllogismum*, non sequitur, quòd etiam sint præsupposita *ad Dialecticam*: ergo sicut hæc principia sunt Dialecticæ propria, *quia fundamenta syllogismi*, ita & illa sunt naturalis Jurisprudentiæ propria, *quia fundamenta Juris naturæ*.

P. 2. Etsi notitia illa de Deo sit, *suo modo*, propria Theologiæ naturali, est tamen *alio modo* quoque propria Juris-

---

aliquid facit, *cujus lex cessavit* v. g. sacrificiis animalium Deum placando; vel qui aliquid facit, quod quidem lex præcipit, sed alteri: v. g. Officium Judicis occupando, cùm solummodò sis Advocatus.

(a) De officio hominis &c. c. 4. §. 1.

(b) Tit. 1. Instruct. 5. §. 3.

Jurisprudentiæ naturali: ergo hæc nihil mutuat ab illa, & neutra confunditur. A. P. Notitia illa eſt *propria* Theologiæ naturali, ùt ſpectat actiones religionis dirigendas *ex motivo* devotionis ùt pias; contrà Jurisprudentiæ naturali eſt *propria*, ùt fundat actiones religionis, dirigendas *ex motivo juſtitiæ*, ſeu ùt *naturaliter debitas*; ergo utrique diſciplinæ eſt quidem *materialiter* propria, ſic tamen, ut *formaliter*, ſeu *in fine*, maneat *ſufficienter* diſtincta, uti mox initio declaravimus. (a)

Contrà quàm paſſim ſtatuunt Proteſtantes.

℞. III. *Ex his deducitur multiplex Proteſtantium error.*

I. *Puffendorfii*, qui in gratiam *formoſæ Socialitatis*, à diſciplina juris naturæ & Deum & officia hominis erga Deum, *ſequeſtravit*, relegando ad Theologiam naturalem, etſi alibi *indirectè* ſaltem tetigerit. II, Ejus anagnoſtis *Weberi*, qui notitiam de Deo cum ſuis officiis Theologiæ naturali *directè* tractanda permittit, & non niſi, per modum *hypotheſees*, ad naturalem jurisprudentiam transferenda aſſerit. III. (b) *Kemmerichii* enucleatoris, qui & ipſe hanc de Deo notitiam Theologiæ naturali tranſcripſit, eò quòd ſit *actus intellectûs; jus naturæ verò leges non intellectui, ſed voluntati præſcribat, neque veritates, vel opiniones intellectûs, legibus ſubjaceant, aut pœnis vel præmiis corrigantur.* IV. *Thomaſii*, qui, cùm naturalem religionem, cum ſuis officiis, *ad figmenta* rejeciſſet, ait, deductionem omnem *pertinere ad Dominos Theologos, ſic ut toto capite de officiis erga Deum, tanquam à Jurisprudentia alieno, ſuperſedere potuiſſet. In ſecundis tamen curis* (c) ſeſe corrigit, & officiis erga Deum in naturæ jure *locum ultimum* tribuit, ſic ut tractandas eſſe velit 1. *doctrinas de dogmatibus ſapientum* de DEO, collatis cum opinionibus ſtultorum. 2. *De neceſſitate cultûs externi* intuitu ſtultorum, vel etiam ſapientum, ut exemplo ſuo ſtultos excitent. 3. *De neceſſaria directione ſapientum*, intuitu hujus cultûs. 4. *De ſapiente temperamento ſapientis*, ita accommodandi ſe in præſcribendis ceremoniis cultûs externi ad captum ſtultorum, ut nec athei ſcandalum (propter ſuperſtitiones craſſiores) capiant, nec ſuperſtitioſi in ſuperſtitione creſcant; multiplicatis nempe ceremoniis. 5. *De jure Principum circa ſacra*, & cautelis, ne ſubigantur à Sacerdoribus; neve tyrannidem ipſe agat in conſcientias; aut nimium indulgeat iis, qui ſub prætextu conſcientiæ ſuæ turbas movent in Republica. 6. *De fructu hujus prudentiæ*, ne incidat in ſervitium Doctorum papiſticorum, ſaltem æquivalenter, cùm *papiſmus* reverà nil aliud ſit, quàm *dominatus in Magiſtratum politicum ſub ſpecie pietatis.* 7. *De neceſſaria dependentia* Sacerdotii & doctrinæ ab imperio civili &c. Hæc phantaſmata proteſtantica, *reſpectu ſtultorum* & *ſapientum, an Thomaſius* rectè tractaverit, ut *in curis ſecundis ſecundo intentionaliter ſapientem* ſeſe demonſtraret, ipſimet Proteſtantici judicent: Naturaliſtas orthodoxos his non movebit, niſi forſan ad ſtomachum. V. *Friderici Ludovici*, qui & ipſe quidem *ad jus naturæ* rectè præſupponit prima *de Deo exiſtente* principia, eò quòd, *in omni ſpecie juris*, Legislatoris exiſtentia, non ex lege, ſed lex ex præſuppoſita Legislatoris exiſtentia, probari debeat. Quòd autem hæc principia à Theologia naturali mutuanda eſſe affirmet, non perſuadet, ſiquidem ea, ùt Jurisprudentiæ naturali propria, ſupponuntur eſſe *prima*, *ac nota per ſe*, adeóque Theologicæ demonſtrationis haud indiga. Cætera quidem notitia, *de Dei eſſentia*, Theologiæ naturali *ſpecificativè* eſt propria; ùt autem cadit ſub imperium voluntatis, & neceſſariò eſt indaganda, Jurisprudentiæ naturali eſt propria, ùt diximus, & infrà ampliùs dicemus.

Quæritur IV. Qua ratione jus naturæ verſetur circa hanc de Deo notitiam?

Notitia de Deo prima & præſuppoſita, refertur ad jus naturæ negativum.

℞. I. Circa notitiam *præſuppoſitam*, & *à natura inſitam*, quæ conſiſtit in primis juris principiis *de Deo exiſtente, omnium Creatore, provido, juſto; de hominis fine ſeu felicitate animæ non mortalis &c.* Jus naturæ verſatur *negativè*, * prohibendo *Atheiſmum*, ac *Epicuriſmum*, ſeu depravationem cordis, huic naturæ lumini refragantis, Deum negando cum *Atheis*; animam cum corpore mortalem adſtruendo cum *Epicurais*. Patet: quia utrumque hoc vitium evertit *funditus* ipſum primum juris naturalis fundamentum, *amorem* nempe,

(a) In proleg. Inſtruct. 1. §. 3.
(b) In notis ad *Puffendorfium* de officio hominis l. 1. c. 3. §. 13. n. 6.
(c) Fundam. J. N. & G. l. 2. c. 1.

* Dicitur *negativè* potiùs, quàm *poſitivè præcipiendò*, Deum *cognoſcere* & *credere*, uti vult *Wernherus* c. 8. §. 9. Cùm enim ipſa principii evidentia intellectum rapiat ad aſſenſum, opus non eſt imperio voluntatis, niſi ut notitia hæc conſervetur, hoc eſt, *propriè* loquendo, ne perverſitate cordis obtundatur, & repellatur.

nempe, *Deo naturaliter debitum, & ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessarium.* Evertit *finem*, seu *felicitatem, naturæ rationali propriam*, tam primariam, sitam *in Dei cognitione* & *amore*, quàm secundariam, consistentem *in publica salute*, quæ, stante tam execranda impietate, stare salva non potest. Unde

Circa hanc notitiam error Hobbesii de Atheismo.

Erravit 1. *Hobbesius*, de Atheismi stigmate suspectus etiam suis, dum Atheos *imprudentiæ* solùm, non item *injustitiæ* reos agit. (a) Quasi verò *jus naturæ* non infringerent, qui, manifesto lumini rebelles, cœca cordis perversitate, ipsam Deo existentiam, bonum essentialiter debitum, auferunt, & sic prima quoque juris principia convellunt.

Erravit 2. Dum atheos, Dei existentiam, adeóque & legem negantes, sub imperio Dei esse inficiatur, *eò quod nemo summum imperium habeat, quod non sit ei nostro consensu delatum.* (b) Quid insulsiùs? quasi verò Dei imperium *consensu hominis* constabiliretur.

Erravit 3. Dum Dei existentiam, *naturali lumine*, omnibus notam esse negavit. * Sed nunquid hæc jugulant ipsam naturæ vocem, & affectatæ ignorantiæ palpum obtrudunt? **

Notitia de Deo vulgaris est juris naturalis positivi.

℟. II. Circa *ampliorem notitiam* de Deo, jus naturæ versatur *positivè*, præcipiendo applicationem ejus acquirendæ *vulgarem*, seu tantam, quanta *ad verum de Deo sensum* necessaria, & *obviis mediis* haberi potest. Ejusmodi media sunt 1. Parentum institutio, aliorum testimonia, sensus communis. 2. *Ratiocinium*, per consequentiam quidem, sed facilem, & cuivis etiam rudi obviam ex creaturarum inspectione, usu nobis concesso, vicissitudine; ex consideratione variorum eventuum; item experientia propria vel aliena, circa D. Providentiæ & Sapientiæ testimonia obvia, & in oculos incurrentia. Jam probatur hoc naturale præceptum. *Ejusmodi applicatio* ad acquirendam de Deo notitiam vulgarem *est positivè exigita ab amore, Creatori naturaliter debito*, hoc est *ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessario*: ergo est naturæ jure præcepta. A. patet, quia amor, ad conjunctionem cum Deo naturalem *simpliciter* necessarius, est incompossibilis cum tanta incuria, quæ vel induceret *ignorantiam* de Deo *culpabilem*, qua quis Deo perfectiones haud tribueret, quas deberet; vel secum traheret *errorem vincibilem*, quo quis Deo imperfectiones tribueret, quas non deberet. Unde

Ad quam spectat sensus de unitate Dei.

℟. III. *Notitia hæc vulgaris*, naturæ jure requisita, se extendit ad ea objecta, *quæ ab homine, plenæ rationis compote, sine ignorantia vel errore vincibili, diu nesciri haud possunt.* Hæc probabiliùs sunt 1. Quòd Deus sit *tantum unus*, uti suprà demonstravimus, & contra Polytheos ipse statuit *Puffendorfius*; addita ratione: (c) *Præterquam quod admiranda Mundi harmonia unum duntaxat ejus Moderatorem arguat, etiam finitus tunc foret Deus, si plures essent paris potestatis, ab ipso non dependentes, eò quòd contradictionem involvat plura dari infinita.*

Unde Polytheismus affectatus.

Unde evidenter fluit *Polytheismum* arguere ignorantiam affectatam, atque culpabilem, cùm sequelæ absurdæ, suprà allatæ, etiam rudium oculos offendant.

2. Quòd

(a) In Elem. de cive c. 14. §. 19. ait: *Se legem aliquam, juxta quam injustitiæ damnare posset Atheos, & diligentissimè quæsivisse, & vehementer cupivisse, sed invenisse nullam.* Unde *insipientes* à Psalmista vocatos ait: *dixit insipiens in corde suo: non est Deus:* Quasi verò *insipientia cordis* non ipsam quoque voluntatis maliciam denotet juxta illud: *insipientes corde &c.*

(b) l. c.

* *Dico igitur*, inquit l. c. c. 15. *Homines in voluptatibus, divitiis, vel honoribus perquirendis continuò occupatos; item homines, qui rectè ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant; denique insipientes, in quo numero Athei habendi sunt, scire existentiam Dei non posse.*

** Etiam eruditus aliàs *Kemmerichius* in *Puffendorfio* enucleato c. 4. n. 57. f. m. 70. impegit, judicio quoque suorum, dum scripsit: *Cæterùm hoc affirmaverim, pœnis atheum, quamdiu tranquillè vixit, justè haud affici: quoniam atheismus speculativus error est intellectus; errores verò intellectûs legibus & pœnis corrigi nequeunt:* quasi verò atheismus, etiam speculativus (siquidem ponatur esse possibilis) saltem *indirectè* corrigi legibus & pœnis non posset. Saniùs hac ex parte scripsit *Wernherus* Protestanticus in Elem. J. N. & G. c. 8. §. 38. f. m. 190. Cùm ex his constet, necessarium prorsus, idque firmissimum Socialitatis vinculum, religionem esse, inde apparet, seriò omnes *atheismo* vias obstruendas esse, & *illa Reipublicæ carcinomata*, eos dico, qui tam impias & perversas sententias fovent, *exscindenda esse*, ne pars sincera trahatur. *Lactantius* l. 5. Instit. c. 8. *Ideò*, inquit, *mala omnia rebus quotidie ingravescere, quia Deus, Mundi hujus effector & Gubernator, derelictus est; quia susceptæ sunt econtrà, quàm fas est, impiæ religiones.* Addit *Wernherus*: quod oraculum est ævo hoc pruriente. Addamus & nos, *utinam saperent, & intelligerent hoc ipsimet Protestantes*!

(c) De officio hominis l. 1. c. 4. §. 5. f. m. 69. & ex *Puffendorfio Wernherus* in elementis juris N. & G. c. 8. §. 27.

Idem sensus de Excellentia Dei super omnia creata.

2. Quòd *Deus sit creaturis omnibus quid excellentius in tantum*, ut longè transcendat sphæram intellectûs humani, eique sit *prorsus incomprehensibilis.* Ratio evidens est contra Idololatras, quòd Deus ex lumine naturæ primo sit *creaturarum omnium effector*; nec intellectus comprehendere possit, nisi quod ipso *minus*, vel saltem *æque* perfectum est.

Unde Idololatria inexcusabilis.

Unde *evidenter* fluit, *ignorantiâ vincibili* laborâsse Philosophos gentiles, qui, mutuatâ forsan revelatione *hebraica*, potentias quasdam *intellectuales*, neque visibiles, sibi confinxère in Deos; vel qui *providam Naturam*, velut ultimam rerum causam, proclamârunt: nam ipsa intelligentiarum pluralitas & substantia; ipsa naturæ efficacia & vis agendi, *Puffendorfio* Authore, utique Authorem sui, Deum nempe, arguit, tantùm abest, ut ad eum negandum quidpiam valere possint. Rursum evidenter fluit, *errore vincibili* hallucinatos fuisse *Stoicos*, qui Deum dixère *animam Mundi*, veluti formam compositi totius, & operationum in Mundo radicem, quasi verò & hæc ipsa forma non supponeret formatorem; compositum verò compositorem sui.

Denuò *evidenter* fluit, magis adhuc delirâsse, qui Deos sibi persuasère *visibiles*, corporibus superlunaribus thus adolentes, veluti Soli, Lunæ, Sideribus, aliisque corporibus cœlestibus, quorum mutationes, etsi non ita sint cognitæ, substantia tamen evidenter monstrat insufficientiam sui ad existendum, arguitque causam sui primam, ac effectricem.

Denique sensus de Dei perfectione pura ac summa.

3. Quòd Deus sit Ens, *omnis imperfectionis, seu positivæ seu mixtæ, simpliciter incapax*: quia esse Deum, seu summè perfectum, & esse imperfectum, in terminis implicant.

Unde *evidenter* patet Idololatrarum fatuitas, qui etiam homines sceleratissimos, ipsas bestias; imò cepas ac allia, & *si quid vilius istis*, thure arisque dignati sunt. *Evidenter* patet admodùm vincibilis eorum inscitia, qui Deos sibi finxère *materiales*, *compositos*, animi *pathematis agitatos*, imò peccati quoque authores, & cuicunque tandem *imperfectioni*, *impotentiæ*, *aut indigentiæ* subjectos: quia hæc omnia *Entis summè perfecti* conceptum *immediatè* evertunt.

Notitia de Deo, magis exacta, est

℞. IV. *Notitia de Dei essentia, ac attributis magis exacta, etsi ratione merè naturali non sit superior, est tamen extra sphæram Jurisprudentiæ naturalis, & Theologiæ naturali privativè est propria.* *Ad hanc notitiam* meritò refertur, quòd Deus sit *Ens, omnis imperfectionis, etiam negativæ, simpliciter incapax*, adeóque *illimitatus*, & *infinitè perfectus in omni genere* v. g. quòd nequeat esse *in loco*, seu termino magnitudinis, adeóque *immensus*; quòd nequeat moveri de loco, adeóque *ubique præsentissimus*; quòd illi non competat propriè *intellectus, voluntas, actus*, adeóque sit *immutabilis*; quòd nequeat esse in tempore, adeóque *sit æternus*, & sic de aliis, quæ Theologi naturales vel exprimunt per terminos *negativos, ut incomprehensibilis, infinitos, immutabilis*; vel per *positivos, omnipotens, omniscius*; vel per *superlativos, ter optimus, maximus, sapientissimus, potentissimus*; vel per *indefinitos*, uti *bonus, justus, Creator, Dominus* &c. eo sensu, ut non tam velint, *distinctè* exprimere, *quid sit*; quàm suam admirationem, & inhabilitatem, *qualicunque tandem expressione*, profiteri.

Theologiæ naturali propria, ad quam spectat sensus de infinita Dei perfectione in omni genere.

℞. V. *Protestantici Moralistæ in hac de Deo notitia, seu propositionibus Theoreticis, Jurisprudentiæ naturali haud satisfaciunt.* Nam, præterquàm quòd *Puffendorfiani* eam, *indirectè* solummodò, ex socialitatis suæ principio tractent, *Puffendorfius*, tam exactus aliàs *sequestrator*, inter notitiam *primam*, *vulgarem*, *magisque exactam* nihil distinguit, eámque *indiscriminatim* Jurisprudentiæ suæ immiscet. (a) 2. *Thomasius* notitiam *de unitate Dei*, & *de invisibilitate*, saltem sub imagine rerum superlunarium, seu corporum cœlestium, utpote quorum mutationes *incognitæ*, ad demonstrationes *subtiliores* refert. (b) 3. *Heineccius* in suo amoris principio, juxta morem, liberalior, etiam notitiam de Divinis plerisque attributis, *satis exactam*, non Theologiæ naturali, sed Jurisprudentiæ adscribit *simpliciter*: *Ex eodem* (principio) *patet, ad officium nostrum pertinere, ut rectas de Deo sententias habeamus* &c. *Eundem esse Ens æternum, omnipotens* &c. (c) Et sic de aliis.

Protestantium hæc ex parte lima minus exacta.

§. II.

De religionis naturalis altera parte, seu cultu Dei.

§. 2. De religionis naturalis propositionibus practicis.

Quæritur V. Quid de officiis practicis erga Deum specialiter observandum?

℞. I.

(a) De Officio hominis l. 1. c. 4.

(b) *Thomasius* Jurisp. Div. l. 1. c. 3. §. 51. & seqq. *Grotius* de jure P. & B. l. 2. c. 20. §. 47. refert unitatem Dei ad veritates, non æquè *evidentes*, & quia loquitur *respectivè* ad prima de Deo principia, rectè loquitur.

(c) In Elementis l. 1. c. 5. §. 127.

Earum natura. ℟. I. *Officia practica* denotant *cultum Dei rectum*, qui est pars altera *Religionis naturalis*. Porrò rectus in Deum cultus nil aliud est, *quàm cogniti Numinis veneratio, certis naturæ legibus definita*. Dividitur in *internum*, qui est *veneratio mentis Deo devota, internis solummodò actibus concepta*: & in *externum*, qui est *veneratio mentis Deo devota, externis quoque signis exhibita*.

Principium fundamentale, amor cuivis debitus. ℟. II. Hujus utriusque cultûs, in quo sita *officia* hominis *practica* erga Deum, *fundamentale principium est amor*. *P. 1.* Ex principiis primis, lumine naturæ cognitis, de Deo ùt *Creatore*, hoc est, omnis boni nostri Authore, ac Largitore; de ejus in nos beneficentia, nostrâque essentiali dependentia, *tanquam ex objecto proprio*, oritur *amor* naturaliter debitus; ex amore cætera oriuntur Divini cultûs officia: ergo amor est *fundamentale principium* officiorum hominis erga Deum.

P. 2. Ex principio, lumine naturæ noto, de fine homini præfixo, seu felicitate, naturæ rationali propria, quæ *principaliter* consistit in conjunctione cum Deo Creatore, *immediatè* oritur *amor*, tanquam medium partim indistinctum à fine, prout nempe *formaliter* est ipsa Dei *fruitio*; partim distinctum, ùt est *affectio* procurans bona, Deo naturaliter debita, & amovens mala indebita, sic tamen, ut sit medium *primum*, *universale*, & *fundamentale*, ex quo cætera præcepta, ad hunc finem, seu *positivè* seu *negativè* necessaria, eruuntur, uti titulo præcedente probavimus: ergo amor est *fundamentale principium* officiorum hominis erga Deum.

P. 3. Ex paritate cum amore supernaturali, ùt suprà. Item ex eo, quòd, ex disputatis suprà, finis, naturæ rationali præfixus, non sit *felicitas qualiscunque*; non habita per *convenientiam mediorum*, ùt est declarata judicio hominis hypothetici, quia obscura; non fundata *in cultu socialitatis Puffendorfianæ*, quia *inadæquata*: sed quòd finis sit felicitas, *fundata in amore cuivis naturaliter debito*.

Jam sic: *finis*, naturæ rationali præfixus *respectu Dei*, est *felicitas fundata in amore*, Deo naturaliter debito: ergo hic amor est *fundamentale principium*, ex quo officia erga Deum cætera cognoscuntur, & eruuntur.

Præcepta affirmativa in genere circa obligationem tendendi ad finem proprium. *Quæritur* VI. *Quidnam, circa officia erga Deum in genere, naturæ jure præceptum?*

℟. I. Ex dictis titulo primo. (a) *vi legis naturalis* tenetur homo *in genere* per suos actus *tendere ad finem*, à creatore sibi præfixum, puta *ad felicitatem*, *naturæ rationali propriam*. Patet ex ipso conceptu legis naturalis.

℟. II. *Vi legis naturalis* tenetur homo *per suos actus*, saltem *absolutè loquendo*, *tendere ad suum finem*, *simpliciter ultimum*, hoc est, ad Deum, seu conjunctionem cum Deo, naturæ proportionatam, mediante cognitione & amore congruo obtinendam. *Præcipuè ultimum.* Secùs enim ageret *inordinatè*, quia *contra ordinem*, rebus creatis propositum ab Authore naturæ, qui ordinavit creata omnia ad semetipsum, *tanquam finem ultimum*. Dictum tamen, *per suos actus absolutè loquendo*, eò quòd hoc præceptum sit *affirmativum*, & etsi obliget *semper*, non tamen obliget *pro semper*, sic ut homo non *semper actu* omnia teneatur referre *ad Deum*, seu *finem simpliciter ultimum*. Imò ad hoc, ut *se* & *alia* censeatur referre ad finem ultimum, sufficit *moralis tendentia*, quæ, teste *Suarezio*, *in ipso opere honesto naturâ suâ includitur, eò quòd tale opus naturâ suâ tendat in Deum, ùt ultimum finem, quatenus per illud re ipsa impletur voluntas Dei*, éstque *proportionatum ultimo fini naturali hominis, qui principaliter est Deus*.

Qui consistit in conjunctione cum Deo. ℟. III. *Finis hic ultimus*, *adeóque à natura primariò intentus*, *est sola felicitas*, *habita ex officiis hominis erga Deum*, *quæ sola substantialis*, *ac ultimatò necessaria*, *cui proin felicitas cætera*, *tanquam finis secundariò à natura intentus*, *subordinanda*. Assertum patet ex sæpius memoratis jam suprà.

Sola hæc felicitas est animæ rationali *specialiter* propria; est *interna*, *obtinibilis* semper, quia *independens & inimpedibilis* per malitiam hominum; est inauferibilis etiam per mortem, & absolutè *satiativa*, saltem post fata modo naturæ statui proportionato, siquidem natura consideretur in se, & præscindendo à statu elevationis, in moderna providentia, uti in titulo primo expressiùs cuncta probavimus: ergo sola felicitas, habita ex officiis hominis erga Deum, est finis à natura *primariò intentus*, *& substantialis* &c. Unde fluit, ùt sæpe jam animadvertimus, insignis Moralistarum protestantium error, quo partem juris naturalis *primariam*, ac *substantialem*, vel à disciplina Jurisprudentiæ naturalis omnino præscindunt, vel *indirectè* tantùm attingunt, & *fini secundario*, felicitati nempe societatis humanæ, merè temporali, præposterè subordinant, quo non obstante nobilissimam disci-

(a) Instruct. 5. §. 1. & 2.

disciplinam, fœdùm mutilatam, eruditis obtrudunt, & tamen, sub prætextu sequestrationis, à scholastico pulvere veluti gloriosè repurgatam, inani plausu proclamant, séque, velut Scholasticorum reformatores, in utrumque Orbem deprædicant.

Præcepta affirmativa in specie

Quæritur VII. *Quidnam, circa officia erga Deum, & in specie de cultu interno, natura jure præceptum?*

De cultu interno per officium amoris Dei super omnia,

℟. I. *Cultûs interni* officia consistunt in actibus, notitiæ *primæ*, & *acquisitæ vulgari*, de multiplici Dei perfectione, respondentibus. *Officium fundamentale*, & *instar radicis* cœterorum, est *actus amoris* erga Creatorem, & quidem *super omnia*, sic ut includat propositum absolutum & efficax servandi totam legem naturæ, qui amor, sicuti spectato solo naturæ statu, possibilis est, saltem *loquendo simpliciter*, * ita & præceptus esse cognoscitur.

Possibilis quidem est, quia, ipso dictante rationis lumine, Deus attingitur sub ratione *Entis primi, summíque boni*, adeóque summè amabilis & super omnia: ergo potest amari super omnia: cùm, teste *Scoto, intellectus nil possit dictare, in quod non queat voluntas tendere.* (a) *Præceptus est*, quia est *necessarium medium* ad finem, *felicitatem* nempe *substantialem*, seu conjunctionem cum Creatore, quæ *perfecta* esse non potest, pro statu etiam naturali, ** nisi per amorem suo modo, seu naturaliter, *perfectum*, Deúmque omnibus præferentem. *Et hac, Suarezio* Authore, *si diligatur Deus super omnia, quando obligat præceptum, vel si ex imperio hujus dilectionis quis operetur aliquid, quod necessarium non est ad singula præcepta naturalia implenda, sed solummodò ad totam legem, collectivè sumptam.*

Et aliorum actuum ex amore manantium,

℟. II. Præter *amorem* sub cultu interno continentur & alii actus. 1. Officium *honoris*, & *reverentiæ per laudationem*, Majestati Entis supremi debitam. 2. Actus Spei *per invocationem*, bonitati ejusdem summæ consentaneam, utpote Entis, *à quo in futurum omnis nostra felicitas dependet*, utì loquitur ipse *Thomasius*. (b) 3. Officium *gratitudinis*, competentis beneficentiæ illius, *** *qui principium est omnium bonorum*. 4. Actus *timoris* per aversionem à peccato, ejus summæ justitiæ & potentiæ respondentem. 5. Officium *obedientiæ* per subjectionem humanæ voluntatis, supremo dominio, providentiæ, & sanctitati conformem, & sic de aliis.

Adeóque natura jure præceptorum.

℟. III. *Similia officia cultûs interni sunt natura jure graviter præcepta. Demonstratur*: sunt exigita ab amore, *Deo naturaliter debito*, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *absolute necessaria*: ergo. *A. Dem*: Nam amor *ad felicitatem*, seu *pacem cum Deo conservandam*, simpliciter necessarius, est procuratio boni, Deo tàm proprii, ut sine illo nec amor, adeóque nec pax cum Deo, possit subsistere: atqui sine interno cultu non posset: nam amor sine cultu est amor sine effectu, adeóque nullus. Neque quis dicat, etsi demonstretur, hujusmodi cultum, *ex parte hominis*, simpliciter debitum, non tamen demonstratur, *ex parte Dei, esse absolutè exigitum*· cùm enim Deus hujusmodi cultu nequaquam indigeat, ratio sibi relicta *in Dei natura* nil reperit, è quo *evidenter* fluat, *Deum* coli velle. Nam *contrà est*: Etsi Deus nec egeat homine, nec ejus cultu, suppositâ tamen hominis creatione, sicuti sola ratio, ex hominis natura, *evidenter* infert *Deum coli debere*; ita ex Dei natura *evidenter* deducit, *Deum coli necessariò velle.* Siquidem sola ratio, ex Dei natura *evidenter* infert, potentiam sapientiæ ejus conjunctam: **** ergo infert, Deum non posse non operari *prudenter*, hoc est, non posse facere, quæ vel

imper-

* Scilicet abstrahendo à *circumstantiis, modo, & tempore* durationis, nec sine auxilio Dei naturali, sicuti initio explicavimus in prolegom. *Instruct.* 2. §. 2. Q. 2.

** Unde etiam ex ratione naturali falsa esse convincitur propositio 1. Ab *Alexandro* VII. damnata: *Homo nullo unquam tempore vitæ tenetur elicere actum charitatis &c.* *Item* damnata ab Innocentio XI. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret? condemnare non audemus* &c. Nam amori, DEO naturaliter debito, ipsíque rationis dictamini repugnat hominem nunquam aut rarò admodùm sese ad Creatorem, finémque ultimum convertere; præterquàm quòd ejusmodi actus sit necessarius ad honestè vivendum, arguátque ejusmodi oblivio insignem ingratitudinem, ac creatoris contemptum.

*** *Gratitudo* hæc, erga Deum, non est habitus distinctus à *religione*, uti observat *Lessius* de Virt. Card. l. 2. c. 47. Dubio 1. éstque alterius rationis, quàm *gratitudo* erga Benefactorem privatum, ubi est *virtus specialis*: nam respicit *jus Dei inabdicabile*, & fundatur in *debito creaturæ necessario*.

**** Dicente *S. Augustino: Deus Sapientiæ virtute omnipotens est.*

(a) In 3. dist. 27. Q. unica.

(b) Jurisp. Div. l. 2. c. 1. §. 5.

imperfectionem arguunt, vel *speciem contradictionis* involvunt: atqui hoc fieret, si vel posset non exigere, vel nollet coli ab homine producto: ergo. *Min. subs.* patet: nam 1. In ejusmodi hominis productione Deus intenderet *alium finem*, quàm *bonum sui*, seu *cultum*, cujus solius boni est capax respectu hominis: atqui talis finis est *evidenter* Deo indignus, quia Deo inferior; est amori sui essentialiter oppositus, adeóque implicatorius. 2. Produceret creaturam rationalem, *essentialiter* servam, *& dependentem* tam in essendo, quàm operando, & tamen *independentem* respectu sui, quia ab *omni obligatione cultûs immunem*, quod Dei dominio derogatorium. 3. Ipsa creatio hominis est *obligatio* cultûs *passiva* respectu hominis: ergo respectu Dei est *obligatio* cultûs *activa*: secus esset *obligatio*, & simul non esset, cùm obligatio passiva fundetur in activa.

Praecepta affirmativa in specie de cultu externo. Cultus Dei externus communis

Quaeritur VIII. *Quidnam circa officia erga Deum, & in specie de cultu externo, natura jure praeceptum?*

℞. I. Cultus Dei *externus*, interni *complementum & index*, ùt signis naturalibus est expressus, dicitur *communis*; ùt arbitrariis ritibus est definitus, nominatur *specialis*. Hic juris est vel *Divini positivi*, vel *humani*; ille *naturalis*. Cultus *communis*, in quantum pertinet ad jus naturae, consistit in actionibus externis, interna officia repraesentantibus, & inprimis in obsequiis *debiti amoris*, faciendo *generaliter* ea, quae *per rationis lumen* facienda dictat Creator. 2. In *officio laudis*, honoris & reverentiae indice. 3. *In invocatione* * pro beneficiis accipiendis; & in *gratiarum actione* pro beneficiis acceptis. 4. In officiis *debiti timoris*, fugiendo, ac impediendo ea, quae Numini ingrata nobis ipsa ratio promulgat, & sic de aliis.

Est juris naturalis,

℞. II. *Hujusmodi officia cultûs externi erga Deum sunt natura jure positivè praecepta.*

Quia Deo simpliciter competens,

P. Assertum. Sunt *determinatè* exigita ab amore, in ordine ad felicitatem, seu pacem cum Deo habendam, *simpliciter* necessario: ergo sunt naturae jure praecepta.

Respectu hominis,

A. P. 1. *Respectu hominis.* Amor necessarius, Deóque *simpliciter* debitus exigit *cultum*, partialiter consistentem *in observantia legum naturalium*, ùt patet: atqui impossibile est *absque actionibus externis* observare omnes naturae leges: ergo hac ex parte exigit cultum Dei externum. Prout cultus hic consistit *in laudatione, gratiarum actione externa &c.* sic arguitur. Amor necessarius, Deóque *simpliciter* debitus, est *procuratio boni*, seu cultûs, non *qualiscunque*, sed Deo *simpliciter competentis* respectu *totius* hominis, cujus est Creator, & Conservator: atqui talis non est solus cultus internus, quia respectu hominis, *quà talis*, seu quà *compositi* ex anima & corpore, *insufficiens*, nec *completus* in suo genere, nisi sit externo conjunctus: ergo cultus respectu hominis, *quà talis*, Deo *simpliciter competens*, est internus externo conjunctus.

Respectu proximi,

A. P. 2. Respectu proximi. Amor necessarius, Deóque simpliciter debitus, exigit cultum, Deo *positivè* competentem non modò *respectu sui*, sed etiam *respectu proximi*, partim ad ejus debitam educationem, instructionem, aedificationem, & in conversatione necessaria faciendam fidem: atqui talis non est cultus, solummodò *privatus, internus, occultus*, quia *insufficiens* ad hunc finem, Deo *non satis dignus*, ** nisi sit externo & publico quandoque conjunctus: ergo cultus *respectu* proximi, Deo *simpliciter* competens est internus, externo conjunctus.

Et respectu ipsius Dei.

A. P. 3. Respectu Dei argumento reflexo. Cultus solummodò *internus, occultus, privatus*, neque respectu hominis, *quà talis*, neque respectu proximi est sufficiens & completus; neque Deo sat dignus, & competens: ergo Deus non modò exigit, sed & exigere debet, *respectu sui*, cultum quoque externum. *Confirmatur* argumento directo, & ex natura Dei petito. Deus, ùt sapientissimus Conditor, formando hominem *ex anima, corpore, & unione*, evidenter habuit, & etiam habere debuit finem, non qualemcunque, *sed respectu talis compositi* sibi congruum; secus enim redundaret imperfectio in Creatorem: ergo debuit pro fine intendere bonum sui, non qualecunque, sed ratione talis compositi, sibi specialiter competens; atqui tale bonum non est cultus solùm internus, quia respectu hominis,

* *Plato* impietatem vocavit, si quis Deum per preces flecti posse sibi persuaderet, eò quòd sic *Dei constantia* in dubium vocaretur: sed erravit, perperam intellecta definitione constantiae, & conceptu de Deo sibi malè formato, uti rectè animadvertit *Weberus in Puffendorfium.*

** *Puffendorfius*, hac ex parte sanus, & suis Notatoribus melior l. 1. *de Homine* c. 4. §. 7. requirit *cultum*, *non solùm secretum*, sed & *publicum* in conspectu hominum, *eò quòd aliquid occultare, sit quasi ejus exercitium erubescere; contrà cultus publicus non solùm testetur de nostra fide, sed & alios exemplo incitet.*

minis, *quà corporei*, non completus, nec sufficiens: sed cultus internus, externo conjunctus: ergo Deus formando hominem, *quà talem*, pro fine non solùm habuit cultum internum, sed & habere debuit cultum internum, externo conjunctum.

Unde Thomasius malè negat cultum Dei externum naturæ jure præceptum;

R. III. *Quæ hac ex parte in oppositum scripsit Thomasius cum suis Amanuensibus non modò falsa sunt, sed & erronea.*

Declaratur assertum I. Asserit *Thomasius*, (a) quòd, etsi *justissimum sit*, Deum coli ab homine cultu externo, ratio tamen sibi relicta nil deprehendat *respectu Dei*, unde inferat, *Deum coli velle*. Causam assignat, *quòd Deo opus haud sit cultu exteriore*. Sed rectè *Heineccius*: (b) *Deus* non indiget cultu interno, quem tamen *necessarium* esse *nemo* negaverit, nec *Thomasius*, etsi inconsequenter.

Quòd eò Deus non habeat opus;

Quòd perspiciat internum absque externo;

Declaratur II. Asserit idem *Thomasius*, quòd ratio neque aliquid deprehendat *respectu hominis* ipsius, ex quo inferat cultum exteriorem. Causam assignat, quòd signa externa *laudationis, invocationis, gratiarum actionis* inter homines quidem sint necessaria, cùm homines aliorum actus internos non introspiciant: hæc autem tota ratio cesset in Deo, utpote *cordium scrutatore*. Sed an cultûs externi *adæquata ratio* est necessitas manifestandi cultûs interni? Profectò Princeps, etsi ponatur, perspecta habere Clientis vota; etsi non indigeat exterioribus animi devoti signis, nihilosecius preces, cultúsque interni indicia exigit, quia preces *& cultum*, sibi *competentem*, requirit: ergo & Deus à fortiori.

Quòd neque humana Societas eodem indigeat,

Declaratur III. Idem Author affirmat, quòd ratio neque aliquid deprehendat *respectu Societatis* humanæ, ex quo cultus Dei externus, *veluti debitus*, inferri possit. Causam assignat 1. Quòd Societas humana, vitæque tranquillitas, etiam omisso hoc cultu, *per se ac necessariò* nihil lædatur. 2. Quòd Societatis humanæ finis *primarius sit felicitas; secundarius* verò *cultus Dei externus*, tanquam *medium* promovendæ felicitatis, id quod ratio assequi potest. 3. Quòd cultûs externi finis sit *beatitudo æterna*, non Societatis *humanæ felicitas*. 4. Quòd denique sensus Gentilium, etsi *communis*, de cultu externo, tanquam *debito*, jus naturæ non probet, probandum ex ratione. Sed

Etsi sit fundamentum omnis obligationis,

Contrà est 1. *Per se, & necessariò* læditur humana Societas, si fundamentum *omnis obligationis* sit incognitum, nec per signa externa cœteris sat declaratum: atqui juxta *Thomasium* (c) cultus Dei est *fundamentum omnis obligationis*, ac *fiduciæ mutuæ*, in Societate civili necessariæ: ergo cognitus & sufficienter declaratus sit, est necesse. Rursus: Authore *Puffendorfio*, cujus anagnostes *Thomasius*, persuasio & timor Numinis est *fundamentum firmitatis intrinsecæ*, quam habere debet humana Societas: (d) ergo certum esse debet, ac Societati sat contestatum: atqui sine cultu externo foret incertum, neque Societati sat cognitum. Rursum: omnis superioritatis fulcrum, eodem teste *Puffendorfio*, est cultus Numinis: ergo Regentibus necessariò debet esse perspectus, & per externa testimonia cognitus. Et licet quandoque fallere possit hæc declaratio, id fit *per accidens*, quod naturæ juri nil derogat.

Medium que

Contrà est 2. Si Societatis humanæ, seu civilis, *finis primarius*, est temporalis felicitas; secundarius Dei cultus, tyranno, idolomanniam Reipublicæ minitanti *sub pœna excidii*, Respublica, *salvo naturæ jure*, poterit obtemperare, Deúmque abnegare, quia poterit, neglecto fine secundario, salvare primarium, quô quid scelestius esse nequit, quódque magis *defectuosa Puffendorfianæ & Thomasianæ socialitatis principia denudet*.

Finis primarii,

Contrà est 3. *Cultûs externi* finis idem est, *ac interni*: atqui, *spectato præcise* jure naturali, finis *interni cultûs* est felicitas, non expresè æterna, positô, quòd sola ratio huc non pertingat; sed *felicitas naturæ rationali propria*, sic ut temporanea sit finis secundarius, spiritualis verò, *etiam ultra fata extensa*, sit finis primarius, id quod suprà sat demonstravimus.

Communi Gentilium sensu necessitatem externi cultûs confirmante.

Contrà est 4. Sensus Gentilium *communis*, etsi jus naturæ non probet *immediatè*, quia *extrinsecus*, non tamen est *inutilis*, ac *exsufflandus*, utpote argumentum eruendi juris saltem extrinsecum, ac mediatum, juxta illud

(a) In Jurispr. Div. L. 2. c. 1.

(b) In elementis J. N. & G. l. 1. c. 5. n. 135. in notis.

(c) Jurispr. Div. l. 2. c. 1. n. 20. *Hactenus*, inquit, *beatitudinem Rerumpublicarum per cultum externum promoveri ratiò assequi potest, ut eò meliùs quilibet civis alteri, per signa exteriora, reverentiam internam erga Numen divinum, tanquam fundamentum omnis obligationis, declaret, ac ita fiducia sociorum erga se invicem eò magis augeatur.*

(d) L. de officio hominis c. 4. §. 9. f. n. 74.

illud *Senecæ*: (a) *Apud nos veritatis argumentum est, aliquod omnibus videri.* Sed hæc suprà jam firmavimus. (b)

Inde erroneæ Thomasii deductiones.

Declaratur IV. Ex memorata rationum scoria *Thomasius* audacter concludit 1. Spectata ratione cultum Dei externum *esse ex rebus licitis in gradu omnium.* 2. Pertinere *ad res solummodò medias.* 3. *Preces, laudes, gratiarum actiones*, ideò tantùm necessarias, quòd homo hominis cogitationes non noscat. 4. Absque lumine revelationis, rationem nostram in *officio hominis nobilissimo cæcutire.* 5. *Nullam esse divisionem Religionis in naturalem, & revelatam*, cùm omnis Religio (ùt notat cultum Dei externum) *sit revelata*, seu *verè*, seu *falsò*, adeóque religio naturalis sit vel figmentum, vel certè *species falsæ Religionis.* Quasi verò ex eo, quòd religio naturalis, in hac providentia, *nunquam* sine revelata extiterit, bene inferatur, eam esse figmentum, & absolutè existere non posse, neque jus naturæ de illa quidquam, *per se loquendo*, determinare.

Ejus vestigia male legentibus aliis, Quos inter Dunzeus,

Declaratur V. *Thomasii* vestigia erronea malè legerunt plures ejus pedissequi. 1. *Engelbrechtus Dunze*, dum publicè defendit hanc *Thomasii* thesin: *homo ex ratione sibi relicta* non potest demonstrare, *Deum* cultu externo esse *prosequendum.* (c)

Kemmerichius,

2. *Dietericus Kemmerichius*, dum scripsit: (d) *Respectu Dei ratio nullam cultûs externi necessitatem videt, quia Deus est scrutator cordium, cui non opus est, interna animi sensa per externa signa revelari. Respectu hominis ipsius, Deum colentis, non solum est utilis, sed ferè inevitabilis est quædam cultûs externi species, ob arctissimum animæ corporisque nexum, & facillimum interni affectûs per externos gestus, aliave signa, indicium. Respectu aliorum hominum itidem utilis & decorus est externus cultus, ut de pietate mea persuasi homines, & amicitiâ & consortio suo tantò lubentiùs me dignentur.*

Et Fleischerus.

3. *Fleischerus*, ex secundis *Thomasii* curis, affirmat (e) ad cultum *internum* nos obligari ex *regulis justi, esse absonum dicere*, eò quòd *regulæ justi* supponant læsionem, Deus autem à creatura lædi haud possit. Et quid ineptius? Addit, neque ex *regulis decori* * nos obligari *spectata ratione*: eò quòd Deum bono aliquo afficere, neque ejus conceptus, neque virium nostrarum imbecillitas admittat: & quid inanius? Cultum igitur Dei internum *ex solis regulis honesti deducit*; hac tamen præclara limitatione, *ut ne nobis falsò persuadeamus, ac si illum, hanc ob causam, instituere debeamus, ut Dei gloriam promoveamus, ac eo Deum, quasi obligatum nobis, reddamus; immò ac si gloria Dei promoveatur, agendo justa, honesta, ac decora. Vanissima*, inquit, *persuasio, ac non nisi ingenio superstitioso digna.* Addit, *neque contradicere Apostolum*: (f) *cum hoc saltem dicere videatur, quòd bonis concessis uti debeamus, ut alii videant, nos magni facere concedentem.* ** His necdum contentus subnotat, omnes eos, qui ubique circa actiones suas *gloriam* Dei crepent, *hoc ideò agere, quòd facilè convinci queant, actiones eorum neque verè honestas, neque justas, neque utiles esse. Confugiunt*, inquit, *hanc ob causam ad rem sublimem, & stultitiam suam tegere satagunt gloriæ Divinæ prætextu.* Atque hujus suæ stultitiæ (si vera proloqui, fas est) testem allegat *Thomasium.* (g) Æquè absona profert ex reformato *Thomasio*, de cultu Dei *externo.* (h) Nam, ait, *secundùm regulas justi* non esse debitum: rationem assignat, quòd Deus eò non egeat, neque per illum Dei gloria promoveri possit, neque jus proximi omissione ejus lædatur. Ex *regulis decori & honesti* eundem adstruit, eò quòd illæ exigant, in indifferentibus sese accommodare; istæ, ut corporis quoque membris religionem declaremus. Hinc cultum Dei publicum inter *utilia*,

---

(a) Epist. 117.
(b) In proleg. Instruct. 5. §. 4.
(c) Disp. 4. ad finem Jurisp. *Thomasianæ.*
(d) In elementis J. N. & G. c. 4. ad §. 7. f. m. 65.
(e) In instit. J. N. & G. L. 2. c. 1. §. 49. & seqq. f. m. 235.
(f) 1. Cor. 10. v. 31.

* Contrà quàm statuat *Thomasius* in fundam. L. 2. c. 5. n. 20. *Quamvis*, inquit, *quò ad sententiam ipsam*, quam defendi in Jurisp. Div. *nihil mutem*, facilè tamen patet, jam ex hypothesi nostra *felicius* rem expediri posse, si ostenderim, cultum Dei externum non quidem pertinere *ad regulas justi*, sed tamen *ad regulas honesti & decori.* Item *ad doctrinam de officio sapientis*, ex dictamine rectæ rationis demonstrabili. Fortè etiam, hac doctrinâ expositâ, non ita *irritabuntur dissentientes*, cùm hic profiteor, cultum externum, ejúsque præceptum, pertinere *ad jus naturæ, latè dictum*, non pertinere ad jus *strictè dictum*, adeóque simul viam monstraverim *conciliandi sententias oppositas.* Ita ille.

** Exemplum de corpore habemus, inquit 1. Cor. 6. v. 20.

(g) In caut. circa præcognita Jurisp. c. 1. §. 18. & seqq.
(h) l. c. §. 83. & seqq. f. m. 246.

lia, & *alique modo necessaria* recenset. Tandem, ut tot errores una saltem veritate, compenset, *exrmplo Rrgis Ninivitici* rectè corrigit *Thomasium*, * & *Bejerum*, quòd *nullum cultum, ab hominibus inventum, Deo placerr*, asseverârint. Hæc tantoperè absona vel ideò adducta sunto, ut pateant grandia quorumdam Protestantium merita, quibus Jurisprudentiam naturalem, contra Scholasticorum umbras, à sese illustratam, passim gloriantur.

Cultus Dei externus ritualis est juris positivi Divini, vel humani,

§. IV. Cultus Dei externus *specialis*, seu ùt certis ritibus *specificè* definitus, est *juris positivi Divini*, vel *humani.* Patet: quia habetur vel *rx rrvelatione*, vel *rx hominum institutione*. Revelatio alia *est vrra*, alia *putatitia*: Orthodoxi diriguntur à *vera*, veréque *Divina*; *hæretici*, ùt loquitur *Thomasius*, (a) vel *interprrtatione Scripturæ abutuntur, vel peculiarrs revelationes errpant, quod & Judæi modò faciunt. Turcæ*, inquit, revelationibus Pseudoprophetarum suorum credunt: *Ethnici*, utì ab initio revelationes diabolicas cum Divinis miscuerunt; ita adhuc hodie vel cacodæmonis mendaciis se dejici patiuntur, vel fallaciis Ministrorum ejus v. g. *Brammum*, & similium, fidem habent. Ita ille. Veriùs: revelatio *putatitia* nulla est, & solus Dei cultus, in Ecclesia Catholica receptus, *quoad substantiam*, nititur revelatione Divina, éstque juris positivi Divini: cæteri ritus, in quantum à Catholicis discrepant *institutionis mere humanæ*, nec, nisi specioso revelationis prætextu, veluti inani phantasticæ inventionis tegumento, convestiuntur.

2. Declaratur assertum *ex statu naturæ primævo*, in quo observantia legum naturalium erat pars cultûs *Divini naturalis*; observantia legum aliarum, utì *de arbore* scientiæ vetita, de individua vitæ societate inter conjuges &c. erat juris Divini positivi: ritus offerendi sacrificia, tam quoad substantiam, quàm quoad modum, erat *juris Divini positivi*, sicut ex modo *Caini* sacrificantis iniquo jam initio declaravimus. (b) Ritus cæteros, in publica invocatione ab *Enos* restitutos, vel institutos, alii referunt *ad jus positivum humanum*, nos verosimiliùs revelationi Divinæ, seu *Adamo*, seu successoribus illius à Deo factæ, adeóque *juri Divino positivo* adscribimus.

Statu medio per sacrificia,

3. Declaratur assertum *ex statu medio*, in quo ritus Deum colendi per sacrificia à nonnullis *ad jus Gentium* refertur, eò quòd à Gentibus cunctis videatur fuisse receptus, usúque inductus. Nos rationi admodùm conformem, & naturali gratitudini, pro beneficiis Creatoris, maximè consentaneum dicimus, non tamen naturæ jure *determinatè* præceptum; nec juri Gentium adscribendum putamus, nisi forsan *impropriè tali*, quo, *citra obligationem mutuam*, communi usu Gentes, propemodùm omnes, conveniunt. ** Unde nugatorius est *Pufendorfius*, cùm, *abstrahendo à præfiguratiour Servatoris, sacrificia, rationi contraria, asserit, eò quòd à ratione abhorrere videatur, crraturam, sensu præditam, & magno dolore morientem, in honorrm Crratoris destruerr, non aliter ac si quis officinam ingrrssus, artefactum in honorrm artificis corrumperet.* (c) Nam animalia, *pro usu hominis* ad destructionem creata, Creatori dicare, & ea destruendo usum sibi concessum Deo, in grati animi signum offerre, non abhorret à ratione: unde nulla paritas cum artefactis, vel homine immolando &c.

Per statum hominum, pro cultu Dei specialiter deputatum, & exemptum.

4. Declaratur assertum etiam ex eo, quòd, etsi status hominum ad cultum Dei *srcialiter* in Republica deputatus, *& ab oneribus civilibus exemptus*, sit rationi naturali admodùm conformis, & dignitati Creatoris maximè consentaneus; imò apud omnes propemodùm Nationes, communi institutione, receptus, non videatur tamen esse de jure naturali, *simpliciter præceptivo*, sed *de jure positivo*, eò quòd cultus Dei externus, naturæ jure præceptus, sicuti non exigit communitatem, ita nec statum communitatis peculiarem. Sunt tamen, qui & statum *peculiarem*, ejúsque *immunitatem*, quia

* *Thomasius* Jurisp. Div. l. 2. c. 1. §. 87. ait, *ex historia sacra & Ecclesiastica patere, nunquam placuisse Deo cultum, à ratione humana inventum*, *idque probat exemplo vituli aurei, Saulis non obedientis*: quæ quàm frivola sint, & *Thomasio* indigna, per se patet. Unde hoc correxit *in curis secundis* L. 2. c. 1. n. 21. *temperanda est universalitas locutionis* &c.

(a) L. c. n. 38. f. m. 153.

(b) In proleg. Instruct. 3. §. 3.

** Inde obstupescas religionem protestanticam; *rationi difformem, & cunctarum propè Gentium usui adversam*, utpote in qua *sacrificium nullum, propriè tale*, sic ut sacrificium labiorum, *figurato admodùm vocabulo*, in subsidium attrahere compellatur.

(c) De habitu religionis §. 8. f. m. 33.

quia deductam ex principiis naturæ, & communi Gentium usu, consensuque fundatam, juri Gentium tribuunt, (a) quibus, si *jus Gentium, impropriè* tale, intelligant, haud refragamur.

Præcepta negativa circa Deum.

Quæritur IX. *Quænam, circa officia erga Deum, præcepta juris naturæ negativa?*

℞. I. *In genere* naturæ jure prohibitum est, *quidquid notitiæ Dei cultuique præcepto oppositum est*: illi omnis error vincibilis, ac ignorantia culpabilis; huic omnis Dei irreverentia, atque impietas adversatur.

℞. II. In *specie* circa officia tam *theoretica* quàm *practica* prohibitus est, præter *Atheismum* & *Polytheismum*, de quo suprà, omnis species *Idolomaniæ*, qua cultus, uni Deo debitus, quomodocunque ad creaturas transfertur; omnis *divinatio*, *magia*, *seu observantia vana*, qua expresso vel tacito pacto cum dæmone indagantur occulta, aut mediis improportionatis procurantur externa. *maleficium*, quo ex cooperatione dœmonis alteri nocetur &c. Omnis *superstitio*, qua quis per cultum Dei vitiosum Religioni veræ adversatur *per excessum*; omnis *irreligiositas*, quæ religioni opponitur *per defectum*, & tendit directè ad irreverentiam Dei, qualis est *tentatio Dei*, an sit potens, misericors &c. Divini nominis abusus, *juramentum* temerarium, *perjurium*, *blasphemia*, directè opposita laudi Dei, qua quis maledicit Deo, seu tribuendo eidem falsa, seu negando vera; seu tribuendo creaturis, quæ Deo debita; seu dicendo, quæcunque vilipensionem Numinis redolent, & sic de aliis &c.

Quorum objecta amori, Deo debito, repugnantia.

℞. III. Hæc & similia esse naturæ jure prohibita, inde deducitur, quòd repugnent *amori*, Deo naturaliter debito, quia ad felicitatem, naturæ rationali propriam, seu *ad pacem cum Deo habendam simpliciter* necessario, uti patet consideranti.

Errores Puffendorfii:

Quæritur X. *Quinam, hac in materia, magis notabiles Puffendorfii, suorúmque sequacium, errores?*

Religionis sequestratio; vel indirecta tantùm tractatio in naturali jurisprudentia;

℞. I. *Erroneus est Puffendorfius cum suis, quòd Religionem omnem* * *à Jurisprudentia naturali, vel simpliciter sequestráris; vel saltem non nisi indirectè a naturæ jure attingi contenderit.* 2. *Id quod ex ipsismet ejus principiis demonstrari potest.*

Demonstratur. Transmisso, neutiquam concesso, quòd *finis adæquatus* juris naturæ sit felicitas merè externa Societatis humanæ, sic arguitur. Illud est *propriissimè proprium* Jurisprudentiæ naturali, & à jure naturæ *directè* attingitur, sine quo finis, *seu externa felicitas* Societatis humanæ nullatenus haberi, & conservari potest: atqui *sine religione naturali* nullatenus haberi & conservari potest: ergo. *Mai.* est demonstrabilis partim *inductione universali*; partim ex eo, quòd aliàs Jurisprudentia naturalis ad suum finem esset *insufficiens*, *manca*, *ac principiis necessariis destituta*. *Min. Dem.* Sine religione naturali deficeret omnis obligatio *interna*, *universalis*, *& efficax*, naturæ juri competens *ex voluntate Divina*, eique simpliciter necessaria; deficeret *intrinseca Reipublicæ firmitas*, hoc est, nec Imperantium, nec subditorum sat certa foret fides, atque securitas; verbô deficeret *fundamentum omnis obligationis*, *& firmissimum vinculum humanæ Societatis*, ùt loquitur *Puffendorfius*: (b) ergo sine religione naturali, ipsomet teste *Puffendorfio*, nullatenus haberi & conservari potest finis Jurisprudentiæ naturalis, qui juxta hunc Auctorem est *externa Societatis felicitas*. *Ant.* fusiùs demonstratur ex *Puffendorfiana* paraphrasi. (c) Nam ait

Quo sine naturalis libertas exlex, & quidvis audendi potestas,

1. In libertate naturali, *si metum Divini Numinis removeas*, ubi quis propriis

(a) *Bellarminus* l. 1. de Clericis c. 29.

(b) l. 1. de offic. hominis c. 4. §. 9. f. m. 74.

* Sæpius religionem *naturalem* cum *supernaturali* confundit, & sic utramque Theologis relinquit, ùt suprà vidimus, & in *Erice Scandica* §. 6. *cultus Dei, pressè consideratus, ex altiore principio est derivandus*: & in Epist. ad *Scherzerum* f. m. 70. *ergo Garlebiæ nova religio surget, quæ citra operam Salvatoris nostri ex sola illa notitia, circa cultum Dei, quam in hac conditione ex rationis lumine haurimus, salutem æternam confert.* Alibi discernit religionem supernaturalem à naturali: sic in *specilegio Juris naturæ* §. 16. f. m. 895. *Sanè*, inquit, *nec de religione, quatenus ad salutem animarum post hanc vitam facit, agere ad disciplinam juris naturalis pertinet*: *& religioni naturali peculiaris à me disciplina assignata fuit.* Cùm autem ei, qui Societatis humanæ indolem, vincula, legésque unicè sibi exponenda sumpsit, *non possit Divini Numinis consideratio planè sequestrari* (id quod hîc ostendere conamur) quippe cùm ab eo legum socialium *origo & firmitas* promanet, non alio, quàm hoc respectu, religio in hac disciplina considerari potest, quatenus nempe ea societatibus humanis *firmissimum vinculum* præbet, *nisi diversas plane disciplinas turpi errore miscere velimus.*

(c) l. c.

priis viribus fiſus fuerit, *imbecillioribus* quælibet pro libitu inferet, ac honeſtatem, pudorem, fidem, *mera inania vocabula*, reputabit, nec ad rectè agendum, *niſi ſenſu propriæ imbecillitatis*, adigetur.

Impunitas ſcelerum occultorum,

2. Præterea cives ad injurias, mutuò inferendas, eſſent proniſſimi. Cùm enim in foro civili (*Cui jus ſuum naturale præ iſo accommodatum cupit Puffendorfius*) pronuntiatur ſecundùm acta & probata, *omnia ſcelera*, ex quibus lucrum provenire aptum eſt, *ſi occulte patrari & ſine arbitris poſſent*, pro dexteritate ingenii haberentur.

Diffidentia mutua,

3. Ex quo & illud conſequeretur, ut, dum nemo in alterius fide, *remotis pœnis Divinis*, ſolidam fiduciam collocare poſſet, ſinguli perpetuo metu, & ſuſpicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, & læderentur.

Etiam inter conjuges;

4. Quin & conjuges, obortâ vel levi querela, ſe invicem eſſent ſuſpectaturi, ne veneno aut clandeſtino modo necarentur: cùm enim *ſine religione, nulla quoque futura eſſet conſcientia*, non facilè eſſet, occulta ejusmodi ſcelera deprehendere, quippe quæ plerumque per inquietudinem conſcientiæ, & terrores in exteriora indicia erumpentes, produntur.

Incerta firmitas Reipublicæ intrinſeca,

5. *Religione remotâ*, civitatum *firmitas intrinſeca* ſemper *in incerto* foret, ac ad cives, in officio continendos, *haud quidquam ſufficeret metus temporalis pœnæ*, fides Superioribus data, ejúsque ſervandæ gloria, ac gratitudo, quòd ope ſummi Imperii à miſeriis ſtatûs naturalis defendatur.

Incerta Imperantium ſalus,

6. Tunc reverà locum haberet: *qui mori ſcit, cogi neſcit* (*inſufficiente ſcilicet pœnâ, morte finitâ*) quippe cùm Deum non timentibus nihil magìs, quàm mors, metui poſſit. Huic contemnendæ qui ſufficeret, *in Imperantes quævis tentare poſſet*: ut autem id vellet, vix cauſa defutura foret, puta, ut declinaret incommoda, quæ ſibi ab alterius imperio videntur incumbere, aut ut ipſe potiretur commodis, quæ Imperii poſſeſſorem comitantur. Præſertim cùm facilè judicare poſſet, jure ſe id facere, vel quòd, qui in præſens rerum potitur, pravè Rempublicam videatur gerere; vel quòd ipſe longè meliùs imperaturum ſe ſperet. Occaſio autem ad talia tentanda facilè offerri poſſet, Rege vitam ſuam non ſatìs cautè circumſepiente (& quis tali rerum ſtatu cuſtodes ipſos cuſtodiet?) vel multis conſpirantibus, vel bello externo ingruente, adſcitis in partes hoſtibus.

Neglectus promovendæ felicitatis publicæ.

7. Denique tam Imperantes, quàm ſubditi parùm proclives futuri eſſent *ad præclara opera patranda*. Nam Imperantes, *nullo conſcientiæ ſtimulo æſtricti*, omnia munia, ipſamque juſtitiam venalia eſſent habituri; in omnibus privatum commodum quæſituri cum oppreſſione civium, à quorum rebellione ùt ſibi ſemper metuerent, ita ſuam ſalutem unicè in eo poſitam intelligerent, ut iſtos quàm maximè enerves redderent. Cives contrà, oppreſſionem Imperantium formidantes, nunquam non circumſpecturi forent occaſiones rebellandi, nec minùs tamen ipſi inter ſe diffiſuri, ſeque mutuò formidaturi eſſent. Ita ille.

Alter Puffendorfii error, religio naturalis intra vitæ terminos concluſa,

℞. II. *Erroneus eſt Puffendorfius cum ſuis, quòd religionem naturalem, prout nempe pertinet ad jus naturale, intra ſphæram hujus vitæ terminandam, aſſeveret. 2. Id quod denuò ex ipſiſmet hujus Authoris principiis demonſtrari poteſt.*

Evidenter inſufficiens, & ipſiſmet Authoris principiis adverſa.

Demonſtratur. Si religio *naturalis*, quatenus ſpectat ad jus naturæ, *tanquam vinculum Societatis humanæ*, terminanda foret intra ſphæram hujus vitæ, tunc ideò juxta *Puffendorfium*, (a) quia ſi ſeſe extenderet ad vitam alteram, deberet eſſe ſalvifica, adeóque daretur via ſalutis extra *Chriſtum*; deberet, ſolâ ratione naturali, eſſe perſpecta æternitas pœnæ vel prœmii, adeóque & ſtatus naturæ lapſæ, neceſſitas Salvatoris, aliáque Dei promiſſa circa ſalutem æternam, *ſola revelatione* cognoſcenda: atqui utraque hæc ratio eſt evidenter nulla: ergo. *Min. Dem.* Sicut, *juxta modernam Numinis providentiam*, in hac vita nunquam extitit, nec exiſtet, *per ſe* loquendo, *ſola religio naturalis*; ita in vita altera nec unquam fuit, nec erit pœna vel præmium, *ſoli religioni naturali* commenſuratum: & ſicut *hæc elevatio* naturæ rationali nullatenus debita; ita & beatitudo æterna alterius vitæ eſt naturæ huic prorſus indebita, ut adeò *in providentia alia* Deus ſaltem potuiſſet naturam rationalem *non elevare*, ſed in ſtatu merè naturali permittere, & conſequenter ad prœmium, vel pœnam, *ſoli religioni naturali proportionatam*, ordinare, quæ omnia ſunt adeò plana, ut neque à Proteſtanticis, absque *Bajana* hæreſi, negari poſſint. Jam ſic: Juxta *Puffendorfium* diſciplina juris naturalis tractan-

(a) L. 1. *de officio hominis* c. 4. §. 8. in appendice ad epiſt. *Scherzertianam* circa finem f. m. 90.

tractanda est, *abstrahendo ab omni religione*, saltem revelata seu *verè* seu *imaginariè*, *ad captum* omnium hominum, etiam Gentilium, sic ut omnes *è sola ratione*, forsan ad positivam animæ immortalitatem, certè ad æternitatem pœnæ vel prœmii non pertingente, de officiis, jure naturæ debitis, convinci possint: ergo religio naturalis, *quatenus spectat ad disciplinam juris naturalis, tanquam vinculum Societatis humanæ*, intra sphæram solius vitæ hujus concludi nequit. *C. Dem.* Sic conclusa religio *evidenter* non esset *vinculum Societatis humanæ*; nam esset absque pœna vel prœmio *sufficiente*, cujus necessitas cuivis ex sola ratione, *citra revelationem*, est demonstrabilis; redderet jus naturæ *enerve*, nec *universaliter* efficax *citra statum elevationis*, adeóque, *spectato statu merè naturali, corrueret fundamentum obligationis sufficientis*, quo sine foret libertas exlex, impunitas scelerum, saltem in vitæ fine patrandorum; *incerta* foret *Reipublicæ intrinseca firmitas*; deficeret sufficiens stimulus ad patranda gloriosa facinora promovendæ Reipublicæ, fluerentque cæteræ sequelæ, à *Puffendorfio* remotis pœnis Divinis alterius vitæ, suprà enumeratæ: ergo *in disciplina juris naturæ* tractari debet religio naturalis, abstrahendo quidem *à prœmio supernaturali* beatitudinis, habitæ per *Christum*, & *ab æternitate pœnæ*, supponente statum elevationis; neutiquam tamen abstrahendo *à pœna vel prœmio alterius vitæ*, *religioni & statui merè naturali proportionatis*: ergo, dum *Puffendorfius* religionem naturalem, *in quantum spectat disciplinam juris naturæ*, tractat, *ut vitæ termino inclusam*, supposita ex statu elevationis pœnâ vel prœmio, *evidenter* vel non tractat, ut *firmum vinculum Societatis humanæ*, vel *religionem naturalem* cum *revelata* commiscet, *turpi errore disciplinas planè diversas confundente*, quæ ipsiusmet contra alios iniqua crisis, id quod hîc pluribus erat demonstrandum.

Frustrà erroneam crambem recoquentibus Puffendorfii apologetis: Webero,

℞. III. Exinde fluit, quàm turpiter *Puffendorfii* errore errent ejusdem paraphrastæ, & imprimis notator *Weberus*, qui ubique utrumque sphalma pluribus confirmat & defendit contra illustrem *Leibnitium*, ùt suprà jam vidimus.

Kemmerichio,

2. Enucleator *Kemmerichius* scribit: religionis naturalis duplicem esse usum: *primum in manuductione ad religionem revelatam*, quod verum; alterum *in promovenda Societatis humanæ felicitate*, *eò quòd per Dei timorem & amorem*, *etsi imperfectum*, *humano Generi melius consulatur*, *quam si prorsus abesset.* Neque hîc fallit, si religionem naturalem intelligit, ùt debet; *si vitæ termino conclusam* existimet cum suo *Puffendorfio*, pariter exerrat. Addit, religionem naturalem, *siquidem perfecta foret*, *& omnibus numeris absoluta*, suffecturam *ad felicitatem hujus & futuræ vitæ*: si futuram vitam modernæ providentiæ intelligit, ùt videtur, sapit *Bajanam* hæresin.

3. *Balthasar Wernherus* ait, cùm religionis naturalis non nisi *pædagogicus* sit effectus, quo *probabiliter* ducamur in cognitionem animæ immortalis, utì & alterius vitæ ratione *pœnæ vel prœmii*; disciplina verò Jurisprudentiæ naturalis ad ea, quæ *evidenter* omnibus Gentibus cognita, attendat, non malè fecisse *Puffendorfium*, quòd religionis naturalis effectum, *intra sphæram hujus vitæ*, concluserit, sicque conciliari ea, quæ scripserit *de officio hominis & civis*. (a) *Wernhero,*

4. *Laurentius Fleischerus* ex secundis *Thomasii* curis, affirmat, (b) quòd *lumen rationis pro scopo habeat saltem felicitatem hujus vitæ; felicitatem verò alterius ignoret*, & sic de aliis. *Fleischero, & aliis.*

INSTRUCTIO II. *Instructio 2.*

De habitu religionis naturalis ad Christianam.

§. I. §. 1.

De statu controversiæ, & suppositis Ecclesiastici systematis penes Protestantes.

Quæritur I. Quis status quæstionis, & hæc cur, & quomodo tractanda? *Status controversiæ.*

℞. I. Controversia est, Catholicos inter ac protestanticos Moralistas, an ex *statu*, *religione*, & *jure naturæ*, rectè formari argumentum possit ad *statum elevatum*, seu indolem religionis *Christianæ*, sic ut *divisio potestatis sacræ, atque profanæ* (quam ex jure Divino Catholici adstruunt) solidè à Protestanticis impugnari, totáque Hierarchiæ Ecclesiasticæ machina, *saltem indirectè*, dirui, ac ad *figmenta papistica* relegari queat, quam hierarchiam Ecclesiasticam, à politica divisam, veluti *monstrum politicum* statûs in statu, Reipublicæ perniciosissimum venditant; veluti *petram scandali*, deformationis

De divisione potestatis sacra à profana in religione revelata, ac Christiana.

(a) l. supra cit.
(b) In instit. J. N. & G, l. 2, c, 1, n. 60. & seqq. f, m. 540,

tionis *Lutherica* præcipuum obicem, averſantur, & tanquam *lapidem offenſionis angularem*, conterentem collegiales Proteſtantium ſectas, omni commoto lapide, amoliri tentant, ac collaborant.

Quæſtionis momentum noſtro ætate maximum, quia de Articulo fidei Catholicæ, per Proteſtantium ſtudia maxime impugnato.

℞. II. Inde colligitur quæſtionis tractandæ *momentum*, ætate noſtra *præcipuum*. Eſt enim hierarchica Eccleſiæ poteſtas Catholicæ religionis *Palladium*; ejuſdem profanatio, ſectæ proteſtanticæ *Ilion*: amoto illo, ruat illa; expugnato iſto, *Troja* proteſtantica deſtruatur, neceſſum eſt. Audiatur paraphraſis *Puffendorfii*: (a) *Cardo dogmatum*, inquit, *è quibus Chriſtianorum populorum intrinſeca tranquillitas & unio, magnam partem, dependet*, in eo vertitur, utrùm Salvatori noſtro, dum viam ad ſalutem mortalibus pandit, pariter introducere placuerit *poteſtatem quampiam ſacram*, quæ idonea ac ſufficiens ſit conſtituendo certo ſtatui, *à vulgaribus civitatibus ſeparato*, & num *unio* eorum, queîs eadem in Salvatorem fiducia, *in Rempublicam aliquam coaleſcere* debeat, *ab illis civitatibus diſtinctam*, quas inſtitui ſecuritas humani Generis coegit. Si enim Numinis juſſu ejuſmodi *Regnum ſacrorum* fuit conſtituendum, quale ab iis, qui Epiſcopi *Romani* ſectam ſequuntur, obtenditur, in quo *huic ſoli Divinitùs commiſſa ſunt imperandi arbitria*, reliquis omnibus obſequii gloria eſt relicta, nec ſupereſt, quàm ut duro quantumvìs jugo, quod Majores noſtri excuſſerant, cervices iterum ſubmittamus, ac ſuperbis pedibus oſculandis venerabundi advolvamur. *Nec ampliùs juſtam ſecedendi cauſam præbere poterunt corruptelæ*, queîs vel dogmata, vel mores temerati ab iſto arguuntur, non magìs quàm civibus fas eſt, obſequium in Principes ſtatim exuere, ubi hiſce ſecùs, quàm par erat, in Republica adminiſtrata appareant. Præſertim ubi illud æterna lege poſitum ſit, *ut extra Regni iſtius ſacrorum pomœria nemini ſalute potiri liceat*: quia quantocunque onere Mortalibus redimendum eſt, aditu felicitatis, ſine fine duraturæ, haud excludi. Unde & ratio haud fugit eos, *qui, præſenti maximè tempore, dominatum Epiſcopi Romani propugnant*, quòd * *Eccleſiæ vocabulum* præcipuè crepent, *idque ſuæ ſectæ nunc competere contendant*, reliquis omnibus hæreſeos convitio rebellionis notam impingant. *Hoc quippe ſolùm ubi pervicerint, totam cauſam obtinuerint*, & ſi qui læſos ſe putent, iis præter ſupplicare, ac vota fundere, relictum eſt nihil. *Ad hanc igitur adverſæ partis, velut arcem ſubruendam*, neceſſum eſt ad fundamenta Regni ſacrorum penetrare, & quid ſolidi iſta contineant, excutere: *quæ ſi commentitia eſſe demonſtratum fuerit, totam, quæ ſuperſtructa eſt, molem ultro corruere oportebit*. Ita hic Author, quæ poſt aliquot folia denuò inculcat, diſſerens *de argumenti hujus nobilitate*: nam poſtquàm dixiſſet, *hanc quæſtionem eſſe è præcipuis, quæ multo jam tempore per Orbem Chriſtianum agitentur, & in qua Pontificii veluti ſuæ cauſæ arcem collocent*, addit: *ſed & maximoperè tum rei Chriſtianæ, tum & tranquillitatis publicæ intereſſe, accuratè definiri, quouſque ſe extendat poteſtas Eccleſiaſtica, quam ſibi Sacerdotum Ordo vindicat, & quantum juris circa ſacra ſummis Imperantibus competat. Horum enim fines*, inquit, *niſi ritè regantur, non poſſunt non ingentes abuſus, turbæ, & oppreſſiones in Eccleſia juxta ac Republica provenire*. Ita *Puffendorfius*.

Tractandæ controverſiæ methodus ad confutandos Moraliſtas Proteſtanticos, & præcipuè Puffendorfium.

℞. III. Tractandæ controverſiæ methodum nobis Moraliſtæ proteſtantici dabunt, quos (uti ſuevimus hactenus) *preſſo pede* ſequemur: & quia *Puffendorfio*, velut Primipilo, tantoperè ſynciput inclinant, hoc præ cæteris decorticato, cæteros implumes dabimus, qui inſtar corniculæ plerumque non niſi *Puffendorfii* pennis ſuperbiunt.

Tales videbimus *Thomaſios*, *Henniges*, *Gundlingios*, famoſa nomina penes ſuos; ſpectandum ſe præbebit *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius*, *Theoſophus Tubingenſis*, qui *juris Eccleſiaſtici origines*, abhinc aliquot annis, (b) expilatas edidit è ſuprà dictis Authoribus, præcipuè verò ex *aureo*, ùt ait, *Puffendorfii libello de habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem* (c). Hinc eſt, cur inter alia etiam hunc *aureum partum* anatomico cultro ſubjiciemus; cæteras *tractatus hiſtorici* ſutelas *de Monarchia Romani Pontificis*, à *Puffendorfio*

(a) In libello *de habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem*, editionis *Bremenſis* A. 1713. qua poſthac utemur in deductione.

* *Sepoſita*, inquit, *diſputatione circa alia doctrinæ capita, cùm quidquid in diverſum è ſacris litteris objiciant Proteſtantes, vel eo ſolùm nomine repudiandum ſit, quòd ab interpretatione & traditione Eccleſiæ diſcrepet.*

(b) *Tubingæ* A. 1719.

(c) p. m. 83. & 209.

ſio editas; utì & *Coringianam* hac in materia fuliginem, (a) ſpeciali ſpongiæ, in hiſtoria Eccleſiaſtica, reſervaturi.

ejúsque libellum de habitu religionis Christianæ,

2. Porrò, ut etiam *Puffendorfio* calamum commodemus, movet hic *aureus* ejusdem puſio, * tantoperè diſſuaviatus à ſuis, quem juvat excutere, *num quid ſolidi contineat: ſi commentitius eſſe demonſtretur, totam, quæ ſuperſtructa eſt, molem profanati Eccleſiaſtici juris, ultro corruere oportebit.* Movet id ipſum, quod *Puffendorfium* movit, (b) *quod nempe ſolidæ circa jus ſacrum doctrinæ inſignis ſit uſus, hac præcipue tempeſtate, quâ Romanæ ſectæ Sacerdotes* (dicamus ſynedrii proteſtantici ſcribæ) *omnes ingenii nervos ad ſubvertendos à ſe diſſentientes intendunt, & ipſi principes Chriſtiani ad vim confugiunt, & adhibita manu militari miſiros cives ad cultum, quem averſantur, compellunt*; dicamus forſitan veriùs: quà Proteſtantici ſacra jura, *Lutherica* veſaniâ, paſſim profanant.

& retundenda Moraliſtarum proteſtantium maligna conamina.

3. Quòd in Juriſprudentia *naturali*, & *publica*, hanc controverſiam ventilemus, in cauſa ſunt proteſtantici Moraliſtæ, qui hac noſtra tempeſtate non alio fine tot ſtudiis videntur certare in excolenda, vel (ſiquidem maveiis) corrumpenda hac diſciplina nobiliſſima, quàm ut *per jus naturæ* graſſentur in poteſtatem hierarchicam, eamque in Juventutis Academicæ animis, *indirecto conamine*, labefacient, ac ſubruant. Inde eſt, quòd religionem potiùs politico ſtatui, quàm ſtatum religioni accommodent; inde illi clamores, *Religio Chriſtiana non abolet politias*; inde *Puffendorfii* Enucleator, *poteſtatem ſacram, Imperantibus inſitam, facilè intelligi, ait, ex natura Religionis & Imperii ab iis, qui vel præjudiciis, vel affectibus, vel privati commodi ſtudio haud faſcinati ſint* (c). Inde illæ *Puffendorfii* exhortatoriæ, *expedire, ut civitas ejusmodi doctrinis publicè perſonet, quæ cum fine* (felicitate nempe temporali) *uſúque civitatum congruunt*, & religioni, *ab aſſumentis humanis repurgatæ* (puta proteſtanticæ) *conformes ſunt.* Hinc illæ ejusdem admonitoriæ ad Imperantes ſummos *de jure examinis doctrinarum*, & de proſcriptione dogmatum, *quæ ſub ſpecie religionis, aut alio modo obtenduntur, quæ jus naturale, ac principia ſanæ politiæ convellunt, & exitiabiles morbos in civitate producere apta ſunt* (d). Hinc illæ demum ejusdem declaratoriæ, ejusmodi dogmata eſſe hæc, *de poteſtate extranei Sacerdotis diviſà, ac ſummâ; de Cleri ab eodem dependentia; de ejusdem à poteſtate politica exemptione; de Monachatu & cælibatu &c.* & ſic de aliis, quæ initio enumeravimus, & ex confeſſione propria, *Puffendorfius per ſuam Juriſprudentiam naturalem* proſcriptum ivit (e). Non igitur ægrè ferent *Puffendorfii* Aſſeclæ, ſi æqualibus ſtudiis, majore jure, & nos proteſtanticis ejusmodi phœnomenis Catholicum aerem purgemus.

Origo Controverſiæ:

Quæritur II. *Quæ fundamentalis origo hujus corruptelæ de poteſtate ſacrorum, quam in diſciplina juris naturæ ubique profanant proteſtantici Moraliſtæ?*

ex Lutheri deformatione, Eccleſiæ inducta;

℞. Nota *Germaniæ* labes, infelix *Lutherus*, qui mox initio cœpti diſſidii, ut *inducta confuſione* convelleret hierarchicum ordinem, *& profanatione ſacrorum* poteſtatem politicam lactaret, religionis revelatæ principia, ad ipſam pœnè ptimam naturalis religionis materiam reſolvit, ſicque quamdam formam anarchicam Eccleſiæ ſuperinducere allaboravit. Nam, in libro *de captivitate Babylonica*, prima jecit ſuppoſita, Naturaliſtis proteſtanticis admodùm commoda, ac opportuna.

ex ſuppoſitis, quòd ſola fides ſit neceſſaria;

I. Inprimìs pro fundamento *ſolam* fidem neceſſariam ſtatuit: *ita vides*, inquit, *quàm dives ſit homo Chriſtianus, ſive baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam, quantiscunque peccatis, niſi nolit credere: nulla enim peccata eum damnare poſſunt, niſi ſola incredulitas. Si credat, vel ſtet fides in promiſſionem Divinam, baptizato factam, in momento abſorbentur per eandem fidem &c.* Pœnitentiam, cæteráque pleraque Sacramenta ad hominum inventa & pecuniarum aucupia revocat: *Vanitas*

(a) In differt. de poteſtate politica circa ſacra T. operum 4. f.m. 615.

* Certè *Thomaſius* in ſecundis curis, ſeu fund. J. N. l. 1. c. 1. n. 22. 18. & 24. poſtquàm ſtatuiſſet *officia hominis erga Deum*, eorúmque deductionem ac quæſtionem circa doctrinam, pertinere *quò ad conſilia*, & minùs principaliter ad Theologus; *principaliter* ad Jureconſultos, quia *quò ad deciſiones*, ut addit, hæc tractanda ſunt *in peculiari libro de officio Principis circa ſacra*, vel *in libro juris Naturæ peculiari*, qualem *hujus ſtudii cúpido* commendat *Puffendorfii diſcurſus de habitu religionis ad Rempublicam.*

(b) In cit. libello f. m. 5.

(c) *Kemmerichius* in Elem. J. N. & G. c. 22. f. m. 313.

(d) L. 7. de J. N. & G. c. 9 n. 8. f. m. 961.

(e) In apol. §. 6. f. m. 6. & ſeqq.

tas vanitatum, quidquid extra fidem veritatis Dei laboratur &c. (a)

quòd lex nulla inter Christianos;

II. In Ecclesia sustulit potestatem legislativam: *Christiano, ait, nihil ullo jure posse imponi legum sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt; liberi enim sumus ab omnibus* (b). Unde deduxit, quòd *neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habeat jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, quidquid aliter fiat, spiritu tyrannico fieri* (c). Hinc papatum vocavit *Babylonem*, Papam *Anti-Christum*, qui toties peccet in libertatem Ecclesiæ, quoties aliquid præcipere attentet.

quòd inter illos perfecta æqualitas;

III. Æqualitatem inter omnes *Christianos* induxit: *Omne quod ex Baptismo prorepsit, gloriari potest charactere Sacerdotali, atque Episcopali* (d). Hinc statuit, *omnes esse æqualiter Sacerdotes, hoc est, eandem in verbo & sacramento quorunque habere potestatem, solámque ejus esse Communitatis, seu Majoris vocatione* (e): quamvis liberalior alibi neque vocationem istam requisiverit (f).

quòd nullum Ordinis Sacramentum;

IV. Sacramentum Ordinis abolevit: *Hoc Sacramentum Ecclesia Christi ignorat, inventúmque est ab Ecclesia Papæ* (g). Unde illud nil aliud esse dixit, *quàm ritum quemdam vocandi alicujus in ministerium Ecclesiasticum.* Addit: *Unde prorsus non video, qua ratione rursus nequeat Laicus fieri semel Sacerdos factus, cum à Laico nihil differat, nisi ministerio* (h).

quòd potestas clavium communis;

V. Potestatem clavium communem fecit. *Unde*, inquit, *Papa hanc habet autoritatem ex clavibus? Et hæ omnibus communes sunt: quilibet frater cum proximo, & ipse secum dispensare potest* (i). *Proinde non dubito, eum esse à peccatis suis occultis absolutum, quisquis sive sponte confessus, sive correptus veniam petierit, & emendaverit, coram quovis privatim fratre* (k). Item: *Sola authoritate Papæ, aut Episcoporum hic definiri nihil volo, sed si duo eruditi & boni viri in nomine Christi consentirent, & in spiritu Christi pronuntiarent, eorum ego judicium præferrem etiam Conciliis, qualia nunc solent cogi, tantùm numero & authoritate citra eruditionem & sanctimoniam jactata* (l).

explosâ Hierarchiâ Ecclesiasticâ anarchicum induxit regimen.

VI. Denique Hierarchiam Ecclesiasticam omnem explosit: *Nonne omnia* (de Hierarchia Ecclesiastica) *sunt illius* (*Dionysii*) *meditata, ac prope somniis simillima, si libere legas, & judices? In illa Hierarchia quid facit, nisi quòd ritus quosdam Ecclesiasticos describit, ludens allegoriis suis, quas non probat.* Hæc illa Reformatoris Ecclesiæ (si Superis placet) celebrata tantoperè placita; hoc Protestanticæ Ecclesiæ democraticum, veriùs anarchicum regimen; hæc illa confusio *Babylonica*, quam, ex Hierarchia Ecclesiastica confictam, magnæ parti *Germaniæ* obtrusit hic phantasus, miserabilî fatô, quòd solus, absque tot myriadum errore, desipere non potuerit.

Ex his præmissis scaturiit varietas Ecclesiasticæ formæ Protheâ apud Protestantes. Regimen pro diversitate locorum diversum:

Quæritur III. *Quam suæ Ecclesiæ formam, & quale regiminis ac potestatis sacræ systema, ex hisce Lutheri principiis, sibi formavit, & etiamnum format protestantica ejus Posteritas?*

℟. I. Difficilis quæstio, cui ipsimet, reor, protestantici Authores paucis vix responderent, respondere tamen si possent. Nobis sanè, quantum explorare licuit, forma multiplex visa est, pro varietate Regnorum ac Regionum, vel potiùs Principum, ac Magistratuum, penes quos est directorium, atque Ecclesiastica potestas summa, per pacem *Westphalicam* permissa: pro religionum itidem varietate, in quas sese jam ab initio divisit *Lutheri* dogma, ut adeò omnes formas, cùm nequeamus, unam saltem & alteram attingamus. Unde

ex Lutheri doctrina anarchicum;

℟. II. *Lutheri* doctrina, si etiamnum Protestantibus arrideret, *democraticum*, vel *anarchicum* potiùs Ecclesiæ regimen induceret, ferè ut *in statu mere naturali* religio foret, quò ad ritus, ad placitum cujusvis.

ex Augustanæ Confessionis principiis ambiguum;

R. III. *Augustana* Confessio *more suo* incedit, hoc est, *tecto lanceóque pede*: Ecclesiastico Ordini *vocationem* (uti-

(a) Tom. 2. f. m. 74. a. edit. lat. *Wittemb.* A. 1560.
(b) Fol. m. 77. a.
(c) Fol. m. 76. b.
(d) Tom. 1. Jen. Germ. edit. A. 1560. f. m. 090. a. Daß alles, was auß dem Tauff gekrochen, sich rühmen könne Priester, und Bischoff zu seyn.
(e) L. c. de capt. Babyl. f. m. 86. & alibi sæpiùs.
(f) Item f. m. 84. a.
(g) Tom. 6. Jen. Germ. edit. A. 1651. f. m. 101. Von der Winckel-Meß: Er seye berussen, oder unberussen, geweyht, oder ungeweyht, der Teuffel/ oder sein Mutter.
(h) De Capt. Bab. f. m. 86.
(i) F. m. 78. b. L. c.
(k) Item f. 80. b.
(l) Ibid. f. 84. a.

(utique cum *Luthero* per Magistratum sæcularem) necessariam tribuit *ad docendum publicè, & Sacramenta administranda.* Unde Sacerdotium baptismale adstruere non ausa *explicitè, implicite* è fundamentis *Luthericis* supponit: conjunctionem potestatis Ecclesiasticæ ac politicæ rationibus, infra dissipandis, impugnat, nec tamen ausa reprobare, dispertit, *potestatem gladii* revocando ad jus humanum; *clavium* verò ad jus Divinum. Hanc tamen ipsam clavium potestatem constringit *directione merè interna*, seu *ministerio verbi*, docendo & porrigendo Sacramenta; vel errores quoque, erroneósque excludendo à communione Ecclesiæ, sed *verbo, sine vi humana.* Cæteram Jurisdictionem Ecclesiasticam ad jus humanum, & Magistratum politicum avocat, Episcopos cum Pastoribus confundendo, potestatem Episcopalem, & maximè Pontificiam, sive legislativam, sive jurisdictionalem, pro libitu, verbóque Evangelii sui versatili, calliditate verborum ambigua, restringendo, atque eliminando. Ex hisce ruderibus *Petilianis, Donatisticis, Novatianis &c.* quam regiminis Ecclesiastici formam exsculpant, hærebunt, reor, ipsimet acatholici Scriptores. Unde

juxta Puffendorfium & Pfaffium est anonymum.

℞. IV. Eò adductus est D. *Christophorus Matthæus Pfaffius, Theosophus Tubingensis*, ut cum suo *Puffendorfio aureo* Ecclesiæ regimen esse velit *anonymum.* Sic habet: (a) *Unde & quæstio ista valde insipida est, ut rectè omninò animadvertit Samuel à Puffendorf in aureo libello de habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem*, (b) *cùm disputatur, num Ecclesia sit Monarchica, vel potiùs Aristocratica, aut Democratica: etsi enim analogias quasdam hic invenire detur, cùm omnis directio superioritatem quamdam supponere videatur, modósque & limites varios admittat, satiùs tamen est, ab omnibus ejusmodi comparationibus manum abstrahere, quàm civili negotio rei Ecclesiæ, quæ altioris longe indaginis sunt, adaptare.*

D. Pfaffius ad ideam Ecclesiastici regiminis apud suos

℞. V. Quid *Puffendorfius* in *aureo* suo libello sentiat, ex Amanuensi *Pfaffio* audiemus, qui haustas inde ideas, (c) ut communicet publico,

supponit Ecclesiam non esse statum, sed Societatem in statu;

Supponit 1. Ecclesiam Protestanticam non esse *statum* aliquem, sed *Societatem in statu*, (d) seu *Collegium* ex Doctoribus, ac Auditoribus conflatum, qui *jure libertatis naturalis* sponte coëunt ad cultum Dei publicum sive determinandum, sive exercendum, faciendásque pactiones pro disciplina collegiali, quæ, ubi ultro susceptæ, *necessariò etiam sub pœnis* servandæ sunt, (e) nisi quis è cœtu excidere, vel proscribi, aut à Magistratu etiam expelli mavelit. Hinc uti licitum ait, coire in statum *civilem*, sic & *in Collegium Ecclesiasticum, suffragante naturali libertate*, quam neque lex ulla, neque necessitas boni publici conservandi, vel promovendi, determinet, neque ullus alius, *absque nefanda tyrannide in conscientias*, valeat determinare. Conventiones illas *Leges Ecclesiasticas* vocat, seu Jura *conventionalia*, quibus Magistratus, etiam vi summæ potestatis, derogare haud possit *sine læsione libertatis naturalis, populo reservata semper*; etsi reservata sit illi inspectio pro casu litium, turbarum, *ad civilem manum*, ùt ait, *Republicæ illicò aspergendam.*

Jus Sacrorum esse duplex, Majestaticum, atque Collegiale;

Supponit 2. *Jus Sacrorum duplex, Majestaticum*, profluens ex superioritate territoriali; *Collegiale*, profluens à libera Collegii dispositione. Ad illud *revocat* 1. *Supremam inspectionem* in Collegium pro conservanda publica quiete, curando, ne Doctores principia, saltem *à Religione naturali aliena*, vel superstitiones, rixas Theologicas, atque seditiones foventia, hominibus ingerant, & ne vis ulla conscientiis

---

(a) De origin. Juris Eccles. edit. *Tubing.* A. 1719. f. m. 88.

(b) §. 31. p. 193. ubi legitur: *in Ecclesiis formandis non opus est Decreto super certa regiminis forma introducenda, absurdaque adeò sunt Quæstiones, an Monarchica, Aristocratica, ac Democratica forma competat Ecclesiæ? Hæ quidem formæ cadunt in statum aliquem seu civitatem; Ecclesia autem status non est.*

(c) L. c. f. m. 209. litt. a. Quæ hic adducit, tradit: c. 4. f. m. 181. per totum, *De vera*, ùt ait, *Juris Protestantium Ecclesiastici indole*, conformiter nempe ad mentem *Puffendorfii*, ejúsque sequacium, qui nullam penitus potestatem spiritualem Ecclesiæ datam agnoscunt, sed meram prædicationem & suasiones Pastoribus relictas, qui officium pastoris omne in nudam pabuli subministrationem, pedô & regimine cassam, convertunt, authoritatem, potestatem, ac jurisdictionem nullam, nisi in civili Magistratu residentem, & ab eo clementer indultam admittunt, jura sacrorum ex potestate territoriali derivant, excommunicationem & absolutionem esse ministerii iniquitatis, & Papalis tyrannidis reliquias clamant &c.

(d) Ex *Puffendorfii* libello §. 30. 31. & seqq.

(e) F. 201. *Ad quas servandas se sua sponte obligent, pœnisque etiam, quas tantisper sensu depurato ita nuncupamus, sese ita subjiciant, ut si eas haud lucre velint, Collegio dein exigantur.*

entiis inferatur *per anathematismos, hæretificinas, jurisdictionem coactivam, ullamve pœnam civilem* (a) dirimendo lites juxta confœderationis tabulas, contranitentes, ipso facto extorres Collegio, etiam vi expellendo, (b) *manúque pœnali* jura Collegii conservando (c), *Revocat* 2. *Potestatem summam* in cultu publico determinando, (d) conferendis privilegiis, disponendis beneficiis, bonis Ecclesiasticis, juribus circa Matrimonia, sepulturas, &c. *Revocat* 3. id omne, quod coactionem & jurisdictionem externam olet. *Per jura Collegialia* non intelligit *jura conscientiæ, & libertatis Christianæ*, juxta quam, ùt ait, soli Deo subjicimur; sed *jura directionis Ecclesiasticæ exterioris*, & ad eam reducit 1. Constitutionem Ministrorum Ecclesiæ, & ordinem inter eosdem. 2. Administrationem bonorum Ecclesiasticorum. 3. Judicia Ecclesiastica *per amicabiles compositiones.* 4. Disciplinam pœnitentialem externam, indictionem feriarum, jejuniorum &c. 5. Separationem à cœtu, *alienam tamen ab omni vi atque coactione externa.*

Jura Collegialia competere Collegio, esseque delegabilia;

Supponit 3. Hæc jura *ex naturali jure*, veteris Ecclesiæ praxi (juxta Protestantes alios ex Scriptura, seu jure Divino) *Collegio* in commune competere: sed cùm illud sit nimiùm diffusum, tot nempe Collegiatis, quot Civibus, ut ad disciplinam administrandam concurrere singuli nequeant, necessum esse ait, ut hæc jura *certis quibusdam personis* à cœtu committantur, quas vocat *Ecclesiam repræsentativam*, (e) utpote disponentem ex pacto de rebus externis, quin tamen fidei articulos decidat, vel injungat, sed doctrinam Cœtûs *historice* designet, nudisque suasionibus rem agat.

& quidem juste ac commode Magistratibus, Principibus, etiam irrevocabiliter;

Supponit 4. (f) Cùm Principes protestantes *jus Sacerdotii universalis* cum aliis *Christianis* commune habeant, ad hæc jura collegialia habiles esse: unde ait, in Protestanticis cœtibus hanc jurium administrationem, seu directionem externam, *ut plurimùm* in Principes & Magistratus, *consensu* cœtûs *saltem tacito*, (g) translata esse, ídque *commodè*, quòd rerum administrationi mox *civilem manum* affundere possint; & etiam justè ob beneficia, quæ in Ecclesiam contulêre, vel conferunt, (h) quam jurium translationem *irrevocabilem* statuit, eò quòd per *pacem Religiosam atque Westphalicam sigillum civile acceperit, ut munita à cœtu ad se amplius retrahi nequeat.*

hoc ipsum directorium Ecclesiæ à Principe esse subdelegabile in Consistoria;

Supponit 5. In potestate Principis esse, cuinam administrationem ejusmodi jurium velit subdelegare; eam communiter tradi consessui, qui *Consistorium* appellatur, cui utile sit, admiscere Doctores Theologos, saltem *hæretificinæ* non indulgentes; secùs utiliores fore meros politicos (i).

Suppo-

(a) f. 190. *Ne pœnæ corporis vel honoris afflictivæ in eodem Collegio exigantur.* Quis igitur *sensus ille depuratus* pœnarum Conventionalium, de quibus supra? Et ejusmodi jus defensionis contra vim omnem, in apologia Confessionis *August. Carolo V.* tributam, ait f. 214. sub Litt. d.

(b) Unde ibidem sub Litt. h. ejusmodi expulsionem *Excommunicationem* appellat, cujus jus soli *Magistratui* competat: sic exclusos nihilominùs à cæteris tolerandos, nullisque injuriis Ecclesiasticis vel anathematismis exagitandos, affirmat.

(c) Negat f. 187. Litt. d. hic objici posse, quòd *brachium seculare* cœtui quasi inserviat, quia ipsas quoque causas dijudicat.

(d) Ad quam reducit jus reformandi &c.

(e) f. m. 187. sub Litt. c.

(f) f. m. 173.

(g) Nam, ùt ait f. 198. sub Litt. S. administrationem jurium collegialium non competere *Principi* ùt *Principi*, nec ùt *Christiano*, nec ùt præcipuo Ecclesiæ membro; sed libera cœtûs communicatione.

(h) *Reifendß Heremontanus* de summa Principum *Germanorum* potestate f. m. 75. ait 1. Consultissimum fore, si facultas vocandi & ordinandi Pastores protestanticos esset penes eundem, cui de Religione, ejúsque exercitio disponendi potestas est: in *Germania* tamen jus præsentandi esse tam strictum, ut inscio patrono qualicunque (Episcopalis jura habenti) Pastorem (excepto Superintendente) substituere non liceat. Addit: subjectum præsentatum habere 1. Orationem δοκιμαστικὴν Prob-Predig. 2. A Superintendente examinari, & si habilis inventus sit, ordinationis & confirmationis testimonió muniri à Consistorio. 3. Subin sequi investituram, convivia, quæ salvâ, ùt ait, conscientiâ omitti possent.

(i) Idem ibid. f. m. 78. In descriptione regiminis Ecclesiastici apud Protestantes sic habet: inter quos (Consistoriales) Præsidem politicum, non Theologum, esse oportet, prout hoc ponderosis rationibus vir summus, & in superiore *Saxonia* Cancellarius magni nominis, in sic dicto ad Principem suum consilio, deduxit. Rationes petuntur 1. ex intervenientibus processibus ùt plurimùm politicis, 2. ex paritate cum Synedrio *Judaico*, cui, ùt ait, non summus Sacerdos, sed delegatus à Rege, qui *Nasi* dicebatur, solitus sit præsidere. Sed videantur de his, quæ in historia sacra alibi demonstravimus.

Quibus tamen per jura collegialia, utpote limitata in controversiis fidei, non alia competit decidendi facultas, quàm merè historica.

Supponit 6. Jura Collegii non esse *absoluta*, sed *limitata*, sicque protestanticis Principibus tradita, ut conscientiis non dominentur, fidem aliam non inducant, nec ultra cœtûs intentionem, & in ejus præjudicium illam exerceant, secùs fore jurium abusum, tyrannidem, nullatenus ligantem (a). Unde nec aliam illis facultatem ad controversias fidei decidendas tribuit, quàm *merè historicam*, dicendo, hanc esse doctrinam cœtui conformem, &, nî tradito munere quis carere velit, tenendam; non autem *judicialem* determinando, hanc esse sententiam veram, &, hæreticus nî audire velit, credendam, id quod tyrannidem oleret. Denique subjungit: *nulli, & ne toti quidem Collegio seu Ecclesiæ jus competit, vel fidei ita determinandi, ut ad eandem sententiam tenendam alter obstringatur.*

Ex quibus deducit Jurisdictionem internam merissimè persuasivam, cuivis competentem, nullâ nisi charismatum prærogativâ; externam verò Magistratui adscribendam;

Ex quibus *colligit* 1. Jurisdictionem *internam*, Clero tribui solitam, non esse nisi merissimè *persuasivam*, Evangelium declarando, hortando, & cuivis *Christiano* competentem (b). Hinc omnes asserit *Sacerdotes*, dignitate æquales, nullo inter *Doctores* & *Auditores* discrimine, nisi *charismatum*, queîs quis altero antecellit, & *ministerii obeundi ratione*; neutiquam verò dominii cujusdam, superioritatis, aut Sacerdotii charactere (c). Jurisdictionem *externam*, seu *quovis modo coactivam*, in absolutionis, cœnæ, ùt ait, sacræ denegatione, è cœtu ejectione, similibúsque anathematismis in scandalosos, vel ad jura *Majestatica*, vel *Collegialia*, Magistratui debita, revocat, quæ, utì ait, *Episcopalia ab illo stemmate, qui ex jure Cannonico, impuro fonte, manat, male nominari soleant* (d).

Subjectionem in spiritualibus esse nullam prorsus, quovis in Judicem sibi ipsi sufficiente;

Colligit 2. In rebus spiritualibus, seu internis, *nullam subjectionem locum habere*, (e) cùm ne quidem plebs hac ratione Clero subjici possit, multò minùs Princeps. Administrationem porrò jurium Collegialium *admodum delicatam* esse affirmat, ut ne quid agatur, quòd tyrannidem oleat: cùm nullus ritus nolentibus sit obtrudendus; nullum dogma, ut credatur, jubendum sit, ne Jurisdictio spiritualis, in dogmate decisiva, ulli Concilio, Synodo, Consistorio, Facultati Theologicæ, aut Senatui Ecclesiastico tribuenda sit, praxi hac Pontificia Protestantibus horridá. Addit ex *Thomasio*: *Nec sane ea opus est, ut Judex personalis, dogmatum Christianorum decisivus, qualem Romanenses postulant, adsit, nisi quod quivis propriæ fidei judex ut sit, conveniat, donec in supremo judicio judicium à Domino hoc feratur* (f). Et hæ sunt *Puffendorfianæ*, à recentissimo hoc Theologo recoctæ, ideæ circa jus sacrum, & Ecclesiarum Protestantium regimen, quas esse *Platonicas*, hoc est, *universales*, cunctisque Protestantium Ecclesiis *communes* nec ipse profitetur.

Jurisdictionem externam, quòd Jura Collegialia delegabilia, à variis variè delegatam.

℞. VI. Ex illo principio, quòd collegialia Jura, & Ecclesiæ directorium, *Jure naturæ* Communitati competens, *ex confœderationis mutuæ* arbitrio pendeant, (g) & cuicunque pro libitu delegari possint, deducit, quòd alicubi à Magistratu, alibi à solo Clero, vel à Presbyteris laicis exerceatur. Ubi Princeps est alienæ Religionis, horum jurium exercitium vel Clero, vel communibus votis relictum esse, testatur (h). In *Belgica*, & *Hamburgensi* Ecclesia protestantica (i) directorium cœtûs esse penes Presbyte-

(a) f. m. 198. & 204.
(b) f. m. 206.
(c) f. m. 65. & 66. idem repetit f. 114. Si per Clericos Doctores Ecclesiæ, per Laicos Auditores intelligantur, transeat hoc tantisper; in terminis simus faciles: at si credatur Clericis certus quidam sanctitatis character adspersus, qui in subjecto Clericali, tanquam dignitas quædam, atque ἐξοχὴ sacra effulgeat, & dein Laicos ad ignobiliorem in Ecclesia gradum detrudat, ipsisque solam obsequii & submissionis gloriam relinquat, primus egomet, Theologus licèt fuerim, sublato lapide hoc, quidquid est monstri contundam, donec è terra viventium deleatur. Spectrum ejusmodi in scholis sacris haud tolerandum, sed adhibito eo, quo par est, exorcismo auditoriis, Ecclesiisque nostris exigendum est. Dignitatem sacram non nisi charismata sanctiora, majórque rerum Divinarum cognitio & experientia, denique major in sanctitate *Christiana*, vitáque spirituali gradus adaugent.

(d) f. m. 207. Etsi Apostolus Gentium jam ad Majores natu Ecclesiæ *Ephesinæ* dixerit: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. Apost. c. 20. v. 28.
(e) f. m. 208.
(f) f. m. 242. sub litt. m.
(g) f. m. 188.
(h) f. m. 204.
(i) Quo nomine (ùt initio diximus) *Lutheri* & *Calvini* Asseclas comprehendimus, nam quos *Westphalicum* fœdus conjunxit contra Catholicos, Catholicus homo non separet.

byteros laicos, (haud exclusis tamen Doctoribus) affirmat (a).

Diversas exinde Ecclesiastici Regiminis formas recenset.

Tum Politicorum quorumdam protestantium alias & alias de Sacris Juribus opiniones, variásque Ecclesiastici regiminis formas, ac systemata refert, ut protestantica, reor, Ecclesia formarum omnium commoda experiatur. De *Thoma Erasto* Doctore *Basileensi* & *Heidelbergensi* testatur, (b) quòd statuat *excommunicationem, cum minorem tum majorem, Ecclesiæ, non Magistratui competere*, quod *Pfaffianis* ideis haud congruit, eò quòd Jurisdictionem coactivam oleat. *Thomam Hobbesium*, ulteriùs progressum affirmat, cùm ait, *civitatem Christianam esse Ecclesiam, ex quo principio omnia Ecclesiæ Jura ad Principem transfert, eique determinationem omnium fidei articulorum, excepto illo, Christum esse Messiam, adscribit.* Hanc insuper doctrinam defendisse apud *Belgas Adrianum Houtvinum* asseverat (c). Tum ad formas Ecclesiastici regiminis in *Anglia* delabitur, atque *varias* esse: (d) alibi obtinere *Episcopalem*, quæ publica, præcipua, & Regis sit, ubi Episcopi Presbyteris à se ordinatis supereminent, sic tamen, ut Jura Collegialia pauciora ipsi, præcipua Rex, qui *Defensoris Fidei* titulum ea propter jam gerit, exerceat (e). Alibi vigere *Presbyterialem*, ubi nullus Superintendens, quâ formâ omnes Ecclesias *Calvinianas*, atque etiam *Lutheranas* in *Belgio*, dirigi asserit: alibi *mixtam* ex forma *Episcopali* & *Presbyteriali*, quâ formâ plerasque imperii Ecclesias *Lutheranae* gaudere testatur. Hanc in rem *Joannes Reifeindso* sic disserit: (f) *Quoniam in omni societate ordinem esse oportet, nec, inter Clericos ordinem facere, erit incongruum. Hinc in Ecclesia tres Clericorum gradus constituuntur, quidam Episcopi, quidam Presbyteri, quidam Diaconi appellantur. Sicut autem potestas Episcoporum valde imminuta est apud Nostrates, ita & nomen illorum exosum ac superbum, in mitiorem Superintendentiæ titulum, est mutatum. Et inter hos quidam est, qui Generalis vocatur, cui inspectio in omnes, cujuscunque sit gradûs, Principi suo subjectos, competit Clericos.* Immò in *Saxonia*, & Ducatu *Luneburgico* quosdam reperiri asserit, *qui etiam Superintendentiæ Generalissimi titulum affectent* (g). Denique subjungit, *inter ipsos Clericos Superintendentem primum locum obtinere, oppidanos Pastores, eosque, qui in suburbiis habitent, præcedere debere, dubitandum non esse.* Asserit quoque, alicubi in usu esse, ut Jura Collegii, communi omnium consiliô, administrentur, nempe apud *Independentes*, qui nullum Ministerium Ecclesiasticum agnoscunt, quovis ex cœtu & baptizante & docente. Addit *Quackeros* in *Anglia*, qui repudiatô omnî ministeriô Ecclesiasticô, immediatis Dei suggestionibus inhiant, quovis, qui spiritum in se agere credit, in publicum sua promiscuô studiô efferente. Addit *Mennonitas* in *Flandria*, seu *Anabaptistas*, qui Doctores suos *Monitores* appellant, atque suas ipsi in sectas abeunt, maximè, quòd in excommunicationis disciplina à se invicem plurimùm dissideant. Addit *Collegiatos*, qui promiscuè sua in publicum effundunt, & sic de aliis, quorum descriptione & ipse D. *Pfaffius* videtur fessus, cujus ferè verbis hæc cuncta retulimus, non absque pluribus

(a) Fol. m. 155. sub litt. i. Ubi lites exortas enarrat inter *Remonstrantes*, & Protestantes, illis per potestatem *Architectonicam* Magistratui Jura Collegialia adjudicantibus; his verò negantibus.

(b) f. m. 159. sub litt. i.

(c) Addere potuisset *Joan. Seldenum*, & *Colemannum* cum suis in *Anglia*: *Ludov. Molinæum Oxfortensem*, *Lambertum Velthusium Ultrajectensem*, *Nicol. Vedelium Franeckerensem*, *Bened. Spinozam Amstelodamiensem*, *Remonstrantes & Arminianos in Belgio* cum famoso *Hugone Grotio*, qui l. de Jure Summarum Potestatum circa Sacra c. 5. §. 12. hanc tenet *Houtvini* sententiam: *Ethnicis quoque Principibus Jus definiendarum Controversiarum, inter Christianos de Religione ortarum, competere.* *Hobbesii* deliria in prolegomenis attulimus: *Houtvini politicam contractam*, *Hobbesii* magis adspersam, emendare conatus est quidam anonymous in *appendice* libelli *Puffendorfiam de habitu religionis* à f. m. 271.

(d) Fol. cit. & 153.

(e) Ibi pluribus describit *novum* discrimen inter *Episcopales rigidiores & modestiores*.

(f) In descriptione moderni Regiminis Ecclesiastici apud Protestantes, de Summa Principum *Germ.* Potest. c. 5. f. m. 83.

(g) Obiter notat, in inferiore *Saxonia* quemdam *Generalissimi* nomen affectâsse, de quo nomine, tanquam monstro vocabuli, utpote de notante *Episcopum Episcoporum*, und formale Description des Römischen Pabsts, unter welchen niemands anders als der Lands-Fürst verstanden werden kan, &c. Cancellarius vehementer sit conquestus: Addit: *in Ducatu Luneburgensi hos, ambitionem militarem spirantes, titulos non exulare: quoniam non nemo, qui non ita pridem Generalis vocabatur, nunc etiam* Ober-*Superintendens audiat; & alii Consiliariis Principum de præcedentia (ô desperatum seculum!) controversiam moveant.* Ita hic Author.

pluribus motivis, quæ inter & illud, ut animadversionibus, inferiùs deducendis, Adversarios minùs habeamus adversos, & tanti apud ipses, tamque recentis Theologi, authoritate in veritatis agnoscendæ orbitam efficaciùs constringendos.

Ut adeò Protestantica Ecclesiæ regimen quovis pene alio territorio anus D. Pfaffius merito anonymum velit, seu innominatum.

Id unum addimus, ex adductis hactenus satis clarescere, Ecclesiastici regiminis formam apud Protestantes non male à *Pfaffiis, & Puffendorfiis dici anonymam*: siquidem illis formam *Monarchicam* civilem; his *Aristocraticam* profano-sacram, seu *Mixtam*; aliis omnino *Democraticam*, & à quavis potestate, ratione fidei, prorsus independentem adstruentibus. Qui hujusmodi regimen *Anarchiam Ecclesiasticam* dicere noluerit, nemo meliùs baptizârit, quàm si *anonymam*, seu *innominatam* appellârit.

Jus sacrorum profanis Principibus assertum.

Quæritur IV. *Quale jus sacrorum, ex systematicis hisce suppositis, sibi exsculpsere protestantici hierophantæ?*

℞. I. *Supponendum* 1. quòd *Jus sacrorum* in latiore sensu dicat potestatem Ecclesiasticam *tam ordinis, quam Jurisdictionis.*

Supponendum 2. quòd per *potestatem Ordinis* intelligatur *facultas quædam moralis, ad Dei cultum, & salutem Fidelium ordinata*, & consistat partim in oblatione SS. sacrificii, & administratione Sacramentorum, debitis cum ceremoniis; partim in prædicatione verbi Divini, sic ut primum ad religionem, Deo debitam; alterum ad sanctificationem; tertium ad instructionem Fidelium institutum sit. *Supponendum* 3. quòd per *potestatem Jurisdictionis* intelligatur *facultas legitima disponendi circa ea, quæ principaliter respiciunt finem supernaturalem*, exercendo scilicet libere ea omnia, quæ ad defensionem, atque provisionem Ecclesiarum, directionem religionis, statúsque Ecclesiastici pertinent. Porrò alia denuò est *potestas jurisdictionis internæ*, quæ forum pœnitentiale respicit; alia *potestas jurisdictionis externæ*, quæ in foro Ecclesiastico exercetur in *ordine ad gubernandam convenienter, pro animarum salute, Rempublicam Christianam.*

Potestas Ordinis, ex baptismo conjurvis, consistit in vocatione, seu deputatione, facta à Cœtu, vel Principe.

℞. II. *Potestas Ordinis* apud Protestantes, penes quos sacrificium reale nullum, *desolatione* ac *vastitate*, etiam Gentibus abominandâ, & penes quos Sacerdotium *per baptisma* omnibus, etiam mulierculis, commune, nil aliud reverà est, quàm *deputatio Ministrorum a Cœtu vel Principe sæculari facta*, eaque merè *profana*: nam si quæ alicubi ceremoniæ interveniunt, non reputantur necessariæ, nec à *Christo* institutæ; sed vel ex reliquiis Catholicis servatæ, vel ad *imitationem quamdam*, simiarum more, excogitatæ, & propter *ornatum aliquem exteriorem* adhibitæ. Hanc igitur *potestatem Ordinis* in actu primo cùm habeat baptizatus quivis & quævis, in actu secundo Principes protestantici dedignantur, etsi eandem habeant in *eminenti*, cum juxta protestanticum brocardicum *quilibet Princeps in territorio suo sit Papa, teste Samuele Strickio* (a). Unde *de potestate Ordinis* hic ipse subjungit: *variora* de hujus exercitio *exempla sunt, quod Uladislaus*,* *Poloniæ Rex, Doctoris simul & Pastoris munere functus; & Georgius Princeps Anhaltinus, idem ordinatus Pastor, & editis quoque homiliis clarus fuerit; Princeps alius, convocata in Ecclesiam plebe, sermonem Ecclesiasticum, Clericali indutus habitu, in suggestu non ita pridem pronuntiavit. Ita Strickius. De Elisabetha, Anna &c. Ecclesiæ Anglicanæ Capitibus*, ac Papissis summis, quàm, vel ad colum nictitantem aniculam, *potestas ordinis* latere potest?

Potestas jurisdictionis dicit jura partim Majestatica, partim Collegialia.

℞. III. *Potestas jurisdictionis*, seu usus sacrorum jurium (sive dein *Collegialia* sive *Majestatica* vocitentur) est multiplex penes Protestantes, & totus prope Principi, ac Magistratui sæculari adscribitur, qua de docet *Struvius* (b): Superioritas sacra, seu Jurisdictio Ecclesiastica, sive vocetur Jus *Papale, Episcopale, Diœcesanum &c.* apud Protestantes est *jus Principis circa sacra, seu jus sacrorum, Principi in territorio competens.* Addit: *hoc jus consistere in jure Patronatus Regio.* Ejusdem vi, inquit, singuli Status protestantes in Provinciis ea, quæ ad defensionem atque provisionem Ecclesiarum, directionem religionis, atque statûs Ecclesiastici faciunt, liberè exercent; leges Ecclesiasticas promulgant; synodos & colloquia instituunt; circa bona Ecclesiastica disponunt; Senatus Ecclesiasticos, qui circa politiam Ecclesiæ; consistoria, & Judicia Ecclesiastica, quæ circa causas Ecclesiasticas (c) versantur, instituunt; vocant,

(a) In sua dissertatione.

(*) Qualis sit, non exprimit, fortè ne in veritatem inquiri possit, uti de *Maximiliano* I. & *Carolo* V. *quos Pontificatum affectâsse*, insigni mendacio scribit.

(b) In jurisprud. publica c. 20. f. m. 614.

(c) Quas inter recenset præcipuè *matrimoniales*, unde *dispensationes*. In dubio, inquit, adhibentur judicia Theologica à Principe, dicunturque Gewissens-Rathe.

cant, admovent, & amovent Ministros, atque inter hos *Superintendentes*, qui jura Episcopalia, *Principis nomine*, exercent, promulgant leges Ecclesiasticas, ac singula disponunt, quæ ad causas Sacrorum faciunt; gaudent denique omni jure Papali, & Episcopali, idque absque provocatione, nisi forsan per modum gravaminis, *in dubio pacis Westphalicæ*, causæ ad Imperii Comitia deferantur. Ita ille.

Titulus hujus sacri juris assignatur jus Majestaticum superioritatis territorialis.

℞. IV. Hujusmodi usus, vel potiùs abusus protestanticus, quò ad *Ecclesiasticam jurisdictionem*, initio fundatus erat in illo brocardico absoluto, quòd, *cujus sit regio, illius sit quoque religio.* Suppeditatum illud jam olim à *Marsiliis Paduanis* damnatæ memoriæ; à *Luthero*, *Calvino*, eorúmque asseclis etiam est ampliatum, ejúsque prætextu, sub exordia deformationis protestanticæ, eliminata fides Catholica, eversa templa, dejecta altaria, ejecti Præsules, exturbati animarum curatores, contempta jurisdictio Ecclesiastica, conculcata vix non omnia, quæ Deo erant sacrata. Sed postmodùm, ut autonomicæ conscientiæ libertati magis consulerent, ex naturali jure *Religionem* dixère *ab omni imperio liberam*; jurisdictionem *in interna* esse nullam; jurisdictionem *externam*, partim Collegio Ecclesiæ, partim Principi esse propriam, suffragante jure naturæ, & indole summæ Potestatis, ùt habet *Puffendorfius*. Juxta plerosque tamen protestanticos ICtos jus sacrum, etiam *reformandæ religionis*, per pacem *Westphalicam* acatholicis Statibus cessum est *ex titulo superioritatis territorialis*, seu ùt fundatum in illo procardico absoluto: *Cujus est regio &c.* Inde *Coccejus: evangelicis Statibus, tota Ecclesiasticorum in eos jurisdictione suspensâ, & abrogatâ, competunt vi Superioritatis territorialis in suis territoriis omnia jura, cùm Episcopalia, tum Papalia* (a). etsi reverà per pacem *Westphalicam* iisdem non *ex*, sed *cum jure territorii*, & *superioritatis*, hoc jus Sacrorum relictum sit, *postquàm in titulum prætenderunt usum, à tempore dissidii eousque penes suos inductum, quem tamen Orthodoxi abusum potiùs dicere potuissent*, uti rectè animadvertit nonnemo Author vel ex ipsis protestanticis (b).

Quæritur V. Quænam circa jus Sacrorum specialia Puffendorfii phantasmata?

Puffendorfii excentricitas circa jus Sacrorum. Quò ad religionem internam autonomica, & ab omni imperio independens libertas;

℞. I. *Religionem internam*, per *Christianismum* in Baptismo susceptam, & cuivis *jure Divino* in S. Scriptura revelatam, ab omni prorsus imperio liberam, *libertate in naturali jure fundata*, pronuntiat. Unde ejus Enucleator ait (c): *in ipsam religionem internam nullum Imperanti imperium competere; subditis omnimodam libertatem credendi esse relinquendam, nec sine labe tyrannidis constringi posse, si modò absit periculum Reipublicæ: examen item, ac decisionem omnium controversiarum Theologicarum cujusvis judicio relinquendam* &c. Qua in *Lutherica* autonomia etiam secedit à *praxi*, & *mente* multorum è suis. Certè *Hennigos* autonomicam hanc licentiam, ùt Reipublicæ tranquillitati periculosam, proscribit, dicens: *vacillare civilem concordiam, ubi Religionis unitas vacillat*, id quod pluribus rationibus demonstrat (d). Suorum praxin reprobat ipse *Puffendorfius*, dum ait: (e) procardicum illud: *Cujus est regio, illius est religio*, à protestantibus initio *fuisse arreptum, ut eò plausibiliùs authoritatem Cæsaris, reformationi ipsorum intercessuri, protelare possent, velut ad Cæsarem nihil spectaret, quid ipsi in sua ditione agerent. Aliàs*, inquit, *nisi veritatem religionis iidem præsupponere potuissent, jus territoriale non efficiebat, ut ipsis fas foret, subjectos ad amplectenda falsa dogmata compellere.* Sed hanc autonomicam stribiliginem, ejúsque titulum, *è naturæ jure* arreptum, in Collegiis historicis sufficienter depeximus, (f) & per decursum ampliùs proteremus.

Quò ad potestatem Ordinis, fundatam in laicali vocatione;

℞. II. Jus Sacrorum, prout dicit *potestatem Ordinis*, seu *munus docendi*, distinctum esse affirmat à conditione cujusvis *Christiani*, fundátque *in peculiari vocatione, ac aptitudine*: unde infert, Principes, profitendo religionem *Christianam*, non hoc ipso fieri *Episcopos, ac Doctores Ecclesiæ, eo quòd Principum, & Pastorum munera sic comparata sint, ut ab uno, eodémque commodè exerceri nequeant, non ob naturalem aliquam repugnantiam, sed ob gravitatem negotiorum, quæ utrumque munus comitantur, quibus ritè obeundis unus homo par non sit.* (g) Unde Princeps, æquè baptizatus, si forsan nego-

(a) In jurispr. publica c. 22. n. 15. f. m. 400.

(b) Author Meditationum ad instrumentum pacis ad hunc articulum specim. 4. §. 30. litt. f. fol. m. 423.

(c) In elementis J. N. & G. c. 22. f. m. 313.

(d) De jure sacrorum c. 5. n. 67. f. m. 325.

(e) De habitu religionis §. 54. f. m. 267.

(f) P. IV. Q. 7. & P. V. Q. 1. per totum.

(g) De habitu religionis § 42. f. m. 198.

negotia permitterent, se ipsum æquè *vocare* posset, & cùm verbum Dei *jam divinitus præscriptum*, ùt ait *Puffendorfius*, & cuivis adeò *clarum sit*, ut fidei dogmata agnoscere, sibique religionis systema formare possit, æque ad id aliis prædicandum habilis foret, nî ignobilem spartam satiùs aliis relictam vellet.

Quò ad potestatem Jurisdictionis externæ, Principi esse debitam, ratione Imperii summi,

℞. III. Jus Sacrorum, prout dicit *Jurisdictionem extrinsecam*, juxta *Puffendorfium* (a) *abusivè* vocatur *Papale*, *Episcopale*, cùm nihil aliud sit, quàm *jus dirigendi externum religionis exercitium, providendique, ne ejus prætextu societas civilis turbetur.* Porrò hoc jus, pene totum, attribuit Principi, fundatque partim *in indole summi Imperii*, conjuncti cum officio *Christiani*, partim *in delatione ipsius Ecclesiæ, facta Principi*; sic ut in unum tam jura *Majestatica*, quàm *collegialia* confluant.

Quod continet jus defendendæ Ecclesiæ,

℞. IV. Eodem teste, (b) ex jure summi Imperii, *Christianismo* suscepto conjuncti, oritur 1. Jus Principis *Majestaticum* defendendæ, protegendæ, & sustentandæ Ecclesiæ, sed cum exclusione *omnis coactionis* respectu fidei, omnisque profusionis respectu Cleri, *cùm reditus enormes, & Doctoribus inutiles, Ecclesiæ, & Civitati perniciosi sint.*

Generalis inspectionis,

2. *Jus generalis Inspectionis*, utì in alia Collegia, ita & in Collegium Ecclesiæ: nec enim, inquit, per doctrinam Evangelii, vel per susceptam à Principe religionem, minuitur ejus potestas summa: ergo ei competet *inspectio*, ne quid ex illo Collegio (utì pronum est) detrimenti redundet in Rempublicam; ne à legibus civilibus recedatur; ne per Sacerdotes jura Collegii extendantur, *uti nullo, futilive fundamento, causæ matrimoniales ad forum sacrum pertractæ sunt magnô Principum præjudiciô*: ergo Principi competet examen doctrinæ, *ne eidem assumenta, Reipublicæ perniciosa, admisceantur, quæ puram Evangelii doctrinam, sordium instar, deforment.* *

Constituendi Ministros Ecclesiæ,

3. *Jus constituendi Ministros Ecclesiæ* Principi tribuit, *ùt parti*, & membro Collegii præcipuo, quia originariè hoc jus *collegiale* esse affirmat: inspectionem tamen in electionem, & Pastores electos per & in Consistoria, eidem, *ùt Principi*, assignat.

Convocandi Synodos.

4. *Jus convocandi* Synodos *Majestaticum* asseverat, eò quòd, *exortis controversiis*, quæ magnos motus in civitate excitare queant, Principis sit de remediis prospicere.

5. *Jus circa disciplinam morum Ecclesiasticam* (quam non nisi Ethnicorum intuitu initiò assumptam ait) ad Principem refertur, *quia facile in abusum trahi, & in genus aliquod imperii invalescere potest, non sine insigni summorum Imperantium præjudicio.* Unde, delinquentes ad forum civile trahendos, asserit, pœnis civilibus emendandos, vel saltem ad castigationem Ecclesiasticam dimittendos, siquidem Principi videatur, *sine cujus consensu* bannus, seu excommunicatio nunquam sit infligenda. *Inspectio disciplinæ Ecclesiasticæ;*

6. Jus abrogandi constitutiones Ecclesiasticas, Principum juribus adversas; item sanciendi novas, decori Ecclesiæ, *sed non nisi externo*, accommodas, Principi confert; neutiquam verò *concernentes religionem internam*, nisi quò ad præcepta, *religioni* quoque *naturali* conformia: horum enim transgressiones, etiam pœnîs civilibûs constringendas, affirmat, quòd *velut fundamentum Reipublicæ* convellant. *Abrogandi, & sanciendi constitutiones Ecclesiasticas;*

7. Jus tolerandi diversas religiones, *quæ sine insigni diminutione civitatis, & detrimento* expelli nequeant. Principi tribuit, *si modò quies servetur publica, nec sint admixta dogmata, quibus aliquid detrahatur summorum Imperantium juribus, aut obsequio iisdem debito, aut per quæ cives ad seditiones, turbásque movendas disponantur.* (c) *Tolerandi diversas sectas;*

8. *Jus reformandi* errores, & abusus ex religione, siquidem *Populo*, vel *Principis juribus* derogatorii sint, ex *libertate naturali* Principi transcribit: hac enim libertate, inquit, Imperantes summi *in excellenti gradu gaudent, sic ut propria authoritate præjudicia sibi illata averruncare possint.* Unde rebellionis, aut defectionis labem, & turbas errantibus imputandas, ait: quod tamen Protestantibus haud applicandum, affirmat, eò quòd sese subtraxerint usurpationi Pontificiæ potestatis, cùm huic potestati neque Divinitùs, neque *per ultroneam submissionem, è liquida scientia profectam*, adstricti fuerint, ut adeò ob *periculum animæ justa conscientia, & libertatis vindicatio dici potiùs debeat.* Cœterùm *jus reformandi* errores, etsi fundamentum fidei *directè* vel *indirectè* convellant, non esse penes Principem, vel ullam potestatem humanam, *Reformandi errores, & abusus, non tamen promiscuè omnes.*

(a) De habitu relig. §. 40. f. 194. Item §. 43. f. 199. Item ejus Enucleator l. c.
(b) §. 43. cit. & seqq.
* Per hæc *assumenta* sugillat Catholica dogmata *de Primatu Papæ, immunitate Ecclesiastici Ordinis, S.S. Invocatione, purgatorio &c.* quæ alibi, ùt Reipublicæ perniciosa, declarat.
(c) §. 50. f. 214.

ſtàm, affirmat, *ſi modò præſtentur ea, quæ ex natura imperii civilis exigi poſſunt* (a).

§. 2.

§. II.

De ſyſtematis ficititii fundamentis, è naturæ jure, ſtatúque petitis.

Syſtematis commentitii momenta, in genere,

Quæritur VI. *Quæ fundamenta in genere hujus ſyſtomaticæ religionis, quæ ſibi Eccleſiam, per modum Collegii profano-ſacri, efformant proteſtantici Hieroplaſtæ?*

Ex jure naturæ malè deſumpta,

℞. I. Prima cœmenta, ùt vidimus, *ex naturæ jure*, ac *ſtatu naturali* eruderarit.

Nam I. *Religionem internam*, ab omnî humanô imperiô, & poteſtate coactiva liberam, *ex naturali libertate*, determinant, utpote quæ libertas per legem *Chriſti* revelatam, *elevata* quidem, *alterata* tamen * non ſit, utì loquitur *Puffendorfius*.

II. *Poteſtatem Ordinis*, utì naturæ jure omnibus communem, ita per baptiſmum in lege gratiæ *Chriſtianis* omnibus communicatam, affirmant, nec *ulla naturali repugnantiâ* adminiſtrandam aſſeverant, ſi modò vocatio à Magiſtratu, & externa habilitas accedat.

III. *Poteſtatem juriſdictionis Eccleſiaſticæ*, ſeu jura Sacrorum, ſuppoſitâ Republicâ, ac Civitate, *ex naturali jure ſummi imperii*, Principibus tribuunt, quòd jus naturale tantùm abeſt, ut lex gratiæ alterârit, ut potiùs perſecerit, ac confirmârit.

In ſpecie quò ad autonomicam libertatem religionis internæ, quaſi perſonalis,

Quæritur VII. *Quæ in ſpecie fundamenta prætenſa religionis internæ, naturæ jure ab omni imperio humano, ac poteſtate coactiva liberæ, juxta proteſtanticos Moraliſtas?*

℞. I. *Puffendorfii* momenta; in memorato libello *aureo* venùm expoſita, quæ, moleſtâ quoque induſtriâ, e periſſologico furfure ægre datum ſeligere, ſunt 1. Quia *Officium* hominis erga Deum, ſeu *religio*, ùt in ſtatu naturæ, ita & gratiæ, eſt *perſonalis*, in alium haud *transferibilis*, eò quòd animæ ſalus, per alium non *ſit operabilis*: ergo *naturæ jure* eſt libera, omnis directionis, & poteſtatis externæ incapax, ſolo propriæ rationis dictamine, vel accedente revelatione Divini Verbi determinanda.

Dependentis ab aſſenſu mentis.

2. Religio dependet ab aſſenſu mentis, ſeu naturali, ſeu revelatæ veritati præſtito: ergo eſt expers coactionis, niſi forſan ad ſimulatos geſtus externos: ergo non imperari, ſed ſolummodò rationibûs ſuaderi poteſt, ac debet. **

Independentis ab omni ſtatu civili,

3. Religio tam *naturalis*, quàm *revelata*, eſt *independens* ab *omni ſtatu civili*; non enim inſtitutæ Reſpublicæ ſunt *propter Religionem*, quæ æquè à paucis, ac multis, imò *in ſtatu naturali* ante omnem civitatem; *in elevato* abſque omni ſtatu civili exerceri poteſt, ac debet: ergo per ſtatum civilem alterari nequit *religio libera*: ergo homines, in Rempublicam coëuntes, *quò ad religionem*, ſe Imperantibus non ſubmisêre, cùm cuivis, etſi conſtituto in ſocietate, *per ſemetipſum* cultus ſuus Deo ſit adprobandus: *** ergo coeuntes ſponte, *ex naturali libertate*, ad cultum Dei per pactiones determinandum, non *ſtatum*, ſed *collegium* formant in *ſtatu*, omni poteſtate externa liberum.

Nec niſi curam ſuaſivam in altero admittentis;

4. Licèt religio officium hominis ſit *perſonale*, parit tamen obligationem in altero: nempe *reſpectu ſtatûs naturalis* in Parentibus *curam de recto Dei cultu*, ſed merè *ſuaſivam* docendo, hortando; non *coactivam, vim intentando*. *Reſpectu ſtatûs Chriſtiani*, plura parit jura in ſummis Imperantibus, *ex indole ſummi imperii* naturaliter promanantia, eò quòd religio ſit *vinculum Reipublicæ*, & Imperantium interſit, ut colatur Deus, utpote *fidius*, id eſt, *cui fidem, & pacta inter homines ſervari*

cura

(a) §. 52. & 54.

* Inde §. 17. f. m. 59. ait: nullum adminiculum externum promovendæ ſuæ doctrinæ à *Chriſto* reperitur adſcitum: non imperiò, juſsúque humano ad illam complectendam compulſi: *qui poteſt capere, capiat; qui aures habet audiendi, audiat*, aliquoties ab ipſo ingeminatum legimus. Scilicet quia Deus non vult *obtorto collo* homines in Cœlum rapere, & *Dimachârum Gallicorum hoſpitationibus* in ſalutis viam eosdem pertrahere: ſed ſalutis media talî modô proponere placet, ut eadem reſpuere penes hominem adhuc ſit, ipſéque ſuæ perditionis cauſa eſſe poſſit. Ita ille.

** *Henniges* ougatoriè in teſtes trahit *Lactantium* l. 5. c. 15. *Quis mihi imponat neceſſitatem vel credendi, quod nolim, vel non credendi, quod velim?* item S. *Bernardum* ſerm. 66. in Cant. dum ait: *fidem ſuadendam, non imperandam.* Hos Doctores nequaquam in *ſenſu Proteſtantium autonomice* locutos, conſtat ex centum aliis dictis, quibûs mentem ſuam, hac in re Catholicam, ſat declarârunt.

*** In exemplum edducit *Puffendorfius Danielem*, contra *Perſarum* morem orantem; tres pueros *Hebræos*, ſtatuam *Nabuchodonoſoris* non adorantes &c.

curæ sit. Addit tamen, circa cultum Dei externum non oportere, ut *anxii sint Imperantes*, cùm rituum disciplina religionem non tollat, nec *per se* animos civium ad discordiam disponat &c. Hos limites si excedant Principes, & citra factiones, religionis obtentu excitatas, si quid disponant, concessô imperiô eos abuti affirmat *Puffendorfius.* *

Nam ex his non sequitur cultus Dei, pro libitu determinandus;

℟. II. Hæc tantoperè indigna homine sanæ mentis, mirum videri posset, quòd *Puffendorfius* tantâ phraseologiâ in libellum congesserit, etiam *velut aureum* à suis toties deprædicatum, ac expilatum. Et quia has nugas à *Gerarde Noodt*, *Liebenthalio*, & aliis recoctas, jam alibi satìs rejecimus, (a) hìc obirer ad 1. D. C. Ergo religio est jure naturæ libera libertate autonomica vivendi, Deúmque colendi; *ùt lubet.* N. Libertate, per leges naturales, & Divinas restrictâ, vivendi, Deúmque colendi, *ùt decet.* C. Item: ergò religio est incapax coactionis in ordine *ad primam acceptationem.* Tr. In ordine ad *acceptatæ retentionem, ac dispositionem.* N. Item: ergo est determinanda ex propriæ rationis dictamine *qualicunque*, & ex revelatione Verbi Divini, privato phantaso accommodati. N. Ex dictamine, rationis legibus conformi; & revelatione verbi Divini *verè tali.* C. Etiam juxta *Puffendorfium* in statu naturæ religio non fuit libera ad *Polytheismum*; nec *Christiano* in statu gratiæ ad *Judaismum* &c. quos etiam pœnîs eliminandos, asserit. Item inito Collegio Ecclesiæ non est libera *potestas* determinandi, ùt lubet, dogmata fidei ex arbitraria Divini Verbi interpretatione: ergò à pari.

Incapax coactionis etiam indirectæ,

Ad 2. D. C. Ergo religio, ut dicit assensum mentis, est expers coactionis *directæ.* C. *Indirectæ.* N. Quomodò juxta *Puffendorfium* cogi per Principem possunt *Christiani* subditi, in *Judaismum*, vel *Atheismum* deficientes? Vel religionem, summo imperio adversam, profitentes? Audiatur ipse *Lutherus*, (b) qui *de vi indirecta in voluntatem* testatur, quòd *illâ* quidem *non cogatur homo ad credendum, sed perversâ solummodò doctrinâ inbibeatur.* **

Et independens quò ad directionem;

Ad 3. D. A. Religio est *independens* àb omni statu; *quò ad professionem, ac exercitium. C. Quo ad directionem, ac conservationem*, N. Nunquid & *Puffendorfius*, inito semel formatóque Ecclesiæ Collegio, opus esse, ait, directione, saltem Collegiali; immò & Principis summi potestate Ecclesiastica, etiam coactiva, siquidem necessitas exigat?

Potestatis tam laicæ, quàm Ecclesiasticæ.

Ad 4. Si in statu naturæ Patribusfamilias competiit *ex iure naturali* cura de recto Dei cultu, saltem *suasivè* filiis implantando, ut ne *suo instinctui relicti peculiares revelationes caperent, & in feritatem inemendabilem degenerarent*, ùt habet *Puffendorfius* (c); si *in statu gratiæ* Imperantibus laicis *ex jure naturali summi imperii* competit cura *religionis, saltem naturalis*, sic, ut etiam pœnis actus externos *idololatræ* v. g. *blasphemiæ, magiæ &c.* coërcere queant, eodem teste; (d) si iisdem, *ex eodem jure summi imperii*, comperit potestas sacra, jurisdictionis saltem externæ *in Ecclesiam*, ut ita dicam, *Collegiatam*, cur *jure Divino* non possit competere talis potestas Ecclesiastico Præsuli, qualis Episcopus, vel ipse summus Antistes? Quæ repugnantia? Talem autem *Divino jure* competeré infrà demonstrabimus.

Unde falsa est thesis Puffendorfii de autonomia, quasi tantùm ad speciem Reipublicæ adversa.

℟. III. Idem *Puffendorfius* in eodem *aureo* libello ineptit, autonomicam libertatem non officere tranquillitati publicæ, *nisi ad speciem*, qua etiam mitî ingeniô Principes *permoveri se patiantur ad potentiam, immanitati Sacerdotum accommodandam.* Rationes affert 1. Quia Zizania, Dei oraculo prædicta, labore frustraneo extirpanda. 2. Quia *Christus* ipse non duodecim *legiones immittendo, sed docendo*, propagavit fidem. 3. Quia consensus, quò ad singula religionis capita, *per se* non neces-

---

* Has ideas malè ex *Puffendorfio* recoquit *Thomasius* Jurisp. Div. l. 3. c. 6. à n. 149. Ubi inter alia n. 123. asserit, Principem, qui religionem falsam in Republica tolerat, quæ non repugnat fini civitatis (hoc est tranquillitati publicæ) non peccare contra *jus naturale*, & officium boni Principis; sed contra legem Divinam *positivam universalem*, & officium boni *Christiani*: quare Jurisprudentiæ naturalis defectum hìc supplere debet Theologia &c.

(a) In Coll. Hist. P. IV. Q. 7. f. 185. & seqq.

(b) Commentariolo in Psal. 82. t. 5. Jen. ger. edito a. 1561. f. m. 147.

** Ipse *Hennings* alibi recedit ab hisce suorum principiis, defenditque *potestatem coërcitivam* in hæreticos, refutatis suorum contribulium rationibus, ut adeò *sanguinaria Jesuitarum consilia, Inquisitiones sacras, tanquam carnificinas, pietati Christianæ prorsus contrarias*, eidem pariter imputaret forsitan *Nordermannus* cum suis. Sed hæc fusiùs dilucidavimus in Q. de mediis conservandæ religionis Coll. Hist. Parte VII. f. 630.

(c) §. 4. f. m. 18.

(d) §. 7. f. m. 29.

necessarius ad publicam tranquillitatem; si modò reprimatur *ingeniorum ambitio, gloria potentiaque cupiditas* &c. (a) Quæ omnia, quàm sint frigida, frivoláque contra *Puffendorfianos* autonomistas in Collegiis historiis (b) satìs supérque jam palàm fecimus ejusmodi thesibûs. *Autonomica religionis libertas est directè opposita tranquillitati Reipublicæ Christianæ; est Christianæ subordinationis eversiva; est inventum diaboli; contraria legi naturæ, scriptæ, & Evangelicæ; est fidei eversiva; via plana ad hæresin, indifferentissimum, atheismum, & directè opposita verbo Dei, doctrinæ Patrum; est aliena à praxi primitivæ Ecclesiæ; est damnata ab Imperatoribus, tanquam origo omnis mali in Republica. Hinc falsa, & Reipublicæ perniciosa Protestantium thesis est, autonomiam esse licitam, & per se licitè permittendam; nec Christiano regimini adversam; immò religionem esse jure naturæ ab omni imperio liberam positio est Gerardi Noodt, ex Puffendorfio desumpta, malè probata, cunctis apostatis; hæresúmque architectis; quin & idololatris, ac atheistis favorabilis, adeóque scandalosa, & certò falsa; autonomiæ prohibitionem esse tyrannidem, est thesis similiter falsa, & ipsi Protestantium praxi adversa. Denique autonomica hæc libertas in Imperio nostro fuit perniciosa Mater plusquàm septuaginta sectarum, & ipsius denique indifferentissimi &c.* Hæc & alia, non tantùm asserta, sed & prolixiùs probata, jam dedimus, ad quæ si autonomici Moralistæ frontem cum *Puffendorfio* caperent, nugis suis, è naturæ jure malè deductis, fusiorem anatomen referant in acceptis.

Momenta prætensa, quò ad potestatem Ordinis, naturæ jure profanandam, Sacerdotium, charactere baptismi, Christianis commune,

Quæritur VIII. *Quæ in specie momenta prætensa quò ad potestatem Ordinis, quam ex naturæ jure Principibus laicis malè tribuunt protestantici Moralistæ?*

℟. I. Fundamenta paradoxi adeò dogmatis posuit *Lutherus*, Hierarchiæ Ecclesiasticæ profanator. Ex eo & *Puffendorfius*, & cœteri *Supponunt* 1. Sacerdotium novæ legis per baptisma cuivis *Christiano* fieri commune, eô modô, quo *in statu naturæ* religionis officia, cuivis homini propria, natura voluit, etsi ex potestate patria hoc munus sacerdotii *cum munere præcipuè paterno* conjunctum fuerit, utì *Puffendorfius* probat (c) ex *Abrahamo*, circumcisionis administro; ex *Jacobo*, è sua familia idola eliminante. Addit, *munus sacrificandi*, etsi cuivis liberum, præprimìs tamen, *ex eodem titulo patriæ potestatis*, fuisse *penes capita familiarum*; quòd si plures familiæ conspirâssent, fuisse penes illum, *quem cæteri ad id muneris elegissent* (d).

Sacrificii propriè talis abolitio;

Supponunt 2. In statu gratiæ desiisse sacrificia, utpote merè figurata, dicente *Puffendorfio*: (e) *non sumptuosis ampliùs sacrificiis opus est, sed quæ Deo placent jam victimæ, pretio haud mensurantur*, preces scilicet, quas figuratô vocabulô vocant *sacrificium labiorum*. Atque hac ex parte religio *Lutherica*, *ipsa religione naturali*, majus compendium habet, nisi fortè cœnam suam eucharisticam, seu merè figuratam de Dominico corpore, seu veram in manducantis fide, *sacrificii locò*, imperitè substituant.

Usi & plerorumque Sacramentorum, manente solo ministerio verbi, per se cuivis proprio;

Supponunt 3. In statu gratiæ, utì in statu naturæ, duplex solummodò esse Sacramentum, * baptisma circumcisioni, cœnam sacrificiis substitutam, quæ haud dubiè à *Christiano* quovis administrari possunt: æquè enim fœmina baptizare, panémque communicanti porgere potest, ac quivis Superintendens: totum ergo Sacerdotium *Luthericum ad ministerium verbi* reducitur, cujus, etsi omnes quidem per baptisma sint capaces in actu primo, in actu tamen secundo *Puffendorfius* requirit *vocationem*, & *aptitudinem*: inde est, quòd à Sacerdotio Principes excludat, *non propter naturalem aliquam repugnantiam*, ùt ait, *sed propter utriusque muneris incompossibilitatem*; (f) immò, ùt alibi dicit, *quòd rarissimum fit, ut Principes tantùm operæ in cognoscendis rebus Theologicis ponant* (g). Fœminas asserit à docendi munere ab Apostolo exclusas (h): quasi verò non plerique Principes, & plures fœminæ plus notitiæ de bibliis habere possent, quàm multi præcones, præsertim in deformationis initiis, è quavis sutrina, pistrina, & tonstrina prorepentes, utì facilè demonstrari posset **. Unde fluit illud, *ad analogiam statûs naturalis, Puf-*

(a) §. 49 f. m. 225.
(b) P. IV. Q. 7. f. 179. & seqq. Item P. V. Q. 1. à f. 1. & seqq.
(c) §. 4. f. m. 19.
(d) §. 8. f. 34.
(e) §. 11. f. 44.
* Nam Matrimonium multò plures non elevant.
(f) §. 4. f. 198.
(g) §. 51. f. 239.
(h) 1. Tim. 2. 12.
** Imò demonstrant ipsi *Lutherani*. Videatur *Godefridus Arnold* in der Kirchen- und Ketzer-Histor. P. 2. Q. 18. c. 14. §. 5. f. 620. Von dem Zustand der Prediger nach der Reformation.

Puffendorfio contestatum (a): Quòd, etiam in statu gratiæ, *ministerium cultûs publici certæ Nationi, aut prosapiæ haud alligatum sit ampliùs, ùt in statu legis scriptæ; sed in universum omnes Christiani Sacerdotes coram Deo vocentur: ministerio autem Ecclesiæ, citra discrimen generis, adhiberi possit, quisquis idoneis ad eam functionem artibûs instructus sit.*

Quæ omnia Catholicis scandalosa,

Hæc fundamenta, quia apertè erronea, Catholicis scandalosa, à Polemicis, ùt hæretica, dudum demonstrata, hîc argumentis scripturisticis non refutamus, quia extra jurisprudentiæ publicæ sphœram non ambulamus: id solùm advertimus, antequàm momenta, ex naturali jure petita, dissolvamus, profectò digne *de sua religione* sentire protestanticos Moralistas, dum religionem *Christianam*, ad religionis naturalis decempedam, metiuntur; dum Sacerdotium profanant, & ad statum *pene naturalem* reducunt: dum omne religionis negotium intra sphœram Collegii, naturæ jure fundati, concludunt; dum Ecclesiæ regimen, quasi à *Christo* haud magìs sublimatum sæculari regimine, ante & post diluvianorum in morem, *in naturali jure* solummodò fundant; dum Orbis *Christiani* Imperantes summos, ac Magistratus, *quò ad jus sacrum, Nummis Popiliis*, aliisque paganis Magistratibus, Pontificatu profano æquales, debuccinantur. An non hæc *illa desolatio, stans in loco sacro, quæ prædicta à Daniele propheta*?

Sed à Protestantibus non nisi inanissimè fucata.

R. II. Cùm *Puffendorfii* solùm *per accidens*, utì vidimus, *potestatem Ordinis*, seu Sacerdotium protestanticum, negent Imperantibus summis, non autem *per se*, & *absolutè*, eò quòd *nulla sit naturalis repugnantia, Henniges, Thomasii*, aliique *hanc non repugnantiam* demonstrare, iisque hanc facultatem vindicare adlaborant *ex charactere baptismatis sacerdotali*, si modò spartam hanc profano-sacram, ùt ferè solet, haud dedignentur. Sic ergo arguunt cum *Hennige*: (b) *In lege naturæ* potestas Regia, & Sacerdotalis, *ex nativa indole*, erant conjunctæ: ergo etiamnum conjunctæ sunt in Lege Gratiæ. C. videtur liquida; siquidem gratia non destruit naturam, neque lex *Christi* data est ad tollendam legem naturæ, sed ad eandem perficiendam. A. P. In statu naturæ fuerunt Sacerdotes, & Sacrificia, ipsique Reges pariter Sacerdotes, sic ut Populo non tantùm dictarent jura, sed & thura Numini offerrent, utì legimus de *Melchisedecho*, qui fuit & Rex *Salem*, & *Sacerdos Dei altissimi*; (c) item de *Abrahamo*, *Jobo*, & aliis Patriarchis, qui tempore Legis naturæ simul erant capita familiarum, & quasi Reges, simúlque Sacrificia peragebant: ergo &c. Sed

Conjunctá tamen non fuit vi juris naturalis, sed humanis.

Contra est 1. D. A. In lege Naturæ potestas Regia, & Sacerdotalis fuit conjuncta *vi indolis nativæ*, seu *vi juris naturæ*. N. A. Vi juris humani, consuetudine populi (penes quem Regnum temporale) potestatem hanc transferente in Principes, & Primogenituræ veluti alligante. C. A. & N. C. Distinctio petita est ex S. *Hieronymo*, *Ruperto*, (d) & aliis; ejusque ratio est, quòd, licèt Sacrificium, consequenter & Sacerdotium, sit *aliquo modo* de jure naturæ, * adeóque & consuetudo jungendi cum potestate Regia Sacerdotii (quam etiam apud Gentiles viguisse legimus) mediante ratione, & voluntate humana, è generalibus naturæ principiis, originem duxerit; Sacerdotium tamen, *hoc modo institutum, & his vel illis personis attributum*, non fuerit de jure naturæ, seu lege naturali præscriptum, sed jure merè positivo definitum: & hoc modo, ante legem *Moysis*, vel jure Gentium, vel moribus populorum introducta fuit conjunctio Sacerdotalis, & Regiæ potestatis, qui mos, sicut in lege veteri mutatus est, ita & in nova mutari potuit; immò ita factum fuisse, & ad perfectionem legis gratiæ hoc pertinere, docet *Nicolaus* Papa ad *Michaëlem* Imperatorem dicens: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typicè Reges simul, & Sacerdotes existerent, quod S. Melchisedech fuisse, sacra prodit historia &c.* Unde ad propositum argumentum,

Unde nulla paritas a d legem gratiæ, ubi potestas sacra ordinis altioris, nempe Divini.

Contrà est 2. Negando etiam C. & paritatem *à lege naturæ ad legem gratiæ*, vel potiùs suppositum, quòd illa sive œconomica, patria, sive Regia potestas fuerit *propria, ac supernaturalis potestas ordinis, utì in lege gratiæ*: sed fuit solummodò ministerium sacrificandi, & intercedendi pro Populo, ad quod aliquis sua sponte se applicare, vel consensu populi deputari poterat: siquidem Deus, illo tempore, nihil in parti-

(a) §. 11. f. 44.
(b) De summa Imperantium potestate circa sacra c. 5. f. m. 25.
(c) Genes. 14. 18. ad Hebr. 7. 1.
(d) S. *Hieron.* epist. 5. ad *Evagrium*. *Rupert.* L. 5. in Genes. c. 12. apud *Suarez* L. 6.
* Ut diximus, *impropriè tali.*

particulari de Sacerdotio præscripsit, neque Sacrificium ex ordinatione Divina, sed solo lumine rationis, Divinitatis existentiam agnoscentis, ac propterea tesseram aliquam subjectionis suæ dictantis, offerri consueverat: (a) sed neque erat *propria & supernaturalis potestas jurisdictionis, uti in lege gratiæ.* Hæc enim probari nequit, sive ex jure speciali Divino, ùt patet; sive ex jure naturæ, quod naturalem ordinem non transcendit, & potestatem gubernativam, etiam quoad cultum Divinum ordinat ad commune bonum Societatis humanæ: contrarium fit in lege gratiæ, quæ principaliter ordinat homines ad Deum, & bonum Reipublicæ refert ad amicitiam hominum cum Deo: hinc altioris est ordinis, nec nisi à Deo immediate promanare potest. Ita *Suarezius* noster.

Hinc etsi homo etiam in statu naturæ ad finem supernaturalem sit conditus,

℟. III. *Iidem excipiunt* 2. Etiam in statu naturæ homo non fuit præcisè conditus ad finem naturalem, sed etiam supernaturalem: ergo Principi (vel saltem Communitati) competiit, *ex natura rei*, potestas proportionata, non merè naturalis, sed etiam ordinis altioris. C. P. Talis Communitas fundabatur in Fide, & Religione supernaturali: ergo habere debuit potestatem connaturalem ipsi gratiæ, ad disponendum ea, quæ spectabant ad Divinum cultum, consentaneè ad veram fidem, Deique amicitiam promovendum.

Et Societas Christiana, quà talis, videatur expetere regimen, merè naturali sublimius; nihilominùs in lege naturæ sufficit potestas politica.

Confirmatur. Saltem Communitati *Christianæ*, quà *Christiana*, competit, *ex ipsa natura rei*, ejusmodi Ecclesiastica potestas: ergo in Principem saltem ex delegatione transferri potest. Sed

Contrà est 1. C. A. N. C. Siquidem non obstante, quòd homo conditus fuerit in finem supernaturalem, nihilominùs pro eo statu per media naturalia, *suo modò*, sat dirigi potuit à potestate humana, cùm ad finem naturalem, tum etiam supernaturalem, hoc est, & ad præcepta (quæcunque tandem tunc fuêre supernaturalia) mediante gratia observanda, & eâdem adjuvante ad supernaturalem beatitudinem consequendam. *Sed, quia finem fruitionis Divinæ non consequitur homo per virtutem humanam, sed virtute Divina, juxta illud Apostoli ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna, perducere ad illum finem non erit humani, sed Divini regiminis,* ùt ex Doctore Angelico (b) referunt Scriptores.

In Societate Christiana, quà tali, Christus prævenit, instituendo peculiari modò regimen sublimius, adeóque Juris Divini,

Contrà est 2. Ad *Confirm.* ad quam cum *Suarezio* nostro D, A. Communitati *Christianæ*, quà tali, competeret, nisi *Christus* Ecclesiæ regimen, *peculiari*, & *longè excellentiori modò*, instituisset, quàm ut *ex sola rei natura esse* possit in Communitate *Christiana*, etiam ùt *Christiana*, C. Si *peculiari modo* instituit. N. A. & C. *Christus* sublimare debuit suæ Ecclesiæ regimen, *eò quòd Ecclesiam instituerit* 1. *Per modum unius corporis mystici per Orbem diffusi*, in quo unitas fidei, & concordia, in ritu substantiali Religionis, ad Dei cultum, hominúmque sanctificationem ordinato, conservari posset: atqui hoc sine suprema spirituali potestate fieri non posset, ùt suprà diximus. *Eò quòd Ecclesiam instituerit* 2. ùt infallibilem in fide, & in moribus sanctam: ergo potestatem illi tribuere debuit, per quam ad utrumque finem rectè, & sine defectu substantiali, dirigi posset: atqui talis potestas necessariò debet esse plùs quàm humana. Adde, quòd potestas Ecclesiæ gubernativa in spiritualibus per Episcopos, Pastores, cæterúmque hierarchicum Ordinem, *immediatè*, vel *mediatè*, ab ipso *Christo* descendat, ùt hìc supponitur: ergo à Populo *Christiano*, etiam fide illuminato, descendere, eique adscribi nequit.

Quòd Principes dicantur regnare gratiâ Dei, & ùt Vicarii Numinis, ad potestatem sacram nil confert,

℟. IV. *Iidem excipiunt* 3. Principes terreni regnant *gratiâ Dei*. 2. Sunt Dei in terris Vicarii, juxta illud *Augustini* (c): *Adoratur in terris Rex, quasi vicarius Dei*: Item *Isidori* (d): *Dedit Deus Principibus Præsulatum, pro regimine Populorum*: ergo sicut Deo, ita & ejus Vicario competit potestas sacra. C suadetur 1. Ex eo, quòd Vicarii præcipuum officium sit, procurare honorem, & cultum, Principali suo competentem, & in sacris litteris præscriptum; (e) Unde dicuntur (f).

Elohim

(a) Unde *Anacletus* Papa Epist. 2. negat, *Melchisedechum*, *Abrahamum*, vel alios illius temporis Viros, Sacrificium obtulisse *Sacerdotali authoritate*, utpote necdum à Deo *peculiariter* instituta. In lege veteri, sicuti Deus determinavit Sacrificium, ita & Sacerdotium, absque populi interventu. In lege gratiæ id longè excellentiore modo *Christus* instituit.

(b) Lib. 1. de Regim. Princ. c. 14. Siquidem angelicus ejus Author sit.

(c) QQ. Vet. & Novi Test. P. 1. Q. 9. Hic liber, ùt ait *Suarez* l. c. judiciò omnium Doctorum non est *Augustini*, quia nec stylus illius est, nec doctrina in multis locis est *Augustiniana*.

(d) L. 3. Sententiar. seu de summo bono.

(e) *Rexuit enim Deus* (inquit hic Author) *alia ratione, modove cœli, quàm in sacris litteris, palàm facta sua voluntate, institutâ,*

(f) Exodi 21. v. 6.

Eloim Dii terrestres, seu Legati Dei, quem & ipsi colere, & aliis debitô modô colendum proponere debeant. Audiunt *Pastores*, (a) qui Populo de pastu non corporali, sed spirituali prospicere debeant. Audiunt *Patres*, (b) qui filios ad Dei cultum educent; *Scuta terræ*, (c) qui Ecclesiam defendant; *Ecclesiæ Nutritii*, (d) qui Ecclesiam suâ munificentiâ ornent, ac tueantur.

Nec quòd ob promota, vel neglecta sacra vituperentur, seu laudentur à Deo,

Suadetur 2. ex eo, quòd Principes ob Religionem cultam, curatámque, Divino ore laudatos; ob neglectam vituperatos legamus (e): atqui nec laudari, nec vituperari meritò possent, si nulla illis competeret circa sacra potestas.

Sibique omnes habere subjectos debeant,

Confirmatur. Principes habent omnes in omnibus sibi subjectos, qui intra sphœram activitatis suæ morantur: ergo non sæculares tantùm, & sæcularia, sed etiam personas sacras, & sacra. C. P. Patris imperium, etsi minus, & potestati summæ subordinatum, extendit sese *ad omnia* juxta illud Apostoli: *Filii, obedite Parentibus in omnibus* (f): ergo à fortiori potestas summa Imperantium sese extendet ad omnia, etiam sacra. Sed

Contrà est 1. D. A. Principes *Dei gratiâ* regnant regimine civili, atque politico, eò quòd omnis potestas vel *immediatè*, vel *mediatè* à Deo sit, ùt dictum suprà. C. *Dei gratiâ* regnant regimine sacro, atque Ecclesiastico. N. A. & C. Item sunt *Vicarii* Dei in temporalibus. C. In spiritualibus. N. A. & C. *Ratio distinctionis* est, quòd Deus, utpote *Rex Regum*, & *Dominus Dominantium*, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, duplicem in terris Vicarium constituerit: unum pro temporalibus, alterum pro spiritualibus. Unde textus allati, iisque similes alii, *in sensu legitimo*, veri sunt; non autem in illo, quem adstruunt Acatholici: secùs enim, si Principibus *jure Imperii summi*, etiam in spiritualibus, *officium Vicarii* tribuunt, æquè Principes infideles, ac fideles, eodem charactere, atque officio, insigniant, oportet, quod tamen, ùt reor, vix audebunt, expressè contrarium docente Apostolo Gentium (g): *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non hujus Seculi, neque Principum hujus Seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus seculi agnovit.*

Vel (similiter) ad summum jus Sacrum Advocatiæ.

Contrà est 2. Ad P. D. Vicarii officium est procurare honorem, Principali suo debitum aliô modô, quàm in sacris litteris est expressum, hoc est, jus circa sacra usurpando. N. A. Modô in sacris litteris expressô, hoc est, *jus Advocatiæ* exercendo, Ecclesiam defendendo, & Ecclesiæ Ministros protegendo, ut in pace, & cum fructu ministrare spiritualia valeant. C. A. & N. C. Et in hoc sensu Principes fideles, peculiari titulo, esse *Vicarios Dei*, *Pastores*, *Patres*, *Nutritios* &c. verum est, quatenus sunt supremi Ecclesiæ protectores, ac *Christiani* populi defensores, non solùm Ecclesiæ hostes reprimendo, sed etiam *Christianam* Justitiam promovendo, honorémque Divinum, intra debitos limites, tuendo ac fovendo, ùt suprà ex S. *Augustino* animadvertimus: unde, cùm Deus populum suum duplici regimine pastúque, corporali scilicet & spirituali, refici voluerit, duplici Vicario, pastore, Nutritiô, corporali scilicet & spirituali, opus habet, juxta illud *Isaiæ* (h): *Et erunt Reges Nutritii tui, & Reginæ Nutrices tuæ*, sic tamen, ut Pastoribus terrenis nullam dederit in animas potestatem, uti patet ex contextu: *vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.*

Laude, vel vituperio, neglectam, vel promotam Advocatiam respiciente, sic ut omnes subjecti sint Principi in sæcularibus.

Contrà est 3. Ad 2. Patet responsio ex dictis. Laudantur, aut vituperantur Principes ob jus Sacrorum vel exercitum, vel neglectum. N. Ob jus Advocatiæ in sensu explicato, C. Eadem est responsio ad confirmationem: nam Princeps habet sibi omnes *in omnibus* rebus civilibus subjectos; qui intra sphœram activitatis suæ politicæ versantur. C. Secùs. N. Idem est sensus patriæ potestatis, cui *in omnibus*, quæ ean-

(a) Psal. 8. v. 1.
(b) 1. Reg. 12. v. 35.
(c) Psalm. 47. v. 10.
(d) Isaiæ 49. v. 23.
(e) Confirmat in notis testimonio S. *Augustini* dicentis: *Omnes Reges, qui Populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quæ contra Dei præcepta fuerunt instituta, culpantur; qui prohibuerunt, & everterunt, super aliorum merita laudantur.*
(f) Col. 3. v. 20.
(g) 1. ad Corinth. 2. v. 6. & seqq.
(h) c. 44. 23.

eandem concernunt, obedire filios jubet Apostolus.

Rationes prætensæ de potestate jurisdictionis Ecclesiasticæ male profanante: Titulo imperii summi. Nam potestas duplex, etsi suo modo summa in eodem Regno, non est præjudiciosa Republicæ.

Quæritur IX. *Quæ in specie rationes prætensæ, quò ad potestatem jurisdictionis Ecclesiasticæ, seu jus Sacrorum, quod ex naturæ jure Imperantibus laicis proprium volunt protestantici Moralistæ?*

℟. I. Titulum desumunt ex indole Imperii summi, quasi exinde, *supposita civitate*, vel ipso naturæ jure ultro flueret *jus Sacrorum.* Audiamus denuò *Hennigem* & alios, (a) ex *Puffendorfii* sensu sic argutantes. Principi, seu Magistratui (quà tali) * de *jure naturæ* competit Imperium supremum, seu *potestas summa*: ergo etiam in Sacra. C. patescet infra. A. P. Principi vel Magistratui, *ex natura rei* competit potestas talis, quæ ad finem publicæ tranquillitatis est necessaria: atqui necessaria est *summa*, includens jurisdictionem tam sacram, quam profanam: ergo &c. *Maj.* videtur certa; cùm Deus, ùt Author naturæ, non sit Author confusionis, seu *ἀκαταστασίας* (ùt hellenizat *Hennigos*) sed ordinationis, qualem rerum humanarum conditio postulat. *Mi*: P. Si non est una, sed duplex, hoc ipso quietis publicæ est eversiva, fini à natura intento opposita, societatis vinculo contraria, politicisque principiis penitus adversa: ergo &c. A. P. Nam à civili imperio foret toto genere diversa, cum potestate summa incompatibilis, statuens Statum in Statu, Principatum in Principatu, Rempublicam in Republica, (b) verbo, seminarium juge intestinæ turbationis: quæ enim speranda concordia, quæ pax, & tranquillitas, dum Status contra Statum, Respublica contra Rempublicam, Principatus contra Principatum assurgit, quolibet jurisdictionem suam extendere, ac manutenere volente? *Regnum profectò in se ipso divisum desolabitur*, Divinæ Veritatis oraculum est: & *ubi omnes præcipiunt, nemo exequitur*, ùt dudum *Tacitus* edixit. Sed

Unde, quocunque tandem titulo Principi competat potestas summa, tantùm competit in politica, non sacra.

Contrà est D. A. *Ex jure naturæ* competit Principi *potestas summa politica.* T. Etiam *sacra.* N. A. & C. *Ratio* negandi patet ex dictis: nam de jure naturæ nequit esse, quod est supra naturam; neque à Communitate humana naturaliter potest profluere, vel in alium transferri, quod ordinis est altioris.

Eversiva quietis publicæ non est potestas duplex, quia solummodò in genere diverso.

Ad P. C. *Maj.* N. *Min.* Alteram Probationem D. Si non est una, sed duplex *in eodem genere politico*, est quietis publicæ eversiva &c. T. Si est duplex *in genere totaliter diverso*, profano nempe & sacro. *Subd.* Est quietis publicæ eversiva *per se.* N. *Per accidens.* Tr. A. Et N. C. In ordine ad distinctionem.

Non eodem, de quo loquitur brocardicum commune Politicam.

Observandum 1. Principium illud politicum, quo *vitandus status in statu, Principatus in Principatu, Respublica in Republica*, à Politicis poni, intelligique de statu in statu *ejusdem generis*, quo v. g. in eadem Republica duo Principes, non subordinati, sed independentes, sibi potestatem summam in politicis pariformiter arrogarent; non autem referri (ùt non nisi tortè referunt protestantici Authores) ad statum in statu *generis omnimode diversi*, sacri nempe atque profani, quo duo Principes Jurisdictionem, ex toto genere diversam, *debitis limitibus observatis*, absque mutuo præjudicio, exercent, & exercere possunt, ùt tot sæculorum, quot nempe Mundus stetit, experientia demonstrat.

Nec enim vera Politica dispositioni Divinæ potest esse contraria.

Observandum 2. Veræ politicæ principia non repugnare ordinationi & dispositioni Divinæ, quæ statim in exordio Mundi vel in *Adamo*, vel (quod credibilius) in *Abele* fundavit (si sic loqui placet) statum in statu, seu veriùs Ecclesiam in Sæculo, fidem in Mundo, ex quo *Abel* primus Religionem erga Deum per sacrificium est contestatus, ùt notavit Doctor Gentium, (c) & explicavit *Hipponensium* Præsul, (d) unà cum *Gregorio* M. (e) & *Antonio Paulutio*, (f) quod ipsum etiam confirmat *Optatus Milevitanus*, (g) à quo *Ecclesia in Republica*, id est, *in Romano Imperio* consistere, pronuntiatur. Confirmat itidem Doctor *Mellifluus*, (h) & præcipuè *Innocentius*

(a) L. c.

* Nempo supposità Republicâ.

(b) Qua de re D. *Pfaffius* in orig. Juris Eccles. f. m. 168. in nota ee exclamat: *In una eademque Civitate independentes ejusmodi duæ potestates monstrum quoddam efficiunt, ad quod, saniori Politicæ qui nomen dedit, à frontis corrugatione, atque consulcatione sibi temperare non possit.* Quis non gratuletur Politicæ tam sanos Neo-Politicos, atque Imperii Reformatores?

(c) Ad *Hebr.* c. 11. v. 4.

(d) L. 15. de civit. Dei c. 1. & 15.

(e) Homil. 19. in Evang. in princ.

(f) In Jurisprud. Sacra l. 1. Tract. 1. c. 1. n. 3.

(g) L. 3.

(h) In Epist. 243. ad *Conrad.* Imp.

tius III. (a) dum ita differit: *ad firmamentum Cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificialis authoritas, & Regalis potestas: sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor, ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia dignoscatur.*

Deo ad salutem & pacem hanc duplicem potestatem ordinante.

Observandum 3. Hanc potestatum distinctionem *per se* institutam esse ad salutem, & pacem cum Deo & hominibus conservandam, ùt rectissimè memorat *Nicolaus* Papa in litteris ad *Michaelem* Imperatorem (b): *cùm ad verum ventum est, ultrà sibi nec Imperator jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoris usurpavit, quoniam idem Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humanâ superbia rursus in infernum demergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices, pro cursu temporalium tantummodò rerum, Imperialibus legibus uterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus Divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus.*

Contra quam ordinationem nil evincunt damna, secuta per accidens.

Observandum 4. Quòd hæc potestatum distinctio non rarò dissidiorum & bellorum causa fuerit (id quod identidem oggerunt Protestantes) fuisse *merè per accidens*, ob debitos limites non observatos. Sed istud tam parùm probat, hanc jurisdictionis mutuæ discretionem, *per se loquendo*, esse statui publico præjudiciosam, quàm parum probat *Monarchicum* regimen, quod per abusum in tyrannidem; *Aristocraticum*, quod in oligarchiam; *Democraticum*, quod in anarchiam non rarò novimus degenerâsse. Et, quæso, cur protestantici Authores Imperii regimen, spectato tantùm jure Sacrorum, tam acuratè ad politicam trutinam revocant, cùm tamen in aliis, *minùs scrupulosè*, principia politica attendere videantur?

Cùm multò majora, & quidem per se, ex Politica protestantica oriantur.

Exempli gratiâ: inter Politicos convenit, quòd Religio vera, sincerúsque Numinis cultus sit *fundamentum* primum *Christiani* statûs: & cur hoc adeò negligunt, ut pro autonomia, qua *libertatem conscientiæ*, seu *scientiacredendive, quod lubet*, indigetant, tanquam pro aris focisque decertent? Convenit inter Politicos, quòd *una unica Religio* sit *fundamentum* statûs politici; quòd omne schisma sit animorum divisio; quòd Religionum pluralitas sit discordiæ pomum, dissidiorum fomentum, bellorum, omnísque in Republica morbi, malorúmque seminarium, ipsà teste experentià, Statibúsque Imperii toties id attestantibus, ùt alibi demonstravimus: & tamen, hoc non obstante, pro Religione avita & simplici novas geminas (& utinam! non plures sub specioso *Augustanæ* Confessionis clypeo) non modò induxerunt Imperii Protestantes, sed etiam post tot bella, & Patriæ clades, legibus Imperii fundamentalibus, firmârunt, ac roborârunt (c). Convenit insuper inter Politicos, præcipuum hoc esse arcanum Statûs *Germanici*, ut servetur *temperamentum regiminis*, quo juxta Imperii leges *Principatum libertas ordinum, libertatem Ordinum sic mitiget Principatus, ut nec in Principatu dominatus, nec in libertate nimia regnandi licentia reperiatur*: & tamen, hoc non obstante, protestantici Authores passim *Aristocraticam* regiminis formam cum *Lymnæis*; *irregulare* quodpiam systema cum *Monzambanis*; statum quemdam *solo fœdere*, eóque *inæquali*, nixum cum *Grotiis*, (d) partim *aperte*, partim *latenter* inducere conantur, relicto

(e) In Epist. ad Imp. Orientis relata cap. *solicitæ*. de major. & obed.

(b) De quibus fit mentio in cap. *cùm ad verum* &c. 6. Distinct. 96.

(c) Quæ hic non animo improbandi, quod factum est in illis circumstantiis; sed animo declarandi Politicam protestanticam, dicta sunt.

(d) *Relfendso* personatus de Summa Princ. *Germ.* potestate c. 13. f. m. 188. Statum Imperii *non esse Monarchicum*, hodie tam evidenter demonstratum est, ut nemo amplius de hac re dubitare possit. Immò ne *Aristocraticum* quidem dici posse, hoc me movet argumentum &c. & infrà: Nescio itaque, an culpandus sit, qui statum Imperii *Obligarchicum* esse dicit, in qua sententia deprehendo fuisse D. *Eichelium* in Dissert. de Republ. mixta Th. 19. *Democraticum* esse, suis non caret rationibus ac argumentis. f. 191. Videtur sanè dicendum, inter Principes Imperii *Germ.* esse saltem fœdus quoddam, illúdque *inæquale*, quam sententiam, ex *Gratiani* principiis posuit *Menzambano*. f. 195. Rectissimè igitur dixit *Monzambano*: Imperium *Germanicum*, siquidem juxta præcepta scientiæ civilis exigatur, esse *irregulare quoddam corpus*. Denique f. 196. vocat Statum imperii *mixtum*, ex Oligarchico ac Democratico. Et ne *anonymum* vocare debeat, nominat *Politicum*: *Ergo politicum Statum eum esse videtur concludendum.* Sic ille. *Burgoldensis*, seu *Oldenburgerus* in Discur. V. *ad Instrum. Pacis* n. 8. f. m. 178. Etsi *Lutheranus* sat firmæ frontis, considerato tamen religionis schismate, utique per *Lutherum* inducto, sic describit hodiernam Imperii faciem: *Restat hodie truncus arrosus, & male cohærens, ex fatali animorum dissensu, quos religionis diversitas, & separatæ singulis rationes, divisa consilia, vota, spes, metusque secreti, & professi in contraria omnia, jam pridem distraxêre.*

licto Imperatori nil nisi titulorum inanium splendore, accisis interim per principia *Rusdorfiana*, quantum fieri potest, Aquilæ pennis, solo jure Sacrorum (quod, tanquam Juris protestantici spolium, respuit avita Cæsarum pietas) eidem obtruso, ut sic ad usque sydera Aquilam elevent, ipsique audiant gloriosi *Germaniæ* fautores, Jurium Imperialium vindices, cùm reverà nil aliud agant, quàm ut per funesta dissidia Regnum cum Sacerdotio iterum collidant, & lamentabilem *Germaniæ* faciem, sub reformationis specioso titulo, denuò inducant.

Neque potestatis summitas patrocinatur.

℟. II. Iidem protestantici Naturalistæ sic urgent: Summa potestas eo ipso, quòd summa sit, non compatitur in eodem Regno potestatem aliam, æquè summam: ergo potestas summa, ex sua natura, est exclusiva alterius independentis. A. patet. Siquidem summus non est, sed magnus, qui alium ejusdem magnitudinis debet agnoscere: *ea est enim summi conditio, ut nihil illud adæquet, nedum superet*, ùt ait *Tertullianus*. Unde, eodem teste, *Imperator omnibus major est, dum solo vero Deo minor est, nihilque super Imperatorem sit, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem*, uti etiam sentit *Optatus Mileuitanus*.

Cùm summa solummodò sit in genere politico non sacro.

Contrà est D. A. Summa potestas non compatitur in eodem Regno potestatem aliam, æquè summam *in eodem genere & ordine*. C. A. *In genere & ordine diverso*. N. A. & C. Potestas circa spiritualia est toto Cœlo diversa à potestate sæculari: siquidem illa Cives ad supernaturalem felicitatem per virtutes Theologicas; ista per naturalia media, moralèsque virtutes, ad naturalem beatitudinem dirigit: unde duo sunt cardines constituti, quibus totus innititur Orbis, ac humana Respublica fulcitur, regitúrque *Sacerdotium* & *Imperium*, cui utrique sua competit potestas, spiritualis & temporalis, eo temperamento, ut una alteram non impediat, sed potiùs adjuvet, ac cives ad bonum indefectibile perducat, quo sensu scripsit ad *Anastasium* Imperatorem *Gelasius* Papa: (a) *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic Mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.* Divus quoque *Nazianzenus*, & cum eo *Isidorus Pelusiota*: *ex Sacerdotio*, ajunt, *& Regno rerum administratio conflata est; quamvis enim permagna utriusque differentia sit (illud enim veluti anima est, hoc veluti corpus) ad unum tamen & eundem finem tendunt, hoc est, ad animarum salutem* (b).

Quo sensu duo Reges in eodem Regno.

℟. III. Iidem ulteriùs instant. Repugnat primis Politicæ sanioris principiis, in eodem Regno duos admitti Reges: hos admittimus, si potestatem politicam ad sola profana restringimus: ergo admittimus aliquid repugnans. *Maj*: est extra controversiam. *Min.* patet, nam sic admittimus potestatem sacram ac profanam, penitus separatam & distinctam, quod in effectu nihil aliud est, quàm plures in eodem Regno admitti Reges, reclamante D. *Leone*, (c) & optante, *ut, quem statum cupimus esse Religionis, eundem haberemus & Regni*.

Etsi una sit in homine voluntas imperans,

Confirmat Henniges in hæc verba: in corpore naturali non nisi una voluntas est, actionum & membrorum omnium imperatrix: ergo pariter in corpore civili unica est imperandi facultas, non in profana tantùm, sed & sacra efficax, quantùm ad publicam salutem conducit.

Et Religiò etiam quietem publicam concernat,

Confirmat. 2. Principis potestas sese extendit ad ea, quæ salutem ac concordiam publicam maximè concernunt: ergo etiam se extendit ad Religionem, quæ maximam partem facit beatitudinis publicæ. C. Tenet, nam cui jus est ad finem, ei non potest non ad omnia media, fini consequendo idonea, idem juris esse, Ita ille. Sed

Politicis principiis nequaquam repugnat, si sit in genere penitus diverso.

Contrà est 1. D. A. Repugnat duos admitti Reges ejusdem ordinis ac potestatis. C. Ordinis ac potestatis diversæ, sic ut utraque certos habeat limites, & neutra egredi suos, atque invadere valeat alienos. N. A. & C. *Ad Sacerdotes*, inquit *Joannes Papa*, (d) *Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas. Non sibi vindicet alienum jus & ministerium, quod alteri deputatum est, ne contra eum tendat abrumpi, à quo omnia constituta sunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam consecutus est potestatem* (e).

Ad

(a) Ut refertur in Decreto *Gratiani*. C. *Duo sunt*. 10. Dist. 96.

(b) L. 3. Epist. 239.

(c) Epist. 42. ad *Martianum*.

(d) In cit. Dist. c. si Imperator. 58.

(e) Certè jam apud ipsos *Romanos*, ùt ex *Livio*, *Halicarnasseo*, & *Valerio Maximo* referunt Illustr. L. B. ab *Andlern* in Jurispr. publ. l. 1. tit. 1. n. 23. & Illustr. *Beitzhover* in Arcan. Stat. l. 7. c. 7. n. 1.

Vel nihil,

Ad Confirmat, 1. R. Retorq. argum. Juxta *Innocentium* III. summum Antistitem, duo in Cœlis sunt *luminaria* magna, unum, quod diei; alterum, quod præsit nocti: ergo etiam in Mundo duo sunt luminaria magna, Pontifex, qui spiritualia; Imperator, qui sæcularia gubernet. Item juxta S. *Nazianzenum*, & *Isidorum Pelusiotam*: homo constat ex anima & corpore, partibus admodùm diversis, sic tamen, ut ad unum eundémque ordinentur finem, totius hominis salutem: ergo & *Christiana* Respublica constat Sacerdotio & Regnô, regimine diverso, sic tamen, ut ad unum eundémque finem tendant, hominum salutem. Quid ad ista *Hemmigiani*?

Vel pro nobis probante paritate cum homine.

Contra est 2. Paritas est pro nobis: nam sicut intellectus dirigit voluntatem in internis; voluntas actiones externas: ita & potestas sacra dirigit in spiritualibus; profana in temporalibus. Unde vel N.C. & paritatem à physicis ad moralia; vel si quæ est, meliori longè congruentiâ nostro serviet asserto.

Et Jure protectionis sint Principis politico sufficiente.

Ad *Confirm.* 2. R. C. A. D. C. Ergo etiam se extendit ad Religionem *jure protectionis ac defensionis.* C. *Jure regiminis*, N.C. Jus protectionis ac defensionis in brachio sæculari abundè sufficit ad tranquillitatem, & concordiam publicam conservandam, ùt testis est experientia.

Sensus hac in controversia Orthodoxus.

Quæritur X. *Quid Moralista Catholici sentiant circa potestatem sacram respectu juris naturæ, & qualis juxta illos habitus religionis naturalis ad Christianam?*

Habitus religionis naturalis ad Christianam est tantum dispositivus.

℟. I. *Habitus religionis naturalis ad Christianam est suo modo dispositivus.* P. *Supposito* eo, quod initio statuimus (a) contra hæresin *Pelagianam*, quòd homo, *solis naturæ viribus*, non possit mereri *salutariter*. *Supposito* 2. contra hæresin *semipelagianam*, quòd initium justitiæ non possit esse *ex nobis*, seu *ex naturæ viribus*, adeóque *donum fidei* non cadat sub meritum. *Supposito* 3. Quòd Deus facientibus, *quod est in se*, non deneget gratiam, sic arguitur. Servantibus jura naturæ Deus deesse non potest, sed subministrat necessaria media, quibus donum *Christianæ* fidei consequantur: servantibus religionem naturalem deesse nequit *notitia prima* de Deo, ùt Ente primo, provido, ac justo, bonorum præmiatore, malorum vindice, & consequenter de anima *haud mortali*, de altera vita *saltem aliqua &c.* Deesse nequit *notitia vulgaris* de Deo uno, de animæ imortalitate &c. uti suprà exposuimus. Rursus: servantibus Religionem naturalem mens *semper magis magisque habilis* redditur ad servandam diutiùs legem naturalem, etiam totam, & *saltem successivè* per omnem vitam solis naturæ viribus: ergo per religionem naturalem homo *semper magis magisque disponitur* ad talem animi statum, cui Deus deesse nequit, negando gratiam; atque adeò, hac mediante, certò deducitur ad religionem *Christianam*: ergo habitus religionis naturalis, in ordine ad *Christianam*, est *suo modo dispositivus*, * id quod erat declarandum.

Potestas, qualiscumque sacra, nullatenus competit potestati politicæ jure naturæ.

℟. II. *Jus sacrorum, seu potestas sacra, nullatenus competit potestati politicæ ex natura rei, seu vi statûs naturalis, ùt ex lege naturæ inaniter supponunt cum Pufendorfio protestantici Naturalistæ.*

Ut patet ex Protestantium quisquiliis rejectis.

P. *Assertum* 1. Si potestas sacra (seu *Ordinis*, seu *jurisdictionis*) ullatenus competeret, vi statûs naturalis, potestati politicæ, tunc ideò, quia suis momentis id evincerent protestantici Naturalistæ: atqui hæc sunt merissimè prætensa, nulla, erronea, frivola, uti vidimus.

Et quòd potestas utraque differat ex fine.

P. *Assertum* 2. Potestas jurisdictionis sacræ nullatenus est *juris naturalis*; ergo *ex natura rei* competere nequit potestati politicæ. A. Patere potest 1. *Ex fine*: nam natura respicere nequit, nisi finem merissimè *naturalem*: atqui potestas jurisdictionis sacræ respicit finem *supernaturalem*, nempe salutem Fidelium æternam, directionem religionis supernaturalis, & gubernandam pro animarum salute Rempublicam *Christianam*.

Origine,

Patere potest 2. Ex *origine*: nam potestas naturalis ortum habet à Deo, *ut Authore naturæ*; potestas Ecclesiastica à *Christo*, *ùt Authore gratiæ*, & *Ecclesiæ Christianæ*, specialiter institutæ, ac elevatæ. Sed de his infrà.

Pate-

---

n 1. sub ipsis Monarchiæ initiis præcipua sacra *flamini Diali* commissa sunt; immò Rex *Numa Pompilius* creavit Pontifices, quibus omnia sacra publica & privata subjecit, quique omnes, sibi subjectos, in religionis negotio judicare, à nemine autem judicari poterant.

(a) In proleg. Instruct. 0. §. 3. de statu naturæ lapsæ.

* *Balthasar Wernerus* Protestanticus in elementis J. N. & G. c. 8. §. 32. f. m. 187. Cùm homini ex naturæ lumine valde videatur probabile, animam humanam immortalem esse, & aliam post hanc vitam sperandam, in qua bonis bene, malis autem malè sit futurum, inde religionis naturalis *effectus pædagogicus* emergit, quòd nimirum homo, eâ mediante, *duci ad Theologiam revelatam, & salutarem debeat.*

Ratione item diverſi objecti.

Patere poteſt. 3. *Ex Objectis:* nam poteſtas Eccleſiaſtica ſeſe extendit *ad objecta* ſpiritualia, nempe principia fidei, gratias, cenſuras &c. quæ effectus producunt extra ſphœram naturæ poſitos: ergo à poteſtate, merè naturali politica, attingi nequeunt. C. *Liquet:* quia poteſtas ſæcularis, tota quanta eſt, juxta lumen naturæ ſolummodò regulatur, dicente S. *Ambroſio* (a): *Allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa: reſpondeo, noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ Divina ſunt, Imperiale aliquod jus habere; noli te extollere, ſed, ſi vis Diutius imperare, eſto Deo ſubditus, ſicut ſcriptum eſt, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſia; publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum.*

Ratione extenſionis, cùm ſit & eſſe debeat eadem reſpectu totius Generis humani.

Patere poteſt 4. Regnum Dei, ad quod conſequendum diſponit poteſtas ſacra, unum idémque eſt reſpectu totius Generis humani Authore *Tertulliano* (b): *Nam Chriſti regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus Gentibus, ſupra enumeratis, colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique æqualiter tribuitur, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus, & Dominus eſt*: ergo una eademque poteſtas, ſacrorum moderatrix, ubique Gentium ſit oportet. C. Exinde clareſcit, quòd, multiplicatâ poteſtate, multiplicentur capita, adeóque tot diverſæ circa viam ſalutis ferri poſſint ſententiæ, quot ſunt legiſlatores: ergo, cùm poteſtas politica una non ſit, ſed multiplex, tot habens diverſa ſubjecta, quot ſunt Imperantes in Mundo; ad ſpiritualia gubernanda nullatenus habilis eſſe cenſetur. Hinc *Leo Magnus* (c): *Beatiſſimus Petrus, Princeps Apoſtolici Ordinis, ad arcem Romani deſtinatur Imperii, ut Lex veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo Capite, per totum Mundi corpus effunderet, ſicque per ſacram beati Petri ſidem caput Orbis effecta Roma latiùs præſideret religione Divina, quam dominatione terrena.*

Nil memorando, quòd ſi profluerer ex jure naturæ, competiiſſet etiam Principibus ethnicis.

Patere poteſt 5. Si poteſtas circa ſacra eſt juris naturalis, ut contendunt Proteſtantici, ſequitur, quòd etiam Imperantibus ethnicis competierit facultas diſponendi, *Regia authoritate*, circa fidem, Religionem, Sacramenta, & alia negotia Eccleſiaſtica: atqui hoc nimis abſonum, etiam Acatholicis, nî fallor: ergo poteſtas circa ſacra nequit profluere ex jure naturali. *Maj.* videtur extra controverſiam: nam eadem eſt poteſtas ſæcularis apud Reges *Chriſtianos*, & ethnicos, ſiquidem & his & illis æqualiter parendum eſſe docet ſacra Scriptura, utique in politicis, non in ſacris. Unde S. *Auguſtinus* (d): *Si aliquid ipſe Proconſul jubeat, & aliud jubeat Imperator, numquid dubitatur, illô contemptô huic eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, eſto mihi in obſequium: rectè quidem, ſed non in Idolio; in Idolio prohibet, quis? major poteſtas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc jam tibi aſſumenda eſt fides tua, tanquam ſcutum, in quo poſſis omnia ignita jacula inimici extinguere.*

Adde, quòd per poteſtatem politicam Sacris non videatur ſatis eſſe proſpectum.

Confirmatur. Non videtur ſatìs fore proſpectum Reipublicæ, ſi penes eoſdem Principes eſſet utraque poteſtas, tam ſacra, quàm politica: ergo utriuſque conjunctio *ex jure naturali* rectè deduci nequit. C. Tenet: cùm ſupponatur, quòd jus naturæ ſit *ordinatio* Dei, ùt Authoris naturæ, per dictamen rationis applicata, juxta ea, quæ ſuprà jam ſtabilivimus. A. P. Exeperientiâ teſte, plerumque, qui curâ temporalium nimìs impliciti ſunt, ſpiritualia tam impenſè curare aut non volunt, aut non valent, proindéque longè conſultiùs eſt, illis, qui Reipublicæ habennas capeſſunt, temporalium rerum curam aſſignare, ac rerum ſupernarum diſpenſationem aliis committere. Unde S. *Chryſoſtomus*: (e) *quamquam admirandus videtur Thronus Regius, tamen rerum ſolummodò terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec præter poteſtatem præterea habet quidquam Authoritatis.* Conſentit Doctor Angelicus: (f) *Miniſterium, ut à terrenis eſſent ſpiritualia diſtincta, non terrenis Regibus eſt commiſſum, ſed Sacerdotibus.*

Nec denique jus ſacrum competit poteſtati politicæ ex jure humano collegiali. Nam hoc ipſum deberet fundari in jure naturali, quòd nullum eſt.

℞. III. *Jus ſacrorum, ſeu poteſtas ſacra, neque competit poteſtati politicæ ex jure humano. id quod è ſua collegiali Eccleſia hi proteſtantici Moraliſtæ malè exſculpere conantur.*

Probatur Aſſertum. Si poteſtas ſacra foret penes ſummum Imperium *jure humano*, tunc eſſet vel *jure Gentium*, vel *jure Collegiali Communitatis Chriſtianæ*, tranſlato in unum vel plures: neutrum

(a) In Epiſt. 14. aliàs 33. ad *Marcellin.*
(b) L. adverſùs *Judæos* c. 45.
(c) Serm. 1. in Nat. Apoſtol.
(d) De Verbo Domini ſecundùm *Mathæum*. Serm. 6.
(e) Homil. 4 & 5. de verbis *Iſaiæ*.
(f) Vel quicunque eſt Author libelli de regimine Principum l. 3. c. 14.

neutrum poteſt dici. *Min.* P. Utrumque jus iſtud in ſolo naturali fundatur, & ab illo trahit originem: ergo cùm *jus naturale* non attingat poteſtatem ſacram, ùt dictum; multò minùs alia inſeriora jura, quæ in jure naturali ſundantur, attingent, vel attingere poterunt.

Nullum eſſe jus tale humanum, in ſuis conſtitutionibus fatentur ipſimet auguſtiſſimi Cæſares.

Confirmatur ipſorummet Imperatorum teſtimoniô atque confeſſione. *Juſtinianus* ſic habet (a): *Maxima quidem in omnibus ſunt dona Dei, à ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: illud quidem Divinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens, eo uno eodémque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.* *Conſtantinus* M. judicium inter Epiſcopos in Concilio recuſans, dixit (b): *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & nobis à Deo dati Judices eſtis, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolùm, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat* (c). *Theodoſius*: (d) *Illicitum eſt, eum, qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* *Valentinianus*, (e) cùm Epiſcopi poteſtatem peterent conveniendi in Concilio pro rebus fidei, ultro profeſſus eſt, *ſibi, qui unus è laicorum numero eſſet, non licere, ſe ejusmodi rebus interponere.* *Honorius* Auguſtus ad *Arcadium* (f): *cùm, ſi quid de cauſa Religionis inter antiſtites ageretur, Epiſcopale eſſe oportuerit judicium; ad illos enim Divinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis ſpectat obſequium.* Et infrà: *Rebus denique ipſis docetur, quid de his ſenſerit Divina Majeſtas.* *Baſilius* Imperator (g): *de vobis* (ſæcularibus) *quid amplius dicam non habeo, quàm quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem habere: hæc enim inveſtigare, & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt; qui ſanctificandi, ligandi, atque ſolvendi poteſtatem habent; qui Eccleſiaſticas atque cæleſtes adepti ſunt claves, non noſtrum, qui paſci debemus &c.* Plura vide apud *Suarezium.*

Ipſis Acatholicis aſſerto noſtro ſuffragantibus.

Confirmatur utrumque aſſertum, ipſis acatholicorum Authorum teſtimoniis. Sic *Hornius* ſatetur (h): *A ſacrorum regimine, ut actione publica, privatum quidem arceri, nondum tamen patere rationem, quæ illud Principi aſſerat.* *Hugo Grotius*, (i) qui ait, ut idem *ſit Rex & Sacerdos, non eſſe ex eo genere naturalium, quæ aliter ſe habere non poſſunt.* *Beſoldus*, etiamnum acatholicsu, (k) *Böhmerus*, (l) & alii.

Unde fruſtrà dicitur, quòd plura laica Eccleſiarum particularium capita unum eſſent in Chriſto.

℞. IV. *Contra hæc fruſtrà nonnulli reſplicant* 1. Non eſt ullum inconveniens, plura admittere capita; immò tot, quot ſunt Eccleſiæ particulares: ergo probatio non ſubſiſtit. A. P. Hoc non obſtante manet unum unicum Caput totius Eccleſiæ univerſalis, nempe *Chriſtus*, in quo omnes particulares Eccleſiæ uniuntur: ergo &c.

Nam requiritur viſibilis, & vera Eccleſiæ unitas.

R. N. A. Quia, Scripturâ teſte, Eccleſia militans eſt *unum* corpus myſticum, *unum* ſpirituale Regnum: ergo requiritur *una* poteſtas ſuprema in omnia Membra, ac ſubordinatas Eccleſias efficax, qua ſine ſubordinatione nequit ſervari *unio*, ac conformitas debita, ùt in ſuis Eccleſiis ſatìs ſupérque experiuntur ipſimet Proteſtantes. Ad P. D. Manet unicum caput *inviſibile*. C. *Viſibile*, utì requiritur ad corpus myſticum & unum Regnum ſpirituale, in ſuo genere perſectum. N. A. Et ſuppoſitum, quòd plures Eccleſiæ ſupremæ, neque ſubordinatæ, uniri poſſint in *Chriſto*: non enim *Chriſto* uniri poſſunt, niſi per *veram* fidem: ergo per *unam*: atqui, moraliter loquendo, *in una* conſervari nequeunt, uno hoc, alio alium modum Religionis, ſeu fidem ſuomet judicio ex Scriptura ſibi potente eligere, ac ſabricare, ùt ipſimet Proteſtantes non modò vident, ſed etiam palpant. Accedit, quòd ſine viſibili Capite, ad cujus ſupremum tribunal, poteſtatémque regiminis ſummam, particulares Eccleſiæ ſubordinentur, habere nequeant *unitatem*, in hoc Mundo requiſitam: vel cedò, num plura Regna ſub Regibus diverſis rectè dicuntur *unum*, quòd uniantur in Deo, Rege ſupremo etiam temporali omnium Regum? An duo exercitus ejuſdem Cæſaris, in *Hungaria* & *Italia* ſub ducibus ſupremis, invicem inde-

(a) in Authent. *Quomodo oporteat Epiſcopos*, in princ.
(b) *Ruffin.* l. 1. Hiſt. additæ ad *Euſeb.* c. 2.
(c) Pſalm. 81. v. 1.
(d) In Epiſt. ad Synod. *Epheſ.* quam refert *Adrianus* Papa ap *Michael*: Imp.
(e) Referente *Sozomeno* l. 6. Hiſt. c. 7.
(f) In cauſa *Chryſoſtomi* inter Epiſt. *Innocentii* I. apud *Suarez* l. 3. Defenſ. Fid. Cath. c. 9. £ m. 288.
(g) In actis 8. Sydod. General. referente *Surio*.
(h) De Civit. l. 2. c. 5.
(i) In ſpeciali tractatu de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra c. 2. §. 8.
(k) In politicis l. 2. c. 3. §. 3. n. 14. & 19.
(l) In Introduct. ad Jus publ. l. 0. c. 5. §. 0.

independentibus, rectè dicuntur *unus*, quòd in eodem Cæsare uniantur, & ab eo alterius rationis influxum percipiant? ergo à pari.

Quæ apud Catholicos servatur in Episcopis, Summo Capiti subordinatis.

Neque dicant Adversarii 2. Quòd hæc ipsa difficultas sit nobis solvenda in Apostolis, atque Episcopis, si illis tribuatur suprema potestas. Nam R. D. Si illis tribuatur suprema *absolutè*. C. Si suprema *respectivè*, & cum debita subordinatione ad unum Caput in Ecclesia summum. N. Hæc dependentia servatur semper, sive illud Caput supremum statuatur in uno Episcopo, sive in una Episcoporum congregatione, qua de re alibi.

Servari non posset, etsi fingeretur Concilium Regum, singulis Regibus eminentius.

Neque dicant 3. Ergo & singuli Reges, etsi in suis Regnis supremi, etiam in spiritualibus possent subordinari ad concilium Regum, ubi spiritualis potestas singulis foret superior, ut sic ejus authoritate servaretur Ecclesiæ unitas. Sed

R. N. illatum. Si singuli sunt supremi ante Concilium, quis Concilium congregaret? Quis in Concilio alteri opinionem suam postponeret? An singuli, renunciato supremo jure, sese sponte Concilio subjicerent, vel à *Christo* essent subjecti? At ubi ejusmodi Aristocratici Ecclesiæ regiminis vel leve vestigium in Scriptura?

Jura Ecclesiastica Principum penes Catholicos.

Neque tamen Orthodoxis Principibus nullum omninò jus Ecclesiasticum remanet, sed variis, tam universalibus, quàm particularibus, eos gaudere alibi satis demonstramus, inter quæ est *advocatia Cæsaris in totam Ecclesiam, jus defensionis, protectionis respectu Conciliorum, jus primariarum precum*, ut nil dicamus de juribus particularibus, specialiter indultis, quæ in loco proprio expressiùs dilucidamus (a).

Instructio 3.

INSTRUCTIO III.

De habitu religionis Judaicæ ad Christianam, & Christianæ ad vitam civilem.

§. 1. Habitus religionis Judaicæ ad Christianam.

§. I.

De habitu religionis Judaicæ ad Christianam.

Juxta Protestantes, in ordine ad profanandam potestatem sacram,

Quæritur I. Quæ convenientia religionis Judaicæ ac Christianæ adstruitur in systemate protestantico in ordine ad potestatem sacram, Imperantibus laicis asserendam?

Saltem Jurisdictionis, est paritas.

℞. I. *Puffendorfius* cum suo synedrio statuit (b) religionem *Judaicam* fuisse *Divino jure* statui politico sic innexam, ut *potestas ordinis* fuerit quidem penes *solam* Tribum *Leviticam*; *potestas* tamen *jurisdictionis* manserit penes Reges. Inde, ait, non fuisse *statum in statu*, sed Tribum sacerdotalem imperio Regum fuisse obnoxiam, queîs competiisset *cura & inspectio* religionis cum jure loco movendi Sacerdotes, segnes in officio increpandi, religionem promovendi &c. jurisdictione versante non quidem *circa sacra*, sed *circa personas*, sacris destinatas. Ex his *Puffendorfio* fluit unica paritas, disparitas multiplex, & hæc & illa pariter falsa, atque erronea. *Paritas* est: in religione *Judaica*, jure Divino, potestas jurisdictionis sacræ fuit penes Reges, nec formabatur status in statu: ergo à pari in religione *Christiana*. Hanc paritatem, utroque pede podagricam, monstrabimus infrà.

Contrà: *disparitas* utramque inter Religionem est. 1. Quòd *Judaica* uni tantum Populo propria, *Christiana* omnibus totius Orbis: quasi verò Gentibus cœteris lex *Mosaica* congruere haud potuisset. 2. Quòd ibi fuerint sacrificia; hìc nullum, qui est error *Luthericus*. 3. Quòd ibi Sacerdotium uni Tribui fuerit peculiare; hic omnibus *Christianis* sit commune, qui rursum est error protestanticus. 4. Quòd cultus publicus in religione *Christiana* nullì sit loco affixus; in *Judaica* fuerit affixus uni, quod & ipsum suo modo falsum demonstratur in sacra historia (c).

Etsi ministerio Ordinis reservato solis Levitis.

℞. II. In eadem sensa abit *Henniges* cum cœteris Protestantibus, & quia in veteri Testamento Regibus, *jure Divino*, omnem potestatem *Jurisdictionis* adjudicat, solo ministerio *Levitis* reservato, eandem cum *Puffendorfio* urget paritatem, qua etiam in novo Testamento eandem summis Imperantibus vindicare se venditat (d). Nam, recensitis è veteri Testamento argumentis nugivendulis, in hæc verba concludit: *& sic in vetere Judæorum Republica imperium circa sacra semper à Regibus usque ad captivitatem Babylonicam usurpatum esse, ex his, quæ diximus, abundè liquet.* Imò *abundantissimè* abundantibus in suo sensu. Addit: *post captivitatem Babylonicam, nullis Regibus, & incerto obsequio, in civilibus turbis paulatim*

(a) In instit. Hist. Eccles. de notitia Hierarchia &c. in Instit. J. P. Imp. Rom. Germ.
(b) De habitu religionis §. 9. f. m. 37.
(c) *Manichæorum* 2. c. 1.
(d) De summa potestate circa sacra c. 3. n. 8. f. 47.

tim creviſſe ſacri Ordinis potentiam, Sacerdotibus omne imperium, etiam in ſacra, ad ſe trahentibus, cum nempe ſilerent Prophetæ, & pietas exularet: unde ejusmodi abuſus præjudicio Regibus eſſe nequeat. Ita ſacrorum abſonus hic profanator.

Momenta prætenſa pro evincenda poteſtate circa ſacra.

Quæritur II. *Quæ momenta ex Teſtamento veteri prætendunt Henuigiani pro vindicanda Principibus laicis poteſtate circa ſacra?*

Obedientia in lege veteri præcepta etiam Regentibus paganis.

℟. I. *Prætendunt* I. cum *Hennige.* In lege antiqua præcipitur etiam obedientia Regibus gentilibus; ſic *Jeremias* (a): *ſubmittite corda veſtra ſuper jugum Regis Babylonis.* 2. Reges dicuntur *Filii altiſſimi,* (b) *Angeli Dei,* (c) *facti juxta cor Dei,* (d) *Dii,* (e) *uncti Domini,* (f) *Nutritii Eccleſiæ* (g): ergo in lege veteri tribuitur Regibus poteſtas ſumma etiam circa ſacra.

Quæ tamen temporalia tantùm ſpectavit, non ſacra.

R. D. A. Præcipitur obedientia in temporalibus. C. In ſpiritualibus. N. A. & C. Primus titulus *privativè* convenit *Salamoni* ob ſpecialem protectionem; ſecundus & tertius *Davidi* ob ſpecialem juſtitiæ laudem, non autem omnibus Regibus *ob poteſtatem Regiam communem.* *Dii* eſt titulus communis omnibus terræ Potentibus, ſed præcipuè tamen Sacerdotibus ac juſtis, *ad quos ſermo Dei factus eſt* (h): ergo nil peculiare probat pro Regibus. *Uncti* multò frequentiùs dicuntur Sacerdotes; nec *Unctio* tribuit poteſtatem, ſed ſolumodò indicat. *Nutritii Eccleſiæ* dicuntur Reges, non ut nutriant per ſpiritualem poteſtatem, ſed per pietatem, atque munificentiam. Unde D. C. Ergo in lege veteri tribuitur Regibus poteſtas *ſumma in ſuo ordine,* nempe *temporalibus.* C. *In omni ordine,* ſeu etiam *in ſpiritualibus.* N. C.

Quòd poteſtati ſacra profana ſubin connexa fuerit in veteri Teſtamento;

Prætendunt II. Poteſtas ſacra atque profana in Lege ſcripta fuit conjuncta, ùt dictum, in *Moyſe, Heli, Samuele, Nehemia,* ac tempore *Machabæorum* in *Mathatia:* atqui non alio jure conjuncta fuit, quàm Divino: ergo &c.

Probat I. Sacram fuiſſe nunquam à merè profanis exercitam.

℟. I. *Indirectè.* Poteſtas ſacra atque profana, in Lege veteri, ſubin conjuncta fuit: ergo jus ſacrorum poteſtati ſæculari, *quà talis,* nullatenùs connexum eſt, & nemo, qui Sacerdotum numero adſcriptus non erat, ad Sacerdotalia officia admiſſus eſt. Item: ex diſpoſitione Divina, in Lege veteri, temporalis poteſtas interdum cum Sacerdotali conjuncta fuit: ergo etiam in Lege nova conjungi poteſt: utraque conſecutio eſt contra mentem Proteſtanticam.

Probat 2. id non niſi extraordinariè factum.

℟. II. *In forma* D. *Maj.* Poteſtas ſacra atque profana, in Lege veteri, *ordinario jure* conjuncta fuit. N. *Extraordinario,* & *ex ſpeciali Dei* ordinatione. C. *Maj:* In Republica *Hebræa,* quam *Theodacticam* appellant, ſive ſpeciali neceſſitate, ſive temporum, aliarúmque cauſarum malignitate, ſive extraordinario Dei conſilio quædam fuiſſe facta, quæ in conſequentiam *Chriſtianæ* Reipublicæ trahi neutiquam poſſunt, nemo eſt, qui ignorat.

Quæ fecit Rex Aſa,

Prætendunt III. Teſte ſacra Hiſtoria, (i) *Rex Aſa ſubvertit Altaria peregrini cultûs, & excelſa, & confregit ſtatuas, lucóſque ſuccidit, & præcepit Judæ, ut quæreret Dominum Deum Patrum ſuorum, & faceret legem, & univerſa mandata:* ergo habuit, & reformando Eccleſiam ac Populi mores, etiam exercuit poteſtatem in ſacris.

Et Ezechias,

Confirmatur. Sic Rex *Ezechias* quoque legitur diſſipâſſe excelſa, contriviſſe ſtatuas, ſucciſiſſe lucos, & *confregiſſe ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes* (k): ergo habuit & ipſe, atque, abuſus tollendo, exercuit poteſtatem in ſacris.

Non probant conjunctionem Imperii & Sacerdotii.

℟. I. *In genere* cum *Paulntio,* (l) quòd, tempore Regum legis antiquæ, conjunctio Imperii & Sacerdotii neutiquam inveniatur; ſiquidem noverat Deus, futurum, ut Reges abuterentur exemplo, ac re ipſa aſſererent, ſe *ex inſtituto naturæ* jus habere ad ſpiritualia: & ideò politicum regimen, ad nauſeantis Populi votum, per Regis conſtitutionem immutavit, ab eodem tamen, ùt ſuprà ex ore *Samuelis* attulimus, ſacra tractari noluit. Unde

Sed protectionem, ac Zelum Sacrorum.

℟. II. *In ſpecie* C. A. D. C. Ergo Rex *Aſa* habuit poteſtatem in ſacra, ſeu hæc fecit ex poteſtate ſacra. N. C. Hæc fecit ex Regia præeminentia, curâ,

(a) *Jerem.* 27.
(b) 2. Reg. 7.
(c) 2. Reg. 14.
(d) 1. Reg. 13.
(e) *Pſalm.* 81.
(f) 1. Reg. 14.
(g) *Iſaiæ.* 49.
(h) *Joan.* 10. v. 35.
(i) Paralip. 2. c. 14. v. 3. & 4.
(k) 4. Reg. 18. v. 4.
(l) Juriſpr. Sacræ l. 2. Tract. 2. c. 7. n. 2.

tâ, protectione, ac zelo Regio. C.C. Regibus (uti rectissimè notat Magnificus nostri temporis Politicus, suprà jam laudatus) neutiquam vetitum fuit, nec etiamnum est, illa, quæ mala, seu legibus naturalibus & positivis adversa, ac communi bono Reipublicæ humanæ opposita sunt, reprimere; quin immò præceptum noscitur, ut *ex officio* non solùm peccata adversùs legem Dei & naturæ puniant, sed etiam cultum ac honorem Divinum, quantum in se est, promoveant, Populum ad virtutem, honestatem, ac pietatem verbo exemplóque animent, atque ad salutem, & beatitudinem æternam perducant. *In hoc enim* (ùt ait (a) S. *Augustinus*) *Reges, sicut eis divinitùs præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam ad Divinam Religionem.* Hinc ex iis, quæ fecit *Asa*, idolomaniam nempe, quæ gravissimum est peccatum contra naturam, eliminando; *Juda* præcipiendo, ut quæreret Dominum &c. cùm non minùs ad sæcularem, quàm Ecclesiasticam potestatem pertineant, jus sacrorum nequidquam inferunt Protestantes. Ex his patet responsio ad *Confirmationem.*

Etiam in removendis scandalis.

Serpentem æneum quod spectat, quantumvis ex jussu Divino, non sine mysterio, & sancta repræsentatione erectus fuerit, quia tamen carnali *Hebræorum* genti, irreligiosum cultum & latriam eidem exhibenti, occasio scandali, & ruinæ spiritualis erat, Regia quoque jussione confringi poterat, jubente sic lege: *confringite statuas, lucósque succidite.* *

Quòd David Sacerdotes congregârit, Arcam reduxerit &c.

Prætendunt IV. De Rege *Davide* legitur, (b) quòd dixerit ad omnem cœtum *Israel: si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor: mittam ad fratres nostros reliquos in universas Regiones Israël, & ad Sacerdotes & Levitas, qui habitant in suburbiis Urbium, ut congregentur ad nos, & reducamus Arcam Dei nostri ad nos &c.* De Rege *Josia*, postquam *Helcias* Pontifex *reperit librum in Domo Domini,* (c) legimus, quòd *miserit, & congregati sunt ad eum omnes senes Juda, & Jerusalem, ascenditque Rex Templum Domini, & omnes Viri Juda & Jerusalem cum eo, Sacerdotes & Prophetæ, & omnis Populus à parvo usque ad magnum, legítque cunctis audientibus verba libri fœderis, qui inventus est in Domo Domini, stetitque Rex super gradum, & fœdus percussit coram Domino* (d). Jam sic: convocare Sacerdotes, omnémque Populum ex fine spirituali, reducere Arcam Domini, legere verba libri fœderis, percutere fœdus coram Domino, indicant potestatem sacram: ergo hi Reges & habuerunt, & exercuerunt potestatem in sacris.

Josias librum legis prælegerit, fœdus cum Deo percusserit, &c.

℟. Cum eodem *Suarezio*, D. A. Ejusmodi actiones indicant potestatem sacram, & jurisdictionem, verè spiritualem, *in his, quæ pertinent ad Deum.* N. Indicant specialem pietatem, devotionem, fervorem erga legem Divinam, vel si mavis; potestatem advocatiæ, ac fidelitatis in protegenda & promovenda Ecclesia. C. A. & N. C. *Ratio distinctionis est* 1. Quia *convocare* Sacerdotes, & Populum, etiam ob finem spiritualem, non statim denotat potestatem Regis spiritualem, sed sanctum potiùs zelum, quo inflammatus etiam potestatem Regiam ac civilem in spirituale bonum sui Populi potest dirigere. 2. *Reducere Arcam* rursus de pietate Regia multum, nil de jurisdictione spirituali participat: siquidem, ùt ex sacro Codice constat, (e) nec Arcam Rex portavit, nec attigit, sed portatio-

Non probant jurisdictionem in sacris, sed specialem Regum pietatem.

(a) L. 3. contra *Crescon.* Grammat. c. 51.

* Indè colligitur vaniloquentia *Hennigii de summa* Imperantium potestate circa sacra c. 2. n. 7. f. 46. dum post relatam *Ezechiæ* pietatem in cultu Divino promovendo, *etiam reducta celebratione Paschatis*, ait: quòd si hic Rex in nostra tempora incidisset, qua Hierarchia Pontificia, intolerabili molestia, *Christianis* Principibus incumbit, sine dubio ingens fuisset malum habiturus, si Pontificis ingratiis tantum sibi juris in negotio Religionis sumpsisset, quod ad se solùm pertinere ab omnibus credi cupit. Quòd si enim *Gregorius* Calendarium suum *Christiano* Orbi, summa audaciâ, pro imperio obtrusit, quantò magis pro Paschatis, rei sine dubio spiritualis, celebratione, sua non aliena authoritate instituenda, propugnaturus fuerit? Sed piaculum adhuc erat *Ezechiæ* ætate, Principis legitimi circa sacra potestatem summam in dubium vocare, adeóque ne quidem mussitâsse Pontifices, Sacerdotes aut Levitæ leguntur, quasi eorum juribus aut privilegiis vis fieret, qui in aliâ causâ satis animi ad resistendum Regi suo habuerunt, Sanctuarium inferius ad immolandum ingressuro; Ita ille: Sed heu! quantum est in rebus inane. *Gregorium*, ratione Calendarii reformati, contra Protestantium cavillationes satis defendimus in Coll. Hist. P. II. Q. 2.

(b) 1. Paralip. 13. v. 2.

(c) 4 Reg. 22. v. 8.

(d) 4. Reg. 23. v. 1. 2. & 3.

(e) 2. Reg. 6.

tationem Levitis, contactum Sacerdotibus reliquit, juxta præceptum Domini (a), 3. *Nec legere verba libri*, si tamen fecit ipsemet, (b) non tam exhibitionem potestatis sacræ, quàm reverentiam erga Legem, & Legislatorem, ac demissionis Regiæ testimonium perhibet. Sic & *percussio fœderis* nil ultra pietatem Regiam arguit: siquidem promissionem de servanda Lege renovare, æquè ac sacram Scripturam prælegere, actiones sunt Sacerdotibus & Laicis communes, veluti ibidem indicat sacer textus: *acquievitque populus pacto* (c). Hinc rectè concludit *Suarezius* noster: Ex his ergo omnibus exemplis, ac testimoniis, nulla spiritualis jurisdictio, vel specialis potestas in his, *quæ pertinent ad Deum*, in Regibus Legis veteris, fuisse ostenditur. Optimè verò ostenditur, bonum ac fidelem Regem defensorem esse debere Divinæ fidei, ac veræ Religionis, diligenter curando, ut omnes errores, & superstitiones, contra veram & approbatam ab Ecclesia doctrinam, vel ingressum non habeant, vel ubi inventi fuerint, expellantur. Hanc ergo fidelitatem ad Deum prædicti Reges boni ostenderunt, & in lege nova *Constantinus*, *Carolus* M. & V. aliique Reges Catholici summa pietate observârunt, quamvis se non Ecclesiæ Parentes, aut Prælatos, vel Prælatis superiores, sed Filios, subditos, & Protectores agnoscerent.

Momenta prætensa pro vindicanda potestate jurisdictionis. Missio Sacerdotum & constitutio sacrorum Judicum.

Quæritur III. *Quæ alia momenta ex Testamento veteri prætendunt Puffendorfii pro vindicanda Principibus laicis potestate jurisdictionis circa sacra?*

R. *Prætendunt* I. In Lege veteri Reges *miserunt* Principes, Sacerdotes &c. ad populum in lege Domini erudiendum. Item *constituerunt* judicia & judices sacros, uti de Rege *Josaphat* testatur sacra Scriptura (d): *Tertio Anno regni sui misit de Principibus suis, ut docerent in civitatibus Juda, & cum eis Levitas ac Sacerdotes, docebántque Populum in Juda, habentes Librum Legis Domini; & circuibant cunctas Urbes Juda, atque erudiebant Populum* &c. Alibi (e) *In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas, & Sacerdotes, & Principes Familiarum ex Israel, ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus:* ergo habuerunt, & exercuerunt potestatem in sacra.

Fuit impropriè talis, per designationem, etiam Regibus propriam.

℞. D. A. *Miserunt* missione, *suò modò* etiam Regibus competente; item *constituerunt* constitutione *per nominationem*, etiam potestati summæ non rarò propriâ. C. *Miserunt*, & *constituerunt* missione, ac constitutione propriè sacra, seu per collationem potestatis sacræ, atque judiciariæ in causis sacris. N. A. & C. Quòd missio ad Populum docendum *suò modò* spectet ad supremam quoque potestatem politicam apud Fideles, colligitur 1. Ex eo, quia Reges prospicere tenentur, ut Juventus sanis & sanctis institutionibus educetur. 2. Ex eo, quia salaria & subsidia, quibus instructores sustententur, subministrare consueverunt. 3. Ex eo, quia renitentes & resistentes, sua authoritate, compescere obligantur. Unde, ut rectè notat *Suarezius*, missi intelliguntur etiam Principes non tam ad docendum, quàm ad protegendos in docendi munere Sacerdotes, rebelles in officio continendos, vel etiam, si opus foret, ad audiendum Dei Verbum cogendos. Quòd Principes Familiarum, in ordine ad judicandas causas politicas, constituti sint, non modò per nominationem, sed etiam collationem potestatis judiciariæ, facilè patet: quòd *eodem modo* cum Sacerdotibus sint judices sacri constituti, dicere vetat locus Paralipomenon suprà allatus, (f) ubi declaratur expressè, ea, *quæ pertinent ad Deum*, non ad Regis, sed Pontificis imperium esse revocanda.

Depositio Abiatharis, summi Sacerdotis, facta per Salomonem.

Prætendunt II. Rex *Salomon*, statim initio sui regiminis, ejecit *Abiathar*, *ut non esset Sacerdos* (g). Jam sic: Deponere, exilio multare Summum Pontificem, est habere, ac exercere potestatem sacram: ergo *Salomon* habuit, ac exercuit potestatem in sacris.

Etsi teneret, nulla foret illatio ad Legem gratiæ.

℞. I. Etsi, teste *Suarezio*, (h) S. *Bonaventura*, *Abulensis*, &. alii Authores,

(a) *Num.* 4. v. 31.

(b) Hinc *Abulensis* exponit: *Legit*: id est, fecit legere per *Saphan* scribam, eò quòd non sit alienum ab usu illius locutionis, ut ex alia c. 22. rectè probat.

(c) 4. Reg. 23. v. 3.

(d) 2. *Paral.* 17. v. 7. & seqq.

(e) Ibid. c. 19. v. 8.

(f) 2. Paralip. c. 19. v. 11.

(g) 3. *Reg.* 2. v. 27.

(h) In Defens. l. 3. c. 26. n. 1. fol. mi. 400.

res, ob hoc argumentum concesserint, Regem fuisse Pontifice superiorem, & ut loquitur Author *de regimine Principum*, (a) *Sacerdotes in Lege veteri Regibus fuisse subjectos*, tamen illatio Protestantica ad legem gratiæ esset nulla. *Ratio disparitatis* foret, quòd sicut Sacrificia illius temporis erant carnalia, ceremoniæ, phrasi D. *Pauli*, *Sanctum sæculare*, (b) ita & Pontificatus adeò spiritualis non fuerit, ut in criminibus læsæ Majestatis exemptus esset à tribunali Regio. Aliud sentire de Sacrificiis & Pontificatu novæ Legis fides docet, ùt initiô dictum. Sed meliùs

Pertinuisset ad temporalia, concernentia pacem publicam, vel ad dispositionem Numine extraordinariam;

℟. 2. C. A. D. C. Ergo *Salomon* habuit, & exercuit potestatem *in sacris, quæ pertinent ad Deum.* N. In temporalibus, *quæ pertinent immediatè ad pacem publicam*, qualis erat *causa conspirationis*, pœna exilii temporalis. *Subd.* Jurisdictione *ordinaria.* N. *Extraordinaria*, & specialiter in hoc casu à Deo concessa. C. C. Fundamentum distinctionis suppeditat ratio in probatione Asserti suprà allata; item sacer textus: *Ejecit Salomon Abiathar, ut non esset Sacerdos Domini.* Mox subjungitur: *ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super Domum Heli in Silo*, Qualis haud dubiè fuit sermo, quo Deus dixit (c): *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet*, nempe *Sadoc.* Unde arguit *Innocentius* III. summus Pontifex, cum *Theodoreto*, *Procopio*, C. *Bellarmino*, & plurimis aliis apud *Suarezium*, quòd Divino instinctu permotus *Salomon*, & potestate extraordinaria, *sibi à Deo datâ*, Divinum Oraculum de *Domo Heli*, per peccata *Abiatharis* forsan completum, exequi voluerit, atque debuerit. Immò

Quamvis non tam depositio, quàm separatio à Sacerdotio fuerit,

R. 3. Aliter D. C. Ergo *Salomon* habuit, & exercuit potestatem *directam* in sacris, positivè deponendo summum Pontificem. N. C. Quasi *indirectam*, separando summum Pontificem ab usu muneris, solique *Sadoc* id relinquendo; (d) vel potiùs *naturalem*, quasi defensioni suæ contra conspirationem, & conservationi pacis publicæ consulendo. C. C. Rectè *Suarezius* noster, (e) etsi non dubitent alii, *Salomonem* in eo facto injustè egisse, usurpando potestatem, quam non habebat; ego tamen ob verba Scripturæ (f) malim sic excusare: nam si *Abiathar* contra *Salomonem* conspiravit, *Adoniæ* partes fovendo, timere meritò poterat, ne post *Adoniæ* mortem *Abiathar* in ministerio Pontificatûs, & *Jerosolymis* manens, aliquid in suam perniciem moliretur: tales ergo circumstantiæ tunc occurrere poterant, ut posset Rex prudenter, & sine peccato, illo modô cogere Pontificem, etiamsi jurisdictionem in illum non habuerit. Ita *Suarezius.*

Quòd Salomon ædificaverit, oblatisque sacrificiis Solymæ Templum dedicârit:

Prætendunt III. Rex *Salomon* ædificavit illud famosissimum *Jerosolymæ* Templum, idque Regi Regum multis victimis ac sacrificiis, solemnitate octiduanâ, dedicavit (g): atqui *ædificare, dedicare* templa, *offerre* victimas ac sacrificia, est habere, & exercere potestatem sacram: ergo *Salomon* & habuit & exercuit potestatem sacram.

Probatur actus devotionis, non jurisdictionis.

℟. Cum eodem *Suarezio* (h) D. *Maj.* Idem Rex *Salomon* Templum *Solymæum* ædificavit, dedicavit, sacrificia obtulit, hoc est, sumptus suppeditavit, suâ præsentiâ consecrationem honestavit, Deo dicavit, victimas & sacrificia, *Sacerdotum ministerio*, obtulit, *actu devotionis ac Religionis* etiam nostris Regibus solemni. C. *Maj.* Templum *Solymæ* dedicavit, hoc est, actione sacra, atque religiosa, propriè consecravit, propriisque manibus hostiam immolavit, ac sacrificia obtulit, *actu Sacerdotali* Ordini proprio. N. *Maj.* & sic D. *Min.* N. C. Dedicationem Templi priore, non posteriore modô, *Salomoni* tribuendam esse, indicat sacer Historicus, cùm eandem dedicationem, & sacrificiorum immolationem æquè Populo, ac Regi attribuit: ergo vel utrique, vel neutri, Adversarii tribuere debent potestatem in sacris: atqui æquè utrique haud tribuunt: ergo &c. Sic legimus (i): *Et dedicaverunt Templum Domini Rex, & Filii Israel.* Et enimverò de Populo quivis æquè, ac Rex,

(a) L. 2. c. 14. f. m. 81.
(b) Ad *Hebr.* 9. v. 1.
(c) 1. *Reg.* 2. v. 35.
(d) Cùm priùs cum *Abiathare* Pontificatum simultaneè gessisset.
(e) L. c. n. 7. f. m. 402.
(f) 3. *Reg.* 2. v. 27.
(g) 2. *Paralip.* 5. v. 6. & 7.
(h) l. c. c. 25. n. 13. f. m. 397.
(i) 3. *Reg.* 8. v. 63.

Rex, rem vel domum suam divino consecrare cultui potest juxta illud (a): *Omnes viri, & mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi: cuncti Filii Israël voluntaria Domino dedicaverunt.* Sic etiam legimus ibidem (b): *Igitur Rex & omnis Israël cum eo immolabant victimas coram Domino*, utique per Sacerdotes, ut habet frequens in Scriptura, & in communi etiam usu modus loquendi. Sic dicitur: *Mactavit Salomon hostias pacificas*; & iterum: *Sanctificavit Rex medium atrii &c. Fecit quippe ibi holocaustum & sacrificium*, puta per Sacerdotes: qua in re nulla Regi potestas sacra tribuitur, unde etiam nunc Reges, sicut & cæteri sæculares, solummodò per Sacerdotes offerunt.

Quòd, uti in lege antiqua, ita & in nova, potestas ministerialis competat Sacerdotio, non tamen competat jurisdictionalis, Regibus propria.

Prætendunt IV. Etsi in lege veteri functiones *Ordinis*, seu *Ministerii* fuerint penes Levitas & Sacerdotes, potestas tamen jurisdictionis sacræ erat penes Reges: ergo à pari in lege nova. A. sic declarat *Henniges* (c). *Infeliciter* trahunt (Catholici scriptores) in argumentum *Uzæ* & *Uziæ* exempla, quorum ille, dum ruituram arcam sustinet, morte luit; hic adolendo thymiama leprâ percussus est: actus enim isti *ministeriales*, *solis Sacerdotibus & Levitis proprii*, longissimè distant ab imperii actibus, circa religionis negotium occupatis. Nihil imperii, nihil potestatis sapit, incensum adolere, quod non nisi Sacerdotibus licuit, aut fœderis arcam portare humeris, quod Levitis datum. Itaque cùm Pontifex cum suo Clero *Venerabile* circumfert; cùm missam celebrat, rectè manum de tabula Principes: verùm sacrorum curam suscipere, Religionem ordinare, collapsum cultum restituere, sacerdotes in officio continere, pios ac eruditos ad ministerium promovere, avaros, superbos, hypocritas, seditiosos removere ab officio, hoc non est adolere thymiama, nec arcam tangere. Ita ille. Sed

Falsò prætendunt Protestantici:

R. 1. T. A etsi falsò N. C. & paritas ab Orthodoxis, ùt illicò clarescet: immò negatur, & etiam negari debet à Protestantibus, siquidem, *consequenter* ad sua principia *Lutherica*, loqui velint. Nam dicant *Hennigiani*, cur functiones ministeriales in novo Testamento solis sacerdotibus, & non etiam Principibus laicis propriæ? Profectò multi ex Protestantibus, ut suprà vidimus, potestatem etiam *Ordinis*, & prout ipsas etiam actiones ministeriales, cultúmque Divinum *immediate* concernentes, denotat, Principibus, Regibúsque tribuunt immò etiam tribuere debent *juxta sua principia*. Nam *jure Divino*, & *vi baptismatis*, in lege nova Sacerdotium etiam Episcopale, *nullo discrimine*, commune est omnibus *Christianis*: ergo etiam Regibus. Nam inter Doctores & Auditores, phrasi *Puffendorfiana* & *Pfaffiana*, nullum discrimen præter *deputationem* ad publicè docendum, & concionandum: ergo sicuti Principes alios, ita se ipsos quoque deputare possent ad functiones ministeriales. Quòd autem exercitium ejusmodi actionum despiciant, & aliis delegent, juri suo nil detrahunt, sicut nil juri suo Episcopi derogant, quòd functiones Episcopales Suffraganeis relinquant. *In forma* T. A. falsò, D. C. Ergo est paritas, sic ut functiones sacræ, etiam in Lege nova sint solis Sacerdotibus propriæ apud Catholicos. C. Apud Protestantes. Subd. Sint propriæ *proprietate mere accidentali*, *deputationis* nempe ad *publicè docendum*, ut tamen *proprietate substantiali* sint omnibus *æque*, adeóque & Regibus communes. C. secus. N. A.

Cùm in eorum principiis omnes æquè sint

Sacerdotes ratione Baptismi, adeóque & Principibus de se competat potestas ministerialis.

Quæritur IV. *Quis de habitudine religionis Judaicæ ad Christianam sensus penes Catholicos.*

Sententia orthodoxa.

R. I. Supposito, non concesso, quia certissime falsò, quòd protestantica hæc *ἀδιάφορα* tenerent, queis nugantur, Reges veteris Testamenti, *jure Regio*, eóque in antiqua Lege specialiter fundato, jus sacrorum, & jurisdictionem in ipsos quoque Pontifices exercuisse: supposito, inquam, non concessò, fallissima est illatio horum Authorum: *ergo idem nunc possint Reges* in Ecclesia *Christi*, eò quòd neque illi antiqui Reges aliam habuerint potestatem *præter Regiam*, neque nunc sit minor Regum potestas, quàm tunc fuerit. Nam, *Suarezio* teste, (d) nullum à Lege veteri ad tempus gratiæ legitimum sumitur argumentum. Etsi enim potestas Regum in Lege nova nequaquam sit minor, quam fuerit in Lege veteri, in utraque nempe *mere civilis*, *specialiori* tamen *modo* collata à Deo in Testamento veteri hoc

Transmissâ etiam potestate sacra, Regibus in Testamento antiquo competente, nulla prorsus foret argumentatio ad Testamentum novum, quia ordinis alterius:

(a) *Exodi* 35. v. 29.

(b) 3. *Reg.* 8. v. 62.

(c) L. de summa potestate circa sacra c. 2. n. 35. f. m. 71.

(d) In defens. cit. l. 3. c. 27. n. 8. f. m. 402.

hoc non obstante, potestas Pontificia est longè major, quia *ordinis altioris*, adeóque nulla est paritas. Non enim *Mosaico* Pontifici fuerunt datæ *claves Regni Cœlorum*, *potestas ligandi, atque solvendi*, neque potestas adeò independens, ac summa, cùm nullibi dictum legamus Pontifici Synagogico, quod dictum legimus *Petro: pasce oves meas &c.*

Jus Sacrorum non competiit summæ potestati politicæ jure Divino antiquo V. T. Nam quòd competat, probari nequit;

R. II. *Absolutè. Jus Sacrorum, seu potestas circa sacra, non competiit Potestati politicæ Jure Divino antiquo, uti ex Lege scripta veteris Testamenti malè arguunt protestantici Authores.*

Assertum probatur I. *Argumento negativo.* Si potestas circa sacra, *Jure Divino antiquo*, seu vi *Legis scriptæ*, competiisset potestati politicæ, tunc vel potestas sumpta *strictiore modo*, prout denotat cultum divinum, sacrificia, & ceremonias sacras &c. Vel sumpta *latiore modo*, prout spectat leges, judicia, jurisdictionem, aliáque Jura Ecclesiastica: neutra competiit. *Min.* P. Ostendi nequit ullum fundamentum hujus juris in sacra Scriptura: ergo. A. partim clarescit ex dictis; partim, ex eo, quòd etsi, *viâ extraordinariâ*, subinde potestas utraque à Deo fuerit conjuncta, veluti in *Moyse*, (a) *Gedeone*, (b) & *Samuele*, (c) qui præter regimen Populi exercuit etiam munia Sacerdotalia, erexit Altaria, obtulit Sacrificia, unxit Reges, oravit pro Populo; item in *Machabæis*, ùt passim in eorum libris est legere: de *via* tamen *ordinaria* semper fuit disjuncta; immò ùt ipse *Grotius*, inter Acatholicos nominatissimus potestatis Regiæ circa sacra Patronus, fateri cogitur, (d) morem conjungendi imperium cum Sacerdotio, multis in locis, seriùs usurpatum, in Populo Dei lege divina positiva, fuisse abrogatum.

Immò probari potest oppositum,

Assertum probatur II. *Argumento positivo.* Potestas circa sacra, sive *strictiùs* sive *latiùs* sumpta, *Jure Divino*, non aliis quàm Sacerdotibus, & inter hos principaliter summo Sacerdoti, ac Pontifici maximo, erat collata, tribu *Levitica* ad hoc specialiter delectâ, lineáque *Aaronis* prò summa Sacerdotii dignitate peculiariter prælecta, ùt testatur sacra Pagina (e): ergo potestati politicæ nequaquam competiit. C. tenet: siquidem Reges Populi *Israelitici* non erant ex tribu *Levi*, sed *Juda*.

Quò ad potestatem sacram strictiùs sumptam in Saule;

A. P. Quò ad potestatem sacram *strictiùs sumptam*. In Lege veteri Regibus fas non erat, manum ad hæc sacra extendere, & illi, qui ausu temerario Sacerdotum ministeria occupare præsumpserant, impunè nunquam ferebant: ergo illis neutiquam competiit hæc potestas. A. constat ex *Saule*, qui etsi holocaustum & pacifica *ex necessitate* (uti dicebat) obtulerit, à *Samuele* graviter fuit increpitus, intentatâ etiam Regni privatione (f): *stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi: quod si non fecisses, jam nunc præparâsset Dominus Regnum tuum super Israel in sempiternum: sed nequaquam Regnum tuum ultra consurget.*

In Rege Ozia;

Item ex Rege Ozia, qui cùm incensum adolere vellet super altare Thymiamatis, statim ingressus post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini, octeginta Viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domini, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris, quia hoc non reputabitur tibi in gloriam à Domino Deo. Iratúsque Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus, statímque orta est lepra in fronte ejus &c. (g)

Quò ad potestatem latiùs acceptam ex variis sacræ Scripturæ testimoniis.

Idem A. P. quòad potestatem sacram *latiùs acceptam*: 1. Ex libro *Paralipomenon*, (h) ubi ita legimus: *Amarias autem, Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porrò Zabadias, filius Ismaël, qui est Dux in Domo Juda, super opera ea erit, quæ ad Regis officium pertinent.* 2. Ex Propheta *Ezechiele*, (i) per quem Deus sic ordinat: *Cùm controversia fuerit, stabunt* (Sacerdotes) *in judiciis meis, & judicabunt: Leges meas & præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, & Sabbatha mea sanctificabunt.*

3. Ex

(a) *Psalm.* 98. v. 6.
(b) *Judic.* 6. v. 26.
(c) 1. Reg. 3. v. 7. 8. 10. 16.
(d) In Tract. quo imperium circa sacra summæ potestati operosè asserere conatur cap. 1. §. 5.
(e) Exod. 18. Num. 3 8. *Ezech.* 44.
(f) 1. *Reg.* 13. v. 13. & seq.
(g) Quod factum latè expendens S. *Chrysostomus* Homil. 4. de verbis *Isaiæ*, sic Regem affatur: *Mane intra terminos tuos, alii sunt termini Regis, alii Sacerdotii.*
(h) c. 19. v. 12.
(i) c. 44. v. 24.

3. Ex libro *Deuteronomii*, (a) ubi dicitur: *si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem* &c. *surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Levitici generis, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem* &c. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille* &c. *Et postquam sederit* (Rex) *in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribûs, & habebit secum* &c. Quem ultimum textum Author libelli *de regimine Principum* (Doctorem Angelicum asserunt) sic illustrat (b): quia vitæ, inquit, qua in præsenti bene vivimus, finis est beatitudo cœlestis, ad Regis officium pertinet, ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundùm quod congruit ad cœlestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea præcipiat, quæ ad cœlestem beatitudinem consequendam ducunt, & eorum contraria, secundùm quod fuerit possibile, interdicat. Quæ autem sit ad veram beatitudinem via, & quæ sint impedimenta ejus, ex lege Divina cognoscitur, cujus doctrina pertinet ad Sacerdotum officium secundùm illud *Malachiæ* (c): *Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirent de ore ejus.* Et ideo in *Deuteronomio* Dominus præcepit: *postquàm sederit Rex in solio Regni sui, describet sibi* &c.

§. 2.

§. II.

Habitus religionis Christianæ ad statum civilem in systemate Protestantico.

De habitu religionis Christianæ ad vitam civilem, secundùm principia Protestantium.

Quæritur V. *Quis status quæstionis?*

Status quæstionis.

An religio faciat statum in statu, vel merum Collegium.

℞. I. In eo sita, Catholicos inter & Protestantes, est controversia, an religio *Christiana, jure Divino novi Testamenti*, efficiat *statum*, à civili penitus *distinctum*, uti loquitur *Puffendorfius?* hoc est, an Ecclesia *Christiana*, à *Christo* sit elevata ad quamdam *Rempublicam*, seu *Regnum peculiare*, quod potestate *propria*, & à civili prorsus *independente*, administrandum sit? id quod Catholici affirmant; vel an Religio *Christiana* merum efficiat *in statu civili* collegium, libertate Fidelium naturali coalitum, expers tamen *potestatis propria*, sed *quà ad jurisdictionem externam* potestati Imperantium civili penitus subjectæ, id quod Moralistæ protestantici asseverant.

Quæ habitudo Ecclesiæ magis statui politico commoda.

℞. II. Atque ex his liquidò adparet, quænam sit *indoles*, seu *habitudo religionis Christianæ ad statum civilem.* Siquidem in sententia Catholica, quæ tenet, *jure Divino novi Testamenti*, Monarchiam Ecclesiasticam sub uno visibili capite, *Christi* Vicario, religio facit *statum in statu*, etsi in ordine diverso, *Ecclesiasticum* scilicet *in civili*: contrà in systemate protestantico religio *in statu civili* nil facit nisi *collegium*, potestati Imperantium laicæ, quò *ad externa*, penitus subordinatum. Atque *de hac habitudine* protestanticæ religionis, statui Imperantium civili tantoperè accomodatæ, tot faciunt clamores *Lutherici* Moralistæ, ac de illa, *veluti characteristica veræ Ecclesiæ*, supra Catholicam toties triumphant; immò cùm polemicis nequeant, politicis saltem fulcris systematicam suam religionem succollare, ac tot speciosis Imperantium commodis palliatam, etiam in Aulas orthodoxas intrudere adlaborant.

Ratio prima Puffendorfiana contra statum Ecclesiæ Christianæ, seu potestatem & Jurisdictionem externam.

Quæritur VI. *Quibus momentis religionis statum è statu civili eliminare conantur protestantici symmystæ?*

℞. Ecclesia *Christiana*, logodulo *Puffendorfio*, (d) non est à *Christo* instituta *per modum status*, seu cœtus, præditi potestate aliqua externa, sibi propria, ac aliunde independente: ergo,

Quia Christus in fundanda Ecclesia non sese gessit, ut solet fundator status.

A. P. I. *Fundator status* qualem se v. g. gessit *Moyses*, debet assumere *personam Principis*, sibi prospicere *de territorio*, colligere *Populum* sub suo imperio, ei jus dicere, leges ferre, pœnas irrogare, Magistratus constituere, tributa imponere, vi etiam armatâ contra hostes defendere &c. Nil fecit simile *Christus*, sed opposita potiùs, fugâ declinando regios honores; suos, de præeminentia contendentes, increpando; solius Doctoris nomen assumendo; nil territorii habendo; ineptos ad faciendum statum discipulos deligendo; populos non homagiis, *non vi & imperiô*, sed *doctrina* & *amore* attrahendo, *Christiano* nomine non populum, sed doctrinæ certæ possessionem denotante; jus denique dicere recusando; tributa dando; potestatis politicæ tribunali sese subjiciendo &c. *Quæ omnia* a ra-

(a) c. 17. v. 12. & 17.
(b) l. 1. c. 15. f. m. 84.
(c) c. 2. v. 7.
(d) De habitu religionis à §. 12. f. 46. & seq.

à ratione fundandi status, & persona Principis abhorrent, ùt habet *Puffendorfius.* Addit: etsi *Christus Regem* se fassus sit, fassus tamen sit cum addito *veritatis*, cujus ea sit virtus, ut iis mediis, quibus imperia civilia subjectos ad obedientiam constringunt, opus non habeat: unde nec ad Regnum hoc veritatis conservandum, & propagandum, opus fuisse, ait, *statu aliquo*, sicut & propter alias veritates philosophicas statum aliquem formare opus non sit &c.

Sed nec Apostoli missi ad imperandum, sed docendum.

A. P. II. Nec in Apostolis cujusdam *imperii* vel *status* vestigium deprehenditur: non enim in Orbem à *Christo* missi fuère ùt *Principes*, sed ùt *veritatis præcones*; non ad fundandum statum per stabiliendam aliquam veluti Imperii sedem, per unius præeminentiam, per necessarios proventus, per sui defensionem &c. *sed ad docendum* in omnem terram eos dispergendo, * *sine pera & calceis* vetando avaritiam ** atque ambitionem; jubendo, sine vi opposita, perferre omnem persecutionem &c. (a) Atque hic est succus, vel potius vappa, per impertinentem prorsus perissologiam, multis foliis illita, Authori apud suos tanto sanè dedecorosa. Sed

At hæc omnis phraseologia est impertinens, quia tantùm probat, Christum & suos non fundasse statum aliquem mundanum & sæcularem.

Contrà est: Et ista probant, quòd *Christus* non fuerit *fundator status politici & civilis*, ad felicitatem corporalem, ac temporaneam intenti. C. Quòd *Christus* non fuerit fundator status *Ecclesiastici*, ad salutem animarum supernaturalem ordinati. N. Item. Et ista probant, quòd non miserit Apostolos ad Regnum *temporale* fundandum. C. Ad Regnum *spirituale* Ecclesiæ. N. Pluribus has nuces cassas contundere, foret horas comburere, & *Domitiani* negotia æmulari.

Ratio secunda, præter munus docendi, potestas nulla Apostolis data à Christo, sive directa sive indirecta.

Quæritur VII. *Quod alterum Puffendorfii fundamentum, è potestate Apostolis tradita malè formatum?*

R. Sic habet: Si *Ecclesia Christiana* probaretur esse *status*, seu *societas hominum independens, summo imperio instructa*, id probaretur ex *potestate*, Apostolis à *Christo* tradita: ex hac nihil probatur.

Min. P. I. Hæc potestas, etsi *divinitus* concessa, ùt *independens* ab Imperantibus summis, fuit nihilominùs *mera potestas docendi*, omnis expers Imperii, utpote qua datum quidem illud *compelle*, sed Evangelicum, non *vi* sed *suasione*; qua injunctum *pascere oves*, non dirigendo, sed idoneum pabulum suggerendo, (b) & in refragantes non animadvertendo, sed pedum pulverem excutiendo, ultione spreti Evangelii ad diem judicii rejectâ. Sed neque *præcepta* Apostolorum, Fidelibus data v. g. dicente *Paulo*, (c) *præcepta mea teneris* &c. *hoc autem præcipio* &c. propriè non proveniunt *ab imperio*, nec indicant *potestatem legislativam*; sed fluunt *à munere docendi*, & inter *præcepta moralia* locum sortiuntur. Immò nec *indirectè* quidquam Imperii continet hæc potestas, quasi *subtractione* doctrinæ adigi possent Fideles ad subjectionis obsequia, quæ foret *cauponatio Simoniaca*; immò *frustranea*, verbo Dei jam scripto, cuivis obvio & intelligibili, juxta illud: *nunquid omnes Apostoli?* (d)

Clavibus non jurisdictionem, sed doctrinam Evangelii indicantibus.

Min. P. II. *Neque potestas clavium*, Apostolis data, quidquam imperii olet: hæc enim consistit *in remissione vel retentione peccatorum*, (e) Dei nomine facta: fit autem non *per modum jurisdictionis*, sed *annuntiationis*, sic ut *remissio* vel *retentio* sit mera *declaratio*, peccata *credenti* esse per *fidem in Christum* in Cœlo remissa; non *credenti* esse retenta: ergo *claves* nil aliud notant, nisi doctrinam Evangelii *de remissione peccatorum per fidem in Christum*; *potestas clavium* nil nisi *prædicationem* hujus doctrinæ, quam proponendo credentibus, vel non credentibus dicuntur Apostoli *peccata seu remisisse, seu retinuisse*, ferè sicut iidem *salvare* homines dicuntur, quibus Evangelium annuntiant *credentibus*, & vice

* Nam de certa velut Imperii sede, mutuáque correspondentia, *nec volam*, ait, *esse in sacra Scriptura.*

** Qua philargiam seu pecuniæ studio, *velut radice malorum*, *abusuum*, *& superstitionum*, corruptam ait *Romanam* Ecclesiam.

(a) §. 28. f. 107.

(b) *Luce* 14. & *Joan.* 21. ubi addit §. 20. f. m. 74. Non compellendo intrare vi & *obtorto collo*, sed *vi*, qualis *invitationi ad convivium* quadrat, *rogando*, *hortando*, *majestatem convivatoris-convivii illecebras ostendendo*, etiam vocabulo *pasce* per se *nihil imperii* involvente.

(c) 1. Cor. 11 v. 2.

(d) Ex quo ipso textu 1. Cor. 12. 29. quem hic allegat §. 21. f. 76. directè oppositum clarescit.

(e) Quæ *Puffendorfio* §. 23. f. 84. est *remissio*, vel *retentio actionis*, *quam offensus* (sive Deus, sive proximus, sive communitas) *habet ex peccato contra peccatorem*, qua in re certum esse, ait, Apostolos non habuisse potestatem remittendi peccata *nomine proximi*, vel *communitatis*, *quia nullibi illis* communicatam.

vice versa (a). *Ant. Luthericum* fundat *in sola fide* justificante juxta illud: *qui credit, jam justificatus est* independenter ab humano arbitrio, vel Sacerdotis absolutione; & *qui non credit, jam judicatus est*, nil obstante Sacerdotali absolutione. *

Ipsa petrâ, non Petri quamdam praeminentiam, sed Evangelium significante.

Min. P. III. Neque cætera potestas, Apostolis data, quidquam *jurisdictionis* vel *imperii* infert. Sic illud, tantoperè jactitatum, *super hanc Petram*, non notat ullam *Petri* prærogativam, *petrâ nil præter doctrinam evangelicam indicante.* ** Neque illud: *sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, (b) jurisdictionem tribuit, sed *modum* ostendit controversias terminandi per *compromissionem*, vel *tolerantiam.* *** Sic *Paulus* tradendo Sathanæ incestuosum, non indicavit *jurisdictionem* suam, sed *libertatem communem*, cuivis propriam, declinandi conversationem alterius sibi noxii, salvâ conditione, qua idem in civitate gaudet (c). Sed

Quæ omnia non nisi abusum S. Scripturæ demonstrant, protestanticè nugatorium.

Contrà est D. Et hæc omnia habent quidpiam solidæ veritatis, in Evangelio fundatæ. N. Sunt Verbo Dei, pluribus locis satis claro, atque indubio, directè opposita, *obtorto velut ejusdem collo*, violenter obtrusa, interpretatione privati spiritûs *nugaciter* conficta, protritâ omnium Conciliorum, Patrum, & totius Antiquitatis authoritate, hæreticorum omnium in morem, ad quidvis probandum ex quovis, *impudenter* asserta, sacrilegoque Scripturæ abusu *hæreticè* pronunciata. C. Quid inanius illo *compelle* suasivo? Illo *pasce* haud directivo? Illo *præcipio* nequaquam legislativo? Quid putidius clavibus *doctrinæ*, potestate remittendi, ligandique declaratoria, fide *sola* justificativa? Quid futilius *doctrinæ petrâ*, potestate excommunicationis significativa *communis libertatis*, & sic de aliis? Nunquid hic est ille *sensus reprobus*, in quem dati ejusmodi pseudopolitici, qui, *veluti Divini verbi laniones*, profanis illotisque manibus, irruunt in sancta Sanctorum, soli Sacerdotio pervia? Sed hæc *Lutherica* deliria, à polemicis dudum protrita, & nos, *in quantum satis est ad scopum propositum*, infrà per positiones Catholicas retundemus.

Ratio tertia, ex Regno vel Ecclesia Christi nil imperii eruitur, vel potestatis externæ.

Quæritur VIII. *Quod tertium Pufendorfii nugamentum, pro Ecclesiæ potestate abolenda ac profananda, propositum?*

R. Sic ulteriùs paralogizat (d). Si religio *Christiana* faceret *Statum*, peculiari *imperio instructum*, tunc id vel colligeretur ex eo, quòd faciat Regnum *Christi*; vel quòd faciat *Ecclesiam peculiarem*: neutrum dici potest. *Non* 1. Quia *Regnum Christi* nil est, nisi *Fidelium unio* sub *Christo*, tanquam Capite corporis mystici in Cœlis regnante, habetúrque per fidem, gratiam, virtutes, in Evangelio descriptas, tanquam *media*, in ordine ad salutem, *tanquam finem*: atqui hæc non sapiunt ullum imperium, nec opus habent potestate externa &c.

Quia est Regnum veritatis internum.

Ecclesia cœtus liber absque jurisdictione.

Non 2. Nam Ecclesia nil est nisi *Cœtus Fidelium* **** *plurium, cultûs Divini gratiâ unitorum, cujus actiones ex intentione Christi* (uti colligimus ex sacra pagina) *sunt* 1. Audire verbum Dei. 2. Preces fundere. 3. Charitatis opera exercere. 4. Constituere Doctores. 5. Deputare arbitros ad controversias in fide componendas. 6. Delegare aliquos ad eleemosinas, aliáque negotia, summis Imperantibus non adversa: alibi addit (e): exercere censuram morum in delinquentes, præeunte *Paulo*, (f) sed iis solummodò pœnis, quæ extra usum imperii exerceri possunt, qualis esset *admonitio*, *correctio* publica, *confessio* delicti, *suspensio* à sacris, vel etiam *exclusio*, salvis tamen cæteris juribus civitatis: atqui hæc omnia *nil imperii* inferunt, nec *privati collegii*, sub statu constituti, *mensuram excedunt*.

Structura absque conventione mutua, vel subjectione.

Confirmat I. Si *Ecclesia*, quà talis, faceret statum, tunc vel ratione *structuræ internæ*; vel ratione *universalitatis*: neutrum dici potest. *Non* 1. Quia est diversissima à structura status; nam

(a) 1. Tim. 4. v. 16.

* Unde addit: nullibi vel *Christus*, vel Apostoli leguntur, remisisse peccata *per modum jurisdictionis, velut pro tribunali excussis peccatis; sed sola conspecta fide annuntiavit Christus: remissa sunt tibi peccata*, sic ut, *ubicunque fides adfuerit*, & *immediatè* peccatorum remissio consecuta sit.

** Addit: Confessionem *Petri*, omnium nomine factam, nec fuisse *primam*: *Joanne Baptistâ*, *Nathanaële*, immò & aliis *Petrum* prævenientibus, adeóque nil habuisse *speciali dignum prærogativâ*.

(b) Matth. 18. 17.

*** Juxta illud 1. Cor. 6. 6. & *Math.* 5. 40. ubi jubemur in temporalibus, judicio non contendere, sed potiùs alteri etiam tunicam relinquere &c.

(c) §. e. 6. & 27.

(d) L. c. à §. 29. à fol. 118. usque ad fol. 173.

**** Alibi vocat Cœtum, doctrinæ & Sacramentorum causâ institutam.

(e) §. 39. f 159.

(f) 1. Cor. 6. 11. Galat. 6. 1. & 2. ad Timoth. 5. 20.

nam nullà intercedit *conventio hominum* inter se, ad constituendam Ecclesiam, sed singuli pro se, citra respectum ad alios, *Christi* sacramento succedunt. Neque Doctores, velut Imperantes, prærogativæ quid sortiuntur, nulla diversitate Auditores inter ac Doctores, nisi *charismatum*: neque Fideles voluntatem suam circa credenda *absolute* subjiciunt Doctoribus, nisi in quantum docent conformia Scripturæ, seu Apostolis, qui vocationem suam miraculis comprobârunt. Unde eorum munus quidem est, puro verbo Dei cœtum pascere, & lupos, hoc est, loquentes perversa coercere, non *jurisdictione*, sed *admonitione*. *

Aut quadam subordinatione.

Non 2. Quia in sacris litteris *nullum vestigium subordinationis* respectu unius Ecclesiæ ad aliam, *Paulo Corinthians æqualem omnibus pronuntiante.* ** Nullum vestigium loci, *ex quo*; nullum personæ, *à qua* regendæ Ecclesiæ cæteræ: nullus adstruitur *modus* communicationis mutuæ; nullum vinculum, nisi charitatis: nec denique usus foret universalis regiminis, cùm Doctores, in Ecclesiis singulis, *per sese* meliùs eligantur.

Neque probari potest infallibilitas Judicii.

Confirmat II. Si quæ foret necessitas vel finis, tunc foret necessitas Judicii supremi, in ordine ad finiendas fidei controversias: *** hæc ratio nulla est: *Min. P.* 1. Quia ejusmodi Judex si *fallibilis* sit, non obtinetur finis; si *infallibilis*, & insuper præditus *potestate universali* cogendi omnes ad suam sententiam, utraque hæc prærogativa *tam manifestè probanda foret, ut citra absurditatem in dubium revocari non posset: atqui neque vola, neque vestigium rei hujus in sacris litteris*; nec de *universali compromisso* subjiciendæ voluntatis hujusmodi decisivæ sententiæ *unquam auditum*, authore *Puffendorfio*. Neque hìc sufficere, ait, *crepare traditionem*, quia non nisi antiquam sapit ejusmodi potestatis *usurpationem*, atque *injuriam*. Addit: tale imperium abhorrere ab indole religionis *Christianæ*, eò quòd non efficeret *Christianos*, sed hypocritas, & mussitantes hæreticos.

Neque necessitas ad componendas controversias.

Eadem Min. P. 2. *ab eodem.* Quia *nulla necessitas* Judicis cujusdam universalis: nam, exorta lite de fide, res tota devolvitur *ad interpretationem locorum S. Scripturæ*, ad quam nec opus *imperio*, nec *irrefragabili authoritate*, sed diligenti meditatione, & animo libero à præjudiciis, affectibúsque pravis: quo modo *Christus* Pharisæos sæpe convicerit, *ut quod ampliùs reponerent, non haberent*; quo modo in primitiva Ecclesia diremptæ sint controversiæ, ubi, *Jerosolymis* convocatâ *tota* Ecclesiâ, *Petrus* surrexerit, non *ut Judex*, vel *pro imperio* litem decisurus, sed *modo demonstrativo* per suam interpretationem ita dubium elucidaverit, *ut, cùm nemo amplius esset, qui in contrarium quid proferret*, non tantùm Apostolorum vel Seniorum, sed fratrum omnium calculo, lis decisa, decisióque *Antiochiam*, non *pro imperio* communicata, sed *pro libitu approbanda*, dimissa sit. Ita verbosissimus hic mango per folia plùs quàm sexaginta, è quibus, non sine studio, hæc è furfure spelta, ex asse protestantica, seligi potuit. Sed

Quæ omnia nituntur cariosi fulcris; per confutatas hæreses dudum dirutis.

Contrà est I. *In genere.* Hæc omnia, adhuc in arctiorem pugnum contracta, collimant ad duo. 1. Regnum *Christi*, per Religionem *Christianam* in his terris formatum, non esse *externum & visibile*; Ecclesiam verò esse quemvis cœtum, sola fide coalitum, nulla potestate externâ instructum, constantem solis Doctoribus & Auditoribus; nullâ differentiâ nisi charismatum; nulla subordinatione unius cœtûs ad alium, nisi ad *Christum*, tanquam Caput & Authorem fidei. 2. Non esse Ecclesiam quamdam *universalem*, neque Caput *visibile*; nec opus esse *Judice universali*, vel *infallibili*; Scripturam esse Judicem; Ecclesias omnes *absolutè* fallibiles &c. Hæc fucat *Puffendorfius* 1. Paraphrasi, in parerga flaccida foliáque plùs quàm sexaginta, inanissimè excurrente. 2. S. Paginæ textibus, nugacitate propudiosa profanatis. 3. Ratione statûs, imperium biceps exosi, habitúque religionis ad statûs & Imperantium com-

* Quid inanius? Fideles se non subjiciunt *absolutè*, sed *conditionatè*, si Evangelio conformia doceant: hoc est subjiciunt se Doctoribus, ut tamen *Doctores* sint Doctorum; *Doctores* lupos arcere debent *admonitione*, dicente Apostolo, *jam judicavi tradere hujusmodi hominem Sathanæ.* 1. Cor. 5.

** 2. Cor. 10. 13. *Quid est enim; quòd minùs habuistis præ cæteris Ecclesiis?* Ubi loquitur de signis Apostolatûs sui, æquè *Corinthi* à se, ac alibi per alios Apostolos manifestatis.

*** §. 35. f. m. 155. Ita loquitur: *Colorem aliquem habet, quod jactatur, meliùs & firmiùs unitatem fidei conservari, controversias componi, ac hæreses compesci, atque extingui posse, si in unum statum coaluerint omnes per Orbem Ecclesiæ, & ab uno Capite, sive Princeps is sit, sive Senatus è pluribus constans, regantur.*

commoda, accomodando. Jam sic: Hæc adeò sunt obsoleta, dudum incinerata, *Wicleficè*, *Hussiticè*, & *Lutheranæ* erronea, ex damnatis hæresibus phraseologiâ tam miserabili confuta, à Polemicis toties confusa, Catholicis tam scandalosa, ut ad Authoris infamiam sufficiat, hæc *retulisse*. Acatholicis si forsan aculeus hæreat, ii in foro polemico curandi sunt, etsi & abunde sufficiant Catechistæ *Argentoratenses*, (a) nobisque iidem ipsi, pro stabilienda veritate Catholica, paulò fusiùs infrà hanc hominis laici, in sacra sacrilegè grassantis, protervìam dedocendi sint.

Qualis hæresis est. Regnum Christi invisibile, & Ecclesia merè Collegialis.

Contra est II. *In specie.* Protestanticus error est, *Regnum Christi* merè esse *internum*, potestatis externæ non indigum. Nam juxta *Puffendorfium* hoc Regnum dicit *Fideles unitos*, tanquam membra, utique *visibilia*; dicit actiones virtutum, utique non solùm *internas*: ergo est Regnum non merè *internum*, seu *intra nos* per fidem, cæteràque dona invisibilia; sed & *externum*, per fidei professionem & opera in terris *visibiliter* jam inchoatum, *lucernæ* instar super candelabrum positæ, & *civitatis* suprà montem visibilis: ergo est indigum potestatis externæ ad servandam unitatem, religionem, & reliquà, pro corporis mystici regimine necessaria. Item: protestanticus error est, Ecclesiam se habere *per modum privati Collegii*, omni potestate exuti; siquidem infrà probabimus, quòd illi competat ex sacris litteris *ligare*, *solvere*, *regere*, *dirigere*, *præcipere*, *discolos à se abscindere* &c. quæ utique sapiunt potestatem externam.

Qualis est negata jurisdictio, & subordinatio in Ecclesia.

Contra est III. *In specie ad* 1. *Confir.* Protestanticus error est, absque conventione respectiva coire Fideles, quin constituere velint Ecclesiam, quam *Puffendorfius* ipse dicit, *cœtum esse Fidelium*, *cultus Divini gratiâ unitorum*; in quo & ipse pacta collegialia admittit. Item Protestanticus error est, Doctores, nullâ prærogativâ instructos, dicente Apostolo: *Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (b). Protestanticus error est, nullam esse *subordinationem Ecclesiarum*; nullum *vinculum* & *regimen* universale: cùm tamen Ecclesiam esse *unicam* & *unam*, ratione Capitis & conjunctionis membrorum inter se & cum Capite, sacra pagina toties monstret, vocando Ecclesiam *corpus Christi*, *sponsam*, *unum ovile*, *Regnum*, *arcam Noëticam*, *navim*, *domum*, *exercitum ordinatum*; *Petrum* dicendo *Petram*, atque *Pastorem*: *pasce oves meas* &c. (c)

Uti & Judicis infallibilitas, ac necessitas.

Contra est IV. *Ad* 2. *Confirm.* Protestanticus error est, non esse in Ecclesia *infallibile* tribunal, dicente *Christo*, *non prævalituros Inferos*; & Ecclesiam nominante *Paulo*, *columnam & firmamentum veritatis* (d). Protestanticus error est, non opus *esse infallibili Judice*, ipsa Protestantium experientiâ, *hujus defectu*, divisionem sui in sectas innumeras demonstrante *. Protestanticus error est, *Petrum* nullam exercuisse jurisdictionem, convocando Concilium *Solymæ* geminum; sententiam dicendo in *Ananiam* & *Saphiram* &c. Denique protestanticus error est, potestatem externam abhorrere ab indole religionis, quæ sine ejusmodi potestate, seu *legislativa* seu *coactiva*, nec unitatem servaret, nec finem attingeret, sed autonomicâ fanaticorum lubidine, in protestanticam pluralitatem, ac indifferentismi protheum chaos dilaberetur.

Ratio quarta.

Quæritur IX. *Quod est quartum figmentum Puffendorfii*, *Hennigii*, *Pfaffii & aliorum Protestantium*, *ad profanandum jus sacrorum afferri solitum?*

Quòd religio, formans statum, derogaret imperio Principum summo, contrà quàm statuat Scriptura.

R. Sic urget I. Si religio *Christiana* faceret *Statum*, potestate propria, eáque independente præditum, *imminueret* potestatem, *ac limitaret* jus summum, Imperantibus summis legitimè competens: atqui non imminuit, sed firmat; non limitat, sed *confirmat erat*, teste Scriptura: ergo. Maj. *Puffendorfio* (e) est in confesso: *non potest enim non imminui aut limitari potestas summorum Imperantium*, *nec minùs alterationis quid accipere officium civium*, *si Ecclesia status aliquis esse deberet*, *proprio imperio instructus*. *Min.* P. 1. Ex Scriptura: *Reddite Cæsari*, *quæ sunt Cæsaris*; *non haberes potestatem*, *nisi tibi datum esset desuper*; *obsecrationes fiant pro omnibus*, *pro Regibus*, *ut tranquillam vitam agamus &c.*

(a) In libello: Liecht in der Finsternuß.
(b) *Act.* 20. 28.
(c) Ad *Ephes.* 4. 1. *Cor.* 12. 27. *Joan.* 10. 16. Cant. 6. 8. *Math.* 21. 43. 1. *Petri* 3. 20. 1. *Tim.* 3. 1. *Petr.* 3. Cant. 6. *Joan.* 21.
(d) 1. ad Tim. 3. 15.
* Teste *Puffendorfio* §. 36. f. 168. Si quæ controversia oritur in fide, necessum est, ut qui illam movet, *aliquem prætextum*, *aut colorem è Divinis litteris adducat*; secùs meritò, *ut delirum*, esse rejiciendum, affirmat. Quis prætextum demonstrabit *Calvinianus*? Quò denique lis decidenda devolvetur?
(e) §. 40. f. 193.

&c. subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi; quasi præcellenti &c. (a). Addit *Henniges.* Sic gentium Doctor in Epistola ad *Romanos* (b) totus est in eo, ut *Christianis* omnem obedientiam erga Principes temporales, *sine ullo discrimine inter objecta spiritualia*, inculcet, sicuti statim versû 1. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c.

Vi cujus nil imperii Ecclesiæ competit.

Min. P. 2. ab Hennige. Vi Legis novæ nil imperii, vel potestatis externæ competit Ecclesiæ, cùm *Christus* expresse edixerit: *suum Regnum non esse de hoc Mundo* (c). 2. Apostolos monuerit, *Reges Gentium dominari, vos autem non sic* (d). 3. Princeps Apostolorum *in communi omnes Christianos vocâsit Genus electum; regale Sacerdotium* &c. (e)

Item faceret statum in statu cum præjudicio civilis vitæ, ac tranquillitatis publicæ.

Urgent II. Cum *Puffendorfio* (f): si religio *Christiana* faceret *statum*, non possent non in una civitate duo oriri summa imperia; non possent non enasci his respondentes, in civibus ejusdem civitatis, obligationes oppositæ: *atqui hoc citra contradictionem, & absurditatem intelligi nequit:* nam sic religio *Christiana* aboleret politiam; alteraret statum civitatis; foret adversa indoli Reipublicæ ordinatæ, quæ sine absurdo nullus admiserit. Si dicas, statum utrumque, ob *diversos fines, atque objecta diversa, sibi invicem non repugnantia*; esse in ordine *penitùs diverso*, haud quidquam consequitur, Ecclesiam in statu esse formandam, ubi Imperantibus summis nil remaneret, *nisi delegata executienis potestas*, hoc est, *munus carnificum*, ad nutum Ecclesiastici Judicis exercendum, *quæ omnia compagem civilis vitæ penitùs convellunt.* Et hoc utrumque punctum est *Puffendorfii* pseudopoliticus *Hector*, atque *Achilles*, toties obtrusus, ut tandem discant Catholici Principes. quanti intersit pro felici regimine, hunc protestanticum colere politicismum, & repurgatis Sacerdotum assumentis, Reipublicæ incommodis, religionem puram politico statui accommodare. *En! nugatores, sub herba politicæ; protestanticum aspidem porrigentes.* Sed

Sed veriùs, religio, etsi formans statum, nil derogat juri Imperantium summo, legitimè competenti, cùm jus sacrum ex nullo titulo competat potestati politicæ.

Contrà est 1. Ad fundamentum 1. N. A. *Protestanticè* falsum, quòd nempe per Ecclesiam Catholicam, *tanquam statum*, imminuatur potestas, *Imperantibus summis legitimè competens.* Nam potestas Ecclesiastica, & jus circa sacra, non est competens Imperantibus summis *ex jure summi imperii directo*, quod est ordinis merè naturalis; neque ordinatum nisi ad finem merissimè temporalem: ergo nequit sese extendere ad potestatem ordinis altioris, quæ ordinata ad finem supernaturalem. Neque est *competens* ex jure summi imperii, *saltem indirectò*, seu ratione tranquillitatis publicæ conservandæ, cui *per se*, intuitu Ecclesiasticæ potestatis, nullum creatur incommodum, ùt infrà videbimus. Neque est competens *ex indole* ipsius religionis *Christianæ*; nam, ipso teste *Puffendorfio*, (g) *quòd summus Imperans Christo nomen det, Ecclesia haud alteratur, nec extat in novo Testamento dictum, quo ipsi peculiare officium, circa Ecclesiam exercendum, injungatur, ut adeò, susceptâ religione Christianâ, non acceperit potestatem alterandi ministerium Ecclesiæ, idque in ordinem redigendi, aut obligationem aliquam imponendi, &c.* Cùm *respectu Ecclesiæ sit merum membrum, etsi extra Ecclesiam vir, & maneat Princeps.* Neque hæc sacra potestas est *competens ex conjunctione officii, Christiane incumbentis cùm summo imperio*, utì sibi contradicit *Puffendorfius* (h): nil enim, secundùm ejus effatum, ratio summi imperii quidquam addit Ecclesiæ, nec officium *Christiani* summo imperio, *cùm neque ad religionem opus sit civitate, nec civitati religione Christianâ, hujus fine à fine illius longè discrepante* (i). Quòd si dicat officium *Christiani*, *saltem per accidens*, ratione tranquillitatis publicæ conservandæ, quidquam addere summo imperio; effugium nullum est, cùm tranquillitas publica Ecclesiæ juribus non turbetur, *si debita servetur subordinatio*; ùt in Regnis Catholicis experientia

sat

(a) *Math.* 22. 21. *Joan.* 19. 11. 1. *Tim.* 2. 1. *Petri c.* 13.
(b) c. 13.
(c) Joan. 18. 36.
(d) *Lucæ* 22. 25.
(e) 1. Petri 2. 9.
(f) §. 35. f. 161. & §. 41. f. 195.
(g) §. 40. f. 193. & §. 42. f. 198.
(h) §. 43. f. 199.
(i) §. 40. f. 191. *Ubi observandum, inquit, nihil essentialis perfectionis Ecclesiis accessisse; neque mutationem subiisse, postquàm Imperantes Christianam religionem profiteri cœperunt.*

sat contestatur. Denique hæc potestas neque est *competens* summo Imperanti *ex ultronea delatione ipsius Ecclesiæ*, contra quam ipso facto patentissimè protestatur; neque ex jure quodam fundato in sacra Scriptura, cùm, teste *Puffendorfio, neque dictum aliquod extet in novo Testamento directum ad summos Imperantes, quo ipsis peculiare officium, circa Ecclesiam exercendum, injungatur* (a). Unde sic arguitur: juxta *Puffendorfium, si quæ potestas, aut ius quodpiam summis Imperantibus, circa Ecclesiam & sacra Christiana, asserendum sit, id deducendum vel ex genuina indole summi imperii civilis, vel ex indole ipsius religionis Christianæ, vel ex ultronea delatione ipsius Ecclesiæ* (b): adde: *vel ex conjunctione officii, Christiano cuivis incumbentis cum summo imperio*, (c) vel *denique ex ordinatione S. Scripturæ*: nihil horum potest dici, ùt patet ex ipsis principiis *Puffendorfii*. Sed quia, sibi rursum antilogus, in probatione suprà allata, *impertinenter* coacervavit sacræ testimonia paginæ,

Sacrâ Scripturâ subjectionem in temporalibus, non in spiritualibus, imperante, respectu Regum;

Contrà est II. *Ad P. 1. Min. suprà positam*, quòd textus illi, ad probandum *Puffendorfii* scopum, *sint imperite*, quia *impertinenter*, adducti. Nam, quia sunt *universales*, & loquuntur *in genere*, Orthodoxis rectè distingui possunt, sic ut Scriptura loquatur de redditione juris, *Cæsari competentis*; de subjectione & obedientia, *Regibus debita in temporalibus*. C. Sic ut loquatur de redditione juris *incompetentis*, subjectione & obedientia, Regibus præstanda in spiritualibus. N. Fundatur distinctio 1. in ipso contextu, (d) ubi mox additum legimus: *reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem timorem; cui honorem honorem.*

Fundatur 2. In SS. Patribus, quos infrà adducemus: hic sufficiat Doctor mellifluus, qui ad Imperatorem *Conradum* sic scripsit: (e) *Legi: omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, quam tamen sententiam cupio vos, & omni modo moneo custodire in exhibenda reverentia summæ & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vultis ab universo servari imperio.*

Fundatur 3. in ratione evidenti: nam si ejusmodi textus *indiscriminatim* loquerentur, sequeretur, quòd *Pauli* ætate, cùm ad Imperii clavum sederent Cæsares gentiles, Fideles obligati fuissent, iisdem obtemperare, tametsi circa fidem, sacramenta, & alia sacra quidpiam imperâssent, quod sanè absonum, atque à D. *Petro*, cæterisque Apostolis nequaquam probatum, dum ne quidem Principi Sacerdotum Gentis *Hebrææ* obsequendum esse censuerunt juxta illud: *obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* (f).

Nec potestatem Ecclesiæ externam ullatenus inficiante, & Regnum Christi non in, sed de Mundo esse negante.

Contrà est III. *Ad P. 2. Min.* Rursus, *obtorto quasi collo*, Scriptura trahitur ad probandum, quasi *vi Legis novæ* nil imperii ac potestatis externæ Ecclesiæ competeret. Nam 1. testimonium D. *Regnum Christi non est de hoc Mundo*, hoc est, Ecclesia *Christi* non participat de regimine Mundi. C. Nullam habet propriam potestatem, jurisdictionem sacram, ac Ecclesiasticum regimen. N. A. & C. Distinctio fundatur in SS. Patribus, *Gregorio M.* (g) *Augustino*, (h) quorum interpretationem glossematis protestanticis meritò præhabemus.

Vos non sic, hoc est, dominatu mundano.

Testimonium 2. Pariter D. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic*, hoc est, non assumatis dominatum, ad instar Principum terrenorum. C. Nullum exerceatis regimen etiam animarum, charitate ac mansuetudine temperatum. N A. & C. Hæc interpretatio fundatur in S. *Petro*, cùm scripsit (i): *pascite, qui in vobis est, Gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque dominantes in Cleru, sed forma Gregis facti ex animo, & cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, quem in sensum ea quoque fusiùs declarant S. *Gregorius*, & *Bernardus*, apud *Suarezium* (k).

Sic S. Petrus Christianos vocat Regale Sacerdotium, non quòd sit populus, sed quòd sit in Populo.

Testimonium 3. D. S. *Petrus* omnes *Christianos* vocat *Sacerdotium Regale*, sic ut *de Populo* singuli sint Sacerdotes,

Regia

(a) §. 40. f. 194.
(b) §. 40. f. 194.
(c) §. 43. f. 199.
(d) Epist. ad *Rom.* c. 13. v. 1.
(e) Epist. 103.
(f) Act. Apost. 5. 28.
(g) L. 1. in prima Reg.
(h) Tract. 115. in *Joannem*: *quod est Regnum ejus, nisi credentes in eum? quibus dicit: de Mundo non estis.*
(i) 1. *Petri* 5. v. 2. & seq.
(k) L. 3. Defens. cath. c. 6. n. ult.

Regia potestate præditi. N. Sic ut Regale Sacerdotium existat *in Populo*, seu Fidelium multitudine. *subd.* Tanquam in subjecto exercente. N. Tanquam in subjecto recipiente, seu obediente Sacerdotio, & præcipuè summo Pontifici, in quo Majestas sacra *principaliter* resplendet. C. A. & N. C. Distinctio est ad mentem SS. Patrum, atque Interpretum, quem in finem S. *Bernardus* ad *Conradum* Imp. ad persuadendam Sacerdotii Regnique concordiam, ita scripsit (a): *Nec dulcius, nec amabilius, sed nec arctius omninò Regnum, Sacerdotiumque conjungi, seu complantari invicem poterunt, quam ut in persona Domini ambo hæc pariter convenerunt; utpote qui factus est nobis ex utraque tribu secundum carnem Summus & Sacerdos & Rex. Neu solum autem, sed & commiscuit ea nihilominus & confœderavit in suo corpore, quod est populus Christianus, ipse Caput illius, ita ut hoc genus hominum, Apostolica voce, genus electum, Regale Sacerdotium appelletur. Ergo quæ Deus conjunxit, homo non separet; jungant se animus, qui juncti sunt institutis invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent.*

Sed nec ex Ecclesia, tanquam statu, oritur in civitate status duplex ejusdem generis, neque perturbatio per se loquendo.

Contra est denique IV. *Ad fundamentum* 2. suprà allatum. Nam *negatur suppositum Maj.* quòd per Ecclesiam, *tanquam statum*, oriantur in eadem civitate duo summa imperia, *in eodem generè sibi adversa*; quòd oriantur obligationes civium, *sibi invicem repugnantes*, cùm tendant & ad diversa objecta, & fines. *Negatur suppositum Min.* Quòd hac ratione *convellatur compages civilis vitæ*, vel turbetur tranquillitas publica, *per se loquendo, & servata subordinatione de jure debita*, cùm oppositum non modò imperium, quod ab ævo *Caroli* M. hoc super duplici statu fundatum, & conservatum est, sed & cætera Regna Catholica sat contestentur. Si turbas, *per accidens* exortas, oggerat *Puffendorfius*, sic arguitur: juxta hunc Auctorem autonomica religionis libertas in subditis nequaquam improbanda, quia non *per se*, sed tantùm *ad speciem* turbat Rempublicam, turbas excitante ingeniorum ambitione, zelo præpostero, qui reprimendus: ergo à pari, *immò a fortiori*, cùm autonomica libertas *per se*; status Ecclesiasticus *non nisi per accidens*, hoc est, per Principes, protestanticis principiis male tinctos, turbare soleat tranquillitatem publicam. Denique & illud animadvertendum: juxta *Puffendorfium* (b) Princeps, *qua membrum Collegii Ecclesiastici*, caret omni prærogativâ & jure: *non enim adhærens dignitas ac potentia hic attenditur, neque plus juris obtinet, quam gregarius miles* (vel si mavelis carnifex) nil potest in ipsum Collegium sine nota tyrannidis, nisi quantum juris ipsi Collegium delegat circa *directionem* & *executionem* jurium collegialium, cùm habilior cæteris executioni possit *extremum manum adspergere*, ùt habet phrasis *Pfaffiana*: ergo, & in collegiali systemate, Principi nil remanet nisi *obsequii* gloria, jus delegatum ex arbitraria cœtûs conventione, munus executoris, &, ùt *Puffendorfius* nugatur, carnificis: ergo & in collegiali systemate aliam personam gerit respectu Ecclesiæ, aliam respectu statûs civilis, *quin convellatur compages civilis vitæ: cùm nemini ignotum sit unum & eundem hominem, citra confusionem, plures personas gerere posse, prout diversa munia, aut diversas obligationes sustinet*, ùt ait *Puffendorfius* (c). Hæc omnia bene quadrant penes Protestantes, *neque compagem civilis vitæ convellunt*: sed penes Catholicos vel maximè convellunt. O Nugatores!

Ratio quinta ex prætensis DD. Testimoniis.

Quæritur X. *Quod quintum phantasma Protestantium, quo potestatem sacram transferre in Principes laicos adlaborant?*

Sic & ab Adversariis frustra ad suas partes trahuntur SS Patres: Augustinus,

℟. *Ex ipsis SS. Patrum testimonio* id eruere attentant. Nam ita inferunt cum *Hennige*. Ipsimet SS. Patres suis testimoniis suffragantur potestati politicæ in sacra: ergo frustra negatur.

Ant. P. 1. S. *Augustinus* adstruit potestatem Principum legislativam in sacris, atque Ecclesiasticis, dum ait (d): *Quod dicunt, qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petiisse à Regibus terræ Apostolos talia, non considerant, aliud tunc fuisse tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim in Christum tunc crediderat Imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud Propheticum implebatur: Quare fremuerunt Gentes? Nondum agebatur, quod paulò post in eodem psalmo dicitur: Et nunc*

(a) Epist. 244.
(b) §. 42. f. 197.
(c) l. c.
(d) Epist. 50. ad *Bonifacium* Comitem.

nunc Reges intelligite; servite Domino, &c.

Chrysostomus, Ambrosius.

Ant. P. 2. SS. *Chrysostomus* & *Ambrosius*, (a) *potestatem coërcitivam in sacris* plenè Regibus transcribunt. Prior ait: *Non est nobis data talis potestas, ut authoritate sententiæ cohibeamus homines à delictu.*

Alter inquit: *Delere potero, potero flere, potero gemere adversùs arma, milites, Gothos &c. lachrymæ mea arma sunt, talia munimenta sunt Sacerdotis, aliter neque debeo, neque possum resistere.*

Patres Concilii Arelatensis.

Ant. P. 3. Patres in Concilio *Arelatensi Carolo* M. Canonum & decretorum correctionem, ac confirmationem adjudicârunt (b): *Hæc Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clementiam, ut si quid hic minus sit, ejus prudentiâ suppleatur; si quid secus, quàm se ratio habet, ejus judiciô emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutoriô, Divinâ, opitulante clementiâ, perficiatur.*

Gregorius.

Ant. P. 4. Subjectionem suam Imperatori *Mauritio* testatur D. *Gregorius*, (c) ipsum vocando *Dominum suum, seque famulum pietatis suæ.* Addit in fine: *utrobique, quæ debui exsolvi: qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

Leo.

Ant. P. 5. Dignitatem, titulúmque Pontificis Imperatoribus expressè tribuit S. *Leo* apud *Gratianum*, (d) aliíque Pontifices alibi.

Epiphanius; &c.

Ant. P. 6. Varios actus potestatis spiritualis Regibus hinc inde attribuunt SS. Patres, v. g. *veritatem docere, errores depellere, & similes.* S. *Epiphanius* inquit (e): *Reges datos esse, ut omnia ex Deo bene administrentur, & ad bonam ordinationem terræ, ubi cædes & pugnæ, ignorantiæque doctrinæ bonæ, &c.* significans, hæc omnia cadere sub Regis curam: unde *Alcuinus ad Carolum* M. (f) *ut regat & doceat piâ solicitudine subjectos*: & infrà *ad illum pertinere*, ait, *justa decernere, rata præcipere, sancta admonere, ut quisque lætus, cum perpetuæ salutis præcepto, domum redeat.* Paulò pòst subdit: *Principem Populi Christiani cuncta scire, & prædicare, quæ Deo placent, necesse esse; notissimum est: neque enim quemquam magis decet vel meliora nosse, vel plura, quàm Imperatorem, cujus doctrina omnibus prodesse debet subjectis.*

℟. Mens SS. Patrum suprà haud obscuris è terminis est declarata, neque sibi his textibus, rite si expendantur, ullatenus contradicunt. Unde

Siquidem eorum mens, prorsus opposita, patet ex dictis suprà.

Ad I. D. S. *Augustinus* adstruit potestatem legislativam *in sacris.* N. A. *Pro sacris.* C. A. & N. C. Potestatem legislativam *pro sacris* utique habent Imperatores, qua nempe Fideles contra vim Hæreticorum defendant, pravitatem hæreticam arceant, scelera publica plectant, Ecclesiam protegant, ejus statuta circa fidem & mores authoritate sua fulciant, executionem promoveant, refractarios coërceant, per bonas leges subditos à malo cohibeant, ad virtutem reducant, atque ad salutem disponant. Hanc, non aliam potestatem tribuit S. *Augustinus*, ùt evidenter probat contextus: nam, enarrato *Donatistarum* furore in Catholicos, scripserat: *Cum igitur his angustiis affligeretur Ecclesia, quisquis existimat, omnia potiùs sustinenda* (utì volebant Donatistæ) *quàm Dei auxilium, ut per Christianos Imperatores ferretur, fuisse poscendum, parum attendit, non bonam de hac negligentia reddi potuisse rationem.* Mox, dissolutâ *Donatistarum* replicâ suprà positâ, subdit: *Quomodo ergo Reges serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est; aliter, quia etiam Rex est: quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia etiam Rex est, servit, leges, justa præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore, sanciendo: sicut servivit Ezechias, lucos destruendo, Josias &c.* Aliam potestatem legislativam, quàm *pro sacris*, nec ipsi Cæsares sibi arrogârunt: unde *Valentinianus* à *Leone* I. requisitus, ut depositionem *Hilarii*, Episcopi *Arelatensis*, factam in Synodo *Romana*, *ad tollendam quamcunque executionis remoram*, ratihaberet; inter alia sic rescripsit (g): *Ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minus religionis disciplina videatur, hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum, contra consuetudinem veterem liceat, sine Venerabilis Papæ Urbis æternæ authoritate tentare, sed illis omnibúsque*

Nam S. Augustinus non adstruit Regibus potestatem legislativam in, sed pro sacris.

pre

(a) Textus apud *Gratian*. cap. 21. caus. 23. Q. 8.
(b) Cap, ult. post Decreta.
(c) L. 2. Epist. 61. aliàs 100.
(d) Dist. 10. c. 9. de Capitulis, & præceptis Imperialibus loquens.
(e) Hæresi 40.
(f) In Præfat. ad libros de Trinit.
(g) Apud *Petr.* de *Marca* l. 1. c. 8. n. 2.

pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis Authoritas. Idem sensêre & alii Imperatores, teste *Hilario* Papa (a): *Christianorum quoque Principum lege decretum est, ut quidquid Ecclesiis, earúmque Rectoribus, pro quiete omnium Domini Sacerdotum, atque ipsius observantia disciplinæ, in auferendis confusionibus, Apostolicæ Sedis Antistites suo pronuntiâssent examine, veneranter acciperet, tenacitérque servari suis plebibus, charitas vestra cognosceret, nec unquam possent convelli, quæ & Sacerdotali Ecclesiastica præceptione fulcirentur & Regiâ.*

Nec SS. Chrysostomus & Ambrosius potestatem coercitivam, nisi temporalem;

R. *Ad* 2. D. A. SS. *Chrysostomus & Ambrosius* potestatem sacram coercitivam, hoc est, *gladio temporali armatam*, plenè Regibus transcribunt. C. Potestatem sacram coërcitivam, *gladio spirituali armatam*, hoc est, potestatem arguendi, increpandi, privandi bonis ac juribus spiritualibus, ejiciendi extra Ecclesiam, &c. plenè Regibus transcribunt. N. A. & C. Distinctioni fundamentum præbent ea, quæ in probatione attulimus, aliáque dicta factáque utriusque S. Patris. Sic S. *Chrysostomus* suam mentem satìs declarat, dum ait (b): *Sacerdotis tantum est arguere, liberámque præstare admonitionem, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec jacula mittere*: immò dum alibi, (c) Reges non Episcopis solùm, sed etiam Diaconis subjicit, ita loquens ad suum Diaconum: *si Dux quispiam, si Consul, si is, qui diademate ornatur, indignè accedit, cohibe & coerce, majorem tu illo potestatem habes.* S. *Ambrosius*, præterquàm quòd acri reprehensione contra *Theodosium* usus sit, ipsum à cœtu fidelium excludendo, insuper loco, in objectione allato, notanter subjungit: *Quid honorificentius, quàm ut Imperator filius Ecclesiæ esse dicatur? Quod cùm dicitur, sine peccato dicitur, cujus gratia dicitur: Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.*

Patres Concilii Arelatensis Decretorum emendationem, confirmationem non propriè talem: sed protectivam, executoriam;

℞. *Ad* 3. D. A. Patres in Concilio *Arelatensi Carolo M.* adjudicârunt Decretorum emendationem in iis, quæ pertinebant ad fidem. N. A. In illis, quæ Laicos simul & Clericos concernebant. *Subd.* Sic ut Cæsari deferrent potestatem in sacris. N. Pro sacris. C. A. & N. C. Quæ Laicos simul & Clericos concernebant, fuêre plura, (d) prudenter Cæsari præsentatâ, ut ejus authoritate simultaneâ faciliùs executioni mandari possent. Item: adjudicârunt Carolo Decretorum *confirmationem* propriè talem. N. Impropriè talem, hoc est, Decretorum protectionem, & adjutorium, ad faciliorem executionem necessarium. C. A. & N. C. Patres tantummodò rogârunt, ut decreta *adjutorio Cæsaris perficerentur*, hoc est, *executioni mandarentur*, utì notat *Suarezius*: in Concilii prologo nil aliud de Cæsare senserunt, quàm *quod Ecclesiæ Dei statum vigili instantiâ roborare, seu adjuvare disponat; quòd omnes Dei Sacerdotes obsecret, & obtestetur, ut Ecclesias, quas regendas susceperunt, pia prædicatione instruant*: atqui *adjuvare, exhortari*, non indicant *jurisdictionem* Cæsaris, sed *pietatem*, sicut & cætera verba nil nisi Patrum *urbanitatem, modestiam, & humilitatem* denotant, ut adeò non nisi inaniter Adversarii ex iis subjectionem propriam, seu jurisdictionem colligere præsumant.

S. Gregorius subjectionem quò ad personam privatam, non dignitatem publicam, & Pontificalem.

℞. *Ad* 4. D. A. S. *Gregorius* suam testatur *Mauritio* subjectionem *quà Pontifex*, Pontificalem authoritatem Cæsari subjiciendo. N. *Quà privatus* Pontificalem celsitudinem dissimulando. C. A. & N. C. Distinctionem suadent I. Initialia ejusdem Epistolæ verba: *Ego autem indignus pietatis vestræ famulus, in hac suggestione, neque ut Episcopus, neque ùt servus jure Reipublicæ, sed jure privato loquor.* *Suadent* 2. alia scripta & dicta ejusdem S. *Gregorii*, quando loquitur *ùt summus Pontifex*, ubi potestatem Ecclesiasticam, eamque summam, nequaquam dissimulat, sed exerit evidenter: sic testatur, *prima membra in corpore Domini esse Sacerdotes* (e). Alibi ad eundem *Mauritium* scribit, *Sacerdotes esse Deos quosdam inter homines, & propterea ab omnibus etiam Regibus honorandos* (f). Alibi de eodem asserit, (g) *quòd in tantum extenderit suæ temeritatem vesaniæ, ut Caput Ecclesiarum, Romanam Ecclesiam, sibi vendicet, & in Dominam Gentium terrenæ jus potestatis usurpet.*

Et titulus Pontificis non nisi analogicè Cæsari tributus à S. Leone.

℞. *Ad* 5. D. S. *Leo* vocavit Imperatorem *verè* Pontificem. N. *Analogicè*,

(a) In Epist. 11. ad Episcopos *Galliæ*.
(b) Homil. 4. de verbis *Isaiæ*.
(c) Homil. 83. in *Mathæum*.
(d) c. 4. 5. 12. 13. 15. 22. & 23. ùt notat Suarez.
(e) L. 14. Moral. c. 14.
(f) L. 4. Epist. 31. apud *Bellarm.* Pont. l. 1. c. 8.
(g) In Psalm. 5. pœnit.

logicè, forsan ob specialia merita, defensionemque Ecclesiæ extraordinariam, sicuti *Constantinum* M. *Apostolum fidei* dictum legimus (a), T. A. Et N. C. Dico, *transeat*: quia longè certiùs textus ille habetur suppositititius, cùm Glossa (b) expressè notet, illam *Leonis* epistolam ad Imperatorem *Lotharium* haud inveniri; aut ad minimum est mendosus, &, eâdem glossâ notante, ita legendus, ut post Ly *Pontificum* ponatur particula *Et*, reddatúrque hic sensus: *de præceptis Imperialibus vestris, vestrorúmque Pontificum* (quorum nempe consiliô & operâ emanârunt) *& Prædecessorum, irrefragabiliter custodiendis, &c.*

Denique à SS Patribus varii actus tributi sunt Imperatoribus, qui tamen pietatis potiùs, quàm jurisdictionis spiritualis propriè sunt.

℞. *Ad* 6. D. A. Patres varios actus potestatis spiritualis, & quidem *propriè tales*, Imperatoribus, atque Regibus tribuunt. N. Actus potestatis spiritualis *impropriè tales*, jurisdictione etiam Regiâ exercendos. C. A. Et N. C. Ejusmodi actus sunt, ùt jam sæpius diximus, *curare*, ut ignorantia ab Ecclesia *Christi* tollatur, sana doctrina prædicetur, perversa eliminetur, quos actus, *per modum exhortationis, honoris, ac laudis*, sæpe Patres Imperatoribus tribuunt, sicut in Concilio *Turonensi* legimus, ubi Patres post laudatam *Caroli* M. pietatem, & sapientiam subjungunt: *Hu igitur intentus, pios ac religiosos Dei Sacerdotes, Ecclesiæ gubernacula, in Regno sibi Divino largitate collato, tenentes, saluberrimu exhortationibus admonuit, ut operam darent, & actibus eminerent, quibus & se bene operando, & sibi commissos verbis & exemplis instruendo regerent.*

Ratio quinta ex abusibus Cæsarum.

Quæritur. XI. *Quod sextum fulcrum, profanandæ potestati sacræ substructum?*

Neque actus Cæsarum efficaciter opponi possunt.

℞. Petitur ab exemplis Cæsarum. Nam ita arguunt: *Exempla, & acta innumera* diversorum Imperatorum, Regum & Principum suppetunt apud *Hennigem*, (c) quæ potestati politicæ *jus sacrorum* manifestè evincunt: ergo frustra nitimur contra torrentem.

Quibus Pontifices, Episcopos instituerunt, destituerunt.

Ant. patet I. Ex tot actibus, quibus potestas Cæsarum summa liberam, circa Ecclesiasticos & Ecclesiastica, exercuit jurisdictionem; *in specie, constituendo, instituendo*, & *destituendo* summos Pontifices, aliósque Ecclesiarum Prælatos.

Neque testimonia, quibus sese Pontificibus dixére superiores.

2. Ex testimoniis, quibus Pontificibus superiores sunt habiti. Sic *Tertullianus* dixit, quòd *Christiani coluerint Imperatorem, ut hominem à Deo secundum, majorem omnibus, solo Deo minorem* (d). *Optatus* dixit: *Supra Imperatorem non est, nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem* (e). S. *Ignatius* M. (f). *Honorare oportet & Regem, neque enim Rege quisquam præstantior, aut quisquam similis ei in rebus creatis*, &c.

Neque ordinationes, quibus disposuêre de sacris.

3. Ex ordinationibus & legibus, quas etiam quò ad materias propriè spirituales promulgârunt, uti constat *in Justiniano*, qui non tantùm de fide & Religione Catholica, de Ministris Ecclesiæ, & eorum jurisdictione, ordinatione, vita, & moribus multas edidit constitutiones, ùt patet *ex codice de summa Trinitate, de SS. Eccles. de Episc. & Cler.* nec non *ex Novell.* 137. sed etiam ibidem c. 6. *in princ.* signanter præcepit, ut & precatio, quæ fit in sacro Baptismate, & mystica verba consecrationis Eucharisticæ, elatâ voce, non autem demissâ, ùt solemne erat, proferantur.

Nam exempla malorum nil probant, bonorum non suppetunt.

℞. N. A. Vel enim suppetunt ejusmodi exempla ab Imperatoribus infidelibus, vel fidelibus? Si ab infidelibus, nil probatur contra Ecclesiam cum Apostolo exclamantem (g): *quid mihi de his, qui foris sunt?* Siquidem arcanô Dei consiliô factum est, ut Ecclesia, ne alterius esse opus videretur, quàm dexteræ Excelsi, inter decumanas persecutiones ethnicorum Cæsarum ad id fastigium, quo hodie resplendet, assurrexerit. Si sermo est de fidelibus, ulteriùs quæritur, vel boni fuêre, vel mali? Profectò, qui meliori vita inclaruêre, attestante Historiâ, nunquam præsumpserunt profanam falcem immittere in messem sacram,

(a) Apud *Pelzhov.* in Arcan. Stat. tract. de Relig. c. 7. n. 4.
(b) In cit. cap. 9. Dist. 10.
(c) Libro sæpius allegato per totum, queîs nugis persuasus *Pfaffius, Theosophus Tubingensis* L. de Orig. Juris Eccles. Art. 3 f. m. 176. in notis scribere non erubuit: *Si quis vellet jura sacrorum, ab Imperatoribus Romanis & Græcis, à Regibus & Principibus, passim ante reformationis tempora exercita, uno in volumine enarrare, in prolixissimum is scriptionis campum dilabetur.*
(d) L. ad *Scapulam* c. 2. apud Suarez l. c. c. 28. n. 2.
(e) L. 3. controv. *Parm.*
(f) Epist. ad *Smirnenses.*
(g) 1. *Corinth.* 5. v. 12.

ſacram, uti ex dictis alibi evidenter conſtat. Si improbitatis ſtigmate notati, Orbique meritò ſuſpecti, jus ſibi in ſacra arrogâſſe leguntur, tam parùm exinde pro poteſtate politica concluditur, quàm parùm ex violentia & truculentia, ab Imperatoribus gentilibus, tantô annorum ſpatiô in *Chriſtianos* exercita, jus aliquod ſtatuendi circa Religionem Imperatoribus infertur. *

Nec Pontificum inſtitutio, vel deſtitutio jure Regio, ebque legitimo, unquam facta.

Ad 1. Circa electiones Pontificum, & Epiſcoporum, jam alibi reſpondimus, fuſiore uſi cenſurà contra *Linckium*, inter Proteſtantes ſat nominatum, ubi etiam *Hennigii* inſtantias repreſſimus: hic ſatis ſit animadvertiſſe 1. Quòd primis quinque ſæculis Pontificum electio non opus habuerit Cæſarum aſſenſu, vel confirmatione. 2. Quòd *à Juſtiniani* tempore jus illud uſurpare cœperint Cæſares. 3. Quòd ex hoc ipſo ſatis conſtet, hanc poteſtatem Cæſares non habuiſſe *jure Divino*: ſecùs enim priores electiones, conſenſu Imperatorio carentes, invalidæ fuiſſent: neç *jure Regio*, quod tanto tempore neutiquam diſſimulâſſent, ut nihil repetam de poteſtate Regia merè terreſtri, Pontificis verò cœleſti. 4. Quòd hæc poteſtas à *Juſtiniano* ad uſque *Conſtantinum* IV. per Cæſares ſit uſurpata, ùt deploravit S. *Gregorius* (a). 5. Quòd aliqui Imperatores hac poteſtate uſi ſint ex delegatione Pontificum, Cleri, &c. *propter temporum acerbitatem*. 6. Quòd ex his omnibus pro jure Cæſarum nihil *legitimè* inferri poſſit, nam violentia jus parere nequit; privilegium revocabile ſit, & ſicuti ob Eccleſiæ neceſſitatem conceſſum, ita ob Eccleſiæ utilitatem denuò ſit abrogatum. Sed hæc diſtinctiùs alibi legenda.

Nec illa teſtimonia poteſtatem ſpiritualem, ſed tantummodò temporalem ſummam;

Ad 2. D. Et illa teſtimonia probant poteſtatem Cæſarum, Regumque ſummam *in ordine regiminis temporalis*. C. Etiam in *ordine regiminis ſpiritualis*. N. A. Et C. Diſtinctio patet ex dictis.

Nec conſtitutiones jurisdictionem ſacram, ſed defenſivam ſolummodò evincunt.

Ad 3. Pariter D. A. Et ejusmodi conſtitutiones circa ſacra juri civili inſertæ ſunt ab Imperatoribus, *exercendæ jurisdictionis Eccleſiaſticæ cauſa*. N. A. *Fidei Catholicæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ*, jam antè à Pontificibus, & Conciliis traditæ, *tuendæ gratiâ*. C. A. Et N. C. Sic *Carolus* M. ſummorum Pontificum decreta, à *Dionyſio* exiguo collecta, atque à Concilio *Turonenſi*, ùt conſtat ex Canone 20. recepta, transferri curavit in ſua capitularia, adjecto in perpetuum hoc edicto: *conſtitutiones contra Canones & decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius ſint momenti* (b). Sic *Juſtinianum* quoque ſenſiſſe, apertè docet Nov. 5. in epilogo. Nov. 6. in prologo, ùt ſuprà jam diximus (c). Quod ſpectat Novellæ 137. c. 6. etſi de *Marca* putet, hunc Cæſarem poteſtatis ſuæ limites transgreſſum, (d) nihilominùs in præfatione ipſius hujus Novellæ ingenuè fatetur, ſibi poteſtatem ſolummodò circa leges civiles à Deo indultam, circa ſacros Canones & leges Divinas nil niſi cuſtodiam fuiſſe conceſſam, & ſi quæ leges ab hoc vel ab alio Cæſare circa Religionem emanaverint, id factum non eſſe, niſi ex prævia Conciliorum definitione, veluti conſtat ex ipſo Codice *Juſtinianeo*, (e) cujus legem octavam vel ideò à Proteſtantibus ſuppoſititiam argui notat D. ab *Andlern*, (f) ne agnoſcere debeant Summum Pontificem, controverſiarum fidei arbitrum, tanquam Principem, Paſtorem, & Caput Eccleſiæ.

Ratio ſexta ex jure convocandi Concilia Regibus proprio

Quæritur XII. *Quinam eſt ultimus fucus, profanando juri ſacro ab hiſce ſcriptoribus accommodatus?*

Ob curam Religionis

℞. Illum petunt *ex jure convocandi Concilia*, quod eſſe ſummorum Imperantium, indubiè proclamant. Sic habent. Saltem convocatio Conciliorum generalium eſt ſolius Imperatoris: ergo eidem competit jus in ſacra. A. P. I. Quia Imperatori incumbit cura Religionis, juxta illud Regis

* Nunquid hic adhiberi poſſet, meliori jure, illud *Puffendorfii* de habitu Relig. §. 35. f. m. 159. *Neque heic ſufficit diuturnam uſurpationem crepare: nam iſta etiam diuturnam injuriam notare poteſt: neque firmum aliquod juris fundamentum ſuppeditat: cùm fieri poſſit, ut modica ab initio authoritas, ſucceſſu temporis, intolerabilem in dominatum degenerârit.*

(a) in Pſalm. 5. Pœnit. & notavit C. *Baronius*. A. 590. n. 51

(b) *Petrus de Marca* L. 1. c. 9. n. 4.

(c) Item c. 1. Nov. 123. c. 1. & 36.

(d) Nam ait l. 2. c. 6. n. 6. *Vereor, ne Juſtinianum damnare cogamur, quòd de ſacræ lyturgiæ ritibus conſtitutionem ediderit. Præterquàm enim, quòd de ritu Sacrificiorum decernere tentat, quæ pars diſciplinæ ſolis Sacerdotibus competit, antiquos Eccleſiæ mores ſollicitat, qui, ut reverentia Myſteriis conciliaretur, preces myſticas demiſſa voce proferri induxerunt.*

(e) Tit. 1. de Summa Trinit. l. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

(f) Jurispr. publ. l. 1. Tit. 1. p. 1.

Regis *Davidis* (a): *ego constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.*

Tanquam quid adiaphorum.

2. Quia, ùt ait *Henniges*, (b) convocare Concilia est quid adiaphorum, hoc est, de cujus jure, nec Divina nec humana authoritate, quidpiam est definitum: ergo pertinet ad potestatem summam.

Ratione paritatis cum Testamento vetere.

3. Quia Reges in antiquo Testamento convocârunt Sacerdotes ad Concilia, utì suprà pluribus declaratum (c): ergo idem licet Imperatoribus *Christianis*.

Ob defectum potestatis in Ecclesia.

4. Quia, antequàm essent Imperatores, nulla fuerunt coacta Concilia: ergo fuit tantummodò defectus illius, qui convocare posset Concilia, scilicet Imperatoris.

Ob jus hujusmodi sæpè exercitum.

5. Quia prima convocata sunt ab Imperatoribus: *Nicænum à Constantino M. Constantinopolitanum à Theodosio* Seniore; *Ephesinum à Theodosio* Juniore; *Chalcedonense à Valentiniano* & *Martiano*, & sic de aliis, utì fusiùs prosequitur *Henniges*, dicente *Socrate Historico*, (d) *ex eo tempore, quo Constantini esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ab illorum nutu pependisse, atque adeò maxima Concilia de eorum sententia fuisse convocata.* Hinc legimus, S. *Leonem* etiam supplicâsse Imperatori *Theodosio*, *ut jubeat convocari Concilium intra Italiam* (e).

Et quidem legitime, teste S. Hieronymo, & Nicolao I. Pont. Max.

Immò 6. S. *Hieronymus*, & *Nicolaus* I. velut illegitima habuêre Concilia, absque authoritate Cæsaris convocata: nam ille *Ruffino*, authoritatem cujusdam Concilii objicienti, dixisse fertur: *Quisnam Imperatorum id Concilium jusserit celebrari?* (f). *Nicolaus* verò ad *Michaelem* Imp. ita locutus legitur: *ubinam legistis Imperatores, Antecessores vestros, synodalibus conventibus interfuisse? nisi fortè in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos, & omnes omninò pertinet Christianos* (g).

Non probatur.

R. N. A. Cujus inanitatem dudum erudito Orbi monstrârunt *Bellarminus*, aliique polemici Scriptores, Juris consulti item Catholici, quos inter *Weszeneggerus* è nostra Academia, *Wesselingius* & alii, ut adeò protestanticas replicas, fusiùs alibi confutatas, hìc non nisi paucis reprimere opus sit.

Nam Cæsari competit quidem cura respectu Ecclesiæ, sed solummodò defensiva;

Ad 1. D. A. Imperatori convenit cura Religionis, ut eam defendat. C. Ut eam doceat, vel ad eam docendam Patres convocet. N. A. Et C. *David* in loco citato non loquitur in persona propria, sed in persona *Christi*.

Nec adiaphora; sed spiritualis est convocatio, uti patet ex fine.

Ad 2. N. A. Nam adiaphorum non est, convocare Pastores Ecclesiæ, *ad decidendas fidei quæstiones, ad introducendam, aut emendandam disciplinam Ecclesiasticam*, sed est officium proprium Pontificis, non Imperatoris: siquidem Pastoris est congregare oves; non ovium, ut congregent Pastores: & solus Pontifex authoritate sacra in omnes Fideles potest cogere omnes; id quod nulli Imperatori, Regi, vel Principi est concessum.

Neque in veteri Testamento imperiosa fuit.

Ad 3. Reges *Judaici* non convocabant Sacerdotes *imperiosè*, sed invitabant *amicabiliter*; deinde non convocabant ad decidenda dubia Religionis, sed ad aliquam solemnitatem cultûs Divini, ùt ex suprà dictis colligi potest.

Nec omissa in primitiva Ecclesia defectu potestatis, sed opportunitatis.

Ad 4. Antequàm essent Imperatores, nulla sunt convocata Concilia *ex defectu potestatis*. N. *Ex defectu opportunitatis*. C. A. Et N. C.

Nec exercita ab Imperatoribus jure proprio, sed delegato.

Ad 5. Pariter D. Convocârunt Concilia, etiam legitima, *jure proprio ac Regio*. N. Jure per Pontifices *delegato*, necessitate illorum temporum exigente, ut authoritatem Regiam Ecclesiæ commendarent. C. A. Et N. C. Profectò rationes gravissimæ, id ab Imperatoribus postulandi, & etiam rogandi, erant 1. Quia tunc adhuc vigebat illa lex, ne sine authoritate Cæsaris instituerentur conventus frequentes. 2. Quia non poterat fieri Concilium, nisi in aliqua Urbe Imperiali, adeóque in territorio Imperatoris. 3. Quia, Ecclesiâ paupere, ad Concilia, publicis Imperii sumptibus, Episcopi colligebantur &c. Sic etiam convocare Concilia poterant Cæsares *indirectè*, de convocandis, si opus fuit, Pontifices admonendo, Episcopos ad illa animando, impedientes, aut turbantes, authoritate Imperatoriâ compescendo. Unde

De quo intelligendi S. Hieronymus, & Nicolaus I.

Ad 6. S. *Hieronymus* intelligendus de convocatione vel *per delegationem*, vel *per Concilii promotionem*; *Nicolaus* I. de

(a) *Psal.* 2. v. 6.

(b) L. a. c. 8. n. 8. f. m. 689.

(c) *David.* 1. Paral. 13. & 23. *Salomon* 3. Reg. 8. *Ezechias* 2. Paral. 29. *Josias* 4. Reg. 23.

(d) In Proœm. L. 5. Hist.

(e) Epist. 9. ad *Theodos*: *Unde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Episcopale Concilium.*

(f) S. *Hieron.* L. 2. Apol. contra *Ruffin.*

(g) Apud *Gratian.* c. 4. Dist. 96.

de Imperatorum præsentia *ad Concilii protectionem*, atque *tutelam*, non autem ad *exercendam* Cæsaream *authoritatem* in rebus fidei, causisque Ecclesiasticis judicandis ac definiendis. Hinc, ùt rectè differit *Petrus de Marca*, (a) perfidiam *Arii* non *Constantinus*, sed *Nicæna* Synodus discussit: *Macedonium*, & *Apollinaristas* Synodus, *Constantinopolim* coacta, non verò *Theodosius* Imperator hæreseos damnavit. *Nestorii* amentiam Synodus *Ephesina*, & *Eutychetis* delirium *Chalcedonense* Concilium, non verò *Theodosius*, aut *Martianus* anathemate percusserunt. Sanè ipsimet Imperatores nullam sibi in ejusmodi sacris negotiis potestatem esse, & agnoverunt, & ingenuè fassi sunt. Sic inter alios legimus, (b) *Martianum* Imp. in oratione ad Synodum *Chalcedonensem* dixisse: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo Religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus, ne vel alterius Populi pravis suasionibus separentur.* Pariter *Valentinianus* ad Synodum indicendam, & instaurandam consubstantialitatis fidem imploratus ab Episcopis Orientis, respondit: *Sibi, qui unus è Laicorum numero esset, non licere, se ejusmodi negotiis interponere, & idèò, ut Sacerdotes & Episcopi, quibus hæ curæ sunt, seorsim per se, ubicunque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant*, rescripsit.

§. 3.

§. III.

Habitus religionis ad statum civilem juxta Orthodoxos.

De habitu religionis Christianæ ad vitam civilem in principiis Catholicis

Quæritur XIII. *Quid juxta doctrinam, verè Catholicam, sentiendum de habitudine religionis ad statum civilem?*

Est in Ecclesia Christi spiritualis potestas jurisdictionis externæ.

℞. I. *Est dogma Catholicum, esse in Ecclesia Christi potestatem spiritualem jurisdictionis externæ, & quasi politicæ.* Ita Orthodoxorum cōmunis contra *Marsilium Paduanum*, *Lutherum*, *Calvinum*, eorúmque pedissequos *Puffendorfium*, *Hennigem*, *Pfaffium*, aliósque protestanticos potestatis sacræ deformatores.

Non agitur de potestate spirituali interna.

Explicatur Assertum. Dicitur 1. *Quasi politicæ*: Non enim quæstio procedit de potestate *Ordinis*, nec etiam de potestate *jurisdictionis internæ* quoad forum pœnitentiale; sed de potestate *Jurisdictionis externæ*, quæ in foro Ecclesiastico exercetur, *in ordine ad gubernandam convenienter pro Animarum salute, Rempublicam Christianam.*

Sed externa.

Dicitur 2. *Spiritualis*, ut distinguatur à temporali.

Quæ certa.

Dicitur 3. *Orthodoxorum communis*; eò quòd assertio de fide certa sit, ùt patebit.

Contra Marsilium Patavinum.

Dicitur 4. *contra Marsilium Paduanum*: hic enim, ante sexcentos propemodùm annos, inter alios errores dixit, *Christum* nullam jurisdictionem Ecclesiæ suæ, aut Episcopis aut *Romano* Pontifici, dedisse vel in Laicos, vel in Clericos, vel ad præcipiendum, seu obligandum, vel ad cogendum, seu puniendum; sed solùm dedisse Sacerdotibus potestatem administrandi Sacramenta, & prædicandi verbum Dei; in reliquis verò omnibus dispositioni & jurisdictioni temporalium Principum eos subjecisse, ùt refert *Albertus Pigius* (c). *Fundamentum* erroris erat, quòd Presbyteros æquaret Episcopis, Episcopos Papæ, negarétque omnem hierarchicum Ordinem juxta illud: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* &c. Unde Sacerdotium etsi non negaret, intulit tamen, non esse ullam inter se, vel respectu Populi, subjectionem, aut prælationem.

Lutherum, Calvinum.

Dicitur 5. *Contra Lutherum, Calvinum*, eò quòd illi id ipsum statuerint, immò ampliùs; cùm ipsum insuper negaverint Sacerdotium ex aliis fundamentis: nam, quia nullum in Ecclesia verum admisère Sacrificium, ac propriè dictum Sacerdotium, sed tantùm spirituale, ac metaphoricum, *Christianis* omnibus commune, distinctionem Cleri à Populo sustulerunt, faciendo *Christianos* omnes in Sacerdotio pares; atque ita nullam admittendo potestatem in Ecclesia præter eam, quæ est in Magistratu politico; vel quæ in aliqua communitate, ad servandum rectum ordinem, ex natura rei existit.

Alibique Authores protestanticos.

Dicitur 6. *contra Authores protestanticos, Lutheri & Calvini hac ex parte sequaces*: nam ejusdem illos esse fideliæ, atque adeò æqualiter dealbandos, patet ex dictis suprà. His suppositis

Patet authoritate sacræ Scripturæ, tribuentis Ecclesiæ jurisdictionem externam.

Probatur Assertum I. In sacra Scriptura legimus: *quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo* (d). Item *Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (e) Item, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tan-*

(a) L. 2. c. 6. n. 1.
(b) Apud *Petr. de Marca* l. c. n. 4.
(c) L. 5. de Eccles. Hierarch.
(d) *Math.* 18. v. 18.
(e) *Actor.* 20. v. 28.

tanquam Ethnicus & Publicanus &c. (a) *Præcipio tibi coram Deo, præcipe hæc, & doce*, &c. (b) Jam sic: *Ligare, solvere, tegere, ut Ethnicos à se rejicere, præcipere*, &c. sunt actus, non merè interni quò ad forum conscientiæ, sed externi quò ad forum Ecclesiasticum, *in ordine ad gubernandam convenienter, pro animarum salute, Rempublicam Christianam*: ergo datur in Ecclesia *Christi* jurisdictio externa, & quasi politica. A. Patet unanimi SS. Patrum, atque Interpretum calculô, qui hos textus de regimine externo; de excommunicatione, aliisque censuris Ecclesiasticis interpretantur juxta illud *Pauli* (c): *Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem* &c. *Subsumitur*: atqui hæc potestas non est temporalis & Regia, qualem utique *Paulus* non habuit; sed *spiritualis*, qua rexit Ecclesiam, *Christi sanguine acquisitam*, puta regnum spirituale, non temporale: ergo &c.

Pro ejusdem regimine necessaria.

Probatur Assertum II. S. Scripturâ teste, *Christo* promissum fuit à Patre Regnum, non modò perpetuò duraturum in cœlis, sed & in tempore jam inchoandum in terris. Patet id partim ex *Daniele*, (d) ubi legimus, Regnum *Christi* post alia Imperia inchoandum, & perpetuò duraturum, ùt ex communi Interpretum alibi diximus: partim ex *Ezechiele*, dum ait (e): *Faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israel, & Rex unus erit omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes*, quæ verba de *Christo*, & ejus Regno, in terris inchoando, intelliguntur, ùt ex toto contextu constat. Jam sic: Hoc *Christi* Regnum non est *temporale*; sed *spirituale* Ecclesiæ, à *Christo* in tempore inchoatum, semperque duraturum: ergo in illo debet dari potestas *proportionata & spiritualis*, qua sine nec gubernari, nec conservari posset. A. Constat ex illo *Christi*: *Regnum meum non est de hoc mundo* (f). In quæ verba S. *Augustinus* (g): *Quod est Regnum ejus, nisi credentes in eum? quibus dicit: de Mundo non estis: unde non ait: Regnum meum non est in hoc Mundo, sed non est de hoc Mundo; nec dicit: non est hic; sed non est hinc: hic est enim usque ad finem sæculi.* Rectissimè S. *Epiphanius* (h): *Thronus David & Regia Sedes est Sacerdotium in sancta Ecclesia, quam dignitatem Regiam, simúlque Pontificiam, simul conjunctim largitus est Dominus suæ Ecclesiæ, translatô in ipsam thronô David, non deficiente in æternum.*

Hæc potestas Ecclesiastica est à temporali Principum penitus distincta.

℟. II. *Est dogma Catholicum, hanc potestatem spiritualem jurisdictionis externæ esse à temporali politia penitus distinctam.* Ita denuò Catholicorum unanimis contra eosdem potestatis sacræ profanatores.

P. Hæc potestas spiritualis est omninò distincta à temporali: ergo tenet conclusio. A. P. 1. Et principaliter *ex fine*: nam *potestas temporalis* ordinatur ad servandam Reipublicæ pacem & moralem honestatem, juxta illud D. *Pauli* (i): *ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate* (k). *Potestas Ecclesiastica* ordinatur ad æternam salutem consequendam, juxta illud Doctoris gentium (l): obediamus *Præpositis nostris pervigilantibus, tanquam pro animabus nostris rationem reddituris.*

Ex differentia ratione originis.

2. *P. Ex differentia, ratione originis*: siquidem potestas temporalis orta est *à Deo, ut Authore naturæ*, mediante ratione naturali, & ita *suo modo* est de jure naturali (m); contrà potestas Ecclesiastica est *de jure Divino, positivo, & speciali*

(a) *Math.* 18. v. 17.
(b) 1. ad *Tim.* 6. 13. Item 4. 11.
(c) 2. *Corinth.* 13. v. 10.
(d) cap. 2. & 7.
(e) Cap. 37. v. 22.
(f) *Joan.* 18. v. 36.
(g) Tract. 115.
(h) Hæresi 29.
(i) 1. Tim. 2. v. 2.
(k) Unde *finis est, dirigere actiones civium ad communem & publicam utilitatem seu pacem, temporalium bonorum abundantiam, moralem honestatem*, nec agnoscit, pro mediis sibi proportionatis, bona spiritualia ad statum supernaturalem, puta *animarum salutem, sanctitatem, & beatitudinem.*
(l) Ad *Hebr.* 13. v. 17.
(m) Nam sicut *Origo civitatis* refertur *fundamentaliter* ad Authorem naturæ, qui indidit omnibus appetitum ad societatem perfectam, seu civitatem, ubi vitæ beatioris subsidia sunt ordinata; ita & *forma civitatis*, seu *summa potestas* referri debet *ultimatò* ad eundem Deum, ùt Authorem naturæ, prout docet Scriptura Prov. 8. v. 15. & 16. *Per me Reges regnant, & per me Principes imperant.* Sap. 6. v. 4. *Data est à Domino potestas vobis; & virtus ab Altissimo.* Ad Rom. 13. v. 1. & 2. *Non est Potestas, nisi à Deo.* Id quod etiam ratio evincit: nam, quia omnes nascimur æquales; etiam positâ societate, homo in hominem, *de se*, potestatem non habet, multò minùs jus vitæ & necis ulli Mortalium in alterum, etsi nocentem & consentientem, competere potest, juxta illud: *Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desu-*

tiali Christi promissione: *tibi dabo claves,* &c. *Pasce oves meas &c. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos &c.* Qua de causa etiam *S. Paulus* Apostolatum suum *non per hominem, sed per JEsum Christum, & Patrem* accepisse se memorat. Unde utraque potestas differt, tanquam materialis & spiritualis, naturalis & supernaturalis; terrestris & cœlestis: sed de his infrà.

Christus Ecclesiæ Rector invisibilis

℟. III. Contra hæc malè opponunt aliqui 1. Penes solum *Christum* est Monarchica Ecclesiæ potestas ejus vicem supplente, *quem venturum promiserat, Spiritu Sancto* (a): ergo alia assignatur frustrà.

Non excludit Vicarium visibilem.

℟. D. A. Penes solum *Christum*, tanquam Rectorem Ecclesiæ *invisibilem*, *primarium*, *principalem*, & ex virtute *propria*, est Monarchica Ecclesiæ potestas. C. Penes solum *Christum*, sic ut excludatur Rector *visibilis*, regimen *secundarium*, potestas *subordinata*, *ministerialis*, *vicaria*, atque *participata*. N. A. & C. Per illa verba: *alium Paraclesum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, qui vos docebit omnia, & suggeret* &c. promittit quidem *Christus* Spiritum sanctum, qui internam virtutem, illustrationem, & suggestionem Fidelibus conferat: at hic influxus, *merè spiritualis & invisibilis*, minimè sufficit pro regenda Ecclesia *visibili*; sicut nec ille protectionis, atque auxilii; quem *Christus* promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Expedit ejusmodi Monarchica Ecclesiæ potestas,

Inaniter opponunt II. Non expedit Monarchica potestas politica totius Mundi, etiam *Christiani*: ergo nec Ecclesiastica & spiritualis. A. P. Quia unus homo ad regenda omnia Regna nequaquam sufficeret; unde S. *Augustinus*, (b) *feliciores fore res humanas* edixit; *si omnia Regna essent parva*: ergo à pari.

Sive dein in una vel pluribus personis consistat.

℟. 1. Saltem expedit, ut aliqua sit potestas in Mundi Regnis: ergo & in Regno Ecclesiæ, quod sufficit ad nostram assertionem: nam hìc solummodò statuimus, dari in Regno *Christi*, seu Ecclesia, prout in terris versatur, supremam potestatem, ad regimen visibile necessariam, sive sit in una persona, sive in multis; seu congregatione ex illis composita, quæ in polemicis Scriptoribus hìc supponenda potiùs, quàm elucidanda.

Expediret etiam in Regnis politicis, si facerent unum corpus.

℟. 2. D. A. Non expedit, stante hac Regnorum divisione. C. Si omnia Regna *Christiana* facerent unum corpus politicum; sicut Ecclesia unum corpus mysticum; seu simplex Regnum in omnem terram diffusum. N. A. Et C. Negari etiam paritas posset; siquidem ad conservandum statum Mundi politicum; non est necesse; immò nec utile; ubique easdem leges servari ac ritus: contrà necesse est ad conservationem Ecclesiæ, ut omnes conveniant in eadem fide, præceptis, ritibus, Sacramentis &c. Ad P. D. Nequaquam sufficeret, ut omnia gubernaret per se. C. *Per se, & multos simul*; sibi subordinatos Ministros. N. A. S. *Augustinus* intelligendus est *in aliquo sensu*, & *cæteris paribus*.

Jus sacrorum non competit potestati civili jure Divinò novæ Legis.

Quæritur XIV. Quænam doctrina orthodoxa circa hanc distinctionem potestatis Ecclesiasticæ à civili, spectato jure novi Testamenti?

℟. *Est dogma Catholicum, jus Sacrorum, seu potestatem sacram, nullatenus competere potestati politicæ jure Divino novi Testamenti, ut erronee statuunt iidem protestantici Authores.*

Quia probari nequit ex S. Scriptura.

Assertum probatur I. Uti suprà, argumentô *negativô*. Si potestas circa sacra (sive strictiùs sumpta quò ad Sacramenta, fidem; sive latiùs quò ad Ecclesiæ regimen) *jure divino novô*, seu *vi legis gratiæ* competeret potestati politicæ; tunc id deberet probari ex sacris paginis novi Testamenti: atqui, licèt in illis frequens sit mentio Regiæ potestatis, nullus tamen locus; immò nec loci apex est adducibilis; in quo Principibus circa sacra, Sacramenta, Fidem, aut etiam Ecclesiæ gubernationem; quidpiam tribuatur: ergo potestati politicæ *jure Divino novo*, seu *vi Testamenti novi* nulla competit potestas sacra. *Major* est extra omnem exceptionem: nam ejusmodi potestas neque *ex natura rei*, neque *ex concessione veteris Testamenti* competit potestati politicæ, ùt jam ostensum: ergo necessariò probari debet authoritate positiva novi Testamenti: siquidem rectissimè asserit Doctor

desuper. Joan. 19. v. 11. Abstrahendo intereà, idque haud simplici ex motivô, an hæc potestas summa à Deo, ùt Authore naturæ, sit *immediate* translata in unum vel plures, prout aliqui volunt? An potiùs sit *immediate* collata *civitati*; seu *communitati*, tanquam proprietas indispensabiliter connexa, & hac mediante in unum vel plures, *jure præcise* humano, ùt cum *Suarezio* nostro sentit authoritas, æquè magna ac antiqua. Videantur dicenda infrà *de jure Gentium* Tit. 2.

(a) *Joan. 14. v. 16.*

(b) L. 4. de civit. Dei.

ctor Angelicus (a): *In his, quæ sunt supra naturam, soli authoritati creditur, & quæ ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus Divinitus revelata sunt. Minor fundamentalis* patebit ex dissipatione replicarum, potestati politicæ apparenter faventium, ex quibus ad summum deducitur obligatio naturalis, qua potestati politicæ in his, quæ ad jurisdictionem sæcularem pertinent, præcipienti obedire tenemur, ut infrà fusiùs declarabitur.

Quia ex illa ipsa potius demonstratur oppositum.

Assertum Probatur II. Argumentô *positivo.* Constat evidentibus novæ Legis testimoniis, quòd *Christus*, sublatâ Synagogâ, novam Ecclesiam, id est, Civitatem sanctam, ac *Christianam* Rempublicam instituerit, potestate regendi in causis rebúsque spiritualibus (quarum gratiâ principaliter fundata est) nemini nisi *Petro*, & Apostolis, eorúmque Successoribus tradita ac commissa: ergo nullatenus, *vi Legis novæ*, potestas sacra competit potestati politicæ.

Ut patet ex testimoniis SS Mathæi & Joannis.

A. P. 1. Ex testimoniis D. *Matthæi*, (b) atque *Joannis* (c) jam in responsione suprà allatis, vi quorum *Petro* data est potestas clavium, potestas ligandi atque solvendi, potestas pascendi oves *Christianas*, utique non secundùm corpora & vellerâ; sed secundùm animam & spiritum consideratas: data itidem potestas ejiciendi refractarios extra Ecclesiam, ubi sanè nihil certiùs, quàm quòd non modò *potestas directiva*, seu ordinandi & dirigendi negotia spiritualia, sed & *potestas coactiva* præcipiendi, prohibendi in hujuscemodi causis, à *Christo* in *Petrum*, & in Apostolos fuerit derivata: ergo verum est Ant.

S. Pauli.

A. P. 2. Testimoniis S. *Pauli* non tot quin pluribus: quædam solummodo ad demonstrandam potestatem *directivam*, & præcipuè *coercitivam* in spiritualibus, quæ maxime in controversiam trahitur, in præsentiarum adducemus. Sic S. *Paulus* monet Episcopos: (d) *Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo.* Idem ad *Corinthios* (e) *quid vultis*, inquit, *in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Per virgam* intelligens potestatem coercitivam juxta phrasin Scripturæ (f) *reges eos in virga ferrea.* Eadem pluribus in locis repetit idem Gentium Doctor: (g) *ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est* (talem nempe fornicationem, qualis nec inter Gentes audiebatur, committendo, *ut uxorem patris sui habeat*) *tradere hujusmodi sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri JEsu Christi.* Item (h) *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* Et infrà: *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Si & amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.* Rursus alibi (i) *Si venero iterum, non parcam.* Item (k) *qui præest in solicitudine, &c.* Nec non ad *Timotheum*: (l) *qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Infrà: *adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Alibi ad *Titum*: (m) *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Infrà: *quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis & mandatis hominum, aversantium se à veritate.* Item (n) *hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Denique ad *Hebræos*: (o) *mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Infrà: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* &c.

Et praxi Ecclesiæ continua, cœpta tempore Apostolorum.

Assertum Probatur III. Ex praxi Ecclesiæ, nullo tempore interrupta, qua potestas sacra semper fuit penes ecclesiasticum Ordinem, nunquam penes politi-

(a) P. 1. Q. 108. art. 1. apud *Suarezium*, l. c.
(b) c. 16. & 18.
(c) c. 21.
(d) *Act.* Apost. 20. v. 28.
(e) 1. ad *Cor.* 4. v. 21.
(f) *Psal.* 2. v. 9.
(g) 1. ad *Cor.* 5. v. 3. & 5.
(h) 2. ad *Cor.* 10. v. 4.
(i) 2. ad *Cor.* 13. v. 2.
(k) ad *Rom.* 12. v. 8.
(l) 1. ad *Timoth.* 5. v. 17.
(m) ad *Tit.* 1. v. 5. & 13.
(n) Ad eund. 2. v. 15.
(o) c. 13. v. 7. & 17.

sticum, aut sæcularem. Sic 1. Ex actibus Apostolorum manifestè colligimus, (a) quòd, post *Christi* in Cœlum ascensionem, novella Ecclesia non ab aliis, quàm *Petro* & Apostolis gubernata, dilatata; sanctísque legibus instituta sit, & ubi quæstio circa fidem, aut legem Divinam inciderat, ea non à sæculari potestate decisa fuerit: unde, cùm *Herodes* Rex, ministerium Apostolicum usurpare præsumens, *vestitus veste Regia sederet pro tribunali, & concionaretur*, ùt habent acta Apostolorum (b) *populus autem acclamaret: Dei voces, & non hominis; confestim eum percussit Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit.*

Continuata per prima tria Secula.

Sic novimus 2. Quòd hoc Apostolicum regimen, per trecentos annos, quibus in Ecclesia nullus adhuc Princeps sæcularis erat (nisi forsan unus & alter (c)) semper fuerit penes summos Pontifices, Episcopos, atque solum ecclesiasticum Ordinem.

Et per sequentia.

Sic novimus 3. Quòd id ipsum etiam fuerit continuatum per subsequentia sæcula, quibus ad fidem accesserunt Imperatores, Reges, Duces, ac Principes, & usque ad moderna tempora in summis Pontificibus, serie à S. *Petro* nunquam *moraliter* interruptâ, usque ad modernum sanctissimum Patrem *Benedictum XIV.* propagatum.

Ex peculiari Christi institutione respectu Ecclesiæ, tanquam Corporis mystici, per omnem Orbem diffusi.

Assertum probatur III. Ex peculiari *Christi* institutione respectu Ecclesiæ, tanquam corporis mystici, per omnem Orbem diffusi. Juxta institutionem *Christi*, attestante Gentium Apostolo, Ecclesia debet esse *unum corpus, unus spiritus, atque in ea una spes vocationis* &c. *unus Dominus, una fides, unum baptisma* (d). Et sic mox ab initio multitudinis *credentium erat cor unum, & anima una* (e): unde precatus quoque Apostolus (f) *Obsecro vos Fratres per nomen Domini JEsu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententiâ.* Jam sic: Est impossibile prorsus, ut, juxta *Christi* institutionem, servetur unitas hujus corporis mystici, si potestas sacra sit penes Reges ac Principes: ergo, ex institutione *Christi*, nullô modô est penes illos. A. P. Sæcularis Regum ac Principum potestas, sicuti multiplex est, ac juxta diversitatem Regionum diversa, ita regnante & præcellente spiritu privato, multiplicem Ecclesiam, fidem ac Religionem format, ac firmat, uti evidens experientia demonstrat in illis Provinciis, ubi sic dicta viget *Religionis protestanticæ libertas* (g): ergo unum Caput ecclesiasticum sit, oportet, quod Ecclesiam *principaliter* regat, ac fidei unitatem, in toto *Christiano* Orbe, conservet.

Item tanquam columnæ veritatis insuperabilis.

Confirmatur. Ex institutione *Christi* Ecclesia est columna, & firmamentum Veritatis, juxta illud: *& portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* (h): ergo in illa judex sit oportet, æquè *unus ac universalis, & infallibilis.* C. Ex eo colligitur, quòd non solùm in materia fidei sint *quædam difficilia intellectu, quæ indocti ac instabiles depravant* (i); sed etiam in materia morum non raró sit via, *quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducant ad mortem* (k). *Subsumitur*: atqui Princeps politicus id muneris obire nequit; non enim, ùt dictum, est *unus, universalis, aut infallibilis, sed multiplex, partialis, fallibilis, & pervertibilis*, utpote indubitatâ sancti Spiritûs assistentiâ nuspiam & nullibi munitus: ergo &c.

Ex peculiari institutione ejusdem quà ad hierarchicum Ordinem.

Assertum probatur V. Ex peculiari institutione Divina Hierarchici ordinis in Ecclesia. Sic teste Apostolo Gentium, (l) *Deus in Ecclesia sua posuit primùm Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores, & Doctores.* Ex quibus verbis sic *arguitur* 1. ex C. *Bellarmino* (m). Si primi sunt Apostoli, qui Episcopi fuerunt, & quibus Episcopi succedunt, certè primi non sunt Reges & Principes. *Arguitur* 2. à S. *Damasceno* (n): Immò Reges ac Prin-

ci-

(a) c. 1. v. 15. & seq. c. 6. v. 2. & seq. c. 11. v. 2. & seq. c. 15. v. 2. & seq. c. 21. v. 17. & seq.
(b) c. 12. v. 21. & seq.
(c) *Philippus* nempe Imp. qui tamen brevissimo tempore supervixit, & fortè alius aliquis in Provinciis extra Rom. Imperium, ùt notat C. *Bellarminus* de *Rom.* Pont. l. 1. c. 7. f. m. 311.
(d) Ad *Ephes.* 4. v. 4.
(e) *Actor.* 4. v. 32.
(f) 1. ad *Cor.* 1. v. 10.
(g) Id quod etiam fusiùs demonstrat *Joan. Barclajus* in Paræn. ad sectarios hujus temporis l. 1. c. 1. 2. 3. 4. & 9.
(h) *Math.* 16. v. 18.
(i) 2. *Petri* 3. v. 16.
(k) *Proverb.* 14. v. 12.
(l) 1. ad *Corinth.* 12. v. 28.
(m) l. 1. de *Rom.* Pont. c. 7. f. m. 30[illegible]
(n) 2. Orat. pro Imaginibus

cipes ab Apostolis non modò non positi sunt primô locô, sed nec ullo alio, ut indicaretur, Reges non esse Magistratus Ecclesiæ, sed tantùm sæculi. *Arguitur* 3. à *Theodoro Studita*, qui sic Imperatorem alloquitur (a): *ne moveat Ecclesiasticum Ordinem; tibi enim civilis status concreditus est, & exercitus. Quare eorum curam gerito, & Ecclesiam Pastoribus, ac Magistris, ut Divina præcipiunt elogia, relinquito*: ergo Ecclesiæ cura, ac regimen, Prælatis Ecclesiasticis, non potestati politicæ à Deo commissa est. Jam sic: inter Prælatos Ecclesiasticos *jure Divino* principalis, ac summus est Petri Successor, Pontifex *Romanus*: ergo huic *principaliter* Ecclesiæ directio à Deo commissa est.

In quo primus & Caput constitutus est Petrus, Petrique Successores.

C. Patet. A. P. Nam *Petrus* inter Apostolos primus nominatus est: *duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus* &c. (b) Primus utique non *à vocatione*, siquidem hôc modô primus erat *Andreas*; sed *dignitate ac potestate*. Unde & *Princeps à Christo* est constitutus (c): *Pasce oves meas, pasce agnos meos* &c. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos.* (d) *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* (e).

Item ex necessitate subordinationis Hierarchicæ.

Confirmatur ex necessitate ordinis, ac subordinationis Hierarchicæ. Si non foret visibile Ecclesiæ Caput in terris, ad omnem controversiam opus esset *Christo* de Cœlo loquente, ne pervicaces ansam arriperent, divertendi ad proprios sensus: ergo est necessitas ordinis ac subordinationis hierarchicæ.

A. P. Si non foret opus *Christo* loquente, tunc ideò, quia Spiritus sanctus adesset Ecclesiæ: atqui hoc sufficere nequit, nisi sit aliquis, qui viva voce nos doceat, quæ sit illa Ecclesia, cui adest Spiritus S. tot inter sectas, quæ singulæ sibi solis adesse divinissimum illud Pneuma gloriantur. Unde rectè S. *Hieronymus* (f): *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut, Capite constituto, schismatis tollatur occasio*: quem in sensum eruditè scripsit *Joannes Barclajus*: (g) *Longum esset enumerare incommoda, Christianam rem pressura, nisi à Pontifice, tanquam spiritu, tantum corpus regeretur. Continuo miraculo opus sit, ut charitatis & fidei nexu jungamur, ni in Præsulem omnes respiciant, qui unus unius gregis Pastor, totum gregem contineat.* Plura non addimus, eò quòd ista Primatum summi Antistitis attingant, quem hìc supponimus potiùs, quàm probamus.

Ex Conciliis generalibus.

Assertum probatur VI. *Ex Conciliis generalibus*, quæ & ipsi protestantici Authores, etsi frustra, suis applicare ideis satagunt. *Nicænum* I. sic habet (h). *Ipse* (Pontifex *Romanus*) *est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Domini nostri JEsu Christi super cunctos populos, & universam Ecclesiam Christianam*: ergo potestas Ecclesiastica est penes Pontifices, non penes Cæsares, Reges &c. Eundem Primatum soli summo Pontifici, non ulli Principum, adjudicat *Constantinopolitanum* I. (i) *Ephesinum* I. (k) In Concilio *Romano* III. (l) interdicitur *Laicis, quamvis Religiosis, & Potentibus in quacunque civitate, quolibet modo, aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur.* Denique in Actis septimæ Synodi *Gregorius* III. *ad Leonem Isauricum* ita locutus, memoratur: (m) *Scis Imperator, sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, quæ tutò debent prædicari: idcirco Ecclesiis sunt præfecti Pontifices, à Republicæ negotiis abstinentes, ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant.*

Ex suffragiis SS Patrum: Irenæi

Assertum Probatur VII. *Ex mente SS. Patrum*, cùm eandem & ipsi Protestantes sibi vendicare contendant. S. *Irenæus*, *Lugdunensis* Episcopus, qui secundô post *Christum* sæculo vixit, *Romanam Ecclesiam* vocavit *maximam & antiquissimam, omnibus cognitam, & à gloriosissimis Apostolis Petro & Paulo fundatam. Et ad hanc, propter potentiorem principalitatem, necesse est*, ait, *omnem convenire Ecclesiam*, hoc est, *omnes, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique*,

(a) Apud P. *Lyskenium* in vero veri Evang. minist. §. 17.
(b) *Math.* 10. v. 2.
(c) *Joan.* 21. v. 16. & 17.
(d) *Luca.* 22. v. 32.
(e) *Math.* 19. v. 18.
(f) L. 1. adversùs *Jovinianum*.
(g) In cit. Paræn. ad Sectar. L. 1. c. 9.
(h) Can. 39. apud *Suarez* in Defens. l. 3. c. 16. n. 4. f. m. 389. Nam plures canones, quàm 20. fuisse editos, colligitur ex S. *Ambrosio*, & *Hieronymo*, uti in notitia de Conciliis diximus.
(i) Can. 3. aliàs 5. apud eund. l. c.
(k) In Epist. ad *Cælestinum* Papam ibid.
(l) L. c. l. 3. c. 7. n. 7. fol. m. 284.
(m) Apud *Wesselung.* de Jure Superioratûs Summi Pont. c. 5.

que, conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio. Si ergo *Romana* Ecclesia est *potentior*, & *principalior*, atque ad eam omnes in Mundo Fideles recurrere debent, utique Reges & Principes eximi nequeunt (a).

Gregorii Nazianzeni. 2. S. *Gregorius Nazianzenus* (b) Principes sic interpellat: *an me liberè loquentem æquò animò feretis? Nam vos quoque Lex Christi imperio meo, ac throno subjicit: Imperium enim nos quoque gerimus: addo etiam præstantius & perfectius, nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere.*

Chrysostomi. 3. S. *Chrysostomus* (c) Imperia Principum cum potestate sacra sic comparat, ut duo Principatuum genera statuat, quorum unum commendat Apostolus, cùm *sublimioribus potestatibus* omnes animas subdi præcipit; alterum verò, cùm Præpositis obediendum esse suadet: *Iste autem Principatus* (inquit Doctor aurifluus) *civili tantò melior est, quantò terrà Cœlum; immò & multo magis: & non multa illi cura est de sæculari vita, omnia autem de cœlestibus rebus pronuntiat.* Hic ipse alibi (d): *Si vis*, inquit, *Sacerdotis ac Regis discrimen agnoscere, modum concessæ utrique potestatis perpende, & multò sublimius ipso Rege sedentem aspicies: nam Sacerdotis thronus in Cœlis collocatus est, & negotiorum cœlestium administratio ipsi concessa. Quis hoc dicit? Ipse Cœlorum Rex: Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis*, &c.

Cyrilli Hierosolymitani. 4. S. *Cyrillus Hierosolymitanus*, dum alludit ad locum *Isaiæ* 65. v. 25. *Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas*, &c. Ait (e): *Nónne habet Ecclesia vitulum & leonem simul pascentes, sicut ad hodiernum usque diem cernimus, mundanos Principes regi, & instrui ab Ecclesiasticis.*

Augustini. 5. S. *Augustinus*, *Donatistas* reprehendens, quòd in causa Ecclesiastica ab Episcoporum judicio ad Imperatorem appellare præsumpserint, postmodùm subjungit (f): *Neque est ausus Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicârit.* Et infra: *Qua in re, quemadmodùm illos detestetur, audistis.*

Ambr sii. 6. S. *Ambrosius*, (g) *videte*, inquit, *quantò pejores Ariani sunt, quàm Judæi: isti quærebant, utrùm solvendum Christus putaret Cæsari jus tributi, illi Imperatori volunt dare jus Ecclesiæ.* Et infrà: *Imperator bonus intra, non supra Ecclesiam est: bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat: hæc ut humiliter dicimus, ita constanter exponimus.* Idem Ecclesiæ Doctor ita Cæsarem allocutus fertur (h): *Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopis judicâsse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris simus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à Laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat; Episcopus discat à Laico? At certè, si vel Scripturarum seriem Divinarum, vel vetera tempora retractamus, quis est, qui abnuat, in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino, augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit Sacerdotibus judicium.*

Athanasii. 7. S. *Athanasius* refert verba *Osii*, Episcopi *Cordubensis*, ad *Constantium* in hunc modum (i): *Desine, quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem judicii; serva te in illum diem purum, nec te immisceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit, & quemadmodum, qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ; ita & tu cave, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens; magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis, in terris imperium tenere; neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes Imperator.* Postmodùm idem *Athanasius* subjungit verba propria: *si istud est judicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? sin contra ista minæ Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus, titulo Episcopis?* (id est à *Constantio* sua authoritate creatis) *quando à condito ævo auditum est, quando*

(a) L. 3. c. 3.
(b) In orat. 17.
(c) Homil. 15. in Epist 2. ad *Corinth.*
(d) In Homil. 5. de verbis *Isaiæ.*
(e) L. 3. de Sacerdot.
(f) Epist. 48. & 160.
(g) Epist. 14. ad Sororem *Marcellinam* aliàs 33.
(h) Apud *Petrum de Marca* de Concord. Sacerdotii & Imperii. L. 2. c. 6. n. 3.
(i) In Epist. ad solitariam vitam agentes.

do judicium Ecclesiæ authoritatem ab Imperatore accepit?

Damasceni &c.

8. S. *Damascenus* (a): *Neque enim piorum Regum est, Ecclesiastica statuta convellere.* Et infrà: *Hæ de rebus statuere atque decernere, non ad Reges pertinet.* Et alibi: *Regum partes non sunt, ut Ecclesiæ leges præscribant*, &c. Plura ejusmodi testimonia SS. Patrum apud *Suarezium* nostrum (b) legere poterit, qui volet.

Multò minus Jus sacrorum competit potestati Laicæ jure Ecclesiastico. Ut patet ex testimoniis Canonicis Pontificum; oppositum declarantibus.

Quæritur XV. *Quænam doctrina Orthodoxa circa distinctionem potestatis Ecclesiasticæ à civili, spectato jure humano Ecclesiastico?*

R. *Potestas circa sacra neque competit summis Imperantibus jure Ecclesiastico, seu ex concessione Pontificum*, sicut allegatis exinde quibusdam titulis evincere contendunt nonnulli protestantici Authores, uti §. præcedente vidimus.

P. *Assertum.* Quales canones Decretum *Gratiani* de *Gelasio*, *Joanne*, & *Nicolao* Pontificibus referat; suprà attigimus, ut & statuta, in Decretalibus lata ab *Innocentio* III. Similia decernit Bonifacius VIII. (c). Dum ait, in Ecclesia esse *gladium spiritualem*, manu Sacerdotis exercendum; & *gladium temporalem*, manu Laicorum pro Ecclesia exercendum. Sic *Gratianus* refert ex *Adriano* Papa; (d) *ut laici Principes, vel Potentes non intersint Ecclesiasticis electionibus, quia in Ecclesiasticis rebus nullam habent potestatem. De Innocentio* III. refert (e): *Laicis super Ecclesiis & Personis Ecclesiasticis nulla est attributa facultas; quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi.* Similia habet *Anastasius* II. ad *Anastasium* Imperatorem: *Hæc me frequentiùs monentem non spernat pietas tua, ante oculos tuos habens Domini in Evangelio verba: qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Denique *Symmachus* Papa ad eundem Imperatorem: *Si Christianus Princeps es, qualiscunque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire.* Et infrà: *conferamus honorem Imperatorum cum honore Pontificis*, &c. Ubi apertè ait, potestatem spiritualem non esse in Imperatore, sed in Pontifice, & posteà subdit: *Omnes Catholici Principes, sive cùm Imperii gubernacula susceperunt, sive cùm Apostolicæ Sedi novos agnoverunt Præsules institutos, ad eam protinus sua scripta miserunt, ut se docerent, ejus esse consortes.* Rectè subjungit *Suarezius* noster: *Quod scripsit Symmachus ante mille centum & ampliùs annos; ad nostra usque tempora servatum videmus.* Ex quibus sic breviter colligitur: Ex una parte concessiones Canonicæ, quas Acatholici adducunt; nihil probant, uti vidimus suprà: ex altera parte hæc juris Canonici testimonia, licèt in causa propria videantur data, neutiquam carent suo robore, & maximâ authoritate: ergò legitimè afferuntur. A. probat *Suarezius* partim ex eo, quòd penes summos Pontifices sit clavis scientiæ ad docendam Ecclesiam; uti in libro 1. Defensionis Catholicæ demonstrat; partim quia hujusmodi testimonia ostendunt certam & immutatam Ecclesiæ traditionem, cùm non solùm moderni Pontifices, sed etiam antiquissimi Sancti, & Martyres Papæ, veritati huic testimonium dederint. Et ex his clarescit, quam fidem promereatur illa *Henningi* protestantica logomachia, qua ait: quòd penè omnium Theologorum scripta *ineptissimis rationibus*, & *quandoque textibus*, ex Divino Codice *aut miserè arreptis*, aut *injuriosè explicatis*, referta, ad hanc metam colliment, ut jus circa sacra Pontifici tribuant, Principibus eripiant, eos non nisi Ministros Pontificiæ voluntatis faciendo; adeòque ad alienam libidinem alligando, &c. *Indignum, me Hercules*, inquit *Luthericus* hic *Achilles*; *summo Imperatore hoc munus, qui dum brachii, à capite Pontifice movendi, vicem obit, mobile alienis nervis lignum & cadaver fine spiritu fit. Quis ferat hanc æquô animô istorum Præsulum ambitionem, qui dum Majestatem suam, atque potentiam non nisi Imperatorum liberalitati acceptam ferre possunt, eosdem nunc infra se tam indignè despiciunt, & velo Religionis ita fascinant, ut sentientes etiam facilè decipiantur.* Ejusmodi alogiis scatet penè totus, ex nongentis & ampliùs foliis, constipatus liber, vel potiùs protestanticum errorum, mendaciorum, ac calumniarum mangonium.

§. IV.

(a) Orat. 1. de Imaginib.

(b) In Defens. Fidei Cath. l. 3. c. 8.

(c) In Extrav. un. de major. & obed. quæ tacitè confirmat *Clemens* V. in Extrav. de Privil. licèt declaret per Extrav. *Bonifacii* Regnum *Galliæ* non magis subjectum Apostolicæ Sedi, quàm antè fuerit.

(d) Dist. 63. cap. 1.

(e) Cap. *Ecclesiæ* de Constit. Similia habet cap. *tuo*, 1. de Decimis.

§. 4.

§. IV.

De scopo Puffendorfiano respectu sacræ potestatis, ex principiis Luthericis profanatæ. Scopus est Protestantismus, per rationes & emolumenta status Civilis, accomodatâ Religione suffulciendus.

De scopo protestantico profanatæ Ecclesiasticæ potestatis, quem præprimis Puffendorfius in suo, sic dicto, aureo libello de habitu religionis, &c. intendit, & etiamnum hodie intendunt ejus pedissequi sacrorum profanatores.

Quæritur XVI. *Quis Puffendorfii, & Protestantium scopus in profananda, per tot molimina, Hierarchici ordinis potestate?*

℟. *Scopus* est, infelix *Protestantismus*, exarmatâ dudum polemicâ pharetrâ, *per nova Jurisprudentiæ naturalis & politicæ dogmata, penes acatholicos Principes firmandus, & speciose hoc amplificandi status illicio, in aulas Catholicas propagandus.* Nam sicut abortus iste initio crevit, Laicis, *per profanationem sacrorum*, in sancta Sanctorum intrusis, & per Ecclesiastica spolia incrassatis, dum interim palpum obtruderet prætextus Evangelicæ reformationis: ita eundem non modò conservandum, sed etiam promovendum, *eodem profanationis sacrilegæ adminiculo*, confidunt protestantici scriptores, *speciosum facientes fucum* in gloriose vindicatis summorum Imperantium juribus, promotisque Statûs publici commodis, ac Reipublicæ emolumentis.

Patet 1. Ex fine, quem sibi Puffendorfius præfixit in opere de jure Naturæ & Gentium, protestantice, hoc est, ad subruendam Hierarchiam Ecclesiasticam accommodato.

Assertum declaratur I. Ex *Puffendorfiano* jure Naturæ & Gentium, cui, per tot studia elaborato, *hunc præcipuum* præfixit *scopum*, sicut ex propria hujus Authoris exhomologesi in prolegomenis demonstravimus, ut, *mediante jure naturæ*, è Republica exterminaret *dogmata illa, quæ sive sub religionis specie, sive alio modo obtruduntur, & jus naturale, principiáque sanæ Politiæ convellunt, nec tantùm per accidens, seu ex hominum intemperie, sed sua naturâ turbas excitare, & exitiabiles morbos in civitate producere apta sunt: quæ inter dogmata numerat potestatem extraneam cujusdam Sacerdotis, cui & summi Imperantes subjecti sint; dependentiam Cleri ab aliquo Sacerdote extraneo; immunitatem Ecclesiastici Ordinis; Ordines Religiosos*, &c.

Patet 2. Ex fine, quem sibi posuit in libello de habitu religionis, &c.

Assertum declaratur II. Ex *Puffendorfii* aureo libello *de habitu Christianæ Religionis ad vitam civilem*, ubi, velut assecutus *hunc scopum*, gloriatur se demonstrâsse, quòd sanæ politiæ principiis *ad amussim* concordet religio *Lutherica*, seu illa *primæva, ab erroribus atque assumentis humanis repurgata*, nisi Superi abnuant; (a) contrà *positivè* repugnet religio Catholica, per sua dogmata, *sub specie religionis, vel alio modo, obtrusa, & suâ naturâ turbas excitare, atque exitiabiles morbos in civitate producere apta*, nisi Dii Deæque *Islebicæ* obsistant.

Ubi religioni protestanticæ palmam adjudicat respectu habitudinis ad politicum regimen.

Sed audiamus *Luthericum* hunc Statistam, in *aurei* sui libelli epilogo religioni protestanticæ *palmam politicam* præ Catholica adjudicantem (b): *Religio Catholica*, inquit, *Principum jura imminuit*, adeóque *suspecta* Principibus sit, oportet. Nam 1. Clerus in statum validissimum, & summo artificio consertum, coaluit, eúmque *in uno Capite*, summo Pontifice, Monarchicum, qui sibi arrogat *jus sacrorum universale*, queîs summa in commovendis hominum animis vis est. Jam autem, inquit, si quidquam aliud, maximum summis Imperantibus est præjudicium, si quis, in ditione ipsorum habitans, imperio sese eorum subtrahat, & ab externo Principe dependeat, imperiique civilis potestatem in se vel plane non agnoscat, vel non ultrà, quam placitum est, agnoscere velit. Cùm enim conditio statuum inter se sit satis lubrica & infida, tantóque suspectior, quò propiùs hi status se mutuo contingunt, plúsque communicationis invicem habent, manifestum est, si qui in medio aliquo statu habitantes extranei cujusdam statûs pars sint, id paulò minùs esse, quàm si hostilia præsidia in nostras arces inducantur, aut castra hostium in media nostra ditione ponantur.

Quasi non sit Catholica opes civitati subtrahat.

2. Addit, hoc præjudicium eò gravius esse, si ex ipsis Principum, civiúmque bonis, sumptus depromantur, quibus status iste extraneus sit sustentandus, istique opes, ex ipsa civitate, sine fine ac modo, cumulare integrum sit, quorum tamen nomine, ad sumptus Reipublicæ tolerandos, immunem se prætendat: immò si idem leges ferat, jubeátque, & vetet, etiam quæ jussis summorum Imperantium repugnant, & si alio pœnæ genere, non minùs efficaci, jussa ipsius sanciantur.

Nec, ut illa, potestatem suam in ipsos Principes extendat.

3. Hoc præjudicium gravius esse, ait, si idem, directâ aut obliquâ viâ, in ipsos summos Imperantes imperii sibi, aut coercitionis, quid arroget.

4. Addit, hac Cleri ab extraneo dependentiâ ingens præjudicium civibûs inferri,

(a) Contra *Valentinum Alberti* in commentario super invenusto *Veneris Lipsianæ* pullo f. m. 366. & seq.
(b) §. 12. f. m. 247.

inferri, quorum fortunæ in lubrico ponuntur, si status istos inter se collidi contigerit, qui duobus Dominis servire coguntur, aut inter duorum Dominorum repugnantia imperia miserè distrahuntur, quibus suæ civitatis onera eò graviùs incumbunt, quò majores opes immunium Sacerdotum aviditas absorpserit. Quibus denique duo tribunalia sunt metuenda, Sacerdotum tribunal, non minùs terribile, quàm Regum, id quod satis; Inquisitionis exemplo, constat.

Unde concludit, Protestantismum à Principibus fovendum.

Tandem subsumit: Talium (præjudiciorum) cùm in Protestantium religione nihil deprehendatur, apud Pontificios autem ista manifestissima sint, *non injustè* solùm, sed & *imprudenter* faciunt Principes; qui Sacerdotum illecebris ad opprimendos cives, Sacris Protestantium addictos, seduci se patiuntur. Nam quod hisce objicitur, *alicubi bella civilia, & tumultus excitatos; aut cum extraneis Principibus rationes fuisse implicitas, tanti non est.* Talia enim, *citra culpam religionis*, ex ipsa rerum conversione orta sunt, quæ raró sine gravi motu peragitur. Aut istorum origo *ab atrocitate adversæ partis* provenit, quorum gladios ut à jugulis suis miseri amoverent, ab hisce vis opponenda, aut quà propriæ vires non pertingebant, undecunque auxilium circumspiciendum fuit. Ita insignis hic Declamator pseudo-politicus.

Ex parallelò ejusdem libelli.

Assertum declaratur III. Ex eodem ejusdem *aureo* libello, quò ad observandum hoc axioma politicum hortatur Principes; *ne fidem hominibus obnoxiis adhibeant*; inter alia continuans parallelum, *Religionem Catholicam inter & Protestanticam* (a): Nam postquàm blaterâsset, Principi cavendum, ne judicium suum resolvat in *authoritatem Sacerdotum*; de quibus innumeris exemplis constet, quantoperè abusi sint probo aliàs, & miti ingenio Principum; eos ad sævitiam in innocentes (animulas Protestanticas) exercendam incitando; postquàm Principes monuisset, ut ne; autonomicam civium libertatem in rebus Religionis prohibendo, agerent tyrannidis alienæ (Sacerdotum puta) carnifices, *ingenti periculo Reipublicæ, maiori nominis sui labe*; &c. tandem protestanticè sic cantillat: *Optandum foret, ut Principes*; (sepositis hominum obnoxiorum consiliis, Theologicisque tricis, quatum rarissimâ illis notitia) *sensum communem* (Protestanticum) & *naturalem rationem* (ex *Puffendorfii* scitis) *in concilium adhiberent, & paulisper animum à præjudicio liberare vellent. Nam saltem in controversiis, quæ inter Protestantes atque Pontificios agitantur, ubi quis non ultrò animum obfirmare velit, talia indicia ultrò se offerunt, in utram partem favor Principum inclinare debeat, & utram suus procedendi modus reddat suspectam.*

Catholicam Principibus suspectam cupit, ob lectionem sacræ Scripturæ, promiscuè non permissam.

Tum *in parallelum* descendit, dicens: quòd Religio protestantica *sinceritatis notam* veluti ferat in fronte: nam, inquit, Scripturam sacram omnibus evolvendam commendat, *tanquam fidei obrussam*; hanc Judicem statuit, *omnis odii, favoris, & corruptelæ expertem.* * Addit, quòd Protestantes Pontificiorum scripta evolvi minimè vetent, sed etiam velint, utpote *quorum offucia manifestæ sint.* Contrà valde suspectam reddi affirmat Religionem *Romanam*; eò quòd *maxima Synagogæ suæ pars anxiè arceat suos à sacris paginis*, sic ut minore periculo, ubi inquisitio obtinet, *blasphemia, perjurium*, & *fœdissima flagitia* patrari, quàm Divina oracula evolvi possint. ** Causam assignat, ut sic nempe, elevata Scripturæ authoritate *traditiones suas*, & authoritatem Ecclesiæ liberiùs crepent ***. Qua ipsa de causa, per expurgatorios indices, protestantium libros suis præcipuè Principibus subducant, ut ne protestanticæ doctrinæ fulgor oculos urat. *Unde*, inquit, *extra studia partium positus aliter judicare non potest, quàm Protestanticos causæ suæ confidere; Pontificios trepidare, ne doctrinæ suæ debilitas pelluceat; ubi vel cum fontibus veritatis, vel cum Adversariorum disputationibus, conferatur.*

Ob Cleri ingentia commoda, religionis titulo malè defensa.

2. *Ait*, non leve momentum esse, quòd utriusque partis sit dispar conditio; causam Pontificiam tam pervicacibus studiis sustentat non tam *amor veritatis*, quam clamant; quàm *timor commoditatis*, ne perdant. Cleri Pontificii quantus splendor! quæ potentia! quæ opes! hinc illæ curæ, ratio-

(a) §. 51. f. 238. 240. & seq.

* O Nugatorem! Quasi verò non foret *obrussa*, ab omnibus hæreticis æquè prætensa; quia *per interpretationem* trahenda in cujusvis partem, prout *odium, favor*, vel *corruptela hæretica* cerebrum fascinat, atque obnubilat.

** Quid nugacissimo hoc blaterone, possit esse protervius?

*** *Cum tamen illæ non jus, sed factum solummodò probent; Ecclesiæ verò vocabulum illi ipsi cœtui (Catholico) falsò, velut proprium, tribuatur, cujus dogmata in controversiam veniant, adeòque propria in causa nimis quàm impudenter, officium Judicis subire prætendat.* Ita ille.

rationésque ita compositæ, ut ne ipsorum fortunæ à Principe vel minimùm dependeant. Contrà Cleri protestantici potentiâ tenuis; opes exiguæ, authoritas sub potestate Principis constituta; &c. Utros igitur verosimiliùs est pro commodo aliquo terreno pugnare? Num illos; qui, etsi victores, ultra privatam fortunam nunquam assurgunt? An illos, quibus status opésque defenduntur; quas nullum *Europæ* Regnum æquaverit?

Ob Cleri sævitiam in Protestantes.

3. *Affirmat*, Religionem Pontificiam meritò debere esse *suspectam* Principibus, quòd à verè *Christiana*, *non nisi charitatem & mansuetudinem spirante*, nimiùm alienam demonstret *illa Cleri sævitia* in eos, qui ab ipsis dissentiunt, id est, qui opes, statúmque ejus Monarchicum, impugnatum eunt. Saltem, inquit, à *Christo* non esse illum spiritum crudelitatis; satis apparet; (a) nec ullibi in sacris litteris vera Ecclesia *ebria* dicitur sanguine hæreticorum; sed sola meretrix *Babylonica*, (b) *sanguine sanctorum temulenta*, prænuntiatur.

Unde fluunt Protestantismi commendatitiæ ad Principes.

Unde *libello aureo* hunc denique colophonem imponit (c): *ast cui ignotum est, à meretricibus amasios* (Principes nempe Catholicos) *etiam ad fœdissima quæque, & indignissima patranda pellici? Eò magis necessarium est; ut Fideles, magno studio, animum adversùs bestiæ illius* (Apostolicæ Sedis) *illecebras juxtà ac terrores obfirment; & cum patientia exspectent, quousque Deus eidem, quem per Prophetas suos finem prædixit; repræsentet. Quid autem consilii capiendum sit Principibus; & populis liberis, qui sectam Romanam exuerunt; postquàm tam atrocia odiorum, & immanitatis exempla ab eadem subinde edi conspiciunt, ipsi etiam, me non monente; si mens non læva est, intelligunt.* Ita *pseudologus* hic; plùs quàm *Luthericè* absurdus; atque calumniosus.

Catholicorum sensus de hisce Protestantium ampullis.

Quæritur XVII. *Quis Catholicis de hoc Protestantium scopo, seu Protestantismi commendatitiis, ex ejus majori habitudine ad civile regimen petitis, sensus?*

Stigma protestantismi, ex habitudine ad civile regimen dimensi;

℞. I. Est aperta Protestantismi infamia; quòd *per habitudinem ad civilis regiminis scita, ac commoda*, determinentur ejusdem dogmata, isque *hoc respectu* veluti magis fovendus, *Christianis* Principibus à tribu pseudopolitica obtrudatur.

Religionem subordinantis statui politico;

Patet 1: Quia, hac ratione, *religio Reipublicæ; status Ecclesiasticus politico; spirituale regimen temporali; æterna terrenæ felicitati*; verbô, *finis medio, ancilla Dominæ* subordinatur.

Sternentis viam ad Machiavellismum;

Patet 2: Quia sic sternitur via ad *Hobbesianismum*, ac *Machiavellismum*, hoc solo discrimine, quòd hic uterque in suo systemate contemnat Scripturam; Protestantismus privata interpretatione accommodet; atque hoc sensu *Machiavellismi* politioris; adeóque & periculosioris; *Puffendorfius* non immeritò postuletur. Et quia *Machiavellismus* sensim ducit ad *Atheismum*; forsan est; cur hoc stigma ipsimet acatholici Scriptores pseudologastro huic quondam inusserint (d). Sed hæc alibi jam declaravimus (e).

Calumnia est, religionem Catholicam per se; Acatholicam per accidens disponere ad turbas;

℞. II. Est *Puffendorfiana* calumnia; palmari mendacio sociata, qua scripsit, Religionem Catholicam *per se*, & *ex sua natura* disponere ad turbas, & exitiabiles morbos, in civitate excitandos; religionem protestanticam disposuisse quondam *merè per accidens, ex rerum conversione, & atrocitate adversæ partis*. Calumnia de religione Catholica patet ex dictis, & patebit ampliùs ex illicò dicendis. Mendacium de religione protestantica denudavimus alibi per hasce theses, fusissimè probatas (f). 1. Prætensa religionis protestanticæ reformatio fuit etiam, *quò ad statum Imperii civilem*, deplorabilis deformatio, *septimúsque morbus*, Reipublicæ quàm maximè fatalis. 2. *Lutheri* doctrina *in se*, & *per se* fuit admodùm habilis ad excitandos in plebe motus, turbas civiles, atque tumultus. 3. Immò protestantica Religio, tam quò ad suum Authorem, quàm quò ad doctrinam spectata; *sub prætextu Evangelii*, initio fuit causa *per se* plerarúmque turbarum in plebe contrà Magistratus, Principes, ac Superiores legitimos, præsertim illius tumultûs Rusticani Anno. 1524. ex quibus innumeræ cædes; rapinæ, ac clades, cum deformatione infanda, pullularunt in Imperio *Romano-Germanicô*. 4. Eadem religio etiam in posteris fuit *per se* turbarum nutrix; præsertim illius tumultûs in *Austria*, à protestantibus rusticis suscitati: item *Donawer-*

(a) *Luc.* 19. 54. & seq.
(b) Apoc. 17. 6.
(c) §. 54. f. 269.
(d) Apud *Hartewigum* in ejus vita f. m. 667.
(e) In Coll. Hist. P. VI, Q. 1. per totum. Videatur §. 1. 2. & 3. Item: corollaria f. 91.
(f) In Coll. Hist. P. IV, Q. 11. & seq. per totum librum.

naverdani, & aliorum, quorum exempla ſuppeditat *etiam noſtra ætas*. 5. Loquendo *in genere Proteſtantiſmus* fuit cauſa *per ſe*, & *univerſalis*, fatalium diſſenſionum, motuum ac bellorum, Cæſares, Reges, ac Principes diſtrahentium, omnémque *Germaniam*, ultra centenos annos, defœdantium, è quibus innumeræ clades cum deformatione deplorabili pullulârunt in Imperio *Romano-Germanico*. 6. Loquendo *in ſpecie* Proteſtantiſmus fuit cauſa *Schmalcaldici* fœderis, quod *primum* fecit *ſtatum in ſtatu* Imperii *Romano-Germanici*, & poſtmodùm in peſſimos contra Cæſarem auſus, cruentáque bella, cum ingenti deformatione *Germaniæ*, erupit. 7. Idem Proteſtantiſmus fuit quoque cauſa *Bohemici* fœderis, quod *ſecundum* fecit *ſtatum in ſtatu*, & poſtmodùm in iteratos malè conſultos auſus, cruentáque bella erupit. 8. Idem Proteſtantiſmus fuit inſuper cauſa fœderis *Heilbrunenſis Lutherico-Calviniani*; *Lauenburgenſis Dano-Saxonici*; *& Lipſienſis, proteſtantico-Suecici*, quæ novos denuò fecêre *ſtatus in ſtatu*, & poſtmodùm in repetitò perniciòſos contra Cæſarem auſus, cruentáque tricennalis propè turbationis, bellíque clades, cum deformatione *Germania* prorſus infanda, erupêre. Satisne iſta? Probata ſunt: legantur.

Calumnia eſt religionem Catholicam in ordine ad civile regimen proteſtanticâ eſſe minùs accomodam;

℟. III. Eſt *Puffendorfiana* protervia, multiplici falſitate ſuffulta, qua venditatur, religionem Catholicam eſſe *ſtatûs publici* labem, regimini politico minùs accomodam, Regentibus, *quò ad rationes ſtatûs*, periculoſam, atque pernicioſam, adeóque proteſtanticâ minùs fovendam, ac promovendam. Et hoc aſſertum prolixè vindicavimus alibi per haſce theſes (a). 1. Religio Catholica, *in ordine ad vitam civilem*, eſt longè accommodatior proteſtanticâ; immò & Principibus, *etiam ſub reſpectu politico*. longè utilior. 2. Unde acatholica falſitas eſt, religionem Catholicam, proteſtanticâ minùs eſſe habilem Imperantibus ſummis *ob exemptionem Ecclesiaſtici Ordinis*; *ejusdémque fidem, ſummo Antiſtiti obſtrictam*, qua faciat *ſtatum in ſtatu*, * cùm hæc omnia ipſimet Proteſtantiſmo ſolvenda ſint. 3. Similis proteſtantium eſt alogia, qua religionem Catholicam criminantur, velut publicæ utilitati incommodam, *ob exemptionem Eccleſiaſticorum bonorum, copiámque tot Ordinum mendicantium*, præcipuè verò *ob poteſtatem*, ùt ajunt, *Pontificis indefinitam, atque deſpoticam in Imperantes ſummos*, quam veriùs ipſi, è primis religionis ſuæ principiis, ſibi publicè vendicant, ac uſurpant. 4. Si, quod ſcribit *Puffendorfius*, Catholicorum Principum intereſt, fovere *Proteſtantiſmum* in ſuis ſubditis, longè magis intererit fovere *Hobbeſianiſmum*, *Arminianiſmum*, ſeu *Machiavellianiſmum*, qua de re deliberare poterunt *Puffendorfii* ſectatores. Placétne harum theſium fuſior apodixis? Legatur.

Calumnia eſt religionem Catholicam meritò ſe reddere Principibus ſuſpectam;

℟. IV. Eſt *Puffendorfiana* maledicentia, *evidenter nugatoria*, qua ſcribit Religionem Catholicam Principibus meritò reddi ſuſpectam, *ob lectionem ſacræ Scripturæ, promiſcuè non permiſſam*; *ob Cleri potentiam, Religionis prætextu tam pervicaciter defenſam*; *& denique ob ejusdem ſævitiam in adverſæ partis fautores*. Nam 1. Abundè refellitur ex ipſo *Puffendorfio*, qui in ſuo hoc *aureo* libello, ùt paſſim vidimus, S. Scripturæ teſtimoniis tam *inſulsè, impertinenter, perversè, obtortóque veluti collo*, abuſus eſt ad fucandas ſyſtematis ſui profano-ſacri *Luthericas* ideas, ut ſatìs appareat, laicorum, & præcipuè pſeudopoliticorum manus promiſcuas ab Arca fœderis, ejúſque tabulis, arcendas, ut ne, *irreverenti nimiùm oris infruniti vaniloquentia*, verbum Dei pervertant, &, *omnium hæreticorum ſolemni more*, convertant *in litteram occidentem*, magno ſui, majori aliorum exitio, ſalutíſque nunquam ſat deplorabili detrimento.

Ob Cleri potentiam Religionis prætextu defenſam,

2. Membrum alibi denuò confutavimus per ejusmodi poſitiones (b): 1. Magnificentia Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, *etiam quò ad poteſtatem, ac bona temporalia*, ſpecialiter in Imperio *Romano-Germanico*, eſt, *conveniens, utilis*, ac noſtro præcipuè tempore *neceſſaria*, ut adeò *tanquam labes*, Imperio noxia, *ſtatúque politico præjudicioſa*, malè traducatur à quibusdam Authoribus proteſtanticis. 2. Eorundem pſeudopolitici logi ſunt, fore, ut magìs floreret Imperium per meros Principes ſæculares, & Clero paupere meliùs fore conſtitutam Rempublicam. 3. Eandem magnificentiam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, *etiam quò ad poteſtatem, & bona temporalia*, veluti conditioni ſacræ repugnantem, Religioníque adverſam, nequidquam cum *Luthero*, atque *Calvino* criminantur proteſtantici Authores, & ſic de aliis.

Ob ſævitiam Cleri, in diſſentientes ſibi, exerceri ſolitam.

3. Membrum pariter alibi retudimus ejusmodi theſibus (c): 1. Inter

media

(a) In Coll. Hiſt. P. VI. Q. 1. per totum.

* Videantur etiam dicta in Coll. Hiſt. P. VII. Q. 2. ſect. 5. §. 1. f. 153. ubi hæc Adv. replica diluitur.

(b) In Coll. Hiſt. Parte VII. Q. 1. per totum præcipuè à ſect. 4.

(c) In Coll. Hiſt. P. VII. Q. 9. præcipuè ſect. 7.

media conservandæ religionis *respectu eorum*, qui sectantur errores, in Imperio *non toleratos*, ipsisque Protestantibus inter hæreticos veniunt, *vi quoque pœnali, ac coactiva*; immò *& armis* edomari posse; communis est Politicorum sententia. 2. Cui Acatholicorum pars potior adeò non refragatur, ut eam, *continua quoque praxi*, confirmet. 3. Unde eorum nonnulli hanc potestatem, *velut tyrannicam, anti-Christianam, S. Scripturæ, Patribus, & SS. Canonibus adversam* in S. Inquisitionis instituto; *non nisi inaniter*, vociferantur.

Censura libelli Puffendorfiani.

Quæritur XVIII. *Quod denique pretium ab Orthodoxis habendum est aureo (si credere fas est) Puffendorfii libello de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem?*

Non aureus, sed plumbeus est

℞. I. *Tantùm abest, ut aurei epitheton qualecunque promereatur, ut potiùs sit variis inscitiis, antilogiis, & ineptiis oppidò plumbeus.*

Declaratur 1. Ex allatis hactenus vidimus, systema religionis profano-sacrum, collegialis Ecclesiæ phantasticam fabricam; autonomico fundo; juribus Collegii nominalibus, & potestatis politicæ commentitiis suffultum, protritâ tota antiquitate, conculcatâ tot Conciliorum, Patrum, Imperatorum, ac Principum authoritate, unius hominis pseudologi phantaso sibi in suis nugis sic applaudente (a): *Quæ à nobis (ad demonstranda nempe fundamenta Regni sacrorum, totámque, quæ superstructa est, molem) deducta sunt, eò usque valere arbitramur; ut nisi ab adversâ parte penitissimè destruantur, quod quàm difficile sit, tentando experientur, universa gloriatio, qua sese tantoperè jactant, in diuturnam usurpationem, ac per multa sæcula continuatam injuriam, resolvenda sit, quam vel serò demum excussisse egregium fuerit.*

Inscitus.

Declaratur 2. Totius libelli conatus eò collimat, ut profanatione juris sacri, *quasi facientis statum in statu*, jura Imperantium vindicet, & felicitatem Reipublicæ collocet in tuto: nam sic præfatur (b): *Hoc nostro conatu simul tot Regnorum, Principum ac Rerumpublicarum existimatio in integro erit, quippe qui illegitimum, molestissimúmque in se suósque cives dominatum abdicando, jus suum ritè vindicatum ivêre, quot hactenus Sedis Romanæ adulatores protervè insultârunt; velut adversùs Divinum institutum rebelles, ac se suósque cives in exitium pertrahentes. In quos jam quoque mercenariorum Scriptorum impudentia id calumniæ genus spargere haud veretur, quasi prætextum duntaxat istis fuerit à quisquiliis, & sordibus dogmata, ritúsque sacros repurgasse; cæterum non amore illibatæ veritatis, sed meris respectibus profanis; ac sæpe eum enormi crimine conjunctis agitatos, obsequium Ecclesiæ abrupisse, ut ambitioni, aut avaritiæ suæ materiam invenirent: quibus latratoribus os obturare sanè par est, &c.* Utique *par est*, demonstrando autonomicam in religione licentiam, jure naturæ civibus liberam, (c) absque tyrannidis nota; neque per emigrationis remedia (in instrumento pacis sancita) Principi reformandam, quia tranquillitati publicæ non adversam, *nisi ad speciem*; bella, turbas, seditiones, perniciosa cum exteris fœdera *tanti non esse*, quia secuta *per accidens*, *jura defensionis* ob adversæ partis atrocitatem &c. (d): Non tamen tolerandam esse *religionem paganam, Machumetanam, Arianam, Anabaptisticam, Antichristicam* (quo vocabulo *Catholicam* sugillat) etsi alibi dicat, jus reformandi errores, nil obstante, *quòd fundamenta fidei seu directè, seu indirectè convellant*, nequaquam esse penes Principem, si modò salva maneant jura statûs (e). Alibi in oppositum luctatur, asserendo jus esse Principi per Theologos suos constituendi *symbola fidei*, ad quæ profitenda & docenda subditi adstringi possint, sic ut nolentes, vel non recipi, vel solidè convinci debeant; pertinaces redargui; imposito silentio compesci; immò & civitate ejici queant (f). Hæc rursus alibi evertit, dicens: cives invitos, & ob religionem erroris haud legitimè convictos, civitate ejicere, emigrationem imperare, *esse ingentem injuriam* (g); Principis nil interesse, quid quisque civium credat, *dummodò civili officio satisfaciat* (h); subditis esse jus secessionis à Principe, à Clero, vel majore parte Populi, si illos in errore sontico versari demonstrare *se posse putent* (i); civium secessione nil juris detrahi

summis

(a) In præfat.
(b) L. c.
(c) §. 49. f. 255.
(d) §. 52. f. 251.
(e) §. 54. f. 262.
(f) §. 49. f. 231.
(g) §. 54. f. 267.
(h) §. 54. f. 269. Item § 50. f. 233.
(i) §. 54. f. 262.

summis Imperantibus; (a) si quid contrà moliatur Princeps, *pro actu injusto & illegitimo*, habendum esse (b); posse cives, pro servanda vita & fortunis, Principem in casu ejusmodi abdicare, & alteri se subdere (c). Quæ & similia plura, quàm sint *inepta, imperita, antilogica*, summis Principibus *præjudiciosa*, Reipublicæ *periculosa*, ac summè *perniciosa*, nemo non videt etiam ex protestanticis, magis politicè oculatis.

Est ferrugineus ℞. II. *Idem libellus non tam aureus est, quàm mendaciis, calumniisque admodum ferrugineus.*

Calumniis; Declaratur 1. *Calumniæ*, ùt constat ex iis, quæ diximus, penè singulas pagellas maculant, stigmate huic præcipuè Authori *protestanticè* proprio. Sic v. g. Ecclesiam Catholicam vocat *Cætum Romanum*; qui *per impudentiam* sibi soli Ecclesiæ vocabulum arroget; hierarchicum Imperium esse *chymeræ simile*, quod rerum humanarum conditio aspernetur (d). Sedem Apostolicam vocat *prostibulum Babylonicum*, quocum Reges Catholici scortentur; item *bestiam Apocalypticam* (e); Clerum vocat *stolidum hominum genus, præjudiciis & affectu excæcatum, homines obnoxios, nulla fide dignos, crudeles, Principes ad tyrannidem excitantes, stolidúmque imperium; immanémque malitiam; sanctimoniæ professione, occultantes* &c. (f). Catholicos criminatur, quòd blasphemias potiùs, aliáque fœdissima scelera permittant, quam lectionem sacræ Scripturæ; quòd S. Paginæ authoritatem continuò elevent, ut *toto hiatu* traditiones crepent, etsi *præter factum* haud quidquam probent (g); quòd errores suos, à Protestantibus impugnatos, *cum pervicacia* defendant, *non nisi intuitu emolumenti temporalis*, quale Clero promanet ex authoritate Papæ, indulgentiis &c. Quòd Catholicorum *crassus sit disputandi modus*, nil præter *authoritatem Ecclesiæ* crepando, *partem* sese ac *judicem* faciendo, testimonio proprio litem dirimendo (h); quòd iidem *perpetuam committant fallaciam*, sibi solis dignationem Ecclesiæ arrogando; insuperhabitis ratiocinils, ex S. Scriptura, per artes Apostolis ignotas, religionem suam stabiliendo, & in veritatis Evangelicæ defensores *tyrannice* grassando, *unde & illegitimo Ecclesiæ catholicæ status peculiaris generis exitium Divinitus destinatum sit* (i). Neque hic sistit *Puffendorfiana* maledicentia: Concilia omnia, & præcipuè *Tridentinum*, sugillat, cùm ait, pro convictis non habendos, in quos ab adversariorum aliquo Conciliabulo sententia pronuntiata sit, qualem non nisi rationes status, & privata emolumenta dictâssent, iisdem actorum, testium; ac Judicum vices subeuntibus (k). Sed neque Augustis Imperatoribus parcit, dum *Ferdinandi* I. zelum traducit, ùt *pessimè temperatum*, quo dixerat, malle sese, album baculum dextrâ tenentem, ditione sua excedere, quàm in ea hæreticos tolerare &c. (l).

Declaratur 2. *Mendacia* quod spectat, totum dixerit, qui totum propè libellum *unum unicum* esse *crassum mendacium* dixerit: v. g. quid crassius, quàm falsum dicere, quòd Deus non nisi per Sacerdotes exercere remissionem peccatorum voluerit, secùs incassum quotidie nos dicturos: *dimitte nobis debita nostra* &c. (m). Quid absurdius, quàm *absurdas dicere quæstiones*, quænam forma Ecclesiæ competat, cùm Ecclesia non sit *status*, sed merum *collegium*? (n) etsi & collegialem suam Ecclesiam habere *aliquid, democratiæ simile*, & ipse alibi fateatur (o). Quid magis *absonum*, quam absonum dicere, per verba Symboli Apostolici: *Credo in unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, intelligere *Romanam*, *eò quòd hunc sensum & verba ipsa, & sana ratio, & sacra litteræ, & experientia respuant*? (p). Quid inanius, quàm dicere, Pontifici non competere potestatem feren- *Mendaciis.*

(a) §. c. f. 264. 265.
(b) §. c. f. 266.
(c) § 54. f. 265.
(d) §. 53 f. 056. 057. Item §. 55. f. 241.
(e) §. 54. f. 269.
(f) §. 51. f. 238.
(g) §. 51. f. 241.
(h) §. 36. f. 168.
(i) L. c.
(k) §. 50. f. 236.
(l) §. c. f. 033.
(m) §. 25. f. 94.
(n) §. 32 f. 139.
(o) § 39. f. 185.
(p) §. 53. f. 059.

rendi censuram interdicti, eò quòd, *illustri exemplo*, id Orbi ipso facto demonstrârit Respublica *Veneta*? (a) Quid impudentius, quàm scribere, Conciliis, etsi legitimis, esse facultatem merè *consultivam*, neutiquam *decisivam* in controversiis fidei, sic ut illa decisione *Christiani* cæteri stare tenerentur; neutiquam illis esse *potestatem legislativam*, sic ut *Christiano* Orbi leges pro imperio imponere possent? (b) Quid magis falsum, quàm scribere, conversis ad fidem in primitiva Ecclesia non fuisse licitum vel exigere vel dare plus, quàm quantum eleemosinæ nomen habebat; plura erogare volentes potuisse prohiberi à potestate civili, & si omnes *Christiani*, aut magna pars, velut exemplo quorumdam *Hierosolymitanorum*, bona sua in commune conferre voluissent, summis Imperatoribus fas fuisset, *inconsultos impetus* coercere, quòd exinde Reipublicæ opes attenuarentur? (c)

Est denique luteus variis hæresibus. Ut patet ex toto systemate,

℞. III. *Idem libellus non tam est aureus, quàm erroribus hæreticis putidissimè luteus.* *Declaratur* 1. Ex dictis apparet, quòd totius libelli summa, nil aliud sit, quàm evanida vappa, ex *Lutheri* pestilentissimo libro *de captivitate Babylonica* distillata; quòd nil aliud sit, quàm *protestantismi*, ex variis priorum temporum erroribus consuti, malè materiata compages; quòd nil aliud sit, quàm systematicum ex aphorismis pseudopoliticis figmentum, inter centones dudum inustos, damnatásque expurgatorii Indicis quisquilias, ab Orthodoxis meritò rejiciendum. Siquidem totius spurii partûs *finis* est *Indifferentismus* systematicus, synonimicè dictus *Protestantismus*. *Fundamentum* 1. *Abusus Scripturæ sacrilegus* juxta spiritum privatum. *Fundamentum* 2. *Sacerdotium baptismale*, abolito Sacramento Ordinis. *Contignatio* 1. *Autonomica conscientiæ licentia*, ab omni imperio libera, abolitis legibus, & jurisdictione omni interna. *Contignatio* 2. *Profanatio sacrorum*, exterminatâ Hierarchiâ Ecclesiastica, omníque jurisdictione sacra in Principes laicos translatâ. *Cementa* horum omnium *religionis pseudopolitica accommodatio* ad statum civilem. *Scopus* denique, *religionis, protestanticè accommodatæ*, *commendatio & propagatio*; Sedis verò Apostolicæ *detestatio*, & Catholicæ fidei, unicè veræ, *exterminatio*.

Ex abusu S. Scripturæ,

Declaratur 2. *Ex Scriptura sacræ abusu impio, ac continuato per totum.* Quid enim insulsius, quàm potestatem clavium interpretari *prædicationem verbi Divini*? petram dicere *Evangelii doctrinam*? Quid magìs temerarium, quàm dicere, statuam à *Nabuchodonosore* non fuisse propositam, nisi ùt *symbolum*, è quo animus ad summum Numen colendum assurgeret? Neque vitulos à *Jeroboamo* propositos, nisi ùt *symbola*, coram quibus *Israelitæ* cultum publicum exercerent, mentémque ad Deum, *Israelis* liberatorem, attollerent, sic ut non defecerint à Deo *simpliciter*, sed *ratione statûs* circa externum symbolum quid disposuerint? & sic de aliis.

Aliisque erroneis assertis,

Declaratur 3. *Ex variis assertis, in fide erroneis.* Sic scribit remissionem peccatorum fieri *per solam fidem*, qua quis amplectitur satisfactionem, à *Christo* præstitam (d). Ait, verba illa: *quæcunque ligaveritis*, &c. ad omnes Fideles dicta esse (e); asseverat, ad traditionem extra Scripturam provocare, esse defectum fundamenti declarare (f); asserit, impositionem manuum, in ordinatione Episcoporum & Presbyterorum, *utilem*; non tamen usque adeò *necessariam* esse, utpote efficaciâ miraculosâ, quæ initio hunc ritum comitata sit, dudum exoletâ. (g). Ait, sanctitatem malè arrogari Ecclesiæ *Romanæ*, præsertim circa illa, ob quæ Protestantes sese dissociârint: addit, *Catholici* onoma non denotare *statum ubique diffusum*, sed *dogma*, sic ut *Catholica* Ecclesia sit, quæ universa dogmata, *sacris litteris tradita*, amplectatur nullo excepto, id quod faciat *Lutherana*; *Apostolicam* dici affirmat, quòd superinstructa sit Apostolicæ doctrinæ, sic ut nil referat, an *immediatè* ab Apostolis, an ab aliis (*Luthero* vel *Calvino*) Ecclesia plantata sit (h); Ecclesiam *Romanam* negat, esse universalem, eò quòd extra illam Fideles utique sint, qui *unitate Dei, Salvato-*

(a) §. 21. f. 79.
(b) §. 38. f. 175.
(c) §. 28. f. 111.
(d) §. 23. f. 85.
(e) §. c. f. 86.
(f) §. 36. f. 163.
(g) §. 39. f. 186.
(h) §. 53. f. 260.

vatoris, *baptismatis*, *Fideique salutis* conjuncti, unitatis vinculum non abruperint, *Deum*, *Christúmve negando*, *baptismum rejiciendo*, habeántque fidem à sacris litteris non discrepantem, *saltem in præcipuis capitibus*, adeóque membra maneant Ecclesiæ *universalis*, etsi dominatum *Romanæ*, ejúsque errores ac abusus, *graves ob causas*, vel nunquam subierint, vel agnitos exuerint (a). Inter graves causas affert *vindicationem libertatis*, eò quòd Pontifici neque *Divinitùs*, neque *per ultroneam submissionem*, *è liquidâ scientia* profectam, *juris* quidpiam quæsitum sit (b). Jus denique reformandi errores, & abusus Ecclesiæ, negat esse penes Pontificem, & Clerum, quia vel deberet se demonstrare *infallibilem*, nec unquam prolapsum; vel deberet probare potestatem ἀνυπεύθυνον, qua errores suos *irreformabiles* aliis posset obtrudere: hoc *impudens* esse dicit, illud *falsissimum*, sæpe jam demonstratum, affirmat (c). Sed quis *Hercules Augiæ* stabulum, tantilli libelli sordibus superatum? Cui meritò hanc approbationem præfigimus:

Ad Lectorem.

Nôsse cupis dicti quæ sit censura libelli?
Islebicis *aurum* est, Catholicisque *lutum*. *

TITULUS IV.

Titulus IV.

De Officiis hominis erga seipsum.

De officiis hominis erga se ipsum.

INSTRUCTIO I.

Instructio I.

De Officiis hominis circa culturam sui.

De cultura sui.

§. I.

§. I.

De cultura animi.

Quò ad animum.

QUæritur I. *Quid sint? Et an in disciplina juris naturæ reverà dentur officia hominis erga se?*

Natura & existentia officiorum erga se. Officia hominis erga se

℟. I. *Per officia* hominis erga se denotantur *actiones hominis*, *ex debito conformandæ legi naturæ*, *præcipienti ordinatum amorem sui.*

℟. II. Videntur *propriè non cadere* sub jus naturæ. *Ratio est.* 1. Quia amor sui in ordine ad se curandum, & conservandum, per modum instinctûs naturalis, cuivis est innatus: ergo obligatio omnis supervacanea. *Ratio est* 2. Quia, uti jus & justitia *propriè talis*, debet esse *ad alterum*, ita & obligatio *efficax in se* ipso terminari nequit, ** sed requirit terminum, *à se distinctum*. Inde *Fleischerus* cum suo *Thomasio*, malè correcto (d): *Officia hominis erga se ad jus naturæ, strictè dictum, planè non spectant, sed tantum locum inveniunt in regulis honesti.*

Non cadere sub jus naturæ, nonnulli affirmant;

℟. III. *Officia hominis erga se propriè cadunt sub jus naturæ, súntque pars formalis Jurisprudentiæ naturalis.* *Sed malè:*

P. positive. Inter *objecta* juris naturæ, *propriè talia*, sunt ea omnia, *quæ conveniunt naturæ rationali, ut præcipiantur, & quæ disconveniunt, ut prohibeantur ab Authore Naturæ*: atqui talia sunt officia hominis erga se: ergo. *Maj.* constat ex dictis. *Nam sic congruunt rationi, ut possint præcipi.*

(a) §. 53. f. 256.
(b) L. c.
(c) §. 53. f. 253.

* Et quia *Kemmerichius*, in *Puffendorfio enucleato*, seu in *elementis* J. N. & G. C. 25. f. 619. *de jure Imperantis circa sacra*, luteam hujus libelli epitomen dedit, septuaginta propositionibus *luteis*, hoc est, *protestanticè erroneis*, complexam, ex his, quæ diximus, facilè quis Catholicas totidem antitheses opponet, totúmque systema phantasticum Collegialis Ecclesiæ protestanticæ, *luto sine paleis linitum*, *dabit in conculcationem.* *Ezech.* 13. 10. *Isaiæ* 51. 20.

** Juxta illud l. 22. pr. ff. de Legatis III. *nemo eam sibi potest legem dicere, ut à priore ei recedere non liceat.*

(d) Instit. J. N. & G. L. 2. c. 2. §. 4. f. m. 250.

ctis. *Min.* ex dicendis: non enim homo est *à se ipso*, nec sibi soli vivit, creatúsque est ad maximas perfectiones, sibi acquirendas.

Et licèt amor sui sit naturalis, non tamen est necessitans, & quò ad modum, ac subordinationem cadit sub legem naturæ.

P. negativè. Allata ratio duplex nulla est: nam 1. Non repugnat, hominem, *per instinctum naturalem*, in aliquid ferri, & tamen lege obligari, uti patet in amore, Parentes inter & filios. * 2. Etsi instinctus ad se conservandum sit naturalis, etiam communis brutis, in homine tamen non est *exlex*, ** neque *necessitans*, ùt in brutis: sic multos cernimus, curam animi præsertim, immò & conservationem corporis, vitæque, vel omninò *negligere*, vel saltem *negligenter* observare, & naturali instinctui adversari. 3. Etsi amor, quò ad sui conservationem, sit homini à natura *simpliciter*, non est tamen inditus *quò ad modum*, uti in brutis: unde, *quò ad excessum vel defectum*, naturæ legibus subjacet, præcipuè tamen *quò ad subordinationem* respectu finis, ad quem homo est conditus, puta, *ad felicitatem, naturæ rationali propriam*, hoc est, in conjunctione cum Deo, pace secum ipso, & proximo conservandam. *Hinc breviter in forma D.* Amor quò ad conservationem sui est *innatus*, non tamen *absolutè determinans*, ùt in brutis, sed *quò ad modum*, & *subordinationem* respectu finis, per leges naturæ dirigendus, ac determinandus. C. Secùs. N. A. & C.

Officia hominis erga se non quidem rigorosè, sed tamen propriè fundant justitiam, quia participant rationem justitiæ formalem, obligationem efficacem, & saltem suo modo sunt ad alterum.

Ad 2. *Officia hominis* erga se participant *rationem formalem justitiæ*, nempe *honestatem*, relucentem in reddendo sibi debito necessario. 2. Fundant *obligationem efficacem*, à Deo creaturæ impositam. 3. Vergunt suo modo *ad alterum*, saltem *fictione juris* distinctum: non enim homo sui habet plenum dominium, sed *veluti usum fructum*, sic ut bonorum animi ac corporis sit quasi *depositarius*; Deus verò *Dominus absolutus*. Immò & in se ipso est quasi *duplex*, animâ Dominam, corpore & appetitu famulam agente, juxta illud: *& en dominaberis illius*. 4. Denique & cura, & conservatio sui non terminatur in ipso homine, sed ordinatur ad finem distinctum, *primariò* quidem ad bonum Dei, ejúsque servitium; *secundariò* etiam ad Universi emolumentum. Hinc est, quòd homo, debita sibi officia negligens, si minùs *in sensu rigoroso* possit dici *injustus*; saltem respectu sui denominetur *inhonestus*, inhonestate fundata in debito neglecto respectu Dei; immò & quandoque respectu sui *injurius*, adeóque *in sensu proprio* etiam *injustus*. Breviter in forma. Jus proprietatis *rigorosum*, & justitia *strictissimè* talis debet esse ad alterum. C. Jus & justitia *minus strictè*, sed tamen *propriè talis*. N. A. & C.

Principium officiorum hominis erga se

Quæritur II. *Quale & quotuplex principium fundamentale, à quo scaturiunt officia hominis erga se juxta Protestanticos Moralistas?*

Juxta Puffendorfium religio, & socialitas

℞. I. Geminum fontem *Puffendorfius* adstruit: *Religionem*, *ac socialitatem*. *Ratio est illi* 1. Quia nondum probatum est, amorem sui *in se*, & abstrahendo *à Dei servitio*, & *socialitatis conjunctione*, esse *in obligatione* (a). *Ratio est* 2. Quia homo non sibi ipsi natus est, sed ad Deum, & societatem humanam (b). *Ideo enim*, inquit, quædam pro libitu suo homo, circà se ipsum, disponere nequit, partim ut *cultor Divini Numinis*; partim ut *commune*, *& utile membrum* societatis humanæ esse queat. Non enim sibi ipsi natus, sed ideò tot eximiis dotibus à Creatore ornatus est, *ut & ipsius gloriam celebret*, *& idoneum societatis humanæ membrum existat*: inde ita sese componere homo tenetur, ut ne dona Creatoris inculta perire patiatur, & ad societatem humanam aliquid pro virili conferat. Subnotat *Puffendorfii* interpres *Weberus*: *hæc ratione etiam officia hominis erga se ipsum ex generali suprà posito principio fluunt*. Inde *Ratio* 3. sufficitur à *Webero*, quòd, nisi quivis ad socialitatem, *tanquam finem*, se habilem redderet, nec ab universis ille finis obtineri posset: nam convenit quàm maximè, inquit, *cum socialitate*, si quodlibet societatis humanæ membrum culturam corpori, & animæ adhibeat; uti contrà non

* *Weberus* in notis ad *Puffendorfium* de homine & cive. c. 5. f. m. 78. addit exemplum de propensione hominis ad matrimonium, quod loquendo *in genere* verum est; quòd si intelligeret *in particulari*; oleret *Lutherum*, malè dogmatisantem ex illo Genesis: *multiplicamini*.

** Ubi *exlegem* vocat *Thomasius* in Jurisprud. Div. L. 2. c. 2. n. 5. dicens: *si instinctus*, quatenus communis bestiis, *non esset exlex*, *obligarentur etiam bestiæ*, qua in re utitur præcisione minùs philosophica, quia supponente plures in eodem homine animas.

(a) In spicilegio Juris nat. §. 14. f. m. 293.
(b) De officio hominis c. 3. §. 13 f. 62. Item c. 5. §. 1. f. 78.

non posset non esse miserrima conditio societatis, si eam omittere omnibus liceret. Ejusdem *Puffendorfii* vestigia terit *Werubertus*: *fructus, & utilitas*, inquit, *officiorum erga se, ad alios homines, referenda est: inde manifesta est horum officiorum necessitas, atque cum vita sociali nexus.*

Juxta Thomasium sola socialitas;

℞. II. *Thomasius unum & simplicem* adstruit fontem, *nempe socialitatem*. Sic habet (a): Posses itaque præceptum generale de hominis officio erga se ipsum sic efferre: *ita te conservare stude, ut vitam cum aliis tranquillam promoveas*. Hinc, quæ media se ipsum conservandi *necessariè* ad socialitatem promovendam *requiruntur*, ea homo adhibere tenetur; quæ verò vitam cum aliis tranquillam *per se perturbant*; iis homo vitam suam conservare non potest; quæ denique nec necessariò promovent, nec necessariò turbant, ea jure naturali, nisi jus Divinum aliud ostendat, *licite* adhiberi, aut omitti poterunt, pro diversis tamen gradibus licentiæ, prout nempe ista media magis ad promotionem, aut turbationem vitæ tranquillæ, etsi per accidens, faciant. *Subdit*: ad applicationem autem harum regularum requiritur *perspicacia naturalis*. Ita e. g. *quò ad* 1. Homo tenetur edere, bibere, contra frigus se munire. *Quò ad* 2. Debet cavere, ne per homicidia, & scortationem velit se conservare. *Ita quò ad* 3. *Si Christianismus* non obstaret, liceret aliquando lautiùs vivere, & inebriari, aut molliter vivere, & delicatè, quamvìs & ex dictamine rectæ rationis hæc licentia sit *gradu minor. Licentiæ, gradu maximæ*, exemplum esto, si quis bonam diætam sequatur, & nutrimenta salubria magìs, quàm delicata quærat, si quis bonis litteris incumbat &c. In eundem sensum *Thomasii* abeunt & alii cum *Beyero*, officia hominis erga se præcisè referentes ad officia hominis erga alios. Ita ille.

Juxta alios principia honesti, decori, & justi.

℞. III. *Laurentius Fleischerus*, ex secundis *Thomasii* reformati curis, * hæc officia hominis erga se omninò è sphæra *juris, regulisque justi* exterminat, ùt vidimus, & pro eorum principio adstruit *regulas honesti*: rationem assignat, *quòd hæc officia tendant; omnium maximè ad vitæ felicitatem, viiusque diuturnitatem*. Primum igitur præceptum est, quod regulæ honesti suppeditant: *ita te conservare stude, ut vitam feliciter, & diuturnè possis transigere*. Quia verò homo ex anima & corpore constat; statim alterum se offert præceptum: *culturæ animæ, atque corporis omni studio operam da* (b). Multo sanior *Kemmerichius*, *Puffendorfii* enucleator, ejus tramitem deserens, fundamentum officiorum hominis erga se adstruit *amorem sui rationabilem*, sic ut *obligatio* ad hunc amorem peti debeat ex *Thomasii* norma, puta, *partim ex regulis honesti*, partim ex *regulis decori*. Ex regulis *honesti*; quoniam per amorem irrationabilem amittit homo felicitatem, quam quærit, cumprimis tranquillitatem animi. Ex regulis *decori*, quoniam per amorem sui irrationabilem sese reddit ineptum ad felicitatem aliorum promovendam, amicitiámque colendam. Suprà addidit etiam *regulas justi*, dum dixit: *ad regulas justi verò referenda illa juris connati species, quæ circa observationem, & defensionem sui occupata est* (c).

* *Quæritur* III. *Quis sensus Catholicorum de Protestantium sensu?*

Sed Puffendorfii assertio partim est minus apposita,

℞. I. *Est minus apposita, & falsa Puffendorfii thesis, qua officia hominis erga se, non nisi ex religione, & socialitate adstruit, sic ut si homo servus Dei, & membrum societatis humanæ non esset, ipsius nulla erga semet officia intelligi possent* (d). Sed nempe *Puffendorfius* cum suis *consequenter* errat, erroneo *socialitatis* principio, ùt fit, in plures absurditatum ciclos sese volvente. Patet primum asserti membrum: quid enim implexum magìs, quàm *ex socialitate indirectè* deducere officia hominis erga Deum, & denique *reflexe*, ex religionis & socialitatis officiis, eruere officia hominis erga se? Hac saltem ex parte non malè scripsit *Fleischerus*, ex secundis *Thomasii* curis (e): *Non sine maximis ambagibus officia hominis erga se cum Puffendorfio, aliisque ex socialitate deduci videntur, cùm horum omissione non tantùm neminem lædamus, sed etiam sine omni respectu, ad socialitatem habito, ad ea observanda simus obligati.* Accedit, quòd insufficientia *Puffendorfiani* principii sese

(a) Jurisp. Div. l. 2. c. 2. à n. 7. f. m. 156.

* In fundamentis J. N. & G. l. 2. c. 2. *Quod hoc caput attinet*, inquit *Thomasius*, §§. 6 sto. *priores plènè immutandi sunt, eò quòd officia hominis erga se ipsum non nisi per longas ambages deducantur ex socialitate. Propiùs & magis sensibiliter deducuntur ex principiis honesti.*

(b) Instit. J. N & G. l. 2. c. 2. §. 4. 5. 6. f. m. 251.

(c) In elementis J. N. & G. c. 5. §. 1. & 2. f. m. 71.

(d) In specim. contr. c. 5. §. 25. f. m. 253.

(e) L. c. §. 3. f. m. 250.

sese tantoperè manifestet *in jure necessario*, seu necessariæ defensionis propriæ, *ut Weberus*, *Puffendorfii* annotator; non *nisi ad jus naturæ extraordinarium* revocare potuerit, hoc epiphonemate, *societati humanæ studendum esse; ubi cætera fuerint paria* (a).

Partim falsa

Alterum asserti membrum colligitur ex inanitate triplicis ratiunculæ, suprà allatæ. Nam 1. Dist. Nondum probatum est, amorem *sui in se*; & abstrahendo à Dei & socialitatis cultu, *esse in obligatione*, quò ad *aliqua* officia hominis ergà se. C. Quò ad *omnia*. N. Certè omittendo culturam animi & honestatem internam; committendo fornicationes mentales &c. nec Dei, nec socialitatis cultui *directè* adversamur, & tamen, naturæ jure, stringit *obligatio* illam adhibendi, hanc omittendi, ùt infra clarescet. *Ad 2.* D. Homo *nullo modo* sibi ipsi, sed tantùm Deo, & societati humanæ est natus. N. *Aliquo modo* sibi, & alio societati, & Deo est natus. C. *Ad 3.* D. Et socialitas est finis *primarius*, & *adæquatus* hominis. N. Est finis *secundarius*, *inadæquatus*, nec singulis hominibus *necessarius*. C. Inde erroneum est *Puffendorfii* duplex suppositum, ex erroneo socialitatis principio deductum. Primum. *Quòd non dispicere valeat, quænam sit illa morum honestas, ubique & extra societatem, hoc est, citra reflexionem ad alios homines observanda:* ubi honestatem actionum desumit *universaliter* ex lege naturali, quam *erroneè* definit esse *dictamen rectæ rationis, super socialitatem reflexum, officia homini incumbentia proponens*, quem errorem suprà rejecimus (b). Secundum est, *quòd ipsa vita solitaria, nî ob commodum humanæ societatis suscepta sit, legi naturali repugnet*: (c) ubi, ex erroneo conceptu juris naturalis, socialitatem, veluti naturæ humanæ finem unicum & adæquatum obtrudit, *errore toties jam profligato.*

Magis absona est Thomasii opinio.

℞. II. *Magìs etiam absona est Thomasii sententia, quæ officia hominis erga se, ex solo socialitatis principio derivanda, affirmat.* Nam denuò non malè *Fleischerus* (d): Neque assentiri possum *Beyero*, officia hominis erga se ad officia hominis erga alios, referenti: *amor enim incipit à se ipso, & unusquisque arctiùs sibi obligatur, quàm aliis.* Hinc quoque *Thomasius* illa subordinanda socialitati esse existimabat, cui hoc tamen regeri potest, *quod & officia erga alios iis, quæ nobis debemus, debeant subordinari.* Addit, *quòd hunc suum errorem correxerit posteà Thomasius, mentémque mutàrit in Fundamentis*, seu secundis curis (e) utì suprà jam vidimus. Unde inania sunt, quæ alibi *Zentgravio oggerit Puffendorfius*: non solùm falsam, sed & Reipublicæ perniciosam esse sententiam, *quòd nemo teneatur alterum magis diligere, quàm se ipsum*: nam hæc thesis, spectato jure naturæ absoluto, & abstrahendo ab obligatione adventitia, veritati quàm maximè conformis est: item falsam esse sententiam, quòd officia, *quæ homo sibi ipsi debet, regula sint officiorum, quæ alteri, quocum vivimus, exhibere decet: cùm contrà amor ille nostri, ne in devia abeat, per officia erga alios temperandus sit.* Nam 1. Abstrahendo à statûs adventitii circumstantiis, regula illa: *quod sibi vis, vel non vis fieri, alteri facies, vel non facies*, in naturæ jure optimè fundata est. Inde *fallit* 1. *Thomasii* regula, cùm quivis teneatur vitam conservare edendo, & bibendo, etiam *extra societatem hominum*, & *absque respectu socialis vitæ.* *Fallit* 2. Cùm scortatio, etiam merè mentalis, naturæ jure, prohibita sit: etsi *per se* non turbet vitam cum aliis tranquillam. *Fallit* 3. Cùm vita mollis, ebrietas &c jure naturæ licitæ esse haud possint, ut videas, in quàm falsa, absurda, & scandolosa avia fautores suos deducat principium socialitatis.

Ejusdem Thomasii reformati & Fleischeri rationi difformis

℞. III. *Fleischeri ex Thomasio reformato desumpta opinio est rationi difformis; Kemmerichii probabilis, suo modo tamen exponenda, atque intelligenda.*

Nam 1. Quid posset esse magìs absonum, quàm officia hominis erga se *nullo jure*, sed *solis regulis honesti* dirigenda asserere? Quid ineptius, quàm vitam felicem & diuturnam, officiis erga se, *pro adæquato fine*, præfigere?

Kemmerichii probabilis suo modo.

2. *Kemmerichius* officia hominis erga se, *quò ad defensionem & conservationem sui*, rectè dirigenda esse affirmat

(a) In notis ad *Puffendorf.* de homine & cive. c. 5. §. 10. & 11. f. m. 92.
(b) Habet ista partim in specim. controv. c. 5. f. m. 253. In præfat. de homine & cive. c. 2. §. 1[illegible] f. m. 47.
(c) In specim. L. c. f. m. 254.
(d) L. suprà cit. §. 3. f. m. 250.
(e) J. N & G. l. 2. c. 2.
(f) Quam explicavit, more suo *Fleischerus* ex fundamentis malè correctis *Thomasii.*

mas *per regulas justi.* Nec admodùm male interna, *quò ad animi tranquillitatem*, dirigenda *per regulas honesti* assereret, si modò intelligeret honestatem, *non qualemcunque*, sed *in natura debito necessario* fundatam. Sic & officia, saltem *imperfecta*, quêis se quis habilem reddit *ad felicitatem aliorum promovendam, amicitiámque colendam*, quodam loquendi modo, haud malè *ad regulas decori* reduceret, si modò & hoc decorum *in aliquo natura debito* fundaret, juxta ea, quæ suprà jam declaravimus.

Verum principium

Quæritur IV. *Quodnam verum, & fundamentale principium officiorum hominis erga se? Et quotuplex eorum classis?*

Est amor, ad felicitatem sibi propriam necessarius.

R. I. *Amor, sibi naturaliter debitus, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessarius.* Et quia hæc felicitas consistit in pace secum ipso, cum Deo, & proximo, ex hoc fine, *tanquam norma*, amor sui dirigendus, & ex amore hoc, *tanquam principio*, officia hominis erga se sic mensuranda sunt, ut corpus ratione regatur, salva subordinatione Deo, & societati adventitiæ debita.

P. Hoc fundamentale principium 1. *Positive.* Quia est *adæquatum*, & *proprium*, sic ut ex illo & *solo*, & *omnia* hominis officia, sibi debita, fluant, uti patebit ex applicatione per decursum.

P. 2. *Negativè.* Quia suprà allati fontes *à Puffendorfio*, *Thomasio*, & aliis, non satisfaciunt; neque convenientius principium aliud afferri potest.

Ex quo fluunt officia, præcepta prohibita. & permissa;

R. II. Ex dato principio deducitur regula *triplex.* 1. Illa officia hominis erga se, naturæ jure, seu graviter, seu leviter *præcepta* sunt, quæ strictè, vel minùs strictè *exiguntur ab amore, sibi naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ suæ propriam, necessario.*

2. Illa econtrà *graviter*, vel *leviter probibita* jure naturæ sunt, *quæ graviter, vel leviter repugnant amori, sibi naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ suæ propriam, necessario.*

3. Illa denique, naturæ jure *licita, concessa* vel *permissa* sunt, *quæ nec absolutè exiguntur, nec absolutè repugnant huic amori, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario.* Applicatio suprà ex parte jam facta est, & continuò fiet in dicendis.

Et eorum subordinatio, secundùm regulas ordinati amoris.

R. III. Quia felicitas, naturæ rationali propria, uti liquet ex dictis, *substantialiter, ac primariò* consistit in conjunctione cum Deo; *integraliter, & secundario* in pace secum ipso, & proximo, ultro sequitur, *amorem sui debere esse rationabilem*, seu secundùm finem hunc *rationabiliter ordinatum*, sic ut officia hominis erga se, officiis, ex obligatione adventitia debitis societati humanæ; utraque verò officiis, Deo Creatori debitis, subordinanda sint. Inde fluunt quædam regulæ generales, 1. *Officia hominis, secundùm ordinem amoris, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessarii subordinanda sunt.* Sic amor sui, sicut, *per se loquendo*, præcedit amori alterius privati; ita & officia sibi quàm alteri exhibenda; contrà verò, sicut amor sui cedit amori debito Communitati; uterque autem amori, Deo Creatori debito, ita & officia, eâdem subordinatione, singulis sunt exhibenda. 2. *In officiis erga se, cultura animæ præferenda est culturæ corporis*, quia anima pars hominis præstantior. Rursus, *respectu animæ, cultura voluntatis culturæ intellectûs præbabenda*: quia homo non tam speculandi, quàm agendi causâ est conditus: unde bonum animi morale præferendum bono ejus naturali; utrumque verò præferendum bono corporis. 3. *Officia homini incumbentia non sejungenda, sed secundùm amoris, naturaliter debiti, ordinem regulanda sunt.* Hinc officia, Communitati debita, propter debita sibimetipsi; nec propter utraque, Deo debita, negligenda sunt: ita nec officia mentis, propter officia corporis, omittenda; & vicissim. Quòd si tamen contingeret, ut omnibus ac singulis satisfieri simul non posset, amoris ordo servandus, & ex pluribus bonis, quæ assequi simul non possumus, præstantius, magisque necessarium eligendum est, ac proinde, cùm mens corpore sit longè præstantior, perficiendo potiùs animo, quàm corpori incumbendum, pars tamen neutra penitùs negligenda est. *

Eorum iterũ divisio triplex.

R. IV. Ex hisce ultrò fluit *triplex classis*, ad quam officia hominis erga se revocari possunt. *Nam amor sui*, ad felicitatem propriam necessarius, se extendit 1. *Ad bona animi*, seu ad culturam voluntatis, & intellectûs.

2. *Ad*

* Rectè *Heineccius* in elementis J. N. & G. l. 1. c. 6. §. 142. in notis f. m. 109. Itaque contra officium faciunt, qui ita curant corpus, ut mentem obdurescere patiantur: sed & ii non magis satisfaciunt officio, qui, doctrinæ atque intellectûs perficiendi studio, ita immorantur libris, ut iis immoriantur &c.

2. *Ad bona corporis*, seu ad culturam sui exteriorem. 3. *Ad bona totius hominis*, seu ad conservationem sui, per defensionem vitæ, famæ, fortunæ, contra vim externam.

Officia hominis quò ad culturam Intellectûs. *Quæritur V. Quænam hominis officia erga se, naturæ jure obligantia ad animum excolendum?*

℞. I. Animi cultura *Puffendorfio* duabus potissimùm partibus absolvitur. 1. *Respectu intellectûs partim perficiendi, partim emendandi*, jure naturæ *stricto* requirit notitiam *de Deo*, *semetipso*, & *proximo* per cognitionem veri & boni, ac discretionem falsi malique tantam, quanta quidem *vulgari industria* haberi potest, & *absolute* necessaria est ad vitam *honestè*, atque ad finem, creaturæ propositum, *appositè* transigendam.

Circa Deum. Unde rectis sententiis intellectus est imbuendus v. g. circa *Deum*, quòd sit *Ens primum, summum, unicum*, omnis imperfectionis *incapax, providum, justum, omniscium, cultu interno, externoque colendum*, ejiciendo *atheismum, casum, polytheismum, idolomaniam, magiam*, &c. *ignorantiam crassam* & *affectatam* &c. juxta ea, quæ titulo priore stabilivimus.

Se ipsum. *Circa se ipsum*, quòd anima, si minùs *demonstrativè* immortalis, saltem *non sit mortalis* cum corpore; quòd finis non sit felicitas, *hujus vitæ terminis clausa, etiam spectato statu merè naturali*; sed superfit alia vita, saltem in ordine ad præmium bonorum, & pœnam malorum; quòd sit obligatio tendendi ad finem ultimum, qui *substantialiter consistat* in sola conjunctione cum Deo; quòd vitæ hujus felicitas tantùm *sit accidentalis*, nec *satiativa*; quòd interna sint Deo perspecta, libera, pœnæ præmióve obnoxia; quòd corpus cum suis affectibus rationi, ratio legi naturali subordinanda; quòd bona corporis & animæ conservanda, promovenda, ac defendenda; quòd vitæ conditio, corporis, animæque indoli, ac viribus accommodanda &c. adeóque, quòd intellectus *ab Epicurismo, stoicismo, fato*, aliisque sententiis, ad ejusmodi errores, *indirectè* saltem ducentibus, sit perpurgandus.

Et proximum. 3. *Circa proximum* intellectus imbuendus sententiis, societati humanæ necessariis, quòd nemo lædendus, jus suum cuique tribuendum; quòd proles educanda, formandáque; quòd proximus juvandus; quòd fides servanda, maximè Imperantibus; quòd bonum publicum privato præferendum; quòd societatis humanæ felicitas interna, sita in honestate publica, præhabenda sit externæ, sitæ in sufficientia bonorum, pace, ac tranquillitate vitæ; quòd religio, saltem naturalis, sit fundamentum humanæ cujusvis societatis; quòd animorum in Dei cultu divisio sit fomentum turbarum, ac seditionum &c. adeóque, quòd intellectus perniciosis proximo, & societati humanæ sententiis sit expurgandus, quales sunt, pactorum fidem, ex arcanis statûs, & utilitatis, regulandam; finem societatis humanæ esse felicitatem *merissimè temporalem*, & *externam*; autonomicam conscientiæ licentiam *statui minimè perniciosam*, ubique *permittendam*; religionem statui accommodandam, sacra omnia ex Reipublicæ commodo dimetienda, & si quæ sunt alia *Puffendorfianismi*, *Protestantismi*, *ac indifferentismi* maligna principia, sensim sine sensu in apertum *Spinozismum*, *Hobbesianismum*, ac *Machiavellismum* degenerantia.

℞. II. Pars altera, quò ad culturam animi, spectat *voluntatem*, *partim perficiendam*, *partim emendandam*, exigente scilicet naturæ jure absoluto, ut voluntas secundùm rationem, rectis instructam principiis, consectetur bonum, & aversetur malum; ut operetur ex *principiis amoris*, *cuivis naturaliter debiti*, in ordine ad suum finem, seu felicitatem, naturæ rationali propriam; cúmque felicitas *completa*, ac *integralis*, per accidens haberi semper non possit *, bonum magis necessarium ac principale, præ minus necessario ac secundario, honestum præ utili consectetur; ut rationi, tanquam Dominæ, sensus & appetitus subjiciat, motus & affectus, pacem internam turbantes, & in agendo suo officio hominem morantes, compescat; ut virtutes, moderandis passionibus necessarias, atque ad hominem, in suo officio dirigendum, habiles acquirere adlaboret; facultatem concupiscibilem ab excessu noxio in sectandis honoribus, divitiis ac voluptatibus refrenet &c. verbô: ut rationis ductu à voluntate omnis depravatio, & inquinatio per vitia, *etsi merissimè interna*, superbiæ, iræ, luxuriæ, *Et voluntatis.*

* Unde *Heineccius* L. c. §. 148. f. m. 114. in notis: *Jam alibi*, inquit, *ostendimus*, *falli eos*, *qui summam felicitatem, ad quam in hac vita connitimur, in fruitione omnium bonorum consistere existimant. Id enim cùm non cadat in hominem, nec in hujus vitæ conditionem, consequens est, ut saltem ad assequendum bonum summum, ac præstantissimum* (conjunctionem cum Deo) *quod* τὴν ἀγαθὴν μερίδα *eleganter vocat Servator Lucæ* 10, 42. *omne studium conferre teneamur.*

riæ, invidiæ &c. in quæ appetitus irascibilis, ac concupiscibilis, per philautiam prolabitur, è voluntate penitus exterminetur.

Eorumdemque obligatio naturalis.

℞. III. *Hæc officia hominis erga se, quò ad memoratam animi culturam, sunt naturæ jure præcepta; iisque opposita seu vitia, seu errores, sunt naturæ jure prohibita.*

Quò ad intellectum,

Demonstratur. Hæc officia hominis sunt *strictè exigita ab amore*, iisque opposita vitia, ac errores *sunt absolutè contraria amori, sibi naturaliter debito, ac ad felicitatem, seu pacem secum ipso & Deo, simpliciter necessario*: ergo illa sunt naturæ jure *præcepta*, hæc naturæ jure *prohibita*. A. D. 1. *Quò ad culturam intellectûs.* Memorata notitia de Deo, semetipso, & proximo, *absolutè* & *evidenter* est necessaria ad voluntatem dirigendam in ordine ad assequendum *finem*, seu *felicitatem naturæ rationali propriam*, puta, ad animi tranquillitatem, conjunctionem cum Deo, & pacem cum proximo: ergo est exigita ab amore, sibi naturaliter debito. A. constat *partim, quia voluntas*, ùt rectè differit *Heineccius*, (a) *non potest appetere, nisi quod intellectus sibi, tanquam bonum, repræsentavit; nec aversari, nisi quod ille, tanquam malum, agnovit; partim quia imputantur actiones, etiam ex ignorantia admissæ, quatenus legem & potuit, & debuit homo habere perspectam, rectè dicente Sophocle, sapere ad beatitudinem præcipuum.*

Et voluntatem colendam;

A. D. 2. Quò ad culturam voluntatis. Hac voluntatis ordinatione *evidenter* habetur, & oppositâ ejus inordinatione *evidenter* amittitur felicitas, naturæ rationali propria, seu pax secum ipso, Deo, & suo modo cum proximo: ergo illa est exigita, hæc contraria amori, sibi naturaliter debito. A. Patet: *nam per vitia, etsi intra pectus latitent, & foris non prorumpant*, quàm maximè turbatur *tranquillitas animi*, intellectu repugnante, voluntate rationis lumini refragante, conscientiâ lancinante, inferiore homine superiori dominante &c. Tollitur *conjunctia cum Creatore Deo*, homine legi Divinæ, & per hanc Deo rebellante; intellectu malè de Creatore sentiente; voluntate humana voluntati Divinæ se opponente, adeóque à fine suo, ac felicitate substantiali exorbitante &c. Rectè denuò *Heineccius* (b): Sæpe soli illi animi impetus hominem ita in transversum agunt, *ut fine suo excidat, & vel vera felicitate careat, vel tristem ejusdem faciat jacturam.* Præterea generatim non faciet unquam officium, quisquis affectus non habet in potestate; quippe qui ita pervertunt, & distorquent animi judicium, *ut nihil rectè, & ordine fiat.* Inde *Statius* (c): *Ne frenos animo permitte calenti, da spatium, tenuémque moram; malè cuncta ministrat impetus.* *Nimirum*, teste *Seneca*, (d) *ratio ipsa, cui frena traduntur, tamdiu potens est, quamdiu deducta est ab affectibus. Si miscuit se illis, & inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset. Commota enim semel, & concussa mens ei servit, à quo impellitur.* *Confirmatur.* Hæc vitia, etsi merè interna, etiam suo modo, hoc est, *regulariter* saltem, *indirectè*, ac *mediatè*, pacem cum proximo, & societate humana perturbant: ergo etiam repugnant amori, proximo naturaliter debito. *A. Patet.* Partim quia hominem ad externa officia ineptum, & ad societatis cultum inhabilem reddunt; partim quia depravatam mentem *ad actus quoque externos* disponunt, atque sollicitant. Nunquid enim experientia testis est, quòd, perfractis interioribus cancellis, facilis sit progressus ad fornicationes externas, adulteria, furta, ac homicidia, quæ utique *tranquillitatem publicam* perturbant.

## §. II. 	§. 2.

De cultura corporis.

Officia hominis circa culturam corporis. Præcepta sustentatio, & conservatio.

Quæritur VI. *Quæ officia hominis erga se, naturæ jure præscripta circa culturam corporis?*

℞. I. Obligatio naturalis se extendit 1. Ad corpus sustentandum necessario victui ad tuendam sanitatem debitis mediis; ad integritatem corporis conservandam, *per se loquendo*, viresque fovendas, conditioni statûs necessarias. *Ratio est*: quia hæc officia sunt *exigita ab amore sibi*, & *Deo* (*qui est Dominus corporis & vitæ*) *naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ suæ propriam, per se loquendo, simpliciter necessario.* Ex quo fluit, quòd, quæ opposita hisce officiis, & *repugnantia sunt huic amori*, naturæ jure seu *leviter*, seu *graviter* prohibita censeri debeant. Unde

℞. II.

(a) In elementis cit. l. 1. c. 6. §. 146. f. m. 113.

(b) L. c. §. 149. f. 115. in notis.

(c) Thebaid. l. 10. n. 626.

(d) De ira L. 7.

Prohibita leviter, refectio usque ad ſatietatem, ſolius cauſâ voluptatis. Quia cibus & potus propter neceſſitatem,

ꝶ. II. *Naturæ jure leviter ſaltem prohibita eſt refectio corporis, ad uſque ſatietatem, hoc eſt, immoderata, ſolius cauſa voluptatis, quaſi appetitus naturalis licitè poſſet, etiam univerſaliter, ſuis actibus frui.*

Ratio aſſerti eſt. 1. Quia cuivis lumine naturæ notum, cibum & potum eſſe *propter neceſſitatem, ſuſtentando homini congruam:* * ergo uſus *immoderatus*, & ultra hunc finem extenſus, *etſi valetudini quidem non noceat*, deviat tamen à ratione, ſeu rationabili ſui amore. **

& ſuſtentationem, non voluptatem, tanquam finem.

Ratio eſt 2. Quia cuivis eſt evidens, cibum & potum à natura non intentum *præcisè propter delectationem*, ùt finem: ſed potiùs *delectationem* eſſe intentam præcisè *ùt medium* ad ſuſtentationem vitæ, *tanquam finem:* ergo uſus, ſolius *delectationis cauſâ*, eſt naturalis ordinis perverſivus, à ratione, & rationabili corporis amore alienus.

Secùs & ebrietas licita eſſe poſſet.

Ratio eſt 3. Quia allata ratio falſa eſt: nam appetitum *frui* ſuis actibus, eſt in ſuis actibus *delectationem* habere *pro fine* juxta illud *Senecæ: tu voluptate frueris, ego utor:* atqui hoc *univerſaliter* licitum eſſe nequit; ſecùs licita foret etiam ipſa *ebrietas*, *libido* &c. neque *particulariter* de cibo & potu, ùt patet ex gemina ratione præmiſſa.

Nec refectio moderata, ob ſolam voluptatem, moderata dici poteſt.

Neque ſequitur. 1. Tali modo refectionem, *etſi moderatam, ex ſola* delectatione, fore naturæ jure prohibitam. Nam licèt, *ob rationis identitatem*, plerique ſequelam admittant, nos negamus ſuppoſitum, quòd, propter *ſolam* delectationem adhibita, eſſe queat *moderata*, cùm *ſola* delectatio ſit ad finem *ſuperflua*, ut adeò *moderata* ſi ſit, intendat quidem *delectationem*, ſed tamen ordinet ſimul ad *nutritionem*.

Nec ad actus aliorum ſenſuum eſt paritas,

Neque ſequitur 2. Tali modo omnes actus ſenſuum v. g. auditionem muſicæ, aſpectum picturæ, odoratum roſæ, luſus, venationes, ambulationes in hortis &c. *ſoliùs cauſâ delectationis*, naturæ jure fore prohibitos, adeóque dari non poſſe *actum indifferentem* in individuo, utì initio tamen admiſimus. Nam etſi ſint, qui ſequelam admittant ex mente, ùt ajunt, *Angelici*, (a) nobis minimè fluit. 1. Quia in his non pervertitur ordo naturæ, quæ hujuſmodi delectationes videtur intendere *propter ſe*, utpote *indiſtinctas à fine* per operationem intento, qui eſt *relaxatio animi*, atque *potentiarum*, ne vita homini nimiùm ſit tædioſa ***

Quia ſunt indifferentes.

Et minùs periculoſi.

2. Quia multa diſparitas à delectatione guſtûs ad alias, non ita ſenſuales, brutis communes, periculoſas, naturæ rationali, ejúſque finibus ita oppoſitas: ſi enim natura *per ſe* licitam voluiſſet voluptatem in cibis & potu, oriretur magnum periculum abuſûs, inordinationum; nimia ſequeretur frequentia, quæ præjudicaret finibus, à Creatore intentis, v. g. ſanitati, nutritioni, tendentiæ ad finem ultimum, operationibus rationabilibus, dignitati naturæ rationalis &c. *Cùm ergo*, inquit P. *Viva*, *in his facilè ſit modum excedere, idcircò debuit à natura ipſa vetari, ne propter ſe directè intenderentur.* Unde ab *Innocentio* XI. per reprobatam propoſitionem, initio poſitam, nequaquam præjudicatum eſt ſententiæ *de indifferentia actûs in individuo*, cùm & ab hujus Patro-

* Nam hæc neceſſitas, non *in ſummo rigore* accipienda eſt teſte *Angelico*. 2. 2. Q. 141. art. 6. ad 2. *Neceſſitas humanæ vitæ poteſt attendi dupliciter, uno modo ſecundùm quod dicitur neceſſarium illud, ſine quo res nullo modo poteſt eſſe, ſicut cibus neceſſarius eſt animali. Alio modo ſecundùm quod dicitur neceſſarium illud, ſine quo res non poteſt eſſe convenienter: temperantia autem non ſolùm attendit primam neceſſitatem, ſed etiam ſecundam.*

** Degenerando in ſpeciem gulæ, quæ *Angelico* eſt, *inordinata concupiſcentia edendi, bibendive nimiùm* quò ad quantitatem, præcipuè cùm ipſa bruta *ab immoderato pabulo* cavere, & ad *ſufficientiam* potiùs, quàm *ſatietatem* ſeſe reficere, videamus. Addit tamen P. *Dominicus Viva* in Trutina Theolog. f. m 193. n. 13. *Comedere, & bibere ad ſatietatem* tunc tantùm eſſe illicitum, quando fit ob *ſolam delectationem;* non verò ſi ad *honeſtum finem ordinata ſit*, nempe ſi non ſit ita *immoderata*, ut tamen ordinari poſſit.

(a) 2. 2. Q. 141 a. 6. *Omnia delectabilia, quæ in uſum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ neceſſitatem, ſicut ad finem, & ideò temperantia accipit neceſſitatem hujus vitæ, ſicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut ſcilicet tantùm eis utatur; quantùm neceſſitas hujus vitæ requirit.* Unde *Cardenas* criſi Theol. Diſſert. 7. Q. 2. f m. 265. admittit, hanc propoſitionem *nullum eſt peccatum audire muſicam propter ſolam delectationem*, eſſe ab *Innocentio* XI. per propoſit. 8. ſaltem *virtualiter* damnatam.

*** Videtur ipſe *Angelicus* adſtipulari in 4. Diſt. 49 Q. 3. A. 4. Q. 3. ubi ait, Philoſophum in his nil decidere, *an delectatio ſit propter operationem, vel viciſſim;* ipſe admittit, *delectationem* eſſe operationis perfectæ proprietatem, ſic ut ex natura ipſius operis, ſi minùs ex parte operantis, ipſa delectatio ad finem debitum ordinetur, puta ad pellendum tædium, animum relaxandum &c.

Patronis *tam propositio*, quàm *ejus ratio* reprobetur, salvis tamen aliis delectationibus indifferentibus, & à natura permissis; multò magis autem actionibus aliis; quibus vel procurantur naturæ commoda, vel depellitur molestia, quales sunt se calefacere, muscas abigere &c. *

Prohibita ingluvies, ebrietas, quia graviter nocivæ.

℞. III. *Naturæ jure graviter prohibita est, per se loquendo, omnis ingluvies, ebrietas, rationis & sanitatis eversiva, Patet*: quia homini ipsi graviter nociva, Deo, cujus imaginem infra bestias, voluptatis causâ, deturpat, injuriosa; adeóque amori, sibi, Deóque naturaliter debito, adversa. Inde Philosophus ingluviem, & ebrietatem *ad appetitum naturalem* nequaquam spectare dixit, eò quòd sint *contra naturam, dicique voluptates innaturales, ac turpes debeant* (a). Dictum *per se* loquendo: quia naturæ jure permissa est ex motivo sanitatis, *aliter non recuperandæ*; cùm minus malum sit, rationis usu ad breve tempus destitui, velut in somno, quàm vita omninò privari. Unde *Lessius* infert, etiam naturæ jure permissam fore, intentatæ mortis evitandæ causâ, ** etsi repugnet S. *Augustinus* cum aliis.

Antropophagia, quià humano Generi periculosa propter ingluviem, homicidia &c.

2. Ad ingluviem, jure naturæ prohibitam, rectè reducitur *antropophagia* seu voratio humanæ carnis. *Ratio est*: Quia talis licentia *evidenter* foret naturæ humanæ perniciosa: nam stimulante ingluvie allicerentur homines ad homicidia mutua; immò facilè persuaderentur, hominem, ad instar animalium, propter hominem fuisse conditum in alimoniam, adeóque, delicatioris nutrimenti causâ, licitè occidi posse: *** ergo *simpliciter* repugnat amori, sibi, ac proximo naturaliter debito, seu ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessario. Addunt alii *pro ratione* 1. Quòd repugnet præstantiæ humanæ naturæ, uti humano corpore in alimentum: quæ ratio malè exploditur à *Thomasio*, tanquam *ne quidem probabilis* (b). *Nam vellem audire*, ait, *quomodò antropophagis respondere velles, sæpe gloriantibus; & alios Populos irridentibus, quòd non dignius sepulchrum noverint, quàm si mortuos suos in succum, & sanguinem redigant. Quis verò non commendat factum Artemisiæ?* Dignum *Thomasio* argumentum, ex antropophagorum corrupto stomacho, & corruptiore cerebro erutum. Quasi verò *Artemisia* rectè commendetur tam *ob amorem*, quàm *ob stultum modum* demonstrati amoris? *Addunt* 2. Quòd ordo Creatoris, & naturæ invertatur; cùm ille animalia & fructus, non hominem homini ordinârit in cibum; hæc exigat alimentum, *quo ad substantiam* indignius. Sed prior ratio nota est ex S. Scriptura; posterior est inefficax, experientiâ in animalibus haud procedente. **** *Addunt* 3. Ipsum naturæ horrorem: sed quæritur *fundamentum horroris*; & horret pariter natura vesci gliribus, muribúsque. Extrema tamen necessitas naturæ jure *permissam*, non tamen *præceptam* facit humanæ carnis comestionom. *Ratio prioris est*, quia prohibitio naturalis nunquam fuit *pro casu extremæ necessitatis*, quo non tam infertur præjudicium naturæ humanæ perdendæ, quàm ejusdem servandæ emolumentum ***** Unde *Thomasius* (c): *tempore famis* (utique extremæ) *ex carne*

* Quòd si tamen hæ rationes minùs convincerent Protestantes, qui non nisi demonstrationes *primæ classis* ubique petunt, posset dici, etsi propositionis reprobatæ *ratio intrinseca*, ex naturæ jure, *evidenter* non constet, rectè tamen propositionem esse damnatam *propter rationem extrinsecam*; puta authoritatem SS. Patrum; atque DD. uti demonstrat *Cardenas*.

(a) 1. Eth. c. 5. *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 1. c. 4. n. 8. probat, per ebrietatem depravari voluntatem, & ad gravissima scelera incitari, qua de causâ etiam *Indis* inter gravissima scelera deputetur.

** Absente *scandalo*, *contemptu* temperantiæ, à *Christianis* servandæ, vel alio *affectu peccaminoso*: unde cùm idem *Lessius* permissam dicit inductionem ad ebrietatem ob malum v. g. proditionis *majus*, aliter non impediendum, rectè refutatur à *Laymanno*, licèt, si sine *scandalo activo*, per vinum fortissimum bibenti incognitum, fieri possit, & ipse admittat.

*** Huc facit discursus, sive nugatorius, sive aliquo modo serius, certè propudiosâ, quidvis in publicum protrudendi, licentiâ, nuper editus in *Hollandia* sub titulo: *Projet facile, equitable, & modeste pour rendre utile à notre Nation un tres grand nombre de pauvres enfans, qui lui sont maintenant fort à charge*, ubi macellum erigit pro infantibus, difficulter alendis, & *in delicata obsonia* divendendis, ad emolumentum publicum. *Rotterodami* A. 1736.

(b) L. 3. c. 10. Jurisprud. Divin. n. 14 f. m. 632.

**** V. G. Corvis, & hominum & leonum cadavera devorantibus.

***** Unde cùm *Angelicus* comestionem carnis humanæ comparat fornicationi, teste *Sanchezio*, comparatio stat in hoc, quòd utraque sit *contra naturam*, etsi non *eodem modo*: non enim quodcunque est *contra naturam*, est in quacunque circumstantia prohibitum. Ita *non restituere*, & *non adimplere votum*, sunt contra legem naturalem, & tamen licent aliquando, ad vitandum grave damnum &c. Aliud est de fornicatione, uti infrà dicemus.

(c) L. 2. Jurisprud. Divinæ c. 2. n. 159. f. m. 178. uti statuit ex *Puffendorfio*.

carne humanorum cadaverum nutrimentum capere, miserandus cibus est, non nefarius. Ratio posterioris est: quia nemo tenetur vitam seu servare, seu prorogare *medio tam difficili*, & à natura *tam abhorrente*. A fortiori licitum est, etiam extra ultimam necessitatem, morbi depellendi causâ, uti medicamentis, humana carne confectis, humano sanguine pro caducis &c. Quia in his cessat ratio prohibitionis naturalis, ùt patet, nec inhonoratur natura, cùm emortua adhibetur ad vitam.

Mutilatio, sanitatis, vitaeque absoluta incuria. ℞. IV. *Naturae jure graviter prohibita est, per se loquendo, mutilatio proprii corporis, sanitatis suae destructio, vitaeque servandae absoluta incuria?*

Quia sibi ipsi, & Deo graviter praejudiciosa. *Patet*: Quia haec omnia, *amori, sibi naturaliter debito, & in ordine ad felicitatem, naturae rationali propriam, necessario*, graviter adversa, Deo tanquam corporis, vitaeque Domino, *absolutè* injuriosa: immò & societati humanae praejudiciosa, quatenus *ejusdem membrum* seu temerariè laedunt, seu penitus destruunt. Inde

Excepto casu summae necessitatis. *Deducitur* 1. Mutilationem sui, naturae jure *permissam* esse in casu *gravis necessitatis, majorisve mali vitandi causâ* v. g. ut salvetur totum corpus; vel vita, si quis ab altero alioquin occidendus foret; in casu salutis publicae, si aliàs cladem acceptura esset Respublica &c. *Ratio est*. Quia in ejusmodi circumstantiis nec est *absolutè* adversa amori, sibi naturaliter debito, utpote majoris mali impeditiva; nec Deo injuriosa, quia *prudens* corporalis boni *custodia* non opposita.

Numquam tamen licita castratio. *Deducitur* 2. Castrationem propriam, vitandae causâ incontinentiae; immò & alienam, etsi cum consensu exsecandi, sustentationis necessariae gratiâ, esse naturae jure prohibitam. *Ratio est*: quia non est medium *simpliciter*, hoc est, *determinatè* necessarium.

Vel directa sui interfectio. *Deducitur* 3. Seipsum interimere *directè* semper *naturae jure* prohibitum, unico casu excepto: si jubeat ipse Dominus vitae, seu Deus. *Ratio liquet ex* fundamentali principio amoris. De indirecta sui occisione dicendum infrà.

Etsi quaedam incuria quandoque permissa sit. *Deducitur* 4. *Non omnem* seu sanitatis, seu vitae *incuriam*, naturae jure *graviter esse* prohibitam. *Ratio est*: quia sicut nec omnis cura, *semper* & *ubique*, amori sui Deique *est absolutè* debita; ita nec omnis incuria *simpliciter*, & *in omni casu absolutè* opposita. Ejusmodi casus foret, *si medium* conservandae sanitatis, seu vitae, foret *nimis difficile*, ùt est mutilatio, sectio, inustio &c. medicamentum pretiosissimum, & supra aegroti statum. *Si majus bonum* procurandum v. g. *pudicitiae*, bonum spirituale, proprium vel alienum &c. de quibus infrà.

Alia officia hominis erga se. *Quaeritur* VII. *Quae alia officia hominis erga se, naturae jure praescripta, respectu culturae corporis?*

Quò ad paranda media vitae necessaria. ℞. I. Est obligatio *ad media*, corpori, sanitati, vitaeque sustentandae, & conservandae *strictè*, vel *minus strictè* necessaria. Haec inter media est 1. Labor & industria statui, viribúsque congrua. 2. Facultates necessariae ad victum, vestitum, aliáque vitae subsidia necessaria. 3. Aestimatio & bona fama, honestae vitae necessaria. *Ratio est*: Quia haec officia sunt *strictè*, vel *minus strictè* exigita ab amore ad felicitatem vitae propriam necessario, adeóque sibi naturaliter debito, uti *evidenter* patet cuivis consideranti, ritéque disposito intellectui.

Unde prohibitum otium, uti & nimia temporalium cura. ℞. II. Exinde fluunt *praecepta negativa*. Sic 1. Naturae jure prohibitum otium, & pigritia, praecipuè *graviter* perniciosa, & non modò ad egestatem, sed & ad alia vitia viam sternens. *Patet*: quia amori felicitatis propriae graviter adversa. Prohibetur temporalium, corporisque cura nimia, culturae animi, & honestati vitae praeposita, juxta illud: *anima potior, quàm esca.*

Luxus, uti & avaritia. 2. Jure naturae prohibitus *luxus, opum cupiditas, secundùm illud Apulei scitum: fortunam, velut tunicam, magis concinnam, quàm longam probo: etenim in omnibus ad vitae munia, quidquid aptam moderationem supergreditur; oneri potiùs, quàm usui exuberat. Igitur & immodicae divitiae, velut ingentia gubernacula, faciliùs mergunt, quàm regunt, quòd habent irritam copiam, anxiam nimietatem.* Unde rectè *Claudianus*: *Vivitur exiguo meliùs, naturâ beatis omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti*: nam *satis divitiarum est, nihil ampliùs velle, teste Quintiliano* (a). Naturae jure prohibita *avaritia*, juxta illud *Juvenalis*: *manifesta phrenesis, ut locuples moriaris, egenti vivere fato* (b). Nempe magna fatuitas illius ode: *Quaerenda pecunia primùm; virtus post nummos.*

3. Jure

(a) Apud *Puffendorfium* l. 2. c. 4. *Apulejus* in apol. *Claudianus* in *Ruffinum* 1. *Quintil*, declam. 13.

(b) *Satyra* 14. apud eundem.

Famæ prodigalitas, uti & ambitio, atque superbia.

3. Jure naturæ prohibitus *totalis bonæ famæ neglectus*, præcipuè si cum præjudicio proximi, aut boni publici sit conjunctus. *Ratio est*. 1. Quia fama, inter bona hominis externa, præcipuum, prodigalitate, felicitati vitæ opposità, non prostituendum. 2. Quia est fundamentum publicæ honestatis, in societate humana *simpliciter* necessarium, adeóque ejus neglectus, *seu per vitæ infamiam*, seu *per calumnias*, injustè impactas, præsertim si *sint speciosæ, proximo præjudiciosæ, & facilè abstergendæ*, foret non tantùm amori sibi, sed etiam proximo, naturaliter debito, *graviter* adversus. Sed &, ex opposito naturæ jure, prohibita *superbia*, *ambitio* honorum &c, Quia est radix omnis mali, & amoris necessarii ad felicitatem, naturæ rationali propriam, tam respectu Dei, sui, quàm proximi, *simpliciter* eversiva. Siquidem ambitio est injuriosa Deo, cujus bonum *injustè* sibi soli appropriat; est perniciosa sibi, dum in honore, velut fine ultimato, sistit; est præjudiciosa proximo, vel ratione contemptûs, vel alterius nocumenti. Inde

Permissus tamen quandoque famæ neglectus;

Infertur 1. Neglectum famæ, *respectu sui*, in casu æqualis, vel majoris boni, naturæ jure esse *permissum*, non absolutè *prohibitum*, uti infrà fusiùs declarabitur.

Semper ordinatus appetitus honoris.

Infertur 2. Naturæ jure licitum esse appetitum honoris *ordinatum*, seu qui sit *secundùm rationem*. Erit talis, si homo in honore non sistat, *tanquam fine ultimato*, quod esset vitium ambitionis, à *S. Augustino Stoicis* tributum; sed si referatur ad Deum, vel *positivè*, tanquam boni illius, ex quo profluit honor, authorem; vel *saltem negativè*, Deum quidem non excludendo, sed tamen *ad virtutem*, cui competit, referendo. Nam cùm *honor* sit *testificatio de excellentia alterius*, excellentia autem illa, sive *id, in quo excellit homo*, non habeat *à se*, sed *à Deo*, sitque quasi *quiddam divinum*, in homine *principaliter* honor referri debet ad Deum, *velut authorem*, etsi & referri possit *ad utilitatem aliorum*, vel *ad virtutem*, sic ut, *honestatis causâ*, absolutè appeti per leges naturæ possit.

Præceptus sensuum usus legitimus, inde oblectamenta moderata naturæ jure permissa.

℟. III. Naturæ jure *præceptus* est *usus* corporis, sensuum, & facultatum exteriorum *legitimus*. Inde corporis, sensuúmque oblectamenta, *rationi conformia, & ordinata, naturæ jure, permissa*. De his *Puffendorfius* (a): *Rationi non repugnat, dolorem non necessarium aversari, & quantùm licet, fugere; quippe qui ad destructionem corporis tendit. Non repugnat, curare, ut objecta quoque adsint sensibus accommodata, & grata.* Inde

Immoderata prohibita.

Infertur. Singulares, & exquisitas sensuum titillationes cupidè affectare, esse inordinationem, naturæ jure, prohibitam. 1. Quia, ùt loquitur *Puffendorfius*, hominem enervant. 2. Corporis, animique vigorem opprimunt, gravibúsque negotiis inutilem reddunt. 3. Tempus necessariis negotiis suffurantur. 4. Facultates necessarias, vel minùs erogandas, absumunt. 5. Et sæpe cum delicto conjunctæ, periculum, damnum, dedecus, aut dolorem post se trahunt.* Et cùm *Puffendorfius* solùm scribat, ad ejusmodi titillationes *animum non esse assuefaciendum*, siquidem per hæc verba positivam prohibitionem excludat, eundem errorem errat cum *Thomasio*, qui suprà asserere non erubuit, *jure naturæ licere etiam inebriari, molliter vivere, & delicatè*, suísque tunc ipsemet rationibus refutari potest.

Quæritur VIII. *Quid sentiendum de moralitate libidinis respectu juris naturæ?*

Scandalosa propositio est, quòd spectato jure naturæ, licita sit

℟. I. *Scandalosæ, & meritò damnatæ sunt quorundam ** propositiones, queis dicunt, mollitiem, spectato solo naturæ jure, haud esse prohibitam, sed quandoque bonam; immò obligatoriam. 2. Neque fornicationem esse malam secundùm se, sed solùm ùt prohibitam à Deo. 3. Idem sentiendum esse de sodomia, & bestialitate.*

Libido in genere, quia amori sui-met rationali opposita, ac felicitatis internæ eversiva.

Assertum patet 1. *In genere de omni actu libidinoso externo.* *** *Repugnat amori sui ipsius rationabili, ad animi pacem, felicitatémque internam simpliciter necessario*: ergo. *A. Dem.* Actus, quo, *inverso naturæ ordine, fine, ac institutione*, intenditur *sola*, vel *quasi sola* voluptas, à natura

tura

(a) De J. N. Et G. l. 2. c. 4. §. 12. f. m. 234.

* Concludit *Puffendorfius*, *uti dolores non necessarios, nullique usui sibi arcessere, vesaniæ proximum; ita rationis esse, licitas etiam, & innoxias voluptates modicè potiùs degustare, quàm penitus iisdem immergi.* Hæc utcunque sana sunt, nisi tamen homo acatholicus, Catholicorum forsan macerationes corporales, seu ad hebetandam carnem, seu ad meritum susceptas, sugillet; voluptatémque *modicam* adstruat cum *Thomasio*.

** Quorum propositiones damnavit *Innocentius* XI.

*** Cujus finis unicus, vel quasi unicus *delectatio venerea*, ubi sobolis procreatio vel intenditur *mere per accidens*, ut fit concubinatus; vel *nullo modo* intenditur, ut fit *scortatio*, *mollities*, *sodomia*, *bestialitas*.

tura *universaliter*, etiam in bestiis, ordinata ad alium finem, saltem *primarium*; actus, quo *inverso naturæ ordine, fine, ac institutione*, ratio subjicitur appetitui carnali, servitute tam absoluta, ut *per libidinis æstum* mens penitùs sit absorpta, &, *equi mulíque instar*, carni totaliter immersa, ac nimia voluptate demersa; actus, quo anima, nobilior pars, subjugatur à corpore, ejúsque carnali cupiditate, per servitutem tam noxiam, ut *evidenti ratione; constantique experientiâ, mens per effrenis delectationis excessum*, penitus *deordinetur*; * reddatur *cæca*, ** *inconsiderata, præceps, instabilis*: *** voluntas *depravata*, à Deo cælestibúsque *aversa*, in terram *dejecta*, carnalibusque desideriis *agglutinata* **** &c. Ejusmodi actus *evidenter* repugnat amori sui ipsius rationabili, & ad felicitatem internam *absolutè* necessario: ergo *evidenter* est naturæ jure prohibitus. A. Quò *ad se*, & *quò ad evidentiam*, saltem ab intellectu ritè disposito negari nequit, ùt infrà magìs clarescet.

Fornicatio in specie, quia amori prolis, & societatis humanæ adversa, ac præjudiciosa.

Assertum patet 2. *In specie de fornicatione perfecta. Repugnat amori, proximo naturaliter debito, & ad felicitatem societatis humanæ propriam, absolutè* necessario: ergo jure naturæ *graviter* est prohibita. *A. Dom.* Actus, qui, ùt arguit *Angelicus*, (a) rectæ, & à natura institutæ propagationi speciei humanæ est *oppositus*, prolique nasciturae gravissimè *præjudiciosus*, per vagam libidinem incerto Patre & prole, sic ut incerta reddatur educatio, alimentatio, & instructio, immò & *periculosa* ipsamet generatio, matribus quoque, minore plerumque curâ & amore, in proles ejusmodi intentis; actus, cujus vaga licentia est gravissimè *perniciosa* societati humanæ, eò quòd plerique refugerent matrimonii molestissima onera, omniáque libidinibus complerent, sic ut, neglectâ passim prolium curâ, incertáque in bonis successione, aliísque incommodis, mala gravissima in societatem hominum redundarent &c. Ejusmodi actus, inquam, *evidenter repugnat amori, proli naturaliter debito, & ad felicitatem, naturæ rationali propriam, absolutè necessario*: ergo &c. Antecedentis *evidentia denuò magìs patebit infrà.*

Mollities, quia corporis abusiva, & propagationi humanæ injuria.

Assertum patet 3. *Et à fortiori de fornicatione imperfecta*, quæ superaddit malitiam *mollitiei* propriam, de qua sic arguitur. Est actus eversivus amoris tam sibi ipsi, quàm societati humanæ naturaliter debiti &c. *A. Demon.* Actus, quo, præter præjudicia jam allata, *everso naturæ fine*, ad voluptatem distrahitur semen, non nisi ad generationem humanam à natura intentum; actus quo, *inverso naturæ ordine*, quis abutitur corpore proprio, per modum delectationis, neque bestiis à natura concessum; actus, quo quis non modò rationem appetitui carnali, sed & corpus ipsum infra conditionem, bestiis propriam, abjicit, & reste *Angelico*, (b) *etiam à naturali bestiali decidit* &c. Hujusmodi actus, *inquam*, est, authore *Paulo*, (c) etiam spectatâ sola ratione naturali, *immunditia, corpori proprio contumeliosa*, ***** *est passio ignominiæ, est sensus reprobus, rationi positivè contrarius*, verbo, *est peccatum contra naturam*: ergo *evidenter* amori sui, & proximi naturaliter debito, oppositus.

Sodomitica, vel bestialis spurcitia, quia contranaturalis, & ignominiosa.

Assertum patet 4. *De abominatione sodomitica, & bestiali* denuò quidem à *fortiori*, juxta illud Apostoli: *fæminæ muta-*

---

* *S. Gregorius* l. 31. Moral. enumerat has *luxuriæ* filias, quas probat subin *Angelicus* 2. 2. Q. 153. A. 5. *in corp.* Quando inferiores potentiæ *vehementer afficiuntur* ad sua objecta, consequens est, ut superiores vires *impediantur*, & *deordinentur* in suis actibus, quod maximè fit per luxuriam.

** *Simplex intelligentia*, quæ apprehendit aliquem *finem*, ùt *bonum*, impeditur per luxuriam juxta illud *Danielis*. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum*, & sic ponitur *cæcitas mentis*.

*** Tertius actus est *judicium de agendis*; & hic impeditur per luxuriam juxta illud *Danielis*: *averterant sensum suum, ut non recordarentur judiciorum justorum*: & sic ponitur *inconsideratio*.

**** Quartus actus est *præceptum rationis de agendo*, qui etiam impeditur per luxuriam, juxta illud *Terentii* de quodam, qui dicebat se recessurum ab amica; *una falsa lacrymula restringet*: & sic ponitur *inconstantia*.

(a) 2. 2. Q. 154. A. 2. in corpore.

(b) In comment. ad epist. 1. ad Rom.

(c) Epist. cit. *Tradidit illos Deus in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua, & in passionem ignominiæ &c. in sensum reprobum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, in eum corporis usum, qui est contra naturam.*

***** Inde *S. Athanasius* L. de venerandis nuptiis apud *Œcumenium* in hunc locum: *Scortator & mollis corpus unà cum anima injuria afficit, corrumpens illud, ac debilitans, & animalem ac vitalem auferens vigorem.*

mutaverunt naturalem usum in eum, qui est contra naturam: similiter autem & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis, in invicem operantes &c. contumeliis afficientes corpora sua in semetipsis &c. *abominabiles facti, sicut equus & mulus* &c. Jam sic: *Si Caramueli* & aliis, hæ sordes, seu actiones, *spectato jure naturæ*, sunt merissimè *indifferentes*, nec *immunda* moraliter, *ignominiosæ*, vel *contranaturales*, nisi quia lege Divinâ positivâ prohibitæ, Infideles eas exercendo haud peccâssent: hoc est certò falsum, dicente Apostolo, quòd propter idololatricum scelus à Deo *dati sint in sensum reprobum, quo aliquis reprobandum iudicium habet de agendis, ut faciat ea, quæ non conveniunt*, id est, *interprete Angelico, ea, quæ à recta ratione discordant. Maj.* constat: nam prohibitio positiva, præcipuè ante *Christi* adventum, erat illis incognita etiam *inculpabiliter*: ergo, si neque *lex scripta in cordibus*, seu naturalis, eos obligârat, *ut naturaliter facerent ea, quæ legis sunt positivæ*, non peccâssent, quod dicere est *evidenter* erroneum.

Fucus, oppositi solutus, evidenter nullus

℞. II. *Rationum fucus, à Caramnele, aliisque oppositus, evidenter est putidus, ac nullus.*

Non etiam hæ theses sunt merè speculativæ, quia scelera graviora accedente prohibitione naturæ.

Excipiunt. 1. *In genere.* Hæ propositiones nil attinent praxin, cui satis præcautum per legem Divinam: ergo malè censurantur, *ut scandalosæ*. R. N. A. Falsum in paganis, Divinæ legis ignaris; immò falsum *simpliciter*: nam peccata, naturæ jure prohibita, *secundùm se* sunt graviora peccatis, positivo solùm jure vetitis: illa enim *nunquam*; *hæc certis in circumstantiis* licita, immò & obligatoria fieri possunt; ita comestio carnis die Veneris, positivo jure prohibita, fit licita, immò & obligatoria, urgente præcepto naturali de conservanda haud aliter vita, eò quòd obligatio positiva, *per se loquendo*, cedere debeat naturali.

Non cessat finis cessante damno in casu particulari, quia non cessat universale periculum de damno, qui est finis prohibitionis.

Excipiunt 2. *In specie de fornicatione.* Si naturæ jure esset prohibita, tunc vel quòd esset mala fornicariis; vel proli, *ratione educationis*, injuriosa: non primum, casu quo ponitur *salubris, vel necessaria* etiam pro conservatione vitæ: non secundum, casu quo nota foret sterilitas, vel indercederet pactum de educanda prole appositum, uti fit præcipuè in Principum spuriis &c. Jam sic: cessante fine, *etsi per accidens*, cessat etiam lex naturalis, saltem *per accidens* v. g. obligatio naturalis fraternæ correptionis, casu quo emendatio est desperata: ergo à pari. *Accedit*, quòd injuriosa proli esse non possit, quia nondum existenti; nihili autem nullæ proprietates: præterquàm quòd melius sit *esse simpliciter*, etsi miserum; immò teste *Augustino*, damnatum, quàm *non esse omninò*. * R. *T. Maj.* Quia etiam injuriosa est societati humanæ. *N. Min.* cujus falsitas *evidenter* patet ex præjudiciis tam *respectu sui*, quàm *respectu prolis*, suprà enumeratis. Unde *D. Min. subsumpt.* cessante fine *adæquato*, etsi *per accidens*, cessat lex naturalis, uti fit in præcepto affirmativo correptionis fraternæ, si nulla sit emendatio. C. cessante fine tantùm *inadæquato*, uti fit in fornicatione. N. Finis *adæquatus* præcepti negativi de fornicatione non tantùm est malum *corporis*, sed *& animi*; non tantùm est *damnum* prolis, sed *& periculum de damno* malæ educationis; immò non tantùm periculum *particulare, sed & universale*, quia hæc lex non tantùm fundata est *in præsumptione solius facti*, quo cessante cesset; ** sed *periculi* de facto, seu damno *in genere*, quod, etsi *hic & nunc cesset*, non tamen *universaliter* cessat: *** ergo nunquam cessat finis legis *adæquatus*, adeóque nec obligatio naturalis, uti rectè docet *Suarezius* (a).

Ratio 1. addita nulla est: quia etsi fornicatio non sit *injuriosa* proli, nondum existenti, ita ut sit peccatum *contra justitiam*, est tamen peccatum *contra charitatem*, dicente *Angelico* (b): *fornicatio simplex contrariatur dilectioni proximi, quantum ad hoc, quod repugnat bono prolis.*

Ratio 2. æquè est inanis: nam licet melius sit *esse simpliciter* in considera-
tione

* *Melius esse damnari, quàm annihilari*, ut refert *Caramuel*. Certè L. 3. de lib. arb. c. 6 ait: S. Doctor *si quis dixerit, non esse, quàm miserum me esse, mallem: respondebo, mentiris*: id quòd intelligendum de hac vita ejúsque miseriis, abstrahendo à futuris.

** Uti v. g. præceptum restituendi rem alienam, resarciendi damnum &c. huic, vel illi.

*** Nam lex non respicit *casus particulares*, sed eos, *qui communiter* solent contingere ex L. *Ea, quæ verò ff* de regula juris. Cur autem non cesset lex, etsi cesset ejus finis primarius *in casu particulari*, est, quia finis legis etiam est, ut partes conformentur toti, prout expedit bono publico; & quia aliàs innumera sequerentur incommoda, & scandala, si quilibet in causa propriâ possit esse judex, judicando v. g. quòd *hic & nunc* possit sine denuntiationibus matrimonium contrahi; vir ingredi monasterium virginum ad eas in spiritu curandas &c. quia *hic & nunc nullum periculum, vel scandalum*, propter quæ hæc & similia noscuntur esse prohibita.

(a) L. 3 de leg. c. 24.

(b) 2. 2. Q. 154. A. 2. ad 4.

tione phyſica, quàm *omninò non eſſe*; non tamen eſt *in ſenſu morali* juxta illud *Chriſti de Juda: meliùs eſſet, ſi non fuiſſet natus homo ille.*

Neque delectatio conjugalis parit ſimiles effectus, quia quò ad modum non ſimiliter inordinata.

Excipiunt 3. Si fornicatio ſimplex foret naturaliter mala, tunc ratione delectationis, adeò vehementis, ut poſt ſe trahat tam peſtiferos effectus, *cæcitatem mentis* &c. hæc ratio nulla eſt: nam, cùm eadem delectatio matrimonium comitetur, ſequeretur, eosdem gigni effectus, & matrimonium pariter naturali juri eſſe oppoſitum.

R. C. *Maj.* N. *Min.* Rationem D. Eadem eſt delectatio reſpectu matrimonii, & *eâdem inordinatione*, trahente poſt ſe tam peſtiferos effectus. N. Eadem eſt, ſed non *eadem inordinatione*. C. Inde eſt, quòd ſpectet *ad providentiam Dei*, ut tanquam author naturæ, reſpectu contractûs legitimi conjugalis (qualiscunque tandem, *de jure naturæ*, requiſitus ſit) conferat auxilia naturalia, queîs (*ſi intra matrimonii fines ſeſe Infideles contineant*) ſpeciali protectione impediantur illi peſtiferi effectus, fornicationis pediſſequi: atque hoc eſt ipsâ experientiâ continuâ tam conteſtatum, ut à nullo, niſi frontis admodùm cauteriatæ, negari poſſit.

Mollitiem vetitam facit non fruſtratio finis à natura intenti, ſed juncta voluptas tantoperè inordinata, atque perniciosa.

Excipiunt 4. Si contranaturalis, ac naturæ jure prohibita foret *mollities*, tunc ideò, quòd ſit diſperſio ſubſtantiæ, à naturæ ordinatæ ad finem generandæ prolis: ſed hæc ratio nulla eſt. *Min P.* Etiam lac maternum eſt à natura ordinatum ad finem nutriendæ prolis; ſanguis ad conſervationem vitæ; & tamen, caſu ſervandæ vitæ, utriusque effuſio non modò licita, ſed & obligatoria eſt: ergo à pari

Confirmatur. In caſu neceſſitatis licita eſt expulſio fœtûs inanimis per pharmacum, * etſi proximiùs ſerviat ad generationem prolis, quàm ſemen; licita eſt mutilatio corporis, ut ſervetur vita: ergo à pari.

℞. *D. Maj.* Tunc ideò tantùm. N. Tunc ideò, & quia conjuncta eſt cum *delectatione*, non qualicunque, ſed *tantopere inordinata*, menti perniciosa, corpori contumelioſa, proli, & propagationi humanæ, adeóque & ſocietati tam præjudicioſa, ut *ratione periculi* tot malorum expediat, immò neceſſe ſit *abſolutè*, naturæ jure eſſe prohibitam. *C. Maj.* Unde ad probationem, & confirmationem latiſſima pater diſparitas: non enim præjudicium ſimile in effuſione lactis, ſanguinis, abſciſſione manûs, expulſione fœtûs &c. adeóque minus malum rectè eligitur ad vitandum majus, ſcilicet mortis: contrà mors hominis eſt minus malum, quàm periculum tot abuſuum reſpectu ſui, proximi, & Generis humani, ut adeò jure naturæ hoc illi meritò præponi debeat. Accedit, mollitiem haud eſſe medium, *determinatè* neceſſarium ad ſanitatem, vitámve ſervandam, ut licitum eſſe poſſit, propriæ vitæ conſulere in grave præjudicium boni communis.

Inclinatio naturalis eſt tantùm animalis, non rationalis, ac homini conformis.

Excipiunt 5. Ipſa natura inclinat ad hujusmodi actiones: ergo *contra naturam* eſſe non poſſunt; vel ſi dedecent naturam, inſtar *inconſtantiæ*, *ingratitudinis* &c. ſunt *philoſophicè mala*, non theologicè; offendentes Deum, ùt authorem naturæ, non ùt authorem gratiæ.

℞. D. Ipſa natura *animalis*, & corrupta inclinat. C. *Rationalis*; homini propria. N. Unde & negatur ſuppoſitum, quòd dari poſſit malitia ejusmodi philoſophica, cùm offenſa Dei ùt authoris naturæ, ſit propriè transgreſſio legis Divinæ; inhoneſtas verò pœnâ digna, adeóque & theologica, utì alibi declaravimus.

Scandaloſa eſt Thomaſii theſis, ejusmodi actus jure naturæ, ſaltem demonſtrativâ haud eſſe prohibitos. Nam mutuus oppoſitus nil enervat.

℞. III. *Scandaloſa, & evidenter falſa eſt aſſertia Lamberti Velthuſii, Thomaſii*, (a) & aliorum, qua tenent, *meris rationibus naturalibus demonſtrari haud poſſe, omnem ſcortationem, etiam ad beſtialitatem quæ pertinet, aut concubinatum, aut lenocinium, eſſe prohibitum.* **

Demonſtratur. Si rationes, allatæ ſuprà, non ſunt ſufficienter *demonſtrativæ*, tunc vel opponi debent momenta talia, quæ illarum evidentiam efficaciter enervant; vel intellectus negans erit malè diſpoſitus, nec ſatìs ſanus, cui plus negabile, quàm centum Doctis eſt demonſtrabile: prius eſt *evidenter* falſum; adeóque poſterius liqui-

* Juxta *communiſſimam*, ùt habet *Sanchez* L. 9. de matrim. Diſp. 20. n. 10.

(a) *Thomaſius* in inſtit. Juriſp. D. L. 3. c. 2. à n. 143. Item c. 3. à n. 71. & infrà in theſibus ſubjunctis Diſp. 10. reſpondente *Sigismundo Richter*: ait *Thomaſius*, argumenta à n. 153. usque ad n. 158. deſumpta eſſe ex *Velthuſio*. In ſecundis curis, ſeu fundam. J. N. & G. L. 3. c. 2. n. 20. magis ſobrius, retractat in hæc verba. *Diſcurſus de moralitate libidinis* à §. 139. ad §. 172. *jam planè eſt mutandus, partim quia tum reſpexi iterum ad ſolas regulas juſti, tum quia neque ſcortationis, neque concubinatûs juſtas definitiones tradidi.*

** Per *ſcortationem* intelligit omnem ſpeciem, qua ſobolis generatio excluditur, mollitiem, ſodomiam, ſtuprum, beſtialitatem; *per concubinatum*, & *lenocinium*, *fornicationem*, quâ ſobolis generatio intenditur, ſed merè *per accidens*.

liquidum, cujus proin effatum, in hac materia lubrica, ſcandaloſum. *Minoris* primum *membrum*, ut apertius pateat, audiatur *Thomaſius*,

Unde, etſi intendatur libidinis extinctio, tanquam finis ſecundarius, intenditur tamen modo inhoneſto, quia extra-conjugali.

Opponit 1. Etſi ſcortatio non habeat conjugii finem *primarium*, prolis generationem; habet tamen *ſecundarium*, libidinis extinctionem: ergo non *demonſtratur* eſſe inhoneſta. R. D. A. Habet finem ſecundarium, *debito honeſtóque modo*, hoc eſt, *conjugali*, N. Habet *inhoneſto, naturæque contrario modo*, hoc eſt, *extramatrimonali*. C. A. Et N. C. *Evidenter* falſam, quia ſibi, proli, matrimonio, propagationi, à natura ordinatæ, finíque primario, ac denique ſocietati humanæ *evidenter* præjudicioſam, ac pernicioſam.

Nec ceſſat, in caſu particulari, & raró, finis prohibitionis, quia non ceſſat periculum, ſocietati humanæ præjudicioſum.

Opponit 2. Etſi foret propagationi, ſocietatíque humanæ præjudicioſum, ſi *univerſaliter*, & *ſemper* licita foret fornicatio, vel ſi libidini *omnes, unicè*, & *ſemper* vacarent; non tamen eſt præjudicioſum, *ſi quis quandóque libidinem explerit*: ergo non *demonſtratur* eſſe naturæ jure prohibita. A. P. Infamis apologetes. 1. Quia præceptum eſt *indeterminatum*, quod non *perpetuam*, & *continuam* obligationem intendit, ſed cujus effectus *nonnunquam ceſſant*. 2. Quia pluribus inſtantiis falſum eſt principium: *quidquid turbat ſocietatem humanam, ſi ei ſoli, & unicè homines incumberent, id in univerſum eſt prohibitum.*

℟. N. A. Evidenter ſcandaloſum, quia talis licentia *indeterminata per ſi quandóque*, in tanta effrenis libidinis proclivitate, peſſundaret omnem præcepti vim; everteret naturæ inſtitutionem, matrimonii de ſe oneroſi uſum, & finem, cum manifeſto prolis, propagationis, & ſocietatis humanæ præjudicio: ergo *evidens* eſt, hoc ipſum periculum, *univerſali prohibitione*, naturæ jure fuiſſe avertendum, tótque ſocietatis humanæ incommodis præcavendum. *Ad* 1. Negatur ſuppoſitum, quòd præcepti effectus, ſeu quòd *periculum univerſale* ullo caſu poſſit ceſſare. *Ad* 2. Etſi *Puffendorfius* illam regulam adſtruat, *ùt ſufficientem ad probandum*, naturali jure *damnari libidinem*, (a) nos aliis principiis utimur.

Etſi non quivis membrorum uſus contra naturæ ordinem inferat abſolutam inhoneſtatem, infert tamen conjuncta voluptas, tantoperè inordinata.

Opponit 3. Si naturæ jure foret prohibita etiam *beſtialis*, vel *ſodomitica* lues, tunc vel propter membrorum abuſum non modò *præter*, ſed & *contra* naturæ ordinem, vel propter *conjunctam venerem*. 1. probaret etiam loquelam per digitos, vel certè *vomitum* fore peccatum, naturæ jure prohibitum; ſecundum eſt *obſcurius*, quia *clara* diſparitas dari nequit; neque *ratio, ex pudore & dignitate hominis* deſumpta, *ſufficiens* eſt, ut Gentilem, *Terentianâ* ſententiâ imbutum, convincere queat. Ita *Thomaſius*.

℟. N. *Min.* Diſparitas eſt, quòd vomitus & naturæ difficilis ſit, & intentus ad hominis bonum, non in ſocietatis humanæ præjudicium. Quòd ſi beſtialis ſpurcitia, nec ex rationibus ſuprà poſitis, nec *ex pudore & dignitate hominis, Thomaſium de jure naturæ evidenter convincat, Terentianum ſeſe demonſtrat*, hoc eſt, indignum, qui titulo ſani hominis glorietur. Si dicat, à Gentibus non paucis fornicationem, etiam ùt naturæ congruam, legibus ſancitam; * mollitiem, etiam à *Chriſtianis* adultis, ùt peccatum, haud agnitam; adeóque juris naturalis *evidentiam*, fruſtrà paſſim eſſe venditatam, inſanit cum iis, qui negant cibi dulcedinem ob ſtomachum corruptum; lumen ſolis ob oculum vitiatum, ſeque proſtituit, magno nominis ſui dedecore, probátque, *ſe datum eſſe in ſenſum reprobum*. Plura ibi congerit, (b) plùs quàm *Terentianâ* proteruia, illaudatus Author, quæ charta candida meritò erubeſcit: ſed nec allata ſpongiam fuiſſent commerita, niſi *Thoma-*

(a) De J. N. & G. L. 6. c 1. §. 4. f. m. 798. Ubi addit ex *Cumerlando*: *nihil ſecundùm rectam rationem ſtatui poſſe, in quod omnes non poſſint conſentire.* Subnotat *Nicolaus Hertius*: Legi nuper ſcriptum, *cùm ſodomia & fornicatio, ex principio ſocialitatis, prohibita dici nequeant, haberi ea crimina pro permiſſis jure naturæ*, quod nollem ſcriptum. Si cui demonſtratio *Puffendorfii* non ſufficiat, pauló clariore utemur. Novit homo, nobilitate naturæ longè ſupra beſtias ſe conſtitutum, & ùt vitam, ita & cætera naturæ bona, ac facultatem generandi non fruſtra ſibi datam à Deo; hanc haud dubiè, ut humanum Genus propaget, & ſobolem non gignat tantùm, ſed & educet, quò in placens Deo animal evadat: atqui finem hunc non obtineri nefando concubitu, ex ſodomia etiam monſtra gigni in aperto eſt. Ita ille.

* Ut apud *Atticos* ante *Cecropem*, apud *Lybios* &c. nota eſt lex *Cabadis*, *Perſarum* Regis, de promiſcue fœminarum uſu; nota lex *Lycurgi* de vaga libidine; nota eſt communio uxorum *Platonica*.

(b) L. c. à §. 160. uſque ad. 167. De naturæ inſtinctu; de paſſionis vehementia, per ipſam reſiſtentiam exaſperata; de libidine per ſanitatis cauſam legitimatâ; in lupanaribus approbatâ &c. quæ omnia, tantoperè ſcandaloſa, tetrum ſtigma Moraliſtæ huic inurunt, & tamen ipſe in ſuis ſordibus triumphat. *Hic profectò ſentiant alii*, inquit, *quod velint, & Philoſophi nomine me judicent indignum, cogor fateri, rationem meam hic ſuccumbere* &c. §. 167. Alibi dicit, eos, qui hæc defenderent, ùt naturæ jure prohibita, *ſeſe diſtinctionibus, reverà nihil ſignificantibus, implicare, & apud Eruditos, qui neutrarum ſunt partium, ſe proſtituere, miſerámque ignorantiæ ſuæ effugium quærere.*

Thomaſianum nomen tot ſectatores jam attraxiſſet, plures attracturum, niſi ejus, quod crepant, in jus naturæ, à ſcholaſtico pulvere repurgatum, præclara merita, corruptelis juventuti perniciosiſſimis gravida, publicè proſtituantur.

Proteſtantium ſutela.

Quæritur IX. *Quanam alia Moraliſtarum proteſtantium, circa animi corporisque culturam, ſcita erronea?*

Imprimis Puffendorfii, officia hominis erga ſe, non niſi reflexa obligatate, retrahentis ad jus naturæ.

℞. I. Ut vidimus, ex erroneo *ſocialitatis* principio *Puffendorfius* Jurisprudentiæ naturali magnam induxit labem, adſtruendo *indirectam* ſolummodò obligationem, *quò ad officia hominis erga ſe; quò ad interna* obligationem quodammodò *remotam*, nec *abſolutam* pro omni caſu, quo nullum promanaret periculum in ſocietatem humanam. Unde illa ejusdem malè concinna gnome (a): *circà ea, quæ intra poltus latitant, nec aliquem effectum, aut ſignum foras producunt, jus naturæ haud eſſe ſollicitum* &c. quo caſu, cum ſuo *Thomaſio*, jus naturæ, potiore ſui parte, mutilum edidit, fœtum veriſſimè monſtroſum, utì ſæpe diximus.

Et ſub ſpecioſo fuco Jurisprudentiæ naturalis Proteſtantiſmi lolia diſſeminantis.

℞. II. Idem *Puffendorfius*, cùm dixiſſet, *culturam animi eò* potiſſimùm redire; *ut rectis ſententiis* animus imbuatur circa ea; quæ ad officium hominis, *vitámque* ſocialem ſpectant; & contrà *ut perniciofis opinionibus* expurgetur &c. illicò has inter memorat (b) 1. *Perſuaſionem, quaſi Numen peccata hominum velut nundinetur, & ea redimi patiatur pecuniâ*, queîs verbis, *Webero* ſcholiaſte, ſugillat ſamoſam, utì nugantur, indulgentiarum nundinationem penes Catholicos. 2. *Quòd ea nundinetur aliis muneribus, ritibus quibusdam inanibus, aut conceptis verborum formulis, citra emendationem vitæ*, qua phraſi Sacramentum exhomologeſis, & abſolutionem ſacerdotalem explodit. 3: *Quòd Numen capiatur ejusmodi inventis hominum, aſſumptis vitæ inſtitutis, quæ ad ſocietatem humanam & civilem, ad ſanæ rationis & legis naturalis dictamen, attemperatam, non quadrant*, qua theſi inſtituta monaſtica *Lutherice* reprobat. 4. *Quòd ſolum pietatis exercitium erga Deum homini ſufficiat, citra reſpectum ad probitatem, officiáque erga homines exercenda*, qua expreſſione vitam anachoreticam carpit, *& Webero* interprete, profeſſionem fidei, *ſecundùm certas formulas*, quaſi ſolius cultûs externi obſervationi accommodam, *mendaciter* criminatur. 5. *Quòd homines poſſint non ſolùm pro ſe ſuo officio erga Deum ſatisfacere, ſed etiam pro aliis*, quibus verbis ſuffragia pro animabus purgantibus calumniatur. Hæc omnia probant *Puffendorfii* ſcopum, in ſuo naturæ jure *ſibi, malignitate proteſtantica*, præfixum, tam alienum à vero, quàm Juventuti Academicæ perniciosum, quo nempe, *per naturalis Jurisprudentiæ fucum*, impiè graſſatur in Catholica dogmata, ſic ut jam ſæpiùs neceſſe fuerit, hunc conatum præpoſterum denudare, ac ſcita pſeudopolitica verioribus evertere, qualia ſunt: *Impium eſt dicere; Religioſorum Ordines oneri eſſe Reipublicæ* (c). 2. *Indulgentiarum diſpenſatio eſt Eccleſiæ catholicæ, Divino jure, conceſſa; uſûs eſt antiquiſſimus, malè à Proteſtantibus ſuperſtitioni Papiſticæ annumeratus* (d). 3. *Orthodoxa veritas eſt; ſtatum monaſticum de ſe eſſe juris Divini; quò ad varietatem verò juris humani; originem Apoſtolis coævam* (e). 4. *Purgatorii dogma catholicum eſſe ſomniis adſcribendum, fruſtrà Proteſtantici ſomniant* (f). De Sacramento Confeſſionis; bonorum operum neceſſitate, ſuffragiis &c. videantur Polemici, paſſim obvii.

Thomaſii quoque, ſub permiſſivi juris naturalis velamine, Epicureiſmi luem peſtiferam ætati Academicæ affricantis.

℞. III. *Thomaſius*, præter probroſa dogmata, de omni ſpecie *Veneris*, naturæ jure haud interdictâ, etiam negat, utique per conſequentiam ſcandaloſæ doctrinæ, conſenſum *in delectationem momentaneam*, ex alterius congreſſu illicito, *eſſe peccaminoſum* ſpectato naturæ jure, eò quòd *ex ſolo rationis lumine id demonſtrari haud poſſit*. (g). Sed erronea theſis ſatìs patet ex dictis de interna & externa honeſtate, naturæ jure præcepta, præcipuè, quòd ejusmodi licentia, *etſi momen-*

(a) In præfat. ad librum de offic. hominis, §. 9.
(b) L. c. c. 5. §. 3. f. m. 81.
(c) P. VII. Coll. Hiſt. Q. 2. Propoſitione 4. f. 190.
(d) P. V. Q. 6. f. 549.
(e) P. V. Q. 6. f. 534.
(f) P. V. Q. 6. f. 554.

(g) Jurisprudentia Divinæ L. 2. c. 2. n. 116. f. m. 172. Etſi in curis ſecundis L. 2. c. 2. n. 15. hanc ſutelam expunctam velit, ſed non alia de cauſa, quàm quòd ejusmodi prohibitio *pertineat ad lumen revelationis*, atque adeò ex juris naturalis principiis probari haud poſſet. Inde *addit: interim non recedo à ſententia ibi expoſita.*

mentanea, in caſu particulari judicio corrupto relicta, *propter effrenem concupiſcentiam*, annexum haberet periculum, ne vergeret in omnimodam ſui, & ſocietatis humanæ perniciem, ut adeò, *ratione tam gravis periculi*, naturæ jure prohiberi *univerſaliter* neceſſe ſit. Quòd ſi *Thomaſii*, ejusmodi momentis, *demonſtrativè* convinci ſeu non poſſint, ſeu non velint, illud vitium erit intellectûs, *Terentiana* fuligine obfuſcati; hoc voluntatis, nimiùm depravatæ, id quod in materia juris naturæ ſæpiùs contingit, ſecùs nulla abominatio pagana, etſi quàm maximè inſana, menti carnaliter occœcatæ, ex rationis lumine, *ſat demonſtrari* poſſet. Nos in demonſtrationibus juris naturæ Sanctorum Patrum, Theologorum, Juriſconſultorum, etiam acatholicorum, limatum magìs judicium meritò præferimus *Thomaſiano* cerebro, in hiſce materiis abundè ſatìs vermiculoſo.*

Idem *Thomaſius* negat, naturalem Jurisprudentiam quidquam attinere bona animæ ſpiritualia: quia nixa *immortalitate, rationis lumine haud demonſtrabili*: ſed multùm errat. 1. Quia ſufficit, bona interna animæ nixa eſſe vitâ, *poſt mortem ſuperſtite*, ſaltem in ordine ad pœnam vel præmium, per ſolum rationis lumen *evidenter* cognoſcibili. 2. Quia ſufficit, nixa eſſe immortalitate animæ *moraliter certa, & innegabili, ex omnium pene Gentium unanimi conſenſu*, ùt habet *Leibnitius*, (a) quem conſenſum *meram probabilitatem* efficere, inaniter aſſerit *Weberus* (b): immò ſola traditione *Judaica*, nec niſi *argumentis obſcuris, & vix probabilibus* fultum, ineptit *Thomaſius*; & demum amplius, deſipit *Fleiſcherus*, dum animæ *immortalitatem*, uti & *ſpiritualitatem*, refert *ad quaſtiones, rationi, ſibi relictæ, planè incognitas* (c). Certè etiam argumenta phyſica animæ immortalis non ſolùm Orthodoxis perquam multis, ſed & Acatholicis, *demonſtrationis nomine digna*, viſa ſunt, quos inter *Digbaus, Mornaus*, proteſtantici, dicente etiam *Leibnitio*: *licèt tam verum eſſet, quàm falſum eſt, immortalitatis animæ demonſtrationem plenam à naturali ratione non ſuppeditari; ſufficeret tamen prudenti certitudo moralis, neque enim conſenſus omnium penè Gentium, aut deſiderium inſitum immortalitatis, ſperni poſſunt.* **

INSTRUCTIO II.

Inſtructio 2.

De Officiis neceſſitatis, reſpectu hominis erga ſe, circa defenſionem vitæ, bonorum &c.

§. I.

§. 1.

De jure neceſſitatis, ejúsque norma in genere.

Jus neceſſitatis, ejúsque norma in genere.

Quæritur I. *Quid neceſſitas, & quotuplex?*

℟. I. *Neceſſitas* denotat *ſtatum hominis, in quo legi, abſque ſuo periculo, parere non poteſt*: unde *per jus neceſſitatis* intelligitur *facultas, æquitate naturali fundata, ſe eximendi à lege, quæ ad caſum neceſſitatis non præſumitur à Legislatore extenſa.* *Neceſſitas.*

℟. II. Porrò *major vel minor* ſolet eſſe *neceſſitas*, prout nempe periculi gravitas *major vel minor* eſt. Ordinariè *triplex* adſtrui ſolet: *extrema*, ex qua imminet periculum vitæ, vel malum haud inferius morte: talem experti ſunt Martyres, quibus vel moriendum, *vel Christo* renuntiandum fuit. *Ejus varietas extrema.* 2. *Gravis* ex qua imminet periculum magni mali, v. g. *Orbitatis oculorum, mutila-* *Gravis.*

---

* Nemo, reor, dioſyrticus *Cato* nobis juſtè opponet, quòd ejusmodi ſcandaloſa dictamina, in hoc Catholico opere, producamus. Producunt proteſtantici Moraliſtæ, an producta, in Juventutis perniciem, diſſimulabimus, radices agere ut ſenſim queant? Certè paſſim Academicæ ætati obtruſa legimus: cur ergo frontem quis caperet, ſi refutemus? *Exemplo res clareſcat.* Scripſit non ita pridem *Fridericus Ludovici in doctrina Juris naturæ, juridicè conſiderati* c. 10. § 15. hanc bellam admodùm doctrinam. *Ut bina verba*, inquit, de concubitu, qui ſolius libidinis explendæ gratiâ ſuſcipitur, addamus, *ratio, ſibi relicta*, id quidem cognoſcit, eum peccare in leges ſocialitatis, *qui nimio Veneris exercitio* morbum ſibi attrahit, & per conſequens ſe inhabilem reddit, quò minùs, futuro tempore, aliis inſervire poſſit. *Quòd ſi tamen tales circumſtantiæ non adſint, tunc certè medius terminus demonſtrandi turpitudinem ſuſceptæ actionis deficit.* Interim S. Scriptura ejusmodi coitus, tamquam peccaminoſos, damnat, & rejicit. Ita ille. An iſta, paſſim venalia, ſi adducamus, ut refutemus, ſpecies erroneas potiùs impriment, quàm evellent?

(a) lo epiſt. cenſoria f. m. 9.

(b) L. c. *Inde apodictica certitudo non probatur: probabile viſum fuit pleriſque Gentibus, animam cum corpore non interire.*

(c) In inſtit. J. N. & G. L. 2. c. 1. §. 21. f. m. 9.

** Ibidem *Thomaſius* nempe L. 2. c. 2. Jurisprud. Div. in notis ad o. 23. f. m. 159. inſignem aſſuit errorem, dicens: *ſed iſta non intelligit Alberti cum ſuis Peripateticis: intelligebat olim Lutherus, apertè tres partes hominis ex Scriptura agnoſcens: corpus, ſpiritum, animam. Dicemus alibi fuſius.*

mutilationis, *captivitatis*, *infamiæ*, *gravis jacturæ bonorum*, vel *statûs*: * talem experti sunt *Christiani* sub *Juliano* apostata, dum eos non modò à litterarum studiis, honoribus, & militia repulit, sed & infamiâ publicâ, ac bonorum amissione multavit.

Absoluta & respectiva.

3. *Communis*, ex qua imminet malum commune. Alii *gravem* subdividunt *in absolutam*, & in *respectivam*, quam alius quidem, non autem hic evitare posset, qualis erat necessitas *Davidis*, dum vel fame illi pereundum, vel panibus sacris vescendum erat: eò quòd alius, qui sine præcipiti fuga iter fecisset, facilè reperîsset panem, pellendæ inediæ necessarium.

Necessitatis proprietates.

Quæritur II. *Quæ necessitatis proprietates, & ex iis eruendæ regulæ circa officia hominis erga se, naturæ jure præscripta?*

℞. I. *Proprietates*, quæ insunt *juri necessitatis*, ex triplici circumstantia eruenda sunt. 1. *Ex qualitate necessitatis*, quæ urget. 2. *Ex natura legis*, cui contraveniendum. 3. *Ex indole officii*, quod prætermittendum est. Circa quam triplicem considerationem statui possunt generales quædam regulæ. Unde *quò ad qualitatem necessitatis*:

Regula circa qualitatem necessitatis.

℞. II. Non *quævis* necessitas, sed solummodò *extreme*, vel etiam *gravis* in æstimatione morali, & quidem *absoluta*, immò quandoque & *respectiva*, parit jus eximens à lege. *Ratio est*: quia favor necessitatis vergit in præjudicium legum, certò obligantium, adeóque est strictæ interpretationis. Unde requiritur necessitas gravior, quæ eximat à lege, strictiùs obligante. Ex materia autem præcepta, sensúque Fidelium, ac Doctorum, argui potest, quænam lex strictiùs obliget. Illud certum, necessitatem *evitabilem* & *ultrò accersitam*, non eximere à lege. *Ratio est*: quia qui ultrò se periculo offert, est causa suæ necessitatis, in qua versatur, adeóque eventus illi est imputabilis. ** *Quod spectat naturam legis*:

Circa naturam legis naturalis & divinæ negativæ.

℞. III. Nulla necessitas, etsi extrema, *regulariter* *** eximit à lege, seu naturali, seu *Divina negativa*: v. g. prohibitiva *blasphemiæ*, *mendacii*; vel *administrationis simulatæ* quò ad Sacramenta. **** *Ratio est*: quia præcepta *negativa*, ex ratione ipsius mali prohibiti, quod omni alio malo physico, omni in circumstantia, ordinariè majus, *per mentem Legislatoris* non potest non obligare *semper pro semper*. Nam, cùm malum illud *regulariter* tendat in injuriam Dei, certum est, Deum posse malum. majus morte, infligere, & nobiliore bono jacturam vitæ compensare. Sic nullus est tantus necessitatis favor, qui hominem, leges Divinas negativas de officiis erga Deum violaturum, excusare possit, ipso *Juvenale* ethnico attestante: *Ambiguæ si quando citabere testis, incertaque rei, Phalaris licèt imperet, ut sis falsus, & admoto dictet perjuria tauro, summum crede nefas, animam præferre pudori, & propter vitam vivendi perdere causam.*

Affirmativa.

℞. IV. Necessitas *extrema*, vel etiam *gravis absoluta*, *per se* loquendo, eximit à lege *tam naturali*, quàm *Divina affirmativa*: V. g. à lege naturali restituendæ rei alienæ, voti adimplendi &c. à lege Divina faciendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ in statu peccati gravis; item faciendæ confessionis, *materialiter* integræ &c. *Ratio est*: quia hæc præcepta, præcipientia actum, præsupponunt *occasionem*, *materiam*, & *facultatem moralem* exercendi actum, sicque habent, *ex mente Legislatoris*, exceptionem imbibitam obstantis summæ necessitatis &c. Non enim imputari potest omissio actionis, si agendi desit *occasio*, ùt patet;

---

* Et hac declaratione *gravis necessitatis*, haud reor, incurremus censuram *Thomasii*, qua, *more suo*, calumniatur Scholasticos, quasi necessitatem *summam*, vel *gravem* sæpiùs falsissimè extendant *ad necessitatem commoditatis*, *dum putant*, (uti ait:) *ablationem rei alienæ etiam esse licitam in necessitate gravi, fortè ad evitandam mendicitatem.* Jurisp. Div. L. 2. c. 2. n. 127. Multò minùs curanda sunt *Fleischeri* sueta deliria, queis ait in Instit. J. N. L. 2. c. 2 §. 61. *Distinctionem necessitatis in summam & gravem, nec non inter leges divinas, affirmativas & negativas, tanquam fundamento destitutam, rejicimus, nullam aliam necessitatem, quàm incolumitatis, agnoscentes.*

** *Heineccius* in elementis de J. N. & G. L. 1. c. 6. §. 158. in notis pro exemplo adducit *Quinctum* quemdam, cujus in epistola, de martyrio *Polycarpi*, meminit Ecclesia *Smirnensis*, qui, cùm sponte se obtulisset martyrio, & alios ad idem faciendum perpulisset, visis bestiis, nefando se polluit sacrificio. Sed minùs appositè adducitur hoc exemplum, quia hæc necessitas, *etiam non accersita*, *Quinctum* à lege hac negativa eximere haud potuisset.

*** Spectando nempe præcepta *negativa*, quorum objectum *materialiter* malum, nec dispositioni Numinis absolutæ subjectum; non in quibuscunque tendentibus *negativè*: V. g. in antiqua lege, *suillam ne comedas*; *propositionis panes laicus ne sumat* &c. quæ habuêre *exceptionem necessitatis*, nisi accessisset aliud negativum, *nil faciendum in legis*, *Deique contemptum*, *scandalum* &c.

**** Juxta propositionem 29. ab *Innocentio* IX. proscriptam: *gravis metus est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

patet; vel si agendi desit *facultas*, quæ censetur deesse *moraliter*, si quid fieri non possit, nisi ipse peream, cùm amorem & curam sui abjicere, ferè inter impossibilia, & quæ communem hominum constantiam superant, habeatur. Excipitur tamen casus, quo res ita comparata foret, ut vergeret in Dei injuriam, religionis contemptum, seu scandalum, quo casu *per accidens* concurreret lex negativa, *vi cujus nil faciendum in Dei contemptum, vel ignominiam.*

Circa naturam legis humanæ.

℟. V. Necessitas *extrema*, vel etiam *gravis absoluta*, *regulariter* * eximit à lege, *merè humana. Ratio est*: Quia Legislatori humano vel deest *potestas*, vel *voluntas* obligandi pro circumstantiis extremæ necessitatis obstantis. *Potestas* (saltem loquendo de merè civili, seu politica) eò quòd non habeat *illimitatam*, cum dominio vitæ civium absoluto, sed *limitatam* ad usum convenientem, ** ex pacto coeunticum in Rempublicam. *Voluntas*, quòd dura nimis obligatio observationem legum *moraliter* faceret impossibilem. Accedit, quòd *Panormitanus* cum Juteconsultis, ejusmodi obligationem, ex rationibus nullius ponderis adstruat. *Nam quòd dicant.* 1. Quæ contra legem aguntur, peccata sunt. ℟. Negando suppositum, quòd *pro casu necessitatis* sit lex: nam imminente periculo cessat obligatio legis juxta c. 4. de R. J. & quòd aliàs non esset, fit licitum *propter necessitatem*: adeóque replica arguit à sensu *composito* ad *divisum*.

Quod Dicant. 2. Bonum legis commune præferendum esse privato. ℟. Falsum esse, quòd bono communi semper sit necessarium, *materialiter* exequi legem, cùm satis sit, servari *regulariter*, & *per se*, ac casibus ordinariis.

Quòd dicant 3. Ex his sequi, quòd, *propter intentatam mortem*, quis posset contrahere cum consanguinea, celebrare sine vestibus sacris, cum excommunicato communicare &c. contrà statuta Canonum &c. (a) ℟. Canones loqui *indefinitè*: unde quis contrahere posset, sed non consummare, loquendo de matrimonio infidelium, prout notat contractum merè civilem; loquendo de matrimonio fidelium, ut notat Sacramentum, contrahere haud posset absque simulatione Sacramenti, quæ neque urgente metu mortis est licita; multò minùs posset consummare, quia *stante impedimento dirimente*, etsi solùm humano, matrimonium inter fideles foret nullum, adeóque consummatione committeretur fornicatio, quæ naturæ jure prohibita *pro semper*. Unde cum P. *Viva* & *Cardena* (b) videtur dicendum, ob metum mortis non quidem posse simulari Sacramentum matrimonii, posse tamen simulari contractum matrimonii merè civilem, qui in memorato casu validus foret, etsi non elevatus à *Christo*, consequenter nec materia nec forma Sacramenti. Celebrare sacrum, juxta probatos authores, permissum foret, uti & communicare cum excommunicato, si fingatur abesse scandalum, & formalis legis Ecclesiasticæ contemptus, Divina lege vetitus *pro semper.*

In casu boni publici communis.

℟. VI. *Lex humana potest tamen obligare, etiam cum periculo vitæ; immò sic obligare præsumitur pro casu boni publici, & salutis Reipublicæ.* 2. *Unde si transgressio legis cederet in grave præjudicium boni communis, vel Reipublicæ, nulla necessitas, etsi extrema, eximeret à tali lege. Ratio primi membri est*, quia in Republica datur potestas necessaria ad gubernationem, ac sui conservationem; secùs enim haud foret ei, *hac ex parte*, satis provisum: ergo necessariæ non nunquam sunt leges, cum vitæ periculo obligantes, uti patet in bello, & tempore pestis. *** Neque sufficit *jus naturæ*, quia ad summum obligat *in communi* ad providendum, non autem hos vel illos; & sæpe obligatio naturalis est satis *incerta*: ergo lex humana, ut actus aliarum virtutum, ita & fortitudinis, præcipere potest. Unde quando periculum vitæ *per se* est conjunctum cum actu præcepto: v. g. *navigatione*, *expeditione periculosa*, rectè præsumitur lex obligare; secùs, si periculum *per accidens* conjungatur, tunc enim est locus *epickiæ*, & *præsumptio* de mente Legislatoris non obligantis. *Ratio 2di membri est*: Quia malum commune præponderat privato; & licet privatus jus habeat in suam

* Nam *per accidens*, si violatio vergeret *in injuriam Dei, contemptum religionis, scandalum pusillorum; præjudicium Reipublicæ* &c. adesset obligatio legis Divinæ, vel naturalis negativæ.

** Ut habet *Grotius*, L. 1. c. 4. §. 7. *Ferri leges ab hominibus solent; & debent cum sensu humanæ imbecillitatis.*

(a) C. *Sacris: de his qua vi.*

(b) In propos. 29. ab *Innocentio* XI. damnatam.

*** Inde militarium Ducum imperia obligant cum evidenti vitæ discrimine; mandatum Episcopi, ne Pastor; Principis, ne Medicus recedat à suis tempore pestis &c.

ſuam vitam, magis tamen eſt Reipublicæ, quam ſuis: ſiquidem cives, ſeſe civili imperio ſubjicientes, in Imperantem contulêre omnia, ſine quibus *finis civitatis* obtineri non poſſet, adeóque & jus vitæ, necisque, etſi non promiſcuè, quia hoc fini civitatis refragaretur, ſed tamen pro circumſtantiis, in quibus id exigit ſalus Populi, vel Reipublicæ.

Circa indolem officiorum. ℞. VII. Denique *jus neceſſitatis* etiam regulam ſumit *ab indole officiorum, reſpicitvè ordinem amoris, cuius naturaliter debiti.* Ita ab officiis *reſpectu Dei, quæ* ſine illius præjudicio omitti nequeunt, nulla unquam neceſſitas excuſat. In officiis erga nos ipſos, ſi neceſſitas inevitabilis duo conjungat mala phyſica, eligendum minus; ſi phyſicum & morale, illud eſt ſubeundum: hinc nulla bonorum, nulla vitæ perdendæ neceſſitas præhabenda neceſſitati propriæ ſalutis; nil obſtante mortis periculo ſuſcipiendus baptiſmus; * veráque religio, agnita ùt talis, ampleĉtenda, &, ſi opus eſt, profitenda. In officiis, proximo naturæ jure præſtandis, *regulariter* ceſſat obligatio *in æquali* periculo, quia *proximior quivis ſibi:* ** hinc nulla obligatio naufragi de cedenda naufrago tabula. Non ceſſat *ſemper* in periculo proximi longè majore, etiam æternæ ſalutis, præcipuè ſi quis urgeat *titulus*, nulláque obſtet periclitantis culpa: ſic, *Azorio* authore, nil obſtante mortis periculo, tenetur quis *lege charitatis* peccantem corripere, graviter laboranti ſuccurrere, baptiſmum morituro infanti adminiſtrare &c. ſed de his infrà exactiùs. Denique advertendum, an *neceſſitas*, in qua verſamur, ſit poſita *à Deo*, vel *à malitia hominis.* In caſu priore ſæpe ceſſat obligatio: ſic *Judæo*, in extrema famis neceſſitate, fuiſſet licitum *edere ſuillam*; non in poſteriore, ſi metus mortis acceſſiſſet à tyranno, ſuillæ eſum jubente *in contemptum legis.* Sic in caſu poſteriore, *per ſe loquendo*, etiam ceſſat obligatio in quovis periculo alterius, etiam ſalutis: nam meritò excuſandus, qui alium, quàm ſe, perire malit, præſertim cùm periculum alterius malitiæ propriæ ſit imputandum: exempla occurrent ſuo loco. Sed hiſce regulis, caſibúsque inde decidendis, obſervationem admodùm obſervandam ſubjungit *Heineccius* (a). Si rectè, inquit, ponamus calculum, multi finguntur caſus, qui rariſſimè contingunt; plures, cùm inſtat præſentiſſimum periculum, capto in arena conſilio, reſolvuntur, ut non malè de ejusmodi caſibus uſurpare poſſis illud Poetæ (b): *facilè omnes, quum valemus, recta conſilia ægrotis damus, tu ſi hic eſſes, aliter ſentires.* Ita ille. Quidquid ſit *de facto, de jure naturæ* certum eſt, axioma illud: *neceſſitas non habet legem*, quò ſumitur *univerſalius*, eò eſſe *fallacius.* ***

§. II. §. 1.

De jure neceſſitatis in ſpecie circa defenſionem vitæ propriæ. *Defenſio vitæ in ſpecie.*

Quæritur III. *Quænam origo juſtæ defenſionis, & quodnam æquitatis principium fundamentale?* *Origo juſtæ defenſionis.*

℞. *Defenſio juſta, contra vim injuſtam, originem trahit ab amore cuivis congenito, in quo, velut principio, per rationem ordinato, etiam fundatur. P. Aſſeritur.* Conſervatio ſui in ſtatu connaturali, *quo ad vitam, membra, bona* &c. contra vim omnem, etiam vî, ſi opus ſit, repellendam, oritur non modò à quodam *cæco inſtinctu* amoris proprii *connaturali*, ſed etiam ab amore ſui *ordinato*, ipſo lumine rationis eò impellente, ùt quivis in ſemetipſo experitur: ergo eſt à naturali amore. A. patet, ex ipſis etiam animalibus, quibus Natura vires, ſibi tuendis juvandisque, attribuit, *Cicerone* teſte: *generi animantium omni eſt à Natura tributum, ut ſe, vitam, corpúsque tueantur, declinéntque, quæ nocitura videantur* (c): *ſic dente lupus, cornu taurus petit*; unde, *niſi intus monſtratum?* uti canit *Horatius.* Sic teſte *Philoſopho*, (d) & *homini manus pro haſta* *Defenſio juſta, contra vim injuſtam, oritur ab amore naturali.*

* Fluminis, *ſi fieri poteſt:* quia de baptiſmo *flaminis*, ratione amoris perfecti homo nequit eſſe tam certus, independenter à revelatione, quàm de baptiſmo fluminis; ſaltem *regulariter*, & *per ſe* loquendo.

** In hunc ſenſum *Seneca.* L. 2. c. 15. de beneficiis. *Dabo egenti, ſed ut ipſe non egeam; ſuccurram perituro, ſed ut ipſe non peream:* quem in ſenſum abit axioma inter Scholaſticos receptum: *Ordinata charitas incipit à ſe ipſa.*

(a) In elementis cit. L. 1. c. 6. n. 163. ſ. m. 128.

(b) Terentii Andr. 2, v. 9.

*** Unde & eò fallacior regula *Thomaſii* in fundam. J.N. L. 2, c. 2. n. 18. & 19. *omnes leges habere tacitam exceptionem neceſſitatis*, niſi medium evadendi ſuppeditetur à malitia humana, contumeliam Dei intendente.

(c) L. 1, de officiis.

(d) De partibus animal, c. 10.

hasta est, pro ense, pro armis quibuslibet, quæ omnia potest sumere ac tenere. Unde idem *Romanus* Orator (a): *Est hæc non scripta, sed lex nata, quam non didicimus, verùm ex natura ipsa hausimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias; si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum manus incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. &c. Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos Gentibus, & feris Natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore à capite, & vita sua propulsarent.*

Æquitas justæ defensionis.

Quæritur IV. *Quæ æquitas, seu dispositio juris naturalis, circa defensionem vitæ in specie?*

Est juris permissivi etiam cum invasoris morte.

℞. *Defensio vitæ propriæ justa, contra vim omnem, cujusvis aggressoris injusti, etiam cum ejus occisione, est juris naturalis permissivi, seu jure naturæ cuivis licita.*

Quia est ab amore, sibi & proximo naturaliter debito,

P. *Assertum.* Illud jure naturæ licitum, quod nec est *positive* exigitum, nec *absolute* oppositum *amori*, sibi, Deo, ac proximo naturaliter debito, hoc est, *ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario*: tale quid est justa defensio vitæ contra aggressorem injustum &c.

Nec determinatè exigita.

Minor quò ad 1mum. Demonstrabitur infrà, patetque ex eo, quòd defensio *privata* non sit medium, *determinatè* necessarium ad felicitatem *sive propriam*, quæ compensari potest *majore bono*, si intermittatur violenta aggressoris occisio; *sive societatis humanæ*, cui aliis mediis, sæpe magis commodis, præcaveri potest.

Nec simpliciter opposita, sed potiùs conformis,

Quò ad 2. membrum demonstratur 1. Quia conservatio sui, quò ad vitam, contra vim omnem, etiam aggressoris injusti cæde, si opus sit, repellendam, naturali amori, & rationis lumini *non difformis*, sed potiùs *conformis est*: cùm quisque naturali jure, ac etiam ordine charitatis, possit vitam suam præferre alienæ, *præsertim injusti aggressoris*, * qui suæ malitiæ adscribere debet detrimentum vitæ.

Et societati humanæ consentanea.

Demonstratur 2. Quia hæc ipsa licentia neque amori proximi est dissentanea, qui & ipse hoc jure gaudet contra aggressores; immò societati humanæ admodùm est *consentanea*; secùs enim multiplicari facile possent homicidia, nec homines justi possent *satis*, & *universaliter*, esse securi ab injustis aggressoribus, cederétque pietas sæpe in pœnam, impietas in præmium, id quod amori sui ordinato, & societatis humanæ, *in ordine ad felicitatem*, haud consentaneum.

Testantibus legum scitis.

Confirmatur Assertum Jureconsultorum *suffragio communi.* Nam testantur vulgata legum scita. *Instinctu naturæ habetur violentiæ per vim repulsio* (b). *Vim vi repellere omnes leges, omniaque Jura permittunt* (c). *Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui feceris, jure fecisse existimetur* (d). Sic *Cajus* ICtus: *adversus periculum naturalis ratio permittit, se defendere* (e). *Sic Josephus Historicus: Est Naturæ lex illa, quæ in omnibus valet, ut velint vivere, idque ipsum est, quapropter eos, qui vita manifeste nos volunt spoliare, hostes censemus* (f).

Oppositiones.

Quæritur V. *Quænam in oppositum afferri soleant?*

Etsi Deus solus sit vitæ Dominus,

℞. *Solet opponi* I. Solus Naturæ Author est *Dominus* vitæ, membrorum, bonorumque hominis, eíque soli *dominium* hoc est reservatum, ùt communiter docent Theologi: ergo Naturæ Authori, non homini competit jus naturalis defensionis.

Homo tamen est custos.

℞. D. A. Solus naturæ Author est *Dominus*, eíque soli *dominium altum, seu directum est* reservatum, sic tamen ut homo sit *usufructuarius*, habeátque *dominium utile*, quo potest ea omnia facere, quæ concernunt usum, & conservationem ejusmodi bonorum. C. A. Secùs. N. A. & D. C. Ergo non homini competit *jus directum* defensionis naturalis. C. C. *Jus precarium*, à Creatore concessum. N. C.

Neque Deus in statu legis naturæ jus istud limitavit.

Solet opponi II. In statu Legis Naturæ jus defensionis, cum alterius occisione, *saltem iure Divino positivo*, est circumscriptum: ergo non est licita sui defensio qualiscunque. A. P.

Sic

(a) L. 3. de officiis.

* Nam occisio innocentis *directa*, alterius jussu, *etiam sub interminatione mortis*, illicita: quia repugnat *amori Dei*, cùm sit positiva coöperatio, & homicidium directum; quia repugnat *amori*, *proximo* debito, utpote *innocenti*; nec prævalet amor proprius, suppetente medio defendendæ vitæ contra injustum mandatarium, si mortem inferre paret; vel saltem meliore bono, quàm sit vita, à Deo post vitam retribuendo.

(b) C. *Jus Naturale*. 7. Dist. 1.
(c) C. *Si verò* 3. de sentent. excommunicat.
(d) L. *ut vim* 3. ff. de J. & J.
(e) L. *Itaque* D. ad L. *Aquil.*
(f) De bello *Judaico*, L. 3. c. 25.

Sic Deus dixit *Noëmo* (a): *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*: ergo jus Naturæ fuit limitatum

Saltem reſpectu juſtæ defenſionis.

℞. N. A. Ad P. D. A. Et lex iſta intelligenda eſt *de injuſta* hominis occiſione, ſanguiníſque effuſione. C. A. De quavis etiam *juſta*, per neceſſariam ſui defenſionem. N. A. & C. *Si univerſaliter* tenerent hæc verba, nec Judex malefactorum ſanguinem fundere poſſet, quin proprium perdere deberet. Immò cùm dictum ſit antiquis: *ſanguinem pro ſanguine, animam pro anima*, (b) juſtum eſt, ut aggreſſores injuſtos usque ad ſanguinem, eodem modo, repellamus.

Neque eſt adverſum ſociali vitæ.

Solet opponi III. Defenſio ſui, *ſaltem ad uſque alterius læſionem, atque perniciem*, videtur eſſe contra leges amoris, ſocietati humanæ in ordine ad ejus felicitatem naturaliter debiti: ergo non eſt licita jure naturæ. *A. P.* 1. Leges, pro felicitate ſocietatis humanæ, *pacem primariò* ſpectant, nóſque adſtringunt ad colendam *ſocialem vitam*: atqui non colimus, perdendo hominem nobis ſimilem, ſed jacturam facimus humano Generi æqualem, ac ſi ipſimet periremus.

Seu præjudicioſum.

2. Si licitum eſt, vim vi ſanguinolentâ repellere, majoribus turbis exponitur humana ſocietas: atqui hoc eſt *contra fundamentale principium amoris, in ordine ad felicitatem, ſocietati humanæ naturaliter debitam*: ergo &c.

Sed potiùs conforme;

℞. N. A. Ad P. 1. D. *Maj.* Nóſque adſtringunt *æqualiter*, ad colendam *mutuò* ſocialem vitam, & ſalvo jure inculpatæ tutelæ. C. *Maj.* Adſtringunt *inæqualiter*, *non mutuò*, ſeu pro caſu, quo per alterius injuriam ſalvi eſſe non poſſumus. N. *Maj.* & D. *Min.* Atqui non colimus perdendo hominem, idque *noſtrâ culpâ*. N. *Min. Culpâ illius hominis*, qui injuſtè me aggrediendo ſeſe inſociabilem, atque ineptum ad recipienda pacis officia reddit. C. *Min.* & N. C.

Ac neceſſarium.

Ad 2. N. *Maj.* Majoribus turbis exponeretur humana ſocietas, ſi *impunè* in *cujusvis* ſalutem licitum foret graſſari; & fruſtra conceſſiſſet nobis Natura vitæ bona, ſi injuſtè illa invadenti non liceret vim opponere, probíque improbis in prædam forent expoſiti, ſi vim recipere, neque tamen repellere valerent. Hinc concludit *Puffendorfius* (c): *violentam ſui defenſionem planè proſcribere, haud quidquam paci, ſed exitio Generis humani conduceret. Neque enim lex Naturæ, utiquè in ſalutem hominis inſtituta, tali paci favore cenſenda eſt, quæ præſentem ipſi perniciem, & nihil minus, quàm ſociabilem vitam, erat productura.*

Et licèt jus iſtud locum quoque habeat in ſtatu civili,

Solet opponi IV. Ex dictis ſequitur, quòd non modò *in ſtatu Naturæ* ſeu *libertatis*, æquali in æqualem competat ejusmodi jus inculpatæ tutelæ, ſed etiam *in ſtatu civili* v. g. civi in civem: hoc dici nequit: ergo nec id, unde ſequitur.

Habet tamen diverſò modò:

℞. D. *Maj.* Sed etiam *in ſtatu civili* eodem modo. N. *Maj.* Modo longè diverſô, magíſque limitato. C. *Maj.* Cives adverſus cives, ſive *temporarios*, ſive *perpetuos*, violentam ſui defenſionem ſic moderari tenentur, ut eam tum demum adhibeant, quando tempus & locus non indulgent ſpatium implorandi Magiſtratum: contrà *in ſtatu naturali libertatis*, ubi Superior non agnoſcitur, poteſt æqualis contra æqualem ſe defendere, quando actu invaditur, & (ſi neceſſitas exigat) invaſorem occidere, niſi hoſtilem animum exuat, ſeque petitâ ſponte veniâ, prioris amicitiæ participem faciat.

Nec aggreſſori patrocinatur error, furor, amentia.

Solet opponi V. Ex dictis videtur fluere, quòd etiam contra aggreſſorem *errantem*, qui alterius jugulum, minimè innocuum, à ſe impeti putat; vel contra *lunaticum, furioſum* &c. licita ſit defenſio, etiam morte invaſoris; ſiquidem periculum evitari aliter non poſſit: hoc nimium; quia hic nullum ſubeſt peccatum, vel injuſtitia: ergo &c.

Quià invaſus manet in jure defendendæ ſuæ vitæ.

℞. Tr. *Maj.* Quia ad innocentiam defenſionis videtur ſufficere, quòd alteri non ſit *jus* ad me occidendum, neque in me *obligatio* mortem citra reluctantiam ſubeundi: nam cùm *conſervatio ſui*, ordine naturali, procedat, non poteſt homo, *in pari cum altero periculo conſtitutus*, non ſibi conſulere potiùs; immò cùm periculum hoc ab altero, mihi imminenti, creetur, eò minùs invidioſum eſt, malum in authorem ſuum recidere: nam, ut ut erraverit in perſona, in propoſito non erravit, nec ob errorem aggreſſoris quis ſit deterioris conditionis, quàm alter, cui hic fortaſſe non

ſine

(a) Geneſ. 9. v. 6.
(b) Exodi 21. v. 24.
(c) De J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 1. f. m. 210.

sine causa irascebatur. *Minoris* rationem D. Hic nullum subest peccatum, & jus defensionis, *primariò* & *per se*, oritur ex alterius peccato. N. *Primariò* & *per se* oritur ex natura, quæ sibi quemque ita commendat, ut non possit non ad propriam salutem incumbere. C.

Neque obstat iniqui invasoris perditio, etiam spiritualis:

Solet opponi VI. Cum *Gersone*, (a) *Richardo* à *S. Victore*, (b) & aliis. Saltem iniquè lacessitus, qui verosimiliter præsumit, *se esse in statu gratiæ*, interficere nequit aggressorem injustum: ergo necdum tenet assertum. A. P. Lege & ordine justitiæ, ac charitatis, saltem spirituali vitæ proximi corporalis propria est postponenda: ergo &c.

Quia ex ipso, seu propriâ illius culpâ.

℟. N. A. Ad P. D. A. Vita propria est postponenda, siquidem hoc sit ita *necessarium* proximo ad vitam spiritualem, ut eam sine ejusmodi postpositione consequi nequeat. C. A. Secùs. N. A. & C. Aggressor per semetipsum facilè consequi salutem potest, si à proposito velit desistere. Et cur invasoris malitiâ innocens cogeretur esse miser? Nunquid ejusmodi lex, quâ ob alterius scelus quis deberet bona; aut ipsam quoque vitam, deperdere, *ordinata* non esset, utpote quæ innocentes exponeret bonorum jacturæ, periculo vitæ; facinorosos foveret, ac multiplicaret, ingenti utique Reipublicæ detrimento. Immò sequeretur, quòd de reo, pœnitentiam recusante, non posset sumi supplicium ultimum; quòd Barbari, injustissimè Regionem devastantes, nec per bellum justum repelli, ac interimi possent, quæ omnia, ad appendices primi generis absurdas, meritò relegantur. *

S. Augustinus videtur quidem illicitam dicere alterius occisionem pro contemptibili vita,

Solet opponi VII. *S. Augustinus* expresè ait: *Non placere sibi consilium*, ut quis privatus, pro vitæ propriæ defensione, quemquam occidat. (c) Item: *se non invenire, quo pacto à libidine, seu culpa, illos defendat, qui interficiunt quemquam pro his rebus, quas contemni oportet, hoc est, quas inviti amittere possunt, ut est vita, aliáque bona* (d): *Ergo, etsi lex minus ejusmodi malefactum, ne majora committantur, non malè possit permittere, non tamen pro auferibili; adeóque contemptibili vita, quis potest licitè, cum alterius nece, sese defendere.*

Sed tantummodò directè intentam.

℟. I. Quid si contrarius hìc foret S. *Augustinus*, ùt suspicatur *Molina*? Certè suffragarentur alii PP. & DD. communiter.

Ex mente Angelici.

℟. II. Cum *Angelico* (e) D. A. Non placet consilium, ut quis pro vitæ propriæ defensione quemquam occidat, sic ut ejus mortem intendat *directè*, & *positivè*. C. A. Sic ut *directè*, & *positivè* intendat necessariam vitæ defensionem; occisionem alterius tantummodò *indirectè*, & *negativè*, non curando, etsi prævideat, ex actu defensionis, secuturam alterius mortem. N. A. & C. Hinc, etsi ejusmodi defensio *positiva* vitæ auferibilis, & consequenter contempnibilis, juxta D. *Augustinum*, *per accidens* forsan libidine, seu culpa non vacet, vacat tamen jus naturale, *ordinate fundatum amore*; vacat à fortiori lex civilis, eò quòd actum, ob majora præcavenda mala, permittat; actûs intentiones non attendat, adeóque actui pœnam quidem, homicidiis competentem, relaxet, à culpa tamen, ob inordinatum appetitum ad vitam, nequaquam absolvat.

Vel potiùs intentam ex affectu odii pravo atque illicito.

Solet opponi VIII. Cum *Molina*: (f) Licita est necessaria aggressoris injusti occisio etiam *directè*; ac *positivè* intenta v. g. pectus petendo, vel jugulum; ergo S. *Augustinus*, & ipse etiam *Angelicus* meliùs exponitur de illicita occisione, intenta *propter vindictam*, quàm de illicita occisione, intenta etiam *directè propter legitimam defensionem*. A. P. In positis circumstantiis, ipsa aggressoris injusti occisio non est mala, nec contra quintum præceptum Decalogi: ergo etiam inten-

(a) Tract. de Eucharist.

(b) Opusc. de charit.

* Ex his colligère est, quo jure infamis author *de la Morale des Jesuites*. P. 1. a. 2. f.m. 10. hanc *Molinæ*, *Cajetani*, aliorúmque communem doctrinam sugillet hac crisi. Apres cela on pourroit dire justement de ceux, qui enseignent de si pernicieuses maximes, aussi bien que de ceux, qui les pratiquent sur leur parole, ce que notre Seigneur e dit des tyrans: *Ils tuent le corps, & apres ils ne peuvent plus rien faire*, s' ils ne passoient point plus avant, & ne donnoient le pouvoir de faire mourir les ames, aussi bien que les corps, en permettant de tuer celuici &c. encorque l'on soit assuré, qu' il sera damné.

(c) Ad *Publicolam* epist. 154.

(d) L. 1. de lib. erbit. n. 11. col. m. 573. novæ edit; ubi etiam inter alia habet: *sed illi homines quomodò lege inculpata inculpati esse queant, non video; non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate. Liberum eis itaque est, neminem necare pro iis rebus, quas inviti possunt amittere. & ob hoc amare non debent &c. Sic vita, quia auferri potest, contemnenda est* &c.

(e) 2. 2. Q. 64. a. 7. ed 1.

(f) Tract. 3. Disput. 11. col. m. 1759.

intendibilis *directè*. A. P. Occisio est ab ipso aggressore factum necessarium medium ad finem bonum, puta conservationem vitæ propriæ: ergo &c.

Ut vult Molina.

℞. I. *Angelicus*, ad mentem D. *Augustini*, negaret, conservationem vitæ propriæ, cum occisione alterius *directa*, esse finem bonum, quia rem invito *auferibilem*, adeóque *contemptibilem*. Sed

℞. II. Tr. totum: sive S. *Augustinus* modò *Angelicò*, sive uterque *Molinæ* methodò exponatur, asserto nostro non adversatur: ergo loquere,ùt lubet.

Illicita fornicatio, adulterium &c.

Solet opponi IX. Pro conservatione vitæ, neque per leges naturæ,unquam licita est *mollities,fornicatio*,vel *adulterium*, ùt suprà demonstratum: ergo nec *homicidium*, utpote gravius peccatum. C. P. Ideò nunquam sunt licita priora, quia vita spiritualis semper præferenda est corporali: ergo neque posterius.

Quia non est medium, servandæ vitæ necessarium.

℞. Cum *Angelico* (a) D. A. Et hoc ideò, quia ejusmodi actus *per se*, & *ex necessitate determinata*, nunquam ordinantur ad conservationem vitæ propriæ. C. A. Si ordinarentur,veluti actus, ex quo sequitur homicidium. N. A. & C. Ad P. D. A. Quia vita spiritualis semper est præferenda corporali,si mors sit *necessarium medium* ad conservandam vitam spiritualem. C. A. Secùs. N. A. & C.

§.3.

§. III.

Defensio bonorum naturæ & fortunæ.

De jure necessitatis in specie, circa defensionem bonorum naturæ, ac fortunæ.

Quæritur VI. *Quæ æquitas, seu dispositio juris naturalis circa defensionem bonorum naturæ, ac fortunæ?*

℞. I. *Est insuper licita, jure Naturæ, justa defensio bonorum naturalium, qualia sunt membra, pudicitia, libertas, contra vim omnem, etiam cum occisione aggressoris injusti.*

Licita justa defensio bonorum naturalium;

P. *Assertum*. Defensio *vitæ*, ex principio amoris fundamentali, est juris naturalis *permissivi*: ergo & defensio *bonorum naturæ*. C. P. 1. Quia membra non minùs, quàm vita, à Deo nostræ custodiæ sunt commissa, & sæpe,in æstimatione humana,ipsi vitæ æquiparantur. 2. Quia ejusmodi naturæ bona sæpe ipsâmet vitâ sunt chariora, teste *Seneca* (b): *Proxima ab his sunt, sine quibus possumus quidem vivere, sed ut mors potior sit, tanquam libertas, & pudicitia, & mens bona.* *

Quia vitæ æquiparantur:

℞. II. *Eodem modo est licita defensio justa bonorum fortunæ, si in notabili quantitate, vel pretio, sive eripienda, sive erepta, non nisi morte furis, aut servari, aut recuperari possint.*

Eodem modò quoque licita defensio justa bonorum fortunæ,

P. *Assertum*. 1. Defensio *vitæ*, ex principio amoris fundamentali, est juris naturalis *permissivi*: ergo & defensio *bonorum fortunæ*. C. P. 1. Quia eodem jure, quo licitum est occidere invasorem *vitæ*; eodem licitum est occidere invasorem eorum, quæ sunt necessaria ad sustentandam, ac conservandam vitam: sed *bona fortunæ* taliter sunt necessaria: ergo &c. 2. Quia *spectato statu naturæ, præsertim lapsæ*, ùt rectè advertit *Lessium*, (c) si minùs *determinatè* & *absolutè*, saltem *moraliter* & *minùs strictè* necessarium medium est, conservandi ac recuperandi sua, vagámque in aliorum bona licentiam, *humanæ societatis tantoperè turbativam*, comprimendi. ** 3. Quia aliàs foveretur audacia nequissimorum hominum in furando, nihilque foret securum in societate humana ab ejusmodi harpyarum libidine. Accedit; quòd aliàs omnia ferme bella

Quia necessaria est ad vitam.

Et humanæ societati perquàm accommoda.

Ad comprimendam furum audaciam.

(a) 2. 2. Q. 64. art. 7. ad 4.
(b) L. 5. de benef. c. 11.

* Clarissimus P. *Schmier* in J. P. L. 1. c. 1. Sect. 2. §. 1. n. 44. f. m. 18. pro confirmatione affert verba D. *Augustini* L. 1. de lib. arbitr. *Lex dat potestatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo occidatur, occidat, vel cuiplam viro aut fœminæ, ut violenter sibi irruentem stupratorem, ante aut post illatum stuprum, si possit, interimat.* Sed hæc verba: *aut post*, editio nostra non habet. Et mens D. *Augustini* videtur ibi eò tendere, ut vita, quia *auferibilis*, adeóque & *contemptibilis*, sit potiùs amittenda; pudicitia autem, quia invito *inauferibilis*, alterius necem non exigat.
(c) De J. & J. L. 2. c. 9. n. 72.

** Scitissima similitudine rem exprimit Oratorum Alpha L. 3. de offic. *Sicut*, inquit, *si unumquodque membrum sensum suum haberet, ut putaret, se posse valere, si proximi membri valetudinem ad se traxisset, debilitari, ac interire totum corpus necesse foret; ita si unusquisque nostrûm rapiat ad se commoda aliorum, detrahátque, quod cuique possit, emolumenti sui gratiâ, societas hominum evertatur necesse est: nam sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quàm alteri acquiri, concessum est non repugnante naturâ. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, & copias &c. augeamus.*

bella forent injusta, atque illicita; cùm ordinariè non gerantur, nisi ob bona temporalia, & in iis plurimi homines interimantur: atqui ejusmodi sequelæ admitti nequeunt: ergo.

Rationi suffragatur authoritas.

P. Assertum. 2. Communi propemodùm Authorum *calculo*. Certè *Cardenas* duos ultra quadraginta enumerat, (a) ut colligas *Hugonis Grotii* censuram admodùm inanem, qua perstringit *Sotum*, *Lessium*, *Silvairam* &c. his verbis (b): *nimirum in hac materia, sicut in aliis multis, cum tempore laxata est disciplina, & paulatim interpretatio legis Evangelicæ cœpit ad seculi mores accommodari.* Papæ! Disciplinæ Evangelicæ *Arminianus* zelotes! Quid inanius, quàm consilia confundere cum præceptis, sic ut ex illo Evangelii: *dimitte ei & pallium &c.* defensionem ejusmodi probet illicitam? Inde ejus glossator *Gronovius: rursus inculcat Grotius Evangelicæ legis perfectionem, quasi perfectio Evangelica sit, demere metum grassatoribus nocturnis, & exponere bonos facinorosorum impunitiori audaciæ.*

Oppositiones.

Quæritur VII. *Quid oppositionis patitur utrumque assertum?*

Inter vitam, & bona fortunæ, etsi non physica,

℟. *Opponi potest* I. Non est proportio inter vitam, quæ semel perdita recuperari nequit, & inter bona temporalia, quæ recuperationem admittunt: ergo etiam gravis bonorum jactura, alterius morte, per Naturæ leges, *licitè* averti nequit.

Est tamen proportio moralis.

℟. D. A. Non est *æqualitas*, seu proportio *physica*. C A. Non est proportio *moralis*, seu talis, ratione cujus defensio bonorum, etiam cum jactura vitæ contra raptores, jure naturæ, permissa sit. N. A. Et suppositum, quòd requiratur *æqualitas* inter malum, ab injusto invasore intentum, & à justo defensore inferendum, cùm non se habeat per modum pœnæ, *propriè* dictæ, & *à justitia vindicativa*, sed *a jure defensionis* regulandæ. Unde cùm bona notabilis quantitatis sint pars vitæ, hæcque sine bonis, aut omninò non, aut non nisi ægrè protrahi possit, habetur sufficiens proportio *moralis* ad ejusmodi defensionem, præsertim cùm tranquillitas humani Generis subsistere *difficulter* posset, nisi raptores, etiam remediis ultimis, repelli, ac absterreri possent.

Vita proximi, bonis fortunæ, est præferenda,

Opponi potest II. *Ordine charitatis* vita proximi præferenda est bonis nostris externis: ergo ob ejusmodi bona occidi nequit. A. P. Ex *S. Augustino* (c): *Quomodò apud eam* (Divinam Providentiam) *sunt isti a peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

In ejus necessitate, non autem iniquitate.

℟. D. A. Præferenda est, cogente proximum indigentiâ extremâ. C. A. Absque necessitate, & impellente solùm malitiâ, ac injustitiâ. N. A. Et C. *Molina* D. *Augustinum* exponit pro casu, quo quis intenderet mortem invasoris *in vindictam aggressionis*, non autem *in necessarium medium defensionis bonorum*, (d) qua de re suprà.

Nec requiritur simul machinatio mortis in fure,

Opponi potest III. Defensio bonorum, cum occisione invasoris, non est licita, nisi *simul* periclitetur vita: ergo &c. A.P. ex c. 2. *de homicidio*, ubi dicitur: si sine odii meditatione, *te tuaque* liberando, interfecisti &c. & ex c. 3. ubi permittitur occidi fur *nocturnus*, non *diurnus*, nisi *armatus* &c. scilicet ob præsumptionem, quòd tam diurnus armatus, quàm nocturnus, non modò venerit ad furandum, sed etiam ad occidendum, S. *Augustino* interprete (e).

Præcipuè in statu naturali,

℟. Hæc probant non *pro statu naturali*, sed *civili*, ubi restrictior potestas, eò quòd bona per Magistratum faciliùs recuperanda sint præcipuè à fure diurno, quia cognito; non armato, adeóque facilè repellendo. Permittunt autem leges, in foro externo, occisionem furis nocturni, diurníque armati necessariam, vel in pœnam, vel ob præsumptionem non tam inferendæ necis à fure, quàm quòd ab ejusmodi fure bona vix aliter sint ampliùs recuperanda.

Neque notabilis quantitas est unus aureus,

Opponi potest IV. Notabilis quantitas *regulariter* est unus aureus: ergo *regulariter occidi posset fur pro conservatione unius aurei*: atqui hæc est propositio damnata ab *Innocentio* XI. ordine 31.

Respectu justæ defensionis.

℟. D. A. *Respectu peccati gravis* in materia furti. C. A. *Respectu justæ defensionis*, etiam cum morte furis. N. A. & C. Neque inferas, ergo rapinæ modicæ, injuriæ leviores, verbera modica, *etsi continuata*, reprimi, intentata nece, non possent: atqui hoc faceret vitam in statu merè naturali insociabilem.

(a) Crisi Theolog. P. 3. Disp. 57. c. 3. a. 5.
(b) L. 2. de J. B. c. 1. n. 13. f. m. 328. edit. *Francof.* A. 1691. cum excerptis annotationibus virorum insignium.
(c) L. 1. de lib. arbitr. c. 5.
(d) Tract. 3. Disp. 13. & 17. col. m. 1770.
(e) In cap. 22. v. 2. Exodi.

bilem. ℟. In ejusmodi casibus dari posse coalescentiam moralem.

Censetur notabilis,

Opponi potest V. Explicari nequit sufficiens quantitas, seu pretium ad ejusmodi justam defensionem: ergo &c.

Ex judicio prudentum.

℟. N. A. Juxta *Cardenam* ad defensionem occisivam sufficiunt quadringenti argentei * *absolutè*; minor summa *respectivè*, & forte *respectu pauperis* etiam aureus, illi summè necessarius. Unde res devolvitur *ad judicium Prudentum.*

Recuperatio bonorum à fugiente licita:

Opponi potest VI. Si licita est bonorum defensio, etiam *recuperativa*; licitum foret occidere furem cum re sua fugientem, etiam eminùs sclopeto eum persequendo, & feriendo.

Non à possidente in statu saltem civili;

2. Immo licitum foret, furem è medio tollere, postquàm res furto ablatas jam multo tempore pacificè possedit: sed hoc videtur nimium: ergo &c,

Quia durante fugâ durat justa rei defensio.

℟. *Ad* 1. Affirmativè cum *Soto*, *Lessio*, *Tamburino*, & aliis. *Ratio est* 1. Quia tam diu durat justa rei defensio; quamdiu alius non est in quieta possessione. 2. Quia si talis persecutio non liceret, inutilis & frustranea foret rerum suarum defensio; ùt patet.

Durante possessione suppetit via juris, aliud dicunt de statu naturali,

Ad 2. D. *Maj.* Immò licitum foret, *respectu statûs naturalis*, casu, quo nullum aliud foret recuperandi remedium. Tr. *Mai. Respectu statûs civilis*, ubi suppetit via ordinaria Juris. N. *Maj.* In statu naturæ laxiores tribuunt terminos juri defensionis legitimæ, quod durare volunt, quamdiu in iniqui raptoris detentione manet animus hostilis. (a) In statu civili spatium constringunt ad tempus, quo censetur durare invasio, incipitque *moraliter*, *teste Lessio*, quando fur se se ad invadendum accingit. & durat, usque dum fur res, furtô ablatas, pacificè possederit: tum enim; ùt vult *Illsung*, (b) coram Judice agendum, qualem præter se; *in statu Naturæ*, nemo agnoscere censetur.

Nec tamen licita defensio occisiva ob spem, jus solummodò inchoatum &c.

Opponi potest VII. Si licitum est, defendere *defensione occisivâ* bona fortunæ; licitum erit sic quoque defendere, ad quæ habetur *spes*, *jus inchoatum*, vel *jus ad rem*, puta hæreditatem; legatum, officium: sequela est damnata ab *Innocentio* XI. ** ergo &c. *Maj.* P. Talis spes, seu jus, sæpe est longè magis æstimabile, quàm notabilis pecuniæ summa, actu possessa: ergo pariter licita erit ejusmodi defensio occisiva.

Quia requiritur juris certitudo.

℟. N. *Maj.* Ad P. Tr. A. D. C. Ergo pariter licita erit, *si sola magnitudo boni* ad justam ejusmodi defensionem sufficeret. C. C. Si requiratur etiam *certitudo de jure, & de non suppetente aliò medio* boni vel servandi, vel recuperandi. N. C. In statu Naturæ suppetunt transactiones, aliáque media leniora, in statu civili via juris. Immò, absolutè loquendo, ejusmodi licentia in utroque statu foret perniciosa: ergo nullo jure permissa; nam ùt rectè observat *Illsung*, (c) ejusmodi licentia esset occasio ad plurimas cædes, eò quòd homines, sæpissimè excæcati cupiditate boni acquirendi, judicarent, obstare hunc vel illum suæ spei, vel juri inchoato, seu quæsito. Hæc autem homicidia forent manifestè contra bonum commune non modò societatis civilis, sed etiam naturalis, ut adeò, etsi; in casu rarô, fortè alia non suppeterent media, bonum privatum deberet cedere publico, neque ejusmodi licentia unquam sit præsumenda. Sed hac de re pluribus §. sequenti.

§. IV.

§. 4. Defensio famæ.

De jure necessitatis in specie; circa defensionem bonorum famæ.

Quæritur VIII. *Quæ æquitas, seu dispositio juris naturalis in specie circa defensionem famæ?*

Est etiam licita jure naturæ justa defensio bonorum famæ;

℟. *Est etiam licita; jure Naturæ, justa defensio bonorum famæ, honoris &c.* 2. *Quamvis respectu solius honoris, vel famæ speculativè magis procedat; quàm practicè.* 3. *Id, quod adhuc magis intelligendum de recuperatione honoris, seu vindicatione illatæ contumeliæ.* 4. *Unde in statu civili, præcipuè Christiano, multò minùs potest habere locum ejusmodi licentia privatæ defensionis.*

Asser-

* Seu *Patacones*, hoc est, taleri Imperiales circiter.

(a) *Puffendorfius*, *Grotius* & alii.

(b) Tract. 4. Dispu. 3. Q. 2. n. 68.

** Propositio 32. inter damnatas A. 1679. n. Mart. *Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Propositio 33. *Licitum est tam heredi, quàm legatario, contra injustè impedientem, ne hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem justè impedientem.*

(c) Tract. 4. disp. 3. Q. 2. n. 69.

Quia æstimabilius bonis fortunæ:

Assertum P. Quò ad primum membrum. Defensio *bonorum* fortunæ, ex principio amoris fundamentali, est juris naturalis *permissivi*: ergo & defensio *famæ*. C. P. Quia bona famæ, honoris &c. meritò habentur pluris quàm opes: ergo, si licita est occisio aggressoris injusti pro servandis bonis fortunæ, à fortiori licita erit pro servandis bonis honoris, & famæ.

Suffragante communi Doctorum.

C. P. 2. Quia illatio tenet *communi judicio* Theologorum, & Jureconsultorum, tam veterum quàm recentiorum, *Molinæ*, *Soti*, *Navarri*, *Antonii Gomezii*, *Covaruviæ*, *Lessii*, *Lugonis*, *Silveira* &c. & aliorum passim.

Quæ tamen licentia, respectu solius honoris, potiùs speculativa; quia in praxi rarissimè justa.

Assertum P. quo ad 2. membrum. Defensio honoris, ut sit licita, debet procedere *ex amore sui*, secundùm rectam rationem *ordinate*, hoc est, debet esse *justa*: atqui *practicè*, seu *ordinariè* loquendo, difficulter potest ita procedere, & esse justa: ergo nec licita. *Min.P.* Ut *sit justa*, ex infrà dicendis, debet injuria, seu damnum honoris, esse *certum*, ac *præsens*, seu *certè inferendum*. 2. Nec aliter, quàm injuriantis nece impedibile, vel evitabile. Jam sic: *Ordinariè*, seu *practicè* loquendo, injuria, seu damnum honoris non est *certum*, vel *certò inferendum*. Nam, ut rectè observat *Illsung* (a) cum aliis, unde *certum est*, quod calumniator sit illaturus injuriam, & nullô modô mutaturus mentem? Unde est *certum* honoris dispendium, cùm sæpe contingat, ut calumniatori fides non habeatur, sicque crescat potiùs honor, quàm minuatur? Unde est *certum*, quòd injuriantis cæde honorem suum quis defendat, & non potiùs lædat, ac minuat? Sanè cùm ejusmodi cædes *ordinariè* latere non possint, occisor ob hanc ipsam cædem de honore suo periclitatur; immò tanquam homicida eundem perdit, & probabiliùs etiam, ob illud ipsum crimen, quod à calumniatore objiciendum sibi timuerat; siquidem curiositas humana, dum causam cædis indagat, facilè in notitiam illius, vel fortè in suspicionem pejoris veniet, cum multa imminutione honoris illius, qui cædem patravit. Unde

Quod magis adhuc verum de recuperatione honoris, ob eandem rationem,

Assertum P. etiam quò ad 3. membrum. Si jam est facta contumelia, cædes calumniantis tantùm abest, ut sit *certum* medium, ut potiùs videatur prorsus *inutile* ad reparandum honorem, & damnum: ergo illicita. A. P. Calumniatoris nece non recuperatur ablatus honor, uti furis occisione recuperantur ablata fortunæ bona. *Accedit*, quòd si calumnia pluribus, ùt solet, jam innotuerit, hæc notitia per cædem nequaquam tollatur, sed per eandem magis minuatur honor, eò quòd occisor sese faciat suspectum, quasi alterum non sustulisset è medio, nisi eo fine, ut suum dedecus probari non possit: ergo videtur esse *inutile* medium. Jam sic: *Inutile* medium, ad recuperandum honorem assumptum, non est *justa defensio*, sed *mera vindicta*, etiam Naturæ jure illicita: ergo &c. A. patet ex *Hugone*, *Grotio*, (b) & ipsomet *Puffendorfio*, etsi hoc in puncto adversis: *siquidem*, hic inquit, *meram vindictam*, *quæ nihil aliud præter lædentis perniciem quærit*, *sub crudelitatis vitio natura proscripsit* (c).

Et quòd ejusmodi licentia in praxi foret simpliciter perniciosa Societati humanæ.

Assertum utrumque confirmatur. Quod positivè repugnat amori, ad felicitatem Societati humanæ propriam, simpliciter necessario, jure naturæ *permissum esse* non potest: atqui talis licentia, seu defensio, etiam vindicativa honoris, *universaliter licita*, spectatâ praxi videtur repugnare amori, *simpliciter* necessario: ergo. *Min.* P. Talis defensio vindicativa, *universaliter licita*, saltem *spectatâ praxi*, videtur esse *conjuncta cum periculo nimii abusûs*, sic ut foret occasio ad plurimas cædes injustas, ex apprehensâ, ùt fit, qualicunque calumnia, vel honoris imaginario damno, ac præjudicio profectas: ergo *spectatâ praxi* videtur repugnare amori, ad felicitatem humanæ Societatis *simpliciter* necessario, adeòque expedire, ut jure naturæ, fundato in periculo nimii damni, *absolutè* sit prohibita. A. Ipsâ propemodùm quotidiana patet experientiâ: siquidem homines, sæpissimè superbiâ excæcati, se in honore læsos esse, vel certè ingens honoris sui detrimentum, ex qualicunque famæ læsione, sibi imminere, plerumque existimant, ut adeò cæde adversariorum, immò Judicum, Actorum, & Testium, sibi adversantium, internecione læsum honorem *jure Naturæ* licitè recuperari, vel ejus læsionem impediri posse, sibi facilè persuaderent, non sine ingenti perturbatione, & præjudicio humanæ Societatis.

Asser-

(a) Tract. 4. Disp. 3. Q. 2. n. 69.
(b) De Jure belli & pacis L. 3. c. 4.
(c) De J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 3. f. m. 254.

Hinc in statu civili absolutè illicita; quia suppetit via juris.

Assertum P. etiam quò ad quartum membrum. Etsi, *sub his terminis*, non sit reperire legem prohibitoriam, tamen, ob eadem præjudicia, omnia tribunalia, receptâ traditione, (a) praxi, ac consuetudine, (b) ejusmodi necem, calumniatori privatâ authoritate illatam, graviter puniunt, si deprehendatur occisor: ergo signum est, talem cædem, *jure naturæ*, vix unquam; *jure civili* nunquam esse licitam. 2. Authore *Illsungo*, (c) honor ordinariè recuperabilis est *viâ juris*; saltem non est *certum*, quòd hac viâ recuperabilis non sit: ergo talis defensio, cum injuriantis nece, jure civili nunquam est licita. De jure Divino, & lege *Christiana* sufficienter constat ex illis verbis: *Diligite inimicos vestros.* &c. *Mihi vindicta, & ego retribuam. &c.*

Oppositiones.

Quæritur IX. *Quænam in medium adversarii proferunt?*

Unde à bonis fortunæ ad bona famæ nulla consecutio:

Opponunt I. Juxta asserti membrum primum, *bona famæ* potiora hominibus sunt *bonis fortunæ*: ergo si *jure naturæ* est licita defensio occisiva pro istis, *à fortiori* licita erit pro illis.

Quia disparitas quadruplex;

℞. C. A. D. C. Ergo *à fortiori* licita erit pro bonis famæ, si cætera forent paria. C. C. Si non sint paria. N. C. Cætera non esse paria, patet ex dictis; quia nempe bona fortunæ defendi, & recuperari *absolutè* possunt per cædem furis, tanquam necessarium, atque utile medium; non æquè bona famæ. 2. Quia illud non repugnat *simpliciter* felicitati Societatis humanæ, in ordine ad præcavenda furta; repugnare videtur istud, *spectatâ praxi*: ut nil memoretur de statu civili, ubi bona famæ *ordinarie* recuperabilia sunt *viâ juris*; non item bona fortunæ, à fure aufugiente, & sese justitiæ subducente. *P. Cardenas* assignat quadruplicem disparitatem (d): 1. Quia defensio vitæ & bonorum, per occisionem est *certè licita*; famæ non nisi *speculative* & probabiliter. 2. Illa habere potest evidentiam de moderamine inculpatæ tutelæ; non autem ista. 3. Illa non est contra jus commune Reipublicæ, uti ista. 4. Illa nulla lege est interdicta, ut ista.

Neque paritas est cum pudicitia;

Opponunt II. Honor corporis, seu pudicitia, *jure Naturæ*, & etiam *civili*, est defendibilis defensione aggressoris occisivâ: ergo, *à fortiori*, honor mentis, seu integritas famæ.

Quia hæc irrecuperabilis thesaurus.

R. C. A. D. C. Ergo à fortiori integritas famæ, si cætera sint paria; seu nisi obstet specialis ratio. C. C. Si obstet. N. C. Specialis ratio desumitur ex probatione; præcipuè quòd, præter honorem, periclitetur etiam *virginitas*, *thesaurus irreparabilis*, nonnunquam vita, semper conscientia ob periculum consensûs, quo casu etiam teneretur potiùs occidere lenonem. Accedit, quòd in variis historiis legamus, quasdam *Amazones*, inltrunitos ejusmodi satyros, pudoris raptores, violenta nece repulisse, nec unquam legamus, eas ab ullo fuisse reprehensas, minùs punitas: contrarium constat de cædibus *ratione famæ*: ergo signum est, hanc, non illam occisionem esse licitam, ac permissam.

Nec est necessaria ejusmodi defensio ad privatam publicamque incolumitatem.

Opponunt III. Defensio famæ & honoris, etiam reparativa, etsi cum infamatoris occisione, est *necessaria* partim incolumitati propriæ, partim publicæ felicitati: ergo licita sit, oportet. *A. P.* Si licita non foret, *saltem spectato statu naturæ*, nullum superesset efficax medium tuendi, reparandique honoris; quivis foret expositus calumniandi libidini; modestissimus quisque esset miserrimus; protervus quivis conviciator securus, ac immunis à pæna; sicque daretur occasio ad detractiones, infamationes, calumnias, absque ullo freno, non sine ingenti Societatis humanæ confusione, ac præjudicio: ergo licitam esse defensionem, & reparationem honoris, *etiam cum occisione calumniatoris*, positivè exigitur ab amore, ad suam, & Societatis humanæ felicitatem *simpliciter* necessario. Hinc *Pufendorfius* (e): In statu naturali *eo ipso*, *dum quis sese hostem mihi profitetur*, *id quod fit*, *quando injuriis me lacessit*, *dat mihi*,

---

(a) Quæ instar legis canonicæ.

(b) Quæ instar legis civilis. Sic L. *de quibus* ff. de LL. *Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur: & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum; nam, cùm ipsæ leges, nullâ aliâ causâ, nos teneant, quàm quòd judicio Populi receptæ sint, meritò & ea, quæ sine ullo scripto Populus probavit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragiô Populus voluntatem suam declaret, an rebus & factis.*

(c) L. suprà cit.

(d) L. c. Art. 3. f. m. 484.

(e) De J.N. & G. L. 2. c. 5. §. 3. f. m. 253. & 254.

mibi, quantum in se, adversùs se licentiam in infinitum. * *Ac tunc demum reverà vita redderetur insociabilis, si licentiæ resistendi aliquis terminus statueretur inter eos, qui naturali libertate vivunt. Qualis enim esset vita, si alter me semper modicis infestare verberibus, seu injuriis,* (a) *pergeret, cujus malitiam alia ratione reprimere non daretur, nisi morte ipsi inferenda? Cum enim socialitas ad salutem universorum spectet, non sunt ejusmodi leges fingendæ, per quas modestissimo cuique semper misero esse necessum foret, quotiescunque pravo cuipiam jus Naturæ violare placeret.* Unde concludit: *Absurdè societas inter homines, injurias perferendi necessitate sancitâ, statuitur.*

Saltem quævis privata, & universaliter

℞. C. *Maj.* N. *Min.* Ad P. D. A. Si licita non foret *ulla* defensio honoris, vel reparatio, etiam occisiva, sive dein *privata* sit, sive ad instar *publica*, tunc non superesset remedium efficax in statu Naturæ. C. A. Si tantùm licita non foret *universaliter*, *quævis privata*. N. A. Ergo licitam esse *aliquam* defensionem honoris, videtur exigi ab amore felicitatis tam propriæ, quàm Societatis humanæ C. C. *Quamcunque*. N. C. In ordine ad distinctionem ex iis, quæ suprà diximus (b).

Nam cùm in statu meræ libertatis,

Supponendum. 1. *Statum naturalem* sumi posse *pro conditione hominum*, qui extra omnem societatem vivunt, *mera in libertate*, hoc est; nullius legibus subjecti, nullius utilitati subordinari; coactionis immunes; rerum suarum moderatores, actionum arbitri inter se æquales, soli Creatori, & Naturæ legibus subjecti. Item sumi posse *pro conditione hominum*, qui intra familias, & societates vivunt, non quidem in *mera*, *naturali* tamen *libertate*, quatenùs ejusmodi familiæ, ab aliis prorsus independentes, *naturali jure æquales*, *ex ductu sanæ rationis*, cum aliqua membrorum subordinatione; Naturæ legibus conformi, vivunt.

Nunquam extiterit, aut extiturit humanum Genus.

Supponendum 2. In statu; *merè naturali*, ** etsi extiterint hinc inde aliqui nunquam tamen extitisse humanum Genus, nec etiam, in hac providentia, existere potuisse. Siquidem mox initiò instituta est à Creatore societas conjugalis, cum uxoris quadam subordinatione; subin ex *Adami* Posteris coaluere familiæ cum potestate patria; denique aliæ societates, servata libertate, & statu naturali, etsi cum subordinatione membrorum accommoda, & soli rationis ductui, ac dictaminibus conformi. Ex his

E statu naturali non est exclusa omnis potestas, quasi publica, pro defendendo privatorum honore.

Patet 1. Statum naturalem, consideratum per familias, plena libertate gaudentes, naturali jure æquales, ab invicem independentes, & nulli alteri subordinatas, non caruisse tamen *omni prorsus subordinatione respectu membrorum*, adeòque nec potestate, *quasi publica*, per quam honor privatorum licitè & defendi potuit; & vindicari: exemplo esse potest (modum si demas ***) *Dinæ* injuria, à fratribus vindicata.

Immò est necessaria ad societatem humanam.

Patet 2. Sicuti expedit pro tranquillitate Societatis humanæ, licitam non esse *privatam* cujusvis defensionem; vel vindicationem; etiam *occisivam*; respectu bonorum famæ, ut ne innumeris cædibus turbari possit Societas; ita ejusdem felicitas exigit, licitam esse defensionem, ac reparationem, *quasi publicam*, ut calumniatorum vaga licentia frenari queat.

Sicuti necessaria est restrictio privatæ defensionis,

Patet 3. Limitationem defensionis privatæ, similibus terminis à Natura restrictæ, abesse tantùm, ut *vitam defensivam insociabilem* redderet; *modestissimum* quemque *miserum* esse cogeret; & Societati *injurias perferendi necessitatem* imponeret, ut potiùs ista, aliàque plura incommoda, secum traheret illa *Puffendorfiana licentia*, *extensa in infinitum*, si privato cuivis, præsertim respectu bonorum famæ, à Natura concessa intelligatur.

Spectato statu merè libertatis,

Opponunt. IV. Saltem, respectû status naturalis, prout dicit *conditionem hominum in mera libertate, & extra omnem societatem viventium*, licita foret defensio honoris, etiam privata, & quidem occisiva, nisi hunc statum omni medio contra infamatores destitutum dicere malumus: ergo manet difficultas.

℞. I.

---

* Interpres sub litt. c. ita glossatur. *Hoc sæpe inculcat Author* infrà §. 10. 12. 16. & L. 8. c. 6. § 7. *Et verissimum utique esse testantur exempla Populorum ex omni ævo, ut pluribus comprobavit Hugo Grotius* L. 3. de J. B. & P. c. 4. 5. 6. 7. 8. *Sanè nisi id statueretur, bella forent infinita.* Addit dictum *Senecæ* apud *Euripidem*: *Quando verò hostibus nocere aliquis potest, nulla lex obstat.*

(a) Ut habet §. 12. *In statu naturali non potest ab aliquo exigi patientia, etiam modica, injuriæ præsertim continuatæ, quò minus per extrema quæque repellatur.* Ita illi.

(b) Titulo 2. Instruct. 1.

** Non *puræ naturæ*, prout intelligitur à Theologis, qui nunquam fuit.

*** Hinc, *dempto utique modo*, à *Juditha*. c. 9. zelus *Simeonis* & *Levi* laudatus legitur, juxta quosdam Interpretes.

Etsi talis licentia non foret adeò præjudiciosa, quia ad paucos restricta;

℞. 1. Posset juxta asserti, suprà positi, membrum primum transmitti A. Et N. C. Nam in ejusmodi statu, si nullum prorsus superesset aliud medium, *absolute* forsan licita esse posset defensio honoris, etiam occisiva; & quia hunc statum complerent admodùm pauci, casus foret rarissimus, adeóque cessaret ratio, & finis naturæ prohibentis, nempe confusio humanæ Societatis per promiscuas cædes. Sed meliùs

Nihilominùs vix dici potest à Natura indulta, quia bonum commune privato præponderat.

℞. 2. N. A. Quia non apparet, quomodò ejusmodi licentia possit esse *utile*, *certóque necessarium* medium, siquidem, in statu etiam meræ libertatis, remanet cognatio quædam ex æquali origine, & in ejusmodi circumstantiis improborum malitia, proborum justitiâ, coerceri posset. *Accedit*, quòd rectissimè notat *P. Viva*, (a) dato, quòd aliquis privatus in casu raro deberet innocenter perdere honorem, non propterea, ad eum servandum, præsumenda est licentia occidendi convitiatoris injusti: non enim, inquit hic Author, Natura debuit, *propter bonum alicujus privati, in aliquo tantùm casu rarè occurrens*, permittere ejusmodi defensionem præjudiciosam toti Societati humanæ: & ratio est, quam suprà adstruximus, quia lex prohibitiva non fundatur *in facto*, quo cessante cessaret, sed *in periculo de facto*, quod periculum *universale* nunquam cessat.

Defensio honoris est illicita, non præcisè ob propositiones damnatas.

Opponunt V. Si justa honoris defensio occisiva, non nisi *speculative*, hoc est, *rarissime*, & *forte nunquam* procederet, tunc id probaretur ex propositionibus quibusdam, damnatis ab *Alexandro* VII. & *Innocentio* XI. ex his non probatur: ergo &c. *Maj.* inde colligitur, quòd non nisi, post harum proscriptionem, ejusmodi limitationes apud Recentiores communiter invaluerint. *Min.* P. In propositionibus proscriptis solummodò proscripta est defensio occisiva etiam *Judicis*, *testium*, *accusatoris iniqui*, adversa legibus Civitatis; defensio honoris *in Religioso* vel *Clerico*, conjuncta cum scandalo; *propter minas solummodò*, aut merum *conatum*, & quidem *per præventionem*; propter *alapam*, quæ levis sæpe injuria; immò etiam *fugiente percussore*, ubi defensio spiraret vindictam injuriæ, viâ juris faciliùs compensandæ &c. * atqui ex his nihil probatur contra justam defensionem, etsi occisivam: ergo &c.

Sed quia justa esse vix potest.

℞. *N. Mai.* Ex rationibus, suprà allatis, quæ probant, defensionem honoris *privatam* & occisivam, *vix unquam* posse esse *justam*, & à Natura indultam, *ob periculum nimis abusûs*, & *inde profluens præjudicium humanæ Societatis*, ut nihil dicam de legibus humanis, quibûs est reprobata, ùt diximus. Alias insuper rationes videre est apud *Cardenam*, (b) inter quas etiam illa, quòd propositiones damnatæ, *antecedenter ad proscriptionem*, fuerint merè probabiles, facile refutabiles, adeóque ob solam opinionem *probabilem* homini jus vitæ *certum* eripi non possit. Addit, quòd implicet jus privatæ defensionis, cùm sit contra jus & bonum, utique prævalens, quia totius humanæ Societatis.

Homo nobilis non tenetur fugere.

Opponunt VI. Homo nobilis equestris &c. cui magno dedecori est fugere, ** ab alio invasus, esto fugiendo suam, & aggressoris vitam posset servare, fugere non tenetur; sed, honorem defendendo, etiam potest invasorem opprimere, ùt vult *Molina* cum aliis, (c) maximè si officii, bonorúmque jactura cum defensione honoris foret connexa.

Bellicus percutienti se gladium potest objicere,

2. Potest vir equestris, vel bellicus officialis, volenti se percutere *alapâ*, honoris sui graviter læsiva, gladium objicere, & si aliter impedire alapam nequeat, etiam invaso-

---

(a) Toitinâ. Theolog. P, 1. in Proposit. 17. & 18. *ab Alexandro* VII. damnatas n. 4.

* Propositio. 18. ab *Alexandro* damnata A. 1665. 09. *Sept.* Licet interficere *falsum accusatorem*, *falsos testes*, ac etiam *Judicem*, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliter aliâ viâ innocens non potest damnum evitare. 17. Est licitum *Religioso*, vel *Clerico* calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere *minantem*, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit *paratus*, vel ipsi religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris, prædicta impingere, nî occidatur. Damnata ab *Innocentio* XI. A. 1679. 0. *Mart*, ordine 30. fas est viro honorato, occidere invasorem, *qui nititur* calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum si quis impingat *alapam*, vel fuste percutiat, & *post* impactam *alapam*, vel ictum *fugiat*.

(b) Crisi Theol. differt. 21. c. 0. f. m. 427.

** Qualis juxta *Molinam* non foret *Religiosus*, *Clericus*, *plebeius*, quia his fuge haud magno dedecori; immò etiam *equestris* &c. si modico dedecore sese posset recipere v. g. ante Adversarii aggressionem, teneretur.

(c) Tract. 3. disput, 57. col. m. 1773. qui citat etiam *Sotum*, *Navarrum* &c.

vasorem occidere; ùt non negat *Cardenas* (a).

Maritus adulterum advenientem ferro repellere;

3. Eodem Authore, potest maritus adventantem ex improviso adulterum, volentem thoro, honorique suo injuriam facere, objecto gladio repellere, & defensione etiam occisivâ, honorem suum tueri; & sic de aliis casibus: ergo non *speculativè* tantùm, sed *practice* licita est defensio honoris, etiam occisiva.

Quia hic impetitur honor non tantùm verbis, sed etiam factis contumeliosis:

℞. D. A. Et sic de aliis casibus quibus honor impetitur factis ignominiosis. Tr. A. Quibus solummodò impetitur verbis, seu calumniis. N. A. & D. C. Ergo *practice* licita est ejusmodi defensio propter *solum* honorem. N. C. Propter honorem, ùt connexum cum periculo vitæ, bonorum &c. C. C.

Quæ non contenta in propositionibus proscriptis;

Notandum 1. Quòd juxta *Cardenam*, (b) opinio de honore *invaso per facta ignominiosa*, nec *formaliter*, nec *virtualiter*, subjaceat damnationi. Non *formaliter*, quia nec expressis, nec æquivalentibus terminis continetur in propositione proscripra. Non *virtualiter*, quia ex ea, tanquam antecedente, inferri legitimè haud potest propositio damnata.

Cùm non tam defendatur honor, quàm injuria repellatur.)

Notandum. 2. In allatis casibus honor defenditur, seu injuria repellitur objectione gladii *inchoative* *; quòd si desistat, vel cedat iniquus honoris invasor, illicita fit ulterior defensio: si resistat, vim inferat, licita foret defensio etiam occisiva, quia honoris, *continuativè* conjuncti cum periculo vitæ: ergo non propter *solum* honorem, sed propter honorem, ùt connexum cum periculo vitæ &c. est licita.

Unde non quævis opinio, quocunque sensu est reprobata.

Opponunt VII. Cum *Filguera*: Omnis opinio, quomodolibet docens licitam defensionem honoris cum occisione calumniatoris, est per propositiones dictas proscripta: ergo. A. P. Etiam opinio circa memoratos casus est tantùm probabilis, oppositum docentibus, *Majore*, *Sylvio*, *Thannero*, *Maldero*, & aliis (c): atqui ex opinione probabili illicita defensio occisiva, ùt suprà dictum est: ergo &c.

Præcipuè si non sit de defensione solius honoris.

℞. N. A. Ad P. D. A. Est tantùm probabilis *quò ad licentiam* opponendi ferri in ordine ad reprimendam ignominiam *realem*. N. A. Est tantùm probabilis in ordine ad defensionem occisivam *respectu honoris*. *Subd.* Si non sit conjunctus cum præsenti periculò vitæ. C. A. Si sit. N. A. & C. Cum supposito, quòd in hoc casu contrarii sint memorati Authores.

Est etiam assignabilis casus,

Opponunt VIII. Non est assignabilis casus, quo *jure Naturæ* licita foret defensio occisiva, *respectu solius honoris*, seu *bonorum famæ*: ergo primum asserti membrum est de subjecto non supponente.

Ubi saltem, respectu juris Naturæ, licita esse possit defensio solius honoris, cum occisione alterius.

℞. N. A. Ejusmodi casum assignat *Caramuel* (d) hisce verbis: *Si Titium Albericus, homo laicus, infamat* (hoc est infamare pergit) *perfidè nimirum & injuste; si verum est, Titii authoritatem hisce calumniis graviter lædi* (nam leves jacturæ indignæ sunt remediis gravibus) *si verbis non se posset defendere; si eum Respublica protegere nolit, aut nequeat; & tandem si suum honorem verè tueri posset, occidendo Albericum, & non aliter; in tali casu, inquam; & circumstantiarum concurrentia stando juri Naturæ* (non autem civili vel canonico) *Titius poterit Albericum occidere.* Ubi Author non defendit *jus positivum*, quasi invasus haberet obligationem naturalem ad ejusmodi defensionem; secùs enim non appareret, quomodò per leges humanas prohiberi posset; sed *jus negativum*, eò quòd ejusmodi defensio illi non sit jure Naturæ prohibita, sed *permissa*.

Quæ opinio non hoc ipso proscripta,

Opponunt IX. Talis licentia videtur esse proscripta per propositionem damnatam: ergo nulla solutio.

Ob diversas circumstantias.

℞. Cum *Cardena* N. A. Ratio est: quia licet sit proscripta licentia *occidendi invasorem, qui viro honorato nititur inferre calumniam*, non tamen hoc ipso proscripta est licentia, *dictis circumstantiis limitata*, & quidem de jure solummodò *naturali*, ac *negativo*, de quo nil memorat propositio damnata.

Oppo-

(a) L. suprà cit. c. 2. art. 4. n. 43.
(b) L. c. art. 4. s. m. 434.
(c) Apud *Cardenam* L. c.
* *Grotius* L. 2. c. 1. §. 10. Lege Evangelica id vetitum, ait, sed *consilium* perfectionis cum *lege*, more suo, confundit. In hoc tamen non errat, quòd dicat, à patienter ferente talem injuriam augeri honorem, quia se *excellenter* patientem ostendit. Hinc à *Vitriario* non nisi ex Philosophia mundana corrigitur, dum ait: *quòd Grotii Philosophiam* (utique *Christianam*) *mos vitæ civilis non ferat, neque propterea excellenter patiens censendus sit, quia quævis ferre à quovis virtus non est, sed ignavia.*
(d) Apud *Cardenam.* L. c.

Et quòd ejuſmodi licentia ſpeculativa potiùs foret.

Opponunt. X. Cùm dicimus talem licentiam *ſpeculativam* potiùs eſſe, quàm *practicam*, vel intelligimus, quòd defenſio, etiam occiſiva, reſpectu honoris ſit *ſpeculativè* quidem probabilis, *practicè* improbabilis; vel quòd in praxin non ſit *reducibilis*: neutrum dici poteſt. *Non primum*: quia, cùm per praxin non accedat alia circumſtantia, *ſpeculativè* non cognita, etiam *ſpeculativè* foret improbabilis. *Non ſecundum*: quia ſaltem in ſtatu, merè naturali, facilè redigi in praxin poſſet.

Quia vel nunquam vel vix unquam reducibilis in praxin.

℟. C. *Maj.* N. *Min.* & dico, licentiam dici *ſpeculativam* potiùs, quàm *practicam*, quia non niſi *rariſſimè*, & *vix unquam* reducibilem ad praxin. Hinc ad P. ℟. Etiam in ſtatu, merè naturali, *moderamen inculpatæ tutelæ*, ratione puri honoris, vix unquam practicabile eſſe, ùt patet ex circumſtantiis, & rationibus, ſuprà à nobis adductis. Item ex eo, quòd talis defenſio, *practicè* licita, acquireret circumſtantiam, *ſpeculativè* non expreſſam, nempe *periculum abuſûs, & incommodum grave*, quod ex tali licentia practica, rariſſimè ab odio, vindictæ cupiditate liberâ, & ex naturæ corruptione facillimè extendendâ ad plurimas cædes, redundaret *in periculum ac præjudicium* Societatis humanæ, quale periculum, & præjudicium non pugnat pro licentia *ſpeculativa*, quo caſus, meriſſimè ſpeculativus, ſecundùm generalia juris Naturæ principia, & præciſus ab illicitis circumſtantiis expenditur, ac judicatur.

Ex quibus colliges, Non ſatis *eruditè* à *Boeclero* explodi (a) hanc Scholaſticorum diſtinctionem de licentia *ſpeculativa*, & *practica*, velut minùs *eruditam*, *incommodam*, atque *inutilem*. Nam, ùt vidimus, poteſt aliquid *ſpeculativè*, id eſt, in caſu rariſſimo, & præciſis circumſtantiis per ſpeculationem propoſito, declarari ùt licitum, quin tamen in praxi, ab ejusmodi circumſtantiis vel nunquam, vel rariſſimè abſtractâ, *ob emergentia aliunde pericula & obſtacula*, æquè licitum eſſe poſſit. Si *Boeclerus* dicat, hanc eſſe *inuſitatam locutionem*, non refragabimur, *ſi imperitis* inuſitatam dicat, qualem ægrè ſe profitebitur.

Colliges 2. Quàm malignè, ac imperitè *Janſeniſticus Montaltus* hanc diſtinctionem in invidiam noſtrorum Authorum detorſerit, hiſce verbis: *Ita ſe proferunt opiniones veſtræ ſub hujus diſtinctionis involucro, quâ Religio quidem apertè violatur, Reſpublica autem adhuc obſcuriùs. Satis iſtud ad ſecuritatem veſtram eſſe, cenſetis. Nam ne à vobis Eccleſia violatæ veritatis exigat pœnas, ſperatis, gratiâ & authoritate veſtra perfectum iri: ne Magiſtratus in vos concitentur, iſtis providetis cautionibus, quibus illius doctrinæ praxin multis in locis prohibetis. Nullum enim propriè Magiſtratibus in caſus conſcientiæ jus eſt, ſed in externos tantùm actus: ad hunc modum, quæ ſententia ſub praxeos nomine plecteretur, ſub theoriæ nomine ſecura ſe prodit. Verùm, hac basi ſemel ſtabilita, nihil facilius, quàm illi reliqua ſuperſtruere.* Ita perſonatus *Paſchalis* in famoſis litteris Provincialibus, quem pro meritis depexum dedit *Cleander*, & *Eudoxus* (b).

§. V.

§. 5.

De moderamine inculpatæ tutelæ.

Moderamen inculpatæ tutelæ.

Quæritur X. *Quid moderamen inculpatæ tutelæ?*

Defenſio juſta dicit moderamen inculpatæ tutelæ.

℟. *Ut defenſio ſui, ſuorúmque ſit juſta, requiritur moderamen inculpatæ tutelæ.* 2. *Hoc fundatur in neceſſitate ſimpliciter.* 3. *Eáque tali, ut periculum debeat eſſe certum, præſens, nec aliter, niſi iniqui aggreſſoris morte evitabile.* 4. *Quamvis in hiſce conditionibus laxiorem interpretationem poſcat ſtatus Naturæ, quàm Civitatis.*

Hoc autem fundatur in gravi neceſſitate.

Aſſertum quò ad primum membrum patet omni jure, tam naturali, quàm humano, atque Divino.

Quæ excepta in legibus.

Quò ad ſecundum intelligitur ex eo, quòd moderaminis regula, propriæque tutelæ juſtitia, deſumatur *ex neceſſitate gravi* ſeu *honeſtatis*, ſeu *incolumitatis*, qua quis, ipſo dictamine naturæ & ordinatæ charitatis, ſe ipſum & ſua magis, quàm alterum ſervare poteſt. *Ratio eſt*: quia *ſumma ratio* Sapientibus pro neceſſitate eſt, teſte *Plinio*; (c) *factúque licitum, quod alioquin, ſeclusâ neceſſitate, foret prohibitum*, ùt ait Ven. *Beda* (d). Hinc in legibus humanis poſitivis excepta præſumitur, nec non in legibus Naturæ, *ſaltem affirmativis*, niſi quid aliud *explicitè* ſeu *implicitè* ſtatuatur; præſertim ſi quis abſque culpa in talem neceſſitatem fuiſſet devolutus. Sic homini licitum,

(a) In notis ad Grotium de J. B. & P. L. 2. c. 1. §. 10. f. m. 323.
(b) Dialogo de diſtinctione probab. in ſpeculat. & pract. f. m. 396.
(c) L. 1. Epiſt. 12.
(d) Relatus in c. 4. ff. de Reg. Juris.

tum, resecare membrum, si totius corporis incolumitas exigat, etsi Deo jus competat in membra. Sic licitum destituere alterum, in aquis periclitantem, neque extrahere, si cui pro altero pereundum foret.

Sic ut periculum sit præsens, certum, aliter non evitabile.

Assertum quò ad tertium membrum colligitur ex communi Authorum *, eò quòd periculum tantummodò *probabile*, atque *remotum*, non pariat nisi jus defensionis probabile: ergo jus *certum* alterius, quod habet ad vitam, auferri nequit. Si periculum *aliter sit evitabile*, *deest necessitas*, fundamentum legitimæ defensionis primariò requisitum, eò quòd alias aperta foret via ad plurimas cædes cum detrimento humanæ Societatis, ac Reipublicæ. Hinc Authore *Boeclero*, (a) juri resistendi *naturaliter* hæc inest exceptio: *nisi resistendo violetur ordo socialis* (dicamus ad propositum veriùs, *ordo amoris*, sibi, proximo, & Societati humanæ naturaliter debiti) *cujus primam rationem habet Natura; nisi enim hac cautio accederet, humana Societas, ordinis necessarii ac naturalis ratione non custoditá, insociabilis fieret.* Unde deducunt cum *Plinio* (b): *Omnia priùs, quàm armis experiri sapientem decere, eò quòd omnis pugna habeat aliquid aleæ ancipitis, teste Senecâ* (c). Atque adeò ratio dictat, arripiendam potiùs esse facilem fugam, intercludendam semitam, opponendam remoram, de jure quid remittendo, quàm intempestiva defensione majori periculo se exponendo.

Quæ conditiones in statu Naturæ laxiores quàm in civili.

Idem assertum quò ad quartum membrum ostenditur ex eo capite, quòd in statu Naturæ homo consideretur *cum jure libertatis*, nec ullius legi, aut utilitati subordinatus, ùt in statu civili: ubi cùm suppetat *via juris*, longè arctiores termini per leges præfixi sunt. Unde, etsi, *Grotio* Authore, (d) *Jus Naturæ, quatenùs legem significat, non tantùm ea, quæ sunt justitiæ, sed & ea, quæ prudentiæ, charitatis, aliarùmque virtutum sunt, respiciat, tanquam actus, in certis circumstantiis non honestos modò, sed etiam debitos*, ** nihilominùs, *Puffendorfio* teste (e), ejusmodi cautelæ potiùs prudentiæ, charitati, atque securitati *se defendentis*, quàm juri, *iniquè lædentis* (quod nullum contra vim defensivam potest prætendere ***) esse attribuendas. Sic, eodem *Puffendorfio* animadvertente, moderamen inculpatæ tutelæ, *in statu civili*, excludit violentam sui defensionem, quando tempus & locus indulgent spatium implorandi Magistratûs: hoc exigi nequit in statu Naturæ. 2. In statu Naturæ diutiùs durat moderamen inculpatæ tutelæ, *quamdiu nempe durat in aggressore nocendi animus, & facultas, seu quòd ad extra periculi aleam quis constitutus est.* **** In statu civili reparatio, & cautio, de non offendendo inposterum, Magistratui est relinquenda (f). 3. Sic, etsi & in statu Naturæ fuga potior esse debeat, si utcunque commoda haberi possit, saltem in favorem vitæ propriæ; in statu tamen civili longè potiùs arripienda, utpote quæ *ob leges* nulli est dedecori, securitatem faciliùs præstante Magistratu (g). 4. Sic in statu civili, patefacto decretæ mortis periculo, civis à cive deferendus erit, non præoccupandus. Sic leges (*Atticæ*) licet concedere potuerint, ut civis, majore illato malo, civem invasorem posset repellere, *regulariter* tamen injurias, quæ ad res reparabiles tendunt, à privatis per vim extremam repelli noluère, cùm reparatio per Magistratum facilè, & absque turbis, haberi possit (h).

Quæ-

---

* *Weberus in Puffendorfium* L. 1. *de officio hominis.* c. 5. §. 13. nota 3. *Consistit igitur tutela inculpata in hisce quatuor, ut* 1. *Quis sit in statu defensionis, non aggressionis.* 2. *Ut arma, quibus petitur, sint letifera.* 3. *Ut necessitas defensionis sit inevitabilis.* 4. *Ut id, quod petitur, sit irreparabile.*

(a) Ad *Grotium* L. 1. c. 4. §. 2.

(b) Apud *Puffendorf.*

(c) *Thebaid.*

(d) De J. B. & P. L. 2. c. 1. n. 9. f. m. 96.

** Hinc infert, defensionem sui, cum occisione invasoris, *cujus vita multis est utilis* (v. g. Regis) illicitam fore *ratione charitatis naturalis.*

(e) De J. N. & G. L. 2. c. 5. n. 9. f. m. 263.

*** Si servetur *moderamen* in eo, qui vim repellit: nam quòd in levibus injuriis *Puffendorfius* jus læso tribuat, *etiam in infinitum*, ùt dogma, moderamini inculpatæ tutelæ adversum, rejicimus

**** Quod contingit, si hostis sit exarmatus, fugitivus, culpam deprecans, satisfactionem offerens, cautionem præstans de non offendendo inposterum.

(f) Idem L. c. n. 8 f. m. 261.

(g) L. c. n. 13. f. m. 267. *Nam ejusmodi fuga*, inquit, *non turpis, nec militari viro indigna est, utpote, quæ non suscipitur ex ignavia, sed quia ratio nullam huc fortitudinis exserendæ materiam invenit, si citra necessitatem civis sit occidendus, abs quo me tutum Magistratus præstare commodè potest.*

(h) Idem L. c. n. 16. f. m. 273.

Oppositiones.

Certitudo & præsentia periculi physica non requiritur,

Quæritur XI. *Quæ oppositiones in hac materia?*

℟. *Opponitur* I. Si ad moderamen inculpatæ tutelæ requiritur periculum *certum*, *præsens*, *aliter non evitabile*, sequeretur, quòd injustè lacessitus deberet priùs examinare periculi circumstantias, tentare fugam, antecedenter ictum recipere, vel saltem eludere, exspectare, dum sit comminus hostis, attendere, ne arma sua sint nocentiora: atqui sequela admitti nequit, quia *nimis difficilis*, in ejusmodi rerum articulo *impracticabilis*: ergo nec id, unde hoc sequitur.

Sed moralis, juxta rerum, & circumstantiarum articulum.

℟. D. *Maj.* Si requiritur periculum *certum*, *præsens* &c. in sensu stricto *absolutè*, seu *strictissimo*. C. *Maj.* Si tantùm in sensu *stricto respectivè* ad circumstantias. N. *Maj.* Et sic D. *Min.* N. C. Juxta *Molinam* nostrum ad moderamen inculpatæ tutelæ servit hæc regula (a): *Si iniquè lacessitus videat, aut rationabilissimè timeat, se jam mortem non evasurum, nisi aggressoris occisione, nihilque ei occurrat, vel in ejusmodi perturbatione occurrere possit, quo vitam salvare, & salvo debito honore sese à periculo eximat.* Unde colligit, quòd etsi requiratur periculum *certum*, quatenus nequaquam sufficit *suspicio*, etiam vehemens, parandæ vel paratæ mortis; nihilominùs sufficiat certum *moraliter* pro rerum, & circumstantiarum apparentia, præsens item *moraliter*. Hinc nihil interesse censet citatus Author ad moderamen inculpatæ tutelæ, eminùs sive comminùs, paribus sive nocentioribus armis, invasorem quis occupet, ac repellat.

Excedens moderamen inculpatæ tutelæ omittendo fugam,

Opponitur II. Ex dictis videtur sequi, quòd, qui excessit moderamen inculpatæ tutelæ perimendo hostem, cùm absque gravi incommodo fugere potuisset, non peccârit contra *justitiam*, sed solummodò *charitatem*: falsum hoc: ergo &c. *Min.* P. *à Lugone* (b). Invasor tamdiu videtur habere jus ad suam vitam, quamdiu alteri, ad vitæ suæ defensionem, occisio invasoris non est *necessaria*: atqui, si patet effugium, invasus non est constitutus in necessitate occisionis: ergo tunc læditur jus invasoris, & per consequens peccatur contra *justitiam*.

Non videtur peccare contra justitiam, sed solummodò charitatem.

℟. Cum *Lessio* (c) *Molina*, (d) & aliis C. *Maj.* *Ratio* est, quia injustus invasor non habet jus majus in invasum, quàm anteà habuit: atqui anteà non habuit jus, quo invasum posset obligare ad fugam: ergo nec pòst. Itaque, si invasus * nolit fugere, utitur *jure suo*, & ex hac hypothesi, in vitæ suæ defensionem necessaria, interficit invasorem, nec proinde peccat contra *justitiam*, sed solummodò *charitatem*. Ad *Min.* P. D. Invasor videtur habere jus ad vitam, quamdiu alteri, ad vitæ suæ defensionem, invasoris occisio non est necessaria *absolute loquendo*. C. Videtur habere jus ad vitam, siquidem alteri, ad suæ vitæ defensionem, invasoris occisio, non quidem *absolutè*, necessaria tamen est *conditionatè*, seu ex *suppositione*, quòd velit uti *jure suo* in non fugiendo. N. *Maj.* & D. *Min.* Atqui invasus non est constitutus in necessitate *absolutè*. C. *Min.* Ex *hypothesi*. N. *Min.* & C. Instantia habetur ex ipso *Lugone*, juxta quem non potest injusta invasio prævisa me obligare, ne domô exeam, quantumvìs domi me continendo possem præcavere vim, & occisionem injusti aggressoris: ergo nec injusta actualis invasio me obligare potest, *titulo justitiæ*, ut fugiam: neque enim videtur invasori jus majus competere ad me impediendum à *cœpto* itinere, quàm competat ad impediendum ab itinere *incipiendo*.

Per hoc tamen non statim infertur licita etiam inferendæ mortis præventio.

Opponitur III. Si sufficit periculum, *moraliter* tantùm *præsens*, tunc posset quis *licitè* prævenire insidiatorem vitæ ob decretam jam sibi necem, aliter non nisi occisuri morte evitabilem **; hoc dici nequit: ergo non sufficit periculum tantummodò *præsens moraliter*. *Min.* P. teste *Navarro* (e) *Nulla jura occidere permittunt, nisi solum aggressorem*: atqui talis non est aggressor: ergo &c.

Etsi id Authores non nulli concedant,

℟. 1. *Molinam*, (f) *Bannezium*, (g) aliósque RR. quosdam, concedere *Maj.*

(a) Tract 3. Disp. 11. f. m. 1750.
(b) Disp. 21. sect. 3. n. 55.
(c) Cap. 9. Dub. 11. n. 136.
(d) Disput. 81.
* *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 13. f. m. 266. addit exemplum in bello, ubi Rex, invasus ab altero, non tenetur, quantum potest, se fugæ mandare, ne dum resistit, aliquos ex invasoris copiis occidat.
** Si Maritus, pugione posito sub cervicali, vel parato jam veneno, conjugi decrevisset mortem, clausâ domûs vel conclavis januâ, non evitabilem, nisi per uxoris præventionem.
(e) In Manuali, c. 15. n. 2.
(f) Tract. 3. disput. 12. n. 2. f. m. 1749.
(g) Q. 64. art. 7. D. 4.

Maj. Ratio est 1. Quia insidiatoris malitiâ præventio occisiva, hìc & nunc, effectum est necessarium medium ad vitæ propriæ defensionem: ergo licitum; cùm Natura non destituat hominem in necessariis mediis ad sui conservationem 2. Quia defensio vitæ est repulsa læsionis injustæ: ergo non exigit, ut exspectem actualem læsionem. 3. Quia ad justitiam repellendæ læsionis sufficit inchoata aggressio: atqui decretum ejusmodi efficax, seu machinatio mortis jam est inchoata aggressio, cùm sit initium, & impulsus, à quo movetur ad injustam aggressionem. 4. Quia etiam Princeps, vel Respublica; ad impediendum bellum, licitè invadit hostiles fines, non tantùm quando constat de delectu militum, aliisque mediis ad bellum inferendum jam comparatis; sed etiam quando constat de efficaci decreto inferendi belli, quin opus sit exspectare actualem invasionem, bellique denuntiationem: * ergo à pari, in privata, & naturali sui defensione. Unde ad P. *Distinguunt Maj:* Nulla jura permittunt occidere, nisi solum aggressorem, semper *actu talem.* N. *Maj.* Etiam *inchoativè*, & *æquivalenter*, seu *moraliter talem.* C. *Maj. Molina* ait, parùm referre, an aggressor dici propriè possit, vel non: *neque enim idcircò fas esse interficere aggressorem, quiâ aggreditur; sed quia aggressione constituit in discrimine vitam aggressi, ita ut nulla alia pateat via ad eam periculo eruendam, nisi illum interficiendo.* Sic illi, quos sequitur *Grotius*, (a) ejúsque epitomator *Vitriarius*, addens rationem; *quòd ex signis externis animus occidendi omninò appareat, propter quem facinus occupari possit. Grotius* tamen addit; alteram sententiam *meliorem*, & *tutiorem.* Unde

Sed probabilius non expedit, ejusmodi licentia saltem practica, quia periculosa.

R. 2. Cum *Lessio*, (b) *Haunoldo*, (c) *Metzgero*, (d) & aliis D. *Maj.* Posset quis licitè prævenire insidiatorem vitæ, *ordinariè* loquendo, & *practicè*. N. *Maj.* Loquendo *speculativè*, & in casu forsan *particulari, vix unquam reducibili ad praxin.* Tr. *Maj: Ratio distinctionis est* 1. Quia ejusmodi *licentia, seu defensio* licita *in praxi*, videtur *repugnare amori*, in ordine ad felicitatem, Societati humanæ propriam, *simpliciter necessario, propter periculum nimii abusûs, & præjudicium*, inde Societati humanæ oriturum: ergo jure naturæ, *in praxi & universaliter* saltem, licita esse non potest. *Ant.* ex eo colligitur, quòd ex tali licentia plus damni, quàm emolumenti emergeret humano Generi propter ingentes abusus, & plurimas cædes, quas *sub hujus præventionis licitæ prætextu* suggereret vel *irrationabilis timor*, vel *odii*, ac *vindictæ cupiditas.* 2. Quia jure naturali permissum tantummodò est, *vim vi repellere*: atqui tale decretum, vel præparatio non esset vis, seu *actualis* aggressio: ergo non esse licitum, vim *actualem* opponere. 3. Quia rarissimè contingit, abesse alia media defensionis, quibus hostiles insidiæ vel depellendæ, vel evitandæ. ** Nihilominùs *in particulari*, vel *rarissimo* forsan *casu* (qui tamen, ùt notat *Lugo*, *metaphysicus* non est; sed *absolutè* potest contingëre, immò aliquando contigisse *Tridenti*, testem habemus P. *Haunoldum*) quo insidiæ & mors, actu paratæ, nec nisi hostis nece evitabiles forent; posset naturali defensioni esse locus, qui casus, teste *Soto*, (e) definiendus foret *arbitrio prudentis, spectatis circumstantiis concurrentibus.* Unde

Ad 1. *rationem.* D. A. Præventio hujusmodi est medium, *regulariter* à natura permissum, non obstante periculo, ac damno, quod in Societatem humanam per illud posset profluere. N. A. Est permissum forsan *in rarissimo casu, circumstantiis extraordinariè concurrentibus*, in quibus cessaret ratio præjudicii pro humana Societate. Tr. A. & N. C. Natura non destituit hominem in ejusmodi casibus, cùm suppeditet alia media: & licèt, *in uno vel altero casu* privatum hominem destitueret, *bonum universale particulari, per dispositionem naturæ, est præferendum.*

Unde potiùs meretur dici speculativa.

Ad

---

* Spectato *jure naturæ.*

(a) L. 2 de J. B. & P. c. 1. §. 5. n. 2.

(b) L. 2. c. 9. Dub. 8. n. 64.

(c) Tract. 2. c. 6. controv. 4.

(d) Theol. Scholast. disput. 37. art. 4. §. 1. n. 4. f. m. 350.

** Unde *Vitriarius* in Instit. J. N. & G. L. 2. c. 1. n. 13. denuò minùs curatè emendat *Grotium*, dum scribit: *Si aliter periculum evadi non potest, conjuratos, insidiatores, aut venenum struentes occidi posse, verius est: quia ex signis externis animus occidendi omninò apparet, propter quem facinus occupari potest.* Sed refutare rationem *Grotii* debuisset de J. B. & P. L. 2. c. 1. §. 5. n. 2. *Plerumque enim interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiam casus patet.*

(e) Tr. 5. de Just. Q. 1. art. 8. apud *Molinam.*

Cùm læsio intentionalis,

Ad 2. D. Defensio est repulsa læsionis *in re.* C. Qualiscunque, & *in sola intentione. Subdist.* Defensio justa. N. Injusta. C.

Et aggressio in causa,

Ad 3. D. Sufficit aggressio inchoàta *quomodocunque* in *sola causa*; seu decreto concepto. N. Inchoata *verè*, & *in effectu* v. g. oneratione bombàrdæ, præstolatione actuali in certò loco &c. ùt vult P. *Paulus Metzgerus* cum aliis. Tr.

Non videatur sufficere ad justam defensionem saltem privatam.

Ad 4. Aliud est; quòd *authoritate publica*; pro avertendo malo publico; aliquid expediat; permissúmque sit à natura: aliud, quod *pro privata authoritate, bonóque privato.* Accedit; etiam in bello tunc primùm fore locum præventioni, cum alia media belli avertendi deficiunt, & cùm aliâ viâ, quàm præventione, damna Reipublicæ, *certò* inferenda, depelli nequeant: atqui in ejusmodi casibus privatis ordinariè non desunt alia media vim declinandi.

Aggressio non hoc ipso est justa, quòd alter dederit causam.

Opponitur IV. Si ad moderamen inculpatæ tutelæ requiritur, ut sit alterius injusta aggressio, sequitur, quòd fur, vel adulter, *deprehensus in facto*; sese defendere nequeat contra aggressorem, illaturum sibi necem, *nisi defensione occisiva aliter non evitabilem*: idem dicendum de eo, qui initiô fuit injustus aggressor, volénsque desistere, aggresso desistentiam recusante: sequela est contra *Molinam*; & alios: ergo &c. *Maj.* exinde colligitur, quòd fur vel adulter, *sua culpâ*, in hoc periculum sint delapsi, nec alterius aggressio esse injusta videatur.

Unde sicuti licita occisio, sic alteri licita defensio.

℞. *dent* hi Authores. N. *Maj.* ad P. negant, quòd hisce in circumstantiis sit *justa* * aggressio. Non enim, ajunt, jus est occidendi fures; atque adulteros, *præcisè deprehensos in facto*; etsi in foro externo occisori indulgeatur impunitas: ergo jus manet penès invasum defendendi vitam; *si aliter fieri non possit*, etiam cum occisione alterius; in foro tamen externò eum manebit pœna; homicidio debita, & etiam in foro interno tenebitur ad restitutionem emergentis damni, siquidem non resistentia, vel desistentia alteri non omninò planè constiterit. Ita illi. Ubi notandum, *si aliter mors evitari non possit*: si enim invasus; qui dedit gravem causam invasionis; fugere possit, tenetur saltem *ex charitate*, Læsionis non obstante infamiâ, quæ ex fuga forsitan oriri posset. *Ratio est*, quia tenetur à proximo avertere damnum vitæ corporalis; & spiritualis, cujus ipse peccaminosam aliquo modo præbuit causam; ùt habet *Lugo*, *Lessius*, & alii. An *ex justitia* teneatur dubitant Authores, quia non *per se*; *sed per accidens*, fuit causa tantæ invasionis, ad usque mortem nullo jure extensæ. Ex his hactenùs dictis;

Infertur 1. Ex communi DD. *eodem modo*; quo licita est defensio propria; *eodem* est licita etiam aliena, *servato, semper moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est*, quia licitum est defendere innocentem, & quo jure aliquis potest defendere se ipsum, eodem potest defendere proximum, naturæ & charitatis nexu sibi conjunctum. *Quomodo licita defensio propria, ita & aliena;*

Infertur. 2. Ex eodem communi, quòd pariter nemo *teneatur* tueri vitam alterius *privati* cum periculo vitæ propriæ. *Ratio est*; quia quis ordine charitatis potest vitam propriam præferre alienæ. Dictum est; *vitam privati*: nam pro vita Principis potest esse obligatio *ex justitia legali*; pro vita Parentis *ex debito charitatis*. *Non tamen obligatoria;*

§. VI. §. 6:

De Obligatione justæ defensionis.

Obligatio justæ defensionis.

Quæritur XII: *Quænam obligatio justæ defensionis?*

℞. I. *Etsi jure Naturæ permissâ sit justa sui, suorúmque bonorum defensio, nulla tamen est obligatio; se suáque defendendi regulariter, præcipuè cum occisione injusti aggressoris.* *Defensio vita justa cum occisione alterius,*

Assertum; quò ad primum membrum. P. 1. Ex principio amoris naturalis suprà jam applicato: quia nempe defensio sui, præcipuè cum alterius morte, etsi *absolutè* justa; non tamen *positivè est exigita ab amore*, seu *Deo*, cujus tam stricta haud obligatio; seu *sibi ipsi*; virtutis bono longè majore damnum bonorum; immò & ipsius vitæ compensante; *seu proximo; ac Societati humanæ naturaliter debito*; aliis mediis incommoda secutura præpedien- *Etsi permissa, non tamen est obligatoria.*

---

* Spectato quoque jure naturæ teste *Grotio* De J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 17. *Sola necessitas; aut necessitati par ratio, facit, ut processus contra delicta. authoritati publicæ ordinarie competens, etiam privatis communicari possit: non ergo satis congruunt legi Divinæ; aut naturali juri leges civiles &c.*

pedientibus, ut adcò *ad felicitatem, naturæ rationali propriam*, ejusmodi amor *absolutè necessarius*, seu quod idem est, *positivè præceptus*, dici haud possit. *

P. II. Ex eo, quia, *generaliter loquendo*, nemo tenetur, uti savore sibi concesso: nam teste *Quintiliano*, (a) *omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas. Quidquid in honorem alicujus inventum est, desinit privilegium vocari posse, si cogas: cuncta, si videtur, jura percurrito, nusquam adeò solicita pro nobis lex est, ut, quod præstat, extorqueat.*

Medie tam difficili non obligante.

P. III. Quia nemo tenetur vitam defendere *mediis adeò difficilibus*, atque *extraordinariis*, sicut est occisio invasoris, in salutis periculo versantis; secùs Sanctorum multi sæpiùs in jus naturæ injurii fuissent, quod dici nequit. Dictum *regulariter*, quando scilicet ex morte propria non imminet grave damnum alteri, v. g. *Reipublicæ* respectu militum præsidiariorum; respectu Mariti *ad uxorem*, & alendos *liberos* obligati, quibus convenit illud *Senecæ Phœnissis: vitam tibi ipsi si negas, multis negas.* Ex quibus *Sotus*, *Radingus*, *Metzgerus*, & alii contra *Abulensem* (b).

Saltem regulariter.

Multò minùs stringit respectu bonorum.

Deducunt. 1. Quòd multò minùs adstrui possit obligatio bona fortunæ, vel famæ, cum morte raptoris, salvandi. Nam 1. Verorum Sapientum opinione, qui patienter fert injuriam, aut bonorum jacturam, honorem magis auget, quàm minuit, ùt tradit *Grotius* (c). 2. Quia virtus est heroica, se ipso fortiorem esse, & generosâ victoriâ iram dictamini saniori subjicere, id quod non modò saniores ethnici agnovêre, sed & sophi, aphorismis plurimis, docuêre

Etiam pudicitia.

Deducunt 2. *Molina*, *Dicastillo*, & alii (d). Non obligari virginem, ut vim intentatam, stupratoris nece, repellat, sed laudabiliùs fore, vim sustinere, quàm violatorem orco transmittere, *siquidem absit periculum consensûs*; secùs utique valeret illud (e): *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

℞. II. *Unde licita est indirecta sui occisio. 2. Non tamen directa.* *

Unde licita indirecta sui occisio.

Assertum, quò ad prius membrum, sat constat. Siquidem *indirecta* sui occisio, juxta *Tamburinum*, (f) est *omissio vel positio actionis, qua omissâ, vel positâ, mors, non intenta, aliunde consequitur*: atqui talis est licita, ùt patet ex dictis.

Non tamen directa quia juri Divino naturali & humano contraria.

Quò ad alterum membrum exinde patet, quia *directa* sui occisio est *positio actionis, vel intentione positiva, vel ex se ordinata ad sui occisionem*: atqui talis est illicita: ergo &c. *Min.* Ex eo constat, quòd *directa* sui occisio repugnet *amori, tam sibi, quàm Deo, & Societati humanæ naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessario.* Nam 1. Repugnat amori proprio, ùt patet, 2. Amori Creatoris, ratione dominii, soli Deo reservati. 3. Amori Societatis humanæ, ratione violatæ justitiæ legalis, inferendo injuriam Communitati, cui tanquam membrum quis natus est. *Accedit*, quòd nullo rationabili fine cohonestari possit.

Oppositiones.

Quæritur XIII. *Quænam oppositiones?*

Neque obligatio tuendi vitam cum alterius nece, rectè deducitur.

℞. *Potest opponi* I. Est *obligatio gravis* salvandi vitam, etiam aggressoris iniqui nece, aliter servari ni possit: ergo non tenet assertum.

A Natura.

A. P. 1. Jus naturale quemvis obligat, per media *licita* conservare vitam: atqui occisio aggressoris hìc est medium *licitum*: ergo &c.

Instinctu.

A. P. 2. Natura non frustra nobis indidit *instinctum* nos defendendi, nec frustra dedit manus, ùt habet *Plutarchus*: ergo ad conservationem nostram iis utendum.

Amore sui ordinato.

A. P. 3. *Ordo charitatis* est, vitam propriam præferre alienæ: atqui is obligat *graviter* in re gravi, qualis est amissio vitæ: ergo &c.

℞. Cum

---

* *Thomasius* in *Fundam.* J.N.L. 2. c. 2. n. 14. ait, quòd quæstio, *an præcepta sit sui defensio* usum habeat *planè nullum*. *Non intuitu aggressi*, qui non habet *spatium deliberandi*, & meditandi doctrinas morales: *neque intuitu Judicis*, quia is, qui patitur se absque resistentia interfici à latrone, apud nullum populum legitur condemnatus esse pœnâ, in alios autochiros statutâ. Ubi errat 1. Quòd quæstionem dicat *nullius usûs*, cùm tamen ab illa dependeat licentia indirectæ autochiriæ, qua in re multiplex difficultas. 2. Quod aggressus non habeat spatium deliberandi, saltem *morale*. 3. Quòd Judici non possit esse usui, *saltem respectu latronis*.

(a) Declamat. 7.

(b) *Sotus* de J. & J. L. 5. Q. 1. a. 8. *Red.* Theol. Schol. Tom. 13. Q. 2. a. 1. contr. 3. n. 32. *Metzg.* Theol. Schol. Tr. 12. dispu. 37. a. 3. n. 4. *Abul.* in c. 12. *Josue* Q. 11.

(c) L. 2. c. 1. §. 10.

(d) Mol. de J. & J. tr. 3. disput. 17. n. 11. Dicast. de J. & J. L. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 5. n. 65.

(e) Math. 16. v. 26.

(f) L. 6. in explica. Decalogi c. 2. §. 2.

Nisi agatur de præjudicio tertii, vel Reipublicæ.

℞. Cum *Molina*, *Soto*, & aliis. N. A. Ad *P. 1. D. Maj.* Jus naturale sic obligat, ut nullô modo possit prætermitti defensio licita *in proximi commodum, majúsque virtutis propria emolumentum. N. Maj.* Ut possit prætermitti, nisi obstet grave præjudicium Reipublicæ, vel familiæ. *C. Maj.* Siquidem in tali casu non censetur à vitæ Domino indultum, ut possit quis cedere jure alieno, sicuti potest cedere suo; & tunc invasoris damnum sive temporale, sive spirituale culpæ propriæ est imputandum. Casu quo autem, absque aggressoris morte, vita propria salvari possit, nec Religionis causa aliud suaderet, *obligatorie* conservanda foret, ut nequis audiret vitæ prodigus absque emolumento, ad quod data non est ab Authore vitæ facultas. *

Sed tantùm licentia,

Ad 2. C. A. D. C. Ergo manibus ad nostram conservationem utendum *licite*. C.C. *Obligatorie*. *Subd.* Si aliorum, vel boni publici intersit. C.C. secùs. N. C.

Et amor sui permissus.

Ad 3. D. *Maj.* Ordo charitatis *preceptus* est vitam propriam *semper* præferre alienæ. *N. Maj.* Ordo charitatis *permissus est* præferre vitam propriam alienæ: *subd.* Nisi aliena foret summoperè necessaria bono publico, sive temporali, sive spirituali. *C. Maj.* Secùs. *N. Maj.* Siquidem in tali casu, *lege charitatis*, ** teneretur quis præferre *commune* *** bonum vitæ propriæ, ùt vult *Molina*, cum aliis. Cæterùm, juxta eundem, *in ordine charitatis præcepto est, extremè indigenti externa bona communicare*; saluti illius spirituali, etiam cum periculo vitæ, si id omninò sit necessarium, subvenire. *In ordine charitatis permisso est præsens casus nostri asserti.*

Ex eo, quòd licita sit indirecta vitæ expositio, non sequitur licitam esse directam.

Potest opponi II. Homo non est *Dominus* vitæ, atque membrorum, sed solummodò *custos*; ergo nequit se periculo vitæ, ac mutilationis exponere. C. P. Si licitum est, se exponere morti, mutilationi &c. etiam licitum erit, se ipsum occidere, vel mutilare: sequela est falsa: ergo &c. *Maj.* videtur exinde colligi, quòd idem sit, si per me, ac si per alium peream.

Liquet ex disparitate præcepti affirmativi, & negativi.

℞. C. A. **** D. C. Ergo nequit se periculo vitæ, ac mutilationis exponere *directè* & *positivè*, necem vel mutilationem procurando, aut in eam consentiendo. C. C. Nequit *indirectè*, & *negativè*, eam solummodò permittendo ob proximi commodum, majúsque virtutis propriæ emolumentum. N. C. Ad P. N. *Maj.* & *paritatem*. Disparitas est, quia præceptum de non occidendo est *negativum*, obligans *semper pro semper*; contrà præceptum de conservanda vita, seu de adhibendis mediis ad eam conservandam est *affirmativum*, obligans *semper, sed non pro semper*: unde in casibus, ubi concurrit proximi commodum, majúsque virtutis emolumentum, non censetur Deus nos obligâsse.

Ad P. Maj. Negatur denuò paritas. Disparitas quadruplex habetur in probatione.

Neque vel asseribiles casus.

Potest opponi III. Sunt plures casus, in quibus allatæ in asserti probatione rationes, cessant: ergo non *semper* illicita est occisio propria.

A. P. 1. Non repugnat juri Naturæ, casu quo malum morte majus v. g. *infamia, cruciatus lenti &c.* sunt evitabiles. 2. Non repugnat juri naturali Divino, casu, quo morti adjudicatus per Judicem, Dei Vicarium, juberetur esse executor sententiæ, *venenum sumendo, ense pectus transadigendo*, &c. Sicuti jubetur esse executor suæ mortis, damnatus ad transtra, metalla, seu exilium. 3. Non repugnat juri Communitatis, quæ ejusmodi membrum

---

* Inde colliges errorem *Vitriarii* in Instit. J.N. & G. L. 2. c. 1. n. 8. dum ex *Grotio* & *Puffendorfio* absolutè statuit, quòd si corpus impetatur *vi præsente*, defensio sui, etiam occisiva periculum vitæ inferentis, *naturæ jure præcepta sit, ita ut nec lege civili tolli possit, & is, qui se non defendat, se ipsum occidisse videatur.*

** *Puffendorfius* notat L. 2. c. 5. §. 2. f. m. 251. Etsi magnitudo imminentis terroris merita Personarum ita otiosè trutinari non permittat, & ejus periculi, in quod se ipsum quis conjecit, & ex quo sese eripere iterum pro libitu potest, nulla habenda sit ratio, præsertim ab eo, cujus damno alter furit.

*** Idem l. c. f. 269. Exinde non sequitur, si ab aliquo nullius, aut paucorum salus pendeat, quòd hic non rectè possit invasorem occidere, quem vivere fortasse plurium interest. Secùs enim cœlebs aut orbus nunquam posset occidere invasorem proletarium, ne hujus liberi, aut uxor in egestate destituantur: atqui si ipsum respectus liberorum aut uxoris retrahere non potuit, ne scelus faceret, quare alter horum licitè vitam suam condonare debeat?

**** Quod patet ex Sap. 16. v. 13. & Deuter. 32. v. 29. ac ratione, quia res, *substans* dominio, dicit *subordinationem*, quam homo non habet *ad suam substantiam*, seu, *ad se ipsum*: ergo *respectu suæ substantiæ*, & consequenter membrorum, ac vitæ habere dominium nequit.

brum per sententiam ipsam resecuit.

4. Haberi potest rationabilis finis v. g. *ad puniendum proprium crimen; ad impediendu majora, pluravo sua peccata; ad servandam continentiam se mutilando; ad vitandam pudicitia violentiam se occidendo; ex motivo virtutis heroicæ, ac fortitudinis honestate se jugulando*, qualia exempla plura suppeditant, non sine elogiis, historici annales. E. G. in *S. Apollonia*, in ignes ultrò insiliente; in *Samsone* dirutâ columnâ; in *Eleazaro* confosso elephantô se ipsum contumulando; *in Razia* visceribus propriis vim inferente; (a) in *Lucretia, Catone Uticensi, Bruto*, & aliis, proprio ferro se jugulantibus.

Quo sit licita occisio propria, præter ordinationem Divinam.

R. N. A. Ob rationem infrà contra *Thomasium* afferendam. Ad P. N. Quò ad omnia membra. *Non 1.* quia mors est extremum malum, in Dei, non hominis potestate positum. *Non 2. & 3.* Quia ejusmodi actus *proximus*, & *positivus*, etsi non repugnaret juri Reipublicæ, repugnaret tamen *Juri Naturæ*, ratione propriæ dilectionis, in se ipsum carnificis munere fungendo, quod est nativo instinctui (ùt vel in belluis patet) contrarium. Repugnaret itidem *juri Divino*, cùm ejusmodi potestatem Magistratui esse communicatam, nec à sacris litteris, nec à praxi ulla (tyrannicam si excipias) constet. *Non* 4. Quia nemo est suus Judex in puniendo, neque sunt facienda mala, ut eveniant bona; aut eligenda mala *certa*, ut evitentur *incerta*: sic vis, illata virgini invitæ, malum *respectu illius* non est, sed bonum duplicatum ad coronam S. *Luciâ* teste. Cætera facinora (absque Numinis instinctu) *non fortitudinis laudanda, sed pusillanimitatis, seu ambitionis vituperanda testimonia sunt*, Authore *S. Augustino* (b). Exempla quod attinet, illud *S. Apolloniæ*, & *Samsonis*, speciali Numinis instinctui attribuitur: *Cùm autem Deus jubet, sequi debere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocat?* ùt loquitur D. *Augustinus* (c). Exemplum *Eleazari* quidam diviniori instinctui tribuunt; quidam de *indirectâ* tantùm cooperatione, & quidem pro honore DEI, & salute Patriæ licita, interpretantur. Erat namque incertus, quodnam in latus bestia caderet, & an ante lapsum sese subtrahere nequiret. Sic militem, in muros primò insilientem, cum pari periculo; sic, sublatâ spe evadendi, injicientem flammas in pulverem pyrium, ad inferendum hosti gravissimum damnum, & pro salute Patriæ, Theologorum pars potior haud condemnat. Sic grassante incendio per fenestras prosilientem, *cum moraliter certo vitæ periculo*, ad ignis tormentum effugiendum, reum occisionis propriæ agere, nequaquam audent *Haunoldi, Valentia, Soti, Molina*, & alii. Exemplum *Raziæ Angelicus* improbat, quia Patriæ prodesse non poterat; *Augustinus* impatientiæ condemnat; *Lyranus* excusat per specialem instinctum, ùt actum fortitudinis: sed cùm Scriptura illa verba: *quòd maluerit nobiliter mori*, ex sensu *Raziæ* mundano, referre videatur, verosimiliùs hæc, aliáque similia exempla, excusat *Molina* per ignorantiam inculpabilem *in subtilitatibus juris Naturæ*, atque, meritum ex fine optimo, zelóque perfecto, fuisse retentum.

Deus jubendo propriam hominis occisionem.

Potest opponi IV. Occisio propria est contra præceptum *negativum*, & mala *intrinsecè*: ergo nec *per instinctum Dei* mandari potest: non enim potest DEUS dispensare in lege Naturæ, ùt initiò diximus.

Non relaxat legem Naturæ, sed mutat materiam, ponendo eafsim, quo non obligat lex naturæ.

R. *D. A.* Est *intrinsecè*, hoc est, *materialiter* mala, nisi mutetur materia, vi cujus est *materialiter* mala. C. A. Si mutetur. N. A. & C. Ex dictis alibi constat, materiam, vi cujus autochiria, seu occisio propria, est *materialiter* mala, esse occisionem non *qualemcunque*, sed factam *propria authoritate*: hanc si suo instinctu mutet Deus, *materialiter* mala esse desinit; immò veriùs, in ista circumstantia mala nunquam fuit, adeóque Deus non dispensat, sed materiam mutat, quod contingit in omni actu, qui habet materiam, Divinæ potestati subjectam, uti initio fusiùs declaravimus (d).

Optare mortem.

Potest opponi V. Licitè mihi possum optare mortem ob bonum finem, v. g. *vitandas hujus vitæ miserias*: ergo etiam inferre.

Se dare præcipitem ad vitandum incendium.

2. Licitè possum ad vitandum incendium, vel piratas hæreticos, seu ex alto, seu in altum me dare præcipitem: ergo etiam ob minas crudelissimæ mortis, nisi me præcipitem, inferendæ.

3. Possum

(a) Jud. 16. & 1. Machab. 6. & 2. c. 14.
(b) L. 1. de civit. DEI. c. 22. & 23.
(c) L. c. c. 26.
(d) Videatur Tituli II. Instruct. 2. § 3. Q. 10.

Si unà cum hoste obruere non semper illicitum.

3. Possum incendere pulverem pyrium, méque unà cum hoste obruere: ergo etiam me unà cum hoste transfigere, si aliter hostis nequeat transfigi. *

Si primum fiat debito modo;

℞. D. A. Licitè possum optare mortem, ùt *modò debitò* obventuram. C. A. ùt obventuram *modò indebitò*. N. A. &C.

Si alterum ordinetur ad fugam mortis, cum aliquali spe evadendi

Ad 2. C. A. Si sit saltem tenuis spes evadendi, & si, ùt habet *Lessius*, (a) v. g. milites, post grave certamen cum Hæreticis, videntes navem in hostium manus venturam, communi consensu navim incendant, séque in mare præcipitent, ne ipsi unà cum navi veniant in hostium potestatem: si enim quis potest insilire in mare, ùt salvet amicum, cur non ut evadat hostis crudelitatem. Sed N. C. *Disparitas* est, quia in casu priore præcipitatio non ordinatur *ad mortem*, sed *ad fugam* mortis præsentis; in posteriore ordinatur *ad mortem*, cùm quis exequitur imperium mortis. & præcipitatio, quæ *ibi fuga*, hìc foret *illatio mortis*. Sic, ùt notat non nemo nostri temporis Author, ob minas inferendæ mortis à *Paulo*, haud potest quis ejus jussu occidere *Petrum*, quia foret *directa occisio*; *potest Petrum*, ùt aggressorem, occidere, quia foret defensio vitæ.

Si tertium fiat pro bono publico.

Ad 3. C. A. Saltem in casu boni publici, ùt habet *Tamburinus*. N. C. Cum *Lugone*, eò quòd ejusmodi casus non videatur esse possibilis: siquidem se transfixo deficerent vires ad hostem pariter transfigendum. Alii admittunt in pari emolumento Reipublicæ, quia tantùm *indirectè* & *per accidens* intenderetur mors propria, sicuti tantùm *per accidens* intenditur occisio infantis, quem hostis, scuti instar, protendit. Item innocentum, qui, in incensa hostili turri, unà cum hostibus pereunt.

Causæ legitimæ exponendi vitam.

Quæritur XIV. *Quasnam causas, & casus asserre solent Orthodoxi Moralistæ, ob quas, & in quibus, legitima est potestas exponendi vitam, sibique mortem indirectè consciscendi?*

℞. I. Inter causas legitimas 1. est *fides*, atque *religio*, ubi quandoque est obligatio, urgente scilicet præcepto externæ professionis. 2. *Conservanda vita spiritualis*, seu *salus proximi*, ubi quandoque est obligatio, accedente titulo justitiæ officii pastoralis. 3. Teste Angelico (b) etiam *conservanda vita proximi corporalis*, quia bonum pietatis præstantius est bono vitæ: sic filius, cum certo mersionis periculo, non tantùm Patri, sed & alteri tabulam *licitè* cederet. ** 4. *Conservatio pudicitiæ*, etiam citra periculum proximum consensûs: sic puella mori potiùs posset, quàm fœdari. 5. *Bonum charitatis* in gravi necessitate proximi v. g. peste laborantis. *** 6. *Bonum disciplinæ religiosæ*: sic *Cartusiano*, in periculosissimo morbo, licitum abstinere à carne; cuivis Religioso ab extraordinariis mediis, quia majus bonum conservatio disciplinæ, quàm prolongatio vitæ. 7. *Bonum publicum*; sic potest quis se ipsum pro Rege objicere medium, globo occidendum; sic licitum militi, immò sæpe obligatorium, vitam exponere, & potiùs mori, quàm stationem deserere, quia sit authoritate publica, & pro bono publico. 8. Sic damnatus ad mortem *non tenetur* fugere, præcipuè in causa religionis, exemplo SS. Martyrum; nec obligatur panem accipere, si sit damnatus ad moriendum fame; quia per hoc non tam videtur se ipsum occidere, quàm, propter bonum justitiæ, cessare à sustentanda vita. 9. Sic licitum subire periculum mortis, vel brevioris vitæ, pro majore vitæ perfectione. Unde Novitius non tenetur egredi religione, nec Religiosus quærere dispensationem à communi rigore Ordinis, etsi sit periculum morbi, mortis, vel vitæ, *certò* abbreviandæ: quia hoc non est *positivè* mortem afferre, sed non impedire mediis quibuscunque, quod sæpe licitum, uti patet exemplo D. *Casimiri*, immò & mercatorum, naufragii periculis se exponentium. Idem licitum esse statuit *Puffendorfius* pro boni publici, proximíque commodo, quia honestius est, *brevioris vitæ periculo* aliis inservire, quàm domi desidem canos attingere. Addit *Thoma-*

---

* V. g. Si suprà hostem, me amplexantem, jacerem supinus.

(a) L. 2. c. 9. Dubit. 6. n. 34.

(b) 2. 2. Q. 26. a. 5. ad 3.

** Sic teste *Thomasio* potest quis in bello partem innocentem, cum certo mortis periculo, adjuvare.

*** Unde *Weberus* in *Puffendorfium* c. 5. §. 8. malè negat, *quòd unus pro altero sese morti offerre possit*; veriùs ex *Puffendorfio* statuit *Kemmerichius* c. 5. De officio hominis ad §. 9. n. 44. f. m. 77. *Quòd mortem pro aliis oppetere, nec jure naturæ vetitum sit, nec præceptum.*

masius (a): fuisse *Lipsiæ*, qui impressis thesibus hoc negârit: sed rectè subjungit, *authorem, vel lucubrando hanc disputationem, eam factò refutâsse.*

Casus vitæ licitè exponendæ.

§. II. Inter casus licitos consciscendæ sibi vel alteri mortis, *Azorius* & *Valentia*, cum aliis, non admittunt sortem ducendam à pluribus, *casu cogentis ultimæ famis*, ad jugulandum aliquem, ut ejus, *hunc in finem occisi*, carnibus vitam servent, etsi is ipse jugulandus consentiret; multò minùs si reluctaretur. *Rationem* assignant, quòd foret occisio *directa*, nullo jure, vel titulo cohonestanda. dicente *Zieglero* acatholico: *Nec debuit quisquam vitam suam tam vilipendere, ut ejus jactura alterius famem expleret. Nec reliqui etiam ideò in socium suum sævire debuerunt, ut stomacho suo consulerent* (b). Minùs juri naturæ videtur repugnare sors, ducta à pluribus naufragis, in eandem insilientibus scapham, ferendis omnibus imparem, ut unus & alter, seu volens, seu nolens, agatur præceps in altum ad cæteros servandos. * 2. Illud probabilius, quòd quis,in extremam famem absque culpa delapsus, nullo suppetente remedio precum, judicis &c. nisi sua omnia vendat, seque servituti subjiciat, escæ quidpiam clanculùm auferre possit domino, haud æquè egenti, etsi invito: quia videtur *irrationabiliter* invitus. Id tamen certum, nullo prorsus suppetente fami extremæ remedio, licitam fore alienæ escæ ablationem, saltem illi, qui absque culpa in hanc necessitatem redactus,sive dein hisce in circumstantiis res censeantur in medio positæ, & in prima distributione exceptæ, uti vult *Grotius*; (c) sive taliter egens censeatur acquirere jus imperfectum, adeòque & onerosum ad restitutionem, si quæ fieri possit cum tempore, quamvis in rebus modicis restitutionem, non nisi ex debito gratitudinis, adstruat *Puffendorfius* (d). 3. In eo sat convenit inter Authores, quòd vi charitatis ordinatæ, *à vita propria incipientis*, licitum sit, repellere aliquem, casu quo natitandi imperitus alium stringeret peritum; vel insilire niteretur in alterius tabulam, siquidem utrique mortis periculum immineret. In eandem sententiam plerique abeunt, casu quo, instante hoste,uterque simul servari haud posset, unus dejecto ponte, vel januâ clausâ,alterum destitueret; item si obstantem in angusta via, nec cedere volentem, aut non potentem,equo obtereret: ** in quibus casibus, ajunt, non intendi alterius mortem, sed vitæ propriæ salutem, quo jure, ejusmodi in circumstantiis, natura ipsum providerit.

Unde *Grotius*, qui initiò negativam deciderat, (e) subin antilogum agit, (f) addita ratione, quòd, ad jus agendi, multa consequi possint *indirectè, & extra agentis propositum*, ad quæ *per se* jus non esset. Sic navis, piratis plena, aut domus, latronibus referta, tormentis peti potest, etiamsi intra eandem navem, aut domum, sint aliqui infantes, mulieres, aut alioquin innocentes, quibus affertur interitus. 4. Casu, quo quis à Rege, vel Principe *summi imperii*, seu furioso, seu injustâ irâ abrepto, vim pateretur injustam, sunt plures, qui negant potestatem legitimam, naturæ jure concessam, propriæ defensionis, præcipuè cum periculo vitæ Regiæ. *** *Ratio* est apud *Grotium*

(a) Jurisp. Div. L. 2. c. 3. n 67. litt. g.

(b) Apud *Puffendorfium* L. 2. c. 6. n. 3. cui rationi haud satisfacit *Puffendorfius*, hac ex parte contrarius, uti rectè animadvertit *Heineccius*; multò minùs *Thomasius*, suo laconismo enervi: *quia & miserandum magis, quàm injustum erit, in ejusmodi necessitate, ut plures serventur, unius aut quorumdam interitum sorte procurare.*

* Circa hos casus, quia *duriores*, *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 3. judicium suspendere se, affirmat: Sed rectè animadvertit *Weberus* c. 10. f. m. 203. in elementis naturæ de mente *Puffendorfii*, ex principiis ibidem positis, manifestè satis constare. Addit: *horror verò, cui nulla ratio subest, in definienda actuum moralitate contemnendus, animòque ejiciendus est.*

(c) De J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 6.

(d) *De* J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 6. Item in L. 1. de homine c. 5. §. 23. ubi *Weberum* anagnosten habet contrarium, qui ex *Grotii* mente jus agenti perfectum attribuit.

** Quòd si *infans* foret, vel *claudus*, cedere impotens, ùt ponit *Di Castillo*, negativam tenet *Becierus*, dicitque Theulogos negantes *esse cautiores*. Sed reponit *Hertius* in notis ad *Puffendorfium*, legem de non occidendo innocente non stringere *in collisiu* propriæ mortis, & *quidquid hic accidit, invasori esse imputandum.*

(e) L. 2. c. 1. §. 4.

(f) L. 3. c. 1. §. 4.

*** Alii casum quoque transferunt ad Parentem *invasorem* respectu filii, de quo *Plato* de LL. L. 9. *Filio ne pro defensione quidem sua si à Parentibus se videt interfectum iri, lege ulla conceditur, ut Parentes, à quibus in lucem editus est, interimat, sed omnia potiùs sustinere præcipitur, quam quidquam*

ejus-

tium 1. (a) Quia persona *sancta est propter majestatem*, cujus reverentia nullo casu *licitè* deponi potest, cùm sicut imperium, ita & majestas, delinquendo nunquam amittatur, vel amitti possit. 2. Quia, cùm summum imperium multorum odiis pateat, securitas id exigit. 3. Quia publica utilitas hoc postulat, ut adeò privati injuria, raro contingens, majoribus bonis, atque tranquillitati publicæ sit postponenda. Dissentire videtur C. *Bellarminus* (b) cum aliis. Illud haud liquidum, an etiam de submissis à Rege iniquis administris id intelligendum sit: affirmat laxus cæteroquin *Thomasius* (c) eò quòd aliàs Respublica turbaretur: sed sunt non pauci, qui cum *Grotio*, & *Vitriario* contradicunt (d).

§. 7.

§. VII.

Aberrationes Protestantium AA.

De Moralistarum protestantium extravagantibus hac in materia.

Quæritur XV. *Quæ Protestantium Authorum circa jus necessitatis aberrationes?*

Hugonis Grotii. ℞. I. *Hugo Grotius non rarò est admodùm confusus.* Nam alicubi legem naturæ cum Evangelica; alibi legem Evangelicam cum consiliis confundit. *Exemplo* esse potest. 1. Cùm dicit, lege Evangelica proximum nobis æquari, etsi illud: *diliges proximum, sicut te ipsum*, spectatâ lege, non de æqualitate omnimoda, sed de paritate *sinceri affectûs* intelligendum sit. 2. Sic Evangelica lege *illicitam*, ait, defensionem sui ac bonorum, maximè occisivam, eò quòd obstringantur *Christiani* ad patientiam, juxta illud: *percutienti dextram porrige sinistram quoque maxillam; auferenti pallium, da quoque tunicam*, quasi verò hæc *præcepti*, & non potiùs *consilii* forent. Eodem errore in testem adducit S. *Augustinum* dicentem: *Quomodò à peccato liberi sunt, qui pro hic rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt*, ùt suprà vidimus. Unde non nisi præpostero rigore incusat laxitatem Theologorum ex orthodoxis, maximè *Covaruviæ* dicentis: *jure naturali nil permitti*, quod idem apud Deum (NB. *qui est Author naturæ*) *permissum* non sit (e).

℞. II. *Puffendorfius* nonnunquam in jure defensionis est *nimium liberalis*. *Exemplo sit*. 1. Statuit *Grotius*, axiomate *nimis absoluto, quòd*, spectato jure Naturæ, *is, qui lædit, det læso facultatem quamdam moralem contra lædentem in infinitum*, hoc est, interprete *Puffendorfio*, *talem, ut jus nullum retineat, quò minus extrema quæque ab altero ipsi inferri queant*. Miris multísque modis, hoc dogma recoquit *Puffendorfius*: unde alicubi ait, (f) quòd, qui dolo malo intentet injuriam *qualemcunque*, nullo jure ampliùs muniatur, *quo minùs extrema quæque* patiatur. Alibi inquit, *in statu naturali* nullum ab læso posse exigi patientiam *etiam modicæ injuriæ*, præsertim continuatæ, *quo minùs per extrema quæque repelli possit* (g). Et licet non malè rejiciat eorum opinionem, qui intentatum malum, non nisi *æquali*, repellendum statuunt, quasi pœna foret, *propriè dicta*, per vindicativam justitiam regulanda: * nihilosecius hæc *infinita potestas*, jure defensionis legitimo, fundari nequit. Hoc enim nititur *moderamine inculpatæ tutelæ*, & licèt *æqualitate* inferendi mali *physica* non restringatur, respicit tamen, *per se* loquendo, *moralem proportionem*, jure penes lædentem manente, ut ne *ob quamvis levem injuriam* extrema quæque in ipsum statui queant; ** immò charitatis lege etiam læsum obstringente, ut ne sæviat *ultra modum*, illatæ injuriæ proportionatum. Neque solida est *Puffendorfii* ratio, quam affert. 1. (h) Quòd à levibus injuriis ad majores hostis transire *Puffendorfii.*

ejusmodi facere. Illud sat contestatum, casum non rectè transferri ad personam, *præcisè utiliorem, magis necessariam* &c. uti suprà ex *Puffendorfio* animadversum est, cùm aliàs cælebs haud posset occidere aggressorem uxoratum &c.

(a) De J. B. & P. L. 1. c. 4. §. 7. n. 6.

(b) De Pontifice L. 2. c. 29. arg. 7. Item *Vasquius* cum *Fleischero* acatholico, & aliis.

(c) In jurisprud. Div. L. e. c. 2. n. 89.

(d) *Vitriarius* In instit. de J. N. & G. c. 4. n. 8. f. m. 48. allegans *Grotium* L. 2. c. 26. §. 3. n. 1.

(e) L. 2. De J. B. & P. c. 1. §. 4. Item §. 10. & 13.

(f) L. 2. de J. N. & G. c. 5. §. 16. f. m. 272.

(g) L. c. §. 10. f. m. 265.

(h) *De officio hominis & civis.* c. 5. §. 13.

* Non enim pœna semper ex delicti objecto, sed ex respectu ad legem, quæ violata est, & publicam tranquillitatem, metienda est, ùt animadvertit *Weberus*.

** Inde L. *de homine & cive* c. 5. §. 12. ait: *prudentis* saltem esse, *levis injuriæ patientiâ* defungi, quàm intempestivâ violentiæ oppositione majori se periculo exponere.

transire possit: non enim majoris mali suspicio sufficit ad violentam adeò defensionem. 2. Quòd secùs vita redderetur *insociabilis*, si contra eum, qui modicas injurias *continuare* non desistit, extrema adhibere non liceret: nam si leves, *ipsa continuatione*, sic coalescerent *in gravem*, ut vitam redderent *insociabilem*, cessat suppositum asserti. Hinc *Grotianum* axioma veriore longè paraphrasi exponit *Bannes*, id extendendo *ad ea omnia, quæ necessaria sunt, ut quis se ab injuria servet immunem* (a).

2. Idem *Puffendorfius*, perplexa phrasi, ait, in naturæ legem esse injurios, qui vitam projiciunt *per vanam fidei jactantiam* (b). Quòd si hac phrasi sugillaret *Christianos primitivæ Ecclesiæ*, & etiam *Martyres*, ùt subnotat ejus interpres *Weberus*, & ipse in jus naturale simul ac divinum foret injurius, & in SS. *Christi* Athletas calumniosus.

Thomasii. ℞. III. *Thomasius in hac materia est sæpe erroneus, seu admodùm perniciosus.*

P. 1. Erravit, dum regulas justæ defensionis alibi deduxit ex illegitimo socialitatis principio; (c) alibi ad axioma unum, *loquendo simpliciter*, falsum, *quòd nempe necessitas non habeat legem*, revocavit, statuendo *simpliciter Claudiani* errorem: * *Leges omnes habere tacitam exceptionem necessitatis* (d). Errantem videtur sequi, contra *Puffendorfii* mentem, enucleator *Kemmerichius*, dum ita nudè enuntiat: *Omnes leges Divinæ, & humanæ intelliguntur cum tacita exceptione necessitatis; unde regula valet; necessitas non habet legem* (e). Et licèt *Thomasius* in Jurisprudentia Divina, non in omnibus legibus Divinis, *necessitatis exceptionem*, admittat, (f) tamen in aliquibus admittit doctrinâ admodùm periculosa: V. g. dum *ùt certum* statuit *illimitatè*, tyranno cultum publicum prohibente sub pœna mortis, *Christianum* lege Divina deobligari, additâ hac ratione, *quòd exempla Martyrum sint heroica, & specialem instinctum Divinum præsupponant* (g). Non minùs malè sonantes sunt illæ *Kemmerichii* propositiones, saltem, *ùt jacent*, quêis dicit, *in casu necessitatis contra Deum non peccari, quòd animus peccandi absit, & reluctante voluntate fiat, quod casu necessitatis admittitur. Deus autem animum, ac voluntatem respiciat* (h). An ergo in omni casu necessitatis, præsertim extremæ, semper abest, vel abesse potest peccandi animus? Apertiùs more suo delirat *Fleischerus*, dum scribit: *necessitatem adeò non habere legem*, ut licita sit transgressio, etsi intentata in *contumeliam Dei*: nam ait: *inde nil aliud sequi, quàm quòd homo meliùs faceret, si mortem præ conservatione vitæ, in hoc casu, eligeret, haud tamen peccet, si conservationem vitæ præferat, cùm propter imbecillitatem naturæ humanæ omninò excusationem promereatur. Inde probat quoque sententiam, qua quis sub comminatione mortis interficeret innocentem, nullo medio servandum* (i).

P. 2. Scripsit *Thomasius* pernicioso satìs errore, (k) autochiriam, seu occisionem sui, *etiam directam, solo rationis lumine*, efficaciter haud probari illicitam, casu quo v. g. quis certè videret, *se deinceps victurum in probrum Dei*; sibi ab hoste, vel tyranno mortem inferendam *cum cruciatu intolerabili*; vel casu quo juberetur *ob prætensa delicta*, acceleratione mortis, *ignominiam carnificis* evitare, &c. *Rationes affert* 1. Quòd talis certus sit, conservatione vitæ nec sibi, nec aliis utilitatem afferre. 2. Quòd non semper sit plus boni in vita, quàm mali *in doloribus exquisitissimis. Addere potuisset* 3. (l) Quòd taliter destinatus ad mortem videatur tam Deo, quàm Societati humanæ, ac Reipublicæ, jam periisse, nec ullius intersit, *tantillo tempore mortem anticipari*, ad præcavenda ludibria, respectu sui suorúmque immerita, ac ne sentiat tormenta, quæ ad grave forsan peccatum adigerent. 4. Quòd non videatur esse animi gene-

(a) Apud *Grotium* l. suprà cit.
(b) L. *de Officio hominis* c. 5. §. 9. f. m. 91.
(c) In Jurisp. Div. L. 2. c. 2. n. 143.
(d) In fundam. J. N. & G. L. 2. c. 2. n. 19. apud *Heineccium*.
(e) In element. c. 5. n. 70. f. m. 81.
(f) Sic. L. 2. c. 2. n. 136. ait, *quòd, si Princeps idololatra jubeat Sabbathum profanare actionibus vetitis, potiùs mortem subeundam esse, dubium non sit.*
(g) L. c. n. 137.
(h) In elem. cit. n. 74.
(i) In instit. J. N. L. 2. c. 2. n. 66. & 68.
(k) In Jurisp. cit. n. 74. & sequent. In secundis tamen curis ait; *autochires directè peccare saltem contra regulas decori & honesti.*
(l) Apud *Puffendorfium* de J. N. & G. L. 2. c. 4. §. 19. f. m. 247.
* L. 2. in Eutropio v. 596. *suprema pericula semper dant veniam culpæ.*

generosi, ad id necessitatis damnati, ut ad alterius libidinem contumeliis vexatus vitam ponat. &c. Sed hane doctrinam, *Stoicorum* & Veterum quorumdam malâ praxi, pejore rationum fuco firmatam, * non admodùm bene *Puffendorfius* reliquit in medio; (a) *Thomasius* oppidò malè suomet suffragio confirmavit.

Ratio est. 1. Quia præceptum naturæ negativum *de autochiria directa*, amori naturali, tam respectu Dei, sui, quàm Societatis humanæ, adeò est oppositum, ut, quamdiu manet ejus materia, id nullis in circumstantiis, *per se* loquendo, *ullo rationabili fine* cohonestari possit. Nam cùm fundetur non tantùm *in præjudicio*, quod forsan *in casu quodam particulari* cessare posset *per accidens*, sed etiam *in periculo præjudicii communis*, ex tali periculosa licentia *facilè emersuri*, vi cujus quivis, privato judicio, per imaginariam seu infamiæ, seu acerbioris fati persuasionem; per tædiorum, vel tormentorum horrorem vivaciter apprehensum, sibi manus licitè inferendas, haud difficulter persuaderet, utique cum ingenti seu Numinis, seu sui ipsius, Societatisque humanæ præjudicio &c. cùm, inquam, hæc lex fundetur præcipuè *in periculo talis præjudicii*, quòd *absolutè*, & per se, etiam in casu particulari, permanet, nullus unquam haberi potest finis rationabilis, quo objectum hujus legis cohonestari possit, ut adeò natura, *semper & pro semper*, hac sua lege prohibitiva obliget, ac obligare meritò debeat.

Ratio est 2. Quia, per allatas suprà circumstantias, additásque ratiunculas, non cohonestatur objectum, nec tollitur præjudicium. Nam 1. Qui viveret *in probrum Dei*, viveret vel ex propria, vel ex aliena malitia: at neutra est motivum legitimum ad mortem sibi inferendam; secùs obstinati in malo, & ob fidem veram ludibriis expositi, licitè sibi mortem consciscerent: unde *Samsonis* exemplum malè, peiùs *Saulis* affertur, quia is licitè ex Dei instinctu; hic illatâ sibi violentâ manu, per alium pessimè se interemit. 2. Etsi infamia, & exquisiti cruciatus, sint aliquibus ipsa morte graviores, manet tamen *absolutè*, mortem esse malorum omnium extremum, in Dei, non hominis, potestate positum. 3. Etsi *per accidens* ulterior vita nec sibi, nec aliis, afferre utilitatem possit, non ideò *mortis arbitrium*, seu *jus Dei*, in hominis est potestate: quia hæc ipsa licentia, *per se loquendo*, vergeret in maximum Creatoris, ipsius hominis, & Societatis humanæ præjudicium. 4. Atque hoc ipsum *periculum præjudicii* sat declarat, *cur intersit DEI*, & Societatis humanæ, ne licitum sit, *modò tantoperè præjudicioso*, hoc est, *morte sibimet ipsi illatâ*, dolores, etiam acerbiores, ludibriáque qualiacunque tandem, seu avertere, seu prævertere; immò ne Deus forsasse lædatur, malè usurpato Dei jure, Deum actualiter lædere &c.

P. 3. Idem *Thomasius* recoquit *Puffendorfii* axioma, quòd nempe quis *quamcunque injuriam, etsi minimam*, aliter non evadendam, Adversarii morte repellere justè possit, eò quòd *lædenti nullum, læso in lædentem ius competat in infinitum, sic ut conscientia, regulis hisce opposita, pro erronea habenda sit* (b).

P. 4. Idem, ùt ait, saniora edoctus revocat thesin, qua senserat, pudicitiæ servandæ causâ licitam Virgini defensionem, etiam stupratori illatâ nece. Revocationis rationem affert. 1. Quòd pudicitia *physice* sit reparabilis, saltem *æquivalenter*; *moraliter* verò auferri nequeat invitæ. 2. Quòd periculum consensûs *in momentaneam delectationem* non sufficiat, eò quòd talem consensum peccatum esse, *ex sola ratione* demonstrari haud possit (c). *Vitriarius* malè emendans *Grotium*, defensionem ejusmodi *excusandam* quidem, sed tamen *illicitam* affirmat, *eò quòd non sit æqualitas, inter offensionem & defensionem, cùm moraliter, seu civiliter restitui possit* (d). Sed audiant contribulem *Weberum*, saltem hac ex parte haud abso-

* *Tacitus* Ann. 6. *Promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat*, &c. *Æschines* orat. de falsa legatione: *neque terribilis est interitus, sed contumelia in morte metuenda.* *Cicero* Tuscul. Q. 1. 1. *Cato sic abiit è vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet*: quam causam, ut *justam*, ibi malè defendit *Cicero*, &c. *Seneca* epist. 69. *Exerce te, ut mortem excipias, & si ita res suadeat, accersas: interest nihil, an illa ad nos veniat, an nos ad illam.*

(a) L. c.

(b) L. c. n. 97.

(c) L. c. n. 114. & seq.

(d) Instit. J. N. & G. L. 2. c. 1. n. 2[illegible]. idem sentiente *Zieglero*, & *Osiandro* acatholicis.

absonum (a): *Inquis: deest, ex requisitis inculpatæ tutelæ, damni irreparabilitas.* ℞. *Sit salva vita naturalis, moraliter tamen per vim stuprata moritur. Instas: Virginitas per vim eripi non potest.* ℞. *Non quidem pudicitia, sed certè virginitas. Urges: Virginitas potest in integrum restitui.* ℞. *Concedo per fictionem: res, certè irreparabilis, est semel amissa Virginitas.* Ita ille. Id absonum, quòd *Vitriarius* in hoc casu requirat *æqualitatem*, in levioribus damnis haud requisitam; *id erroneum*, quòd *Thomasio* etiam morosa *Venus*, in rationis rectæ tribunali, absolvenda videatur. Et hæc sit illa *justæ defensionis* reformata à *Thomasio* norma, *quam Theologi Pontificiæ religionis*, *sæpiùs impiè*, (b) *Scholastici & Moralistæ pontificii ineptiis sæpe improbis defœdârunt?* (c)

Instructio 3.

INSTRUCTIO III.

De duello.

De Monomachia, seu Duello.

§. I.

§. I.

Ejus origo, iniquitas.

De duelli origine, natura, iniquitate.

Quæritur I. *Quid? Quotuplex? Et quæ origo duelli?*

℞. I. Per *duellum* non intelligitur *quæcunque duorum rixa*; neque etiam, nisi laxiùs, *singulare quodvis certamen, inter duos ex condicto susceptum*: sed pressiùs, ad requisitas proprietates, *singulare certamen, ex privatis causis ab utraque parte spontè, & ex condicto susceptum, designato loco & tempore ad occisionem, mutilationem, aut gravia vulnera infligenda.*

Divisio.

℞. II. Dividitur in *publicum*, servatis solemnitatibus; & *privatum*; *judiciale* pro decidenda causa publica; *extrajudiciale*, *equestre*, *plebeium* &c.

Origo.

℞. III. *Origo prima* est à Dæmone, ùt innuit *Tridentinum*: *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, est introductus, ut, cruentâ corporum morte, etiam animarum perniciem lucretur* (d). *Origo altera* est à Gentilibus, præcipuè *Romanis*, per agones & ludos gladiatorios, translata ad *Germanos* posterioribus sæculis. * Variæ afferuntur causæ. *Extrajudiciale* suscipi solitum ob defectum judiciorum: unde ortum jus manuarium, Das Faust-Recht. 2. Ob publicam utilitatem inter summos Imperantes. 3. Ob defensionem vitæ. 4. Bonorum. 5. Honoris. 6. Ob ostentationem. 7. Vindictam. *Judiciale* ob defectum probationis in causa læsæ Majestatis. 2. Homicidii. 3. Parricidii ratione hæreditatis. 4. Infamationis, delationis, contumeliæ illatæ &c. Quæ omnia fusiùs legi possunt in Dicæomachia *Seyboldiana* (e).

Quæritur II. *Quæ duelli licentia, vel iniquitas?* — *Iniquitas.*

℞. I. *Monomachia, seu duellum, propriè dictum, est omni jure prohibitum.*

Est omni jure prohibitum. Naturali, quia adversum amori, naturaliter debito, respectu Dei

Assertum P. 1. Quò ad jus naturale. Positivè repugnat amori, Deo, sibi & societati humanæ naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessario: ergo est jure naturæ prohibitum. A. *Patet*: nam est *injuriosum Deo*, ùt Authori Naturæ, qui, titulo *creationis & conservationis*, sibi soli reservavit jus vitæ, membrorum &c. Nec enim ex Scriptura, ratione, vel instinctu quodam universali constat, quòd DEUS ejusmodi potestatem in vitam nobis concesserit, ut pro libitu illam possemus destruere, vel destructionis periculo temerè objicere: immò ex omni parte constat contrarium. Ex Scriptura (f): *Ego occidam, & ego vivere faciam*: ex ratione; quia in ejusmodi casibus potestas data præsumi nequit, utpote perniciosa: ex instinctu contrarium attestante.

Respectu sui & proximi;

Est perniciosum sibi & proximo, cùm utriusque vitam, & salutem in discrimen adducat, & plerumque pessundet.

Sibi & Societatis humanæ.

Est præjudiciosum Societati humanæ, cùm ejusmodi licentia non posset non esse eversiva Generis humani; via spatiosa ad innumeras cædes cum incredibili perturbatione, confusione, ac præjudicio Societatis humanæ.

Asser-

(a) In notis ad *Puffendorfium* de officio hominis. c. 5. §. 20. f. m. 103.
(b) Jurisp. cit. L. 2. c. 8. n. 95.
(c) L. c. n. 129.
(d) Sess. 25. c. 19. de Reformat.
* *Diodorus Siculus* L. 5. c. 28. *Galli inter ipsas epulas, causâ ex jurgio quomodocunque arreptâ, insurgere, & ex provocatione, nihil vitæ jacturam æstimantes, inter se digladiari solent.* Additur ratio, quòd persuasi fuerint, animas denuò in corpora reverti. Eandem rationem audaciæ *Germanorum* assignat *Apianus* in *Celtice*.
(e) Parte 2. per totum.
(f) Deuteron. 32. v. 39.

Divino

Aſſertum P. 2. Quò ad jus divinum. Patet ex dictis, & præcepto quinto Decalogi: *Non occides.*

Canonico.

Aſſertum P. 3. Quò ad Jus Canonicum præcipuè ex prohibitione graviſſima *Tridentini*, (a) pænisque adjunctis excommunicationis, in omnes participes extenſæ; amiſſionis bonorum, infamiæ, negandæ ſepulturæ &c. quas pænas, à *Tridentino* latas, in ſolemniter duellantes, auxit *Pius* IV. (b) ſtatuendo pænas, *crimini læſæ Maieſtatis proprias*, inhabilitatem ad faciendum teſtamentum &c. *Gregorius* XIII. (c) uti & *Clemens* VIII. eas etiam extendit ad duella privata. *Patet* inſuper ex decretis plurium Pontificum, Conciliorum canonibus, quos videre eſt in *Dicæomachia citata.*

Civili.

Aſſertum P. 4. Quò ad Jus civile. Jure civili vetere *Romano* jam *Conſtantinus* M. ſaluberrima ſanctione *cruenta ſpectacula, & gladiatores* omninò prohibuit (d). Inde *Brunnemannus*, in legem cit. *Et qui duella ineunt læſæ Majeſtatis rei ſunt.* Jure *Romano* novo Auguſtiſſimus *Leopoldus* prohibuit monomachiam *ſub pœna capitis*, qui in ea alterum (ſaltem provocatum) interemiſſet, quæ conſtitutio anno 1668. in Comitiis Imperialibus ratihabita eſt, ac confirmata (e). Statuta *Galliæ*, priore ſæculo edita, tam ſunt ſevera, quàm neceſſaria: ſiquidem conſtat, authore *Theophilo Raynaudo*, (f) *intra annos triginta tot hoc ferali modo in hoc uno Regno cecidiſſe, ut ex iis numeroſiſſimus exercitus potuiſſet conflari, quo & incolumitas Regni conſervari, & Turca, Chriſtianorum damnis auctior, non modicè vexari potuiſſet.*

Præcipuè illicitum eſt pro honore, aliisque de cauſis illegitimis.

℞. II. *Præcipuè illicitum eſt, etiam naturæ jure, duellum pro tuendo honore, aut ignominia vitanda, aliisque ex cauſis privatæ oſtentationis, odii, vel vindictæ ſuſceptum.*

Aſſertum P. ùt priùs. Duellum, ſeu licentia duelli, *maximè pro vindicando honore, vitanda ignominia* &c. *poſitivè* adverſatur *amori*, in ordine ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *ſimpliciter neceſſario*, adeóque Deo, ſibimetipſi, proximo, ac Societati humanæ *naturaliter debito*: ergo jure naturæ adſtrui nullatenus poteſt.

A. P. 1. Quia *eſt Deo*, quàm maximè *injurioſa*, cùm ſit *expoſitio directa* tam propriæ, quàm alienæ vitæ, ſeu membrorum, *extra caſum neceſſariæ defenſionis*, ùt illicò *clareſcet.*

Quia adverſum amori Deo.

A. P. 2. Quia eſt *ſibimetipſi* derogatoria, cùm duellum ſit medium *ineptum*, ac *inutile* ſeu defendendi honoris, ſeu depellendæ ignominiæ. Nam. 1. *Neque in ſtatu naturæ laus fortitudinis eſſe poteſt ſine juſtitia*, (g) atque *prudentia*; (h) neque defenſio vera honoris *ex erronea perſuaſione* homuncionum, projectorum in omnem temeritatem, atque inſaniam, quæ potiùs à publico prudentûm judicio eſt deſumenda. 2. Facilè ſuppetunt legitima media *per profeſſionem legitimæ defenſionis*, ſiquidem injurianti tantùm animi ſit, ut ultrò agat injuſtum aggreſſorem vitæ; quæ profeſſio, ſicut timiditatis eſt excluſiva, ita eſt fortitudinis legitima teſſera. 3. Neque in ſtatu naturæ deeſt quædam via juris, *quaſi publica*, & longè *expeditior*, cùm non deſit quædam ſubordinatio familiæ ac conſanguinitatis: & poſito, quòd foret ſtatus *meræ libertatis*, nihiloſeciùs *jure naturæ* prævalere deberet commodo honoris privati *bonum commune*, ſeu incolumitas humanæ Societatis. 4. In ſtatu civili medii hujus utilitàs, ac neceſſitas penitùs evaneſcit: nam *ſtantibus legibus*, & *legum pœnis*, per duellum non defenditur, ſed amittitur honor; non depellitur, ſed conſciſcitur ignominia, ſive quis vincat, ſive vincatur. Item facilis, & longè commodior *eſt via juris* &c.

Sibimetipſi.

A. P. 3. Quia talis licentià eſt Societati humanæ *pernicioſa*, eò quòd, ex ſpeciali depravatione naturæ, ob nimis proclivem tuendi honoris inſaniam, nimisque phantaſticam cujusvis ignominiæ auxeſin, innumeris cædibus daretur anſa, cum perturbatione Generis humani immenſo, ùt teſtis eſt luctuoſa ſatìs experientia.

Et Societati humanæ naturaliter debito.

Aſſer-

(a) Suprà cit.
(b) Conſtit. *Ea, quæ* &c. A. 1560.
(c) Conſtit. ad *tollendum* &c. A. 1582. conſtit. *Illius vires* &c. A. 1592.
(d) L. un. C. *de gladiator.* L. 11.
(e) Teſte P. Gobat Theol. experimentalis. tom. 1. P. 1. tr. 7. n. 573. in appendice duellari
(f) Tom. 3. de virtut. & vitiis L. 5. ſect. 3. c. 3. n. 198.
(g) Novell. 69. pr.
(h) Ariſt. 3. Eth. c. 7.

Quia doctrina opposita damnata.

Assertum confirmatur, præcipuè pro Orthodoxis. Quia *Alexander* VII. (a) tanquam *scandalosam*, ac *perniciosam* proscripsit hanc propositionem numero 2. *Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*: ergo ejusmodi licentia, ùt probabilis, ampliùs defendi nequit.

Etiam illicitum est duellum judiciale:

℞. III. *Etiam duellum judiciale, seu ad veritatem probandam, seu ad litem terminandam, seu ad innocentiam demonstrandam, seu ad objecti criminis culpam purgandam, omni jure est illicitum.*

Quia est expositio justitiæ;

Assertum tenet ex dictis, & ampliùs 1. Quia hoc nil aliud est, quàm exponere justam causam, uti & innocentis vitam *præsenti periculo*, cùm æquè innocens, ac nocens possit in duello succumbere; neque justior, sed fortior, peritiórque soleat vincere, Deo nullibi assistentiam meliori causæ per miraculum pollicito: ergo est ad ejusmodi fines *inutile medium*, & *juri Naturæ contrarium.*

Tentatio divinæ potentiæ;

2. Quia est tentare DEUM, quasi genere quodam sortis divinatorio, adeóque contra Jus Divinum expressum *Deuteronomii* 6. & *Matthæi*. 4.

Jure Canonico prohibita.

3. Quia est judicium, à sacris Canonibus reprobatum, (b) præcipuè à *Tridentino*.

Licitum tamen duellum,

℞. IV. *Duplici tamen casu licitum posset esse duellum, DEO nempe jubente, & causa DEI, Religionis veræ ac bono publico id exigente.*

Deo instigante, quia vitæ Dominus;

Assertum quò ad 1. membrum patet: quia Deus, ùt vitæ Dominus, absolutam habet potestatem: nec dispensaret in lege Naturæ, sed mutaret objectum, quô mutatô nunquam fuit prohibitum *lege Naturæ*.

Religione, ac bono publico id exigente, quia bono majore.

Quò ad 2. Afferri solet casus, quô ad finiendum bellum, ejúsque calamitates declinandas, aut ad parcendum sanguini, offerretur duellum, quo unus cum uno, vel plures cum pluribus in singulare certamen descenderent ea lege, ut victoria sit penès illum exercitum, cujus pars vinceret, modò per tale duellum victoria non magis redderetur dubia, quàm esset, si cum omnibus copiis dimicaretur. *Ratio affertur*: quia licitum est, integros committere exercitus: ergo & licitum erit, consensu mutuo, controversiam ad duorum, aut paucorum certamen reducere, uti constat exemplo *Davidis & Goliathi*. * Item casu quo hostis non cessaret, blasphemare Deum, profanare res sacras, persequi Rempublicam, solo hoc medio suppetente: & ratio affertur, quia bonum honoris Divini, Religionis, & Reipublicæ, majus est, & præferendum bono privato vitæ: ergo licitum erit istud pro illo defendendo exponere.

Oppositiones.

Quæritur III. *Quænam momenta in oppositum afferri solent?*

Unde duellum est quidem intrinsecè malum,

℞. *Solet opponi* I. Duellum est *intrinsecè malum*, ac *jure Naturæ* prohibitum: ergo pro omni casu, etiam salutis Reipublicæ illicitum. C. P. Sic occisio innocentis, etiam casu interminati à Tyranno excidii, est illicita, quia *intrinsecè mala*: ergo à pari.

Sed respectu finis privati,

℞. N. A. vel D. Duellum ex fine privato, causáque qualicunque, est *intrinsecè* malum. T. A. Ex fine publico, causáque gravissima. N. A. & C. Ad P. D. A. Occisio innocentis *directa* est illicita. C. A. *Indirecta*, qualis accidit, si quis pro salute publica jubeatur congredi cum hoste, authoritate publica munitus. N. A. & C.

Respectu honoris.

Solet opponi II. Ponatur casus, quo Officialis bellicus, vel equestris, ab altero ignominiosissimè lacessitus, non modo *timiditatis notam*, sed famæ, honorisque omnis jacturam incurreret, nisi acceptaret duellum. Jam sic: Hæc causa *est respectivè gravissima*: ergo licitum faciet duellum. A. P. Est gravior jacturâ bonorum fortunæ, quorum intuitu licita est defensio, etiam occisiva.

Etsi magis æstimabilis fortunæ bonis, est illicitum.

Confirmatur. Juxta dicta Officiali invaso licitum est invasorem occidere, ut honorem tueatur, quando vitam tueri nequit nisi fugâ, sibi admodùm ignominiosâ: ergo etiam licitum erit, saltem acceptare duellum, si recusatio foret æquè ignominiosa.

Quia medium ineptum.

℞. N. A. Ad P. D. A. Est gravior jacturâ bonorum *simpliciter*. T. A. *Hisce in circumstantiis*, ubi duellum medium *inutile*, ac *ineptum*. N. A. & C. *Inutile* est; quia honor aliter facilè conservandus, atque recuperandus.

Ineptum,

(a) A. 1665.

(b) Can. *Monamachia* caus. 2.

* 1. Reg. 12. Sic legimus ab *Eduardo* III. Regè *Angliæ*, *Philippum* VI. *Valesium*; à *Carolo* V. Imperatore, *Franciscum* I. *Galliæ* Regem; à *Carolo Ludovico* Electore *ad Rhenum* Comitem *Turenium* &c. ad singulare certamen, ex simili causa, provocatos. Sic legimus S. *Wenceslaum*, Ducem *Bohemiæ*, ad idem, improbante nemine, se obtulisse adversùs Ducem *Gurimensem*, visósque Angelos arma ministrâsse, & dixisse Adversario: *ne ferias*.

Ineptum, quia sic honor magis deperditur, non servatur; ignominia major incurritur, non vitatur.

Non necessarium. *Ad confirmat.* T. A. N. C. Et suppositum, quòd talis sit *invasus*, & quòd honori suo non meliùs prospicere possit vel *viâ juris*, vel *viâ contestationis*, naturæ rationali congrua, dicendo: *sese paratum, haud sanè fugâ, sed defensione justa se tueri adversùs aggressorem injustum: duellum tamen non acceptare, quia naturalibus, Divinis; immò & humanis legibus adversum.* Unde negatur rursus suppositum, recusationem talem ullatenùs esse ignominiosam, nisi fortè apud militum vappam, hac in re pessimè persuasam; apud homunciones improbos, & diaboli spiritu animatos, quorum persuasioni, si quid tribuendum foret, etiam *provocatio* ob qualem qualem injuriam foret licita, quod, teste P. *Viva* nemo hactenùs tam fuit insanæ mentis, ut somniaret. Item quævis vindicta de inimico esset sumenda, & pleraque scelera, ex humano respectu, licitè perpetranda, etsi non tantùm Juri Divino atque humano, sed ipsi quoque naturali contraria.

Respectu honoris, connexi cum jactura dignitatis, officii, bonorum. *Solet opponi* III. *Ponatur casus*, quo ejusmodi Officialis non modò periclitetur honore & famâ, sed & annexa dignitate, officio, & consequenter bonis fortunæ, ad sustentationem congruam necessariis, alio medio, præter duellum acceptandum, vel etiam offerendum, non suppetente. * Jam sic: in isto casu, non ad avertendam *solummodò* timiditatis ignominiam, nec ad defendendum *præcisè* honorem, sed ad justam defensionem officii, bonorum, sustentandæ vitæ conformium, duellum sive acceptatum, sive etiam oblatum, fit medium, *non voluntate*, sed *necessitate* electum. 2. Fit medium, quo eligitur periculum *dubium* ** ad evitandum *certum*, adeòque *minus malum* ad declinandum *majus*: ergo in hoc casu duellum non foret, *saltem naturâ jure*, illicitum. C. Videtur tenere, quia in hoc casu videtur esse medium prudens, neque juri Naturæ, neque saluti Societatis humanæ, vel etiam Reipublicæ contrarium.

Confirmatur 1. Duellum, in hoc casu, non tam foret *invitatio ad malum*, quàm *prælatio minoris mali*, bonorúmque defensio *justa*, quia non ordinata ad finem illegitimum, seu vindictæ, seu meri honoris; immò & *necessaria*, quia aliâ viâ non suppetente, nimisque difficile foret humanæ conditioni, in tali casu esse destitutam omni remediô. & necessitate legum ad tolerandum *innocenter* tam miserabilem statum esse redactam: ergo erit hoc casu licitum duellum. *Prudens, quia electivum periculi incerti pro certo.*

Confirmatur. 2. Licitum est invasorem rei suæ aggredi, etiam ex intervallo, si aliter res recuperari non possit, ùt in statu naturali, ubi nullum judicium; vel etiam civili, ubi judex officio suo non fungitur: ergo licitum erit petere satisfactionem in casu præsenti, cùm sit unicum medium ad recuperandum officium. *Justum, quia pro bonis fortunæ.*

℞. 1. In hoc casu concedi totum à *Lessio*, (a) *Laymanno*, (b) quos sequuntur P. *Reiffenstuel*, (c) *Wiestner*, (d) allegans plures, id docentes, etiam post propositionem ab *Alexandro* VII. prohibitam, quibus accedunt recentissimè P. *Seybold*, (e) P. *Pichler*, (f) aliique non impressi. Id facilè concesserimus, casum præsentem, in propositione prohibita non contentum, nec per eandem, tam *levi brachiô*, elidi hujusmodi licentiæ probabilitatem, uti contra P. *Viva* (g) animadvertit Author Dicæomachiæ. *Defendunt graves Authores.*

℞. *Tamen* 2. Duellum, saltem acceptandum, etsi in tali casu, prorsus extraordinario, *speculativè* defendi possit, ùt legi humanæ, vel etiam Divinæ naturali, haud adversum; ejus- *Quod, etsi speculativè forsan probabile, quoad praxim tamen oppositum est probabilius.*

---

* Ejusmodi casus factus, non fictus, refertur in *Dicæomachia* cit. P. 2. sect. 4. §. 1. n. 14. quo bellicus Officialis, ab altero arundine ignominiosè percussus, militibus eidem parere recusantibus, ad legitimum Judicem cùm appellaret, responsum tulit; *se eum officio non removere, cogere tamen milites non posse, ut ampliùs sub illo militent, ipse sibi prospiceret.* Unde is recusans duellum, officio excidit, cum nobilissima conjuge ad incitas postmodùm redactus.

** Si enim *certum* esset periculum mortis ob suam imperitiam, imbecillitatem &c. utique non liceret.

(a) De J. & J. L. 2. c. 9. n. 49.
(b) L. 3. tract. 3. P. 3. c. 3. n. 3.
(c) Theol. Scholastica Tr. 10 Disp. 37. a. 4. §. 2. n. 6.
(d) De Cler. pugn. in duello. n. 5.
(e) Dicæom. P. 2. sect. 4. §. 1. à n. 14. f. m. 134.
(f) Tit. 14. de Cler. pugn. in duel. n. 8 f. m. 291.
(g) Trut. Theol. in propos. 2. ab *Alexandro* VII. damnata. n. 10. f. m. 17.

ejusmodi tamen licentia, ùt *in praxi* absolutè tuta, *probabilius* defendi nequit.

Quia talis praxis videtur enervare finem legis humanæ.

Videtur colligi 1. Quia talis licentia *in praxi* enervaret *finem legis humanæ*, qui consistit in proscriptione duelli *simpliciter*, sub quocunque prætextu defensionis privatæ legitimæ, ob gravissima mala publica, spectatâ hominum corruptione *aliter* non evitabilia, adeóque obligando *absque exceptione*, nec attendendo commodum privatum, publico subordinandum, etsi ejusmodi circumstantiæ *casûs per accidens*, utique haud ignoratæ, Legislatores ad faciendas exceptiones movere & potuissent, & debuissent.

Immò & naturalis, saltem inadæquatum, qui consistit in præcavendo ipso periculo damni, ex tali licentia in Societatem humanam facile emersuri.

Videtur colligi 2. Quia talis licentia enervaret finem legis, *etiam naturalis*, saltem *inadæquatum*: nam finis *adæquatus* non consistit solùm in præcavendo damno, tam privato, quàm publico; sed etiam *in præcavendo ipso damni periculo communi*, quod ex tali licentia, nimiùm periculosâ, quia excessibus nimis obnoxiâ, Societati humanæ immineret quàm maximè præjudiciosum, & vel ideò quàm maximè præcavendum. Siquidem homines, *ob nimiam hac ex parte proclivitatem* hallucinationi ferè semper obnoxii, sibi facilè persuaderent, se non modò in honore, sed etiam honori annexa dignitate, officio, & consequenter in bonis fortunæ graviter læsos, adeóque in tali casu licitam esse *in praxi* defensionem per duella, haud segniter interpretarentur; immò hanc licentiam non modò *ad acceptanda*, sed etiam *offerenda* duella extenderent contra vim, finemque legis justissimum, utique non sine ingenti Societatis humanæ præjudicio.

Ob nimiam hac ex parte hominum proclivitatem.

Jam sic: Etsi in casu aliquo particulari, potiùs *speculativo*, quia *prorsus extraordinario*, lex prohibitiva talis licentiæ non obtineret finem *de præcavendo damno privato*, obtineret tamen finem *de præcavendo damni tam privati, quàm publici communi periculo*, ejusmodi licentiæ, ob facilem abusum, ex proclivitate hominum connexo: ergo, etsi lex *per accidens* in præjudicium privati hominis cederet, *non cessaret*, *sed ob bonum commune*, *per se intentum*, vim obligandi retineret in praxi. Item, etsi talis licentia, *in casu particulari*, foret exigita ab amore, sibi *hic & nunc* naturaliter debito, est tamen *positivè* adversa amori, Societati humanæ ad felicitatem publicam *simpliciter* necessario, ob periculum licentiæ huic semper conjunctum, & bono publico nimis præjudiciosum: ergo naturæ jure, quod potiùs spectat commune bonum, *in praxi est universaliter* prohibita: ergo *probabilius* etiam in casu extraordinario, quo innocens mediante honore pateretur grave damnum in bonis fortunæ, nullo *per accidens* suppetente alio medio, duellum practicè foret illicitum. Illatio stringit, quia non modò in statu civili, sed etiam *naturali*, bonum *privatum publico* est subordinandum, ac postponendum.

Unde spectato bono communi duellum etiam in hoc casu non foret prudens medium.

In forma C. A. D. C. Ergo in hoc casu duellum non foret illicitum spectato præcisè fine naturæ *inadæquato*, & fundamento amoris, *sibi* naturaliter debiti. Tr. Spectato fine naturæ *adæquato*, seu fundamento amoris, etiam *Societati humanæ* naturaliter, & quidem *prævalenter* debiti. N. C. Ad P. N. Quòd ejusmodi licentia, præsertim practica, possit esse *prudens* medium, quia excessivum, & spectatâ hominum corruptione, nimis periculosum, ac tranquillitati publicæ præjudiciosum.

Neque justum.

Ad confirmationem. 1. N. Quòd justa foret defensio, quia adversa legi naturæ, *universaliter* obliganti; & ipsa *provocatio* æquè dici posset tantùm *prælatio minoris mali.* Medium quidem aliud hic & nunc non suppetit, sed *per accidens*; neque ad casum *per accidens*, & *extraordinarium præcisè* attendit jus naturæ, sed potiùs intendit bonum *commune* & *universale*: ergo destitutus foret in istis circumstantiis innocens *per se*, & *omni prorsus remedio*. N. *Per accidens*, & in casu *moraliter vix possibili*; Item ex suppositione, quòd non fuerit usus *licito medio*, quo percussus tam ignominiosâ arundine, *illicò* sese *justè*, spectato naturæ jure, defendere potuisset. C. C. Et N. *suppositum*, quòd hoc requiratur. Casus sunt obvii. Sic innocens pro bono publico potest juberi, ut hosti se tradat; immò si refragetur, potest etiam tradi, ùt vult *Molina*, *Lessius*, *Lugo*, aliique, & sic de aliis casibus.

Lata disparitate inter justam defensionem bonorum, & duellum.

Ad confirmat. 2. R. *In statu civili* licitum intervallum, non nisi aggressioni, *moraliter duranti*, est commensuratum. *In statu naturæ* intervallum justæ recuperationis, quò ad bona fortunæ, est quidem laxius; sed duellum, *à legitima defensione* universaliter est exclusum *ob bonum commune Societatis humanæ*, ùt dictum.

Duellum initum jussu Judicis.

Solet opponi IV. Licitum est duellum duobus, ob delicta ad mortem damnatis, à Magistratu injunctum ea conditione, ut victor vitæ gratiam habeat.

Coactè.

2. Initum *coactè* v. g. siquis provocetur ab altero sub interminatione mot-

mortis, incendii domûs, nisi congrediatur.

Ad leve vulnus.

3. Initum *ad leve* solummodò vulnus, vel ad certum sivè congressuum, sive ictuum numerum.

Vel omninò ficte, est illicitum.

4. Initum *fictè* ad reparandum honorem: ergo non est *universaliter* vetitum.

1. Quia hic modus Judici non indultus, nec acceptandus.

℞. N. A. Quia probabiliùs hic modus nec ab Authore Naturæ, nec à Natura Magistratui, ad punienda crimina, est indultus, utì neque *directa* sui occisio à Judice est imperanda. Alii D. A. Licitum est duellum, *authoritate privata*, susceptum. N. A. Authoritate *publica*. Tr. A. Quòd si verum, tunc ideò, quia juxta hos Authores non videtur repugnare juri Naturæ, utrumque, mortis reum, constitui ministrum justitiæ in alterum ad exequendam mortis sententiam, ut adeò, cùm publicæ, tum propriæ vitæ servandæ studio, rectè susciperetur.

2. Quia vel non est conflictum, vel non est duellum.

Ad 2. Si provocatio sit *moraliter* ipsa aggressio injusta, nullo alio medio suppetente. C. A. Secùs. N. A. Et suppositum, quòd hoc propriè sit duellum, & non potiùs justa defensio contra aggressorem injustum.

3. Quia per se periculosum; 4. quia scandalosum.

Ad 3. & 4. N. Priora duella sunt illicita, quia *per se* sunt etiam quò ad vitam periculosa; posteriora, quia scandalosa, *Clemente* VIII. etiam duella non fatalia prohibente, etsi *fictè* solummodò duellantes excommunicationem, & alias pœnas, non incurrerent.

Bellum pro bonis fortunæ licitum.

Solet opponi V. Ad res temporales tuendas licitum est suscipere bellum: ergo & duellum ad defendendum honorem, bonum majus fortunæ bonis. 2. Juxta statuta Ordinis Equestris S. *Jacobi* Candidatus rejicitur, si recusavit unquam duellum: ergo supponitur licitum.

Non duellum pro honore, quia medium ineptum.

℞. *Ad 1. N. C.* & suppositum, quòd duellum sit *aptum* medium recuperandi, & non potiùs perdendi honoris.

Recusatio duelli tantùm ex animo abjecto est impedimentum in Ordine S. Jacobi.

Ad 2. D. A. Qui recusavit ex motivo timiditatis. Tr. A. Ex motivo obedientiæ erga leges. N. A. & C.

Inebriatio juxta quosdam licita ad vitandum duellum.

Solet opponi VI. Etsi inebriatio *per se* sit illicita, tamen licita fit ad duellum, aliter non evitandum: ergo & ipsum duellum, etsi per se illicitum, licitum fiet ad honorem, aliter non salvandum.

℞det *P. Gobat*, non fore licitam *ob solam provocationem: ob absolutam tamen necessitatem*, vel æqualibus cyathis bibendi, vel duello salvandi vitam, fore licitam, prout ebrietas dicit *meram usûs privationem, nullo alio fine vitiatam.* Declarat paritate, quâ licita ebrietas ad arcendum, vel pellendum morbum; item qua licita manûs abscissio ad evitandam mortem, à tyranno intentatam, & quòd privatio usûs rationis hìc non foret *intenta*, sed solùm *permissa*, quam quis non teneretur cum tanto malo suo impedire. Ita ille, ita alii, quæ tamen nostra non facimus, quia ex rationibus allatis sat patet disparitas inter ebrietatem, & duellum.

Strie protestantica.

Quæritur IV. *Quænam hac ex parte Striæ protestanticæ?*

Puffendorfius a Notatore Hertio corruptus.

℞. I. Habemus sanum, hac saltem ex parte, *Puffendorfium*, quia duellis nequidquam patrocinantem (a). Inter alia ait: *majorem enasci honorem ex celso animo, injuriam aspernante*, quàm ex illo *Neptolemi* apud *Curtium: L. 9. emoriar potiùs, quàm nomen ignavi geram.* Unde apud *Plutarchum Antigonus*, à *Pyrrho* provocatus, reposuit: *Pyrrho, si vitæ pœniteret, multas patere ad interitum vias.* Ibidem *Hobbesium* (b) refutat, ubi homo, semper insulsus, duella, ùt potentiæ indicia, extollit: *quare*, inquit, *Puffendorfius, non indicium præstantiæ possit haberi, imperium animi, virésque ratione temperare nosse, eásque, non nisi ad præscriptum legis, exercere?* Sed *Puffendorfium* neque hac ex parte sanum esse permisit ejus depravator, an emendator, haud dixerim, *Nicolaus Hertius*, dum assuit hanc notam (c): *Neque ferendi sunt, qui pœnas capitales, in certamina privatorum singularia statutas, improbant. Videatur Montaltius in opere epistolico, ubi doctrina Jesuitarum exhibetur contra edictum Ludovici* XIII. *Galliæ Regis, pro duellorum justitia pugnantium.* Sed ita volupe non paucis Protestantibus, Societatem nostram calumniari *palpabiliter*, seque risui exponere *patenter*, quia non nisi ex Authoribus famosis (& quid nî sibi similibus?) qualis fuit *Montaltius* personatus, seu *Paschalis*, *Jansenista* infamis, cujus *opus Epistolicum* ab *Alexandro* VII. condemnatum, ab Inquisitione *Hispanica* interdictum, ùt opus *inprimis contumeliosum, hæreticum, erroneum,*

(a) De J.N. & G. L. 8. c. 4. §. 8. f. m. 1171.
(b) In *Leviathane* c. 10.
(c) L. c. litt. a. f. 1172.

neum, seditiosum, scandalosum; à Facultate sacra *Sorbona* rejectum, ùt opus *Jansenisticum, hæreticum, maledicentiâ, & petulantiâ plenum*; à Senatu *Aquensi* proscriptum, *ùt calumniis, mendaciis, erroribus, maledictis refertum, publicæ tranquillitatis perturbativum, proborum graviter offensivum, pœnâ, famosis libellis statutâ, dignum, tortoris manu publicè concremandum, æterna oblivione sepeliendum.* Denique à sanctiore consilio Regis Christianissimi, Rege præsente, infami stigmate inustum, ùt opus *Ludovico* XIII. *probrosum, Jansenisticum hæreticum, maledicentissimum, adeòque lacerandum, per carnificem publicè comburendum.* Actum *Parisiis* A. 1660. 23. *Sept.* Videatur *Cleander*, & *Eudoxus* ab initio. En! quàm è limpidis fontibus scaturiat Protestantica veritas, cùm de *Jesuitis* est fabulandum.

Grotius. ℞. II. *Grotius* duella, ex naturali libertate, minùs bene deducit; pejùs hoc, exemplis barbararum Gentium, confirmat, quæ juris rectitudinem haud probant, uti animadvertit *Grotianus* anagnostes *Zieglerus* (a). Idem *Grotius* errat denuò, cùm duobus modis duellum licitum affirmat (b): nempe 1. *Si invasor concedat alteri licentiam dimicandi, alioquin eum occisurus sine dimicatione.* Nam, ùt rectè reponit *Zieglerus*, conditionem acceptandam, sed invasionem expectandam potiùs esse, & tum naturali desensione utendum. 2. Si *Magistratus duos, mortem meritos, inter se committat.* Ubi addit, consultiùs tamen fore, si *forte* faciat eligi mortem. Nam de priore membro constat ex dictis suprà; de posteriore addita sortitio quoque displicet *Zieglero*, eò quòd videatur involvere tentationem quamdam Numinis, & D. Providentiæ abusum, præterquàm quòd sceleratiores sæpe evasisse per sortem, doceat experientia. Idem errat insuper, dum illicitum asserit duellum, *causa publica exigente* susceptum (c): nam, more solemni, Theologorum scita malè applicat, nititúrque supposito falso, quasi pro nulla re temporali sit licita occisio alterius, etiam injusti aggressoris, quod suprà rejectum est. Hinc rectè refellitur ab *Hennige* dicente: *quando totum exercitum licet ad pugnam cogere, rationis est, ut & quilibet milites ad singulare certamen compelli possint.*

℞. III. *Grotii* errorem errat *Vitriarius*, quem emendare debuisset (d). *Vitriarius, Weberus, Kemmerichius.* *Weberus* quoque minùs aptum *Puffendorfii* censorem agit, dum scribit (e): *Inde concludimus, duellum in statu naturali non esse injustum, sed suo modo licitum.* Eundem errorem errat *Kemmerichius, Puffendorfii* enucleator, meliùs enucleandus, dum scribit: *Duella, si ad reparationem damni tendant, in statu naturali injusta non sunt* (f): & sic de aliis.

§. II. §. 2.

De diffidatione privata. *Diffidatio privata.*

Quæritur V. *Quid de diffidationibus belli privati sentiendum?*

℞. I. *Diffidatio*, sic dicta à *fide*, vel *Ejus natura.* derivata potiùs *à Germanici* idiomatis antiquo vocabulo *feida*, Fehde, seu Feind, Befehdung, Anfeindung, *Anglis feud*, *Gallis defier*, *Latinis inimicitia*, ùt est privata, dici potest, *fidei renuntiatio, & inimicitiæ per quævis hostilia denuntiatio, propria authoritate facta ab iis, qui Superiorem in terris habent.*

℞. II. *Origo* deducitur à turbu- *Origo.* lentis Imperii *Romano-Germanici* sæculis, maximè ab *Henrici* IV. Imperatoris infantia, neglectæ justitiæ culpa, ac turbulento Successorum quorumdam regimine, * quo invaluit Jus manuarium, Hauß- Kolben- oder Faust-Recht.

℞. III. *Incrementa* verò quod spe- *Incrementa.* ctat, Jus istud injustissimum, lapsu temporis, tantas vires sumpsit, ut *Germania* esset latronum spelunca; tantas egit radices, ut *Fridericus* I. II. *Rudolphus* I. *Albertus, Ludovicus Bavarus*, aliique Cæsares, extirpando malo variis Edictis, oleum operámque perdiderint: immò *Carolus* IV. mitigare saltem ut posset, hujus confusionis non tam approbationem, quàm toleran-

(a) Apud *Grotium* de J.B. & P. L. 2. c. 10. §. 8. o. 4.
(b) L. c. c. 15. §. 15.
(c) L. 3. c. 20. o. 43.
(d) In instit. J. N. & G. L. 2. c. 1. n. 26.
(e) In *Puffendorfium* de offic. hominis L. 1. c. 5. §. 11. f. m. 94.
(f) In *Puffendorfio* enucleato c. 5. §. 65. f. m. 50.
* Quàm bellè ex Protestantico tripode sueta fundat oracula *Pfeffingerus* in notis ad *Vitriar.* L. 3. tit. 2. §. 15. f. m. 281. Item. L. 4. tit. 3. §. 17. f. m. 467. Quo turbido rerum statu *Gregorius VII. Hildenbrandinæ hæresis*, qua per tot sæcula *Romani* Antistites bella, & motus ferales in Imperio civerunt, *fundator*, facili negotio, *ùtut perfide*, Majestatem Cæsaream ludibrio habere cœpit, *Germanos adversùs Caput suum, nefando conatu, incitando; immò sacra & profana pro libitu confundendo &c.*

lerantiam indulgere debuerit, sequentibus conditionibus restrictam (a). 1. *Ut esset causa diffidationis*, eáque non fieret fraude, & dolo. 2. *Ut ea non fieret intempestivè* in loco, ubi diffidans domicilium non haberet, aut illud non inhabitaret. 3. *Ut diffidatio, triduo ante invasionem, publicè intimaretur diffidando*, vel personaliter, vel in loco, in quo is habitare consueverat, ad modum, ùt in bello publico prærequiritur denuntiatio. 4. *Ut de intimatione hac, per testes idoneos, plena fides, & probatio haberetur*, quæ fiebat, vel per ipsum Nuntium adhuc superstitem, qui jurare tenebatur, quòd læso contradixerit ex parte domini sui, vel mortuo Nuntio per ipsum Dominum similiter jurantem, junctis sibi duobus viris veracibus (b).

Modus.

℞. IV. *Modus* diffidationis fiebat vel propria voce, vel litteris diffidatoriis. Exemplum affert *Rumelinus* cujusdam Nobilis, Urbi Imperiali diffidationem annuntiantis his verbis: *Cùm inter ipsum, & urbem convenire non posset, diffidationem sibi dennutiatam scire: triduò tamen exspectaturum sese responsum amicabilius, & intereà temporis inducias observaturum.* * Varias diffidationum formulas adducit *Lehmannus*, ad quas pertinent quoque signa diffidatoria, suspendi solita E. G. *Scopæ, titiones, carbones*, vulgò Brand-Zeichen, quibus tantùm detrimenti incendio allaturos se comminabantur, ut ædificia pagorum combusta, & in cinerem redacta *scopis* converti possint.

Quæritur VI. *Quid de diffidationum usu memorandum?*

Ejus usus abusus, omni juri contrarius.

℞. I. *Diffidationum usus erat perniciosissimus abusus, omni juri contrarius. Patet*: 1. quia fuit denuntiatio inimicitiæ *privata*, spreta Superiorum & legum authoritate. 2. Quia justitiæ eversiva, proprio cujusvis impetu in arma ruente, & sua manu jus sibi quærente. 3. Quia fuit tranquillitatis, pacisque publicæ exterminativa, quovis extremam alteri persecutionem ad bona, vitam, corpus, & sanguinem denuntiante. Unde ansa præbebatur ad omnis generis conspirationes, conventicula, dissidia, bella, rapinas, cædes, aliáque ultima Reipublicæ mala, eversionis extrema prodroma. Nec refert, quòd Jure Cæsareo, cum debitis solemnitatibus, permissus fuerit diffidationum usus: nam ejusmodi tolerantia non probat legitimum usum, sed permittit minorem ad præcavendum majorem abusum.

Proscriptio ex Imperio.

℞. II. Hinc *Fridericus* III. hanc pestem, temporaria lege, ad decennium duratura, Annô 1486. in Comitiis *Francofordicis* coërcuit: *Maximilianus* I. meliùs ordinatis Imperii judiciis, eandem feliciter suppressit, diffidatores Cæsareo banno subjecit, & ex Imperio proscripsit in Comitiis *Wormatiensibus* Anno 1495. (c) *Maximiliani* constitutionem postmodùm firmavit *Carolus* V. in Comitiis itidem *Wormatiensibus* Annô 1521. (d) magìs roboravit in Comitiis *Augustanis* Annô 1548. (e) & *Ferdinandus* denique in Recessibus Imperii *Augustæ* Annô 1555. (f) penitùs extirpavit.

Est species fractæ pacis.

℞. III. Unde diffidatio est *species fractæ pacis*, ùt colligitur ex citatis Imperii Constitutionibus: quia præbet ansam dissidiis, bellis, pacémque publicam perturbat, non quidem *vi præsente armata*, quæ primaria species fractæ pacis; sed tamen per molitiones, hostiles conspirationes, apparatúsque armorum, quæ species subalterna, & in Recessibus *Augustanis* (g) non minùs, quàm *dolus* proscripta est.

Pœna.

℞. IV. *Pœnas* quod attinet, diffidatores ipso Jure in bannum incidunt, & hostes Imperii evadunt, cujuscunque dignitatis sint, (h) & in Recessu *Augustano* (i) Annô 1555. pœna gladii in diffidatores exprimitur. Dictæ pœnæ etiam extenduntur in complices, qui concipiunt, vel scribunt litteras diffidatorias; in Magistratus, qui recipiunt diffidatores &c. (k) Denique censetur diffidatio inter delicta atrocissima, quorum etiam conatus puniri solet, *Beyrlingo* teste, (l) & habetur etiam in citatis Recessibus (m).

TITULUS

(a) In aurea Bulla c. 17.
(b) *Rumelin.* ex constitut. *Friderici* I. promulgata *Norimbergæ* A. 1587.
* Dieweil sie sich mit ihm nit vertragen, so wolte er ihnen abgesagt haben, jedoch noch in drey Tägen einer besseren Antwort gewärtig seyn, und mittler weil still stehen.
(c) Art. 2. & 3.
(d) In der Ordnung des Land-Fridens. Art. 1. & 2.
(e) In dem Kayserl. Land-Friden. Art. 1. 2. & 3.
(f) §. 45. & seq.
(g) A. 1555. §. 48. & A. 1548. §. 3.
(h) Ibid. §. 3.
(i) §. 48.
(k) Recessu Imp. *Wormat.* A. 1521. *Augustæ* A. 1555.
(l) Conclus. 21. n. 8.
(m) L. c.

Titulus V.

TITULUS V.

Officia hominis erga proximum absoluta.

De Officiis hominis erga proximum absolutis.

Instructio I.

INSTRUCTIO I.

Officia hominis imperfecta erga alterum.

De Officiis hominis imperfectis erga proximum.

§. I.

§. I.

Eorum indoles, & obligatio. Officia absoluta, & hypothetica.

De eorum indole, & obligatione.

Quæritur I. Quid nominis officium absolutum, hypotheticum, perfectum, imperfectum? Et quænam methodus ea tractandi?

℟. I. Per *officium* hominis *absolutum* erga hominem intelligitur *actio*, vel *omissio actionis*, quam homo ab homine exigere potest secundùm obligationem naturæ, omnibus communem, *nullo supposito jure per factum acquisito*, sed *cuivis connato*. Tale officium est, *Deum colere*, *neminem lædere*. Unde officium *absolutum opponitur hypothetico*, quod est *actio*, vel *omissio* actionis, quam homo ab homine potest exigere secundùm aliquem statum adventitium, *præsupposito nempe aliquo jure per factum acquisito*. Tale officium est, *cuivis suum*, quocunque jure acquisitum, *tribuere*, *non furari* &c. Sic homo ab homine *jure absoluto* exigit, ne occidatur, nullo supposito facto, quo sibi hoc jus acquisiverit. At jure conqueri nemo posset de rebus, ab altero sibi ablatis, nisi jus aliquod circa res illas, veluti dominium, *facto* acquisivisset.

Perfecta, & imperfecta.

℟. II. *Per officium* hominis *perfectum* erga proximum intelligitur *actio*, vel *omissio actionis*, ad quam homo jure naturæ *propriè tali*, & sæpe etiam *rigoroso*, per modum coactionis externæ, est obligatus, sic ut officii negligens denominetur formaliter *injustus*: tale officium est, *cuivis suum tribuere*, *neminem lædere*, &c. *Officium* verò *imperfectum* est actio, vel omissio actionis, ad quam homo, *jure naturæ minùs proprio*, *per modum æquitatis naturalis*, est obligatus, sic ut officii negligens denominetur formaliter *iniquus*: tale officium est, *frigidam petenti permittere ex profluente*; *digito viam monstrare*, *deliberanti consilium dare* &c. & siquæ sunt alia *innaxæ utilitatis* officia, sine omni incommodo alteri præstanda. * Itaque officia *perfecta nobis* necessitatem imponunt, ne alterum *positivè*; *imperfecta*, ne alterum *negativè* infeliciorem reddamus.

℟. III. *In modo tractandi*, presso pede, ùt suevimus hactenus *Grotii*, *Puffendorfii*, *Thomasii*, aliorúmque Moralistarum protestantium vestigia persequemur. Unde cùm *officia* hominis ad hominem *absoluta* illi tractent in jure naturæ; *hypothetica verò*, propter suppositam rerum divisionem, & dominiorum distinctionem *ad jus Gentium* revocent, nos pariter hoc titulo officia hominis *perfecta*, ac *imperfecta* dilucidabimus; *hypothetica* in jure Gentium exposituri. Rectè autem officia, tam *perfecta* quàm *imperfecta*, in *absolutorum classem* referimus, dicente *Thomasio* (a): *Neque te turbet, quod pleraque quæstiones speciales præsupponant distinctionem dominiorum: quidquid enim hujus sit, id tamen certum est, ejusmodi officia, etiam ante distinctionem dominiorum,* *Modus tractandi.*

* Hoc est, talia, ùt loquitur *Puffendorfius*, *quæ accipienti prosint, præstantem non gravant.*

(a) In Jurisp. D. L. 2. c. 6. n. 4. f. m. 202. Hanc distinctionem officiorum *in absoluta & hypothetica*, tanquam *subtilem & inutilem*, *Thomasius* in secundis inutilibus curis L. 2. c. 6. f. m. 217. expunctam voluit, ut expungeret etiam ea, quæ bona sunt. Eâdem inutili cura rejecit distinctionem obligationis *perfectæ*, & *imperfectæ*, priùs ex *Puffendorfio* defensam, voluitque loco obligationis *imperfectæ* substitui obligationem *internam*, ex *regulis honesti & decori*, ut indicaret, officia humanitatis non obligare ex *regulis justi*. Sed hæc regularum distinctio *ad jus naturæ*, tanquam *inutilis*, meritò est expungenda.

rum, habuiſſe locum, ut adeò, hac ſubſecuta, novæ quidem concluſiones acceſſerint, ſed ex iiſdem tamen principiis, ut antè deducendæ. *

Fundamentale principium officiorum ad proximum eſt amor, eidem debitus, quia ad finem neceſſarius.

Quæritur II. *Quale hujuſmodi officiorum fundamentale principium, & quænam diſciplina, iiſdem tractandis propria?*

℞. I. *Conſtat ex dictis.* 1. Quòd quivis homo, *naturali impulſu*, feratur ad ſuum finem, ſeu *felicitatem, naturæ rationali propriam.* *Conſtat.* 2. Hanc felicitatem *partialiter* conſiſtere in pace cum proximo, ſeu tranquillitate Societatis humanæ. *Conſtat* 3. Hujus felicitatis conſequendæ medium *immediatum* ac *eſſentiale* eſſe *amorem* erga proximum, in quantum quidem *ſimpliciter neceſſarius* eſt ad hunc finem, adeóque *naturaliter debitus*, ſeu in exigentia, naturæ rationali *debita*, fundatus. *Conſtat* 4. Amorem *ſimpliciter neceſſarium*, ſeu naturaliter *debitum*, obligare ad illa officia, ſeu *perfecta* ſeu *imperfecta*, quibus obſervatis manet ſalva, quibus neglectis *ex parte* deficeret naturalis felicitas, proximúſque redderetur vel *poſitivè*, vel *negativè* infelix, atque defectuoſus. *Conſtat* 5. Cùm omnes homines *ſecundùm naturam* ſint *æquales*, hoc eſt, *æquè homines*, omnes *æquali impulſu* ferri ad ſuum finem, ſeu felicitatem, adeóque medium hujus finis conſequendi, ſeu *amorem* eſſe *mutuum*, æqualiter omnes obligantem ad ſovendam hanc felicitatem, remotiſque impedimentis conſervandam: ergo pariter conſtat, *amorem hunc, omnibus æqualiter inſitum*, eſſe *fundamentale principium*, ex quo eruenda officia, ſeu *perfecta ſeu imperfecta*, erga proximum: ergo pariter conſtat, hæc officia, proximo naturaliter debita, ſecundùm illud amoris dictamen eſſe regulanda: *quod tibi vis, vel non vis fieri, alteri feceris, vel non feceris*, id quod erat declarandum.

Unde etiam officia imperfecta, quia in natura debito neceſſario fundata, ſpectant ad Juriſprudentiam.

℞. II. *Non tantùm officia perfecta, ſed & imperfecta ſunt de jure naturæ, ſpectántque ad Juriſprudentiam naturalem, tanquam propriam diſciplinam. P. Aſſertum.* Hæc officia imperfecta, ſeu *innoxiæ utilitatis*, non fundantur *in amore qualicunque* meræ virtutis, puræ humanitatis, vel ultroneæ beneficentiæ, *ſed in amore æquitatis naturalis*, ſic ut participent rationem juſtitiæ formalem, relucentem ex debito alteri *obligatoriè* reddendo: ergo ſunt *de jure naturæ*, ſaltem minùs rigoroſo, ſpectántque ad Juriſprudentiam, *tanquam propriam diſciplinam.* C. *Tenet*: nam æquitas *naturalis*, etſi notet juſtitiam minùs rigoroſam, notat tamen juſtitiam *propriè talem*, uti patet ex juſtitia diſtributiva, neque coactioni, neque reſtitutioni obnoxia: ergo officia æquitatis, *participantia rationem juſtitiæ formalem*, fundantur in jure, *ſeu amore juſtitiæ*, ſpectántque ad Juriſprudentiam, tanquam propriam diſciplinam. A. P. Hæc officia imperfecta, *ſeu innoxiæ utilitatis*, fundantur in amore, à natura *exigito*, ſeu ad finem felicitatis humanæ *neceſſario*, adeóque naturaliter debito, ſic ut, iis neglectis, *ſaltem negativè*, proximus redderetur miſerior, ac infelicior, deficerétque illa felicitas in neceſſariis: ergo fundantur in æquitate naturali, obligante ſaltem in conſcientia, notántque debitum, *indiſpenſabiliter* explendum. *A. Patet* ipſa officiorum inductione: ſi enim *abſque injuria* negari poſſent *officia innoxiæ utilitatis.* V. G. hauſtus frigidæ affluentis petenti; oſtenſio viæ erranti, & roganti; lumen alteri accendere cupienti &c. humana Societas, *in ordine ad ſuum finem*, ſeu *felicitatem debitam*, ac *neceſſariam*, malè foret conſtituta, ac ſi minùs *poſitivè*, ſaltem *negativè* defectuoſa. Unde eſt, quòd ejuſmodi officia mutua ſicuti quis *ſuo jure* poſtularet, ita *non ſine injuria alteri* denegaret; & ſi accederet *neceſſitas* ſumma, iniquè repulſus, jure *imperfecto in perfectum* abeunte, etiam *per vim* ea vindicare poſſet.

Proteſtantium Moraliſtarum hac ex parte idea, minùs apposita: Puffendorfii.

Quæritur III. *Quænam ſcita Moraliſtarum proteſtantium hoc ex capite, partim naturæ juri, partim veritati minùs conformia?*

℞. I. *Puffendorfius*, ejúſque anagnoſtes *Thomaſius*, (a) officia hominis imperfecta, *ex ſtatu humanitatis, & lege de cuſtodienda æqualitate, non curatè ſatis derivat.* Unde haud incongruè *Puffendorfium* correxit alter ejuſdem enucleator *Kemmerichius*, dum ſcripſit (b): Hoc caput *de cognoſcenda naturali hominum æqualitate* vel prorſus omittendum, vel alia ratione tractandum *Puffendorfio* fuiſſet: æqualitas enim, juncta felicitati humanæ, *fundamentum* eſt officiorum, non *peculiare officium*: cùm enim homines ſint *æquè homines*, atque adeò, *æquali impulſu*, ad felicitatem ferantur, jus oritur omnibus æquale *felicitatem hanc* pro-

* Quæ *Thomaſius* in ſecundis curis, tanquam ſubtilia, minùs curatè expungenda voluit.
(a) Juriſp. Div. L. 2. c. 6. n. 1. & ſeqq. allegans *Puffendorfium* de J. N. L. 3. c. 3.
(b) In elementis J. N. c. 7. ſ. m. 91.

promovendi. Quoties verò contra præcepta, hoc capite à *Puffendorfio* & *Thomasio* inculcata, per *superbiam* & *contumeliam* peccatur, toties non *immediatè* contra æqualitatem, sed *contra rationabilem amorem sui*, vel proximi peccatur. Quid enim: *alios æquo secum jure frui permittere, aliud est,* quàm *suum cuique jus tribuere, neminem lædere?* Casus verò *de jure, inter alios distribuendo*, huc non pertinent, cùm in justa distributione non *ad naturalem ipsorum æqualitatem*, sed *ad jus*, quo quisque à natura, vel ex pacto gaudet, *respiciendum sit.* Ita ille. Quo in discursu non video, quid appositè vel *Puffendorfius*, vel *Thomasius* excipere posset.* Nos, nostris principiis insistentes, pro fundamentali principio, melius, reor, *amorem omnibus æqualiter insitum*, & *æquali impulsu ad felicitatem ordinatum*, adstruimus, sic ut ex eodem *æquali jure* officia, ad hunc finem necessaria, oriantur.

Grotii. 2. Minùs solidè *Grotius* hæc officia *innoxiæ utilitatis fundat in pacto primævæ rerum divisionis*, (a) quo homines sibi velut reservârint usum alienæ rei, qui indigentibus prodest, possidentibus verò non nocet. Nam ejusmodi pactum satis *incertum*; principium amoris, ad finem seu felicitatem naturæ humanæ necessarii, satis *liquidum* est ac *certum*. Et accedit, quòd ejusmodi pactum pareret jus *perfectum*, *non imperfectum*.

Friderici Ludovici, Kemmerichii. 3. Fallit *Puffendorfius*, (b) & cum eo falluntur ejus interpretes *Thomasius*, (c) *Friderici Ludovici*, (d) *Weberi*, &c. dum officia imperfecta vocant *officia humanitatis*, nisi per hanc ipsam *humanitatem* intelligant amorem, æqualiter omnibus connatum, tendendi ad felicitatem naturalem; nisi humanitatem hanc fundent, uti non apparet, *in debito naturæ necessario*, *vi* cujus, *absque injuria*, officia innoxiæ utilitatis negari haud possint. In eodem errore versatur *Kemmerichius*, secundis *Thomasii* curis seductus, (e) dum *officia imperfecta*, seu humanitatis, uti vocat, *ex regulis decori* derivat, nisi hoc *ipsum decorum* fundet *in debito quodam naturæ*, ad felicitatem humanam *necessario*, sic ut obligationem, *saltem minus rigorosam*, hominibus inducat.

4. Sic errat, & à suis principiis propriis aberrat *Puffendorfius*, suósque amanuenses errare facit, dum inter officia humanitatis imperfecta non solùm numerat *officia innoxiæ utilitatis*, sed etiam *beneficentiæ*, exhibenda proximo, *cum molestia*, *expensis*, *detrimento proprio* &c. (f) Hæc enim cùm sint *meræ virtutis*, *nec in ullo naturæ debito* fundari possint, obligationem *juris*, etiam imperfectam, producere nequeunt, adeóque ad forum ethicum præcisè spectant. Inde est, quòd *Puffendorfius* beneficentiæ naturam, officia, gradus, effectus, ac opposita, ad Jurisprudentiam naturalem revocando, in id ipsum impingat cum *Thomasio*, ** quod tanto splene orthodoxis Scholasticis toties oggerit, *confusionem* nempe *Jurisprudentiæ naturalis cum aliis disciplinis.* Denuo Puffendorfii.

5. Eundem errorem errat *Heineccius* (g), dum officia hominis imperfecta, etiam *ex amore beneficentiæ*, deducit, & hæc studia meræ virtutis ad *jus naturæ*, & disciplinam *Jurisprudentiæ* revocat. Sed ex opposito minùs limatè *Fridericus Ludovici* scribit, (h) officia imperfecta *innoxiæ utilitatis*, æquè ac *studia beneficentiæ*, spectare solummodò *ad bene esse vitæ humanæ*, & tam illa, quàm ista *oriri ex affectu*, *& amore benevolo*, cùm tamen officia innoxiæ utilitatis fundentur *in naturali æquitate*, seu *amore justitiæ*, ac obligationem juris aliquam pariant; studia *beneficentiæ* fundentur *in honestate virtutis*, nec obligationem ullam, *saltem per se loquendo*, inducant. Heineccii.

6. Inde, nec satis *discretivè*, respectu juris naturæ, *Thomasius ex statu humanitatis*, seu *custodia æqualitatis*, statuit hoc præceptum universale (i): *alterius hominis utilitatem, quantum commodè potes, promove*: siquidem hanc gnomen non tantùm ad officia *innoxiæ utilitatis*, sed etiam ad *beneficentiæ* studia, seu *vitam commodè transigendam*; Thomasii.

* Unde *Thomasius* in secundis curis L. 2. c. 6. revocavit, & hæc officia non ex socialitate, sed *ex regulis honesti & decori* deducenda statuit.

(a) L. 2. de jure Belli. c. 2. § 3.

(b) De J. N. & G. L. 3. c. 3. §. 5. f. 328.

(c) l. c.

(d) In doctrina de J. N. c. 5. §. 2. 3. f. m. 56.

(e) In *Puffendorfio* enucleato, c. 8. n. 2. f. m. 91.

(f) Qualia sunt juxta *Fridericum Ludovici* L. c. *si pecuniæ summa alteri donetur; si ei ædificium extruatur gratis &c.*

** In secundis curis l. c. dum ex Ethica regulas de præstandis beneficiis in jus naturæ infarcit.

(g) In elementis J. N. & G. L. 1. c. 8. §. 214. f. m. 169.

(h) L. c. §. 3. f. 56.

(i) Jurisp. Div. L. 2. c. 6. §. 1. 2. 3.

gendam: immò ad aliorum commoda, tam *definitè* quàm *indefinitè*, extendit. * *Ratio est*: quia jus naturæ solam spectat *felicitatem vitæ necessariam*, tanquam finem: *maiorem vitæ commoditatem*, juri Gentium, & humanis legibus procurandam, transmittit, *utne præceptis innumeris humanum Genus obrueret, séque ipsum cum positivo jure confunderet.*

Koëbleri. 7. In extravagantes abit *Henricus Koëblerus*, (a) dum, ex truncato naturæ jure *cogente*, omne jus naturale *perfectum* esse affirmat, & *in suo sensu* jus omne *imperfectum* è sphæra juris naturalis exterminat. Sed *Koëblerus* is non est, qui suo sensu, *merissimè laconico*, rationes Moralistarum elidere, vocémque cæteris communem intercludere jure possit.

Parùm refert, an officia imperfecta vocentur officia humanitatis, modò fundentur in jure saltem imperfecto, nec in mera virtute beneficentiæ. ℞. II. Neque quis dicat. 1. Quòd officia humanitatis, etiam *in Puffendorfii, Thomasiíque* sensu, fundentur in quodam naturæ debito, obligationem imperfectam dictante, etsi uterque *quò ad loquendi modum* differat, & hæc officia *è custodia æqualitatis* derivet. Certe *Puffendorfius* ait: *ex lege humanitatis debere quemlibet alteri exhibere usum rei suæ innoxium.* *Thomasius* expresfè habet, quòd *lex humanitatis* inter eos, qui in statu naturali vivunt, *regulariter producat obligationem imperfectam, contra quam peccans, etsi non injustus, dicatur tamen inhumanus.*

℞. Si hi Authores officia imperfecta, saltem *innoxiæ utilitatis*, in naturæ debito fundent; si jus minùs *rigorosum, seu imperfectum*, sed tamen *propriè* tale, adstruant, & in solo vocabulo *humanitatis* à nobis discrepent, *ex lege humanitatis* dextras jungimus haud inviti, utpote qui in vocabulariis litibus nunquam esse difficiles suevimus. In eo tamen adhuc disconvenit, quòd illi officia humanitatis cum titulo juris imperfecti, *indefinitè & definitè*, etiam ad studia *meræ beneficentiæ*, cum detrimento & incommodo proprio aliis exhibenda, extendant, & officiis innoxiæ utilitatis, *naturali æquitate fundatis*, conjungant, adeóque juri naturali malè commisceant, quæ nos, *pro reverentia Puffendorfianæ querimonia*, meritò *sequestramus*, & ad forum ethicum ablegamus.

Neque quis dicat. 2. Quòd officia virtutum, juxta dicta alibi ex *Suarezio*, (b) quandóque cadant, *quò ad exercitium*, sub jus naturæ: ergo & officia *beneficentiæ* saltem ad jus imperfectum reduci possunt. *Quòd si beneficentiæ jungatur ex circumstantiis obligatio justitiæ, & ipsa pariet jus imperfectum, sed non nisi per accidens.*

℞. D. A. *Quandoque* cadunt, hoc est, *per accidens*, superveniente ex circumstantiis obligatione justitiæ, vel æquitatis naturalis. C. A. Cadunt *per se*, & nulla accedente obligatione justitiæ. N. A. Et C. Accedentibus circumstantiis V. G. *necessitatis gravis*, etiam officium *liberalitatis*, ex *naturali æquitate*, est exercendum, inducitúrque obligatio juris saltem *imperfecta*, quæ in circumstantiis egestatis extremæ etiam transiret in *perfectam*. Hinc rectè suprà diximus ex *Suarezio*: cùm ex omnibus virtutibus, simul sumptis, resultet integra rectitudo hominis, debitúsque operandi modus, tam respectu sui, quàm proximi, verosimile est, omnes virtutes habere suas opportunitates, in quibus ex obligatione naturali, *saltem imperfecta*, exercendæ sunt, quam obligationem nec liberalitas, nec beneficentia certis in circumstantiis excludit.

Neque quis dicat 3. Quòd gratitudo, etsi fundetur *in debito naturæ*, nullam tamen obligationem juris, etiam *imperfecti*, inducat: ergo fallit nostrum principium, toties inculcatum, quòd officia, *in naturæ debito fundata*, participent *rationem justitiæ*, saltem minùs rigorosæ, sic ut in Jurisprudentia naturali, *tanquam disciplina propria*, tractari possint, & debeant. *Gratitudo fundatur quidem in aliquo debito, sed non necessario ad finem naturæ.*

℞. Etsi non desint apud *Puffendorfium* (c) qui gratitudinem in jure, propriè tali, fundatam velint, oppositum tamen est verius, quia pars optima beneficii periret, necessarium si fieret. Unde D. A. Gratitudo nullam obligationem juris, etiam imperfecti, inducit, & hoc ideò, quia fundatur *in debito qualicunque convenientiæ naturalis.* C. Si fundaretur *in debito quodam necessario* ad finem, seu felicitatem humanam. N. A. Et C. Sicut beneficentia, ita & gratitudo reciproca officia pariunt, *non necessaria* ad felicitatem, naturæ rationali *simpliciter debitam*, sed *spontanea*, ad felicitatem

---

* In secundis curis hanc distinctionem *rejicit Thomasius*

(a) In methodo system. J. N. Exercitat. 4. §. 773. 777.

(b) L. 2. de legibus, c. 7. n. 13.

(c) De J. N. & G. L. 3. c. 3. §. 17. f. m. 148. *Enimverò, an in foro civili actio ingrati danda sit, Eruditi disputant.* Vid *Boecleri* dissertatio, quæ inscribitur *Actio ingrati.*

tem naturæ rationali majorem *congrua*, ac *opportuna*.

Saltem simpliciter,

Neque quis dicat 4. Cum *Thomasio* (a). Quòd tanta sit *necessitas* gratitudinis, *ut si absque ea foret Societas humana, omnis tolleretur inter homines beneficentiæ, & fiducia, neque esset inter eos quidquam gratuitæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium*: ergo fundatur *in debito naturæ necessario* ad finem.

℞. D. C. Ergo fundatur in debito naturæ necessario ad esse bene *simpliciter*, quod solum respicit jus naturæ. N. Ad esse melius, quod virtutibus relinquit natura. C. Argumentum probaret, virtutem *liberalitatis*, *eutrapeliæ*, *patientiæ*, *mansuetudinis* &c. spectare ad jus naturæ, quia, iis sublatis, tolleretur inter homines omnis amicabilis conversatio &c. *

Sed tantùm respectu majoris felicitatis, quod augmentum non attendit jus naturæ,

Neque quis dicat 5. Gratitudo sæpissimè fundatur in debito naturæ, etiam necessario *absolute*: ergo. A. P. Sic gratitudo erga Deum, *tanquam principium omnium bonorum*, est absolutè debita. Item erga Parentes, *tanquam proximum generationis, & disciplinæ principium*; erga Superiores, & Principes, utpote à quibus *communia beneficia* procedunt.

Etsi per accidens gratitudo mixta, accedente justitiæ titulo, fundare jus possit, sicque revocari ad Jurisprudentiam naturalem.

℞. D. A. Gratitudo *simplex*, & ùt est *virtus specialis*, sæpissimè fundatur in debito naturæ absoluto. N. A. Gratitudo *mixta*, & ùt est habitus indistinctus ab aliis virtutibus, fundatis in debito naturæ absoluto. C. A. Et N. C. Gratitudo *simplex*, & ùt est *virtus* specialis, non respicit, nisi *benefacterem privatum*, fundatúrque in debito, non tam stricto, ùt erga Deum, Parentes &c. Nam, *Lessio* Authore, (b) gratitudo erga Deum non est habitus distinctus à *religione*; erga Parentes non est distinctus *à pietate*; erga Superiores non est distinctus *ab observantia*, quas virtutes, quò ad actus certos, in naturæ jure fundatos, ultro admittimus. Unde sicut gratitudo, ita & ingratitudo *mixta*, quæ beneficium lædit, respicit jus naturæ, potéstque párere actionem, vel potiùs actionem jam competentem aggravare, utì rectè animadvertit *Thomasius* (c).

Obligatio naturalis ad exhibenda proximo officia notat non modò actum amoris externum, sed etiam internum, quia necessarium ad finem.

Quæritur IV. *Quænam obligatio naturalis ad officia hominis homini exhibenda, seu perfecta, seu imperfecta?*

℞. I. *Est obligatio tam externa, quàm interna.* De *externa* patet; cùm enim ejusdem fundamentum sit amor, naturaliter debitus, hic non nisi frustraneus foret, nisi ipso opere, factisque externis sese exsereret. De *interna* P. Fundamentum amoris, proximo naturaliter debiti, à quo hæc officia profluunt, evidenter debet esse *sufficiens*, seu *universaliter efficax* in ordine ad finem, seu *felicitatem*, *naturæ rationali propriam*, pacem scilicet cum proximo, justitiam, ac tranquillitatem humani Generis conservandam: ergo nequit esse amor *merè externus*. A. Constat. C. P. Amor merè externus, absque actu amoris interni formaliter imperante, vel imperatus ex motivo solùm indifferenti, vel etiam alterius virtutis; ** immò ex motivo extrinseco formaliter inhonesto V. G. *vana gloria* *** esset incompletus, imperfectus in opportunitate, vel necessitate proximi, ob motivum impertinens facilè defectibilis: ergo *insufficiens*, nec *efficax universaliter*.

Unde oppositæ propositiones justè damnatæ.

℞. II. Hinc, etiam *spectato jure naturæ*, rectè ab *Innocentio* XI. proscriptæ sunt propositiones sequentes: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. Tenemur proximum diligere actu quidem interno, sed tantùm in communi, non particulari*, quæ ultima propositio à *P. Cardena* reprobatur ex præcepto amoris, quod intelligitur non tantùm de proximo *in communi*, sed etiam *in singulari*, *data occasione necessitatis* &c. *Ratio* justæ proscriptionis partim patet ex dictis suprà, partim ex inanibus replicis. Nam

Nam dictamen rationis: quod tibi vis fieri &c. etiam notat factum internum.

Frustrà dicunt 1. **** Quòd dictamen rationis loquatur *de facto*, quod tibi vis, vel non vis *fieri*, alteri *feceris*, vel non *feceris*: inde S. Ber-

nar-

(a) Jurisprud. Div. L. 2. c. 6. n. 51. & seqq.

* Unde in secundis curis gratitudinem & ipse retulit *ad officia decori*, seu *virtutis*.

(b) De virtut. Cardin. L. 2. c. 47. Dub. 1

(c) L. c. Ubi addit exemplum de actione injuriæ, qua quis Parentes vel Patronos affecerit.

** Uti habet P. *Viva*, nisi fortè *dilectionis erga Deum*, quæ, etsi pro objecto *formali* haberet Deum, pro *materiali* tamen haberet proximum, essétque actus imperatus *ex amore verè tali*, Authore P. *Cardena*. Hic videri potest in Crisi Theol. Dissert. 8. in proposit. 10. & 12. damnat. *Viva* in trutina Theolog. propos. 10. & 11. f. m. 195.

*** Quo sensu præcipuè proscripta est propositio 11. per *Innocentium* XI.

**** Quos inter nominatur *Fagundez*, *Hurtado*, *Ariaga*, *Comminck*, queis *Filguera* malè accenset *Suarezium* nostrum, quem vindicat P. *Cardenas* L. c. Immò & priores absolvit *Viva*, eò quòd doceant apertè actum internum amoris, saltem naturalem, esse ab ipsa ratione naturali præceptum.

nardus (a): *An non satis tibi esse judicas ad implendum istud de proximi dilectione præceptum, si id perfectè observes, in quo omni homini rectè de naturæ lege præscribitur: quod tibi non vis, alteri ne feceris; & quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sed

℞. D. Dictamen loquitur de facto *tantum externo.* N. Etiam *interno.* C. Sicut quivis vult, ut ametur *utroque*, quia ad finem, seu felicitatem humanam necessario, vi cujus animus sit semper paratus ad ejusmodi officia *exigente necessitate*, ita & utroque debet amare proximum. Hunc esse sensum Melliflui, probant verba subjuncta: *neque hoc dico, quòd sine affectione simus* &c.

Et S. Joannes intelligit dilectionem in opere, & veritate, tam internam, quam externam.

Frustra dicunt 2. Quòd *S. Joannes* præceptum Divinum amoris supernaturalis restringat tantùm *ad opera*: *diligamus opere*: ergo naturale gratis extenditur *ad mentem.*

℞. N. A. Nam ait, diligamus *opere*, & *veritate*, hoc est, *affectu* quoque *interno*, qui necessarius est ad diligendum *opere* constanter, hoc est, in occasionibus passim obviis.

Nam actus etiam internus est necessarius ad bonum proximo exhibendum constanter.

Frustra dicunt 3. Quòd amor, proximo naturaliter debitus, sit is solummodò, qui necessarius est ad ejus bonum: atqui solus externus est necessarius, ceditque in ejus bonum, quo ubique & semper habito, internum uti non videt, ita non curat.

℞. *N. Min.* Quia sine affectu interno, *ubique* & *semper*, non exhibebitur externus: ergo internus quoque est necessarius.

Nec inutilis est amor in communi erga omnes, nec in particulari erga singulos impossibilis,

Frustra dicunt 4. Quòd nec obligemur, actù interno diligere homines omnes, *in communi*, quia hoc *inutile*; nec omnes *in particulari*, quia hoc *impossibile*; nec *hos præ illis*, quia non major ratio pro his, quàm pro illis: ergo *simpliciter* non obligamur, & sufficiet, si in necessitatibus occurrentibus præstò simus, exhibendo officia charitatis debita.

℞. *Falsum est.* 1. Quòd dilectio hominum in *communi* sit inutilis, quia admodùm accommoda ad hoc, ut homo reddatur paratus ad diligendum proximum *in particulari*, quoties naturæ lege obligatur. *Falsum est* 2. Quòd dilectio omnium hominum, *in sensu accommodo*, sit impossibilis, cùm plus non velit, quàm ut sit dilectio *cujuslibet* in particulari, si respectu *hujus potiùs, quàm illius* occurrat necessitas.

Tempus obligationis est occurrente proximi necessitate.

℞. III. Porrò hæc obligatio tam interna, quàm externa, jure naturæ non incumbit *semper pro semper*, omni momento, omni in circumstantia, cùm oriatur ex præcepto *affirmativo*, quod supponit occasionem: sed incumbit *in circumstantiis, ubi actus est necessarius*, occurrente scilicet necessitate exhibendi officii, exercendæ misericordiæ, vitandi dissidii, rixæ, invidentiæ &c. aliáve occasione, quæ prudentis arbitrio talis sit, ut obliget naturaliter.

§. II. §. 2.

De Officiorum imperfectorum objectis.

Objecta pro officiis imperfectis.

Officia imperfecta in genere

Quæritur V. *Quænam objecta, seu officia, præcipuè imperfecta, ad quæ se extendit hæc obligatio amoris, proximo naturaliter debiti?*

℞. I. *In genere* sese extendit ad *ea omnia*, quæ ad finem felicitatis humanæ ita sunt *necessaria*, ut illis negatis, si minùs *positivè*, saltem *negativè* flaccesceret, & *ex parte* deficeret requisita illa felicitas: cùm enim cognationem quamdam inter homines constituerit natura communis, haud sufficit, alterum *positivè non* læsisse, nisi & per officia mutuæ necessitudinis confoveatur, & conservetur Societatis humanæ ea saltem incolumitas, quæ non posset non labefactari, negatis officiis, ad vitam felicem suo modo, etsi minùs strictò, necessariis. Inde est, quòd *Puffendorfius*, & ex eo *Thomasius*, non malè statuant hoc generale præceptum: *ea facienda, neque neganda, quæ alterius utilitatem, quantùm commodè fieri potest, promoveant juxta illud: quod tibi vis, vel non vis fieri, alteri feceris, vel non feceris* &c.

Respiciunt quamdam proximi necessitatem.

℞. II. Cùm *Officia* erga proximum *imperfecta* jus fundent, *saltem minus propriè tale*, in nostris principiis fundantur saltem *in quadam æquitate amoris naturalis*, tanquam radice obligationis *imperfectæ*: & quia *æquitas* amoris naturalis, tanquam materiam, respicit *necessitatem* proximi, *cui amoris debitum correspondet*, sequitur *majus*, vel *minus* fore hoc debitum, seu obligationem naturalem, quò *major*, vel *minor* est necessitas proximi. Hinc, sicut *in gravi*, vel *extrema* necessitate, officia *imperfecta* mutantur in *perfecta*; ita officia virtutum V. G. *beneficentiæ*,

(a) Serm. 58. in Cant.

tiæ, *liberalitatis* &c. *accedente necessitate proximi*, degenerare possunt in officia *imperfecta* innoxiæ utilitatis. Ejusmodi officia perfecta ex *imperfectis* forent V. G. permittere aquam alteri, aliàs præ siti defecturo; dare alteri, in deserta secum ejecto, de mediis utriusque sustentationi sufficientibus, siquidem alteri aliàs pereundum foret. * Officium *virtutis* fieret officium *æquitatis*, si quis V. G. daret ex superfluis eleemosynam graviter egenti, & petenti. Illud hic advertisse sufficiat, quòd officia erga proximum imperfecta, *indefinite talia*, ex divisione *Puffendorfii*, *& Thomasii*; *item beneficentiæ studia* cum magno incommodo proprio, vel ad proximi meram utilitatem præstanda, ab hujus loci tractatione, tanquam impertinentia, penitùs rejiciamus. Illa quidem, quia *animum excolere*, *corpus habile reddere*, *artem addiscere*, aliáque ejusmodi, ad officia, *sibi directè debita*, spectant; ista verò *nullo jure*, sed mera virtutis *honestate* nixa, ad forum ethicum sunt *sequestranda*, ùt suprà diximus.

In specie circa innoxiam utilitatem.

℞. III. *In specie* ad officia erga proximum imperfecta revocari solent obsequia *innoxiæ utilitatis*, uti sunt 1. Erranti comiter monstrare viam, petenti dare consilium, pati ignem ab igne accendere, non prohibere calorem algenti, umbram æstu languenti, aquam profluentem sitienti. 2. Præstatio rerum, quarum nimia copia, vel asservatio molesta, eas potiùs integras aliorum usui permittendo, quàm destruendo. 3. Dispensatio rerum in aliorum utilitatem, quæ alioquin nobis essent corrumpendæ, vel perituræ. 4. Officia in peregrinos, calamitate oppressos, iis auxilium, & solamen exhibendo &c. &c. & si quæ sunt alia, teste *Cicerone*, (a) *accipienti utilia*, *danti non molesta*: quæ si quis negaret, etsi haud dici posset *rigorosè injustus*, quia ad restitutionem non obligatus, neque vi extrinseca jure compellendus, dici nihilominùs posset minùs propriè *injustus*, seu *injurius*, aut si mavelis contra naturalem æquitatem *iniquus*. Inde *Seneca* (b): *Iniquum est*, *collapsis manum non porrigere*: *commune hoc jus Generis humani est*. Inde & *Cicero* res *innoxiæ utilitatis* dixit, ad *communem usum hominum à natura genitas* (c). Inde apud *Plutarchum* rectè legimus, quòd neque alimenta nobis *fas sit* perdere, ubi ipsi plùs satis habemus; neque fontem, postquam inde, quantum libet, potaverimus, obturare, aut occultare; neque signa navigationis, aut itineris abolere, quæ nobis usui fuerint. Ubi tamen rectè monet *Heineccius* (d): *Cùm talia aliis præstare teneamur ex amore naturali*, *nemo verè alterum se ipso magis amare teneatur*, *consequens est*, *ut si his officiis nobis ipsis nos obfuturos esse*, *prævideamus*, *ea jure aliis denegemus*. *Sic in bello hostes jure prohibemus aquatione*; *jure corrumpimus commeatum*, *ne illis*, *not invasuris*, *utilitatem præstemus* &c.

Officia imperfecta magis controverti solita.

Quæritur VI. *Quæ officia*, *erga proximum imperfecta*, *in specie magis memorabilia*, *ac controversa*?

Circa eleemosynam.

℞. I. *Puffendorfius* (e) affirmat, ad officia imperfecta pertinere *modicas stipes locupletum*, *in egenos collatas*, qua in re, etsi *minimè malè*, *nimis* tamen *indeterminatè* loquitur. Unde

Est obligatio aliqua naturalis sublevandi proximum.

Dicendum 1. Divitibus *aliquam* esse obligationem, etiam in justitia, *impropriè tali*, fundatam, subveniendi egenis, *licèt communi tantùm necessitate pressis* (abstrahendo, *quanta* sit, & *quoties* exercenda respectu juris naturæ) in nostris principiis clarum est. *Demonstratur*. Repugnat *amori*, ad pacem cum proximo, & felicitatem Societatis humanæ *admodùm necessario*, per totam vitam *nunquam* exercere actum amoris, etsi occasio *quotidiana* sit, etsi absque *omni*, vel *levi* incommodo fieri posset: ergo exercitium aliquod amoris fundatur in *æquitate naturali*, & est proximo naturaliter *debitum*. A. *Patet*: nam malè foret

---

* In statu civili plura occurrunt ejusmodi exempla. Sic tutelæ susceptio, aliàs officium *æquitatis* imperfectum, jure civili fit perfectum, ut quis ad tutelam cogi possit propter publicam utilitatem, ne impuberum bona dissipentur. Sic si vicinus ad suum fundum pervenire non possit, alter ipsi servitutem pro justo pretio concedere cogitur. L. 44. §. fin. ff. de legat. Sic Parentes liberis, etiam divitibus, & vice versa, hi illis certam bonorum partem, quæ legitima vocatur, post mortem relinquere obstringuntur juxta Novell. 18. Sic tempore imminentis caritatis annonæ sæpe frumentum vendere adigitur, qui eo abundat, & si quæ sunt alia, *ad utilitatem civium publicam*, *& Republicæ*, pertinentia.

(a) De Offic. 1.

(b) Controv. 1. 1.

(c) De offic. 16.

(d) In element. J N. & G. L. 1. c. 8. §. 218.

(e) L. 1. c. 8. §. 4. f. m. 131. de officio hominis.

ret constituta, & *negativè saltem* defectuosa Societas humana, si quod quis in simili statu continuò cuperet, nunquam alteri facere *deberet*; si quis continuò abundare, & proximum continuò egentem, etsi supplicem, nunquam *teneretur* respicere.

Saltem ex superfluis, & quandoque ex necessariis.

Dicendum 2. Est obligatio naturalis, *saltem imperfecta*, * succurrendi proximo *in gravi* necessitate ** per eleemosynam petitam, *saltem* ex *superfluis*. Quòd si necessitas foret *absolutè gravis*, & pene *extrema*, *** est obligatio succurrendi *etiam ex necessariis cum levi detrimento statûs*. *Ratio prioris est*, quia id exigit *æquitas naturalis*, fundata in amore proximi ad felicitatem Societatis humanæ *necessario*, quæ felicitas, saltem *negativè*, deficeret in necessariis, si posset destitui proximus in *gravi* necessitate, etsi sine omni, vel levi solùm incommodo sublevari posset. *Ratio posterioris* est, quia *absolutè* gravis necessitas in æstimatione morali æquiparari solet indigentiæ *extremæ*. ****

Eáque juris rigorosi in extrema alterius necessitate.

Dicendum 3. Est obligatio naturalis *perfecta* succurrendi proximo, *in extrema necessitate constituto*, etiam *ex necessariis* cum *aliquo* statûs proprii detrimento, non tamen cum *extraordinario* *****, multò minùs cum statûs proprii destructione. *Ratio prioris* est, quia amor proximi *simpliciter* exigit, ut, si sine nimio detrimento fieri possit, bona quædam ordinis minoris vitæ proximi postponamus; secùs enim charitatis vinculum inter homines nullum foret, neque felix posset subsistere humana Societas. *Ratio alterius est*, quia in medio prorsus *extraordinario* nimia est difficultas; immò ad destructionem statûs, velut medium moraliter insuperabile, nemo obligatur etiam pro vita propria salvanda: ergo multò minùs pro aliena.

Innoxius transitus per alienum territorium,

℞. II. *Thomasius* ad officia, erga proximum imperfecta, revocat *innoxium transitum* per territorium alienum, præcipuè quò ad transvehendas merces (a). Sed circa hoc punctum, non adeò liquidum, majore distinctione

Et si negatus, non parit formalem injuriam.

Dicendum 1. *Transitus*, per territorium alienum, seu terrestre seu maritimum, *debito modo*, etsi *absque ulla causa*, negatus, *per se* loquendo, nunquam parit formalem injuriam, sufficientem ad actionem, vim, vel bellum alteri inferendum. *Patet*, quia *spectato jure naturæ* non parit jus perfectum, ac rigorosum, nam etsi possit abesse forsan omne incommodum, vix tamen abesse poterit incommodi periculum. Additur tamen, negatus *debito modo*, hoc est, absque illata speciali injuria; *per se* loquendo, quia accedente *extrema alterius necessitate*, *merâ invidiâ*, vel aliâ causâ injuriosâ, *per accidens* fundare posset jus naturæ alteri competens, etiam perfectum.

Transitus advenarum verè innoxius, est æquitatis naturalis.

Dicendum 2. *Transitus* inermis advenarum, hospitum, peregrinorum, sedes vacuas quærentium &c. siquidem *verè innoxius* sit, hoc est, si omni incommodo, periculo, periculique metu justo careat, præterquàm quòd videatur esse juris Gentium, ùt suprà diximus, etiam *spectato jure naturæ, per se* loquendo, negari nequit. *Ratio est*, quia exigitur ab amore, in naturali æquitate fundato, juxta illud: *quod tibi vis, vel non vis fieri* &c. sic ut negatis hisce officiis humana felicitas, *negativè saltem*, deficeret *in necessariis*, etsi ejusmodi denegatio iniqua *formalem injuriam*, contra jus rigorosum, proximo debitum, haud inferret.

Utiis & transvectio mercium necessaria, ac verè innoxia.

Dicendum 3. Idem videtur sentiendum *de transitu* Mercatorum, *transvectione mercium*, siquidem fundetur in *aliqua*

* Nam juxta nonnullos est *perfecta*, obligans sub peccato gravi, qua de lite, circa jus naturæ certiora sectantes, hic abstrahimus.

** Unde non excludimus *in communi necessitate* obligationem, sed *de qualitate obligationis*, & *exercitii extensione* abstrahimus, uti dictum.

*** Qualis foret juxta *P. Viva*, si nobilis cogeretur absolutè mendicare, & vitam, pene morte miseriorem, ducere. Gravitatis majoris, vel minoris quantitas pendet ab æstimatione morali prudentum: quadruplex esse solet *gravis necessitas*. 1. *Quò ad vitam*. 2. Quò ad famam, honorem &c. quæ pertinent *ad naturam humanam*, 3. Quò ad dignitatem. 4. Quò ad bona fortunæ, quæ pertinent *ad statum*.

**** Inde propositio duodecima, ex non uno capite, *ab Innocentio* XI. A. 1679. 2. Martii rectè damnata, qua dicitur: *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superflua statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluis.* Videri potest *Cardenas* in crisi Theol. Dissert. 9. f. m. 284. item *P. Viva* in trutina Theolog. proposit. 12. f. m. 200. Ubi uterque vindicat calumniam, *P. Vasquio* nostro hac ex parte impactam à *Filguera*, præcipuè verò ab insani *Montaltio* in suis litteris provincialibus.

***** Quale foret apud *P. Viva* L. c. n. 7. f. 201. quatuor millibus florenorum vitam pauperis redimere, medicinis extraordinariis ejus vitam servare.

(a) Jurisprud. Div, L. 2. c. 6. à n. 35.

aliqua necessitate, & verè *innoxia* esse possit, nec cum præjudicio quodam propriæ ditionis conjuncta. *Ratio* eadem, quæ suasit prius, suadet posterius. Dicitur, siquidem fundetur *in aliqua necessitate*: nam quæ spectant solummodò luxum, & lucrum, sunt extra sphæram juris naturæ absoluti, & ad dispositionem juris Gentium pertinent. Inde *Grotius* admodùm confundit jus naturæ cum jure Gentium, dum nimis liberaliter ejusmodi commercia libera adstruit, *eò quod id intersit Societatis humanæ*, qua in parte meritò corrigitur à suis scholiastis (a).

Militaris rectè negatur.

Dicendum 4. Transitus *militaris*, salvo jure naturæ, etiam imperfecto, semper negari potest, uti alibi probabimus. (b) *Ratio est*, quia, nisi ponatur casus *extremæ necessitatis*, nunquam est *vere*, seu *practicè* innoxius, ut non saltem *justus periculi metus* suppetat. Unde cum *Edomitæ Israelitis* transitum, *etsi innoxium*, denegâssent, *Moyses* nec de iniquitate, nec de injuria questus *ab Edomitis deflexit, & à Cade profectus ad montem Hor cum omnibus copiis pervenit* (c).

Unde varii casus determinandi.

Dicendum 5. Ex hisce præmissis facilè decidi possunt varii casus, 1. *Etiam singulis rectè* negatur *transitus*, si sit probabilis metus *damni*, *proditionis*, *seditionis*. 2. *Expulsis* rectè negatur *transitus*, & à fortiori *refugium*, seu *susceptio*, si exinde timeatur offensio, bellum, annonæ caritas, aut alia causa obstet. 3. Spectato jure naturæ non *necessariò* suscipiendi sedes vacuas quærentes &c. quia, cùm regulariter fiat cum nostro incommodo, ejusmodi susceptio est beneficium; unde nec territorium, etsi incultum, insalutato Domino ab illis justè invadi potest. 4. Prætervectis haud necessariò concedenda est accessio ad littus, & commoratio, quia regulariter subesse potest *justa* negandi causa. 5. Detrectantes commercia cum aliis populis, *per se* loquendo, non violant jus naturæ, etiam imperfectum, quia deest *necessitas*. Unde hoc casu exteros ab emptione rerum suarum, etsi ad vitam necessariæ non sint, prohibere possunt, si vicissim res alienas emere nolint, adeóque vetent, ne in territorio suo venum exponantur. 6. Defectu ejusdem necessitatis, in mercibus ad lucrum vel commodum, jus stapulæ induci potest, vi cujus, *sine læsione æquitatis naturalis*, transeuntes adigi possunt, ut venùm exponant merces in terra nostra. *Neque opus est*, Authore *Thomasio*, *ut hanc sententiam probemus: sufficit, quòd nullum argumentum proferri possit, unde probetur iniquitas. Inde & titulus vectigalium propter damna, quæ regulariter ex fluminibus patiuntur vicini, aut impensas in aggeres.* Unde *in fretis* major est moderatio habenda eodem Authore.

Denegatio matrimonii non repugnat æquitati naturali.

§. III. Ad officia *juris imperfecti*, seu *æquitatis naturalis*, non rectè trahitur denegatio amicitiæ, ac matrimonii, seu cum privato, seu cum integro Populo, siquidem *debito modo* fiat, neque *cum injuria* quis repellatur. *Ratio est*: quia & deest *necessitas*, & adest facilis causa *incommodi*. Immò etsi quis nullam afferre posset denegationis causam, si modò desit necessitas, *iniqui* titulum non meretur, uti minùs bene existimat *Fridericus Ludovici*. Huc pertinet raptus *Sabinarum* & *Benjamitarum*.

Communis facultas, uni negata, aliquando jus imperfectum, nunquam tamen perfectum gignere potest.

§. IV. Ex suppositione, *quòd aliquid promiscue omnibus exteris sit indultum*, V. G. circa *commercia*, *venationes*, *piscationes* &c. videtur nasci obligatio imperfecta, ne, *sine omni prorsus ratione*, unus præ altero hac indulgentiâ excludatur: quia videtur ejusmodi exceptio contraria amori, in æquitate naturali fundato, nec ab implicito, vel interpretativo quodam contemptu facilè excusabilis. 2. Si adsit *ratio qualiscunque*, nec imperfecta oritur obligatio, quia cessaret obsequium innoxiæ utilitatis. 3. Nunquam tamen parere potest *obligationem perfectam*, sic ut ejusmodi denegatio alteri cedere queat *in injuriam formalem*. *Ratio* est: quia circa ejusmodi indulgentiam pactum expressum, cum omnibus quibuscunque, fingi haud potest verisimiliter: econtrà, quòd per meram dissimulationem, vel indulgentiam, *precariò* conceditur aliquibus, favor est: ergo absque injuria alteri negari potest juxta illud: *An non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam, quia ego bonus sum? Amice, non facio tibi injuriam.* Unde errat *Grotius*, cùm jus perfectum, ex ejusmodi suppositione, alteri adstruit ea de causa: quasi cum contumelia conjunctum sit, si quis, citra peculiarem causam, à communi aliis facultate

(a) De Jure B. & P. L. 2. c. 2. §. 13. n. 1. & 5. in not. Videantur dicenda infrà de belli causis.
(b) Q. de justis belli causis.
(c) Numeror. 20. 14 & seqq.

tate excludatur, eò quòd hic, *velut reliquis inæqualis*, haberetur: nam rectè *Hertius*: *quibus aliqua permittuntur, jus ante permissionem non habebant* (a): *ergo si ab iis excludatur unus, is de injuria queri nequit, etsi de inhumanitate aliquando possit.*

Heineccii officia, huc non spectantia.

℟. V. *Heineccius* ad officia imperfecta, *ex amore beneficentiæ*, plura beneficia ex *Seneca* (b) revocat: sed sicuti malè *amorem beneficentiæ* in Jurisprudentiæ naturalis fundamenta admiscet, ita & cum jure naturæ virtutes ethicæ proprias, officia naturæ debita cum beneficiis prorsus indebitis, confundit, & *Senecam* loquentem de beneficiis, ad felicitatem naturæ, *omni ex parte perfectam*, requisitis, minùs appositè trahit *ad jus naturæ*, quasi verò omne, quod *naturæ felicitati congruum*, hoc ipso foret *jure naturæ debitum*, quo casu jus Gentium, & positivum humanum, immò omnes virtutes, ipsa quoque inimicorum dilectio, spectaret *ad jus naturæ*, toties culpata à *Puffendorfio* confusione Jurisprudentæ naturalis cum Ethica, cæterisque disciplinis. Sic adducit *Senecam* perorantem (c): *quantulum est ei non nocere, cui debeas prodesse*? tum subdit: qui alteri non nocet, tantùm non sceleratus est, nondum autem eo justitiæ genere legi amoris satisfacit, quæ, ut & prosimus aliis, jubet, adeóque *de virtute* gloriari non potest. Ibidem ex *Leibnitio* tres memorat *juris naturæ gradus*: *jus strictum*, quo nemo læditur; *æquitatem*, quæ suum cuique tribuit, & *pietatem*, quæ honestatem servat. In altero gradu dissentit, tertium adstruit. At quis non videt, si per *pietatem* intelligatur *beneficentia*, quæ cum incommodis propriis alterius commoda procurat, hanc *juris naturalis gradum* haud esse, quia nullatenus participantem *justitiæ* rationem formalem, sed *ultroneæ virtutis*? Sic alibi (d) ait, quòd, qui obligationi perfectæ satisfaciunt, *Senecæ ad legem boni esse* dicantur; à sapiente verò multò plùs exigi, nempe ut *amorem beneficentiæ* ostendat, etiam ubi se nihil jure stricto debere noverit. *Multa*, inquit *Seneca*, *legem non habent, nec actionem, ad quæ consuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, det aditum. Nulla lex jubet amicorum secreta non eloqui; nulla lex fidem, etiam inimico, præstare. Quæ lex ad id præstandum nos, quod alicui promisimus, alligat? Querar tamen cum eo, qui arcanum sermonem non continuerit, & fidem datam, non servatam, indignabor.* Hæc *Seneca*, quæ ad officia beneficentiæ malè trahit *Heineccius*. Nam secreti revelatio, obstante conventione saltem tacitâ, est prohibita *naturæ jure*, agitque revelans contra justitiam, atque fidelitatem non minùs, quàm si in contractu depositi fidem violaret. Promissio *acceptata* sicut dat jus ad rem; ita non servata est *contra justitiam*. Fides hosti, ùt tali data, obligat ex jure naturæ, ùt alibi contra *Puffendorfium* decidimus.

Officia imperfecta respectu hostium.

Quæritur VII. *An Officia æquitatis imperfecta homini ab homine præstanda, etiam respectu hostium, spectato jure naturæ, obligent?*

Ex obligatione naturali.

℟. I. Affirmat *Heineccius* protestanticus (e). *Rationem affert.* 1. Quia hæc officia proficiscuntur non *ob alterius merita*, sed *ob æqualitatem naturæ*, in qua fundatur *amor amicitiæ* imperans, ut, quod nobis fieri ab altero volumus, etiam alteri faciamus. 2. Quia ejusmodi humanitas cum spe insigni, gratiam ab hostibus ineundi, conjuncta est. 3. Quia teste *Thomasio Socrates* dudum profligavit vulgarem sententiam: *amicis benefaciendum, malè inimicis*. 4. Quia etiam *Hierocles*, etsi Gentilis, hoc agnovit, scribens: *Unde fit etiam, ut rectè dicatur, virum bonum odisse neminem &c. Quum enim bonum diligit, non eum, qui malus sit, putat inimicum &c. immò in amicitiæ legibus Deum ipsum imitatur, qui nullum quidem solet odisse, sed eum potissimùm, qui bonus est, amplecti, & diligere.* Hinc & ipse ex sapientiæ norma, quæ dirigere debet *amorem illum humanitatis*, in exhibendis officiis ordinem statuit, sic ut observatâ ratione personarum, ac necessitatis, cùm omnibus satisfieri non potest, plus humanitatis amico, quàm inimico; plus bono, quàm scelerato; plus cognato, quàm extraneo; plus denique magis, quàm minùs egenti, præstari fas sit. Sed

Non præstanda per se loquendo.

℟. II. *Spectato jure naturæ, quamdiu durat animus alterius hostilis, per se loquendo, nulla est obligatio ad officia etiam imperfecta, inimico exhibenda. Dicitur: per se loquendo:* quia *per accidens* manere posset obligatio, casu, quo nulla omninò suppeteret

(a) In *Puffendorf.* L. 3. c. 3. §. 14. f. m. 345. litt. a.
(b) L. de Beneficiis.
(c) In elementis L. 1. c. 3. §. 52. allegans epist. Senecæ 91.
(d) L. c. §. 84. adducens Senecam de beneficiis L. 5. c. 21.
(e) In elementis J. N. L. 1. c. 5. §. 219. & 220. f. m. 172.

teret *ratio*, *utilitas*, vel *necessitas* denegandi ejusmodi officia in ordine ad defensionem, vel vindicationem injuriæ publicam. Nam iniquum foret, nullo suo bono nocere alteri, *moderationis* limites egrediendo, id, quod saperet *meram vindictam*, etiam naturæ jure prohibitam.

Ratio asserti est 1. Quia, durante alterius animo hostili, hæc officia vix possunt esse innoxia: sic nihil antiquius in bello, quàm hostes prohibere aquatione, commeatum corrumpere, cuncta devastare. 2. Quia cessat obligatio etiam ad officia perfecta: ergo multò magìs ad imperfecta. Quem etiam occidere licitum, cur illicitum sit, aqua prohibere & igni, aliisque commodis absolutè haud necessariis? Unde,

Ut vult Heineccius.

℞. III. Rationes *Heineccii* sunt nullæ. *Nam* 1. *Æqualitas naturæ* non obstat, quin hostem vindicemus, etiam positivè lædendo: ergo nec obstat, quin vindicemus, ei humanitatis officia denegando: nempe qui prior alterum injustè lædendo, *æqualitatem naturæ* contempsit, in causa est, cur & ipsius intuitu negligatur. *Amor ille amicitiæ* confundit jus naturæ cum Ethica naturali, qui proprius *Heineccii* nævus est contra clamores *Puffendorfii*, quêis jus naturæ à disciplinis cæteris sequestrandum inculcat, etsi & ipse in hac materia in beneficia Ethicæ extravagetur. 2. Spes ineundæ ab hostibus gratiæ virtutis est, non juris 3. *Socratis*, & *Hieroclis* dicta virtutem probant, non jus naturæ; immò nec obviam virtutem, sed extraordinariam probant, non nisi Sopho uni, vel alteri cognitam, quia etiam Populo Dei vix perspectam, cum beneficentia erga inimicos non nisi legi novæ, supra naturæ vires elevatæ, debeamus, Ordinem illum amoris in exhibendis proximo Officiis imperfectis, cùm respiciat justitiam distributivam, in nostris quoque principiis observandum concedimus.

Instructio 2.

INSTRUCTIO II.

Officia perfecta.

De Officiis hominis erga hominem perfectis.

§. 1.

§. I.

De non lædendis aliis

De non lædendis aliis.

Officia perfecta.

Quæritur I. *Quid Moralistis sunt officia perfecta? quæ illorum differentia ab imperfectis?*

Eorum indoles & natura.

℞. I. Ex obligatione naturali non modò *imperfecta*, sed præcipuè *perfecta* officia, ab homine erga hominem, sunt exercenda. Porrò per officia *perfecta* intelligimus, juxta superiùs obiter jam indicata, actiones, ad quas homo non *ex qualicunque æquitate*, seu conformitate cum natura rationali; sed *ex justitia propriè tali*, atque *perfecta*; immò quandoque ex *propriissimè* tali, ac *rigorosa*, per modum coactionis externæ, ac satisfactionis, est obligatus. Ex quibus

Respiciunt jus alterius seu debitum,

Colliges 1. Quòd, sicut *jus naturæ* in Disciplina Jurisprudentiæ naturalis nil aliud notat, quàm *legem naturalem*; ita & justitia *proprie talis*, atque *perfecta*, non sumatur, *nisi pro constanti, ac perpetua voluntate, cuivis tribuendi jus suum, procurando illius bonum naturaliter debitum, & avertendo malum indebitum.*

Quandoque rigorosum, coactionis externæ & reparationis illatrivum.

Colliges 2. Quòd jus istud quandoque denotet *debitum vere rigorosum*, sic ut ejus læsio sit contra justitiam *propriissime talem*, seu *commutativam*, utpote qua infertur injuria *damnosa*, coactionis & reparationis illativa, quando nempe læditur jus proximi, quod habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur.

Quandoque mere legale, coactionis externæ, & reparationis expers.

Colligee 3. Quòd jus istud quandoque denotet debitum, non quidem *regorosum*, sed tamen *propriè tale*, sic ut ejus læsio sit contra charitatem, non *qualemcunque*, sed in justitia propriè tali, *quia legali*, fundatam; non enim respicit *pro motivo formali* honestatem, relucentem *ex qualicunque benevolentia*, sed honestatem relucentem ex *tribuendo cuivis debito*, seu avertendo malum, seu procurando bonum, quo sensu participat *virtutem* justitiæ *specialem, ac proprie dictam*, etsi coactionis, & reparationis non illativam: unde Jurisprudentia naturalis & hæc officia, etsi non semper in *jure rigoroso*, tamen *proprie tali*, quia *legali*, fundata, meritò *perfectis* annumerat, ac *absolutis*.

Uti in læsionibus proximi internis.

Colligee 4. Quòd, hac de causa ad officia *perfecta* non solùm spectet, ne proximo inferas læsionem, coactioni subjectam per pœnas prohibentes: ne V. G. proximum seducas aspersa hæresi, dato scandalo &c. Vel ne inferas læsionem damnosam, etiam cum reparatione damni conjunctam V. G. per furta, detractiones &c. sed *ad perfecta* officia insuper spectat, ne proximum lædas etiam per vota, proposita furandi, seu adulterandi, neque per odia, invidiam, aliáque interna vitia, etsi nec coactioni directæ per pœnas, nec actioni ulli ad satisfactionem

nem

nem obnoxia. *Ratio est*: quia amori proximi, *non qualicunque*, sed fundato *in honestate* justitiæ *propriè talis*, qua cuivis tribuendum id, quod ei naturaliter debitum, *absolutè* repugnant, ùt infrà expressiùs declarabimus. *

Eorum differentia ab imperfectis.

℞. II. Officia *perfecta* differre ab *imperfectis* 1. Quòd *imperfecta* fundentur in jure *minùs proprio*, respiciendo *æquitatem quamdam*, qua aliis facienda bona; *perfecta* fundentur in jure *propriè tali*, quandóque etiam *rigoroso*, spectando *justitiam legalem*, vel *commutativam*, qua aliis non inferenda mala. 2. Quòd *imperfecta* supponant necessitatem *minùs strictam*, sic ut officii sui incurium denominent *iniquum*; *perfecta* supponant necessitatem absolutam, sic ut officii sui negligentem denominent *propriè*, & quandoque *formalissimè injustum*. 3. Quòd *imperfecta* pariant obligationem, sed imperfectam, quia coactionis expertem, & in solo æquitatis amore fundatam; *perfecta* pariant obligationem perfectam, quandóque etiam cum coactione, & damni reparatione conjunctam, quia in amore justitiæ *legalis*, ac *rigorosæ* fundatam.

Officia perfecta in specie.

Quæritur II. *Quæ officia perfecta? Quæ eorum objecta? Et quale obligationis principium?*

Nemo lædendus, cuique suum tribuendum.

℞. I. Officia *perfecta*, utì constat ex dictis, *in genere* duo sunt: *nemo lædendus*, *jus suum cuique tribuendum*; illud est *absolutum*; hoc *hypotheticum*. Et quia *hypothetica*, vel *ex pacto*, vel *ex dominio* resultant, & pactum sæpe, dominium semper statûs adventitii proprietas est, juxta ordinem, suprà dispositum, *absoluta* officia primæ parti *de jure naturæ*; officia *hypothetica* alteri parti *de jure Gentium* reservabimus.

Modus læsionis triplex, cogitatione, verbo, & opere.

II. Nemo sine causa lædendus, seu infelicior reddendus, ac imperfectior, neque *in se*, neque *in bonis* tam naturalibus, quàm acquisitis. Unde nemo lædendus 1. *in intellectu* eum pervertendo, per mendacia & errores avertendo à veritate, & præjudiciis falsisque opinionibus, ac dogmatibus imbuendo, quod stigma proprium hæresiarchis. ** 2. Nemo lædendus *in voluntate*, eandem corrumpendo, ad voluptates aliàque vitia inflectendo, verbis & exemplis depravando, educationis & institutionis officia negligendo. 3. Nemo lædendus *in bonis corporis* per verbera, plagas, vulnera, mutilationes, vincula, inediam, bona dissipando, libertate spoliando, sanitatem corrumpendo, vitam adimendo &c. 4. Nemo lædendus *in pudicitia*, *existimatione*, *honore* per calumnias, injurias, stupra, adulteria; nemo lædendus *in aliis bonis extrinsecis*, quomodocunque propriis, per rapinas, furta, fraudes, vim, directè vel indirectè, mediatè vel immediatè illatam. Denique, teste *Heineccio*, *læsio* non tantùm est *dictum*, vel *factum*, quo bona alteri, jure connato vel acquisito competentia, denegantur, rapiuntur, vel quovis modo turbantur, aut deteriorantur, sed est etiam *concupitum*, ad injuriam & damnum alterius comparatum: unde eandem rectè non modò *ad verba & facta*, sed & *ad cogitata* extendit, sic ut nemo lædendus sit *per odium*, *contemptum*, *invidiam*, aliáque animi vitia, naturæ juri adversa. *Rationem assignat*, quòd Author juris naturæ sit Deus *καρδιογνώστης*, nec minùs ejus voluntatem violet, qui quidquam contra legis suæ præscriptum cogitat, quàm qui illam verbis, factísque transgreditur. *Et hæc*, inquit, *iis opponenda duximus*, *qui jus naturæ & Gentium tantùm ad actiones externas pertinere existimant*.

Fundamentum obligationis naturalis ex amore, cuivis naturaliter debito.

III. Sed læsionem quamvis, *absque causa*, tam in cogitatis, quàm in verbis ac factis, naturæ jure esse prohibitam demonstratur *ex amoris principio* hoc modo. Id naturæ jure prohibitum est, quod repugnat amori, *Deo & proximo naturaliter debito*, hoc est, *ad felicitatem ac pacem, cum Deo ac proximo conservandam, simpliciter necessariè*: arqui alterum lædere *quomodocunque*, verbis, factis, vel votis, per interna odia & contemptus ad actus externos disponentibus,

* Inde *Thomasius* in secundis curis hæc refert *ad regulas honesti & decori*, quas Jurisprudentiæ naturali *velut proprias* tribuit, utique haud alia de causa, secùs enim ad Ethicam referendæ forent.

** Addit *Heineccius* L. 1. c. 7. §. 158. *Tædiosam* docendi *rationem*, & *severitatem*, qua discipuli à sapientiæ studio avertuntur, exemplo *Maximiliani* I. Imperatoris, quem *Petrus* quidam per solas dialecticas argutias, & sophismata, verberibus crebris conjuncta, à studiis sic alienârit, ut aliquando auditus sit dicere teste *Cuspiniano*: *si hodie præceptor meus Petrus viveret, quamquam multa Præceptoribus debeamus, efficerem, ut se instituisse me pœniteret.* Hunc nævum, non nisi per calumniam, impingunt *Puffendorfii* & *Thomasii* Scholasticis orthodoxis ratione *pædiæ*, ùt ajunt, *Aristotelicæ* &c. Sed ut sæpe jam diximus, hi mastyges *quæcunque quidem ignorant, blasphemant*, *Judæ*. 10.

tibus, *evidenter* repugnat amori, ad pacem, cum Deo & proximo conservandam, & ad felicitatem Societati humanæ propriam, *simpliciter necessario*, adeóque *naturaliter debito*: ergo lædere alterum quomodocunque est naturæ jure prohibitum.

Alterum Officium ex perfectis, reparandum damnum.

Quæritur III. *Quodnam alterum officium ex perfectis, & absolutis?*

℟. I. *Reparatio damni, si quod secutum ex læsione injusta, qualitercunque imputabilis, quantum fieri potest.*

Explicatur præceptum. Dicitur 1. *Ex læsione injusta*, non quavis v. g. contra charitatem, etsi in naturæ jure, *propriè tali*, fundatam, ùt suprà diximus: sed ex læsione *damnosa contra justitiam rigorosam*, ac *propriissimè talem*, quæ radix primaria reparationis, abstrahendo hìc & nunc ab altera radice *rei acceptæ*, quæ absque culpa detinetur in se, vel æquivalenti, solùmque notat *læsionem materialem*.

Dicitur 2. *Qualitercunque imputabilis*: nam imputabilitas multiplex esse potest, exprimitúrque notis *versiculi: jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans mutus, non obstans, non manifestans. Dicitur* 3. *Reparatio damni*, cùm enim *damnum* nil aliud sit, quàm *carentia boni alicujus ob alterius factum*, *positivum vel negativum*, *jure debitum*, ea multiplex esse potest: *positiva*, per ablationem, vel destructionem rei alienæ cum vel sine lucro lædentis; *privativa* per interceptionem lucri justè sperati; *negativa* per omissionem debitæ diligentiæ, officii; *directa* in re, vel *indirecta* in fructibus rei; data à causa *sola*, vel *complice*, *principali*, *vel minùs principali* &c. cùm rursus reparatio varia esse possit, per revocationem calumniæ, per satisfactionem, vel restitutionem rei in se, vel in æquivalenti &c. fluit præcepti hujus sensum esse, *quòd damnum qualecunque, & qualitercunque imputabile, ab injustè lædente, per se loquendo, reparandum sit, & quidem meliori modo, quo fieri potest, vel per restitutionem ipsius rei, vel per æstimationem rei & fructuum, lucri cessantis, damníque emergentis.*

Fundatum in amore Deo, & proximo naturaliter debito.

℟. II. *Demonstratur præceptum.* Reparatio hæc est positivè exigita ab amore, *Deo* & *proximo* naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem & pacem, cum Deo ac proximo conservandam, *simpliciter necessario*: ergo est naturæ jure præcepta. *A. Patet.* 1. Nam citra reparationem damni pax esse nequit cum Authore Naturæ, eò quòd sine hac *lex de non lædendis aliis* foret vana, enervis, inutilis, cùm citra hanc obligationem nunquam sat cohiberetur in aliena damna effrenis Mortalium pravitas. 2. Citra reparationem damni manet continuata læsio, qua manente, secundùm naturæ jura, lædenti *cum injustè* læso pax esse haud debet. 3. Felicitas naturæ rationali debita, quies, & securitas publica & privata, communis boni stabilitas haberi haud posset, si reparatio damni non obligaret; si injustè læso damnum tolerandum, injustè lædenti injuriæ suæ fructu gaudendum foret. Quid enim hoc aliud esset, quàm viam pandere injuriis, læsionibus, furtis, atque rapinis? Certè non minùs turbaretur pax humani Generis, quàm si læsio, atque damnificatio naturæ jure prohibita non foret.

Casus excepti ab obligatione naturali reparandæ damnificationis. Per accidens.

Quæritur IV. *Quænam exceptiones ab obligatione reparandi damni naturæ jure impositâ?*

℟. Etsi, ùt dictum, naturæ jure teneantur, *per se loquendo*, ad reparanda damna *omnes*, qui eorum sunt *vera* causa, seu *positiva* seu *negativa*, nihilominùs sunt plures casus, in quibus *per accidens* cessat hæc obligatio, vel *certò*, vel *probabilius*. Vagatur quidem prolixa hæc restitutionis materia per Theologiæ tractatum integrum *de jure atque justitia*, cujus copiosa scita Jurisprudentiæ naturali inserere nequaquam convenit. Ea solummodò attingenda, quæ *jus naturale* privativè concernunt, & attingenda non omnia, sed scitu digniora, vel quia controversa inter ipsos Orthodoxos; vel quia minùs obvia inter protestanticos Moralistas. Et hæc ipsa non nisi obiter attingenda, ut ne aliunde jam nota, prolixitate sua, jus naturæ potiùs gravent, quàm ornent. Unde

Causâ incertâ, nec efficaciter influente.

℟. I. Quicunque non est causa damni *vera*, *certa*, & *efficax*, *naturæ jure* non obligatur ad illud resarciendum. *Ratio est*: Quia tam gravis obligatio ex amore, proximo *naturaliter debito*, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *simpliciter necessario* probari nequit. Hinc E. G. excusatur mandans, vel consulens, retractarò ante executionem mandato, atque consilio; item in dubio, an fuerit causa efficax; vel si damnum, independenter à tali consilio, fuisset *certò* & *absolutè* illatum; vel si illatum fuisset tantùm *quo ad modum*, vel *circumstantias*, vel damnum minus, majoris impediendi causâ. Sic excusatur ratam solummodò habens damnificationem suo nomine, sed tamen *se inscio* factam; item cooperans invitus in actione per se non mala, sed justo metu adactus V. G. avehendo militum furta; non obstans, vel manifestans, *nullo justitiæ titulo*

tulo obligatus; detinens rem *injustè*, si absque detentoris culpa pereat, æque apud Dominum peritura V. G. communi hostium incursione, seu incendio, & sic de aliis.

Nulla culpâ data

℞. II. Qui intulit injuriam *damnosam*, etsi solummodò *materialem*, tenetur saltem id restituere, quod actu *extat* de re alterius, vel ex qua factus est *ditior*: quia *spectato naturæ jure* nemo potest privari re sua, nisi ex culpa propria, vel sponte, vel si res fortuitò pereat. Si absque culpa nil amplius extet nec *in se*, nec *in æquivalenti*, ad nil tenetur, tum enim æquiparatur rei fortuitò pereunti. *Ratio est*: quia obligatio hæc foret nimis ardua, utpote cum æquali damno, etsi inferens foret dives, eò quòd hoc sit *per accidens*, natura verò in obligationibus attendat ad id, quod *fit communiter*. Alia ratio est in detractione, respectu famæ, etsi inculpabili, quia hoc damnum facile reparari potest.

Vel merè juridica.

℞. III. Qui intulit damnum grave ex *culpa merè juridica*, seu omissione diligentiæ, non nisi à summè industriis adhiberi solitæ, probabilius non obligatur ad id reparandum *spectato naturæ jure*. * *Ratio est*: quia neque obligatio oritur *ex re accepta*, quam non habet; neque *ex injusta acceptione*, quæ supponit culpam Theologicam; præterquàm quòd ejusmodi obligatio foret nimis difficilis, ob frequentes transgressiones magis noxia, adeóque ad felicitatem, humano Generi propriam, nequaquam exigita, nec ratione naturali efficaciter probanda.

Aut etiam Theologica, sed merè venali.

℞. IV. Qui intulit grave damnum per negligentiam *venialiter tantùm culpabilem*, probabiliùs & ipse nec *leviter*, nec *graviter* obligatur *naturæ jure* ad ejus reparationem. V. G. si ex oblivione, *venialiter culpabili*, non extinxisset candelam orto inde incendio. *Ratio est* 1. Quia obligatio naturalis nunquam est levis circa materiam *gravem*, natura vel non obligante, vel obligante juxta capacitatem materiæ. 2. Quia obligatio gravis spoliandi se suis bonis ob culpam, *merissime levem*, tam *frequentem*, & *moraliter inevitabilem*, non videtur exigi posse ab amore, proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, humano Generi propriam, *simpliciter necessario*: neque enim exigi posset *per modum pœnæ*, quia improportionata culpæ; neque *per modum remedii* ad præcavendas ejusmodi culpas, quia esset nimis difficile, moraliter inobservabile, adeóque noxium magis, quàm utile. 3. Quia obligatio gravis sufficienter probari nequit. Nam, quòd æquitas naturalis exigat, ut damnum patiatur potiùs nocens *juridicè* ob culpam, quæ saltem *voluntaria*; & à fortiori nocens *Theologicè* ob culpam, etsi solummodò levem, quàm *absolutè innocens*, qualis est læsus, nil evincit. *Ratio est*. 1. Quia hoc argumentum probaret nimium: nam & æquius videtur, ut damnum patiatur is, qui est causa damni, quàm qui non est causa: ergo natura obligabit ad resarciendum damnum fortuitum. 2. Quia hæc obligatio foret nimiùm gravis, culpæ improportionata, propter faciles transgressiones humano Generi potiùs noxia, quàm utilis; immò & antecedenter ad omnem eventum ipsi læso minùs optabilis. Neque refert, quòd lædens sit dives, læsus quandoque pauper: quia jus naturæ spectat, quæ sunt per se, non quæ per accidens. Minùs stringit, quòd per sententiam lædens possit obligari à Judice humano: quia hujus obligatio est *particularis*, naturæ foret *universalis*. Denique, *si verum est*, quòd obligatio voti naturalis possit esse *levis* in materia *gravi*, id provenit, quòd obligatio voti dependeat ab hominis arbitrio, qui sicuti *nullo modo*, ita & in materia *gravi* potest se obligare, *quantum vult*: contrà natura obligare debet pro capacitate materiæ, quia obligatio levis in materia gravi *ordinariè* haud esset sufficiens ad obtinendum bonum, finémque à natura intentum.

Et quandocunque tantùm est levis absque animadversa gravitate damni materiali.

℞. V. Qui intulit damnum grave *in se*, non animadversa gravitate seu formali seu materiali, etsi id inferat *per culpam venialem, vel ex defectu deliberationis* V. G. subducendo aureum, *non habita sufficiente advertentiâ* ad legem graviter obligantem; vel *ex ignorantia gravitatis formalis* V. G. subducendo aureum, quem putat invincibiliter non esse materiam gravem; vel *ex ignorantia gravitatis materialis* V. G. subducendo gemmam, quam invincibiliter existimat esse vitrum, *per se* non obligatur *naturæ jure* ad ejusdem damni reparationem. *Ratio est*, quæ suprà: quia obligatio talis *probabiliùs* exigi nequit ab amore erga proximum, in ordine ad felicitatem humanæ Societatis, *simpliciter* necessario, eò quòd sit

* Secluso contractu, vel quasi.

ſit nimiùm gravis pro culpa moraliter inevitabili; ob frequentiam magìs noxia, quàm utilis, abſterrendo plurimos ab adeundis officiis publicis, ubi ſemideliberatæ culpæ admodùm faciles. Accedit, quòd ſi error ſit circa gravitatem materialem, damnum grave, *quà tale*, inferenti non ſit *voluntarium*, ſed *quaſi fortuitum*, adeóque *improportionatum* ad gravem adeò obligationem adſtruendam. *Neque dicas*, dari ſaltem obligationem, quò ad partem damni notabilem; vel ſaltem proportionatam admiſſæ culpæ. Nam ſi pars damni *notabilis* maneret *abſolutè gravis*, maneret quoque levi culpæ *improportionata*; præterquàm quòd in praxi nimis difficilis foret damni taxatio ſecundùm proportionem culpæ.

Quæ gravitas materialis ſi cognita ſit, inducit obligationem gravem jure natura.

℞. VI. Qui intulit damnum grave, *cognitum ut tale*, ſubducendo V.G. aureum, *etſi per culpam ſolummodò levem* V. G. invincibiliter exiſtimando Dominum non eſſe *graviter* ſaltem invitum, probabiliùs *jure naturæ graviter* obligatur ad compenſationem totius damni *cogniti*. *Ratio eſt:* Quia ejusmodi obligatio *ſimpliciter* neceſſaria eſt *ad finem à natura intentum*, hoc eſt, ad felicitatem tam cujusvis privatam, quàm communem, & publicam humanæ Societatis: ergo fluit ex amore, & proximo & Societati humanæ *naturaliter* debito. A. P. Damnum grave, cognitum ùt grave, datúmque *ex culpa voluntaria*, etſi ſolummodò *levi*, connexum eſt, *per ſe loquendo*, cum *magno commodo* damnificantis, percepto ex re ablata, atque conſumpta, adeóque conjunctum eſt cum *magno illicio* ad damnificationes ejusmodi plures ac plures, non tantùm proximo, ſed & felicitati publicæ admodùm præjudicioſas: ergo ad felicitatem Generis humani *ſimpliciter* neceſſarium eſt, dari à natura remedium, quo refrenetur tale illicium, tam proximo *pernicioſum*, quàm felicitati communi *periculoſum*, ac *derogatorium*: atqui remedium *ſufficiens*, damno damníque gravi periculo *proportionatum*, dari à natura non poteſt, niſi obligatio *gravis reparandi* damni: ergo &c. Neque

Oppoſitis momentis nil evincentibus.

Opponas 1. Damnum grave, cognitum *ut grave*, datúmque *cum levi culpa* per detractionem, vel rem demerſam, abjectam &c. non eſt conjunctum *cum magno commodo* damnificantis, adeóque nec *cum magno illicio* ad damnificationes plures: ergo ratio allata non ſtringit *univerſaliter*. ℞. Damnum ex detractione huc non ſpectat, quia etiam *inculpabiliter* datum eſt reparandum, utpote reparabile ſine damno proprio. Alterum D. Non eſt conjunctum *per accidens*, ad quod non attendit natura. C. Non eſt conjunctum *per ſe*, hoc eſt, non eſt *conjungibile* cum damnificantis commodo, atque illicio, id quod ſpectat natura. N. Neque

Opponas 2. Ejusmodi obligatio *gravis* neque oritur *ex re accepta*, quia conſumpta, ùt ponitur; neque *ex injuſta acceptione*, quia levi & improportionata obligationi *gravi*: ergo non oritur ex ulla radice *naturali*. ℞. Obligationem gravem deduci nec ex ſola injuſta acceptione, nec ex ſolo damno gravi cognito, ſed *ex utroque*, *ut oppoſito naturæ fini*, ſeu *ùt connexo* cum gravi præjudicio, vel ſaltem præjudicii periculo *reſpectu felicitatis, ac tranquillitatis publicæ*, cui præcavendo reſtitutionis obligatio eſt medium neceſſarium, à natura intentum. Unde hæc obligatio ſe non habet *per modum pœnæ* reſpectu acceptionis, leviter injuſtæ; ſed *per modum remedii* ad felicitatem Societatis humanæ ſimpliciter neceſſarii, cui privatum damnificantis incommodum *naturali jure* poſtponendum. In forma. D. Acceptio leviter injuſta, *in ſe* præcisè ſpectata, non habet proportionem cum obligatione gravi. T. Complexum ex injuria formali & damno gravi cognito, *ùt connotante* grave periculum, ac præjudicium felicitatis publicæ, non habet proportionem cum obligatione gravi, tanquam remedio neceſſario. N. Neque

Opponas 3. Meliùs diceretur cum magni nominis Theologis, obligationem prædictam oriri *ex conſenſu Gentium tacito*, quo, *antecedenter ad omnem eventum*, ejusmodi reparatione ſe voluère illæſas conventione reciprocâ: *quod tibi vis fieri, alteri feceris* in ordine ad publicam Societatis humanæ ſelicitatem conſervandam: ergo &c. ℞. Hæc lingua in noſtris principiis non procedit. Nam 1. negamus, illud eſſe de jure naturæ, quod, *antecedenter ad omnem eventum*, magìs videtur expediens ab homine hypothetico: ſic enim pleraque, quæ juris Gentium, forent ſimpliciter juris naturæ. 2. Tacitus Gentium conſenſus tantùm infert jus Gentium, non naturale, quòd hic videtur eſſe neceſſarium. 3. Nec hoc, nec illud principium pro dignoſcendo naturæ jure, ac Gentium, à nobis admittitur ùt ſatìs exactum. Neque

Opponas 4. Caſu, quo quis inferat grave damnum, cognitum ùt tale, *ſine omni culpa* V. G. invincibiliter putando Dominum *nullatenus* invitum; vel inferat damnum grave, non quidem

dem

dem cognitum *ùt tale*, culpæ tamen veniali conjunctum, æquale est periculum, & præjudicium publicæ felicitatis: ergo æqualis erit obligatio naturalis reparandi damni. ℟. N. A. In primo casu, præterquàm quòd nulla interveniat injuria, invincibilis error potiùs est speculativus, quàm *practicus*; in secundo casu damnum, etsi grave, quia tamen non cognitum, *ùt tale*, damnificanti nec tantum commodum, nec tantum illicium afferre potest. Neque

Opponas 5. Casu, quo quis inferret damnum *grave*, cognitum *ùt tale*, seu ex culpa gravi, seu ex levi, æqualis foret obligatio naturalis in ordine ad ejus reparationem: ergo foret improportionata. ℟. D. C. foret improportionata, si spectetur sola culpa venialis *in se*. T. Si spectetur complexum, ùt conjunctum cum gravi præjudicio Societatis humanæ. *Subd.* Foret improportionata, si descenderet *ex justitia merè vindicativa*. C. Si *ex commutativa*. N. C.

Etsi damnum illud grave cognitum consistere in damnificationibus levibus successivis.

℟. VII. Qui intulit damnum *grave*, cognitum ùt tale, etsi cum levi culpa, quia per leves damnificationes *successivas*, moraliter tamen coalescentes, pariter obligatur graviter, *naturæ jure*, ad reparationem totius damni. *Ratio est*, quæ suprà: nam ex advertentia ad gravitatem materialem si gravis summa auferatur simul, infertur restitutio: ergo etiam si auferatur *successivè*, cùm utrobique æqualis sit culpa, damnificatio, periculum, præjudicium, naturæ & Authoris naturæ finis, quæ omnia confirmat propositio 38. damnata ab *Innocentio XI. non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva* * *furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

Neque obest 1. Quòd furta minuta facta sint *diversis* absque gravi damno *unius*, adeóque videatur cessare finis: nam manet quantitas gravis, *scienter* & *voluntariè* ablata cum damno saltem *Communitatis*, ejúsque periculo ac præjudicio. Unde rationem D. Videtur cessare *finis inadæquatus* circa damnum grave privatum. C. *Finis adæquatus* circa damnum commune; immò & circa damni *periculum commune*, nil obstante particulari casu semper durans, cui per obligationem gravem præcavere intendit natura. N.

Neque obstat 2. Quòd leves culpæ in singulis furtis, absque animo perveniendi ad summam gravem, non coalescant in culpam gravem: ergo nec obligationes singulæ leves coalescent in obligationem restituendi gravem. Nam, negatur paritas: quia singula furta ponuntur *voluntaria*, *cognitaque* non quidem *collectivè* sub gravitate formali, sed tamen *distributivè* sub gravitate materiali, hoc est, non *merè disparatè*, sed cum quadam connexione *ùt integrantes* summam gravem, *moraliter* unam.

Neque obstat 3. Quòd leves detractiones, pluribus factæ, non inferant obligationem gravem reparandi singulis honorem, adeóque nec leves damnificationes. Nam negatur paritas, quia ex detractionibus non capitur lucrum, nec habetur illicium ad plures & plures: oppositum fit in furtis.

℟. VIII. Qui intulit grave damnum seu per gravem, seu per levem injuriam, non obligatur naturæ jure ad compensationem excessûs non cogniti, ac invincibiliter ignorati. *Ratio est*: Quia ille excessus neque est voluntarius *in se*, neque *in causa*; cùm ignoretur connexio, adeóque fortuitus sit, reparationis expers, ferè uti damnum secutum per accidens. Accedit, quòd natura habere finem haud posset ejusmodi obligationis imponendæ, cùm homines à fortuitis, hoc ipso, quòd ea ignorent, frustrà absterreantur. *Cessat obligatio quò ad excessum damni, invincibiliter ignoratum.*

℟. IX. Denique à reparatione damni, saltem dilationis exclusivâ, excusat *impossibilitas moralis*, quamdiu manet. Hæc autem *Laymanno* nostro datur, si restitutio fieri nequeat *absque periculo vitæ, notabili detrimento famæ*, vel *notabiliter graviore damno sibi, suis*, vel *Reipublicæ inferendo*, quàm æstimari debeat commodum ex restitutione creditori obventurum; vel si quis vivere non posset secundùm decentiam statûs, *justè* acquisiti V. G. Si nobilis non possit statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis &c. Civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; mechanicus, nisi vendat instrumenta necessaria. Quæ tamen omnia limitantur 1. Nisi quis *suâ culpâ* in ejusmodi angustias delapsus sit; nisi creditori ex dilatione æquale damnum foret subeundum; nisi damnum foret de bonis præcisè alienis, ac debitis, hoc enim non foret statum suum amittere, sed dimittere alienum, & sic de aliis, quæ fusiore exegesi apud Moralistas scholasticos quærenda. *Cessat obligatio obstante impossibilitate morali.*

§. II.

* Alii legunt *pauca*, sed eodem sensu.

§. 2.

§. II.

De proprietatibus, reparationi damni connexis.

Proprietates, reparationi damni connexæ. Circumstantiæ temporis, loci, modi, & ordinis.

Quæritur V. *Quæ cæteræ proprietates, magis memorabiles, in reparatione damni, naturali jure, contenta?*

℞. I. Memorabiles circumstantiæ *temporis, loci, & modi* in reparando damno observandæ: nam debet restitutio fieri *quam primum*, & *eo modo*, ac *loco*, quo jure & emolumentum damnificati requirit, siquidem *moraliter* fieri possit sine gravi incommodo, quod quis pateretur in rebus propriis *ultra debitum. Quò ad modum* restitutio esse potest occulta vel aperta, per se vel per alium, sine damnificantis tamen incommodo & sumptibus facienda, *si opus sit.* Observandus igitur *ordo*, quem vel damnum passus *jure* exigit, vel damnificantium culpa requirit: sic inter plures damnificantes, *mutuo consensu*, tenetur prior, qui fuit causa *primaria*, vel penes quem rēs ablata existit, singulis tamen *in solidum* ad damni reparationem obligatis, & sic de aliis.

Terminus ad quem Domino ignoto, vel incerto.

℞. II. Memorabilis restitutionis *terminus ad quem.* Nam facienda est restitutio possessori justo, etsi dominus non foret, sed V.G. *depositarius*, aut *administrator*, siquidem illius intersit, nec Domino cedat in præjudicium. 2. Si Dominus est *ignotus* vel *incertus*, ejusdem inquirendi opus est diligentiâ; si cognoscibilis non sit, vel ita dissitus, ut restitutio fieri non posset, nec expediret, res *mala fide* ablatæ in Domini commodum sunt applicandæ in causas pias. 3 Restitutio in furtis minutis, quæ facta pluribus incertis, facienda est *meliore modo*, quo potest, saltem Communitati *minore pondere*, vel *majore mensurâ*, etsi non desint, qui faciendam putent pauperibus Communitatis.

Emptoris malæ, vel bonæ fides.

℞. III. Res aliena, comparata per contractum à possessore *bonæ fiaei*, huic, non Domino restituenda; si per emptionem comparata sit à possessore *malæ fidei* V.G. fure, adeò liquidum non est, an restitutio fieri *necessariò* debeat ipsi Domino *immediatè*, vel an *non licitè* fieri possit ipsi furi, *ad se servandum indemnem.*

Non obstat propriæ indemnitati servandæ saltem negative.

Hac in re sat convenit, quòd emptor, seu *bonæ* seu *malæ* fidei, ad evincendum pretium *permittere* possit, ut rem illam fur recipiat denuò: quia *positivè* non cooperatur ad translationem iteratam rei in locum deteriorem, sed tantùm non custodit loco meliore cum suo periculo, seu damno. Accedit, quòd, *rescisso contractu*, non continuetur injuria per talem permissionem, emptore in damnum Domini ampliùs haud influente.

Sed quòd, ob *periculum evictionis*, emptor, seu bonæ seu malæ fidei, possit *positivè* tradere rem furtivam furi ad se præstandum indemnem, videtur

Videtur tamen obstare indemnitati servandæ positivè per traditionem solum mediatam.

Obstare 1. Quia melior ille status, sicut est *rei*, ita & *Do ini*: ergo in deteriorem, sine injuria Domini, reponi nequit: secùs rem alienam, igni ereptam, posses iterum injicere. 2. Quia, si Dominus rem ab emptore repeteret, foret illicò reddenda, *nil obstante periculo evictionis*, vel *damni*: ergo hoc *nullatenus* obstare potest: non enim interpellatio *inducit*, sed *supponit* jus Domini activum, emptoris passivum. 3. Quia rem *positivè* tradendo furi videtur *cooperari* peccato furis, & damno Domini.

Sed Adversarii negant 1. Quòd melior status, rei *extrinsecus*, sit fructus rei, saltem tam *absolute* Domino debitus, ut etiam, cum tanto periculo vel damno ponentis rem in meliori statu, debeat servari. Paritas addita nil evincit, quia ibi res omninò destruitur, *certo* Domini damno, & *irreparabili*; hìc ponitur *in antiquo loco.* 2. Dicunt, per illam Domini interpellationem jus passivum emptoris reddi *absolutum*, quod priùs solummodò erat *conditionatum*, & *remotum*, salvo scilicet jure evictionis. 3. Negant, quòd ejusmodi traditio sit *cooperatio formalis*, quia *per se*, & *necessariò* haud connexa cum peccato furis, vel damno Domini; & licèt sit connexa *probabiliter*, emptor id impedire haud teneatur cum tanto periculo proprio, vel damno, eò quòd fulciatur justâ causâ, utatúrque jure suo.

Alii negant tam respectu bonæ, quàm malæ fidei.

Quòd emptor *malæ*, immò & *bonæ fidei*, teneatur rem furtivam tradere Domino, nec sese possit præstare *positive* indemnem, videtur non posse dici.

1. Quia obligatio talis est *valde gravis*, qua quis teneretur, *per se* loquendo, rem alienam servare *cum æquali damno suo*, quàm pateretur ipse Dominus, *rem eam amittendo*; immò videtur opposita naturali amori, qui *in æquali periculo* favet sibi, præcipuè si nulla adsit culpa; si uterque sit *æqualiter læsus*, Dominus furto, emptor venditione; si utrique sit *jus æquale*, Domino *ad rem*, emptori *ad pretium rei*. 2. Quia emptor bonæ fidei nec tenetur *ex re accepta*, quæ extradita ponitur; nec *ex injusta acceptione*, quæ *bona fide*, adeóque sine injuria, facta intelligitur. 3. Quia nec emptor malæ fidei tenetur *ex injusta acceptione*,

quæ,

quæ, *rescisso contractu*, velut retractata cessat, nec amplius facit, ut, ex emptione injusta, Dominus ullum patiatur damnum, ùr rectè advertit *Lugo*.

Sed Adversarii negant 1. Quòd obligatio sit nimium *gravis*, nisi *per accidens*, & respectu damni solummodò remporalis, utpote *ex aliena culpa*, quod sæpe fit, ut ne quis cooperetur ad alienum peccatum, seu damnum, exponendo rem alienam periculo probabili damnificationis. *Si dicas*, emptorem bonæ ac malæ fidei sic fore ejusdem conditionis: reponunt, id esse *per accidens*. *Si replices*, obligationem fore, ut res aliena etiam transferatur in meliorem statum, quàm fuerit priùs: reponunt, hoc esse *per accidens*. 2. *Dicunt*, quòd emptor, tam bonæ quàm malæ fidei, obligetur ex injusta traditione, *positivè cooperando* ad damnum Domini, quia exponendo rem ejus probabili periculo damnificationis. Unde

Sed probabiliùs emptor bonæ fidei licitè se servat naturæ jure positivè indemnem.

℟. IV. Ex his, ad naturalis Jurisprudentiæ trutinam exactiùs libratis, eruitur 1. Quòd emptor bonæ fidei, *spectato naturæ jure*, rem furtivam non modò *negativè*, sed *& positivè* possit reddere furi *ad se indemnem servandum*. Id sanè evincit ratio duplex, superiùs allata, & in naturæ jure bene fundata, quam esse solutam à Patronis adversæ sententiæ, imperare nobis non possumus, ut credamus. Accedit, quòd ratio triplex, ab his allata in oppositum, non stringat, quia satis enervata videri potest.

Non tamen emptor malæ fidei: obstante injusta acceptione, saltem respectu præjudicii publici.

Eruitur 2. Quòd emptor malæ fidei, *spectato naturæ jure*, rem furtivam probabiliùs reddere furi haud possit *ad se indemnem servandum*. Ad quam thesin *supponendum*. 1. Quòd emptiones, mala fide factæ cum furibus, sint *ordinarie* vel pretii tantùm dimidii, vel certè infimi, aut infimo inferioris, sic *ut ratione lucri* faciant *magnum illicium* ad emptiones ejusmodi plures & plures, *id quod innegabilis experientia demonstrat*. *Supponendum* 2. Quòd emptiones istæ *sint præcipuum invitamentum* furibus ad multiplicanda furta, rebus per nundinatores ejusmodi cooperantes & facilè distrahendis, & commodè occultandis non sine ingenti præjudicio humanæ Societatis, *uti denuo constat evidenti experientiâ*.

Jam sic: ejusmodi emptiunculæ, partim ob lucra ementium, partim ob invitamenta furum vendentium, non tantùm *Domino privato sunt damnosæ*, sed *& communi bono præjudiciosæ*, felicitati Societatis humanæ *derogatoriæ*, vel saltem *ob grave periculum de multiplicandis damnis* admodùm perniciosæ indemnitati publicæ, adeóque *contrariæ fini* à natura intento: ergo natura debuit providere de medio *sufficiente* ac *efficaci* absterrendi homines à perniciosis ejusmodi nundinis: atqui aliud medium esse non potest, quàm *obligatio*, rem mala fide emptam reddendi Domino *cum periculo evictionis, vel damno*: ergo obligatio hæc est medium *simpliciter necessarium* ad finem, seu indemnitatem, si minùs Domini privatam, saltem ad publicam Societatis humanæ, à natura intentam: ergo est exigita ab amore, Societati humanæ naturaliter debito, adeóque est naturæ jure imposita, id quod erat ostendendum.

In irritum cadentibus Adversariorum replicis.

Neque opponatur 1. Nequit dici ex *qua radice naturali* fluat hæc obligatio: *non ex re accepta*, quia traditâ; non *ex injusta acceptione*, quia per contractûs rescissionem abolitâ, nec *amplius* seu *moraliter* seu *physicè*, seu *mediatè* seu *immediatè* in damnum Domini influente.

Quia injusta acceptione, etiam rescisso contractu, ex parte moraliter manente.

℟. N. Et dico, quòd obligatio fluat *ex injusta acceptione*. *Rationem* D. Est abolita *partialiter*, nec amplius influens in damnum Domini *privatum*, qui finis non est totalis respectu obligationis à natura intentus. *Tr*. Est abolita *totaliter*, neque amplius *saltem moraliter* influens in damnum publicum, seu præjudicium, & periculum Societatis humanæ, qui finis *est primarius* respectu hujus obligationis à natura intentus. N. A. & suppositum, quòd *acceptio* seu emptio tantùm sit *injusta respectu damnificationis privatæ*, & non potius *respectu damnificationis etiam publicæ*: & licèt privata *cesset* rescisso contractu, publica tamen *moraliter perseverat*, non cessante periculo & præjudicio, Societati humanæ imminente per ejusmodi emptiones malæ fidei, tam ementibus lucrosas, quàm furibus opportunas, adeóque ad multiplicanda furta nimiùm inductivas, magno utique communis boni præjudicio. Idem Adversarii respondent, quando adstruunt obligationem gravem respectu damnificantis per *levem* quidem culpam, sed tamen *cognita damni gravitate*. Siquidem distinguunt: obligatio gravis est improportionata *levi* culpæ, seu acceptioni *in se*. C. Levi culpæ ùt inferenti grave damnum, & quidem cognitum, non solùm proximo, sed & Societati humanæ respectu præjudicii, *vi cujus antecedenter ad omnem eventum est optabile humano Generi, dari talem obligationem*. N. Cur ibi, & non etiam hìc à fortiori, quia in gravi culpa, respiciunt præjudicium publicum?

Neque

Non quidem respectu emptionis, quæ facta est bona, sed quæ facta est solummodò mala fide.

Neque opponatur 2. Cum *Lugone*. Emptor bonæ fidei rem furtivam potest tradere furi ad se servandum indemnem: ergo etiam emptor malæ fidei. C. Videtur multis patere, quia nequit adstrui diversa ratio, cùm *rescisso contractu* se habeat ùt emptor bonæ fidei. ℟. N. C. Disparitas manifesta est ex dictis. Nam in emptore bonæ fidei injusta acceptio nulla est, seu respectu Domini seu respectu publici: hæ enim emptiones, *uti ordinariè* sunt expertes lucri, ita & invitamenti respectu furis, adeóque & expertes sunt præjudicii publici. *In forma* D. Rescisso contractu se habet ùt emptor bonæ fidei, si spectetur injusta acceptio in ordine ad damnum Domini privatum. Tr. In ordine ad præjudicium publicum. N.

Obligatione ad restitutionem mediatam naturæ fini haud sufficiente.

Neque opponatur 3. Per hoc, quòd detur gravis obligatio ad reddendam saltem furi rem malè emptam, urgente evictionis periculo, natura jam providit de medio, quo præcavetur præjudicio etiam publico in ordine ad absterrendos emptores ab ejusmodi emptionibus perniciosis: ergo major obligatio abundat. ℟. D. A. Natura providisset de medio *sufficiente*, & *efficaci*. N. *Insufficiente*, & *inefficaci*. C. Utique *sufficienter* non absterrerentur malæ fidei emptores, si *urgente periculo evictionis* licitum illis foret se præstare indemnes, rem reddendo furi; immò hæc securitas magis eos alliceret, quàm absterreret.

Etsi quòd ad indemnitatem emptoris, solùm negativam, cesset obligatio.

Neque opponatur 4. Hæc probarent, quòd emptor malæ fidei neque *negative* posset furi rem furtivam *permuttere* denuò, ad se indemnem servandum: hoc nimium, & contra communem. ℟. Vel est *specialis ratio* in oppositum, vel non? Si posterius, manet argumentum: si prius, illa erit disparitas. Esse autem posset *ratio specialis*, quòd obligatio prior sit medium sufficiens, & satis efficax ad finem, hoc est, ad impediendas ejusmodi emptiones; amplior foret abundans, & in casu merè *per accidens*, dependente ab alieno arbitrio, quales casus non attendit natura, ùt constat. Unde non satis constare videtur, cur Theologi cum *Lugone*, *Vrua*, & aliis, adeò communiter rejecerint sententiam, hac in materia mediam, dudum defensam *à Lessio*, *Maldonato*, *Turrecremata*, & *Dicastillo*: siquidem ex hisce naturalis juris principiis non videtur adeò rejicienda.

De damno reparando pro injuriis corpori alieno illatis.

℟. IV. Pro injuria, corpori illatà, V. G. *per mutilationem*, *occisionem* &c. datur *jure naturæ* obligatio reparandi damna bonorum fortunæ, quæ inde *directè* illata sunt, *juxta arbitrium prudentis*; præcisè autem pro vita, membro, vel cicatrice, hæc obligatio cessat *spectata sola dispositione naturæ*: quia sunt bona ordinis altioris, quam quæ pecuniâ æstimari possint. Si tamen occisus, vel mutilatus fuisset servus, aut animal, etiam pro vita & membro foret facienda compensatio, quia sunt pretiô æstimabilia, vendíque potuissent. 2. Compensari itidem debent lucra, quæ ex mutilatione, vel vulneratione cessârunt, non quidem ita in solidum, ac si de facto fuissent acquisita, sed pro majore, vel minore spe, quàm læsus habuit illa acquirendi. 3. Si homicida à Magistratu plectatur, probabiliùs est, eum adhuc teneri, *de jure naturæ*, ad damna resarcienda: cùm morte sua tantùm satisfecerit justitiæ publicæ, non hæredibus occisi. * Sed cùm isti plerumque aliud non exigant, videntur esse contenti, ac proinde hæredes homicidæ ad nihil amplius teneri. Hæc porrò obligatio tantùm se extendit ad Parentes, uxorem, ac filios interfecti, quia hi soli *directè* læduntur, eò quòd censeantur una moraliter persona cum occiso. Unde de creditoribus occisi, quia per occisionem *directè* haud læsis, obligationem alii satis probabiliter negant.

Pro injuriis ex stupro, vel adulterio.

℟. V. Circa injuriam *stupri*, vel *adulterii* jus naturæ disponit. 1. Ut stuprator reparet damnum ex tali injuria secutum, idque vel matrimonio, vel damni æstimatione *juxta arbitrium prudentis*, ut talem nempe inveniat, qualem manens virgo invenisset. Unde cessat obligatio pro sola virginitate quia bono ordinis diversi. Item si stuprum mansit occultum, aut nil impedivit, quin æquè lautè nuberet; si adfuit consensus, vel si per *importunas* quidem, non tamen vi *æquivalentes preces*, fuit obtentus; si abfuit vis, fraus, vel promissio, quia nulla est illata injuria. Si tamen virgo fuisset inducta *matrimonii promissione*, etsi *fictâ*, sed tamen per illam *acceptatâ*, manet obligatio illius ducendæ: quia stuprator ex justitia tene-

---

* Inde *Puffendorfius* L. 3. de J.N. & G. c. 1. §. 10. non satis bene hic allegat illud tritum: *mors omnia solvit*: quia hoc tantùm se extendit ad præstationes *personales*, non reales; seu debita, quæ bonis velut inhærent, eáque ad quosvis possessores comitantur.

tenebatur, *verè* contrahere, cùm alioquin omnia humana commercia fraudibus paterent. * Limitatur tamen hæc obligatio, si fuisset conditio valde dispar, aut fictio ex verbis facilè advertenda; si obstaret grave damnum, aut scandalum &c. 2. Naturæ jure obligatur *adulter* ad reparandum damnum omne, *inde secutum* innocuæ parti, & prolibus legitimis circa sustentationem, hæreditatem &c. ** *in quantum fieri potest sine detrimento altioris boni, & causatione minoris mali.* Inde est, quòd ipsa adultera *ordinariè* non teneatur se prodere, quòd spuria sit proles: quia viro tristitiam, sibi odium, domui discordias crearet, ac famam suam prodigeret, quibus damna fortunæ meritò cedunt. Accedit, quòd proles matri fidem habere, haud teneatur. Meliore tamen modo, quo fieri potest, compensandum est damnum, V. G. de cultu corporis detrahendo, bonis propriis, si habet, compensando, &c. Et adulter sæpe excusatur vel ex toto, vel ex parte, sive quia damnum ab adultera compensatum, sive quia restitutio fieri nequit sine periculo vitæ, dispendio famæ, turbatione, & discordiis utriusque familiæ.

Pro læsis bonis famæ, aliisque animi internis.

℞. VI. Circa bona famæ, aliáque animæ interna, quæ læsa sunt V. G. *per depravationem intellectûs, seu voluntatis*, per errores, hæreses, & inductiones ad peccata gravia, eò quòd sint bona ordinis diversi vel altioris, cessat obligatio compensationis pecuniariæ *spectato jure naturæ*. Unde pro fama restituenda est sola fama, pro perversione alterius, seu per errores, seu per scandala, est quidem obligatio *ex charitate* eum reducendi ad meliorem statum, *non tamen justitiæ*, nisi fuisset inductus fraude, dolo injusto metu &c. Nam cuivis est *jus*, ne *injustè* lædatur in bonis animi, unde restituenda forent meliore modo, quo possunt. 2. Si quis veneno, phyltro, aliòve modo alicui destruxit memoriam, rationem &c. obligatur, *naturæ jure*, in eundem modum, quo mutilator, tam ad restitutionem lucri cessantis, quàm damni inde secuti in bonis fortunæ.

Quæritur VI. *Quæ penes Moralistas protestanticos, hac in materia, litura?*

Lituræ protestantica hac ex parte: Kemmerichii & Thomasii.

℞. I. *Puffendorfii* paginam, hac ex parte utcunque mundam, sine lituris esse ejusdem Commentatores non siverant. Asserit ille, *quòd qui per casum fortuitum citra suam culpam alterum læserit, ad reparationem non teneatur*, additque rationem ex *Grotio*: quia, cùm nihil admissum sit, ipsi imputabile, ratio nulla sit, quare potiùs is, *qui invitus fecit*, fatale malum ferre debeat, quàm alter, qui passus est (a). Ejus enucleator *Kemmerichius* oppositum statuit, dum ait, damnum reparandum esse, non *quia voluntariè, sed quia datum est*: unde infert, *injustum non esse*, imputare damnum ei, *qui casu dedit*, modò certum sit, eum esse causam verè physicam, & damnum passo nihil possit imputari, siquidem nulla sit ratio, quare potiùs læsus, quàm lædens damnum perferre debeat (b). *Thomasio*, ejúsque pedissequo *Fleischero*, *culpa etiam levissima*, adeòque merè *juridica* per quamcunque negligentiam, justus titulus est ad damnum resarciendum, unde *Fleischerus* velut inanem rejicit triplicem negligentiæ gradum (c). Rationem assignant: quòd æquius sit, ut mea culpa mihi, quàm alteri noceat: sed hic error ex suprà dictis facilè diffluit.

℞. II.

---

* *Puffendorfius* L. 3. de J.N. & G. c. 1. §. 10. ait, *neque est*, quòd quis objiciat *pacta circa rem turpem invalida esse*: cùm enim *lege naturali*, inter pactum matrimonii, ejúsque executionem, nullum requiratur intervallum, *naturali jure* turpis conditio non videtur: *eris mihi uxor, si statim, tanquam uxor, corpus tuum mihi præbueris.* Sed si quid turpitudinis in ejusmodi properatis nuptiis insit, *ob favorem matrimonii* ad invaliditatem pacti non valere judicatur. Ita ille.

** Circa hæreditatem accedit *Puffendorfius*, ac *Grotius*: dissentit *Thomasius*, *partim quia hoc damnum liberi non sentiunt ab adultero, sed à voluntate Parentum; partim quia ita liberis legitimis tantummodò intercipitur lucrum futurum, maximam partem incertum.* Jurisp. Div. L. 2. c. 5. n. 50. f. m. 199.

(a) De officio hominis L. 1. c. 6. §. 10. f. m. 119. L. 3. de J. N. & G. c. 1. §. 6. ait; *manifestum esse*, quòd ex casu fortuito nemo teneatur.

(b) In element. J. N. c. 6. §. 10. f. m. 87.

(c) Thom. in Jurisp. Div. L. 2. c. 5. n. 34. *Fleisch.* In instit. J. N. L. 2. c. 5. §. 17.

Ejusdem Kemmerichii.

℞. II. Idem *Kemmerichius Puffendorfium* deformat, dum ex eo deducit, quòd, qui consilium tantummodò dederit, peccet quidem, sed damnum non pensei, quia, ut istud *necessario* fieret, non effecit (a). Nil simile *Puffendorfius.* Immò alibi affirmat oppositum. (b). Quod attinet eos, *qui consilium dant*, id quidem *certum est*, si quis modum damni inferendi suggerat, eum ad reparationem teneri. Sed si quis tantùm *in genere* suadeat alicui, ut ad furta se applicet, aut *destinationi jam certæ assentiatur*, uti timidi consiliarii Principum, is ad reparationem haud quidquam teneri videtur. Ita ille.

Sed *Kemmerichii* propositio est trigesima nona ex damnatis ab *Innocentio* XI. in hisce terminis: *qui alium movet, aut inducit, ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem. Ratio* damnationis est, quòd omnes concausæ alicujus damni positivæ; immò & negativæ, teneantur ad reparationem damni, quia efficaciter concurrunt, seu actione seu omissione injusta, ad damnum: atqui consulens, velut concausa moralis, *positivè* influit in damnum.

Nec obstat 1. Quòd non *cogat*, seu determinet *physicè*: secùs enim nec *mandans* teneretur.

Nec obstat 2. Quòd, qui *malo exemplo* inducit ad furtum, *vel consilio movet*, ne dives det pauperi stipem, vel faciat legatum pium, sit à restitutionis obligatione immunis. Nam nulla est paritas, quia prior vel non intendit alterius furtum; vel si intendit, *verè* tamen, & *positivè* non influit. Alter, etsi ex odio *consulat*, si modò absque *fraude*, *dolóve*, non violat jus alterius, quod solummodò se extendit, *ne malis artibus* impediatur à consecutione boni: unde *consilio* inducens, ut alter damnificetur, peccat *contra justitiam*; *consilio* inducens, ne alteri bene fiat, peccat *contra charitatem*, adeóque ille tenetur, non item iste ad reparationem.

INSTRUCTIO III.

Instructio 3

De non lædendis aliis per verba, seu de Officiis sermocinantium, & jurantium.

De non lædendis aliis per mendacium.

§. I.

De Officiis sermocinantium.

§. 1. De officiis sermocinantium.

Quæritur I. *Quæ ratio tractandæ materiæ? Quæ natura, ac proprietates mendacii, huc spectantes?*

Ratio tractandæ materiæ.

℞. I. *Constat* 1. *Facultatem loquendi* à natura homini *peculiariter* inditam esse, non alia de causa, quàm ad communicanda mutuò animi sensa, sic ut hac communicatione, *tanquam medio simpliciter necessario*, homo assequatur finem sibi præfixum, *felicitatem* nempe *naturæ rationali*, & *humano Generi propriam. Constat* 2. Quòd hæc felicitas, sicuti *rectè usu loquela* quàm maximè promovetur, ita *malo usu* lædatur quam frequentissimè: unde enim toties lædimus, lædimúrque, quàm mendaciis adeò usitatis? *Constat* 3. Cùm, ùt dictum, hæc facultas non Dei, utpote corda penetrantis; sed potissimùm nostri, aliorúmque hominum causâ, nobis concessa sit, ea utendum esse ad finem, à natura & naturæ Authore intentum, sic ut ex fundamentali principio amoris, cuivis naturaliter debiti, obligemur ad animi sensa invicem communicanda, eo modo, qui nulli noceat, sed naturæ finem, seu felicitatem Societatis humanæ, in quantum est necesse, promoveat. Ex quibus fluit, officia sermocinantium ad officia hominis erga hominem *perfecta*, & *absoluta*, à nobis esse meritò reducta.

Quia conversatio humana necessarium medium ad finem, seu felicitatem, naturæ rationali propriam.

℞. II. *Per sermonem* intelligitur *sonus articulatus, ex hominum impositione animi sensa declarans.* Per *veritatem* sermonis notatur conformitas, per *falsitatem* sermonis difformitas cum mente loquentis. Unde *mendacium* formaliter, & propriè tale, rectè dicitur *S. Augustino dictum* * *contra mentem fallendi causâ.* (c) Adeóque, si quis *falsum* dicat, quod putat ** *verum*, mendacium formale non dicit, sed *materiale*, & *impropriè* tale, quod *falsiloquium* propriè dixeris: ratio est, teste *S. Augustino*, *quoniam, quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur* (d). Contrà

Mendacii essentia.

(a) L. c. n. 28. f. 84. allegans. §. 8. *Puffendorfii.*

(b) L. 3. de J.N. & G. c. 1. §. 4. f. m. 296.

* Dictum à *potiori*, non excludendo alia signa, & actiones, animi sensa declarantes, de quibus *S. Augustinus* L. 1. de mendacio c. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, aut quibuslibet significationibus enuntiat. Unde,* inquit Angelicus. 2. 2. Q. 111. A. I. in corpore. *simulatio propriè est mendacium quoddam, in externorum signis factorum consistens.*

(c) In enchir. c. 22.

** Nempe *invincibiliter*; unde L. cit. idem S. Doctor dicit: *qui falsum pro vero enuntiat, quod tamen verum esse opinatur* (puta errore vincibili, & culpabili) *errans, & temerarius dici potest: mentiens autem non rectè dicitur, quia cor duplex, cùm enuntiat, non habet, nec fallere cupit, sed fallitur.*

(d) L. c. c. 28.

trà si quis dicat verum, quod existimat falsum, *formale mendacium* dicit, quia actiones morales speciem suam accipiunt ab objecto, non prout est in se, sed prout est in cognitione voluntati propositum: unde idem denuò *S. Augustinus* (a): *potest verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero tamen enuntiat, quia non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate, mentiens, aut non mentiens judicandus est.*

Multiplicitas extensa ad restrictionem pure mentalem.

℟. III. *S. Augustino, Angelico, Cajetano*, ex orthodoxorum communi mendacium *triplex* est: *perniciosum*, quod profertur animo fallendi, *ut obsit*; *officiosum*, quod dicitur animo fallendi, *ut prosit*; *jocosum*, quod garritur animo fallendi, *ut delectet*. Hæc esse mendacia, propriissimè talia, patet: sunt enim *dicta contra mentem animo fallendi, alterique errorem ingenerandi*, in quo consistit formalis mendacii malitia, sive dein *obsit*, sive *prosit*, sive re ipsa alter *fallatur*, sive *non*, quod respectu mendacii, *spectati in se*, se habet velut *per accidens*, ùt docet *S. Augustinus* (b). Ad mendacium *formaliter, & propriè* tale, rectè reducitur *restrictio pure mentalis*, seu *interna*, per quam intelligitur *dictum, & in se, & secundùm circumstantias determinatum ad sensum unum, eúmque falsum, etsi per aliquid, sola mente retentum, posset efficere sensum verum*. V. G. Si interrogatus, *an fregerit hoc vitrum*? id *absolute* neget, mente retinendo, *mense præcedenti*.

Quia est propriè dictum mendacium.

Ratio est: Quia loquela, *quà humana, nullatenus* formatur per conceptus, sed *tantùm* per voces: ergo, ut propositio vocalis sit vera, tantùm debent attendi verba, non conceptus: ergo si quis asserat: *non occidi Petrum*, retinendo in mente *die Veneris*, cùm occiderit *die solis*, propositio vocalis evidenter est mendax. *Neque replicet.* Talis non vult significare falsum, sed verum, hoc ipso, quòd retineat partem propositionis, determinativam ad sensum verum. Nam ℟. D. Talis non vult, & tamen vult significare falsum. C. Tantùm non vult, N. Retinet partem propositionis merè internæ. C. Externæ, seu erga alterum significativæ. N. Non enim propositio externa componitur ex conceptu, nullo modo indicato, quia nullatenus significante. Unde rectè *S. Augustinus: duplex cor dicitur mentientis, id est, duplex cogitatio, una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert; altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens esse falsam, vel putans.*

Seu locutio contra mentem fallendi causâ.

Confirmatur 1. Qui retinet aliquid mente, *nullo modo* sensibili expressum, at aliud dicit, non dicit, quod sentit, cùm aliud dicat fallendi causâ, aliud sentiat: ergo formalissimè mentitur.

Declarata, ut mendacium, authoritate Ecclesia.

Confirmatur 2. Propositio 26. ab *Innocentio* XI. damnata sic habet: *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, vel aliam diem * ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.* Jam sic: *utens restrictione purè mentali* (quæ sola hìc intelligitur) *non mentitur*, est propositio *certò falsa*: quia ab Ecclesia *damnata*, quæ in materia morum errare non potest: ergo hæc propositio: *utens restrictione, purè mentali, reverà mentitur, est certò vera*: ergo restrictio merè interna est *certum mendacium*, id quod erat demonstrandum.

Reformata opinione priorum Moralistarum, etiam ex orthodoxis.

Hoc non obstante fuêre Moralistæ etiam orthodoxi, & quidem primi subsellii teste *P. Viva*, & si *Lumbiero* fides foret, plùs quàm quinquaginta, (c) qui ante reprobationem hujus propositionis, factam Anno 1679. 2. *Martii*, licitam defendebant *certis in circumstantiis* restrictionem, etiam *purè mentalem*, fundati pluribus exemplis, in S. Pagina indicatis, quæ tamen, quia alibi in sensu vero, per expressam quæstionem, jam declaravimus, (d) & declarata passim occurrunt in Moralistis orthodoxis, (e) hic fusiore paraphrasi supersedemus. Immò non desuêre, qui per necessitatem summam mendacia, *formalissimè talia*, absolverunt à culpa, quos inter *S. Hieronymus*, (f) aliique veteres apud *Cassianum*, atque *Dorotheum* (g).

Que-

(a) L. 1. de mendacio. c. 3.
(b) L. cit.
* Ut legit *Cardenas.*
(c) T. 3. Summæ, n 18. 25. Etsi quosdam excusatos velit *P. Viva.*
(d) In Coll. Hist. P. VII. Q. 4.
(e) *Cardenas* in crisi Theol. Dissert. 19. c. 5. *Viva* in Trutina. *Laymannus*,
(f) Apud *S. Augustinum* epist. 11.
(g) *Cassianus* Collat. 17. c. 17. *Dorotheus* Serm. 9. de mendacio.

Mendacium omne, quibusvis in circumstantiis est naturæ jure prohibitum.

Quæritur II. *Quid juris naturalis negotivi circa officia sermocinantium?*

℞. I. *Mendacium omne, qualecunque (adeóque & restrictio merè interna) quocunque in casu, etiam utilitatis, ac necessitatis summæ, pro ratione materiæ, seu leviter seu graviter, per se loquendo,* * *est naturæ jure prohibitum.*

Quò ad jus Divinum & humanum id aliunde supponitur.

Declaratur Assertum, in ordine ad quod, *Supponendum* 1. Quòd quæstio sit *de solo jure naturæ.* Nam *de iure Divino* aliunde supponitur hæc thesis, ùt extra omnem controversiam posita, dicente *Christo*, *Authorem*, & *Patrem mendacii esse diabolum*; (a) rationem addente S. *Joanne*, *Christi* interprete: *quoniam omne mendacium ex veritate non est* (b). Qua de causa rectè intulit *Innocentius* III. Summus Antistes (c): *ne pro vita quidem defendenda nobis licitum esse mentiri.* Unde certò falsa est sententia Veterum, (d) opinantium, *mendacio, instar hellebori, homines uti posse, si nempe inevitabilis necessitas cogat, aut magna utilitas suadeat.* Nam præcepta divina *negativa* obligant *semper* & *pro semper*, uti initio probavimus; nec exempla, ex S. Scriptura proferri solita, quidquam evincunt, eò quòd vel mendacia non sint, vel si sint, à peccato non excusentur. *De jure humano* quæstio esse non potest, cùm subordinetur Divino, & omnis consuetudo, vel tolerantia, si quam fortè reperire sit penes non nullas Gentes, corruptela esset, haud immunis à noxa, etsi à pœna civili forsan eximia.

Finis loquelæ humanæ immediatus est communicatio mutua quò ad animi sensa; mediatus, felicitas humanæ Societatis.

Supponendum 2. Spectatâ dispositione naturæ *certum* esse, quòd *finis* loquelæ humanæ *immediatus* sit *communicatio mutua quò ad animi sensa*; *ultimatus* verò sit *felicitas*, *humano Generi propria, ac necessaria.* *Certum* itidem esse, quòd loquela sit instrumentum conversationis, commerciique humani præcipuum, adeóque ad finem, seu felicitatem Societatis humanæ, quàm maximè necessarium.

Et quidem includens securitatem absolutam de prohibitione deceptionis, conditionatâ & limitata ad certas circumstantias, haud sufficiente.

Supponendum 3. Quòd *felicitas* tam respectu sui, quàm proximi, totiúsque humani Generis, *in quantum dependet à conversatione mutua, humanóque commercio*, sufficiens ut sit, debeat includere *securitatem absolutam*, vi cujus nemo unquam *ullis in circumstantiis* per mendacium possit *licite* decipi. P. *Securitas* solummodò *limitata* ad mendacium *perniciosum*, non ad *jocosum*, vel *officiosum*; securitas solummodò *conditionata* V. G. si adsit jus in interrogante; nisi adsit necessitas, vel utilitas propria, aut aliena &c. talis, inquam, securitas, *nunquam est exclusiva ipsius quoque periculi actualis*, ne audiens *hic & nunc* decipiatur, vel saltem *licitè* decipi possit: ergo felicitas, *ùt conjuncta cum securitate solummodò conditionata*, respectu conversationis humanæ, mutuíque commercii, non est *sufficiens*, adeóque nequit esse finis à natura intentus. A. P. Ex una parte in conversatione humana, mutuóque commercio, sunt varii, iique innumeri respectus, audientibus sæpe incogniti: ex altera parte tanta est hominum pravitas, & ad mendacia effrenis prorsus proclivitas, ut persuadere sibi facilè possint, hoc mendacium esse merè *jocosum*, vel *officiosum*, etsi respectu alterius sit absolutè *perniciosum*; hic & nunc adesse sufficientem necessitatem, vel saltem utilitatem &c. qua mendacium licitum: ergo auditor nunquam erit satis securus, sed jure semper verebitur, ne tum fortè loquens in illis circumstantiis *reverà sit, vel saltem putet, se esse*, in quibus licitissimè possit decipere: ergo conversatio mutua nunquam erit *certò sincera*, commercium humanum nunquam ab omni periculo deceptionis *satis securum*: ergo loquela non erit medium, *universaliter* sufficiens *ad finem proximum*, seu ad communicanda *semper* animi sensa; nec erit *satis proportionatum* ad finem ultimatum, puta felicitatem, humano Generi *absolutè* propriam, ac necessariam: atqui evidens est, quòd debeat esse *sufficiens*; secùs natura deficeret in necessariis: ergo evidens est, quòd securitas in ordine ad finem, per loquelam à natura intentum, debeat esse *absoluta*, id quod erat demonstrandum. His suppositis

Unde mendacium omne, quocunque in casu, est oppositum mutuo amori in ordine ad felicitatem humani Generis absolute necessario,

Probatur assertum 1. Mendacium omne *qualecunque, & in casu utilitatis seu necessitatis qualicunque*, repugnat amori, seu sibi, seu proximo, Societatique humanæ *naturaliter* debito, quia ad felicitatem, eidem propriam, *simpliciter* necessario: ergo mendacium qualecunque pro ratione materiæ seu

levi-

---

* Extra casum *invincibilis ignorantiæ*, vel *conscientiæ invincibiliter erroneæ.*

(a) *Joannis* 8. v. 44.
(b) Epistol 1. c. 2. v. 21.
(c) C. super eo de usuris.
(d) Apud *S. Augustinum.*

utpote inclusivo securitatis absolutæ, & exclusivo omnis quoque periculi de licita deceptione.

leviter, seu *graviter* est naturæ jure prohibitum. A. P. Repugnat felicitati *tanquam fini*, ad quam amor & sui & proximi, Societatisque humanæ, est medium, *simpliciter necessarium*: ergo & repugnat amori, naturaliter debito. A. P. Felicitas, humano Generi propria, exigit *securitatem absolutam* non tantùm de omni deceptione, *spectatis certis circumstantiis*; sed etiam *de omni periculo deceptionis, & præjudicii*, potentis inde promanare in Societatem humanam: secùs enim nulla foret *certò sincera* conversatio, nullum *satis tutum* commercium humanum, ùt patet *ex supponendo tertio*: ergo amor naturalis huic fini debet providere de lege, quæ non tantùm fundata sit *in amovenda deceptione, ejúsque damno*; sed etiam *in amovendo deceptionis, damnique periculo*, securitati *absolutæ* præjudicioso: atqui talis lex debet prohibere omne mendacium *qualecunque*, & *pro casu qualicunque*, quia semper cum periculo conjunctum, adeóque & felicitati humanæ, *tanquam fini*, & amori cuivis debito, *tanquam medio* absolutè necessario, oppositum: ergo.

Uti dudum advertit C. Pallavicinus.

Confirmatur assertum ratiocinio *C. Pallavicini*, argumentum hoc appositè declarantis (a). *Cum per loquelam*, inquit, *regantur deliberationes cunctæ, judicia, distributio pœnarum & præmiorum: verbo, universa rerum omnium procuratio contineatur, præstat* (hoc est, humano Generi ante omnem eventum *magis optabile, & simpliciter expediens est*) *nullo ut eventu mentiri liceat: alioquin semper auditor jure verebitur, ne tum fortè in eo eventu, in quo mendacium innocens est, loquens aut re, aut opinione falsum versetur. Quocircà nulla, vel perspectissima loquentis probitas, omnem de re, quam loqueretur, nec in assentatione suspicionem, nec in deliberando hæsitantiam meritò dissiabit in audientium animis.* Ita ille.

Nil evincentibus replicis,

℞. II. *Quæ huic nostro argumento videntur opponi posse, non tantùm id non infirmant, sed potiùs roborant.*

Cùm & mendacium officiosum, atque jocosum, repugnet fini loquelæ immediato ac mediato, saltem respectu periculi, Societati humanæ præjudiciosi.

Posset opponi 1. Mendacium *jocosum*, atque *officiosum*, nihil præjudicat fini à natura intento, seu felicitati tam *privatæ*, quàm *publicæ*: ergo nec adversatur amori, tanquam medio fundamentali, ordinato ad hunc finem. R. D. A. Nil præjudicat fini immediato, *seu communicationi, quo ad animi sensa*. N. A. Nil præjudicat fini ultimato, seu felicitati à natura intentæ. *Subd.* Nil præjudicat *absolutè in se*. Tr. Nil præjudicat *respectivè*, seu in *conjuncto periculo*, securitatis absolutæ eversivo, adeóque felicitati tam privatæ, quàm publicæ admodùm derogatorio. N. A. & C. Hæc ipsa licentia foret nimiùm periculosa, quia conjuncta cum periculo deceptionis, quæ fieri posset, eliderétque *certam* in conservatione mutua *sinceritatem*, justisque suspicionibus *obnoxium* redderet *humanum commercium*. *

Neque mendacium unquam esse potest medium, saltem determinatè necessarium ad felicitatem, & quidem communem humanæ Societatis.

Posset opponi 2. Mendacium, *certis in circumstantiis*, potest esse *necessarium* medium promovendæ tam privatæ, quàm publicæ utilitatis, atque felicitatis: ergo potest esse conforme amori cuivis naturaliter debito, & naturæ jure saltem permissum. A. Patet in casu, quo per mendacium, *prorsus indemne*, posset averti ingens rixa inter conjuges, inimicitia inter familias, mors propria vel aliena, immò etiam Reipublicæ totius interitus.

℞. 1. *Retorquendo.* Duellum in casu honoris, officii, bonorum, aliter non reparabilium; privata occisio publici proditoris; exterminatio Magistratûs impii; trucidatio clancularia Principis, tyrannicè regnantis &c. posset esse medium necessarium promovendæ tam privatæ, quàm publicæ felicitatis: ergo naturæ jure erit saltem permissum. *In forma.* D. A. Posset esse medium *determinatè*, & *simpliciter* necessarium. N. Necessarium *indeterminatè*, suppetente semper in ejusmodi casibus alio medio naturaliter licito, puta, *celandæ veritatis* per responsiones amphibologicas, vel elusorias. C. Quòd si tamen, *in casu* potiùs *speculativo*, quàm *practico*, poneretur mendacium esse medium *determinatè* necessarium, sequeretur solummodò, quòd esset medium necessarium *in casu particulari*, respectu *infelicitatis privatæ*, quod malum est *per accidens*, & *longè minus*, quàm *præjudicium commune*, ex tali licentia, *nimiùm periculosa*, redundans in Societatem humanam, adeóque naturæ ordine meritò præhabendum, quod ipsum in instantiis retorsionis Adversarii fateri debent.

Posset

(a) In Phil. moral. seu de bono L. 1. c. 21. f. m. 38.

* Si quis opponeret experientiam, qua per mendacia magis promoveri commercia videri possent, ea vel esset merè *particularis*, vel *accidentalis*, quæ à lege naturæ, universale bonum intendente, attendi nequit.

Unde obligatio hæc absoluta non repugnat amori sibi, vel proximo naturaliter debito, nisi in casu particulari, per accidens, semper manente obligatione amovendi præjudicii communis.

Posset opponi 3. Hæc obligatio *absoluta* certis in circumstantiis positivè repugnat amori, & sibi, & proximo, in ordine ad felicitatem cuivis propriam, *simpliciter* necessario: ergo adstrui nequit; quia cessante fine legis, à natura intento, cessat etiam obligatio. A. Constat in casu, quo quis, *nullo jure interrogatus*, necessitaretur per veritatem prodere arcanum naturale; vel proprium fateri scelus, etsi occultum; aut casu, quo restituenda foret fama, per propalationem sceleris, veri quidem sed occulti, graviter læsa &c. quibus in casibus est obligatio naturalis non dicendæ veritatis.

℞. D. A. Hæc obligatio *absoluta* non mentiendi repugnat amori naturaliter debito, in ordine ad felicitatem *publicam*, seu *spectato bono communi* Generis humani. N. A. Repugnat amori, naturaliter debito, in ordine ad felicitatem *privatam*, seu *spectato bono particulari. Subd.* Repugnat *simpliciter.* N. Repugnat *per accidens*, sic tamen, ut suppetat semper aliud medium licitum *celandæ veritatis.* C. A. Et D. C. Ergo adstrui nequit, nisi præponderet præjudicium boni publici, redundans in conversationem, & commercium humanum. C. Si præponderet præjudicio privato, secuto *per accidens*, & naturæ jure minùs attento, rectéque postposito. N. C. *Rationem additam* D. Cessat *finis* legis *inadæquatus*, consistens in præcavendo damno privato. C. Cessat *finis adæquatus*, consistens *in præcavendo damno publico*, immò & *in præcavendo periculo* ipsius damni, quod suppositâ tali licentiâ semper manet. N. In allatis casibus est quidem obligatio *non dicendæ*, hoc est, *celandæ veritatis*, per media licita, uti infrà clarescet; nulla tamen est obligatio mentiendi.

Mendacium non potest esse medium aptum,

Posset opponi 4. Casu, quo mendacium foret necessarium medium servandi sacramentalis sigilli, cessaret præjudicium, etiam totius humani Generis, quia malum longè minus. 2. Casu, quo mendacium ad salvandam vitam fuisset *Abeli* necessarium medium, non obstitisset adhuc præjudicium Societatis, vel *Generis* humani. 3. Homicidium, etsi & ipsum intrinsece malum, & longè gravius mendacio, potest esse licitum in casu vitæ alirer non servandæ à vi aggressoris injusti: ergo à fortiori.

℞. *Ad 1.* Negatur suppositum, quòd mendacium unquam esse possit *determinatè* necessarium medium; vel si esse posset, quòd *foret aptum* medium pro bono Dei, contra bonum Dei, seu voluntatem Authoris naturæ, potentis quamlibet jacturam temporalem, ratione silentii, compensare longè majore bono.

Ad promovendam gloriam Dei, quia contra finem intentum à Deo.

Ad 2. D. Non obstitisset præjudicium, quod inferretur *actu* Societati humanæ. C. Quod posset inferri *per se loquendo.* N. Ad hoc, non ad illud accidens, attendit in suo jure Natura.

Etiam in paradiso fuisset præjudiciosum Societati humanæ de potentia.

Ad 3. N. Paritas: nam homicidium in dicto casu non est homicidium, ùt vetitum à natura, sed est defensio propria, permissa à Natura, & quidem ùt medium ad defensionem vitæ proptiæ *determinatè necessarium*, dictis in circumstantiis. Contrà mendacium nec exuit naturam mendacii, seu *locutionis contra mentem fallendi causâ*; nec est medium *determinatè necessarium* in allato casu, ùt dictum.

Homicidiò defensivò licitò, quia medio determinate necessario ad defendendam vitam.

Posset opponi 5. Mendacium videtur esse medium *determinatè* necessarium: ergo. A. P. Occultatio veritatis amphibologica per duplices sensus, etsi sit medium *expediens pro astutis*, non tamen est *aptum pro rudibus*, neque *omnibus obvium* ad amovenda seu propria, seu aliena incommoda in instantiis allatis: atqui deberet esse *obvium omnibus*, cùm passim occurrant casus, in quibus veritatem aperire neque expedit, neque licitum est jure naturæ: ergo.

Quod dici nequit de mendacio.

℞. Etsi *commoda æquivocatio* non sit semper omnibus obvia, occultatio tamen veritatis, *per usum scientiæ duplicis*, non animo decipiendi, sed permittendi deceptionem, casu quo injustè interrogatus agnoscat gravem causam, & obligationem naturæ, pro occultanda veritate hìc prævalentem, est omnibus, etiam rusticis, obvia Authore *P. Viva*: nam uti cuivis audienti nota est, vel esse debet restrictio illa: *nil scio, scientiâ hic in circumstantiis communicabili*, ita & nota est cuivis loquenti, etiam rudi, teste experientiâ.

Cùm usus scientiæ duplicis etiam rudibus sit obvius.

Posset opponi 6. Nostrum argumentum probaret, quòd etiam occultatio veritatis amphibologica, figurata &c. esset *semper*, & *in omni casu* prohibita: ergo argumentum nostrum probar nimium, adeóque teste *Cardena* est *infirmum* (a). A. P. Occultatio veritatis *æquivoca*, vel palliata *usu scientiæ duplicis*, etsi quandoque licita, immò & obli-

Neque sequitur, quòd etiam locutio amphibologica esset prohibita ob simile periculum deceptionis.

(a) In Crisi Theol. Dissert. 19. in proposit. 26. c. 3. n. 30. ubi ait: *Sed hoc argumentum (quòd cessaret humanum commercium, & nemo posset reddi certus de veritate) infirmum est*

obligatoria jure naturæ, non minùs ac ipsum mendacium, est conjuncta *cum periculo abusûs*, ac *præjudicio* elidente *sinceritatem* conversationis mutuæ *ubique certam*, & *securitatem* humani commercii *absolutam*: ergo æquè repugnabit amori in ordine ad finem, seu felicitatem Societatis humanæ à natura intentam.

Nam præterquàm, quòd mendacium evertat finem loquelæ immediatum, non autem locutio amphibologica.

℟. N. A. Cum ejus probatione. Nam, mendacium inter & occultationem veritatis, est manifesta disparitas. 1. *Respectu finis immediati*, per loquelam à natura intenti; *seu respectu communicationis mutuæ quò ad animi sensa*. Mendacium enim falsum dicit, *positivè* ingenerando errorem; locutio ambigua, justâ de causâ, veritatem tantùm occultat, nullum intendendo errorem; illud est contra mentem loquentis, & intendit deceptionem alterius, hæc, ex justa causa, non est ad mentem malè interrogantis, & merè permittit deceptionem alterius; in illo est animus decipiendi, in isto est animus secreti, justa de causa, custodiendi, &c. ergo mendacium finem *immediatum*, à natura intentum, *penitus evertit*; occultatio veritatis, per locutionem ambiguam, justâ de causâ, finem quasi *præterit*, ac *dissimulat*.

Locutio amphibologica debet esse advertibilis, adeóque commuńcta non est simili præjudicio.

Disparitas manifesta 2. Est respectu finis, *ultimatò* à natura intenti, seu *respectu conversationis, & commercii humani in ordine ad felicitatem, Societati humanæ propriam.* Nam occultatio veritatis, per qualemcunque locutionem ambiguam, *ex circumstantiis* debet esse *sensibilis*, *ac perceptibilis*, adeóque exclusiva, *absolutè loquendo*, periculi ac præjudicii respectu conversationis ac commercii humani, quod infert mendacium, *nullo modo sensibile.* Hinc P. *Viva*, (a) *si audiens*, inquit, *advertat, aut ad duplicem sensum, quem habent verba; aut secundum se, sub his circumstantiis, facilè percipere potest, aut saltem dubitare, in quonam sensu accipienda sint. Unde non frustratur finis locutionis, nec commercium incommodatur: immò potiùs fovetur, quando ad aliquam occultandam veritatem, quam non oportet aperire, utimur hisce mediis, quæ utrumque scopulum devitant, nimirum violationem secreti, & mendacium, cùm utrumque humano commercio repugnet.* Et sanè magis conducit ad bonum conversationis, commerciíque humani, servare posse secretum ad amovendà quandoque incommoda gravia, quàm quòd audiens non decipiatur vel veriùs semetipsum non decipiat quandoque.

Etsi usus promiscuè licitus, non excluderet præjudicium simile, unde & naturæ jure prohibitus est.

Illud quidem fatendum, quòd si celatio veritatis per locutiones æquivocas &c. *ubique, semper*; & *absque causa justa*, foret permissa, ejusmodi licentia inferret æquè periculum aliquod ac præjudicium in conversationem, ac commercium humanum. Unde quia promiscuè talis licentia, *hanc ipsam ob causam*, probatur esse naturæ jure prohibita, argumentum nostrum eo ipso potiùs *confirmatur*, quàm *infirmatur*. Nam sic arguimus. Ipsa occultatio veritatis ambigua, etsi *positivè* haud deceptoria, *spectato tamen usu promiscuo*, est naturæ jure prohibita *solùm ideò*, quia conversationis mutuæ sinceritati, & humani commercii securitati absolutæ foret præjudiciosa, adeóque felicitati Societatis humanæ derogatoria: ergo, *à fortiori*, mendacium, quia deceptorium *positivè*, erit naturæ jure *semper* prohibitum *solùm ideò*, quia est longè magis conversationis sinceritati, ac commercii securitati præjudiciosum, adeóque & felicitati humani Generis derogatorium id quod, contra censuram *Cardenæ infirmam*, erat demonstrandum. *Unde*

Rationes aliæ, afferri solitæ, sunt enerves.

℟. III. *Omnis alia ratio naturalis, afferri solita in ordine ad probandum mendacium, ubique & semper naturæ jure prohibitum, excepto præjudicio felicitatis humanæ, est infirma.*

Qualis est oppositio cum veracitate Divina, quia obscura, nec universaliter vera.

Assertum probatur 1. Ratio *S. Basilii* (b) est, quòd nullum mendacium, sit ex Deo, *veritatis Authore*; *S. Augustini*, (c) quòd omne mendacium *contrariè* oppositum sit *veritati*. Sed utraque ratio inhonestatem desumit *ex oppositione* cum perfectione Divina, vel cum virtute, quod partim obscurum, partim incertum: secùs enim & occultatio veritatis *æquivoca*, in casu necessitatis, naturæ jure foret prohibita, quia opposita *sinceritati*, seu tanquam *perfectioni Divinæ*, seu tanquam *virtuti humanæ*.

Qualis contrarietas cum fine, locutioni præfixo: quia infirma pro casu necessitatis.

Assertum probatur 2. Ratio *Angelici* est, (d) quia omne mendacium est *contra finem*, locutioni à natura præfixum, manifestationem vertendo in deceptionem. In idem recidit

(a) In Trutina cit. P. 2. f. m. 134.
(b) Regula 76. ex brevioribus.
(c) L. 1. contra mendacium, c. 8.
(d) Q. 110. a. 3. in corpore.

dit ratio *Laymanni*, (a) quòd omne mendacium intendat alteri ingenerare errorem, quod *per se* malum, ac alienum à ratione. Sed etsi utraque ratio firma sit, loquendo *per se*, & *ordinariè*, infirma tamen est, spectato casu *per accidens*, in circumstantiis summæ necessitatis, & concurrente alia obligatione naturæ de avertendo proprio, vel alieno famæ vitæve periculo. Sic homicidium, seu furtum *per se* malum est, & naturæ fini, mendacio magis, adversum, & tamen *in casu justæ defensionis, & summæ necessitatis* permissum novimus.

Qualis item ratio, petita ex malitia intrinseca, quæ non ultimata.

Assertum probatur 3. Ratio *Suarezii* (b) & Theologorum communis & obvia est, quia mendacium est *intrinsecè malum*. Sed hæc ratio haud magis videtur esse expedita, quàm illa apud Philosophos desumpta *ex metu vacui*. Hoc ipsum quæritur, cur sit *intrinsecè malum?* Reponunt quidem, *quia nullis in circumstantiis est cohonestabile*. Si urgeas, cur istud? Respondent cum *Suarezio*, quia mendacium semper manet mendacium, nec ulla necessitate, vel fine extrinseco mutat *objectum*, nempe *difformitatem loquela cum mente*, à quo objecto *præcise* habet suam deformitatem *essentialem*, atque *intrinsecam*. *Si instes*: cur hæc difformitas sit semper *desormis* etiam in casu avertendi interitus, toti Reipublicæ imminentis? Cur *æquivocatio*, etsi nullo fine extrinseco mutet objectum, *maneatque semper locutio in sensu obvio falsa, aptaque de se ad ingenerandum errorem*, adeóque jure naturæ, regulariter loquendo, prohibita, fiat tamen per necessitatem extrinsecam permissa? Hic jubet *Plato* quiescere. Quidquid sit, nil movemus: rationem tamen ultimatam, *ex ipso naturæ fine*, assignari posse, contendimus, cur mendacium, *semper & pro semper*, sit *natura jure* prohibitum, quia nempe non tantùm *fini* loquelæ *immediato* in ordine ad communicanda animi sensa, sed etiam *fini ultimato*, seu felicitati, humano Generi propriæ, *semper & pro semper*, suo modo manet oppositum, id, quod de æquivocatione dici nequit. *Rationem* denique assignamus, cur mendacium dici possit *radicaliter malum*, quia, etiam abstrahendo à lege Divina, *in se* est oppositum fini à natura intento, felicitati nempe, humano Generi propriæ. Idem proportionaliter dicendum *de odio Dei*, *blasphemia*, & similibus objectis, *radicaliter* malis.

Quæritur III. *Quid juris naturalis permissivi circa officia sermocinantium?*

De jure naturali permissivo.

Occultatio veritatis non merè interna, quandoque licita, quandoque præcepta,

℟. I. *Occultatio veritatis per restrictiones, non purè mentales, aliasque locutiones similes, certis in circumstantiis, non modò est jure naturæ permissa, sed quandoque etiam præcepta.* Ejusmodi circumstantiæ sunt, si quis interrogetur vel *contra jus*, vel *absque jure*; item quando veritas ab altero sciri *nec decet*, *nec prodest*, *nec licet*, nempe casu, quo damnum proprium, vel alienum posset emergere.

Quia quandoque non opposita, quandoque etiam exigita ab amore, proximo, vel sibi naturaliter debito.

Assertum patet 1. Quia in ejusmodi circumstantiis celatio veritatis vel est exigita, vel saltem non aliena ab amore, sibi, vel proximo naturaliter debito, utpote nullo præjudicio in felicitatem Societatis humanæ redundante, uti constat ex disputatis. Sane, si pro defensione vitæ amor naturalis permittit etiam occisionem iniqui aggressoris, salvo moderamine inculpatæ tutelæ, *à fortiori* permittit alterius deceptionem, non tam intentam, quàm solùm non impeditam, ex gravi causa adhibendo restrictionem de se sensibilem.

Quia non est locutio contra mentem, nec animo fallendi directè.

2. Quia mendacium est *locutio contra mentem animo fallendi*: ergo requiruntur duo, ut sit dictum *contra id, quod animo credimus, & ut sit dictum ex animo fallendi*: atqui locutio ambigua nec semper est contra mentem, nec intendit, *per se loquendo*, deceptionem, sed mentem aliter exprimit, quàm alter intelligat: ergo. *Min. Subs.* liquet: nam multæ voces, vel naturâ suâ sunt æquivocæ, vel ex modo pronuntiantis, aut animi restringentis amphibologicæ, quæ ambiguitas diversos sensus recipit in dicente, & audiente: ergo, cùm respondens non semper *jure* teneatur accipere verba in sensu interrogantis (cùm hic subinde interroget *sine jure*, immò *cum injuria* respondentis) potest absque mendacio contingere, ut is respondeat in sensu suo, interrogans intelligat in alieno. Unde

Unde patentes joci non sunt mendacia, uti nec hyperboles, mystica, figurata, ironica, fabulosa, ambigua, seu æquivoca locutiones.

Colligitur 1. *Jocos*, ex modo patentes, *si absit animus fallendi*, non esse mendacia teste *S. Augustino* (c). 2. Neque *locutiones hyperbolicas* juxta illud: *multiplicabo semen suum, sicut stellas Cœli, & arenam, quæ est in littore maris.* 3. Nec *mysticas*, juxta illud *Raphaelis*:

(a) L. 4. Moral. tract. 3. c. 13. n. 8.
(b) L. 2. de legibus c. 14. n. 13.
(c) L. 1. de mendacio. c. 2.

lis: ego sum Azarias magni Ananiæ filius. 4. Nec *figuratas* juxta illud: *ego sum Esau.* 5. Nec *ironicas*, juxta illud *uxoris Job: benedic Deo, & morere.* 6. Nec *fictiones*, *fabulas*, *parabolas* &c. juxta illud *Angelici*, & *Augustini*: *non omne, quod fingimus, mendacium est: si enim fictio referatur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis*, unde illud: *finxit se longiùs ire*: 7. Nec *dissimulationes veritatis* juxta illud *Abrahæ* dicentis *Saram sororem*; *Samuelis dicentis*: *ad immolandum Domino veni* &c. 8. Neque *locutiones ambiguas* juxta illud *Christi*: *solvite templum hoc* &c. *Lazarus amicus noster dormit.* 9. Neque locutiones *æquivocas*, quæ habent *sensum obvium falsum, & obscurum verum*, si modò ab usu comuni non sit nimiùm alienus, juxta illud *S. Felicis Nolani*, respondentis, *se ignorare felicem*, utpote *infelicem*, quia ab his ipsis conquisitum ad necem (a). Ubi observat *P. Viva* (b): de *Christo* mordicùs negandum, quòd usus aliquando fuerit ulla æquivocatione, *strictè dicta*, quia *secundùm* se adversatur *sinceritati*, si minùs *veritati*. 10. Denique à mendacio excusatur *usus scientiæ duplicis per restrictiones non purè mentales*, ad quas revocant illud *Christi*: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo*, subintelligendo *apertè* per miracula, ùt volebant amici. Item: *De die autem illa & hora nemo scit* &c. *neque filius, nisi Pater*, loquendo *de scientia* Discipulis *utili*, ac *communicabili*, uti habet *Soto*, *Navarrus*, *S. Augustinus*, *S. Gregorius* M. & alii.

℟. II. *Quæ videntur asserto huic obsistere, inefficacia sunt.*

Nec obstant replicæ. *Non obstat* 1. Quòd quædam restrictiones mentales, à magnis Authoribus admissæ, non videantur differre à restrictione purè interna, sic 1. Sunt cum *Soto*, *Valenzia*, *Sanchez*, *Caramuele*, & aliis, qui licitam velint *locutionem merè materialem*, si V.G. in servando secreto naturali, quis dicat: *nihil scio*, sumendo verba in suppositione *pro se*, non *pro objecto*. Rationem addunt, quòd *ex implicito hominum pacto* nemo obligetur, *ejusmodi in circumstantiis*, ad sumenda verba *significativè*, ipso humano commercio id exigente. *Nam locutio merè materialis,*

Æquivoca nimis insolita, 2. Si Glossæ fides (c): deludi potest interrogans, dicendo: *non est hic*, id est, *non comedit hic*: quia mera est æquivocatio, advertibilis ab audiente.

Difficulter advertibilis, 3. Sic aliis, apud *Cardenam*, dicere licitum: *non habeo librum*, *pecunias*, intelligendo, *ut tibi commodem*: quia omnes intelligunt, hanc vocem, *non habeo*, *talibus in circumstantiis significare*, *se non habere ad mutuandum.*

Vel ab interrogante non satis determinata. 4. Sunt denique apud *Vivam*, qui admittunt, quòd Confessarius, etiam *ut talis*, interrogatus, respondere possit: *nil scio*, *scientia communicabili*, vel *ut homo*. Rationem assignant, quòd circumstantia *Confessarii* externa sat indicet, illud *nescio*, eodem modo procedere, & procedere debere.

Non ab omnibus admittitur, præcipuè locutio materialis. ℟. Sunt, qui hæc & similia admittunt, & sunt, qui negant. Ad 1. reponit *Cardenas*, *ego talem modum* (materialis loquelæ) *non approbo, quia video, non approbari à Censoribus Romanis*, *Laymannus*, quò ad omnes modos, tenet oppositum. *Ratio ipsius est.* 1. Quia in 1. 3. & 4. casu responsum & *secundùm se*, & præcipuè *secundùm circumstantiam interrogantis* est determinatum *ad unum*, cùmque *falsum sensum*. In 2. Verbum *est* sumitur in sensu, *ab hominum loquentium consuetudine nimis alieno*, atque *sophistico*: atqui *qui sophisticè loquitur*, *Deo odibilis est* (d). Sed forsan replicari posset, hac gemina cautela tolli *omnem usum* æquivocationis & restrictionis, quod nimium. Nos judicium non interponimus: sentiat quivis, ùt lubet.

Usus scientia duplicis, vulgò satis sensibilis. *Neque obstat* 2. Quòd *usus scientiæ duplicis* à restrictione *purè mentali nil* differre videatur: V. G. *Nihil hac de re scio*, puta, *scientia evidenti*, aut *communicabili*. Nam ℟. Differentia est, quòd *usus scientiæ duplicis*, debitis in circumstantiis, sit in humana consuetudine *vulgatus*, adeóque *advertibilis*; non restrictio merè interna. Unde *S. Augustinus* (e): *Eo genere locutionis nescire quisque dicitur, quod occultat, quo dicitur fossa cæca, quæ est occulta: neque enim aliquo genere loquuntur scripturæ, quod in consuetudine humana non inveniatur, quia utique hominibus loquuntur.* Ex quibus verbis patet, Authore *Cardenâ*, in consuetudine humana usitatum esse assumere verbum *nescio* pro eo, quod est *non scire*, *nisi occulte*, vel *non scire*, *tanquam manifestabile*, in quo nulla est restrictio *merè mentalis*, quia ipsum verbum *nescio* id significat, *juxta humanam loquendi consuetudinem*. *Verbo*: interroganti absque jure, in loquentis præjudicium proprium vel alienum, nota est, vel saltem nota esse debet illa restrictio *nil*

(a) Ut habet P. Viva.
(b) In trutina cit. P. 8. Propos. 27. f. m. 235.
(c) In C. Ne quis 22. Q. 2.
(d) Ecclesiastici 37. v. 23.
(e) L. c.

nil scio scientia, his in circumstantiis communicabili.

Uti & locutio aliena à mente interrogantis.

Neque obstat 3. Quòd *æquivocatio*, vel *usus vocis alienus* à mente interrogantis V. G. *optimè valeo*, puta, *mente* &c. *ideò* dicatur permissus, quia saltem habet *sensum verum*, etsi *obscurum* & *occultum*, permissa solùm audienris deceptione, quod totum videtur habere restrictio purè mentalis. Nam. ℞. D. Ideò dicitur permissus, quia habet aliquem sensum verum, etsi obscurum & occultum, *absolutè tamen advertibilem ab audiente.* C. *Nullo modo sensibilem*, uti fit in restrictione merè interna. N.

Neque exempla S. Scripturæ restrictionem purè mentalem continent.

Neque obstat 4. Quòd in exemplis S. Scripturæ videatur clarè nonnunquam adstrui restrictio purè mentalis. V. G. *De die judicii nemo scit, neque filius; de locutione Judith* ad *Holofernem* &c. ℞. Omnes instantiæ inferunt quidem resttictionem quamdam, sed ex signis externis *satis sensibilem*, uti alibi jam declaravimus, & passim declarant Scriptores. * Hinc *S. Augustinus* (a): *Hoc nescit Christus, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat, ut tunc Discipulis indicaret.* *Judith*, interprete *Cardena*, dixit *Israëlitas* ob *sua peccata tradendos fuisse* (b) absolutè loquendo de peccatoribus, in peccato persistentibus. Quòd dixerit, *missam se esse à Deo, ut hæc nuntiaret*, (c) dubitari non potest, cùm certum sit, eam *Judithæ* missionem speciali Dei providentia factam fuisse ad dicendum, & operandum ea, quæ dixit, & operata est, licèt ea non dixerit in illo sensu, quem intelligebat *Holofernes*, sed in alio longè diverso. Quòd verò dixerit, *Holofernem ingressurum esse per mediam Hierusalem*, (d) verificatum est in *Holoferne* jam mortuo. Ita ille. Sed *Laymannus in Jacobo, Juditha*, & *Davidis* simulatione quædam falsa, addita ex propria simplicitate, mavult excusare per *ignorantiam invincibilem.*

Usus promiscuus locutionis amphibologicæ naturæ jure prohibitus.

℞. III. *Est naturæ jure prohibitus restrictionis, etiam non purè mentalis, seu æquivocæ ac amphibologicæ, usus promiscuus, hoc est 1. absque justa causa adhibitus 2. In materia fidei. 3. Et si quis jure interrogetur.*

Quia felicitati societatis humanæ adversus.

Assertum P. quò ad 1. Hujusmodi usus, *promiscuè licitus*, repugnaret amori mutuo, in ordine ad felicitatem Societatis humanæ *simpliciter* necessario: ergo. *Ant. Patet*: nam esset conjunctus cum nimio præjudicio sinceritatis in conversarione mutua, securitatisque in commercio humano necessariæ, amphibologico cortice sæpissimè homines fallente, id quod non posset non esse derogatorium felicitati Societatis humanæ. Accedit, quòd teste *P. Viva*, absque justa causa excusante non intendatur *directè* occultatio veritatis celandæ, nec *permittatur tantùm* deceptio, sed hæc *intenditur directè* per verba præseferentia sensum obvium falsum, quod valde incommodat humano commercio: ergo non declinatur mendacium, consistens in falsa vocis significatione cum animo fallendi.

In materia fidei semper cum contemptu Dei conjunctus.

Assertum quò ad 2. Patet. Quia esset contra præceptum Dei negativum, ne quid fiat *in contemptum Dei*, dicente S. Scriptura: *qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua* (e).

Et justè interroganti injurius.

Assertum P. quò ad 3. Qui jus habet ad interrogandum, obligat quoque ad respondendum juxta mentem, ac sensum suum, alioquin ipsi fieret injuria; immò Judicum tribunalia, Superiorum, Parentum &c. justissima interrogata ex causis, *imaginarie justis*, eludi possent, atque sufflaminari. Unde

Juxta multos, non juridicè interrogatus de crimine occulto, uti potest restrictione non merè mentali.

Deducunt 1. Moralistæ orthodoxi, (f) quòd reus, seu testis de crimine occulto, in ordine ad illud puniendum, ** *non juridicè interrogatus* à Judice, *** hoc est, *nulla præcedente infamiâ, semiplena probatione, aut indiciis æquivalentibus*, licitè uti possit restrictione, non purè mentali. *Rationem* assignant, quia *ex circumstantiis* significatur nesciri delictum, *quòd debeat tali judicio subjici.* Idem docet *Sanchezius* (g) de teste, juridicè quidem interrogato, obstante tamen notabili damno, quod incurreret testificando: qua de causa, ait, licitum esse per leges, (h) ne quis contra

* Videatur *Cardenas* L. c. *Viva*. L. c. n. 16.

(a) L. 1. de Trin. c. 12.

(b) *Certum est, quòd in perditionem dabuntur.*

(c) *Misit me Dominus, hæc ipsa nuntiare tibi.*

(d) *Ego adaucam te per mediam Hierusalem, & habebis omnem Populum Israel sicut oves, quibus non est Pastor.*

(e) *Luca* 9. 26.

** Aliud foret ad reparationem damni, aliter non resarciendi.

*** Aliud foret de Superiore, vel Parente, ubi non nisi paternum tribunal.

(f) Apud *P. Viva*, L. c. n. 19.

(g) L. 3. c. 6. apud *Viva*.

(h) L. 4. ff. ed testibus.

tra Parentes, vel consanguineos testari debeat, excepto crimine hæresis. Sed videtur denuò refragari *Laymannus* noster, dum ait: (a) *Determinatè* (etsi illegitimè) interrogatus à Judice: *an nulla* unquam *ratione acceperit mutuum à Titio*? Si *absolutè* neget, intelligendo, *quòd tibi fateri obligatus sim*, mentitur, id quod nunquam licitum, etsi Judici, *illegitimè interroganti*, veritatem edicere non cogaris. *Ex quibus*, inquit, *judicium ferri potest de doctrina Soti, Azorii &c. ubi ajunt, quòd interrogatus de occulto crimine præter iuris ordinem, si neges, intelligendus sit de tali crimine, quod in judicium venire debeat.* Quidquid sit P. *Viva* priorem sententiam dicit esse *communem* (b).

Nequit tamen uti illegitimè promotus ad officium publicum, quia legitimè interrogatus.

Deducunt 2. iidem. Quòd *illegitimè* promotus ad officium publicum, in formula fidelitatis, de mandato Regis exigi solita, nulla possit uti restrictione mentali, quasi non teneretur fateri crimen occultum.

Ratio petitur ex propositione 28. damnata ab *Innocensio* XI.* cujus fundamentum est, quia ejusmodi interrogatio, etsi nullo præcedente indicio, *juridica* est, utpote ordinata non *ad puniendum delictum*, sed *ad avertendum damnum*, ex indignis Ministris redundans in Rempublicam. 2. Quia hìc non intenditur *determinatè* revelatio criminis occulti, sed vel renuntiatio officii, vel revelatio, & quidem ob bonum publicum, quod prævalere debet commodo privato.

Nec obligatio solùm indeterminata ad fatendum crimen est nimia, quia ordinata ad bonum publicum.

Unde nulla est ratio: quòd præceptum humanum *universim* non obliget cum gravi nimiùm onere, quale esset *revelatio criminis, nullo indicio præcedente.* Non enim nimiùm gravis est obligatio renuntiandi officii ab indigno; vel revelatio criminis non *ad pœnam*, sed *damnum publicum amovendum*, cùm sit *rationabilis*, & *expediens*, immò & *necessaria* Reipublicæ. Neque stringit, quòd per delicta nemo amittat jus propriæ famæ, quamdiu illud manet occultum, utì nec latro jus defendendæ vitæ. Nam talis retinet jus famæ, si modò velit renuntiare officio, & privatum incommodum postponere præjudicio publico. Ex quibus liquet, per propositionem prædictam non fuisse damnatam restrictionem, purè mentalem, ùt voluit cum *Lumbiero Cardenas*, quia hæc jam per priores propositiones erat damnata; nec thesin negantium obligationem fatendi crimen occultum, uti sensit *Filguera*, quia in casu præsenti interrogatio est juridica, utì probatum, neque agitur *in ordine ad puniendum crimen*, pœnâ præcipuè capitali.

Juxta eosdem, etiam legitimè interrogatus, in certis circumstantiis, uti potest dissimulatione veritatis.

Deducunt iidem Moralistæ 3. Quòd quis, *à Judice etiam legitimè interrogatus*, dissimulatione veritatis amphibologicâ uti licitè possit, respondendo ad mentem interrogantis, siquidem *necessitas*, vel *grave præjudicium* compellat. Sic 1. Conventus in judicio de mutuo solvendo, etsi jam persoluto, negare potest, *se ejusmodi contractum iniisse*, intelligendo *cum obligatione geminæ solutionis.* 2. Gravi metu coactus, absque animo se obligandi, dicens: *accipio te in meam*, & interrogatus à Judice, negare potest, *se hæc dixisse*, intelligendo *cum libero consensu*, de quo quæritur. 3. Interrogatus de crimine, & *ob circumstantiam* ab omni culpa immunis, negare potest, *se id fecisse, puta, eo modo, ac fine*, quo interrogatur à Judice. Exempla afferri solent in fornicatore imperfecto, interrogato *in ordine ad impregnationem*; item in eo, qui per inculpatam ignorantiam occidit hominem pro fera; vel qui in justam compensationem debiti rem alienam subtraxit, & sic de aliis (c).

Rationem assignant. Quia humana consuetudine est inductum, ut responsio conformetur menti interrogantis. Unde, si mentem Judicis excederet responsio V. G. si Judici quærenti: *an nulla unquam ratione acceperis mutuum istud?* daretur *absolutè* negativa, mendacium foret, minimè licitum, teste *Laymanno.*

Juxta non paucos reus juridicè interrogatus, uti potest restrictione.

Deducunt 4. Quòd reus, *etsi juridicè* interrogatus à Judice, *ex plurimorum sententia* (d) possit negare crimen capitale, si spes evadendi sit.

Ratio-

(a) L. 4. Moral. Tr. 3. c. 14. n. 8.

(b) In trutina P. 2. proposit. 28. n. 5. Etiam protestantici AA. assentiuntur. *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 4. c. 1. §. 10. *Thomasius* in Jurispr. Divina. Contrarius est in fundamentis J. N. mutans, pro theo suo more, sententiam L. 0. c. 8.

* Quæ ita habet: *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

(c) Videatur *Laymannus* L. c.

(d) Ut habet P. *Viva* allegans *Lessium*, *Lugonem*, & alios, etsi non pauciores sint in opposita opinione cum *Angelico*, *Navarro* & aliis, quos allegat *Cardenas.*

capitalis criminis negativa, quamdiu spes evadendi est. Quia leges humanæ non obligant cum periculo vitæ.

Rationem assignant 1. Quia leges humanæ *universim* non obligant cum periculo vitæ, alteriúsve damni supparis, ùt suprà diximus: ergo reus, in tali periculo negans crimen, censetur negare cum restrictione non pura, nempe, ut *id teneatur fateri, quamdiu suppetit spes vitæ.* *

Sententiæ oppositæ fundamenta sunt 1. Quòd justa præcipienti sit obligatio parendi: ergo Judici, legitimè interroganti, veritas est declaranda. Sed respondent D. Est obligatio parendi *semper sub culpa.* N. *Quandoque sub sola pœna.* C. 2. Quòd correlativa sint jus præcipiendi in Judice, & debitum parendi in reo. *Respondent* D. Sunt correlativa jus præcipiendi *sub culpa*, & debitum parendi *sub culpa.* C. Jus præcipiendi *sub pœna*, & debitum parendi *sub culpa.* N. 3. Ergo reus neque post semiplenam probationem subjici poterit torturæ; quia iniquum, ad id aliquem cogere, quod præstare non tenetur. Sed *negant illatum.* Rationem *distinguunt.* Est iniquum, ad id aliquem cogere, quod præstare *nullo modo* tenetur, neque sub pœna, neque sub culpa. C. Quod præstare non tenetur tantùm *sub culpa.* N.

§. 2.

§. II.

De officiis jurantium.

Officia jurantium.

Juramenti natura, atque proprietates.

Quæritur IV. *Quæ specialiter memoranda, spectato jure naturæ, circa officia jurantium?*

℞. I. Memorabilis juramenti *natura* atque *proprietates*. 1. Juramenti *etymon* habetur *à Jure*, quia instar juris firmissimi haberi debet. 2. *Originem* trahit *ex statu corrupto*, dum in altero *fallaciam*, aut *perfidiam*, *ordinariè loquendo*, supponit. 3. Est accessorium *sermonis*, & *pacti*, quippe quod assertis, atque promissis adjici solet. 4. Rectè dicitur *invocatio tacita, vel expressa Divini Numinis, tanquam primæ, & infallibilis Veritatis, in testem, vel etiam vindicem, ratione firmatæ rei.* Dicitur *invocatio*, *non mera assertio*, ** quia requisita *intentio*, qua jurans cupit Deum id, quod jurat, testari, & manifestare (sive nunc, sive tunc) tanquam ab ipso cognitum, & verum. Dicitur invocatio *tacita*, vel *expressa*: nam solo animo jurari potest absque signo externo. Dicitur *Divini Numinis*: quia, cùm juramentum sit actus latriæ, *per solum Deum* fieri potest, utpote cujus solius infallibile est testimonium. Potest tamen fieri per creaturas, in quibus Divinæ bonitatis aliquid *specialiter* elucet, quia fit *implicitè*, seu *cum relatione* ad Deum. *** Est autem tantò decentius juramentum, quantò creatura est sanctior, ac excellentior. 5. Quando dubium est de jurantis intentione in foro externo, judicari solet secundùm communem acceptionem verborum, quibus est usus. 6. Juramentum, si debito modo fiat, est actus virtutis *religionis*: quia pertinet ad cultum, & venerationem Dei, ejúsque infallibilis Authoritatis. 7. Juramentum religiosum tres proprietates habere debet: *Judicium*, quod exigit, ut cum discretione, prudentia, consideratione, ac reverentia, non sine necessitate, aut gravi causa fiat. *Justitiam*, quæ exigit, ut, quod juratur, sit res justa, licita, ac honesta. *Veritatem*, ut nimirum res sit vera, aut saltem, ex gravi ratione, putetur esse vera. 8. Juramentum est *multiplex*: præcipua divisio est *in assertorium*, quo confirmatur dictum de præsenti, vel præterito; & *in promissorium* quo confirmatur dictum de opere futuro. Juramentum *confirmatorium promissionis* erga Deum *est votum juratum*, cujus prævaricatio duas habet, contra virtutem Religionis, malitias *speciei diversæ*. Juramentum *confirmatorium erga hominem* est *pactum juratum*, duplicem continens obligationem, nempe *justitiæ*, & *religionis*.

Juramenti licentia.

℞. II. Memorabilis juramenti *licentia, si debito modo fiat. Patet:* quia est actus religionis, procedens *ex fide in Deum*, falli & fallere nescium, adeóque *naturæ juri conformis*, atque fundatus in Verbo Dei: *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis. Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*; (a) fundatus item *in Ecclesiæ praxi*, exigentis juramenta tam in judiciis, quàm ad hæresin abjurandam: unde prohibitio Divina: *ego autem dico vobis, non jurare omninò* &c. (b) intelligenda est, S. *Augustino* interprete, de juramento *sine necessi-*

---

* Sic qui graviter læsit proximi famam, manifestando crimen occultum, teste *Sanchezio*, si spes suppetat, ut retractatio prosit, tenetur id retractare dicendo, se fuisse deceptum, aut se esse mentitum, quo in casu habetur restrictio, *non purè mentalis*, quia circumstantia delicti gravis denotat, negari, illud delictum commissum fuisse, *sic ut poluerit revelari.*

** Qualis foret: *Coram Deo ita est; Deus scit, me verum dicere.*

*** Inde *Vitriarius* in instit. J. N. & G. L. 2. c. 13. n. 18. denuò malè emendat *Grotium*, dum ait, illicitum esse jurare *per Sanctos* vel *Angelos*, quia solus Deus omniscius.

(a) Deutero. 6. & 10. Psal. 62.

(b) *Matth.* 5. *Et Jacobi* 5. *nolite jurare neque per Cœlum, neque aliud quodcunque juramentum.* c. *Clericum.* 22. Q. 1. c. *Si quis per capillum.* Q. 1.

necessitate, aut *rationabili causa*; prohibitio *canonica*: ne juramentum fiat *per creaturam*, intelligenda de Gentilium juramentis *per Jovem*, *& Solem*. 2. *Licita* est praxis in foro canonico & civili, qua deferri solet juramentum, seu ad finiendam litem, seu ad confirmandam veritatem necessarium, gravibus in causis. *Patet*: quia est *conformis* æquitati naturali, *propter necessitatem*, *tanquam subsidium* imbecillitatis humanæ, & *medium valdè conducens* ad bonum Reipublicæ; partim *ut finis sit litium*, partim ut in judiciis, contractibus, promissionibus, aliisque causis gravibus *fides* & *veritas firmetur*. Unde ut omnis controversiæ *finis* sit, & *confirmatio*, jus naturæ, etiam per Divinum, roborat Apostolus (a): *Homines per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum.*

Unde propositio Quesnelli 101. meritò proscripta.

Unde rectè damnata est *Quesnelli* propositio ultima: *Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ JEsu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia. Ratio* additur duplex: *quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis.* 2. *Quia hoc est efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. Matth.* 5. Sed

Cùm praxis deferendi juramenta per se non multiplicet occasiones pejerandi.

Contrà est 1. Ejusmodi praxis multiplicat occasiones pejerandi *per se*, & ex mente Ecclesiæ, vel Judicis, pro fine subsidium imbecillitatis humanæ, rebus in gravibus necessarium, intendentis. N. Multiplicat *per accidens*, & ex malitia hominum. Tr. Ratio probaret, tollendam omnem legem juxta illud: *peccatum non cognovi nisi per legem* (b).

Nec impellat ad malum, si fiat modo debito.

Neque dicas. Licèt ejusmodi praxis non sit *mala in se*, impellit tamen *ad malum*: ergo tollenda. Nam cur *Christus*, juxta *S. Augustinum*, (c) non modò prohibuerit, ne utamur juramento *incauto*, vel *minùs necessario*, sed *consuluerit*, *ne omninò juremus*, unica causa fuit *periculum*, ne labamur in perjurium, qua de causa disputatio cum hæreticis, lectio S. Scripturæ, *de se non mala*, prohibita est rudibus, uti constat. Nam *Dist.* Praxis jurandi *ex consuetudine*, ac *absque necessitate*, impellit ad malum, seu perjurium. C. Praxis jurandi *debito modo*. N. Item: *Christus* & *S. Jacobus* consuluit, ne juremus etiam *licitè* propter periculum, ut ne forsan, *ex consuetudine* jurandi, labamur in perjurium. C. Consuluit, *ne omninò* juremus, etsi præcipiatur, seu ad bonum fidei, & pacis, aut aliud commodum Reipublicæ id exigentis. N. Item: Lectio S. Scripturæ est prohibita, quia ipsa est periculosa *in se*. N. Quia legentium rudiras est periculosa *in se*, & impellens ad malum. C.

Et tale juramentum semper maneat actus religionis, etsi imperatum ex motivo humano.

Contrà est 2. Si nomen Dei deserviret quandoque *consilio impiorum*, ùt vult *Quesnellus*, tunc ideò, quia juramenta exigi solita haud essent intenta *ad cultum Dei*, sed ad *finem inferiorem*, firmandam nempe fidem verbis, vel pactis humanis, adeóque non forent *actus religionis*: hæc ratio nulla est. Nam *licet motivum inducens* ad juramenta non pertineat ad *virtutem religionis*, ipsum tamen juramentum est *actus religionis* ob fidem in Deum veridicum, ejúsque invocationem in testem. Neque sequitur, quòd si juramenta forent *actus religionis*, *votorum instar*, frequentari; immò & exerceri *absque necessitate* possent. Nam juramentum *non qualecunque*, sed *ut remedium* ad subveniendum infirmitati humanæ, adeóque *ut necessarium*, est *actus religionis*, dicente *S. Augustino* (d): *jurationem non esse in bonis, per se appetendis, sed in necessariis*, id quod de voto circa rem, Deo gratam, utique diei nequit.

Obligatio juramenti promissorii duplex, quò ad animum implendi, & ipsam impletionem, respectu cujus potest esse levis.

℞. III. Memorabilis *obligatio juramenti*. Et inprimis juramenti promissorii *duplex* est obligatio: prima, ut jurans habeat *animum implendi*; altera, *ut impleat*, si possit *rationabiliter*, & *salvo jure Superioris*; nisi obligatio *remittatur*; neque res *notabiliter mutetur*, quæ sunt conditiones subintellectæ. *Defectu primi* peccat quis graviter, etiam in levi materia, æquè ac in juramento assertorio, plenè delibetato: quia continet gravem Dei irreverentiam, & contemptum. *Defectu secundi* in materia levi obligatio levis esse potest: quia Deus *propriè* non adducitur in testem exequendi operis, sed obligationis, sic ut promissi *incurius* propriè *mendax* non sit, id quod requirit perjurium, sed potiùs *infidelis*: ergo Authoritas Dei adducta quidem est in confirmationem promissionis infidelis, non tamen in testimonium falsi.

(a) Ad *Hebræos* 6. v. 16.
(b) Rom 7. v. 7.
(c) Epist. 154. ad *Publicolam*: In novo Testamento dictum est, ne omninò juremus; quod mihi non propterea dictum videtur, quia verum jurare peccatum est, *sed quia pejerare immane peccatum est, à quo longè nos esse voluit, qui omninò, ne juremus, admonuit.*
(d) L. de sermon. Domini in monte.

falsi. Unde promittens, se aliquid facturum, non affirmat, *se id verè facturum*, (cùm hoc nesciat, quia contingens) sed tantùm obligat se *ad faciendum*. Neque violatio promissi est contra virtutem *veritatis*, quæ pro opposito habet *mendacium*; sed contra virtutem *veracitatis*, quæ in eo consistit, ut dictis ac promissis facta respondeant, ac pro opposito habet *inconstantiam in dictis, aut infidelitatem in promissis*.

Manet obligatio, etsi juramentum sit injuste extortum, quia sine peccato impleri potest.

2. Stringit obligatio * respectu religionis, etsi juramentum injuria sit extortum; etsi vi, dolo, vel errore, *non versante circa substantiam*, sit præstitum: quia turpitudo se non tenet *ex parte jurantis*, sed *recipientis*: ergo sine peccato servari potest, adeóque, *ut ne Dei nomen in testimonium falsi adductum sit*, servari etiam debet. ** In foro tamen civili suppetit *medium rescissionis*, aut *restitutionis in integrum*, idque in odium injusti exactoris, *ne ex iniquitate commodum ferat, cùm hoc expediat; immò necessarium sit ad innocentum defensionem, & Reipublicæ tranquillitatem*. Hinc *teste Laymanno* (a) etsi Princeps catholicus peccet, si absque maxima necessitate Acatholicis publicum exercitium suæ sectæ, in ditione sua, promittat, posteaquàm tamen, publica & jurata fide, pollicitus fuit, servare debet: quia, eodem Authore, promissio talis mali ita mala non est, quin cohonestari possit *necessitate* fœderis publici observandi, propter jus Gentium, cum alioquin nulla inter homines Societas tuta esse posset. Hoc non obstante, ac etiam *spectato jure naturæ*, datur remedium rescissionis, summis Imperantibus competens, ùt infrà declarabimus.

Nulla obligatio de re mala, vana indifferente.

3. Nulla est obligatio juramenti de *re mala, vana, inutili*, vel etiam *indifferente*, nisi ex fine, aut circumstantiis cohonestetur: quia juramentum nequit esse *vinculum iniquitatis*, rei vanæ, otiosæ, ad quam Deus non vult nos obligari. Neque convalescit juramentum, re mala, mutatis circumstantiis, transeunte in bonam: *quia non firmatur tractu temporis, quod initio non subsistit* (b).

Stricta de re utili homini promissa.

4. Contrà juramentum, quod in utilitatem, vel gratiam hominis, seu Communitatis editum est de opere honesto, semper tenet, nec in aliud, quamvis melius opus, arbitratu jurantis, mutari potest: quia est regula communis: *juramentum homini præstitum, semper servari debet, si sine peccato servari potest*.

Est personalis in jurante, realis penes eum, cui juratur.

5. Obligatio, quæ juramento propria est *ex virtute religionis*, est solummodò *personalis*, nec transit ad hæredes, vel successores jurantis, *nisi ex vi pacti, legis*, aut *consuetudinis*, posito, quòd nulla interveniat turpitudo ex parte exigentis juratam promissionem. Sed transit tamen ad hæredes, & successores ejus, cui juratum est, obligatio juramenti, *propriè* promissorii, etsi id expressum haud foret: quia plerumque tam hæredibus, ac successoribus, quàm nobismet ipsis cavere volumus. Unde fluxit illud procardicum, quòd *juramentum ex parte jurantis sit personale: ex parte ejus, cui juratur, reale*, hoc est, transitorium cum re, puta, dignitate, hæreditate, dummodò præstitum sit Prælato V. G. ratione officii, ac dignitatis.

Persona habilis omnis creatura per se rationalis.

6. Personas juramenti habiles quod spectat, Deus, non nisi *per quamdam metaphoram*; omnis verò Creatura rationalis, etiam *Christus*, propriè jurare potest: juramentum tamen impuberis & perjuri, non recipitur in judicio. Sed & Sacerdotes non nisi gravi de causa jurare cogantur, nempe ad *purgationem sui*, vel *alterius innocentiam demonstrandam*; *pro fide, obedientia, pro pace*, & *indemnitate Ecclesiæ* &c. Neque Clericus jurare debet in manu laici exigentis juramentum *coactivum*; alioquin non prohibetur Clericus, etiam Sacerdos, *propter necessitatem*, præstare juramentum voluntarium coram Laico (c).

Usus juramenti.

Quæritur V, Quæ specialiter observanda circa usum in officiis jurantium?

Cum debitis conditionibus, secus erit perjurium.

℞. I. Observandum, quòd *juramentum fieri debeat debito modo*, secus degenerat in *perjurium*, quod latiùs sumitur pro omni juramento irreligioso; strictiùs *pro falsitate juramento confirmata*. Juramentum illicitum, *defectu judicii*, etsi non raro sit veniale tantùm V. G. si quis absque necessitate, seu *debita consideratione*, puta, *ex levitate* quadam animi, vel *consuetudine* juret, quale juramentum vocatur *incautum*; *mortaliter* tamen peccari po-

---

* Abstrahendo à contractu matrimoniali.

** Inde *Vitriarius* in instit. J. N. & G. L. 2. c. 13. n. 11. f. m. 371. more suo malè emendat *Grotium* ex *Seldeni* & *Puffendorfii* principiis, infra refutandis.

(a) L. 4. *Mor. Tract.* 3. c. 7. n. 2.

(b) Regula juris. 18. in 6.

(c) Videatur *Laymannus* noster.

poteſt, ſpectatâ gravi negligentiâ, quam jurans admittit, ſeu in inveſtigatione veritatis, ſeu in tollenda conſuetudine. 2. *Defectu juſtitiæ* leviter, vel graviter peccat, qui jurat ſe facturum rem, ſeu *venialiter* ſeu *mortaliter* malam, propter levem, aut gravem irreverentiam authoritatis Divinæ. 3. *Defectu veritatis* peccatur graviter ob gravem irreverentiam, etiam in levi materia, quia Deus, *animo deliberato*, adducitur in teſtem falſitatis: & tale juramentum propriè appellatur *perjurium.*

Exigendus ſecundùm naturam, & conditiones rei juratæ.

℞. II. *Obſervandum 2. Quòd juramentum aſſumat naturam, & conditiones ſive rei & contractûs, ſive promiſſionis, cui adjicitur.* Non enim auget obligationem *extenſivè*, ſed ſolùm *intenſivè*, addendo obligationem religionis. Unde, qui juravit ſe debitum ſoluturum, is poſteà, ob juſtam cauſam, compenſatione uti poteſt cum alio ſimili, eóque liquido debito: ſic & juramentum, reciprocæ promiſſioni, aut contractui adjectum, eam tacitam conditionem habet, ſi alter quoque promiſſis ſteterit, quia hìc valet, *quòd frangenti fidem, fides ſervanda non ſit*, & ſic de aliis.

Unde licitus etiam quò ad locutionem amphibologicam.

2. Sic ex licentia locutionis amphibologicæ, ſi juſta cauſa ſubſit, deducitur quoque licentia juramenti amphibologici, *ſiquidem neceſſitas poſtulet. Ratio eſt*: quia ubi jus eſt occultandi veritatem, & occultatur ſine mendacio, nulla irreverentia fit juramento. Quòd ſi fieret *ſine juſta cauſa*, non foret quidem perjurium, *propriè* dictum, cùm ſaltem, ſecundùm aliquem verborum ſenſum, vel reſtrictionem mentalem, verum juret, erit tamen *ex genere ſuo* peccatum grave *contra religionem*, cùm ſit gravis irreverentia, ad alterum in re gravi decipiendum uſurpare juramentum.

Sed non niſi cum debita neceſſitate.

3. In juramento amphibologico debet attendi *neceſſitas*, quæ *major* eſſe debet, quàm requiritur ad licentiam locutionis amphibologicæ. Sic interrogatus de levi defectu alterius occulto, Authore *P. Viva*, (a) licitè poteſt uti reſtrictione dicendo, *ſe illum neſcire*, quòd *communiter hoc* intelligatur *de ſcientia communicabili*; nequit tamen ſupperaddere juramentum, cùm ex manifeſtatione defectûs exigui non ſequatur grave damnum, etſi ejuſmodi juramentum haud gravem reatum incurreret.

Obligationis ceſſatio per defectum conditionis imbibitæ.

℞. III. *Obſervandum 3. Quòd, quibusdam in circumſtantiis, vel ceſſet, vel tolli poſſit obligatio juramenti.* Præterquàm quòd juramentum, ſeu ſpectata intentione jurantis, ſeu ſpectata materiâ, juramento contenta, *ſtrictæ interpretationis* ſit, propter periculum perjurii, *ceſſat* omninò. 1. Si res bona fieret illicita, vana, impeditiva majoris boni, vel *alio modo* notabiliter mutaretur ejuſdem ſtatus; vel facta foret omninò inutilis ad intentum. *Ratio eſt*: quia deeſt conditio ſubintellecta in juramento: *ſi rationabiliter fieri poſſit.*

Per irritationem.

2. *Tollitur per irritationem* à Superiore, Marito, Domino, qui & eodem modo irritare poteſt vota, contractus, promiſſa, etiam facta in favorem hominis.

Diſpenſationem, vel commutationem.

3. *Diſpenſatur*, vel *commutatur* eodem modo, quo vota, ab habente poteſtatem legitimam: immò & ab ipſo jurante mutari poteſt in opus melius, niſi in ſavorem hominis præſtitum ſit.

Denique per relaxationem.

4. *Relaxatur* à ſolo illo, in cujus favorem factum eſt, aut ab eo, cui promiſſa materia ſubjecta eſt. An autem poteſtas civilis relaxare poſſit juramenta ſuorum ſubditorum in temporalibus, quando juſta cauſa ſubeſt, V. G. quia metu, vel per gravem injuriam extorta ſunt, non ſatis convenit inter Authores. Illud probabilius, quòd non poſſit relaxare *directè*, ſicut poteſtas Eccleſiaſtica, quando diſpenſat; ſed tantùm *indirectè ratione materiæ*, vel ſupplendo vicem ejus, cui juratum eſt, & qui remittere debebat.

Officia jurantium eorúmque principium naturale.

℞. IV. *Obſervandum 4. Quot & qualia* ex dictis fluant officia jurantium, & quonam ex naturæ principio deriventur. Nam 1. Officium eſt: *Temerè non jurandum.* 2. *Juramentum temerè non exigendum.* 3. *Jurandum cum veritate.* 4. Promiſſa jurata *fideliter* ſervanda. 5. Juramentis non abutendum *ad res illicitas*, & ſic de aliis. Porrò, cùm juramentum ſit actus religionis, ex *Puffendorfiano* Socialitatis principio, non niſi *indirectè* obligatio deduci poteſt, fatente *Thomaſio*: *quòd potiſſima capita de officiis jurantium præſupponant præcepta de religione, adeóque hæc doctrina ad Theologiam remittenda ſit*(b). Sed & ipſe, ejúſque compilator *Fleiſcherus* cum *Kemmerichio*, more ſuo, hæc officia *impertinenter* partim ex *regulis juſti*, partim *ex regulis honeſti, decorique* exſculpunt. Veriùs in noſtro ſyſtemate, *ex fundamentali juris naturalis principio*, eruuntur nam officia prædicta: vel

ſunt

(a) In propoſit. 27. damnatam *ab Innocentio* XI. n. 18.
(b) In fundamen. J. N. & G. L. *a. c.* 9. n. 1.

sunt *conformia*, vel *opposita* amori, Deo & proximo naturaliter debito, hoc est, *ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessario*, exigente scilicet naturæ corruptæ infirmitate *subsidium* ad magis firmandam sinceritatem in officiis sermonis, & ad roborandam ampliùs fidelitatem in promissis, pactisque *simpliciter* necessarium, & *necessariò* petendum ex cultu, & reverentia Deo, *ut Authori naturæ omniscio & vindici, naturaliter* debitâ, id, quod erat declarandum.

§. 3.

§. III.

De mendis Protestantium emendandis circa officia sermocinantium, atque jurantium.

Menda protestantica circa officia sermonis.

Eorum principia admodùm heterodoxa.

Quæritur VI. *Quæ principia Moralistarum protestantium circa officia sermonis?*

℟. *Sunt ab orthodoxis admodùm aliena.*

Explicatur assertum I. Cùm ejusmodi fundamenta, *ex Arminiano* phantaso, primus plastes coagulârit *Hugo Grotius*, hic producendus præ cæteris; subin protestantici Commentatores, *Puffendorfii, Thomasii*, aliique, quia non nisi in *Grotii* vitula arantes, cum suis parergis subjungendi, ut mendacii protestantici idea fictilis eo clariùs in Orthodoxorum oculis scintillet.

Circa mendacii malitiam.

Explicatur assertum II. *Grotius* statuit (a): Mendacii malitiam consistere in *repugnantia cum jure existente ejus, ad quem sermo dirigitur.* Jus istud, ait consistere *in libertate, quam homines colloquentes his, quibus colloquuntur, quasi pacto quodam tacito debere, intelliguntur.* Clarior *Henniges*, ejus interpres, (b) *formale mendacii* statuit *in repugnantia cum libertate judicandi*, sic ut audienti integrum sit, *non solum* verba, sed & *mentem loquentis intelligere.* Dicitur autem hoc *jus existens* in audiente, eò quòd tolli possit vel *per consensum audientis expressum*, * vel *per tacitum, ac à loquente præsumptum*, vel *per oppositionem juris alterius, quod communi hominum judicio prævalet.* ** Quo jure cessante cessat mendacium, fitque falsiloquium licitum, quod teste *Hennige* contingit, quando ejus, quem alloquimur, nihil interest; vel *quando ejus, vel nostrâ, vel Reipublicæ multùm refert, ut pro nunc nesciat*; *vel quando superiore jure sublata est.*

Ejusque essentiam.

Explicatur III. Ex his principiis *Grotiani Amanuenses* efformant cum *Puffendorfio*, (c) *Vitriario*, (d) *Webero* (e) conceptum *veritatis*, ac *mendacii*, dicendo, quòd illa sit *convenientia*, hoc autem *disconvenientia verborum cum rebus, ac animi sensis ex officio manifestandis*, hoc est, quando ea intelligendi *jus imperfectum*, vel *perfectum* suppetit audienti, *sive ad commodum consequendum, sive ad incommodum avertendum.* *** Non nihil accommodatiùs *Kemmerichius* (f): *Veritas* sumitur vel pro physica sermonis affectione, vel pro virtute morali: posteriore sensu *veracitas* potiùs dicenda est, studium alteri animi sensa, citra obscuritatem, aperiendi, quotiescunque illud *nostra*, vel *aliorum commoda* requirunt. Mendacium contrà est falsiloquium *dolosum*, hoc est, cum læsione alterius conjunctum.

Obligationis radicem.

Explicatur IV. Ex iisdem principiis *Grotiani* iidem *obligationem vitandi mendacii, quò ad usum verborum in significatione propria, quam habent ex hominum placito, refundunt in pactum tacitum* : **** obligationem, *quò ad animi sensa, verbis exprimenda, in eodem pacto tacito* fundat *Grotius*; alii cum *Puffendorfio* in jure, quod residet vel penes audientem, vel etiam penes loquentem, *cùm sermo non solum sit propter alios, sed & propter nos*, uti loquitur *Puffendorfius*, sive dein jus illud sit *perfectum*, ne quis lædatur, sive *imperfectum*, ut cujusvis commodum promoveatur. Unde *Thomasius* correctus, cum *Fleischero*, & *Kemmerichio* hanc obligationem *ex decoro*, & *justo naturali* deducit, sic ut *malitiam*, quæ mendacio inest, cum *Grotio* non ex alio fonte, quàm *ex repugnantia cum jure*,

(a) De J. B. & P. L. 3. c. 1. à §. 11.
(b) Apud eundem in notis edit. *Francof.* A. 1691.
* V. G. Si quis prædixerit, se falsa dicturum: *Ovidius* Metam. 302. *Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum.*
** Sic teste *Gronovio sicario* sese prodere non oportet.
(c) De J. N. & G. L. 4. c. 1. §. 8. *De officiis hominis* L. 1. c. 10. §. 7.
(d) *In institut.* J. N. & G. L. 3. c. 1. à n. 9. f. m. 444. ubi *Grotii, Puffendorfii*, & Notatorum lumbricos in nucem compingit.
(e) In notis ad L. de officio hominis f. 164.
*** *Thomasius* sibi aliàs exosum lingit scholasticum pulverem *Jurispr. Div.* L. 2. c. 8. n. 49. & seqq. dum veritatem aliam *metaphysicam, logicam, ethicam, justitiariam, homileticam*, nullo operæ pretio, & obscuris verborum phaleris declamat, cui meliori jure, quàm ille alibi Scholasticis occinas: *rebare te fari scio, sed fabare nescio: loquamur, ut unus intelligat alterum.* Unde in *secundis curis* hæc omittenda rectissime monuit.
(f) In elementis J. N. & G. c. 10. §. 7.
**** Hæc conventio *Puffendorfio* L. 4. c. 4 §. 6. *Vitriario*, & aliis dividitur in *generalem*, & *specialem*: illa ligat homines ejusdem idiomatis; hæc concernit terminos artium, communi usu ignotos, quò reducunt tesseras militares.

jure, penes audientem, vel loquentem residente, derivent. *Puffendorfius* obligationem vitandi mendacii oriri, ait, vel *ex communi præcepto legis naturalis*, hoc est, *Socialitatis* interprete *Hertio* (a); vel etiam *ex peculiari pacto*, quale intercedit V. G. inter informatores ac discipulos, quandoque *ex præsenti negotii indole*, uti in contractibus (b).

Indèque deducta axiomata. *Explicatur* V. Ex hisce suppositis varias regulas deducunt iidem protestantici Moralistæ, ad quarum amussim dirigenda sermocinantium officia asseverant. *Generalem* regulam præfigit in fronte *Thomasius*: *sermone* * *utere ad promovendam tranquillitatem communem*: *specialem* pro verborum usu legitimo: *vocabula non in alia significatione adhibe, quàm conventum est.* Inde *Weberus*: *mensam non liret vocare fornacem, & vice versa*: *orietur enim inde confusio, Socialitati & linguarum fini adversa*: *breviter*; *oportet significanter loqui.* Circa actum loquendi idem *Thomasius* adstruit hoc præceptum negativum: *Tace, si per loquelam tuam offendantur alii, aut damnum incurrant, aut humanitas, vel pactum, vel pax communis taciturnitatem exigant.* Præceptum affirmativum: *loquere, quoties ex humanitate, vel pacto ad loquendum obstrictus es; vel taciturnitas, damnum, vel contemptum alteri infert, aut tranquillitatem lædit.* Circa convenientiam animi cum loquela præceptum affirmativum: *ea loquere, quæ cum animo tuo conveniunt, si humanitas vel pactum, & communis tranquillitas talia exigant*: præceptum *negativum*: *falsiloquio abstine, quoties per id alter læderetur, aut contemneretur, & pax humani generis turbaretur.* ** *Weberus Puffendorfii* mentem sic breviùs exprimit: *loquere, quoties id officium* (*ex jure alterius perfecto, vel imperfecto*) *requirit, & ita loquere, ut verba ab animi sensibus non discrepent: breviter: oportet rectè loqui, & ex animi sententia.* Inde academia *Giessensis* A. 1733. hæc ex *Puffendorfio* Themata per *Fridericum Kayser* appensa publicè vidit: *tantùm abest, omnem simulationem & dissimulationem esse illicitam, ut cæteris paribus quandoque inter officia referantur.* *Ratio* 1. quia aliis directò sermone sæpe prodesse non possumus, *hinc simulandum*. 2. Aliis manifestare, quæ scimus prohibitum, *hinc dissimulandum.* *Consentiunt* omnes, qui inter falsiloquia & mendacia; simulationes & dissimulationes noxias & innoxias distinguere sciunt. *Dissentiunt*, qui *ex imperitia* rerum moralium utrumque, tanquam pseudopoliticis proprium, rejiciunt. Similia scita profert academicis protestantibus Fridericus Ludovici, (c) & alii passim.

Sensus orthodoxus de his principiis. *Quæritur* VII. *Quis sensus Catholicorum de hisce principiis?* ℞. *Hæc principia sunt oppidò erronea, ac reverà falsa.*

Sunt erronea in fictitiâ mendacii conceptu. *Probatur Assertum* I. Ex his præmissis sequitur *in genere*, quòd *dictum contra mentem, etiam animo fallendi*, vel non sit *mendacium*, sed merum *falsiloquium*; vel quòd sit quidem *mendacium*, sed tamen licitum, si modò proprium, aut alienum commodum incommodúmve hoc exigat: utrumque est *erroneum*, & *certo falsum*. Nam primum *in quæstione nominis* est contra communem omnium Patrum, Doctorúmque linguam, per tot sæcula receptam, à rostellis flaventibus haud corrigendam juxta præceptum *Thomasii*: *vocabula non in alia significatione adhibe, quàm conventum, verius usitatum.* Secundum repugnat *malitiæ* mendacii, quæ aliunde deiumi nequit, nisi *à deordinatione à fine*, loquelæ à natura præfixo; puta à manifestatione conceptuum, *positivè ingenerando errorem*; & à felicitate, Societati humanæ propria, evertendo sinceritatem in conversatione *ubique certam*, & in commerciis securitatem *absolutam, absolutè* necessariam, ùt suprà probavimus.

Excludendi mendacium jocosum, atque officiosum. *Probatur Assertum* II. Sequitur 2. *In specie*, quòd ex mendacii definitione protestantica facilè pateat, fatente *Webero*, *omne mendacium esse dolosum, & nullam esse vulgarem distinctionem mendacii in officiosum, jocosum, & perniciosum, eo quòd duæ priores species ad simulationes, & falsiloquia referenda sint.* Quæ sequela, quàm sit mentiendi libidini accommoda; quàm adversa loquelæ fini, à natura intento; quàm periculosa humano commercio; quàm eversiva securitatis absolutæ, ad felicitatem Societatis humanæ necessariò requisitæ, patet ex dictis, & illicò amplius ex dicendis. Sed succlamant *Thomasii*: *inquies, quilibet haber perpetuò jus, ne fallatur, & decipiatur ab altero*: *ergo semper falsiloquium erit turpe.* *Immò verò*, reponit; quæ

(a) In notis ad *Puffendorfium* L. 4. c. 1. n. 10.

(b) *Puffendorfius*. L. c. §. 7. Item L. *de officio hominis*, c. 10. §. 3.

* Eadem ubique est ratio de reliquis animi signis, *litteris, nutibus, digitiloquiis, oculiloquiis, pediloquiis*, de quibus *Mulleri* dissertationes.

** *Thomasius* in fundamentis, & ejus sectator *Fleischerus*, succinctiore phrasi, sic: *tace, loquere, verà dic, falsiloquio utere, quoties, & quo modo opus est ad promovenda aliorum commoda, aut jura non lædenda*: *prior* conclusio est ex regulis *decori*; *posterior* ex regulis *justi*.

(c) In doctrina J. N. C. 9. ubi §. 6. mentales reservationes licitas admittit, si alterum non lædant; Jesuitarum prohibitas censet ex Montaltio. Sed videantur Coll. Hist. P. VII. Q. 6. ubi hanc calumniam diluimus.

qua fronte tu hanc objectionem asseris, eâdem ego ejus universalitatem negabo. Sed asseritur fronte, per rationes suprà positas firmâ, & negatur fronte, nil refutante, adeóque haud firmiter se opponente.

In regulis haud convenientibus omni.

Probatur Assertum III. *Sequitur 3.* Regulas allatas suprà malè esse fundatas. Nam obligationem, *quæ ad usum verborum in significatione communi*, fundari *in pacto tacito*, figmentum est: inde *Kemmerichius* eandem *ex consuetudine* derivat. Veriùs, suppositâ significatione vocum, quæ *hominum placito* originem; *imitationi, usuique mutuo, ac diuturno*, firmitatem debet, obligatio *quò ad usum* descendit ex fundamentali juris naturalis principio, nempe *ex debito amoris* erga se & alios, in ordine ad felicitatem humanam, *absolutè* necessarii. Secùs enim, ùt suprà dixit *Weberus*, *oriretur confusio, Societati humanæ, & linguarum fini adversa.* Palpabilius est *Grotii* mendum, qui obligationem loquelæ, menti conformis, *ex eodem pacto deducit*, non distinguens, ùt monet *Puffendorfius*, (a) obligationem *diversam, & ex diverso principio premanantem.* Sed & obligatio, fundata *in jure* audientis *perfecto*, vel *imperfecto*, non est *universalis*: unde & regularum supellex, ad commodum promovendum, vel læsionem proximi avertendam restricta, est manca, quia in solo jure *privato*, non *universali* totius Generis humani necessitate fundata. Hinc substituenda triplex alia regula, ex universali juris naturalis principio deducta: *Tacendum, vel loquendum, quoties id, seu strictè, seu minùs strictè, est exigitum ab amore, cuivis naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario.* Inde vitanda *garrulitas, adulatio, jactantia, scurrilitas, obscuritas promiscuè amphibologica*, cæteráque locutionis vitia: loquendum ex commodo, ac jure proprio, vel alieno, DEI, vel proximi causâ justa id exigente. *2. Vitandum omne prorsus mendacium*, quia *ubique* & *semper*, si minùs bono proprio, vel proximi *privato*, saltem bono *communi* adversum, utpote conversationi, & commercio humano, *respectu securitatis, ac certitudinis absolutæ*, præjudiciosum ac periculosum. *3. Quandoque permissa; immò præcepta occultatio veritatis per sermonem, minus apertum, verum tamen, nec nisi permissa alterius deceptione, & justa seu nostri, seu proximi necessitate id exigente*, id quod planum est ex fundamentali juris naturalis principio, seu amore, cuivis naturaliter debito, uti suprà sat declaratum.

Aliisque mendis pluribus.

Probatur Assertum IV. *Sequitur 4.* Principiis *Grotianis*, & alia aspergi menda à pedissequis. 1. Quòd mendacium cum falsiloquio constanter confundant: quem errorem ipse *Ziglerus* protestanticus jam in *Grotio* notavit ex *Laymanno* nostro (b), saltem sub dubio, an mendacium in sensu etiam latiore possit accipi pro falsiloquio, *eò quòd mendacium ex natura sua peccatum sit, & non possit non esse malum.* 2. Quòd *Puffendorfius* obligationem vitandi mendacii *inaniter* reducat ad *pactum particulare*, vel *negotii indolem*, cùm hæc non tam faciant obligationem, quàm augeant. 3. Quòd *Thomasius* sermonem homini tribuat *causâ Socialitatis*, mox in secundis curis id neget, & referat *ad varios mores, & desideria hominum diversa*: addens, duos homines, sese mutuò non intelligentes, fore miseriores geminâ bestiâ commorante, etiam speciei diversæ V. G. *canis*, & *cati*. 4. Quòd idem obligationem vitandi mendacii nunc ex *Socialitate* deducat; nunc *ex publica tranquillitate*; tandem in secundis curis denuò revocet, & officia sermocinantium *ex principiis decori* & *justi*, immò & *honesti* exsculpat. 5. Quòd idem *Thomasius* officium loquendi, *quando id exigit Divinus honor*, à naturæ jure sequestrandum, & Theologis relinquendum ducat, eò quòd respiciat *cultum Dei externum*, jam priùs in institutionibus Jurisprudentiæ, quam vocat, Divinæ, extra sphæram naturalis Jurisprudentiæ, relegatum.

Deductiones Protestantium.

Quæritur VIII. *Quænam, ex erroneis hisce principiis, conclusiones à Naturalistis protestanticis deductæ circa officia sermocinantium?* ℟. *Admodùm paradoxæ, & mentiendi lubidini oppidò favorabiles.*

Admodùm paradoxæ, confundendo mendacium cum falsiloquio.

Explicatur Assertum I. Admittunt in *genere*, locutionem *propriè* contra mentem, etiam animo fallendi, hoc est, *mendacium formale*, quod fucato *falsiloquii* nomine palliant, toties *jure naturæ* licitum, * quoties id exigit commodum proprium vel alienum promovendum, aut incommodum avertendum. Ita *Grotius* cessare, ait, mendacium cessante jure penes audientem, seu per consensum expressum, vel præsumptum, seu per jus aliud prævalens, ùt suprà retulimus. *Puffendorfius*: *falluntur, qui credunt, semper mentiri eum, qui aliquid dicit, à sententia animi sui discrepans, adeóque qui sua naturá turpe esse autumant aliud dicere, quàm sentias: ita simplex est valde credere, piaculo semper obstringi, qui citra alicuius injuriam, & in utilitatem sui, ac aliorum verba profert, ab animi*

sui

(a) L. 4. de J. N. & G. c. 1. §. 10.

(b) L. c. ad §. 10.

* Ita ex *Thomasio* reformato *Fleischerus* Instit. J. N. L. 2. c. 8. §. 43. *Multò minùs verum est, quòd omne falsiloquium* (hoc est mendacium, non perniciosum, ùt habet §. 42.) *sit contra jus naturæ: nam si foret injustum, vel inaecorum, sequeretur, quòd veritas dici debeat, quamvis & mihi & aliis sit noxia, quod verò absonum esse unusquisque facilè deprehendit.*

sui sententia discrepantia, cùm merum sit falsiloquium (a). Ejus interpres *Weberus* ait, mendacia *jocosa*, & *officiosa* referenda esse *ad simulationes*, & *falsiloquia* licita, quodes nempe teste *Puffendorfio* audiens non habet jus *perfectum*, aut *imperfectum*, vel in aliqua re nostra versatur utilitas, aut proximi nocumentum (b). *Kemmerichius* (c) putat, *falsiloquium licitum esse, si commoda nostra vel aliorum id exigant: non enim mendacium est, si quis falso, fictóque sermone utatur, non ut damna aliis inferat, sed potiùs commoda aliorum promoveat. Thomasius* (d): *non teneor convenientia cum animo meo loqui, quoties alter ad id jus perfectum, aut imperfectum non habet; aut mea aliqua non contemnenda versatur utilitas; aut quando veritas cederet in alterius detrimentum*, & hanc dicit esse *prudentiam*, à natura *per sermonem intentam*. Ulteriùs ait (e): *mendacium, quod officiosum & jocosum vulgò dicunt, impropriè mendacium esse, jam Lutherus observavit, officiosum non malè singularem virtutem, & prudentiam esse asserens. Henricus Koclerus* (f): *falsiloquium est sermo diversus à cogitatis; falsiloquium cum damno alterius est mendacium.* Addit, *falsiloquia*, sine quibus nos aliósve conservare non possumus. *precepta* non minùs, quàm *licita* esse debent in foro externo: id quod etiam affirmandum, ait, de *simulationibus, æquivocationibus, reservationibus mentalibus*, queis uti possumus cum infantibus, iratis, garrulis, dolosis, ægrotis, inimicis, & si quando aliis remediis destituri sumus, *quia in ejusmodi casibus malum minus præferendum majori*, puta nostro, alienóve incommodo, damno &c. Ita ille.

Mentiendi libidinem oppidò favorabiles admittendo mendacia passim licita.

Explicatur Assertum II. Admittunt iidem *in specie* mendacium licitum 1. Adversùs *pueros* & *amentes* juxta illud *Quintiliani: puerorum ætatem providè ludificandam*; rationem addente *Grotio, quia in illis nulla judicii libertas, adeóque non possit circa hanc libertatem fieri injuria.* Sed modificatur hæc *indistincta* licentia à *Thomasio* propter jus, omni homini æquale; à *Puffendorfio* ad terriculamenta, fabulásque restringitur, si ratione magìs seria doceri commodè nequeant.* 2. *Grotio* mendacium licitum, *respectu tertii, ad quem sermo non dirigitur: quia nulla ad tertium obligatio, cum respectu illius sermo non sit sermo, sed rei, quæ significare quodlibet potest.* Et quia *Grotio* non mentitur, qui, quem alloquitur, monet, se falsa dicturum, tertius commodè deludi posset. Unde *Puffendorfii* paritas, de sigillo epistolari, huc non quadrat, & rectè *Gronovius* (g): *non posse a duobus, ex compacto, captari tales occasiones, ut tertius hoc modo ludibrio habeatur.* 3. *Grotio* mendacium licitum, casu quo alter deceptionem suam ægrè haud laturus præsumitur propter commodum, quia non infertur ei injuria. dicente *Xenophonte, amicos decipere licet ipsorum bono*; & *Clemens Alexandrinus*, mendacio uti *pro remedio* posse, permittit (h). Adstipulatur *Puffendorfius*, eò quòd loquens, *ex lege humanitatis, ad id teneatur* (i). 4. Eidem *à fortiori* mendacium licitum pro bono publico Reipublicæ, dicente *Quintiliano: aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa defendantur* (k). Plura adducit exempla *Grotius*. quæ etiam *Hennigs* paraphrastæ, immò & *Puffendorfio*, displicent. 5. *Grotio* mendacium licitum iis, *qui habent jus supereminens in audientis jura*, quoties id cedit *in proprium* vel *publicum commodum*. Inde ex *Platone* affirmat, *Imperium habentibus falsum dicere licere*, etsi Deo non competat. Exempla allegat de *Josepho*, fratres, ùt exploratores & fures, accusante; de *Salomone*, Infantis dubii divisionem imperante &c. *Puffendorfius falsum sermonum* Regentibus indulget ad tegenda consilia, allegans *Hispanorum* proverbium: *dic mendacium, & erues veritatem.*

(a) De J. N. & G. L. 4. c. 1. §. 9. *Hæc sub dissimulationis fucata* omnino repetit L. 1. de officio hom. c. 10. §. 4. & 5. & 6.

(b) L. c.

(c) In elementis cit. c. 10. n. 19.

(d) Jurisprud. Div. L. 2. c. 8. n. 41. & seqq. Hæc in fundamentis *expungenda esse*, ait, *quò ad jus imperfectum*. & in casu amovendi detrimenti à proximo non tantùm *licere, sed teneri* nos ad fictum sermonem, asseverat.

(e) n. 62.

(f) In J. N. methodo system. exercit. 5. §. 1060. & seqq.

* Si quis objiceret, hoc usu esse orthodoxis, etiam timoratis, quando infantes ludificant v. g. per S. *Nicolaum*, reponitur, hanc, ex parte Parentum, esse comœdiam de S. *Nicolao* scenico, seu *repræsentative* tali; ex parte infantum esse errorem, eorum bono permissum; locutiones esse *figuratas*, quas nemo mendacia dixerit, quo sensu, si sua terriculamenta, fabulásque intelligat, *Puffendorfius* reformandus haud erit.

(g) In notis ad Grotium.

(h) Apud *Grotium* §. 14. n. 2.

(i) L. 4. de J. N. & G. c. 1. §. 16. Addens: *Unde ab omni vitio mendacii vacant ficti sermones, quibus alicujus innocentia tegitur, iratus placatur, mœstus demulcetur, aut quid aliud commodi affertur, quod aperta oratione obtineri non poterat.* Addit *Thomasius*: *Si meticulosus animus addendus, fastidiosus ad capienda medicamenta movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propositum alterius intervertendum.* Addit *Fleischerus* in Inst. J. N. L. 2. c. 8. *Si mercator merces laudat, ut carius vendat*

(k) L. 11. c. 18. apud Grotium.

ritatem. Item *Platonis* apophtegma (a): *Rempublicam administrantibus præcipuè, si quibus aliis mentiri convenit, vel hostium vel civium causâ, ad civitatis utilitatem.* 6. Idem *Grotius* deducit, *mendacium licitum, esse, quoties vita innocentis, aut par aliquid servari, & alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti nequit.* In exemplum adducit *Hypermnestræ* factum, quo promiserat Patri, se interfecturam maritum, quem servârat: unde *Horatius*: *splendide mendax, & in omne Virgo nobilis ævum.* *Addit *Henniges*: fundamentum haberi *in oppositione juris alterius, quod communi omnium judicio plùs valet.* 7. Denique concludit *Grotius*, *hostes mendacio decipi apud Sapientes permissum esse.* Unde *Quintilianus*: *Si hostis pro salute patriæ fallendus, quod aliàs in servis reprehendendum, id erit in sapiente laudandum.* * *Monet* tamen 1. hæc de *asserente sermone*, qui nulli nisi publico hosti noceat, non *de promittente* intelligenda esse; secùs enim, ùt habet *Puffendorfius*, *nunquam pace coire hostes possent* (b). *Monet* 2. Vitanda tamen *Christianis* mendacia, non *ob injustitiam* (naturali jure stringentem) sed *ob simplicitatem*, iis præceptam; cùm etiam Pagani ea, *ob quandam animi celsitudinem*, vitarint *Plutarcho* teste: *quia servile mentiri*; *Alexandro* dicente: *non debere Regem* apud *subditos aliud, quàm vera loqui.*

Quasi conformiter Scripturæ & Patribus, uti fallunt, atque falluntur.

Explicatur Assertum III. Hæc omnia mendacia *Grotius* licita esse asseverat, *superaddito grandi mendacio*, quòd nempe *S. Scriptura* ejusmodi *exempla* suppeditet *laudatorum hominum sine reprehensione notá* (c): adducit exemplum *Rahab*, de qua *Chrysostomus* (d): *O pulcherrimi mendacium! O laudabilem dolum! non prodentis res Divinas, sed custodientis veram pietatem.* Exemplum obstetricum *Ægyptiarum*, de quo *Augustinus*: *O magnum humanitatis ingenium! O pium pro salute mendacium* (e). Addit pronuntiata veterum *Christianorum*, (f) & testimonia Patrum *Origenis*, *Clementis*, *Tertulliani*, *Lactantii*, *Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Cassiani*; immò penè omnium, ùt ipse fatetur *Augustinus*, ita dissentiens, ut tamen *magnam quæstionem, latebrosam tractationem, & disputationem inter doctos alternantem, agnoscat.* *Ita Grotius*

Et inde doctrinam catholicam calumniantur.

Explicatur Assertum IV. Hanc omnem mendaciorum colluviem iidem protestantici Moralistæ calumniarum struicibus coagmentant. *Grotius* (g) coarguit Scholasticorum, *Augustini*, *Angelici*, *Covarruviæ*, *Soti*, *Toleti*, *Lessiique* doctrinam oppositam. 1. *Quod unum Augustinum ex veteribus sequendum sibi delegerint.* *Inde Thomasius* (h): *Quod doctrina de moralitate falsiloquii communiter fuerit in Academiis aliter proposita, adscribendum Authoritati Patrum, & ni fallor, Augustini, qui hactenus in Academiis plùs regnarunt, quam ratio, vel ipsa Scriptura.* Coarguit idem *Grotius* 2. Quòd interpretationes tacitas, *ab omni usu tam abhorrentes*, admittant, ut dubitari possit, an non satiùs sit falsiloquium in dictis casibus admittere: V. G. *nescio, ut dicam*; *non habeo, ut dem* **, & alia à sensu communi repudiata, quæ si admittantur, jam nihil obstabit, quo minùs, quod quis affirmat, id ipsum negare; quod negat, affirmare dicatur, cùm vox pene nulla sit, quæ non significatum duplicem habere possit. Inde *Zieglerus* (i) quanta absurda ex æquivocationibus, & reservationibus mentalibus consequantur, docet *Rivetus* (k): *Nempe frustra leges ferri contra mendacium, & perjurium: sic etiam diabolum, patrem mendacii, excusare se posse; Martyres omnes imprudenter egisse, qui his artibus, cùm mortem effugere possent, usi haud fuerint; Judices pro tribunalibus*

(a) L. 3. de Republ.

* *Vitriarius* in Instit. J. N. & G. L. 3. c. 1. n. 20. *Non mentimur omnibus illis, qui jus quæsitum nullum habent* 1. Vel quia prædiximus, nos falsa dicturos, & alius permisit. 2. Vel quia status audientis impedit jus, propter quod verba menti convenire deberent, sic regulariter non mentimur infanti, aut amenti, nec tertio, ad quem sermo non dirigitur, nec ægroto Medicus, aut si quis ægrotantem amicum persuasione non vera solatur, nec subditis Princeps, si utilitas, aut necessitas publica id exigat, nec illis, qui ab improbi facinoris perfectione aliter averti non possunt, sic & apud hostem falso sermone uti licet. *Thomasius*, malè correctus, in fund. f. m. 225. *Ostendendum esse, ait, in secundis curis distinctiùs, paucissimos homines aptos esse, ut possint ferre veritatem, & erga stultos teneri sapientem ex regulis decori, non tantùm veritatem occultare, sed sæpe falsiloquio, simulatione & dissimulatione uti &c.*

(b) L. cit. §. 19.

(c) L. 3. de J. B. & P. c. 1. §. 9. 19. & alibi passim.

(d) L. 1. de Sacerd apud eundem, ubi *dolum*, non mendacium, excusat.

(e) Quas & laudat Q. 1. ad *Consentium* contra mendacium c. 15. Easdem extollit S. *Hieronymus* ad *Ezech.* 17 & *ad Isaiam* 46 *Ambrosius* ad *Syagrium* L. 6. *Tostatus* negat esse peccatum. Videantur annotata *Grotii* ad c. 1. L. 3.

(f) Quorum aliqua videre est apud *Sixtum Senensem* L. 5. annot. 107. & L. 6. annot. 274.

(g) L. c. § 17.

(h) In fundamentis malè fundatis f. m. 225. cujus futelas, more suo, recoquit *Fleischerus* in Instit. Q. 2. c. 8. §. 48.

** Addit *Vitriarius*: *esne Jesuita? Non*; *scilicet ut tibi dicam. Fleischerus* in Instit. J. N. L. 2. c. 8. § 38. *Patet*, inquit, *quòd omnes reservationes mentales Jesuitarum pugnent contra regulas justi*; allegatque *Montaltii* litteras provinciales exustas.

(i) In notis ad *Grotium* L. c.

(k) In explicat. Decalogi.

nalibus testimoniis fidere non posse; in contractibus, sive publicis, sive privatis, nil haberi certum, & quæ sunt alia. Inde colligit *Thomasius* (a). Ex dictis sequitur *faciliùs, & magis perspicuè*, per tradita à protestanticis Moralistis, *quæstionem fallendi alios esse* expositam, quàm si cum aliis, à *Puffendorfio* relatis, (b) distinguas inter *falsiloquium, & reticentiam veri*, aut hujus *ex parte narrationem*, exemplo *Jeremiæ & Athanasii*; item inter mendacium & sermonem ambiguum, vel tacitam quamdam restrictionem. Nam quemadmodùm hæ distinctiones ex parte *impiam & scelestam opinionem* tegunt, qualis illa *de reservatione mentali*; ita reliquæ, quæ ex *reticentia veri & sermone ambiguo* quærunt effugium, ad litem definiendam non sunt aptæ, sed easdem limitationes admittunt, quas in falsiloquio adhibuimus. Ita ille.

Sensus Catholicorum de protestanticis scitis.

Quæritur IX. *Quis sensus orthodoxus de hisce protestanticis scitis?*

℞. *Sunt juri naturæ adversa, scandalosa, & bono publico perniciosa. 2. Sunt injuriosa S. Scripturæ, Patribus. 3. Sunt denique calumniosa doctrinæ catholicæ, & Theologis orthodoxis.*

Sunt naturæ juri adversa, scandalosa, bono publico perniciosa.

Demonstratur Assertum I. Doctrina adstruens mendacia licita tam *jocosa*, quàm *officiosa*, quocunque casu promovendi commodi, vel amovendi incommodi, seu *proprii*, seu *alieni*, maximè publici; doctrina adstruens mendacia licita etiam ex consensu alterius præsumpto, quovis fine utili, maximè imperantibus, & superioribus respectu subditorum; doctrina adstruens mendacia, etsi *perniciosa*, quam maximè licita *respectu hostium* quacunque data occasione extra pacta; doctrina adstruens mendacia, in ejusmodi casibus, non modo *licita*, sed sæpe *præcepta*, ac necessaria; immò hanc mentiendi artem esse, ex *Lutheri* oraculo, *singularem virtutem atque prudentiam &c.* Doctrina hujusmodi *evidenter* est naturæ juri adversa, *scandalosa*, ac *bono publico perniciosa*: atque hæc est protestantica: ergo. *Min. demonstrativè* liquet ex dictis. *Maj. demonstratur 1.* Talis doctrina *evidenter* est eversiva finis, à natura per sermonem intenti, puta, *manifestationis sensibilis, quò ad animi sensa, & felicitatis publicæ, consequenter*, etiam privatæ, quia est eversiva sinceritatis certæ in conversatione mutua, securitatísque absolutæ, in commercio humano simpliciter requisitæ ad felicitatem, Societati humanæ propriam: ergo est naturæ juri adversa.

Maj. demonstratur 2. Talis doctrina pandit latissimam viam *ad mendaciorum usum promiscuum*: nam, cùm *in tanta mentiendi proclivitate, & occasionibus ferè continuis*, quivis, si minùs habeat, *saltem habere se putet, sibique facile persuadere possit, hic & nunc agi* de commodo, vel imminente incommodo, proprio, aut alieno; *hic & nunc* esse mendacium mere jocosum, vel officiosum; *hic & nunc* præsumi saltem posse consensum; *hic & nunc* sibi suppetere jus prævalens alterius perfecto, vel imperfecto, & sic de aliis &c. Cùm, inquam, in occasionibus obviis, quis imaginari sibi facilè possit, alterum *hic & nunc* vel non esse, vel esse non posse *iure* invitum, adeóque sibi mendacium licitum, *prona erit occasio ad usum mendaciorum promiscuum*; labefactabitur omnis in conversatione *sinceritas*, in sinceritate *certitudo*: fluctuabit in commerciis securitas, *nunquam absoluta, semper suspecta* ob tot, & tantas exceptiones. Verbo: *sensim sine sensu subruetur omnis obligatio veritatis, nihil obstabit, quò minùs quis quid affirmet, vel neget; vacillabunt leges contra mendacia, simulationes & fraudes; Judices in tribunalibus nunquam erunt sat certi; contrahentes nunquam satis securi; ipse diabolus, mendaciorum Pater, cum hac doctrina erit facile excusabilis, dicíque poterit veritatis protestantica Magister*: ergo hæc doctrina est nimiùm *periculosa*, adeóque admodùm *scandalosa*, & bono publico quàm maximè *perniciosa*, id quod erat demonstrandum.

Sunt verbo Dei injuriosa & Patribus.

Probatur assertum II. Argumentum protestanticum, pro licentia mendaciorum petitum ab exemplis S. Scripturæ, vel testimoniis Patrum, est *evidenter* nullum: ergo hæc doctrina est *injuriosa* S. Scripturæ & Patribus. *A. P.* Nullum exemplum est proscribile, quo probatur in S. Scriptura formale mendacium *, ùt passim videre est apud Interpretes orthodoxos, cùm nec obstetrices ægyptiæ sint præmiatæ; nec *Rahab* laudata ob mendacium (si quod fuit *formale*) sed ob pietatis affectum: *Præmiata est*, inquir, *S. Augustinus*, (c) *non fallacia, sed benevolentia,*

(a) In Jurisprud. Divin. L. c. n. 74. & 75.

(b) L. de J. N. L. c. §. 16. et. 13. 14. ubi ait: *Cùm institutus sit sermo, ut quod in animo habemus, efferatur, cogitationum autem nostrarum, quamdiu non proferuntur, in vita humana nullus sit effectus, quomodò tacita illa, & à communi abhorrens, reservatio mentalis possit tollere effectum illum, quem prolata verba aliàs producere apta sunt?*

* Inde Grotii notator, *Ziegleru*s protestanticus, rectè corrigit Grotium L. 3. c. 1. §. 9. in hæc verba: *non arbitror exemplum mendacii in sacris litteris probari &c.*

(c) L. contra mendac. c. 19.

tia; benignitas mentis, non mentientis. Patres quod spectat, nullus adduci potest in medium, qui, *licentiâ tam protestanticè vagâ*, mendacium probârit. *S. Chrysostomum* & *Hieronymum* rectè excusat *Cornelius à Lapide*, quòd per mendacium *simulationem* & *dissimulationem* indicârint (a). Idem sentiendum de *S. Augustino* suprà allegato, de cujus mente aliundè certò constat. Et si qui fuère in prima ætate, quales recenset *Cornelius*, (b) *Origenem*, *Hieronymum*, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, *Theophilactum*, *Cassianum*, *Rupertum*, *Bedam*, *Clementem*, mendacii, in circumstantiis *maximæ utilitatis*, vel *necessitatis privatæ*, apologetæ, deserendi sunt, quia jam constat, sententiam de licentia mendacii formalis, vel restrictionis purè mentalis, quocunque in casu possibili, esse *prorsus improbabilem* & *certò falsam*.

Sunt calumniosa Theologis orthodoxis.

Demonstratur III. Argumentum retorsionis protestanticæ in *occultationem veritatis*, per restrictiones mentales, quasi totidem in casibus licitas apud Catholicos, ac mendacia penès Protestantes, *evidenter* est nulla: ergo est *calumniosa doctrinæ Catholicæ*, *& Theologis orthodoxis*. A. P. 1. Quia nulla licita orthodoxis restrictio *pure mentalis*, *mere interna*, *nullo modo sensibilis*, vel *a communi loquendi usu penitus aliena*, uti per calumniam doctrinæ nostræ affingunt protestantes Moralistæ, sed restrictio *advertibilis*, nec à communi loquendi usu *absolutè aliena*, nec *positive* intenta ad alterius deceptionem, sed ad veritatis occultationem necessariam. 2. Quia & hic restrictionum usus promiscuus minimè licitus, sed non nisi *suppetente justâ causâ*, *necessitate*, vel *utilitate gravi exigente*, & *nullo* interrogantis *suppetente jure* permissus: atqui elt ingens chaos inter occultationem veritatis catholicam, & mendaciloquentiam protestanticam; est disparitas, per plures parasangas, inter licentiam mendacii tam jocosi, quàm officiosi, immò & perniciosi respectu hostium, protestanticam, & inter restrictionem non purè mentalem, exigente necessitate, & utilitate *non qualicunque*, sed *justa*, atque *gravi* permissam, atque ut Patres antiqui loquebantur *ex Platone*, non nisi *quandoque instar hellebori*, & *medicamenti* adhibendam. 3. Quia in doctrina orthodoxa firmum manet *Augustini effatum* (c): *mendacium quodvis* (siquidem occultari veritas licitè nequeat) *liberrime recusandum*, *& moriendum esse potius pro innocentissima veritate.**

Protestanticæ extravagantes in officiis jurantium.

Quæritur X. *Quomodò in officiis jurantium extravagantur protestantici Moralistæ?*

Grotii; ejusque Notatorum.

℞. I. *Grotius* (d) dogmatizat cum *Zieglero*, *Heunige*, & aliis, obligare deliberatum juramentum, etiam absque animo jurandi, vel sese obligandi prolatum, quod de foro externo indubium, de foro interno sic *ex Laymanno* intelligendum (e): cùm juramentum, *merè materialiter* prolatum, non sit verum, sed fictum, & dolosum juramentum, *ratione scandali*, *aut damni amovendi*; *non item propriam ex religionis virtute obligationem adfert.* Hinc, quia in foro externo judicatur secundùm sensum verborum, *Puffendorfii* ratio non stringit, quòd quis tacita intentione impedire effectum posset, cui producendo institutum est, adeóque omnis *usus juramentorum* tolleretur (f). 2. Idem ait, (g) illicitum esse juramentum ad interpretationes quasvis, non planè usitatas, *eò quòd veritas omnino requiratur in eo sensu*, *quem homo audiens intelligere*, *fide optima*, *existimatur*, ut plane *detestandam* asserat illorum *iniquitatem*, qui ut pueros talis, ita viros jurejurando fallendos asserere non dubitant. Sed, si restrictiones licitas, juramento firmandas, etiam quavis *gravi*, & *justa causa exigente*, sugillat, oppidò errat, ùt colligere est ex dictis. Si locutiones contra ipsam mentem, quas falsiloquia dicunt Protestantes, toties licitas asserit, & juramenta opposita esse licita affirmet, necesse est, quia juxta *Puffendorfium*, (h) & DD. *communem*, juramentum assumit

(a) *Cornelius* in Exod. c. 1. v. 20. Item in *Josue*. c. 2. v. 5.

(b) L. c. in *Josue*.

* *Ex hisce colligere est* 1. Quàm futiles sint protestantici passim pseudologastri, dum, ex calumniis insulsi *Montaltii* provincialibus, toties crepant æquivocationes *Jesuiticas*. An non nos, meliore jure, in apricum producimus doctrinam Moralem protestanticam, *verissimè mendacem*. *Colligere est* 2. Detectam tandem esse causam fundamentalem, cur Protestantici Logomachi, tam effrenata, & impudenti prorsus licentiâ, ubique obvia vomant mendacia, quàm maximè perniciosa in *Jesuitas*: nempe hos habent pro principiis inter suos hostes: ergo mendacia contra illos licita ex doctrina morali protestantica, immò ex *Lutheri* apophtegmatis *virtuti*, atque *prudentiæ* annumeranda.

(c) L. contra mendac. c. 17.

(d) De J. B. & P. L. 2. c. 13 per totum.

(e) L. 4. mor. Tract. 3. c. 1. n 3.

(f) L. 4. de J. N. & G. c. 2. §. 5. Item *de officio hominis* c. 4. §. 5.

(g) L. 3. c. 1. §. 19.

(h) De officio hominis c 9. § 6. *Juramenta non producunt in se novam obligationem &c. non immutant naturam & substantiam promissi, sed velut accessorium vinculum superveniunt.* Unde frustrà excipit ejus notator *Weberus*: *cùm reservationes mentales sint contra officia sermocinantium*, *multò magis repugnant officiis jurantium.*

assumit naturam actûs, & ubi jus mentiendi, nulla fiet irreverentia juramento: quæ sequela est *detestanda planè iniquitas* doctrinæ protestanticæ moralis, *quæ ùt pueros talis, ita viros mendaciis, ac consequenter & juramentis, falli posse admittit.* Neque emergit *Thomasius*, (a) dum talia juramenta, non quidem *perjuria*, *temeraria* tamen esse, affirmat, eò quòd in falsiloquiis nulla sit jurandi necessitas: nam promovenda commoda, & amovenda incommoda, seu propria, seu aliena, & frequentem & magnam afferre possunt necessitatem, ùt testis ipsa experientia. 3. Idem juramentum per falsos Deos *simpliciter* obligatorium affirmat, quem errorem & *Vitriarius* expilavit; sed corrigitur *à Zieglero*, & sic de aliis.

Puffendorfii, ejusque fautorum. ℞. II. *Puffendorfius* cum suis scholiastis, utì & *Vitriario*, aliàs *Grotii* assecla, malè corrigit *Grotium*, dum juramentum, dolo elicitum, *simpliciter* nullum dicit: nam nisi dolus versetur *circa substantiam*, aut circumstantiam, ex mente jurantis *substantialem*, probabiliùs stringit, utì & *Gabaonitas* à mendacio haud verè excusat, eò quòd *per fictum sermonem, astutiámque Israelitis* damnum nullum intulerint (b). Idem non satis bene emendat *Grotium*, dum & juramenta, vi metúque injusto extorta, tam *absolutè* annullat, cùm probabiliore calculo, *ut valida jure natura*, plures defendant *eodem modo*, quo pacta, quorum *accessoria* esse intelliguntur. Nec sequitur, Deum, *nominis sui abusu*, favere facinori impio, sic ut juramentum fiat *vinculum iniquitatis*, utì infert *Henniges*, (c) vel prout *Puffendorfius* arguit, (d) Deo probari, ut innocens se spoliet bonis, conferátque in impium, *ut ne gratis sit sceleratus*: quia obligatio non oritur *à scelere juramentum extorquentis*, sed *à voluntarietate jurantis*, qui sine scelere juramentum explere, quando potest, debet, præcipuè cùm innocentiæ jurantis, & injuriæ cogentis, *per viam rescissionis*, juxta multos etiam *naturaliter* licitæ, præcaveri possit. * 2. Idem, dum *Grotius* emaculat, se ipsum contaminat, scribens, absurdum esse juramentum *per rem, quæ opinione Divinitatis destituitur*, velut *per templum*, more *Judæorum*, utì explicat *Weberus*: quia, ùt rectè advertit *Grotius*, jurans per templum, cælum &c. *relative* jurat per Deum, qui præsidet templo, Cælóque, utì *Christus* ipsemet declaravit (e): Unde *Vitriarius* à suo Duce *Grotio* per *Puffendorfium* seductus est.

℞. III. *Thomasius*, *in secundis curis juris* naturalis depravandi, seu *in fundamentis*, malè fundatis, (f) per statisticum crityrion, detexit *arcanum Papatûs grande*, ** circa jurandi morem, foro quoque *Christiano* inductum. Sic infit 1. Postquam Principes *Christiani* ad Imperii gubernacula admoti sunt, tum demum illa regula invaluit, *non esse credendum testi injurato.* Cùm ab illis temporibus Clerus *Romanus fundamenta jecerit summæ potestatis acquirendæ*, ostendendum erit, inter fundamenta etiam fuisse, *ut sub prætextu fori interni*, & *causarum spiritualium*, ad se traherent potestatem judicandi de negotiis plerisque civilibus. 2. Et cùm viderent in juramentis invocari Deum, ùt testem & vindicem, *adeóque jam adesse prætextum speciosum*, *** *causas juramentorum ad spirituales referendi*, operam dederunt, ut juramenta adhiberentur in negotiis plerisque tam judicialibus, quàm extrajudicialibus. 3. Sed ut magis extenderent *fines fori pseudo-interni*, & *Jurisdictionis Ecclesiasticæ*, docuerunt, *contra principia juris Naturæ & Gentium*, ac si clausula juratoria non sit consideranda, ùt accessorium quidpiam; sed ùt propositio separata, in qua aliquid promittatur Deo, **** quod tamen falsum esse ostendit ipsa invocatio Dei in testem. 4. Hæc hypothesis falsa ita communis facta, *ac pro articulo fidei habita fuit*, ***** ut non

Thomasii, & Fleischeri, Thomasiano more, extravagantis.

(a) Jurisp. Div. L. *2*. c. 9 n. 90.
(b) L. 4. de J. N. & G. c. 2. §. 7.
(c) In *Grotium* L. 2. c. 13. §. 14.
(d) J. N. & G. L. 4. c. 2. §. 8.
(e) *Puffendorf.* J N. & G. L. c. §. 3. Item *de officio hominis* c. 9 §. 3. *Grotius* L. c. §. 11. allegans *Matthæum* c. 23. 21.
* Quod *Grotius* de litro, latroni per juramentum promisso; de fide jurata se sistendi tyranno &c. videatur *Laymannus*.
(f) L. 2. c. 9. per totum.
** *Fleischerus* in instit. J. N. & G. L. 2. c. 9. §. 3. denuò nugas *Thomasii* nugatur: *Arcanum papatûs* inquit, *sub his principiis latuisse, non opus est, ut moneamus, cùm clarè id elucescat ex natura juramentorum uti in jure Canonico nobis describitur &c.*
*** Canonistis docentibus juramenta esse *speciem cultûs Divini.*
**** Præeunte *Augustino*, ùt ait, confundens *imperitè* obligationem *religionis respectu Dei*, & *justitiæ respectu proximi*: addens *se arcanum politicum hic latens alibi ostendisse.*
***** Quò quid insanius dici possit?

non modò *Grotius*, sed & *Puffendorfius*, se ex conclusionibus falsis, inde promanantibus, non potuerint explicare. * 5. Inter quas etiam illa est, quòd, hoc errore admisso, obtinuerint illam æquè falsam regulam, & *à principiis juris naturæ apertè recedentem*, quòd juramenta, quæ salva salute (conscientia) servari possunt, servanda sint, ** etiamsi aliàs, si citra clausulam juratoriam fuissent illi actus, *à legibus civilibus* pro infirmis habiti fuerint. ***. 6. Quòd ergo hæc regula tam diligenter inculcetur in jure Canonico, *apertè factum est ob interesse Cleri Romani*, quia hoc pacto Clerus sibi vindicavit tacitè potestatem legislatoriam, & Judicialem corrigendi leges civiles, & sententias Judicum sæcularium. 7. Sed & subfuit *interesse pecuniarium Cleri Romani*, ut illi, qui Ecclesiis quid promisissent, & aliàs *minorennitatis*, *doli*, *fraudulentæ persuasionis*, *& similibus*, se liberare possent, *firmiùs tenerentur*. **** 7. Ex eadem hypothesi, ***** & *ex eodem interesse* fecerunt etiam ex perjurio *crimen Ecclesiasticum*; quo obtento induxerunt etiam *juramenta religionis*, ut imperium etiam in conscientias Politicorum sibi vindicarent. Denique addit, quòd, *ex eodem fundamento*, deducendum sit etiam *crimen hæreseos*, uti & Canonistarum erronea *de blasphemia* dogmata, quæ alibi exposuisset. Hæc ille. Et quid Orthodoxi hic reponant? Semetipsam evertit loquentia, apertè *calumniosa*, *antiloga*, *falsa*, atque *erronea*. ****** Inde forsan non mirum, quòd usus æquali haud dubiè stylo in alios, etsi Protestantes, ejus quædam scripta illustre infortunium passa sint. *******

---

* Sugillat *Grotium*, semel vera loquentem, de juramento valido, etsi *per vim* extorto. Item *Puffendorfium*, cavillationes in juramentis rectè excludentem. §. 12. etsi veritatem hanc, quasi *invito sibi* elapsam, mox *falsitate duplici* maculet, dicens: Sic *Alexander* VII. cùm sub initium Pontificatûs juràsset, *se cognatos suos Romæ non recepturum*, mox *Authoribus Jesuitis*, Juramentum elusit, dum eos, apud Castellum *Gandolfi* primùm *recepit*, & inde *Romam* secum deduxit, ùt refert Author *Nepotismi*, *Puffendorfio* non absimilis quadruplator.

** Ait *peculiare interesse Cleri Pontificii, sub hoc asserto latentis, se alibi detexisse*; nos falsitatem *Thomasiani* asserti intrà detegemus.

*** A jure naturali saltitat ad civile.

**** *Contra Thomasianum* procardicum: *quærenda pecunia primùm*, pòst Deus, eique debita reverentia.

***** *Augustini*, ùt ait, & Canonistarum, deduci doctrinas partim falsas, partim ambiguas V. G. *non esse jurandum, nisi necessitas exigat; pejeraturo non deferendum juramentum &c. doctrinæ hujus corruptelas, & Augustini, Jurisque canonici sputa lingentibus etiam protestantibus*, ùt lamentatur.

****** *Calumniosa* de arcanis, & *interesse* Papatûs merissimè dictis: *antiloga*, in juramentis nunc ad causas plerasque extensis, nunc absque necessitate non exigendis: *falsa*, atque *erronea* de perjurio, crimine hæreseos, juramento religionis &c.

******* Gespräch im Reich der Todten P. 2. edit. A. 1732. zwischen *Thomasio* und *Francke* f. m 77. *Franke*: Da in Dännemarck auf Anstifftung Herren D. *Masii* zwey von ihnen edierte Monaten durch den Hencker offentlich verbrannt, und hernach die Disputation de jure Principis circa adiaphora, und der edierte *Monzambanus* zu Leipzig confisciret worden: wie war ihnen Herr *Thomasi* da zu Muth?

ELENCHUS POSITIONUM,

QUÆ CONTINENTUR IN

ELEMENTO SECUNDO

PARTIS I.

DE JURE NATURÆ.

I. Officium hominis *in genere* est *quævis actio hominis, directa ad suum finem.* II. *In specie*, respectu juris naturalis, est *actio hominis, ex præscripto legis, directa ad suum finem,* seu *felicitatem, naturæ rationali propriam.* III. Porro cùm hæc felicitas dependeat *ab objecto triplici* nempe à DEO, semetipso, & proximo, *triplex* oritur *officium hominis*, DEO, sibi ipsi, & proximo, debitum. f. 3.

II. Officium hominis erga DEUM est *actio hominis, ex debito conformanda legi naturæ, præcipienti religionem erga DEUM, in quantum quidem naturalis ratio eam consequi potest.* II. Hoc officium est duplex: *theoreticum*, consistens in recta DEI notitia; & *practicum*, consistens in debito ejus cultu. f. 4.

III. Notitia de DEO partim est *præsupposita* ad jus naturæ; partim sub eo, ejúsque officiis est *comprehensa*. II. *Præsupposita* ex primis principiis lumine naturæ notis, est dari *Ens primum, supremum, justum* ac *providum*: item felicitatem, hujus vitæ terminis conclusam, non posse esse finem hominis *adæquatum*, adeóque animam *non esse mortalem* cum corpore, sed manere superstitem, *saltem ad præmium, vel pœnam.* III. Notitia amplior de DEO, *vulgaris acquisita*, rectè dicitur sub naturæ jure *comprehensa*. f. 4.

IV. Utraque hæc notitia propriè spectat ad disciplinam Jurisprudentiæ naturalis, contrà quam Acatholici Moralistæ passim statuant. II. Unde deducitur multiplex Protestantium error, maximè *Puffendorfii, Thomasii*, & aliorum, qui hanc notitiam malè à Jurisprudentia naturali *sequestrant.* f. 5.

V. Notitia de Deo *prima*, & *præsupposita* refertur ad jus naturæ *negativum* prohibendo *Atheismum*, & *Epicurismum.* II. Qua in re turpiter hallucinatus fuit *Hobbesius.* f. 5.

VI. Notitia de DEO *vulgaris* est juris naturalis *positivi.* II. Ad quam reducitur sensus de unitate DEI contra *Polytheismum*; sensus de excellentia DEI super omnia creata contra *paganismum.* f. 6.

VII. Notitia de DEO magìs exacta est Theologiæ naturali propria, ad quam spectat sensus de infinita DEI perfectione in omni genere. II. Unde protestantici Moralistæ in suis propositionibus Theoreticis Jurisprudentiæ naturali haud satisfaciunt. f. 7.

VIII. Cultus DEO debitus est *cogniti Numinis veneratio, certis naturæ legibus definita.* II. Dividitur in *internum*, & *externum.* III. Cujus utriusque fundamentale principium est *amor DEO debitus.* f. 8.

IX. Circa officia Divini cultûs *in genere*, est obligatio positiva tendendi ad finem, à Creatore homini præfixum, præcipuè verò ad finem, *simpliciter ultimum.* f. 8. II. Porro hic finis ultimus est sola felicitas, seu conjunctio cum DEO, habita ex officiis hominis erga DEUM, quæ sola *substantialis*, ac *ultimatò necessaria*, cui proin felicitas cætera, tanquam finis secundarius, subordinanda. f. 8.

X. Circa officia cultûs Divini *in specie* est obligatio naturalis colendi DEUM *cultu interno* per actus amoris su-

ſuper omnia, ſpei, laudationis, gratitudinis, timoris &c. ſ. 9. II. Atque hæc officia naturæ jure graviter ſunt præcepta. ſ. 9.

XI. Idem tenendum *de cultu externo*, interni complemento, ſaltem ùt eſt *communis*, ſignisque naturalibus expreſſus. ſ. 10. II. Unde, quæ hac ex parte ſcripſit *Thomaſius* cum ſuis Amanuenſibus, non modò falſa ſunt, ſed & erronea. ſ. 11. III. Cultus DEI externus *ſpecialis*, ſeu ùt certis ritibus ſpecificè eſt definitus, juris dicitur poſitivi, ſeu Divini, ſeu humani. ſ. 13.

XII. Circa officia erga Deum, *loquendo in genere*, naturæ jure prohibitum eſt, quidquid notitiæ Dei, cultuique præcepto oppoſitum eſt. ſ. 14. II. *In ſpecie*, circa officia theoretica, quàm practica, prohibita eſt, præter atheiſmum & polytheiſmum, omnis ſpecies idolomaniæ, omnis divinatio, magia, ſuperſtitio, perjurium, blaſphemia &c. ſ. 14.

XIII. Erroneus eſt *Puffendorfius* cum ſuis, quòd religionem omnem à Juriſprudentia naturali, vel *ſimpliciter* ſequeſtrârit; vel ſaltem non niſi *indirectè* à naturæ jure attingi contenderit. II. Id quod ex ipſiſmet ejus principiis demonſtrari poteſt. ſ. 14.

XIV. Erroneus itidem eſt *Puffendorfius* cum ſuis, quòd religionem naturalem, prout nempe pertinet ad jus naturæ, intra ſphæram hujus vitæ terminandam, aſſeveret. II. Id quod denuò ex ipſiſmet hujus Authoris principiis demonſtrari poteſt. ſ. 15.

XV. Controverſia *de habitu religionis naturalis ad Chriſtianam*, ſeu *de diviſione poteſtatis ſacræ à profana*, eſt noſtra ætate, ob Proteſtantium conamina, maximi momenti. ſ. 16. II. Præcipuè ob *Puffendorfium*, qui Hierarchiam Eccleſiaſticam in ſua Juriſprudentia naturali *latenter*; in ſuo *aureo*, ùt vocant, libello *de habitu religionis Chriſtianæ ad vitam civilem*, etiam *patenter* ſubruere tentavit. ſ. 17.

XVI. Origo controverſiæ fluxit ex *Lutheri* deformatione, Eccleſiæ inductâ, ejuſdémque erroribus, dudum damnatis. ſ. 18. II. E quibus, veluti cæmentis, ſurrexit varietas Eccleſiæ proteſtanticæ prothea. ſ. 19. III. Unde & abſonæ ideæ regiminis Eccleſiaſtici, de Eccleſia *ùt mero collegio in Statu*; de juriſdictione *interna* penitus nulla; de *externa*, partim Collegio, partim Principi tranſcripta: verbo: de jure Sacrorum penitus profanato, ut proteſtanticæ Eccleſiæ regimen, quovis pene in territorio aliud, *Pfaffius Tubingenſis* meritò *anonymum* appellet. ſ. 19. & 24.

XVII. Etiam *Puffendorfius*, in ſic dicto *aureo* libello, religionem adſtruit, *ab omni Imperio liberam*; poteſtatem Ordinis *laicali vocationi*, poteſtatem juriſdictionis *ſummo Imperio* tribuit. ſ. 25. II. Autonomicam licentiam fundat *in naturali libertate*, quam per legem *Chriſti elevatam* dicit, non *alteratam*; poteſtatem ordinis, naturæ lege omnibus communem, in lege *Chriſti per baptiſmum* cunctis communicatam affirmat, ſi accedat vocatio; poteſtatem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, *ex naturali jure ſummi Imperii*, Principibus competere judicat. ſ. 27.

XVIII. Hujus ſyſtematis commentitii momenta, quò ad autonomicam libertatem religionis, præſertim internæ, ſunt nugatoria. II. Uti & illa *Puffendorfii* theſis, qua hanc licentiam, *quaſi tantùm ad ſpeciem* Reipublicæ adverſam, pronuntiat. ſ. 27.

XIX. Rationum fucus *de poteſtate Ordinis*, per baptiſmum etiam laicis propriâ, & ſolo verbi miniſterio definitâ, eſt proteſtanticè vermiculoſus, nec niſi inaniter è naturæ lege petitus, vel etiam per ſacram paginam coloratus. ſ. 29.

XX. Æquè frivola eſt rationum ſupellex, quæ *de poteſtate juriſdictionis Eccleſiaſticæ*, quaſi *naturæ jure* Imperantibus propria, à Proteſtantibus profertur in medium. II. Unde erronea *Puffendorfii* theſis eſt, quòd poteſtas duplex, in civitate ſumma, *etſi in genere diverſo*, *per ſe* ſit pernicioſa Reipublicæ, & naturæ principiis adverſa. ſ. 33.

XXI. Juxta Moraliſtas orthodoxos habitus religionis naturalis ad *Chriſtianam* eſt ſuo modo diſpoſitivus. ſ. 36. II. Jus verò ſacrorum, ſeu poteſtas ſacra, nullatenus competit poteſtati politicæ *ex natura rei*, ùt ex lege naturæ inaniter ſupponunt cum *Puffendorfio* proteſtantici Moraliſtæ. ſ. 36. III. Sed neque competit poteſtati politicæ *ex jure humano*, id quod ex ſua collegiali Eccleſia illi ipſi malè exſculpere conantur. ſ. 37. IV. Hinc quæ ſolent opponere, nervo carent. ſ. 38.

XXII. In ſyſtemate proteſtantico *habitus religionis Judaicæ ad Chriſtianam* eſt admodùm proportionatus, præcipuè quò ad poteſtatem ſacram, ùt ajunt, Regibus propriam. ſ. 39. II. Sed vel propria non fuit, vel ſi quandoque fuiſſet, pariter nulla foret à lege *Judaica* ad *Chriſtianam*. ſ. 40. 42. III. Immò jus ſacrorum, ſeu poteſtas ſacra, nullatenus competit poteſtati politicæ *jure Divino antiquo*, uti ex Lege ſcripta veteris Teſtamenti inaniter

niter arguunt protestantici Authores. f. 48.

XXIII. Spectando *habitum religionis Christianæ ad vitam civilem*, in principiis protestanticis illa haud facit *statum in statu*, sed *merum collegium*, potestati politicæ subordinatum. f. 46. II. Id quod, *mirâ vaniloquentiâ*, *Puffendorfius*, cum suis symmistis protestanticis, probare contendit *ex fundatione Ecclesiæ*, quasi à *Christo* & Apostolis factæ *absque omni jurisdictione*. f. 46. III. Solo munere docendi tradito *absque omni potestate*. f. 47.

XXIV. Id ipsum *Puffendorfius*, *Lutherico* errore, probare nititur *ex Ecclesia* quasi meritissimo *veritatis Regno interno*. f. 48. II. Quod, si statum faceret, *distincta præditum potestate*, derogatorium foret Majestati politicæ, in sacris paginis toties firmatæ; immò magnis præjudiciis adversaretur civili vitæ, uti is ipse Author inaniter prætendit. f. 50.

XXV Hanc ipsam Ecclesiam collegialem idem *Puffendorfius*, *protestantico abusu*, fucare conatur è sacris paginis. f. 52. II. Ex testimoniis SS. Patrum f 53. III. Pejus eandem fulcire tentat è violentis quorundam Cæsarum, in sacra jura involantium, ausibus. f. 56. IV. Pessimè ex prætenso jure in convocandis Conciliis. f. 57.

XXVI. Contrà est *dogma Catholicum*, esse in Ecclesia *Christi* potestatem spiritualem jurisdictionis externæ, & quasi politicæ. f. 59. II. Est insuper *dogma Catholicum*, hanc potestatem spiritualem jurisdictionis externæ esse à temporali politia penitus distinctam. f. 60. III. Quæ opponi solent inania sunt. f. 41.

XXVII. Est *dogma catholicum*, jus sacrorum, seu potestatem sacram, nullatenus competere potestati politicæ *jure Divino novi Testamenti*, ùt *erroneè* statuunt iidem protestantici Authores. f. 41. II. Potestas circa sacra neque competit summis Imperantibus *jure Ecclesiastico*, seu ex concessione Pontificum, uti evincere contendunt nonnulli protestantici Dogmatistæ. f. 66.

XXVIII. *Scopus* profanatæ potestatis Ecclesiasticæ à *Puffendorfio* intentus, & per tot molimina, non modò *in jure Naturæ*, sed præprimis in suo, sic dicto *aureo* libello *de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem*, quæsitus, non est alius, quàm infelix *Protestantismus*, per emolumenta statûs civilis commendatus, & accommodatâ religione malè suffultus. f. 67.

XXIX. Est aperta *Protestantismi* infamia, quòd *per habitudinem ad civilis regiminis sita ac commoda*, determinentur ejusdem dogmata, ìtque *hoc respectu*, velut magis fovendus, *Christianis* Principibus à tribu pseudò-politica obtrudatur. f. 69.

XXX. Est *Puffendorfiana* calumnia, palmari mendacio sociata, qua scripsit, Religionem catholicam *per se*, & *ex sua natura* disponere ad turbas, & exitiabiles morbos, in civitate excitandos; religionem verò protestanticam dispôsuisse quondam *merè per accidens, ex rerum conversione, & atrocitate adversæ partis*. f. 69.

XXXI. Est *Puffendorfiana* protervia, multiplici falsitate suffulta, qua venditatur, Religionem catholicam esse statûs publici *labem*, regimini politico minùs accommodam, Regentibus *quò ad rationes statûs* periculosam, atque perniciosam, adeòque protestantica minùs fovendam, ac promovendam. f. 70.

XXXII. Est *Puffendorfiana* maledicentia, *evidenter nugatoria*, qua scribit, Religionem catholicam Principibus meritò reddi suspectam, *ob lectionem sacræ scripturæ promiscuè non permissam; ob Cleri potentiam, Religionis prætextu tam pervicaciter defensam; & denique ob ejusdem sævitiam in adversæ partis fautores*. f. 70.

XXXIII. *Puffendorfii* libellus *de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem*, tantùm abest, ut *aurei* epitheton qualecunque promereatur, ut potiùs variis inscitiis, antilogiis, & ineptiis sit oppidò *plumbeus*. f. 71. II. Idem libellus non tam *aureus* est, quàm mendaciis, calumniisque admodùm *ferrugineus*. f. 72. III. Idem libellus non tam est *aureus*, quàm erroribus hæreticis putidissimè *luteus*. f. 73.

XXXIV. Per officia hominis *erga se* denotantur *actiones hominis*, *ex debito conformandæ legi naturæ*, *præcipienti ordinatum amorem sui*. f. 74. II. *Propriè* cadunt sub jus naturæ, suntque pars formalis Jurisprudentiæ naturalis. f. 74.

XXXV. In principio officiorum hominis erga se non convenit inter protestanticos Moralistas. f. 75. II. Est minùs apposita, & falsa *Puffendorfii* thesis, qua officia hominis erga se, *non nisi ex religione, & socialitate* adstruit, sic ut, si homo servus DEI, & membrum Societatis humanæ non esset, ipsius nulla erga semet officia intelligi possent. f. 76.

XXXVI. Magis etiam absona est *Thomasii* sententia, qua officia hominis erga se, *ex solo socialitatis principio* derivanda, affirmat. f. 77. II. *Fleischeri* ex *Thomasio* reformato desumpta opinio *de regulis honesti* est rationi difformis; *Kemerichii* de *naturali amore sui* probabilis, suo modo tamen ex-

ponenda, atque intelligenda. f. 77.

XXXVII. Verum principium eſt *amor, ſibi naturaliter debitus, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſarius.* f. 78. II. Unde hæc officia debent eſſe ſubordinata ſecundùm regulas *ordinati, & naturaliter, debiti amoris.* f. 78. III. Sunt in triplici claſſe, & ſpectant partim *bona animi*, partim *corporis*, partim *bona hominis totius.* f. 78.

XXXVIII. Officia hominis, *quò ad culturam Intellectûs* ſeu *perficiendi*, ſeu *emendandi*, ordinantur ad acquirendam notitiam *de DEO, ſemetipſo*, & *proximo* per cognitionem veri & boni, ac diſcretionem falſi, malíque tantam, quanta quidem *vulgari induſtriâ* haberi poteſt, & *abſolutè* neceſſaria eſt ad vitam *honeſtè*, atque ad finem, creaturæ propoſitum, *appoſitè* tranſigendam. f. 79. II. *Quò ad culturam voluntatis, ſeu perficiendæ, ſeu emendandæ*, efficiunt, ut voluntas, ſecundùm rationem, rectis inſtructam principiis, conſectetur bonum, & averſetur malum; ut operetur ex principiis amoris, ſibi naturaliter debiti, in ordine, ad finem ſeu felicitatem, rationali naturæ propriam. f. 79. III. Atque hæc officia hominis erga ſe, *quò ad memoratam animi culturam*, ſunt *naturæ jure* præcepta; íisque oppoſiti errores, ſeu vitia, ſunt *naturæ jure* prohibita. f. 80.

XXXIX. Officia hominis erga ſe, *circa culturam corporis*, ordinantur ad corpus ſuſtentandum neceſſario victu; ad tuendam ſanitatem debitis mediis; ad integritatem conſervandam, *per ſe loquendo*, viréſque fovendas, conditioni ſtatûs neceſſarias. f. 80

XL. Naturæ jure *leviter* ſaltem prohibita eſt refectio corporis, *ad uſque ſatietatem*; hoc eſt, *immoderata, ſolius cauſâ voluptatis*, quaſi appetitus naturalis licitè poſſet, *etiam universaliter*, ſuis actibus frui. f. 81.

XLI. Naturæ jure *graviter* prohibita eſt, *per ſe loquendo*, omnis ingluvies, ebrietas, rationis & ſanitatis everſiva. f. 82.

XLII. Naturæ jure *graviter* prohibits eſt, *per ſe loquendo*, mutilatio proprii corporis, ſanitatis ſuæ deſtructio, vitæque ſervandæ *abſoluta* incuria. f. 83.

XLIII. Eſt obligatio *ad media*, corpori, ſanitati vitæque ſuſtentandæ, & conſervandæ *ſtrictè*, vel *minùs ſtrictè* neceſſaria. II. Unde prohibitum naturæ jure otium, temporalium cura nimia, luxus, avaritia &c. f. 83.

XLIV. Naturæ jure prohibitus eſt *totalis bonæ famæ neglectus*, præcipuè ſi cum præjudicio proximi, aut boni publici ſit conjunctus. II. Permiſſus, tamen eſt quandoque *quidam* famæ neglectus *reſpectu ſui.* III. Permiſſus quoque, ac licitus appetitus honoris ordinatus. f. 84.

XLV. Naturæ jure præceptus eſt uſus corporis, ſenſuum, & facultatum exteriorum legitimus II. Inde corporis, ſenſuúmque oblectamenta, *rationi conformia, ac ordinata*, naturæ jure permiſſa. III. *Immoderata* verò prohibira. f. 84.

XLVI. Scandaloſæ, & meritò damnatæ ſunt quorumdam propoſitiones, queîs dicunt, mollitiem, *ſpectato ſolo naturæ jure*, haud eſſe prohibitam, ſed quandoque bonam, immò obligatoriam, II. Neque fornicationem eſſe malam *ſecundùm ſe*, ſed ſolùm ùt prohibitam à DEO. III. Idem ſentiendum eſſe de ſodomia, & beſtialitate. f. 84. IV. Rationum fucus à *Caramuele*, aliiſque oppoſitus, *evidenter* eſt putidus, ac nullus. f. 86.

XLVII. Scandaloſa, & *evidenter* falſa eſt aſſertio *Lamberti Velthuſii, Thomaſii*, & aliorum, qua tenent, *meris rationibus naturalibus* demonſtrari haud poſſe, omnem ſcortationem, etiam ad beſtialitatem quæ pertinet, aut concubinatum, aut lenocinium, naturæ jure eſſe prohibitum. f. 87.

XLVIII. *Circa culturam animi, ac corporis*, magna labes eſt Moraliſtarum proteſtantium, maximè *Puffendorfii*, officia hominis erga ſe, *non niſi reflexa obliquitate*, retrahentis ad jus naturæ. II. Et *ſub ſpecioſo fuco Jurisprudentiæ naturalis* Proteſtantiſſimi lolia diſſeminantis. f. 89. II. Item *Thomaſii* ſub permiſſivi juris naturalis velamine, *Epicuriſmi* luem peſtiferam ætati Academicæ affricantis. f. 89.

XLIX. Jus neceſſitatis rectè dicitur *facultas, æquitate naturali fundata, ſe eximendi à lege, quæ ad caſum neceſſitatis non præſumitur à Legislatore extenſa.* II. Porrò cùm varia ſit neceſſitas, *extrema, gravis, abſoluta, reſpectiva* &c. varia quoque eſt proprietas, quæ ineſt juri neceſſitatis. III. Hæc autem deſumenda ex triplici circumſtantia: *ex qualitate neceſſitatis*, quæ urget; *ex natura legis*, cui contraveniendum; *ex indole officii*, quod prætermittendum. f. 90. 93.

L. Non quævis neceſſitas, ſed ſolùm *extrema*, vel etiam *gravis abſoluta*, parit jus eximens à lege, *per ſe loquendo.* II. Neque extrema, *regulariter* eximit à lege, ſeu naturali, ſeu Divina *negativa.* III. Eximit tamen extrema, vel etiam gravis abſoluta,

per

per se, à lege tam naturali, quàm Divina *affirmativa*. IV. Uti & humana. f. 91.

LI. Lex humana potest tamen obligare, etiam cum periculo vitæ; immò sic obligare præsumitur pro casu boni publici, *v.* saluris Reipublicæ. II. Unde si transgressio legis cederet in grave præjudicium boni communis, vel Reipublicæ, nulla necessitas, *etsi extrema*, eximeret à tali lege. f. 92.

LII. Defensio justa, contra vim injustam, originem trahit *ab amore sui congenito*, in quo, *velut principio, per rationem ordinato*, etiam fundatur. f. 93.

LIII. Defensio vitæ propriæ justa, contra vim injustam, cujusvis aggressoris injusti, *etiam cum ejus occisione*, est juris naturalis permissivi, seu jure Naturæ cuivis licita. f. 94. II. Non obstantibus, quæcunque in oppositum afferri solent. f. 94.

LIV. Est insuper licita, jure naturæ, justa defensio bonorum naturalium, qualia sunt *membra, pudicitia, libertas*, contra vim omnem, *etiam cum occisione aggressoris injusti* f. 97. II. Eodem modo est licita defensio justa bonorum fortunæ, si in *notabili* quantitate, vel pretio, sive eripienda, sive erepta, non nisi morte furis, aut servari, aut recuperari possint. f. 97. III. Replicæ, opponi solitæ, nil evincunt. f. 98.

LV. Est etiam licita, jure Naturæ, justa defensio bonorum, famæ, honoris &c. II. Quamvis respectu *solius* honoris, vel famæ, *speculativè* magis procedat, quàm *practicè*. III. Id quod adhuc magis intelligendum de recuperatione honoris, seu vindicatione illatæ contumeliæ. IV. Unde in statu civili, præcipuè *Christiano*, multò minùs potest habere locum ejusmodi licentia privatæ defensionis. f. 99.

LVI. Falsa est thesis, qua dicunt cum *Puffendorfio*, defensionem famæ & honoris *privatam* esse necessariam partim incolumitati propriæ, partim publicæ felicitati. II. Quæ assertio neque tenet respectu statûs naturalis *meræ libertatis*. f. 101. III. Salvis tamen propositionibus, ab *Alexandro* VII. & *Innocentio* XI. damnatis, per jus naturæ posset defendi honor, *etiam factis lacessitus*, vel in casu *certis circumstantiis* affecto, saltem *speculativè loquendo*, quam distinctionem non satis scitè explodunt *Becleri*, & *Montalti*, Authores acatholici. f. 104.

LVII. Ut defensio sui, suorúmque sit justa, requiritur *moderamen inculpatæ tutelæ*. II. Hoc fundatur in necessitate *simpliciter*. III. Eaque tali, ut periculum debeat esse *certum, præsens*, nec aliter, *nisi iniqui aggressoris morte, evitabile*. IV. Quamvis in hisce conditionibus laxiorem interpretationem poscat status Naturæ, quàm civitatis. f. 105.

LVIII. Etsi sufficiat præsentia periculi *moralis*, non tamen illicò infertur, licita etiam esse inferendæ mortis præventio, saltem *practicè* loquendo. f. 107. II. Quo modo licita est defensio propria, permissa est etiam aliena. f. 109.

LIX. Etsi jure Naturæ permissa sit justa sui, suorúmque bonorum defensio, nulla tamen est obligatio, se suáque defendendi *regulariter*, præcipuè cum occisione injusti aggressoris. f. 109. II. Unde licita est *indirecta* sui occisio, non tamen *directa*. f. 110. III. Quidquid nonnulli inaniter opponant. f. 110.

LX. Inter causas legitimas exponendi vitam, sibique mortem indirectè consciscendi est *vera religio; salus proximi*, immò & *vita ejus conservanda; conservatio pudicitiæ, bonum disciplinæ religiosæ, bonum publicum* &c. II. Sunt etiam plures casus, in quibus vita licitè exponi potest. f. 113.

LXI. Non modicæ sunt Moralistarum protestantium aberrationes circa jus necessitatis, in quo præ cæteris *Hugo Grotius* non rarò est admodùm confusus. II. *Puffendorfius* in jure defensionis, *protenso in infinitum*, nimiùm liberalis. III. *Thomasius* est sæpe erroneus, seu admodùm perniciosus. f. 115. IV. Maximè quò ad autochiriam, *etiam directam*, & quò ad pudicitiam, *stupratoris nece*, licitè haud defendendam. f. 116. & 117.

LXII. Duellum rectè dicitur *singulare certamen, ex privatis causis, ab utraque parte sponte, & ex condicto susceptum, designato loco & tempore, ad occisionem, mutilationem, aut gravia vulnera infligenda*. f. 118. II. Dividitur in *publicum, privatum; judiciale, extrajudiciale, equestre, plebeium*. Ibidem.

LXIII Origo ejusdem *prima* est à Dæmone, *altera* à Gentilibus, maximè *Romanis*. f. 118. II. Inde Monomachia, seu duellum propriè dictum, est omni jure illicitum. f. 118.

LXIV. Præcipuè illicitum est, etiam Naturæ jure, duellum pro tuendo honore, aut ignominia vitanda, aliísque ex causis privatæ ostentationis, odii, vel vindictæ susceptum. f. 119.

LXV. Etiam duellum *judiciale*, seu ad veritatem probandam, seu ad litem terminandam, seu ad innocentiam demonstrandam, seu ad objecti criminis culpam purgandam, omni jure est illicitum. f. 120.

LXVI. Duplici tamen casu licitum posset esse duellum, DEO nempe jubente, & causa DEI, Religionis veræ, ac bono publico id exigente. f. 120. II. His positionibus opponi solita nil evincunt. f. 120.

LXVII. Etsi duellum, *respectu honoris*, connexi cum jactura dignitatis, officii, ac bonorum, Authores graves licitum asseverent, *in praxi* tamen esse illicitum, sententia probabilior est. f. 121. II. Denique duellum, etiam jussu Judicis, coactè, ad leve vulnus, vel omninò fictè initum, est illicitum. f. 123.

LXVIII. Sanum hac in materia *Puffendorfium*, malè corrupit *Hertius*, *Weberus*, & *Kemmerichius*. II. Fallit, non semel *Grotius*. III. Absonus suo more est *Hobbesius*. f. 123.

LXIX. Diffidatio privata est *fidei renuntiatio, & inimicitiæ per quævis hostilia denuntiatio, propria authoritate facta ab iis, qui Superiorem in terris habent.* II. Ejus origo deducitur ab infausto *Henrici* IV. Cæsaris ævo, quo invaluit *jus manuarium*. III. Ejus usus erat perniciosissimus abusus, omni juri contrarius. f. 124.

LXX. Officia hominis erga hominem sunt diversa, *absoluta & hypotetica, perfecta & imperfecta*. II. Horum *fundamentale principium* est amor, proximo debitus, quia ad finem, seu felicitatem, Creaturæ rationali propriam, necessarius. f. 186.

LXXI. Non tantùm officia *perfecta*, sed & *imperfecta* sunt de jure Naturæ, spectántque ad Jurisprudentiam naturalem, tanquam propriam disciplinam. II. Qua in re Moralistarum protestantium ideæ sunt minùs appositæ, ac admodùm confusæ. f. 127.

LXXII. Obligatio naturalis ad exhibenda proximo officia, non tantùm est *externa*, sed etiam *interna*. II. Hinc, etiam spectato jure Naturæ, rectè ab *Innocentio* XI. proscriptæ sunt propositiones sequentes: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali: præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos: tenemur proximum diligere actu quidem interno, sed tantùm in communi, non particulari.* f. 130.

LXXIII. Officia *imperfecta* hominis erga hominem, *loquendo in genere*, se extendunt ad ea omnia, quæ ad finem felicitatis humanæ ita sunt necessaria, ut illis negatis, si minùs *positivè*, saltem *negativè* flaccesceret, & ex parte deficeret requisita illa felicitas. II. Unde fundantur *in quadam æquitate amoris naturalis*, atque respiciunt *aliquam necessitatem proximi*, cui amoris debitum correspondet. f. 131.

LXXIV. Ad officia erga proximum imperfecta *in specie* revocari solent obsequia *innoxiæ utilitatis*. f. 132.

LXXV. In specie *circa eleemosynam* est obligatio aliqua naturalis sublevandi proximum egenum. II. Saltem ex superfluis, & quandoque ex necessariis. III. Eáque juris rigorosi, saltem in extrema alterius necessitate. f. 133.

LXXVI. *Innoxius transitus* alienum per territorium, etsi negatus, *etiam absque causa*, non pariat *formalem* injuriam, sufficientem ad bellum. II. *Inermis* tamen advenarum videtur fundari in æquitate naturali. & pertinere ad officia imperfecta. III. Idem tenendum de transvectione mercium *necessaria, vereque innoxia*. IV. At transitus *mbitarus*, salvo jure naturæ, etiam imperfecto, semper negari potest. f. 133.

LXXVII. Ad officia juris imperfecti, seu æquitatis naturalis, non rectè trahitur *denegatio amicitiæ, ac matrimonii*, seu cum privato, seu cum integro populo, siquidem *debito modo* fiat. II. *Facultas commercii*, omnibus indulta, ac uni tantùm Nationi, & quidem *absque omni causa*, negata, videtur esse *æquitati naturali* opposita. f. 143.

LXXVIII. *Heineccius* protestanticus officia hominis erga hominem imperfecta sæpe cum *officiis beneficentiæ* confundit, & *Jurisprudentiam* naturalem ab *Ethica* non discernit. f. 135.

LXXIX. Spectato jure Naturæ, quamdiu durat animus hostilis alterius, *per se loquendo*, nulla est obligatio ad officia etiam imperfecta, inimico exhibenda. II. Id quod denuò non satis discretivè affirmat *Heineccius*. f. 135.

LXXX. Officia hominis erga hominem *perfecta* fundantur in *justitia propriè tali*, & respiciunt jus alterius *perfectum*, quandoque *legale*, quandoque etiam *rigorosum*, & reparationis illativum. II. Unde multùm differunt ab officiis imperfectis. f. 136.

LXXXI. Officia perfecta *in genere* duo sunt: *nemo lædendus; jus suum cuique tribuendum*. II. Fundamentum hujus obligationis desumitur *ex amore, cuivis naturaliter debito*. f. 137.

LXXXII. His officiis rectè annumeratur *reparatio damni*, si quod secutum est ex læsione injusta, qualitercunque imputabilis, quantùm fieri potest. II. Sunt tamen plures casus, in quibus cessat *per accidens* hæc obligatio naturalis V. G. cùm causa est *incerta, non efficaciter influens*; cùm *nulla* est culpa, vel *merè juridica*. f. 138.

LXXXIII.

LXXXIII. Qui intulit damnum grave per negligentiam, *venialiter tantum culpabilem*, probabiliùs nec ipse, seu *leviter* seu *graviter*, obligatur *naturæ jure* ad ejus reparationem. f. 139. II. Qui intulit damnum grave *in se*, non animadversa gravitate, seu *formali* seu *materiali*, etsi id inferat *per culpam venialem*, vel ex defectu deliberationis, vel ex ignorantia gravitatis formalis, vel materialis, *per se* non obligatur *jure naturæ* ad ejusdem damni reparationem. f. 139.

LXXXIV. Qui intulit damnum grave, *cognitum ut tale*, etsi per culpam *solummodò levem*, probabiliùs *jure naturæ* graviter obligatur ad compensationem totius damni f. 140. II. Qui intulit damnum grave, *cognitum ut tale*, etsi cum *levi* culpa, quia per leves damnificationes *successivas*, moraliter tamen coalescentes, pariter obligatur graviter, *naturæ jure*, ad reparationem totius damni. f. 141.

LXXXV. Qui intulit damnum grave, seu per gravem, seu per levem injuriam, non obligatur *naturæ jure* ad compensationem excessûs *non cognitii*, ac *invincibiliter ignorati*. f. 141. II. Denique à reparatione damni, saltem dilationis exclusiva, excusat *impossibilitas moralis*, quamdiu manet. Ibidem.

LXXXVI. Inter proprietates reparandi damni est circumstantia *temporis, loci, modi*, & præcipuè *terminus ad quem*. II. Res aliena, comparata à possessore *bonæ fidei*, huic non Domino est restituenda; comparata à possessore *malæ fidei* relinquit locum propriæ indemnitati servandæ, saltem *negativè*; an etiam *positivè*, non convenit inter Authores. f. 142. III. *Spectato jure Naturæ*, emptor *bonæ fidei* rem furtivam non modò *negativè*, sed etiam *positivè* potest reddere furi *ad se indemnem servandum*; non tamen emptor *malæ fidei*. IV. Quam thesin probabiliorem opponi solita non enervant. f. 143.

LXXXVII. *Jure Naturæ* reparanda sunt etiam damna pro injuriis, corpori illatis. II. Alia ratio est de bonis animæ læsis. III. In materia restitutionis emendandi sunt *Kemmerichii*, ac *Thomasii*: Moralistæ protestantici. f. 144.

LXXXVIII. Circa officia sermocinantium considerandum *mendacium*, quod *propriè tale* rectè dicitur à S. *Augustino*: *dictum contra mentem fallendi causâ*. II. Ex Orthodoxorum communi triplex est, *perniciosum*, *officiosum* & *jocosum*. III. Ad mendacium, *propriè* & *formaliter* tale, rectè reducitur *restrictio purè mentalis*, seu *interna*, per quod intelligitur *dictum, & in se, & secundùm circumstantias determinatum ad sensum unum, eumque falsum, etsi per aliquid, sola mente retentum, possit efficere sensum verum*. f. 146.

LXXXIX. Mendacium omne, qualecunque (adeóque & restrictio merè interna) quocunque in casu. *etiam utilitatis, ac necessitatis summa*, pro ratione materiæ, seu leviter, seu graviter, *per se loquendo*, est *naturæ jure* prohibitum. f. 148. II. Quæ huic thesi videntur opponi posse, non tantùm id non infirmant, sed potiùs roborant. f. 149. III. Omnis alia ratio naturalis, afferri solita in ordine ad probandum mendacium, ubique, & semper naturæ jure prohibitum, *excepto præjudicio felicitatis humanæ*, est infirma. f. 151.

XC. *Occultatio veritatis* per restrictiones, non purè mentales, aliásque locutiones similes, *certis in circumstantiis*, non modò est jure Naturæ permissa, sed quandoque etiam præcepta. f. 152. II. Unde patentes joci, hyperboles, locutiones mysticæ, figuratæ, ironicæ, fabulosæ, ambiguæ, seu æquivocæ non sunt mendacia. f. 152. III. Quæ hisce videntur obsistere, inefficacia sunt. f. 153.

XCI. Est Naturæ jure prohibitus restrictionis, etiam non pure mentalis, seu æquivocæ ac amphibologiæ *usus promiscuus*, hoc est, absque justa causa adhibitus. II. In materia fidei, & si quis jure interrogetur, est semper illicitus. f. 154.

XCII. Juxta multos *non juridicè interrogatus* de crimine occulto, uti potest restrictione, non merè mentali. II. Juxta eosdem etiam legitimè interrogatus, *certis in circumstantiis*, uti potest dissimulatione veritatis. III. Imò & reus, *juridicè interrogatus*, ex eorundem sententia, uti potest restrictione, *capitalis criminis negativa*, quamdiu spes evadendi est. f. 155.

XCIII. *Juramentum* rectè dicitur *invocatio tacita, vel expressa Divini Numinis, tanquam primæ & infallibilis veritatis, in testem, vel etiam vindicem, ratione firmatæ rei*. II. Tres sunt ejusdem proprietates, *judicium, justitia, veritas*. III. Est multiplex, *assertorium, promissorium, confirmatorium* &c. IV. Est licitum, siquidem *debito modo* fiat: unde rectè damnata est *Quesnelli* propositio ultima: *Nihil spiritui Dei, & doctrinæ JESU Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia*. f. 156.

XCIV. Obligatio juramenti promissorii duplex est, quò ad *animum implendi*, atque *ipsam impletionem*, respectu cujus potest esse levis. II. Manet obligatio, etsi juramentum sit injuste extortum. III. Est *personalis* in jurante, *realis* penes eum, cui juratur. IV. Persona habilis est omnis

crea-

creatura rationalis *per se loquendo*. f. 157.

XCV. Juramenti usus debet esse cum debitis conditionibus. II. Secundùm naturam & conditiones rei juratæ. III. Unde licitus etiam est *quò ad locutionem amphibologicam*. IV. Sed non nisi cum debita necessitate. V. Cessat per defectum conditionis imbibitæ, per irritationem, dispensationem, commutationem, vel relaxationem. VI. Officia jurantium à *Puffendorfio* malè, quia non nisi *indirectè*, fundantur *in Socialitate*, tanquam principio; meliùs fundanda *in amore, & DEO, & proximo naturaliter debito*. f. 158.

XCVI. Principia Moralistarum protestantium, *circa officia sermonis*, sunt ab Orthodoxis *admodum aliena*. f. 160. II. Secundùm trutinam catholicam sunt *oppidò erronea*, ac *certò falsa*. f. 161.

XCVII. Conclusiones, ex erroneis hisce principiis à Naturalistis protestanticis deductæ, *circa officia sermocinantium*, sunt admodùm *paradoxæ*, & mentiendi lubidini oppidò *favorabiles*. f. 162. II. Non sine abusu Scripturæ, ac SS. Patrum. f. 164.

XCVIII. Scita hæc protestantica, in sensu orthodoxo, sunt *juri Naturæ adversa*, *scandalosa*, & *bono publico perniciosa*. II. Sunt *injuriosa* S. Scripturæ, & Patribus. III. Sunt denique *calumniosa* doctrinæ catholicæ & Theologis orthodoxis. f. 165.

XCIX. Etiam *in officiis jurantium* sunt oppidò *extravagantes* protestantici Moralistæ, præcipuè *Grotius* cum suis notatoribus; *Puffendorfius* cum suis scholiastis; & denique *Thomasius* cum suis pedissequis. f. 166.

ERRATA.

prohibitus	f. 14.	*lege* prohibita;
victui	f. 50.	*lege* victu;
læfionis.	f. 109.	*Deicatur*.



INSTI-

INSTITUTIONUM
JURIS UNIVERSALIS, NATURÆ, AC GENTIUM

Pars II.

PARS II.

De jure Gentium.

DE JURE GENTIUM.

Titulus 1.

TITULUS I.

De statu hominis social.

De statu hominis adventitio, officiisque exinde fluentibus.

Instructio 1.

INSTRUCTIO I.

De statu adventitio imperfecto, seu conjugali, familiæ, herili.

De statu hominis adventitio simplici, seu societate conjugali, ejúsque natura ac impedimentis.

§. 1.

§. I.

De natura statûs conjugalis.

De naturali statu conjugii.

Status adventitius.

QUæritur. I. *Quid status adventitius, & quæ officia, inde in societatem humanam fluentia?*

In genere.

℞. I. Jam suprà declaravimus (a), quòd *status* hominum *in genere* nil aliud sit, quàm *certa hominum conditio,* seu *ratio vivendi,* quæ partim est *naturalis,* quam homo sortitur à sola natura, *independenter* à facto aliquo alio, libertatis congenitæ *restrictivo;* partim est *adventitia,*

(a) P. 1. Tit. 2. Instruct. 1. Quibus addi possunt, quæ *Heineccius* in Elem. J N. & G. L. 2. c. 1. §. m. 346. apposite scripsit in hæc verba: Status *generatim* est, *qualitas*, per quam unaquæque res limitata est; adeóque *qualitates*, per quas limitatur homo, vocantur *status hominis.* Essentia hominis limitata à DEO, denotat *statum hominis physicum*; actiones liberæ limitatæ per legem, decernunt *statum moralem.* Porrò status moralis vel est *connatus*, vel ab aliquo ejus *facto* pendet; ille vocatur *naturalis*, hic *adventitius.* Status *naturalis* est qualitas hominis, ab ipsa natura imposita, in qua ejus liberæ actioees *lege naturali* limitantur. Status *adventitius* est qualitas, ab hominis facto electa, per quam actiones ejus liberæ, secundùm status exigentiam, lege limitantur: V. G. conditio maritalis, cælibatus &c. ex qua limitatione contingit, ut uterque status & *certa jura* hominibus tribuat, & *certa* eidem *officia* imponat.

titia, quæ homini *ex facto aliquo alio, ſeu proprio ſeu alieno*, libertatis congenitæ *reſtrictivo*, ſupervenit. *Explicatur*; ſic homo dicitur eſſe *in ſtatu naturali* conſtitutus, ſi ſibi ſoli viveret, pleniſſimè liber, nec ulli alteri ſubjectus, niſi ſoli Authori naturæ. Contrà ſi *vel ſua ſponte per factum aliquod proprium* ſeſe alteri mancipet, vel invitus *per factum quoddam alterius* mancipetur, dicitur eſſe *in ſtatu adventitio*, ſeu *per factum aliquod aliud, proprium vel alienum, libertatis congenitæ reſtrictivo*. 2. Et quia in hoc ſenſu, ſtatui *merè naturali*, * opponitur *adventitius*, quomodocunque *ex facto aliquo alio* dependens, hujus tractationem, non quòd præciſe ſit *juris Gentium*, ** ſed quòd *ex facto adventitio* affinis ſit *juri Gentium*, in hac parte II. commodiùs explanamus.

In ſpecie. ℞. II. Status adventitius in ſpecie eſt *conditio hominis, in certis circumſtantiis per factum ſeu proprium, ſeu alienum conſtituti, quæ conditio eundem ad diſtincta quædam officia, indéque manantia jura determinat.*

Ejus diviſio. ℞. III. Status igitur adventitius eſt *ſtatus ſocietatis humanæ*; ſocietas autem humana naſcitur *ex conſenſu duorum vel plurium, in eundem finem, ac media, fini huic obtinendo neceſſaria, conſpirantium. Unde fluit.* 1. Quòd *omnis ſocietas* ſit *una*, & conſiderari poſſit velut *perſona quædam moralis. Ratio eſt*: quia omnes in eundem finem, & neceſſaria media, *uno veluti intellectu ac voluntate*, feruntur, adeóque, unam veluti perſonam, *in conſideratione morali* conficiant. *Fluit.* 2. Quòd ſocietas *multiplex* eſſe poſſit. *Ratio eſt*: quia, cùm quævis certum finem intendat, fines verò diverſiſſimi eſſe poſſint, ſocietates quoque varias oriri, neceſſum eſt. Hinc, cùm de mediis judicium deſumatur *ex fine*, ſociorum officia & jura, ex ipſo quoque ſocietatis cujusvis fine, æſtimanda ſunt. *Fluit.* 3. Quòd inter varii generis ſocietates, duplex præ cæteris memoranda ſit. *Simplex*, quæ *eſt prima*, nec ex minoribus aliis compoſita, qualis eſt *ſtatus*, ſeu *ſocietas conjugalis, familiæ, herilis*. Altera *compoſita*, quæ ex minoribus aliis conſurgit, qualis eſt *civitas*, ſeu *Reſpublica*. Alii ſtatum illum *domeſticum*; hunc *civilem* appellant, de utroque pluribus hìc agendum.

Status conjugalis proprietates. *Quæritur.* II. *Quid de ſtatu adventitio ſimplici, ſeu conjugali?*

℞. I. Inter ſtatus ſocietatis *ſimplicis* ſtatus conjugalis eſt, ordine & dignitate *primus*, atque, ſpectato præciſè *jure naturæ*, dici ſolet *in genere, ſocietas ſimplex perſonarum diverſi ſexûs, ſobolis ritè procreandæ, educandæque causâ inita.*

Declaratur conceptus. Dicitur 1. *Societas ſimplex*, quia inter homines *prima*, ex nulla alia minore compoſita, abſtrahendo, an ſit *neceſſariò perpetua*, & *indiſſolubilis de jure naturæ*, id quod controverſum inter Authores. 2. *Dicitur inter perſonas diverſi ſexûs*, hoc eſt, inter marem & fæminam, de ſe habiles, abſtrahendo, an ſit inter *unum* & *unam*, vel *unum, unam* & *plures*, per *poligamiam*, aut *poliandriam*, qua in re, *ſpectato præciſe jure naturæ*, non eadem eſt ſententia apud omnes. 3. *Dicitur procreandæ & educandæ ſobolis causâ*, quia hic finis matrimonii *primarius*, ut ſit humani generis ſeminarium, neque ſoboles aliter, quàm à conjugibus, ad hunc finem habilibus, ritéque conſociatis, produci queat. 4. *Dicitur inita* per mutuum conſenſum: ſiquidem tritum eſt ICti ſcitum: *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*. Unde connubium ſummi ſolet 1. *Pro ipſo contractu*, quo mas & fæmina, de ſe habiles, ſeſe ad vitæ ſocietatem, generandæ educandæque proli ſimpliciter neceſſariam, mutuò obligant. 2. *Pro ipſa conjunctione*, ſeu *vinculo* viri ac fæminæ, orto *ex eorum conſenſu*, verbis vel aliis ſignis ſufficienter expreſſo. *Dicitur vinculum* ortum *ex conſenſu*: non enim *actualis* conjunctio corporum, ſed *conſenſus* in obligationem ejusmodi, ſaltem *implicitus* & *virtualis*, ſi alteruter eandem petat ad actus conjugales, ex ſe aptos ad generationem prolis, cenſetur *de eſſentia connubii*, ſeu ſocietatis conjugalis. *Ratio eſt*: quia matrimonialis conſenſus ſaltem *implicitè*, & *virtualiter* ferri debet *in obligationem conjugalem*, quæ non tantùm eſt ad vitæ ſocietatem, ſed etiam ad actus conjugales, etſi & vitæ ſocietas, ſubſidium mutuum, ſolatium, & auxilium quò ad officia præſertim domeſtica, *pro fine minùs principali*, meritò adſtruantur.

℞. II. Status conjugalis inſtitutus eſt à Deo, *authore naturæ*, adeóque *naturali jure* eſt quàm maximè licitus, ac permiſſus. *Conſtat* ex utriusque ſexûs creatione, ac Creatoris fine: *multiplicamini &c. non eſt bonum hominem eſſe ſolum* &c. quibus verbis Naturæ Author & conjugii finem *primarium*, & *ſecundarium* indicavit, ac approbavit. *Conſtat*, quòd propagatio ſpeciei humanæ nequaquam inſtituenda fuerit *per vagos ſolutosque concubitus*; ſed utique legibus connubialibus circumſcribenda, *Author, honeſtas.*

---

* In quo homo conſideratur ſecundùm *ſolam nativitatem*.

** Nam ſtatus *conjugalis*, & *familiæ*, vel etiam *ſervilis*, utique jam ante introductas civitates extitit.

da, adeóque non nisi *per matrimonium* exercenda fuerit. Nam citra illud *honesta, ritéque disposita* inter homines *societas*, vitæque humanæ cultus intelligi haud posset.

Necessitas respectu totius humani Generis.

℞. III. *Status conjugalis est naturæ jure præceptus, non quidem hominibus singulis, sed tamen universitati hominum. Ratio est:* quia *exigitur ab amore, ad felicitatem naturæ rationali propriam, naturaliter debito, ac ad propagationem speciei humanæ simpliciter necessario.* Hæc absoluta necessitas, propagato *sufficienter* Genere humano, cessat *respectu singulorum*, eò quòd meliori bono compensari possit, uti rectè docet Angelicus (a): *Præceptum* Genesis: *multiplicamini* &c. * *non respicit, singulos, sed multitudinem hominum, quam necessarium est, non solùm multiplicari corporaliter, sed etiam proficere spiritualiter. Quocirca satis providetur humanæ multitudini, si quidam generationi carnali operam dent; quidam contemplationi Divinorum vacent, ad totius humani Generis pulchritudinem ac salutem.* **

Status conjugalis vinculum perpetuum, & indissolubile ex jure Divino.

Quæritur III. *An status conjugalis, spectato præcisè jure naturæ, notet vinculum perpetuum, atque indissolubile?*

℞. I. *Spectato jure Divino*, à Mundi primordiis, status conjugalis notavit *pactum*, seu vinculum *perpetuum*, atque *indissolubile* respectu omnium hominum, etiam paganorum, cùm juri Divino æquè subjaceant, ac Fideles; sic ut *contractus temporarius*, per se loquendo, haud esse potuerit *verè matrimonialis*, seu licitus, seu validus. Patet: *relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ* &c. *ab initio autem non fuit sic:* inde *quod Deus conjunxit, homo non separet* &c. (b) Unde *Tridentinum* (c): *matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, primus humani Generis Parens, Divini spiritûs instinctu pronunciavit, cùm dixit: hoc nunc* &c.

Notandum tamen. 1. Quòd Deus, *propter duritiam cordis* in hoc præcepto Divino per *Moysen* dispensârit cum *Judæis*, sic ut non tantùm per quamdam tolerantiam mali merissimè impuniti, *** sed *licitè, validéque* dederint *libellum repudii*, matrimonio verissimè dissoluto, id, quod longè probabilior asseverat.

Notandum. 2. Quòd *Christus* hanc permissionem abrogârit, & matrimonium primævæ indissolubilitati restituerit.

Notandum. 3. Quòd matrimonium consummatum, penès *Christianos* etiam evectum ad rationem Sacramenti, sit nullo casu solubile, nisi ex conjugibus infidelibus, altero ad *Christianam* fidem converso, alter forsan maneat infidelis, nec pacificè cohabitare velit sine contumelia Creatoris, quo casu solvitur matrimonium dispensatione *Christi* quò ad jus Divinum, in favorem fidei, uti habet Apostolus (d) & quòd, teste *Sanchezio*, matrimonium *Christianorum* sit elevatum ad unionem *Christi* indissolubilem cum Ecclesia significandam.

Notandum. 4. Matrimonium *ratum*, seu ab Ecclesia ratihabitum, religiosâ professione esse solubile; & manente matrimonii vinculo, *ob graves causas* licitum quoque esse divortium, seu separationem *quò ad thorum & habitationem*, quæ omnia aliò spectant, & in ordine ad tractationem *de jure naturæ*, obiter hic attigisse, sat est.

℞. II. *Spectato jure Naturæ*, matrimonii contractum *ex sua natura*, esse *perpetuum*, atque *indissolubilem*, sententia est *valde probabilis, adstruitúrque satis communiter ab Authoribus orthodoxis.* *Juxta Moralistas non paucos etiam ex jure naturali.*

Declaratur Assertum. 1. *Quò ad Authoritatem. Indissolubilitatem* provenire *ex jure naturali*, seu matrimonii ipsius natura adstruunt *Lyra, Abulensis, Sotus, Covarruvias, Cordula, Gutierez, Ledesma, Lopez* apud *Sanchezium* (e). Inter RR. sequuntur Canonistæ communiter, quos

(a) 2. 2. Q. 152. art. 2. ad 1.

* *Pererius* per ly *multiplicamini* non *legem*, sed *benedictionem* interpretatur.

** *Sabbathina* quæstio est, an in casu, quo omnes laici morerentur, præceptum naturæ foret, Religiosis, voto castitatis solemni non obstante, ad conservationem Generis humani, *tanquam majus bonum*, incumbare; nam casus est extra periculum, & valeret præsumptio de instante *per se* universi interitu. Videatur *Sanchez, Pontius* &c. In eo protestanticè fallit *Thomasius* Jurisp. Div. L. 3. c. 2. §. 449. lit. *b*, dum ait: *instituto primorum Christianorum Sacerdotibus non interdictum fuisse conjugium* (siquidem intelligat contrahendum) *etsi pro præstantiore vitæ genere haberetur, si quis abstineret.*

(b) Gen. 2. v. 24 Matth. 19. v. 8.

(c) Sess. 24. de matrim.

*** Nam *Tertullianus, Origenes, Chromatius, Hieronymus, Beda, Euthymius*, Magister sententiarum apud *Maldonatum*, existimârunt, per *libellum repudii* permissam dimissionem uxoris, *ut quod malum*, quod *Judæi* dum facerent, illicitum quid perpetrarent, utpote nullatenus soluto matrimonio. *Maldonatus* in Matth. 18. dixit: *utrumque probabile est, & bonos utraque optimo Authores habet.*

(d) 1. Cor. 7. v. 15. *Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.*

(e) L. 2. de Matrim. disput. 13. n. 4. f. m. 130.

quos inter Clarissimus P. *Franciscus Schmier*, * *Schmalzgruber*, & alii. Adstipulantur inter Protestantes ipse *Puffendorfius* (a), *Heineccius* (b), *Kemmerichius* (c), & alii.

Declaratur assertum. 2. Quò ad rationem. Status conjugalis, *spectato etiam jure naturæ*, niti debet contractu, *non qualicunque*, sed ad statûs hujus finem, seu *primarium*, seu *secundarium*, necessario, ac requisito: atqui talis non est contractus *temporarius*, & *dissolubilis*, saltem mutuo consensu. *Min. P.* Quia est insufficiens *ad finem primarium*, præcipuè *ad educationem prolis, non solùm per aliquod tempus, sed per totum vitæ tempus requisitam, ùt habet Angelicus* (d), contractu temporario, & solubili, minuente arctam conjunctionem amoris mutui, & educationis debitæ curam, sic ut hujusmodi matrimonium haud satis differret à vago concubitu qui & ipse non semper excludit omnem contractum, eadémque secum traheret fermè incommoda, *Naturæ juri adversa.* Si enim mulier nunc uni, nunc alteri nubat, non erit *sat certa* soboles, educatio periculosa, nec *certò* secura, & licèt matrimonium ratum careat sobole, ordinatur tamen *per se* ad sobolis procreationem. 2. Quia est adversa *fini secundario*, seu communi subsidio in cohabitatione continua, vi cujus mulier fit adjutorium viri, *principaliter* quidem ad generationem, *minùs tamen principaliter* ad mutuum subsidium, solatium, atque auxilium, quò ad officia præsertim domestica. 3. Quia in statu quoque Innocentiæ jam erat matrimonium indissolubile, etsi non fuerit Sacramentum, nec *certò* constet de præcepto Divino positivo, uti asserunt hi Authores. 4. Quia rationes oppositæ nullæ sunt: nam exemplum *Abrahæ*, repudiantis *Agarem*, tantùm erat divortium quò ad thorum & mensam, gravibus, licitisque de causis (e); exempla *Judæorum* in libello repudii denotant dispensationem Divinam in jure, *etiam naturali*, propter majus malum evitandum; exempla Ethnicorum corruptelam probant, dicente *Menochio*: *mirum non est, si in hunc errorem inciderint, cùm & hi commiserint majora: nam idola coluerunt, & nefandum sodomiæ vitium, quod legi, rationique naturali repugnare sciebant.* &c. (f) Ita hi Authores.

8. III. *Spectato præcisè jure naturæ*, matrimonii contractum, non *necessariò* esse *omninò perpetuum*, atque *indissolubilem*, videtur esse *sententia haud minùs probabilis*, adstruitúrque satis magna authoritate Theologorum, ac Canonistarum. *Aliis æquè multis juri naturæ hanc vim negantibus.*

Declaratur assertum. 1. Quò ad primum hujus sententiæ est *Sanchezius* noster, cæteris præferendus, quòd hanc quæstionem ex professo examinârit (g): C. *Bellarminus* (h), dum ait: insolubilitatem matrimonii in causam *primariam* & *certissimam* referri non posse, *nisi in signum conjunctionis indissolubilis Christi cum Ecclesia*, in quam S. *Augustinus* eam perpetuò referat. *Sanchezius* allegat præter D. *Thomam* (i), S. *Bonaventuram*, *Burgensem Durandum*, D. *Antoninum*, *Cajetanum*, *Medinam*, aliósque novemdecim, addens: *hinc infertur omnimodam indissolubilitatem non competere matrimonio consummato ex jure naturæ, sed ex Christi præcepto positivo Divino; quos Deus conjunxit, homo non separet, ubi elevavit matrimonium ad esse Sacramenti, & ut repræsentaret indissolubilem Christi per carnem cum Ecclesia unionem.* Moralistas protestanticos addere vix est opus, quos inter *Thomasius*, *Weberus*, *Wernherus*, *Fridericus Ludovici*, & alii.

De-

* Jurisprud. Can. Civ. L. 4. c. 5. sect. 1. §. 2. n. 39. vocans hanc sententiam *veritatem orthodoxam.*

(a) De offic. hom. & civ. L. 2. c. 2. §. 6. *nec minùs naturâ tam arcta conjunctionis ostendit matrimonium debere esse perpetuum* L. 6. de J N. & G. c. 1. Sed reformatur à Notatore *Webero*: *sanè juri naturali, & rectæ rationi non est adversum, si & ad tempus contrahatur matrimonium. Ita Persæ, Malabares, & in effectu Judæorum matrimonia erant temporaria.*

(b) In elemento L. 2. c. 2. §. 449. & m 391. *Quum omnia omittenda sint, quæ matrimonii finem impediant, præcipuè educatio perpetuam conjugum societatem requirant.*

(c) In elementis L. 1. c. 2. §. 4.

(d) In 4. Dist. 33. Q. 2. a. 1. in corp. addens; *unde de lege naturæ est, quòd parentes filiis thesaurizent, & filii Parentum hæredes sint.*

(e) Quia erat *rixosa, superba, incorrigibilis, & intolerabilis*, uti habent *Cornelius à Lapide & Clericatus.*

(f) De arbitrar. Jud. Q. casu 420. n. 18.

(g) L. 2. de matrim. Disput. 13. per totum.

(h) L. 1. de matr. c. 4.

(i) 1. 2. Q. 102. a. 5. ad 3. ubi ait, matrimonium fuisse in veteri lege, *prout erat in officium naturæ*, non prout est Sacramentum conjunctionis *Christi* & Ecclesiæ, quæ nondum erat; *unde & in veteri lege dabatur libellus repudii*, quod est contra sacramenti rationem. Et licèt alibi etiam *de jure naturæ* quandam insolubilitatem tribuat matrimonio, uti in 4. dist 33. Q. 2. a. 1. jus naturæ tamen non videtur accipere *in sensu rigoroso*, sed pro convenientia quadam naturæ rationalis.

Declaratur assertum quò ad 2dum. Quia, uti constat ex præmissis, jus naturæ est *immutabile*, seu *indispensabile*, saltem dispensatione *propriè* tali, seu afficiente *directè* ipsam legem, ejúsque obligationem, *de consuetudine vitæ perpetua*, manentibus iisdem circumstantiis; * Atqui talis admitti deberet, cùm ante legem gratiæ, per libellum repudii, matrimonium, etiam consummatum, fuerit licitè temporarium, validéque solubile: ** immò etiam in lege gratiæ, conjuge infideli habitationem pacificam recusante, dispensaretur.

2. Quia contractus *specialis*, etsi temporarius, & solubilis mutuo consensu, non videtur *absolutè* repugnare fini *primario*, & *essentiali* matrimonii: non *certæ* generationi prolis, ùt patet: non *propagationi humanæ*, quæ contractu dissolubili & temporario videri posset magis promoveri, dicente C. *Bellarmino* (a): *si consideremus matrimonium ùt officium naturæ ad propagandam sobolem, ægrè potest reddi ratio, cur ob sterilitatem conjugis non liceat eam dimittere, aut aliam ducere.* Pergit idem Purpuratus: *si matrimonium consideres, ùt est in remedium fornicationis, cur non poterit uxor, perpetuo morbo laborans, dimitti? aut cur sobole, ritè jam educatâ, non poterit alia duci?* Sed nec videtur *absolutè* repugnare *educandæ ritè soboli*, eò quòd contractus matrimonii, *naturæ jure validus, propter amorem, proli naturaliter debitum, & ad felicitatem societatis humanæ simpliciter necessarium*, essentialiter includat indissolubilitatem etiam mutuo consensu, saltem ad usque *sufficientem* educationem prolis, quam de jure naturæ saltem *strictè tali*, nec ipse Angelicus extenderit ad *usque omnem vitam prolis*, cùm neque dominium Patris, post emancipationem, eò usque sese extendat. Finis *secundarius*, putà, mutuum subsidium, solatium, ex cohabitatione *præsertim perpetua*, etsi inferat *conformitatem* naturæ matrimonii admodùm consentaneam, ideóque fundantem jus Divinum, atque humanum; non tamen infert *necessitatem*, naturæ matrimonii *simpliciter propriam*, quæ sola fundat jus naturale, uti ex disputatis patescit.

3. Quia ex una parte Moralistæ cum D. *Augustino*, *Angelico*, & aliis, proprietatem matrimonii, *ùt absolutè* perpetui, & indissolubilis, non referunt, nisi ad unionem *Christi* cum Ecclesia, prorsus indissolubilem: ex altera parte, iisdem testibus, etsi major indissolubilitas, ac perpetuitas, competat matrimonio, *quà Sacramento*, quàm *quà contractui*, merè naturali, tamen etiam quà sacramentum, est *simpliciter* solubile: ergo multò magis matrimonium, quà *merum officium naturæ*, abstrahendo à præcepto Divino, erit solubile, nec *ex natura sua* perpetuum. Sequela negari nequit: *Ant.* probat *Sanchezius* multiplici testimonio D. *Augustini*, dicentis: *hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas & fæmina, connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent* (b). *Sic & Innocentius* III. *matrimonium Fidelium* indissolubile dicit, quia est *Sacramentum*; non item Infidelium, quia non est ratum, seu *sacramentum* (c). Porrò matrimonium Fidelium ratum, etsi sit sacramentum, esse solubile saltem professione religiosa, constat ex traditione & jure Ecclesiastico.

4. Quia etiam sapientissimi Moralistæ & ICti ex Ethnicis matrimonialem contractum, *ex natura sua*, haud judicârunt esse *perpetuum*, ac *indissolubilem*, licita existimantes repudia, quales *Romani*, teste *Plutarcho* (d); Jureconsulti *Pauli*, *Caji*, *Ulpiani* (e); *Platones* (f), *Catones* (g), *Cicerones* (h); quales *Athenienses*, *Cretenses*, & alii. Addit *Sanchezius*: quòd, *Christo* dicente: quia aliam duxerit, mœchatur, Discipuli audientes, hanc indissolubilitatem, quasi de re nova, & aliàs inaudita, scandalizati sint, reponentes: *si ita est, non expedit nubere*, ut adeò signum sit, non esse *de jure naturæ*.

5. Quia potissima ratio pro thesi opposita non videtur sat efficax. Nam si di-

* Id ipsum admittit Cl. P. Fr. *Schmier* in Jurisprud. Can. Civ. L. 1. tr. 1. c. 2. sect. 3. §. 3. n. 169. Unde L. 4. tr. 2. c. 5. sect. 1. §. 2. n. 46. non satis consequenter videtur oppositæ sententiæ deferre, cùm scribit, *libellum repudii Judæis ex Divina dispensatione concessum propter odium implacabile, tanquam majus malum evitandum.*

** Non tantùm *propter adulterium*, sed etiam propter alias causas *lepræ*, *epilepsiæ*, *sterilitatis*, uti habetur c. 24. Deuteronomii.

(a) L. 1. de matrim. c. 4.
(b) L. 1. de nupt. c. 10.
(c) C. Quanto de divortiis.
(d) c. 13. in problem.
(e) L. 1. 2. & fin. ff. de divortiis.
(f) L. de legibus dial. 11.
(g) Referente S. *August.* L. de bono conjugii, c. 18.
(h) Teste S. Hieronymo L. 1. in *Jovinianum*.

si dicas, indecens & noxium esse, consensu conjugum mutuo dissolvi posse matrimonia, cùm per ejusmodi licentiam non possint non & familiæ & publicus civitatum decor gravissimè convelli, reponit *Thomasius* (a): *nos jam occupari in expositione societatis nuptialis, abstrahendo à statu civili, adeóque interesse civitatis, ad quod respiciendum est in legibus civilibus, non miscendum cum fine societatis nuptialis, de quo nunc agimus.*

Unde Vinculum conjugale perpetuum, naturæ rationali consentaneum.

℞. IV. His in utramque partē libratis.

Dicendum. 1. *Spectato statu naturæ, perpetuitas contractûs matrimonialis est naturæ rationali admodùm consentanea*: Patet ex rationibus primæ sententiæ ac multiplici commodo, præcipuè ratione educationis *securioris*, mutui adjutorii &c. non enim est medium aptius coercendi libidinem, veram stabiliendi amicitiam, atque salutem liberorum promovendi, quàm conjugium ad dies vitæ initum, quæ tamen omnia jus naturæ *præceptivum* haud evincunt, cùm non omne, quod est conforme rationi, sit *juris naturæ*; & prædicti Authores *hanc convenientiam* cum matrimonii natura ab ipso jure naturæ *propriè tali*, satìs distinguere non videantur.

Privatâ authoritate insolubile etiam jure Gentium.

Dicendum. 2. *Abstrahendo à societate merè conjugali in se, respectu multiplicis Republicæ inter Gentes, contractus matrimonialis videtur Gentium jure esse perpetuus, nec dissolubilis, saltem privata authoritate. Ratio est*: Quia inter plerasque Gentes, cæteris moratiores, matrimonialis contractus celebratur *perpetuus*, nec à quovis *solubilis* pro libitu, cum præjudicio communitatis, cui per tale vinculum jus acquisitum est: ergo, cùm perpetuus dici non possit *jure naturæ*, uti dicemus; nec *jure Divino* saltem cognito ùt tali, eò quòd Gentes pleræque illod ignorent; restat, ut nitatur secundùm eorum sensum, saltem *jure Gentium*, quòd propter convenientiam cum natura rationali, ac fine matrimonii inductum est.

Jure naturæ, etsi sit vinculum speciale.

Dicendum. 3. *Societas conjugalis, spectata in se, & secundùm statum merè naturalem, nititur contractu non qualicunque, quavis causa, per mutuum consensum solubili; sed speciali, notante vinculum absolute sufficiens, & commensuratum matrimonii fini primario, generationi nempe, & educationi, proli debitæ, ac simpliciter necessariæ. Ratio est*: quia aliàs non sufficienter distingueretur à concubitu vago, neque satìs præcaveret fornicationis incommodis, ac præjudiciis gravibus, naturæ juri oppositis.

Necessariò perpetuum ac insolubile probari vix potest.

Dicendum. 4. *Vinculum perpetuum & insolubile, naturæ jure requisitum ex ratione merè naturali, sufficienter probari vix potest.* 2. *Nec etiam sat refutari sententia negans, id, quod tamen in nullum cedit statûs conjugalis perpetui præjudicium. Ratio* primæ partis colligitur ex rationibus prioris sententiæ, ritè libratis, & insuper ex applicatione regulæ *de jure naturæ.* Id solùm est naturæ jure præceptum, *quod exigitur ab amore, ad felicitatem naturæ rationali propriam, cuicunque naturaliter debito, quia simpliciter necessario*: atqui vinculum *perpetuum*, & prorsus *indissolubile* non exigitur ab amore, seu societati humanæ *quò ad speciei propagationem*; seu *proli quò ad generationem*, ac *educationem* debitam, *indispensabiliter* necessario, cùm per vinculum etiam *temporale*, & simpliciter *solubile*, sufficienter tamen accomodatum educandæ proli, satìs videatur præcaveri fini *primario* & *essentiali* matrimonii, utì colligitur ex dictis: ergo naturæ jure præceptum dici vix potest. Unde cùm vinculum matrimonii temporarium, ac suo modo solubile, nec *absolutè* exigatur, nec *positivè* repugnet amori seu societati humanæ, seu proli naturaliter debito, *quia simpliciter non necessariò non apparet sufficiens ratio*, cur ad ea, quæ naturæ jure prohibita, referri debeat, & non potiùs ad ea, quæ naturæ jure permissa, referri possit.

Nullo præjudicio in matrimonium redundante.

Ratio 2. *partis* colligitur ex rationibus posterioris sententiæ, præcipuè quòd dispensatio Divina apud *Judæos* nequaquam sit admittenda; quòd *Agarus* verum repudium à communiore Interpretum adstruatur; quòd finis secundarii commoda ad jus naturæ *strictum* non extendenda; quòd sensus sapientum ex Ethnicis, ad corruptelam non semper relegandus, nisi efficax ratio id evincat, etsi fatendum omninò ster magnam corruptelam, in obviis quacunque de causa repudiis naturæ legem à Gentibus passim depravatam. * Denique insolubilitati Matrimonii per hanc sententiam nullum creari præjudicium penes Fideles, patet ex mysterio Sacramenti, penes Infideles, constat ex præcepto Divino, ac jure Gentium, & hoc & illo ad vinculum *perpetuum* & *insolubile*, conjuges adstringente.

In statu conjugali pluralitas jure Divino positivo prohibita.

Quæritur. IV. *An status conjugalis, spectato præcise naturæ jure, excludat omnem plu-*

(a) Jurisprud. Div. L. 3. c. 2. n. 129.

* Teste *Seneca* de benefic, L. 3. c. 6. *Nunquid jam ulla repudiis erubescit? Amianus Marcellinus* de *Saracenis: Uxores illis mercenariæ conductæ ex pacto ad tempus*: teste *Varenio, Belgæ*, in *Japonia* contrahere solent connubia dissolvenda, quandocunque discesserint: vocantur matrimonia *ad Talacho*, id est, *ad beneplacitum.*

pluralitatem, seu polygyniæ, seu polyandriæ simultaneæ.

In statu conjugali pluralitas jure Divino positivo prohibita.

℣. I. *Spectato jure Divino*, à mundi primordiis, status conjugalis, respectu omnium hominum, etiam Gentilium notavit *vinculum duorum*, exclusivum omnis polygamiæ, seu licitæ, seu validæ. Colligitur ex effato Protoparentis, *tanquam organo D. Spiritûs: adhærebit uxori suæ*, non uxoribus; *erunt duo*, non tres, vel plures *in carne una*, uti rectè animadvertit *Innocentius III.* (a). In testamento antiquo cum Patribus ratione *monogamiæ* dispensatum fuisse *in lege Divina*, eáque *primæva ac positiva ex Innocentio III.* aliisque colligitur apud *C. Bellarminum* (b). Hæc autem dispensatio, teste *Sanchezio* (c), non concessa fuit externa aliqua scripturâ, aut locutione Divinâ, sed inspiratione interna, Patriarchis facta ad multiplicandum populum fidelem, quæ derivata est *vi exempli*, & *consuetudinis* ad reliquos *Hebræos*. Et quidem eandem dispensationem extensam fuisse ad populum Gentilium, atque ita & ipsis fuisse antiquitus licitam polygyniam videtur docere *S. Augustinus* (d); sed hoc alii negant, eò quòd non militaverit pro paganis eadem dispensandi ratio, hoc est, *fidelis populi multiplicatio*, etsi plurimos per ignorantiam Divini juris excusatos velit, *Sotus, Henriquez, Ledesma* & alii (e). 3. In testamento novo veritatem orthodoxam definivit *Tridentinum: si quis dixerit, licere Christianis plures habere uxores, & hoc nulla lege Divinâ esse prohibitum, anathema sit* (f). *Unde de jure Divino* novi testamenti est Catholicorum unanimis, & certa, oppositam sententiam rectè *ut hæresin* rejiciente *Sanchezio* nostro contra *Anabaptistas*, *Lutherum* &c. *

Juxta Moralistas, admodum multos polygynia naturæ jure prohibita est.

℣. II. *Spectato jure naturæ* est sententia *valde probabilis*, adstruitúrque communiore authoritate, polygamiam esse *jure naturæ* prohibitam.

Assertum declaratur quò ad *authoritatem*. *Clericato* si fides, est *communis* Theologorum, ac Canonistarum, sed refragatur *Sanchezius* dicens: *non conveniunt inter omnes*, allegando plures authores pro opposita' sententia, uti videbimus. Inter Protestantes *Puffendorfius* de polygamia, *naturæ jure* vetita fluctuat; *Heineccius* (g) cum *Vitriario* (h), omnino prohibitam asseverat.

Assertum declaratur quò ad *rationem*. Pluralitas uxorum videtur repugnare 1. Matrimonii fini *essentiali*, atque *primario*. 2. Fini itidem *secundario*. 3. Immò & ipsi felicitati Generis humani: ergo *est naturæ jure* prohibita. *Ant. P. 1. De fine primario.* Pluralitas uxorum videtur officere *generationi prolis*, Viro, cùm pluribus se indulget, persæpe fœcunditatem enervante, uti exemplo est *Salomon*, qui, *Sudâ* teste, ex concubinis trecentis non nisi unicum filium cum filia gemina suscepit. Videtur officere *educationi prolis*, dividendo affectum Patris in filios thori inæqualis, uti exempla, passim obvia, demonstrant. Videtur repugnare *traditioni corporum mutuæ*, rem uni traditam pluribus tradendo, claudicante pacto, cùm uxor Viro teneatur *insolidum*, violando primum juris naturalis principium, quod exigit pactum æquale reciprocum juxta illud: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Ant. P. 2. De fine secundario. Pluralitas uxorum labefactat conjugium, *ut est remedium concupiscentiæ*, si forian uxor multiplex simul debitum peteret ab uno, haud semper sufficiente, sic ut penes uxores singulas incontinentiæ periculo minùs præcaveretur. Eadem incommodat *communi subsidio*, ac *gubernationi domesticæ*, conjugum diversitate, ex muliebri indole, æmulationes varias, rixas, atque discordias excitante, uti exemplo est *Agar & Sara, Rachel & Lia &c. Ant. P. 3. De præjudicio societatis humanæ.* Cùm enim jus naturæ, uti *ex Vitriario* animadvertit Clariss. *P. Franciscus Schmier*, sit in omnibus *æquale*, in pauperibus æquè ac opulentis, ejusmodi naturalis facultas societatem humanam evertat, necesse est. Siquidem constat, quòd per nimiam liberorum copiam etiam familiæ nobiles ad egestatem redigi soleant, sic ut tenui tandem plebeculâ civitates repletæ, ubi commodè evacuari nequeant, mole sua Respublicas evertant.

Con-

(a) In c. *gaudemus* 8. de divortiis.
(b) L. 1. de matr. c. 11.
(c) L. 7. de matr. Disp. 81. n. 12.
(d) L. 22. contra *Faustum* c. 47.
(e) Apud *Sanchezium* l. c. n. 13.
(f) Sess. 24. de matrim. Can. 2.
(*) De jure Divino antiquo non ita convenit, dicente *Sanchezio* L. 7. de Matr. Disp. 80. n. 5. *Quidam polygamiam nec jure naturali, nec Divino antiquo positivo, probibitam esse censent.* *Lutheri* hæresis erat, polygamiam nec esse à Deo præceptam, neque prohibitam in Testamento novo, uti docuit propositione 65. & 66. anno 1528. quem ejus errorem secuti sunt *Anabaptistæ*, damnatum à *Tridentino.* Videatur C. *Bellarminus* L. 1. de Matr. c. 10.
(g) In element. J. N. L. 2. c. 2. §. 37.
(h) Instit. J. N. & G. c. 5. n. 16.

Confirmant alii cum *Aureolo* & *Victoria* (a). Quòd matrimonium jam in prima sua institutione notârit contractum, utrinque æqualem, adeóque videatur esse ita de jure naturæ, ut absque illo matrimonii essentia consistere nequeat.

Confirmant alii 2. Cum *Vitriario*, quòd jus conjugale non dependeat à solo conjugum consensu, sed etiam à Deo, *ut authore naturæ*: atqui hìc jam initio præcepto Divino, non merè *positivo*, sed *naturali*, voluit esse pactum reciprocum, æquale, teste *Innocentio III. Conjuges ad imparia non judicari circa matrimonium.*

Confirmant alii 3. Cum *Verano*, quòd Gentes sat multæ, solius naturæ radio illustratæ, polygamiæ malitiam agnoverint, præcipuè Natio *Germana* quæ ab uxorum pluralitate semper abstinuit, teste *Tacito*.

Confirmant 4. Quòd polygamia *Judæis* permissa, immò & Gentibus communiter usitata post diluvium fuerit, plus non probat, quàm dispensationem generalem à Deo factam in lege naturæ, ad citiùs multiplicandum Genus humanum, per cataclismum penè ad incitas redactum.

Aliis tamen se opponentibus.

Rs. III. *Spectato jure Naturæ, polygamiam haud esse, vel fuisse illicitam, videtur esse sententia minor quidem authoritate, ratione tamen non inferior.*

Assertum declaratur quò ad 1. Hujus sententiæ est suo modo *Sanchezius* (b) allegans pro nostra sententia *Durandum*, *Gersonium*, *Cajetanum*, *Abulensem*, *Medinam*, *Veracrucium* Palacium, *Scotum* &c. ut nihil memorem de protestanticis Moralistis, qui pene unanimi calculo suffragantur. Accedit, quòd plerique Authores oppositæ sententiæ cum *D. Thoma* eatenus tantùm juri naturæ oppositam velint polygyniam, quatenus est *contra convenientiam*, jus naturale dicentes, *conceptionem naturalem homini inditam, qua dirigitur ad convenienter operandum* (c)

Partim argumento negativo quò ad finem primarium.

Assertum declaratur quòad 2. *Argumento negativo*, quia nempe rationes allatæ repugnantiam absolutam, cum matrimonii fine *essentiali* atque *primario*, non evincunt. Nam generationi & educationi prolis tantùm abest, ut repugnet uxorum pluralitas, ut, *per se loquendo*, propagando Generi humano, etiam aptior videri posset: cùm vir unus fœcundandis pluribus conjugibus absolutè sufficiens sit, experientiâ plurium sæculorum post diluvium satis, supèrque id demonstrante. Inde rectè Angelicus (d): *pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem, cùm unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis.* Neque huic præponderare potest exemplum *Salomonis* vel infœcundi *per accidens* ob libidinem nimiam; vel fœcundioris, quàm adstruat *Suidas*, nullo nixus fundamento, satis authentico. Rursus: pactum conjugale, de traditione corporum mutua, & quidem *utrinque æquale*, matrimonii *fini primario est quidem oppidò consentaneum*; *simpliciter necessarium* tamen non est, multò minùs *iniquum*, quia & *inæquale*, respectu conjugis, absolutè sufficit *ad generationem prolis certam, atque educationem debitam*. Et si conjux suo jure cedere potest ex toto, Viro professionem religiosam permittendo, cur naturæ juri repugnet, si cedat ex parte, sine suo præjudicio permittendo concubinam, quam *Rachel* & *Lia Jacobo* etiam obtrusere (e)? Principium juris naturæ: *quod tibi non vis fieri*, sæpe non nisi *æquitatem naturalem* notat: jus strictum non infert pro æqualitate pacti conjugalis, ubi non est æqualitas rationis pro utraque parte, uti de polyandria declarabitur.

Quò

(a) Apud *Sanchezium* L. 7. de. matr. Disp. 80. *n.* 6.

(b) L. 7. de matrim. Disp. 80. n. 3. & seqq. obi ait: Hoc præmisso, *media inter duas sententias amplectenda est*, & dicendum, polygamiam unius viri cum pluribus uxoribus *non esse omnino contra jus naturæ*, seu contra prima ejus principia, sed *aliquo modo adversari juri naturæ*, quatenus est contra conclusiones, ab ipsis primis principiis derivatas, eò *quòd non repugnet matrimonii naturæ, nec primario ejus fini*, sed *non satis* cum matrimonio *congruat*, si omnes illius fines spectemus, atque proinde matrimonium illud, cum alia uxore initum, priore superstite, esse *attento ipso jure naturæ, nullum*. Priorem partem probat argumentum, de primario fine & *quia aliàs Deus non posset dispensare circa uxorum pluralitatem:* posterior pars inde suadetur, quòd uxorum pluralitas adversetur secundario fini, *tranquillæ ac pacificæ cohabitationi conjugum, ac gubernationi domesticæ*. Ita *Sanchezius*. Ubi id solùm animadvertimus, quòd *Sanchezius* supponat, Deum dispensare non posse in jure naturæ, *quò ad prima ejus principia*; posse autem dispensare *in cætero naturæ jure, uti* habet n. 4. adeóque supponit jus naturæ *strictè & minùs strictè dictum, ac congruentia*, utì indicant verba: *non satis cum matrimonio congruat*: quibus omnibus in Parte I. satis respondimus, aliáque juris naturæ principia stabilivimus.

(c) Ad 4. Dist. 33. Q. 1. art. 1. in corpore.

(d) Ad 4. Dist. 33. Q. 1. cit.

(e) Gen. 30. v. 3. & 9.

Et etiam secundarium.

Quò ad secundarios fines, salvo primario ii magnam convenientiam * naturæ matrimonii propriam, ideóque Divino jure præceptam, notant, jus naturale *in sola necessitate* fundatum, non *probant, quando ergo*, ùt habet *Sanchezius, generatio prolis, & ejus multiplicatio, qui finis primarius est, exigit pluralitatem uxorum, quòd prima sterilis sit, ea non repugnabit juri naturæ; quamvìs secundarius finis non ita perfectè comparetur.* Periculum incontinentiæ est inefficax, quia deductum ex casu *haud ordinario*: nam teste *Angelico* (a): si attendatur finis *primarius*, vir non tenetur reddere debitum uxori, quotiescunque petit, sed quantùm sufficit ad concipiendum. Si attendatur *secundarius*, ducens plures non se obligat ad impossibile. Sed nec uxorum pluralitas tranquillæ conjugum cohabitationi obest *per se*, sed *per accidens* ex malitia conjugum; nec gubernationi domesticæ per se incommodat, utpote quæ principaliùs dependet à Viro, & per prærogativas uxorum extrinsecas tolli potest. ** *Quò ad præjudicium Societatis humanæ*, multiplicatio nimia jus naturæ permissivum non afficit, quod *pro fine* ipsam humani generis multiplicationem intendit. Nimietas, sicutì habetur *per accidens*, ita jus naturæ non tollit, sed usum restringit, secùs ipsa *naturalis libertas* juris naturalis haud foret, cùm quovis libero, nullóque alterius imperiis subjecto, magnum redundaret præjudicium in Societatem humanam.

Aliásque rationes allatas.

Confirmatio I. Ex institutione primæva plus inferre non potest, quam contractum conjugii, *utrinque æqualem*, ab Authore Naturæ probatum, ùt matrimonii fini *oppidò conformem*, & ideò præcepto etiam Divino positivo firmatum; non autem ùt *simpliciter necessarium*, ac matrimonii fini *essentialem*: secùs idem Author Naturæ, eundem dispensando, mutare in Patriarchis haud potuisset, ùt tamen volunt adversarii.

Confirmatio II. Mentem Authoris naturæ deberet probare *ex matrimonii fine*: atqui controversum est, an hic necessariò requirat *pactum utrinque æquale*: *Innocentius* jus divinum innuit, non naturæ.

Confirmatio III. Ex quarumdam Gentium praxi rectè infert polygamiam *matrimonii perfectioni* minùs conformem; sed tamen ex plurium aliarum consuetudine matrimonii substantiæ haud oppositam, neque naturæ jure *absolutè* vetitam, æquè forsan inferre posset.

Confirmatio IV. Per dispensationem non salvat polygyniam *Patriarcharum & Judæorum.* Unde *Assertum declaratur ulteriùs argumento positivo.* Si *Spectato jure naturæ* contractus matrimonialis, *ex sua natura* dicit vinculum, *utrinque æquale*, exclusivum omnis etiam polygyniæ, tunc Deus, *ùt Author naturæ*, dispensâsset cum Patriarchis, ac *Judæis*, eximendo illos à lege per dispensationem, *directè* afficientem ipsam legem, ejúsque obligationem naturalem, sic ut, quod jure naturæ priùs illicitum & inhonestum, *manentibus iisdem circumstantiis*, fuisset licitum, ac honestum: atqui sic *propriè*, & *formaliter* dispensâsset in lege naturali, de se *prorsus immutabili*, ac *indispensabili*, utì alibi declaratum. 2. Constat *ab ævo* diluvii ad usque Evangelicam legem, polygyniam à Patriarchis sanctissimis, & à Natione *hebraica*, communi more inductam, nec à Deo improbatam. Constat à Gentibus sat multis, si non plerisque longa consuetudine receptam, nec à moratioribus Sophis naturæ corruptelis annumeratam. Jam sic, non est satis credibile, Authorem Naturæ etiam in populo electo corruptelam naturæ, *de se* & naturali juri & matrimonii fini, *quoad propagationem humani generis*, adeò repugnantem, tot sæculis, & tam universaliter tolerâsse, vel etiam (si fieri posset) dispensâsse. *** *Neque sine sufficienti rationum pondere*, facilè asserendum, tot Gentes tantoperè fuisse corruptas, ut jus naturæ, in puncto ipsius propagationis humanæ, vel omninò neglexerint, vel penitùs ignorârint.

Unde *S. Augustinus*, nec præceptum *naturale*, nec etiam *Divinum* agnovit quòad uxorum pluralitatem, in veteri testamento prohibitam, cùm Patriarchas polygamos tantummodò *per inductam consuetudinem* (utique humano juri prævalentem) à peccato excusavit

* Id quod solum per jus naturæ intelligit Angelicus. L. 5. ùt diximus.

(a) Ad 4. Dist. 33. Q. 1. art. 1 ad. 6.

** Uti factum teste C. *Bellarmino* L. 1. de matrim. c. 11. cùm ait, fuisse *Hebræis* & Gentilibus duo genera uxorum: quædam ductæ erant & ad procreandos liberos, & ad totius domûs gubernationem, *uxores* propriè nominatæ, quarum filii habebantur hæredes; quædam ad solos procreandos liberos assumptæ, & dictæ etiam *concubinæ*.

*** Thomasius ait Jurisp. Div. L. 3. c. 2. n. 205. Deus, *etiam inter beneficia, Davidi præstita*, recensuit, quòd ipsi plures uxores dederit: Quis autem putet inter beneficia referre, quod essentiam hominis turbat, ac jure naturali prohibitum est? Ita ille.

vit, dicens: *quando mos erat, crimen non erat.* (a)

Polyandria simultanea naturæ juri adversa communi authorum calculo.

℞. IV. *Polyandriam simultaneam, naturæ jure esse prohibitam, & matrimonii fini absolutè repugnantem, est sententia satis certa, & Authorum, etiam protestantium, unanimi calculo contestata.*

Assertum declaratur. 1. *Quò ad authoritatem* nullus est proscribilis ex Orthodoxis; ex Protestanticis, etsi polyandriam licitam *aliquo modo* asseruerit *Thomasius* (b), in secundis tamen curis eandem ex *regulis decori*, & *honesti* rejecit, meliùs facturus, si *ex regulis justi* pariter rejecisset (c).

Declaratur assertum. 2. *Quò ad rationem.* Quia repugnat 1. Matrimonii fini *primario*, quod sufficit: nam per polyviriam, *loquendo regulariter*, intendi nequit multiplicatio humani generis, cùm mulier non nisi semel quot annis parere possit, uno viro fœcunditati hujusmodi sufficiente. 2. Impeditur generatio sobolis, & hebetatur fœcunditas, utì patet in meretricibus. 3. Redditur incerta proles, adeóque & *educationis* cura restinguitur ex parte Patris. *Quia repugnat* 2. Etiam *secundario* fini, id, quod additur *ex abundanti*. Non foret aptum remedium concupiscentiæ, una conjuge viris pluribus non sufficiente. 3. Rueret mutua communicatio in plurium virorum familia; imperium maritale foret divisum, una conjuge plures Dominos habente, & sic de aliis. *Confirmatur*: Quia nullum exemplum polyandriæ adduci potest penes Gentes, utcunque moratas, immò & maximè barbaras: etsi aliqua afferantur, de quibus tamen ait & ipse Thomasius, *dubitandum esse homini, genuinis veræ historiæ fundamentis imbuto* (d). Neque quis dicat, polyviriam non repugnare *fini primario*, saltem in casu, quo maritus primus sterilis foret; quo unica mulier superstes, viro sterili juncta; quo, *per pactum speciale*, matrimonii usus non esset concessus pluribus, nisi in annos successivus &c. Certè polyandriam, saltem dispensatione Divina licitam, affirmat ipse *Sanchezius*, & uxorum communionem *Stoici* cum *Platone* (e), sapientibus propriam, reputàrunt, eo fine, ut omnes, Patrum instar, æqua charitate sobolem amarent, tolleréntque zelotypiam; eandem *Spartani* cum *Lycurgo* & *Solone*, in quibusdam casibus naturali & civili rationi convenientem, judicârunt id, quod etiam quibusdam *Romanis* persuasum fuisse, testatur *Plutarchus* (f). Sed

Contra est 1. Jus naturæ intendit *universale bonum*, & iis, quæ *per se & ordinariè* fiunt, attendit. *Particulares* casus, & quæ contingunt *per accidens*, jus naturæ non probant, utì *de duellis*, *mendaciis* &c. sæpe jam diximus. Si una solummodò mulier foret superstes, præsumi deberet mundi interitus, adeóque cessaret obligatio propagationis humanæ, vel saltem sterilitas illa mariti, dicto casu, impedimentum *dirimens* foret, bono conservandi humani Generis prævalente. Prætereà contractus ejusmodi successivus, *ordinariè loquendo*, nec certitudini prolis, adeóque nec educationi debitæ, sat præcaveret. Etsi *Sanchezius* (g) dispensationem admittat, ipso tamen fatente, *communiter* negatur, eò quòd sit *contra prima naturæ principia*, utì habet Angelicus: in nostris principiis, cùm polyviria repugnet matrimonii fini *primario*, dispensatio foret *directa*, adeóque *impossibilis* * Si vera sunt quorumdam exempla, ea *respectivè* pauca sunt, & *apertam corruptelam* notant, utì rectè habet *Puffendorfius* (h).

In nostris principiis Monogamia jure Divino præcepta.

℞. V. His utcunque expensis *Dicendum* 1. *Monogamia*, institutioni primæ coæva, habetur *ex jure positivo Divino*, *Adamo* protoparente per eundem contextum legem Divinam circa matrimonii *perpetuum* vinculum, & *monogamiam* promulgante, utì colligitur ex ℞. I.

Di-

(a) L. 22. contra *Faustum*. c. 47. & 48. Item. L. unico, *de bono conjugii*. c. fin. asserens antiquos Patres, *nec contra legem, nec contra morem* egisse. Item L. 1. de nuptiis c. 9. & L. de bono viduit. c. 7. probat, virorum pluralitatem, non verò uxorum naturæ matrimonii adversari.

(b) Jurisprud. Div L. 3 c. 2. n 206. & seqq. Unde n. 211. scripsit, *polyviriam infimum gradum licentiæ obtinere, & prohibitioni propiorem esse, quàm præcepto.*

(c) In fundam. J. N. L. 3. c. 2. n. 36.

(d) In fundam. J. N. L. 3. c. 2. n. 36.

(e) L. 5. de Republ.

(f) Apud *Puffendorfium* L. 6. de J. N. & G. c. 1. §. 15. ubi plurium populorum morem adducit, de cujus tamen veritate rectè dubitat *Thomasius*.

(g) L. 7. cit. Disp. 20. n. 15.

* Quòd si Deus, *ut absolutus Dominus*, fœminæ daret potestatem in plura corpora virorum, id non fieret *per matrimonium*, quamvis non appareat, quomodò id honestè fieri possit.

(h) L. c. *Enimverò quum hæc omnia juri naturali repugnent, dubitare fas non est.*

Rationi consentanee, & ideo jure Gentium inducta.

Dicendum. 2. *Monogamia & matrimonii naturæ, & propagationi humani Generis est quàm maximè consentanea: unde polygyniam, saltem Gentium juri adversam facilè quis deducet.* Ratio prioris desumitur ex momentis allatis in ℞. 2. *Ratio posterioris* fluit ex hac ipsa convenientia monogamiæ, & incommodis polygamiæ, *saltem spectato fine secundario*, unde cùm inter Gentes saltem moratiores universè nequaquam permissam videamus, *jure Gentium* vetitam non immeritò judicamus.

Non tamen polygamia naturæ jure absolutè prohibita.

Dicendum. 3. *Polygyniam tamen, in se præcisè spectatam, naturæ jure esse absolutè prohibitam sufficienter probari vix potest.* Dicimus: in *se spectatam*, ut abstrahamus *à modo*: nam *solius libidinis causâ*, & ultra vires, *in quovis numere cum Salomone*, *ultrà facultates* educandæ & alendæ prolis multiplicis initam, Naturæ jure rejectam meritò judicamus: inde est, cur sancti Patres antiquos Patriarchas cum D. *Augustino*, naturæ juri haud contravenisse censuerint per polygamiam, *quòd non causâ libidinis, sed multiplicandæ sobolis*, ducti sint (a). *Assertio ratio* habetur ex dictis in ℞. 3. & ampliùs clarescit ex principio nostro fundamentali juris naturæ, quod huic thesi suprà jam applicavimus (b).

Qua sententia in nullum vergit monogamiæ præjudicium.

Dicendum. 4. *Etsi admittatur polygynia, naturæ jure permissa, matrimonii monogamiæ nullum fit præjudicium, velut nonnulli immeritò sibi, & aliis persuasum volunt. Declaratur.* 1. Polygynia semper fuit prohibita *jure Divino positivo*, *omnes* homines, *jam ab initio*, obligante: post diluvium, *ob multiplicandum populum fidelem*, in monogamia dispensatum fuit cum Patriarchis *& Hebræis*. Respectu Infidelium vel perseveravit præceptum Divinum primævum, uti volunt non pauci; vel dispensatio fuit in eos quoque extensa ob propagationem humani Generis, celeriùs promovendam, uti vult *S. Augustinus* (c), & satìs probabiliter colligitur ex polygynia Gentilium ferè communi, nec ullibi à Deo reprehensa.

Declaratur. 2. *Ex C. Bellarmino*, qui ait (d): *quòd probabile sit, dispensationem hanc jam ante Christi adventum cessâsse; addit: si tamen non cessâsset, certum est, à Christo omninò fuisse sublatam, ita ut jam non solùm Christianis, sed etiam aliis Gentibus omnibus polygynia prohibita sit.* Prius membrum probat 1. Quòd jam ante *Christi* adventum cessârit causa dispensationis, hoc est, *paucitas hominum.* 2. Quòd nec *Judæis*, nec *Romanis* ampliùs fuerit in usu, nisi forsan paucissimis: certè de *S. Zacharia*, etsi habuerit conjugium sterile, notum est, quòd polygyniæ remedio nequaquam sit usus (e). *Ratio alterius est*, quia *Christus* matrimonium reduxit ad statum primævum: unde Fidelibus prohibita polygamia *non tantùm ex præcepto Ecclesiastico*, quod Infideles haud stringit; sed etiam ex præcepto Divino primævo, *quod æquè ligat Infideles*, ut adeò *Abulensis*, & *Verracruzii* opinio, qua Infidelibus permissam etiamnum judicant polygyniam, *Vasquezius* rectè dicat *haud tolerandam, temerariam, & errori proximam* (f). Jam sic: Polygynia, *etsi spectato præcisè naturæ jure* permissa, est tamen *absolutè* prohibita, etiam penes Infideles, partim *jure Divino positivo*, partim etiam *jure Gentium*, saltem moratiorum: immò & *naturali reflexo*, ac *hypothetico*, quod dictat, omnem legem Divinam positivam esse observandam: * ergo ex hac sententia nil præjudicii in matrimonium redundat, ut veluti malè sonans censutari meritò possit, vel debeat.

Dicendum 4. Polyandria non tantùm jure Divino, & Gentium, sed etiam naturali absolutè prohibita est. Patet ex dictis ℞. 4. & ex applicatione nostri principii fundamentalis, quam, quia suprà jam dedimus, hìc repititione supersedemus. *Polyviria naturæ jure prohibita.*

§. II.

§. 2. De impedimentis matrimonii in statu naturali.

De statûs conjugalis impedimentis respectu juris naturæ.

Quæritur. V. *Quid de primo gradu consanguinitatis in linea recta censendum respectu*

(a) L. de bono conjugii c. fin.
(b) Tit 3. Instruct 3. Q. 6.
(c) L. 16. de Civit. Dei. c. 38. & L. 22. contra *Faustum* c. 47.
(d) L. 1. de matrim. c. 4. ad finem.
(e) *Luc.* 1.
(f) L. c. n. 14.

* Quo sensu sumimus sententiam P. *Antonii Söll* in scientia LL. D. 1. c. 1. §. 4. n. 409. qui dicit, polygyniam adversari *juri naturæ*, non tamen ita, ut eam excludat *ipsa matrimonii natura*, sed ideò, quia in institutione matrimonii Deus unam tantùm uni conjunxit. Addit: hinc *supposita ipse institutione*, & seclusa speciali concessione Dei uxorum pluralitas adversatur *juri naturæ*. Nam etsi in *substantia*, nos inter, conveniat, disconvenit tamen *in loquendi modo*, qui *jus naturale absolutum* à *Divino positivo* non satis discernit, id quod pro scopo nobis præfiximus. Quòd si tamen, *supposito præcepto Divino*, dicat, *contra jus naturale* fore re aliena, nempe corpore, ad usum solummodò concesso, *contra Creatoris voluntatem positivam*; uti non refragamur, sed de *jure hypothetico naturali* nobis quæstionem esse, negamus.

ctu matrimonii, solo jure naturæ considerati?

Videri posset naturæ jure haud prohibitum.

℞. I. *Singularis est opinio Thomasii, qui matrimonium in primo gradu*, Patris nempe cum filia, Matris cum filio, naturæ *jure haud repugnare, adeóque validum licitúmque, hoc præcisè spectato jure, affirmat.* Nam ait: *mallem & hic imperfectionem rationis nostræ agnoscere, & asserere, connubia Parentum & liberorum non esse objectum legis naturalis, sed alterius legis Divinæ* (a). In secundis tamen curis, ubi pro principio juris naturæ statuit *regulas justi, honesti, & decori*, utcúnque recantat; dum ait; repugnare non quidem *regulis justi*, sed tamen *decori*, & *honesti*, haud emendato, sed moderato errore, cùm hæ regulæ principium juris naturalis *distinctivum* nequaquam conficiant, & honestati naturali contraria, naturæ jure licita esse haud possint. *Fundamentalis* & *unica* ratio hujus Authoris est *argumentum negativum*, enervando rationes, communiter afferri solitas.

1. *Communis persuasio Gentium*, saltem moratiorum. Reponit *Thomasius*: non persuasione, sed persuasionis *solita ratione*, ex naturæ principiis petita, jus naturæ probandum esse, ac evincendum. 2. *Abhorrentia humanorum affectûum*, qua vel in ipsis sensibus deprehenditur aliquid repugnans * ℞. *Thomasius* ex *Puffendorfio* hanc non tam ex congenito principio, quàm ex diuturnis moribus provenire, qui naturæ indolem mentiantur. Accedit, quòd jus naturæ non ex solo sensuum, affectuúmque judicio metiendum sit; secùs ex adverso concludi posset, illa jure naturali præcipi, in quæ sensus & affectus acerrimè feruntur, quorum tamen pleraque naturæ juri adversa novimus. ** 3. *Instinctus*, quem affert *Sanchezius ipsorum quoque brutorum, Aristotele* de camelo & equo testante, quòd similes congressus refugerint *** ℞. Hic instinctus, *siquidem verus*, haud est universalis, in circumstantias accidentales facilè refundendus. Sic, concepto fœtu, plura animalia coitum horrent, quin exinde naturæ juri id repugnare, quisquam coarguat. *Aristotelis* exempla fidem potiùs elidunt, quàm faciunt. 4. *Ætatis* disparitas, teste *Socrate*, unde aut sterilitas, aut malè conformata soboles. ℞. *Thomasius*: hoc profectò oppidò quàm jejunum est. 5. *Spargenda latiùs amicitia*, authore *Plutarcho*. ℞. Hanc tanti non esse, ut, quod contrà fit, irritum aut illicitum, naturæ jure, censeri debeat. 6. *Confusio* inter diversa *necessitudinum vocabula*. ℞. *Thomasius*. Nescio, cur hi res ex vocabulis metiri voluerint, obliti vulgaris axiomatis, rerum gratiâ inventa esse vocabula, haud quaquam res propter voces. 7. *Reverentia Parentibus debita*, conjugali familiaritati & æqualitati opposita; immò & repugnans superioritati in filio marito, atque inferioritati in conjuge Matre. ℞. Idem, quòd *reverentia* non tollatur, utì apparet in conjugio Regis cum subdita, Reginæ cum subdito; vel quòd *remissibilis* sit, saltem post emancipationem, cùm Parentes & filios sæpe familiarissimè convivere videamus. Nec *æqualitas* obest, utì patet *in contractu societatis* inito per Patrem & filiam; nec inferioritas respectu conjugis Matris, quæ non tam ex jure naturæ, quàm peccati pœna descendit. 8. *Pudor naturalis*, teste *Paulo* ICto, repugnans *præ cæteris* conjugio liberorum cum Parentibus. ℞. *Thomasius*, actum conjugalem *per se*, utì nil turpitudinis, ita nec causam pudoris habere, nisi quis dicat, naturæ Authorem medium turpe, ad propagationem humani Generis, ordinâsse. Et quia in statu naturæ lapsæ pudor oritur ex nuditate, hic, propter assuetudinem ab incunabulis, minor erit liberos inter atque Parentes, quàm inter exteros, id quod cernimus experientiâ contestatum. 9. *Contractus imperfectus*, matrimonii substantiæ *insufficiens*, quia non inter duo, *adæquatè* distincta, cùm filius sit *pars quædam* Parentum, & aliàs jam una velutì caro, utì infert *Sanchezius*. ℞. Argumentum post emancipationem non stringere, utì patet *in contractu societatis*, cuivis competente sui dominio corporis. 10. *Dominium* corporis, *ex institutione primi conjugii*, authori naturæ subordinatum. ℞. Hoc argumento plus non evinci, quàm jus Divinum *positivum*, cùm fini primario, generationi, & educa-

(a) Jurisprud. Div. L. 3. c. 2. n. 246.

* *Suetonius de Claudio c. 15. Claudius Imperator fœminam, non agnoscentem filium suum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confessionem compulit indicto ei matrimonio.*

** Sic abhorremus à serpentibus, etsi serpentes tangere nemo dixerit, naturæ juri esse adversum

*** *Aristoteles* L. 1. Hist. animalium c. 47. refert de camelis, quòd nec vi adigi possint ad matrum congressus, cúmque camelarii fraude pullus, cum matre contecta, congressum tentâsset, & postea fraudem agnovisset, morsu interfecerit camelarium: simile exemplum adducit de equo Regis *Scytharum* per simile artificium decepto; qui postmodùm fugerit, & ex alto sese præcipitem dederit.

educationi prolis, ejusmodi conjugia nil obstent. 11. *Repugnantia cum fine secundario*, seu *repressione concupiscentiæ* propter cohabitationem perpetuam. ℞. Experientiâ constare, minus esse concupiscentiæ illicium ex cohabitatione Parentum & liberorum, fratrum & sororum, quàm exterorum. Certè fini secundario matrimonii, ùt est concupiscentiæ remedium, æquè satisfacere nemo facilè inficias iverit. 12. *Dissonantia rationis*, teste Apostolo Gentium, dum ait: *auditur in vobis fornicatio talis, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat* (a): unde interpres *Angelicus*: fornicatio *simplex* Gentilibus non reputata peccatum; hæc tamen *species illicita* habebatur, immò *horribilis, utpotè contrarium rationi naturali existens. Per naturalem enim reverentiam filii ad Parentes, secundùm omnem statum, & legem, Pater & Mater, à matrimonio excluditur.* ℞. Hunc Gentilium horrorem esse de concubitu filii cum noverca, *Patre etiamnum vivo*, quem hic Apostolus, *ùt juri Gentium adversum*, reprobat, utì infra declarabitur.

Sed licèt rationes, afferri solitæ pro jure naturæ negativo,

℞. II. *Etsi rationes allatæ pleræque sint insufficientes. 2. Sententia tamen affirmans matrimonium in primo gradu lineæ rectæ esse etiam naturæ jure illicitum, atque invalidum, ex ratione intrinseca est probabilior. 3. Ex ratione extrinseca est absolutè tenenda, ac adstruenda.*

Non omnes efficaciter stringant.

Declaratur assertum quòad 1. Rationes aliquæ sunt admodùm *inefficaces*, utì *tertia, quarta, sexta, nona, undecima*; aliæ plus non probant, quàm jus Divinum primævum, ac Gentium, utì *quinta & decima*; aliæ nimium probant, nempe conjugia naturæ jure irrita etiam inter fratres & sorores, utì *prima, secunda, & octava* ex parte; denique & *undecima & duodecima*, quæ omnia satis dilucida erunt consideranti ea, quæ ℞. 1. attulimus: ergo pleræque rationes sunt *insufficientes*.

Probabilius tamen tale matrimonium est naturæ jure nullum, spectatâ ratione intrinsecâ.

Declaratur assertum quòad 2. Etsi vinculum in primo gradu lineæ rectæ, spectato *jure naturæ*, non repugnet *simpliciter* matrimonio, *ùt est societas absoluta in se*, ex sua natura habens *pro fine primario* generationem & educationem prolis; * repugnat tamen matrimonio, ùt est *societas respectiva*, seu societatis paternæ, *per se loquendo*, præparatoria, habens alios fines, matrimonio hujusmodi *absolutè incompossibiles*: ergo, etsi non repugnet *simpliciter* inter Parentes & liberos, *quà tales*, repugnat tamen, *per se loquendo*, inter Parentes & liberos *quà tales*, moralitate conjugii non solùm finem societatis *conjugalis*, sed etiam *paternæ*, seu familiæ respiciente. *A. Quò ad finem societatis absolutæ* colligitur ex ℞. I. Quò ad finem *societatis respectivæ*. P. Societas conjugalis, *ex sua natura* ordinatur ad societatem paternam, utì infra declarabitur, cujus finis est *bonum commune familiæ*, consistens partim *in authoritate, superioritate, regimine paterno, atque materno*, per officia vitæ ædificativæ, instructionis ac correctionis necessariæ; partim in liberorum *observantia, subjectione, ac reverentia*, per officia pietatis, amoris, ac timoris filialis, quæ etiam post educationem, *suo modo*, durant, ac *irremissibiliter*, naturæ jure, Parentibus, ac liberis inhærent. Jam sic hi fines atque officia cum fine talis conjugii, ejusque officiis, *sunt absolutè incompossibilia, seque mutuò evertunt*: ergo tale conjugium, *saltem ùt est societas respectiva*, rationi rectæ est dissonum, adeóque *naturæ* jure absolutè prohibitum, ac nullum. *A. P. Familiaritas conjugalis* elidit *authoritatem* Patris, & *observantiam* filiæ; *pudor* actûs conjugalis (unde unde proveniat **) repugnat *reverentiæ* liberorum erga Parentes innatæ; *** *æqualitas conjugalis* adversatur *superioritati* matris, & *subjectioni* filii; *patria potestas* in filio, vel *materna* in filia

(a) Epist. 1. c. 5.

* Id fatente Angelico 4. Dist. 40. art. 3. in corpore, finis matrimonii qui est bonum prolis, impeditur quidem, *sed non tamen totaliter tollitur*, quia filia ex semine Patris potest prolem generare, & simul cum Patre nutrire, *sed non convenienti modo*: quia inordinatum, quòd filia jungatur in sociam causâ gerendæ & educandæ prolis, quam oporteret per omnia Patri esse subjectam, velut ex eo procedentem: quod magis repugnat in matre cum filio, *quia magis reverentiæ derogatur*, cùm uxor aliqualiter debeat esse subjecta viro. Ex quibus apparet, Doctorem Angelicum, repugnantiam talis matrimonii deducere *ex incompossibilitate* finium & officiorum, societati *conjugali* & *familiæ* competentium.

** *Puffendorfius* L. 6. c. 1. §. 31. & ex eo *Thomasius* L. c. n. 240. pudorem refundit *in decori* insitum amorem, verecundantem ejusmodi actiones, etsi in se naturæ conformes, naturali tamen turpitudine non carentes: item in *pravam libidinem naturæ*, per lapsum nimis corruptæ, &c.

*** Inde ipse ait *Thomasius* L. c. n. 242. Justum porrò *pudorem insigniter intendi* erga illas personas, quibus naturâ *reverentiam quamdam* debemus, aut erga quos *gravitatem quamdam præ* nobis ferre debemus, quales præcipuè sunt *Parentes & liberi*, ita ut, qui per eundem non reprimatur, quò minùs in familiarem istam corporum commixtionem descendere non vereatur, effronti potiùs ingenio, & qui nullum aliud facinus sit formidaturus, judicetur: quare fatetur propter hunc potissimùm pudorem, jure naturæ, inter ascendentes & descendentes in rectâ lineâ connubia censeri prohibita.

lja enervat familiæ regimen fratres inter atque ſorores, ſicque *in una perſona* confunduntur obligationes, atque officia uxoris & matris, Patris & mariti, Patris & fratris, matris & ſororis; filiali timori miſcetur conjugalis amor, obſervantia jungitur familiaritati conjugali; confunduntur relationes *principii* atque *principiati*, *cauſæ* & *effectûs*, *originis* & *originati* &c. Verbo: cuncta vertuntur in tale *hiſteron proteron*, ut Gentes, quàm maximè barbaræ, ejusmodi chaos meritò exhorruerint. Unde ſic colligimus: Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, per ſe loquendo, eſt contractus, qui ſi minùs *abſolutè*, ſaltem reſpectivè ſumptus, *poſitivè* repugnat amori Parentes inter & proles, in ordine ad felicitatem naturæ rationali in propaganda ſpecie propriam, naturaliter debito, & *ſimpliciter* requiſito: ergo eſt naturæ jure prohibitus, ac nullus. A. Satis conſtat ex dictis, & quia *ejusmodi confuſa inordinatio* in ipſo effectu durat, foretque *perpetua*, tale matrimonium, ex alibi traditis, non modò eſt naturæ jure *illicitum*, ſed etiam *invalidum* ac *nullum*.

Quæ opinio ob rationem extrinſecam abſolutè adſtruenda.

Declaratur aſſertum quò ad 3. Conſtat ex *Sanchezio* * quòd conjugium in primo gradu lineæ rectæ, naturæ jure invalidum cenſeant, cum Doctore Angelico *univerſi*, non modò Theologi, ſed etiam Jureconſulti, nullo prorſus diſſentiente, ſaltem ex impreſſis, immò & Moraliſtæ proteſtantici ſeſe jungunt fermè unanimi calculo, ipſo *Thomaſio* utcunque recantante. ** Inde ipſe *Caramuel*, aliàs contradicere ſuetus ingenuè faſſus eſt, ſe ſubſcribere *omnibus*, ut ne ſingularis videatur ſubſcripturus aliis, ſi diſſentientes inveniſſet.

Conſtat 2. Gentes omnes, quæ non penitùs obbrutuère, ſemper abhorruiſſe à conjunctione matrimoniali Parentes inter & liberos primi gradûs; & licet, teſte *S. Hieronymo* (a), *Indi Æthiopes*, *Medi*, immò & *Perſæ* ac *Parthi* ejusmodi connubiis ſeſe contaminârint, argumentum duci nequit, quia *quod naturale eſt, ſpectandum in his, quæ bene ſecundùm naturam ſe habent, non quæ in depravatis*, uti habet Philoſophus (b): quò ad hoc autem hæ Gentes pro maximè barbaris ſemper ab ipſis Gentilibus habitæ. Jam ſic. Ejusmodi *conſenſus unanimis* SS. PP. DD. & *Sophorum* quoque Gentilium, ſuffultus *communi ſenſu* Gentium, utcunque moratarum, *** eſt ſaltem ratio à *poſteriori*, *extrinſeca*, & *mediata*, *eaque ſufficiens* in materia morum, ad demonſtrandum ejusmodi commercium, *poſitivè* inhoneſtum, ac naturæ rationali contrarium, etſi ipſa ratio intrinſeca, *tam demonſtrativè* aſſignari haud poſſit: ergo *ex ratione ſaltem extrinſeca* eſt *abſolutè* tenenda iſthæc ſententia. A. P. Ex dictis in prolegomenis Inſtruct. § 4. quia, teſte *Seneca*, *veritatis argumentum eſt, aliquod omnibus videri*, & niſi ejusmodi conſenſus proveniret ab ipſo rationali dictamine, natura deficeret in fundamento honeſtatis, eſſetque malè conſtituta in ordine ad ſuum finem; quòd dici nequit.

Replicis ſufficienti nervo deſtitutis.

℟. III. *Quæ utrique rationi, tam intrinſecæ, quam extrinſecæ, opponi poſſunt, inefficacia ſunt.*

Nam 1. Authoritas in adſtruendo jure naturæ plus non probat, quàm in ſpecifica rerum differentia *judicium prudentum* 2. Conſenſus tantus fundari poteſt in præcepto Divino poſitivo: *relinquet homo patrem & matrem*, cùm *ſtatum naturæ* primævum cum naturæ jure ſæpe confundant Patres, atque Doctores. 3. Senſus Gentium probaret etiam conjugia fratrum & ſororum naturæ juri adverſa. Sed

Contra eſt 1. Authoritas non adſtruitur, niſi *pro ratione extrinſeca*, ſed tamen ſupponente *intrinſecam*; unde ſicut judicium Prudentum *unanime* de differentia ſpecifica leonis & equi, argueret prædicatum ſat certò ſpecificum, ita à pari. *Contra eſt.* 2. PP. DD. cum *D. Ambroſio* adſtruunt *repugnantiam legis ſcriptæ in cordibus*; cum Angelico contrarietatem *cum ratione naturali*; immò omnes affirmant, conjugium in primo gradu lineæ rectæ nulla humana poteſtate diſpenſabile, vel in converſis ad fidem tolerabile, adeóque ſupponunt contrarium juri naturæ. *Contra eſt* 3. De conjugiis fratrum & ſororum

* L. 7. de Matr. Diſp. n. 7. *apud omnes Doctores compertum eſſe, nemine diſcrepante*, tale matrimonium, *jure naturæ irritum*: & licèt expreſſe irritum non dicant, hanc tamen eorum eſſe mentem affirmat, cum dicant, eſſe nulla humana poteſtate diſpenſabile.

** Inde *Wilhelmus Majcoſki* hanc theſin, ex *Thomaſio* propugnatam; *nullus inceſtus jure naturæ repugnat*, è ſecundis authoris curis emendatam, radere deberet. Idem *Thomaſius* etiam *Alberto Hofmanno* reſpondenti impoſuit, ut poneret hanc theſin: *nuptiæ Parentum & liberorum ut inceſtæ jure naturali probentur, firmioribus argumentis opus eſt, quàm quæ à Grotio & Puffendorfio, aliisque vulgò afferuntur ex reverentia, abhorrentia naturali, atque pudore &c. &c.*

(a) L. 2. contra *Jovinianum*.

(b) Polit. c. 5.

*** *Theodoretus* L. 24. in Levit. *concubitus hoſce inter tam manifeſto hominum conſenſu damnata poni*, ut non nullos faciat objicere, cur Deus vetuerit, *quæ nunquam evenire ſolent*.

torum non pugnat idem consensus DD. & Gentium, uti infrà videbimus.

2. *Pudor*, respectu liberorum erga Parentes, *gratis* adstruitur *major*, quàm erga alios. *Sed contrà est*; saltem pudor, *respectu Parentum* ex *ratione* congenitæ authoritatis in liberos & reverentiæ, sibi naturaliter debitæ, præsertim in ordine ad debitum conjugale, adstruitur *major* magisque confundens officia, utrisque naturaliter debita: ergo *gratis* non adstruitur.

3. *Reverentia* debita Marito *ob speciales dotes*, *ob officium* vel dignitatem *Regiam* respectu conjugis plebejæ vel per matrimonium morganaticum assumptæ, nil obest commercio conjugali: ergo nec reverentia filialis: Sed

Contrà est. *Non ex solo* reverentiæ titulo, sed ex confusione cæterorum quoque officiorum, relationum, ac jurium, *maximè quò ad statum familiæ*, irritum *naturæ jure* diximus hoc matrimonium. Accedit, quòd reverentia in assignatis casibus sit merè accidentalis, extrinseca, extraordinaria, adeóque non attenta à jure naturæ, remissibilis saltem quò ad debitum conjugale, respectu personæ *moraliter duplicis*, privatæ & publicæ; contrà reverentia filialis sit substantialis, intrinseca, ordinaria, nullis in circumstantiis remissibilis, respectu ejusdem personæ *privatæ*, conjugis ac filiæ, Patris ac mariti &c. ergo non est paritas.

4. *Superioritas* conjugis regiæ respectu mariti, ad sceptrum non assumptis *superioritas* Patris respectu filii, in contractu societatis nil obest: ergo à pari. Sed

Contrà est ut priùs. Confusio enim *cumulativa* officiorum ac jurium *pro ratione adæquata* à nobis est assignata. Accedit denuò, quòd illa superioritas sit in casu extraordinario, & in diverso ordine; superioritas materna sit ordinaria respectu ejusdem gubernationis domesticæ, sic ut simul esset superior ac inferior, Mater & conjux &c. contractus societatis inter Patrem & filium est exigui momenti, facilè dissolubilis &c. ergo denuò non est paritas.

5. *Casu*, quo solus superstes foret *Pater cum filia*, seu *Mater cum filio*, ejusmodi matrimonium, *naturæ jure*, non modò *validum* sed & *licitum*, immò *obligatorium* foret, *ratione propagationis humanæ*, tanquam bono, *fortius* stringente: ergo & extra hunc casum saltem validum erit jure naturæ. C. P. Quia in jure naturæ *absoluto* locum non habet dispensatio Dei, uti patet *in mendacio*; *in conditionato* locum non habet, nisi in casu particulari v. g. Spoliis *Israëlitarum Ægyptiis*: atqui *nulla prorsus est ratio, cur Deus, ut Author naturæ, non possit universaliter quoque permittere talia matrimonia, nec amori in Deum, se ipsum, proximum, seu Rempublicam adversa*. Sed

Contrà est 1. Negari posset, ullam fore in tali casu obligationem propagationis humanæ, cùm præsumi potiùs deberet instans Mundi interitus. Unde est, cur *S. Augustinus* (a) filias *Loth*, nulla ratione ab incestu excuset, nisi fortè *per errorem hujusmodi inculpabilem*, quæ interpretatio longè communior, quàm altera *S. Chrysostomi & Ambrosii*.

Contrà est 2. Cur in tali casu fictitio non posset adstrui *dispensatio* Authoris naturæ, in lege naturali, non quidem *propriè talis*, afficiens ipsam legem, ejúsque obligationem, sed *impropriè talis* afficiens materiam legis accedente circumstantiâ extractam ab obligatione legis? Certè tale conjugium, in circumstantiis ultimæ necessitatis, majorisque boni quò ad propagationem humanam, nec foret rationi dissonum, nec inhonestum. Ex quo tamen minimè fluit, ejusmodi conjugium *universaliter* permitti posse ab Authore naturæ, cùm extra hunc casum *positivè repugnet amori, Parentes inter & proles in ordine ad felicitatem, naturæ rationali in propaganda specie propriam, naturaliter debito, ac simpliciter requisito*, uti satis constare potest ex dictis.

Contrà est 3. Cùm in nostris principiis minùs propriè sonet jus naturæ *absolutum* atque *conditionatum*, dicendum in tali casu, accedente circumstantiâ, mutari *materiam legis*, nec opus esse dispensatione vel revelatione ulla, cùm conjugium Patris & filiæ, *his circumstantiis convestitum*, nunquam fuerit naturæ juri adversum, præcipuè cùm cesset *ratio inhonestatis*, seu confusio officiorum & jurium, tali matrimonio se habente instar *primi*, quale fuit *Adami & Evæ* ex *Adamo* desumptæ, cui respectu familiæ futuræ nulla confusio officiorum & jurium imputari poterat.

Ry. IV. *Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ est jure Divino positivo, primævo & universali, uti & jure Gentium, & positivo humano absolute prohibitum*. *Est insuper prohibitum jure D. positivo, universaliter obligante jure Gentium ac humano.*

Declaratur. Jus Divinum positivum vel etiam naturale reflexum, *prout ratio dictat, juri Divino esse obtemperandum*, deducitur ex illis verbis ab *Adamo* instinctu Dei prolatis: *Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori*

(a) Apud *Cornelium à Lapide*.

ri sui &c. Jus Gentium ex communi propemodùm consuetudine Gentium; jus humanum ex variis legibus, & pœnis, tam juris sacri, quàm profani.

Ex cæteris gradibus spectato jure naturæ nullus videtur obesse contractui conjugali.

Quæritur VI. Quid de cæteris gradibus, secundùm lineam juris naturæ, sentiendum?

℞. I. *Spectato jure Naturæ gradus consanguinitatis nullus, præter primum in linea recta, matrimonium reddere videtur invalidum. 2. Unde nec primum gradum lineæ collateralis, impedimentis, naturæ jure prohibitis accensendum, sufficienter probari potest.*

Assertum probatur quò ad 1. Impedimenta, ratione consanguinitatis in linea recta, non protrahuntur *in infinitum*, adeóque in certo gradu terminanda sunt: atqui nullus alius terminus, ultra primum, *spectato jure naturæ*, satis probari potest. *Maj:* si unum, alterúmve excipias, est contestata, patétque ex eo, quòd participatio sanguinis, seu ratio consanguinitatis per plures, & plures generationes semper reddatur debilior sensímque deficiat; quòd avus, respectu nepotis, non habeat *rationem genitoris*, sed *rationem causæ, applicantis genitorem*, adeóque non sit *principium* nepotis *per se*, sed merè *per accidens*, uti patet *in Abele*, avum penitùs non habente. *Min.* stat firma argumento negativo, quod per rationes solidas nemo facilè elidet.

Assertum probatur quòad 2. Negativè.

Immò & *positivè*. Conjugium, *fratres inter & sorores*, nec *positivè* regugnat societati conjugali *absolutæ*, nec etiam *respectivæ*; non enim evertit finem matrimonii primarium *in generanda & educanda* sobole; nec secundarium in remedio concupiscentiæ, adjutorio &c. neque confundit nimiùm officia, ac jura familiæ paternæ: ergo, spectato jure naturæ, prohibitum dici nequit. *Ant.* patet consideranti: sequela fluit ex applicatioue principii fundamentalis.

Confirmant alii. Quòd, ejusmodi conjugiis, initio *necesse* fuerit propagari humanum genus; atqui, *sine* præjudicio Authoris naturæ, præsumi nequit *necessarium* propagationis humanæ medium fuisse *illicitum* ac *inhonestum* cùm plures homines, æquè ac duo, creari potuissent. *

℞. II. *Rationes opponi solitæ, minùs stringere videntur.* Nam

Quibusdam non satis efficaciter in oppositam partem nitentibus.

1. Adstruitur *repugnantia* cum matrimonii fine, saltem secundario, propter magnum illicium concupiscentiæ ex cohabitatione continua, conjunctione sanguinis amorem nimiùm inflammante. Accedit quidam naturalis pudor, ac reverentia, ob quam, *teste Aristotele* (a), *S. Augustino* (b) & aliis, ejusmodi matrimonia, *velut abominanda*, pleræque Gentes exhorruère. Sed

Contrà est. Illicium inter fratres & sorores etiam minus esse, testatur experientiâ, cui sat præcavetur per *jus Gentium*, fundatum in amore ad felicitatem societati humanæ admodùm proficuo, *per amicitias alienorum conjugiis multiplicandas.* Pudor & reverentia, fratres inter & sorores, est argumentum satis inefficax ad impedimentum etiam impediens, *naturæ jure* evincendum, maximè si suppetat justa causa. Gentium quarumdam horror consuetudini, pœnis civilibus, & juri Gentium refraganti, adscribi meritò potest: unde Authores hujus sententiæ æquè dicere valent. *Abrahamum* evitâsse suspicionem matrimonii cum Sara sorore, *non propter propinquitatem*, uti exponunt Authores opinionis oppositæ; sed propter *raritatem* in tali gradu, iure Gentium hujusmodi matrimoniis repugnante.

2. Opponitur S. Scripturæ testimonium, quo legimus ejusmodi conjugia apud *Hebræos* punita morte, non minùs ac adulteria, sodomitica, & bestialia scelera, utique naturæ jure prohibita (c). Sed

Contrà est: Lex illa pœnalis jus positivum probat, severior forsan ad impedienda, fratres inter & sorores, mala commercia, ex cohabitationis periculo proniora. Pœna mortis, in modo satis diversa, non probat æqualitatem culpæ; secùs & (d) violatio Sabbathi, *per collectionem lignorum*, *sodomitico* crimini æquanda foret, & æquè juri Naturæ adversaretur.

3. Affertur authoritas *Innocentii III*, qua statuit, Infideles in secundo & ulteriori gradu copulatos, si ad fidem convertantur, separandos non esse (e): ergo innuit separandos in primo, adeó-

---

* *S. Augustinus* L. 15. de Civit. Dei. c. 16. & L. 22. contra *Faustum* c. 35. censet *necessitate compellente* initio licita fuisse hæc matrimonia. *Cornelius à Lapide* in 20. Gen. v. 12. ait *S. Augustinum* L. c. contra *Faustum* conjugia, inter fratres & sorores, *naturæ jure* irrita declarare, sed ibi *S. Augustinus* non loquitur *de jure naturæ*, sed *positivo*, & *consuetudine*, uti patebit legenti.

(a) 2. Polit. c. 2.

(b) L. 2. contra *Faustum*, c. 33.

(c) Levit. c. 20 v. 17.

(d) Num. 15. v. 35.

(e) C. gaudemus, 8. de divortiis.

adeòque conjugium esse naturæ adversum. Sed

Contrà est: sequela non fluit; quia de primo nil statuit *Innocentius*, utpote solùm consultus de secundo, & cæteris.

Idem intelligendum de gradibus cæteris, in Levitico prohibitis.

℞. III. *Absolutè loquendo, nullus gradus, seu consanguinitatis, seu affinitatis, in Levitico prohibitus, præter primum lineæ rectæ, spectato præcisè jure naturæ, conjugium reddere videtur seu invalidum, seu illicitum.*

Ratio positiva habetur ex applicatione *principii fundamentalis*, cùm nullus alius gradus *positivè* repugnare videatur amori, *in ordine ad propagationem humanam*, seu sibi, seu proximo *naturaliter debito*, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *simpliciter necessario*: ergo nullus alius gradus naturæ jure prohibitus esse potest. *Ant.* firmatur. 1. argumento *positivo*, jam suprà insinuato, quia nempe talia conjugia *positivè* conformia sunt societati conjugali *absoluta* & etiam *respectivæ*, eò quòd non evertant matrimonii finem primarium in *generanda*, & *educanda sobole*, nec *secundarium* in remedio concupiscentiæ adjutorio, & similibus, uti patet consideranti. Idem *Ant.* firmatur 2. etiam argumento *negativo*. Unde

Non obstat 1. Quòd contracta, hisce in gradibus, connubia, dicantur à Deo *abominationes*, *& scelera*, *commissa à Gentibus* (a), *non nisi jus naturæ* agnoscentibus. Nam

Contrà est: Expressiones istas, non de omni connubio, ibi prohibito, sed de primo solùm gradu, aliáque *promiscua Venere* dictas, *spectato saltem naturæ jure*, *manifestè* constat *ex Tridentino*, Ecclesiæ dispensationem in plerisque illis gradibus attribuente (b), & ex communi Interpretum, atque Doctorum,

Non obstat 2. Quòd ejusmodi connubia saltem meliùs dicerentur *naturæ jure illicita*: quia continent quandam *indecentiam* & *turpitudinem naturalem*, cùm hic terminus repetatur ferè in singulis gradibus, & *per se, ac juxta sensum communem*, videatur absona propositio, *nullum incestum*, nisi in primo gradu lineæ rectæ *naturæ jure esse prohibitum, ac inhonestum*. Sed

Contrà est. Probari satis vix potest, *spectato naturæ jure*, indecentia, vel turpitudo quædam *moralis positiva*, ob quam, suppetente rationabili causa, illicita dici queant memorata conjugia, etsi *ob majorem decentiam*, aliósque fines naturæ rationali, & societati humanæ magis *congruos*, *jure Gentium*, *& positivo Divino*, *ac humano*, remotiora præcipiantur, & nimiùm propinqua prohibeantur. Cæterùm, *ut ex jure positivo* fluunt consanguinitatis & affinitatis gradus prohibiti, ita & *incestus*, ut adeò eruditas aures vocabulum offendere nequeat, quas res ipsa non offendit, nisi forsan jus *naturæ*, cum *positivo*, minùs peritorum instar, confundere velint, ac commiscere. *Sensus communis* vel non obstat, vel nimiùm probat. *Non obstat*, eò quòd sensus communis differentias jurium non distinguat, cùm neque docti ritè semper distinguunt, sed *ipsum jus Gentium jus naturale* appellent & *quæcunque naturæ rationali, rationi, & societati humanæ minùs congrua* sunt, *juri naturali adversa* pronuntient, id quod in nostra lucubratione minimè faciendum. *Nimiùm probat* hic sensus comunis, si accipiatur de jure naturæ *in sensu stricto*: nam probaret, incestus qualicunque in gradu, etsi *certò* dispensabilis, esse naturæ jure prohibitos, id quod *certò* falsum.

Quæritur VII. Quænam alia impedimenta, spectato jure naturæ, matrimonium dirimentia?

Quò ad impedimenta matrimonii dirimentia spectato jure natura in genere.

℞. 1. *In genere convenit inter Moralistas* 1. *Quòd jure naturali & Gentium impedimenta constitui possint, & de facto aliqua constituta sint.* Patet: quia matrimonium *sortitur naturam contractûs*, & quidem apud Gentes *merè politici*, adeóque juris naturæ & Gentium dispositioni obnoxii, ad instar cæterorum contractuum, *emptionis*, *venditionis* &c. 2. Impedimentis matrimonii, *jure naturæ* ac *Divino universali* inductis, ligantur omnes homines; *jure Gentium* statutis infideles; jure Ecclesiastico determinatis fideles. Ratio primi est, quia Naturæ juri sunt omnes subditi, neque prævalere potest consuetudo, vel potiùs corruptela: hinc matrimonium Patris Infidelis cum filia, ex consuetudine loci initum, de se nullum est, & si *Christiani* fiant, dissolvendum. *Ratio* 2. & 3. est eadem subjectio. Unde colligunt orthodoxi Moralistæ, Infideles, uti à Principe profano, ita & à Pontifice summo, *quà temporali Domino*, in territorio papali subditos, quò ad formam conjugalis contractûs, obligari posse: non tamen *eadem ratione* obligari possunt Fideles à Principe pagano ad formam conjugalis contractûs, non obstan-

(a) *Levitici* 18. v. 27. *omnes execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam: cavete ergo, ne & vos similiter evomat.*

(b) Sess. 24 c. 3.

obstante, quòd illius sint subditi: nam, etsi non desint cum *Sanchezio* (a), qui etiam Fideles, obligatos puncto ad leges pagani Principis, velint, refragantur tamen non pauci. *Ratio est*: quia Fideles, etsi existant in territorio Principis pagani, eidem tamen *quò ad spiritualia* & *supernaturalia*, inter quæ matrimonium Fidelium, neutiquam subjecti sunt. Sed reponit *Sanchezius*, quòd *ratio Sacramenti* superaddita in Principibus non impediat potestatem impedimenta dirimentia statuendi, sed sola *reservatio Pontificia*, quæ ad Principes infideles se non extendat. Sentiat quivis, quod velit: nil intercedimus. Gravior est disceptatio, an hæretici ligentur impedimentis, solo jure Ecclesiastico statutis? Sed quia jus naturæ & Gentium non attingit, aliis decisionem relinquimus. *

In specie. ℞. II. *In specie*, inter impedimenta matrimonii, *naturæ jure dirimentia*, est. 1. *Impotentia perpetua*. *Ratio est*: quia ad matrimonium requiritur essentialiter traditio corporum cum mutuo jure proprietatis, & radicali facultate exigendi debitum &c. Aliud foret de *impotentia temporali* V. G. respectu pueri, quæ traditionem corporum *absolutè* non faceret impossibilem, sed usum solummodò suspenderet in tempus habile, quale contingit in aliis quoque contractibus, naturâ validis. 2. *Error substantialis*, quia tollit consensum, *naturæ jure* requisitum. 3. *Polyandria*, & consanguinitas *in primo gradu lineæ rectæ*, nullum facere matrimonium, constat ex dictis.

De adulterio. ℞. III. *Moralistæ protestantici*, *inter causas, matrimonium dirimentes tam ex jure naturali, quàm Divino, malè adstruunt crimen, etiam inter Fideles. V. G. Adulterium, malitiosam desertionem, debiti negationem pertinacem* &c.

Declaratur assertum: *Puffendorfius* ita concludit (b). *Unde apparet, quòd adulterium & malitiosa desertio ad divortium sufficere judicatur* &c. *immò læsæ parti ad secunda vota transire liceat*. Nec contentus errore, convitium superaddit: ** *quidquid in contrarium jus Canonicum ingeritur. Nec tamen difficile est istis Sacerdotibus, aliâ viâ, sua, decreta eludere, si cui hoc gratificari placeat, declarando, matrimonium ab initio fuisse nullum, cujus rei varios obtentus idem jus suggerere potest.*

Rationem asserti unicam affert: quia essentiali puncto matrimonialis pacti, per alterum violato, læsæ parti facultas est matrimonio discedendi. Ejus Paraphrases *Kemmerichius* (c) adjungit adulterio, *naturaliter dirimenti*, *inimicitias* quoque *capitales*, *sterilitatem*, *mores alterius intolerabiles*. *Wernherus* ait (d): *jure Divino positivo non nisi ob adulterium, & malitiosam desertionem conjugii vinculum dissolvi*. *Fleischerus* (e) ad justas causas *dissolvendi*, ùt ait, *matrimonii* revocat quoque *insidias vitæ structas*, *perpetuam procurationem abortûs*, *relegationem perpetuam*, *animorum disparitatem*, *morbum sonticum*, *sterilitatem* &c. *non verò hæresin*, *ac atheismum* &c. ubi cuncta confundit, jus naturale, Divinum, divortium *quò ad thorum*, dissolutionem matrimonii *quò ad vinculum*. &c. Insuper *in Christi* effato de adulterio, tanquam causa divortii, alium errorem, ex secundis *Thomasii* curis depromptum, accumulat, dum ait: *Christum non fuisse Legislatorem, sed merum Doctorem*. Sed

Contrà hos errores est definita Catholica veritas à *Tridentino* (f): *adulterio nequaquam matrimonia dissolvi*; idem de moribus intolerabilibus, cæterisque intelligendum *jure Divino*, & ratio est, quia aliàs daretur ansa conjugibus, ad novum matrimonium aspirantibus, fidem conjugalem violandi; fieret conjugis adulteræ conditio melior, utpote quæ propter delictum, & ipsa à vinculo tam ingrato sese *absolutè* posset eximere; foret liberis, quorum cura, soluto matrimonio, vix ampliùs à Parentibus curaretur, ingens præjudicium. Unde

(a) L. 7. Disp. 2. n. 7. quem sequitur *Pontius*, *Wiestnerus*, & alii.

* Quamvis *crinibus attracta* quæstio haud foret, cùm ejusdem decisiones falsas Protestantici suis lucubrationibus *de naturæ jure* immisceant.

(b) De J. N. & G. L. 6. c. 1. n. 21. Protestantici authores divortia *quò ad thorum*, & *vinculum*, ex sacris Canonibus frequenter confundunt: exemplo esse potest *Nicolaus Hertius* in notis ad hunc *Puffendorfii* locum, quem colorare nititur authoritate *Origenis*, Concilii *Cleberini*, *Aurelianensis*, & *Arelatensis* I.

** Quod repetit ex *Seldeno* L. c. §. 23. f. m. 835. qui ait, divortia *inter antiquissimos Christianos* ex aliis quoque causis, quàm adulterii, fuisse licita, *donec Pontificum superstitione & iniquitate conjubii vinculum utroque viro insolubile declaratum sit*. Licita probat *Puffendorfius* ex L. 8. c. de repudiis. Sed ejusmodi leges, præcepto *Christi* oppositæ, ideóque correctæ, an *Christianis* unicè latæ sint, probare deberet *Puffendorfius*.

(c) In element. J. N. & G. c. 2. §. 6. n. 34.

(d) In element. J. N. & G. c. 17. §. 25.

(e) Instit. J. N. & G.

(f) Sess. 24. de matrim. Can. 7.

de effatum *Christi* : *quicunque dimiserit uxorem*, *nisi ob fornicationem* &c. tantummodò vult mœchari eum, qui dimittit uxorem ex alia causa, quàm fornicationis; non autem vult, licitum esse uxorem dimittere ex causa fornicationis, & aliam ducere. An, *spectato præcisè jure naturæ*, conjugii vinculum solvat *adulterii* crimen, *malitiosa desertio*, *morum intolerabilitas* &c. tam facilè determinari neque potest, neque debet, cùm adeò liquidum non sit, an ejusmodi causæ, *spectatâ naturâ pacti conjugalis*, *fine illius primario*, & *absque præjudicio prolis legitimæ*, *bonique communis*, *veluti sufficientes de jure naturæ*, *ad repudia* etiam in Testamento veteri permissæ, probari queant. Illud certum etiam Protestantibus, quòd conjugia penès *Romanos*, *mutuo consensu*, *captivitate*, *morbo*, aut *infamia*, malè dissoluta sint.

De vi ac metu.

R. IV. *Vis* * *& metus*, *spectato præcisè jure naturæ*, *non est impedimentum dirimens matrimonii*; *utì multi*, præsertim ex Moralistis *Protestanticis*, *affirmant*. *Ratio est*: quia ad nullum contractum, utì infrà probabimus (a), *spectato præcisè jure naturali*, plus requiritur, quàm *justus titulus*, *& voluntarius consensus*: prior habetur, nil obstante metu, per traditionem juris in corpus pro jure in corpus; posterior non tollitur à metû, etsi minuatur. Accedit, quòd jure naturali irritum dici non possit tale conjugium *propter injuriam*; aliàs matrimonium, dolo contrahentis accidentali obtentum, hoc ipso jure irritum foret propter æqualem injuriam. Sed neque invalidum dici potest *propter defectum libertatis*; secùs irritaret quoque metus, à causa *necessaria* incussus; irritaret *jure naturæ* similis metus baptismum, aut juramentum extortum, quas tamen sequelas nemo facilè admittet. Verbo: vis ac metus solummodò *secundùm quid*, *non absolute*, est oppositus amori, proximo in ordine ad finem matrimonii essentialem naturaliter debito, & ad felicitatem societatis humanæ *simpliciter* requisito: ergo &c. *Ant.* patet ex solutione replicarum. Nam

Opponunt adversarii 1. Amor proximo *naturaliter* debitus, in ordine ad matrimonii finem, *de jure naturæ*, non tantùm requirit consensum merè *voluntarium*, sed etiam *liberum*: quia vis est opposita fini conjugali, à natura intento, hoc est, conjunctioni animorum, & corporum, individuæ item consuetudini, statuíque perpetuo. Si enim conjugia, *liberè* contracta, tam sæpe funestos sortiuntur exitus, quid eveniet in violentis? Sed

Contrà est. Vis est opposita conjunctioni, statuíque perpetuo *simpliciter*. N. *Secundùm quid*, seu est minùs apta ad hunc finem, sic ut expediat, esse rescindibilem contractum. Accedit, *perpetuitatem* statûs conjugalis, ex sua natura *necessariò* & *simpliciter* requisitam, non satis probari ex principiis juris naturæ; sicuti constat ex dictis.

Opponunt 2. In statu merè naturali, ubi non agnoscitur superioritas, ejusmodi contractus conjugii violentus foret *irrescindibilis*, & etsi agnosceretur, accidere posset, ut vel non vellet, vel non posset hac potestate uti, adeóque pars, vim injustam passa, careret remedio, & natura deficeret in necessariis. Sed

Contrà est. Talis contractus vel esset *naturæ jure*, ab ipso contrahente vim injustam passo *rescindibilis*, vel à quocunque potestatem habente, saltem *respectu juris Gentium*, qui si nollet, vel non valeret ea potestate uti, id foret *per accidens*.

Opponunt 3. Jus humanum ejusmodi matrimonium non tam *primum* irritat, quàm irritum *antiquiore jure* declarat, ùt colligitur ex norma *verborum*: ergo supponit jam priùs *jure naturæ* nullum. Sed

Contrà est: Etsi jus antiquius supponatur, id non necessariò est *jus naturæ*, sed positivum antiquius, seu consuetudine, seu viva voce inductum, quod idem dicere debent Adversarii de impedimento disparitatis cultûs.

Quæritur VIII. Quid, spectato jure naturæ, tenendum de impedimento affinitatis?

De impedimentis affinitatis. Nullum agnoscitur in disciplina juris naturæ.

R. I. *Affinitas*, *nullo gradu*, *seu lineæ rectæ*, *seu obliquæ matrimonio obest spectatu naturæ jure*. *Ratio fundamentalis est*: quia probari nequit, affinitatem in ullo gradu repugnare amori, vel sibi, vel proximo, *in ordine ad ullum matrimonii finem*, naturaliter debito, seu ad felicitatem societatis humanæ *simpliciter* necessario. 1. *Quò ad gradus lineæ obliquæ in specie*, patet insuper ex Testamento antiquo, ubi matrimonium, *in primo gradu affinitatis* cum conjuge improli fratris defuncti, non tantùm licitum erat, sed etiam præceptum; liquet ex Testamento novo, ubi ejusmodi matrimonia in Infidelibus, ad fidem veram

---

* In sensu ordinario, hic summi solito; non illa, quæ cogit ad *actum externum* contra voluntatem, facitque *simpliciter involuntarium*, qua de re dictum suprà; P. 2. Tit. 1. §. 199.

(a) P. III. Tit. V. de Pace.

veram conversis, non improbantur; immò & in iisdem gradibus etiam inter Fideles sæpiùs dispensatur. * Unde prohibitio *Levitici* est juris solummodò positivi, & illud S. *Joannis Baptistæ*: *non licet*, vel dictum est *Herodi*, tanquam *Judæo*; vel pronuntiatum fuit de conjuge fratris, etiamnum viventis; id quod habet communior.

2. *Quò ad gradus lineæ rectæ in specie*, de conjugio primi gradûs V. G inter privignum & novercam, vitricum & privignam; inter socerum & nurum, generum & socrum, colligitur insuper ex eo, quòd ejusmodi conjugia in Infidelibus, ad veram fidem conversis, tolerentur, uti colligere est ex Canone decimo Synodi *Aurelianensis* III. & aliis. Unde

℞. II. *Rationes, afferri solitæ, oppositum non evincunt.* Nam, quòd tale conjugium à *Papiniano* vocetur *incestus de jure Gentium* (a) nil obest nostro asserto, etsi *& de jure Gentium* videatur locutio satis *impropria*, cùm non nisi una, alteráve Natio, ejusmodi conjugia prohibuisse, *propter majorem inconvenientiam*, demonstretur. 2. Quòd S. *Paulus fornicationem* appellârit, *qualis* nec *inter Gentes* (b), intelligendum est de concubitu filii cum uxore Patris, etiamnum viventis, uti indicat ipse Apostolus (c): *hac scripsi non propter eum, qui facit injuriam, nec eum, qui passus*, intellige Patrem, *adhuc viventem*. 3. Quòd in Levitico talia conjugia gravissimis sceleribus annumerentur, intelligendum est vel de concubitu illegitimo, vel cum respectu ad legem Divinam. Sic *Levitici* 20. non tantùm matrimonium inter personas primi gradûs, sed etiam secundi, inter scelera, naturæ juri contraria, recensetur, quod, *in rigore loquendo*, nec adversarii admittunt.

4. Quòd nulla legatur facta dispensatio; immò quòd negata perhibeatur *Carolo Gonzagæ*, *Mantuæ* Duci ab *Urbano* VIII. non probat defectum Potestatis in Pontifice respectu juris naturæ; sed defectum gravioris causæ in supplicante, id quod in petitione *Gonzagæ* evenisse, testis est *Clericatus*.

INSTRUCTIO II. Instructio 2.

De juribus & officiis Statûs conjugalis, spectato jure naturæ. De officiis status conjugalis.

§. I. §. 1.

De juribus statûs conjugalis, familiæ, herilis, officiisque in eo observandis.

QUæritur. I. *Quid de juribus atque officiis societatis conjugalis tenendum spectata disciplina Juris Naturæ?* Fides conjugii.

℞. I. Prima obligatio, eáque mutua, est *fides conjugii*: unde *adulterium omne*, quod Moralistis, *conjugalis fidei violationem* per *accessum ad alienum thorum* notat, Authore Angelico, graviter *naturæ jure* prohibitum. *Ratio* patet: nam est positivè contrarium amori, & conjugi, & proli, *in ordine ad matrimonii finem*, naturaliter debito, ac ad felicitatem societatis humanæ *indispensabiliter necessariis*. Unde

Colliges 1. Rectè damnatam esse ab *Innocentio* XI. hanc propositionem: *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium*. Quia *talis consensus*, etsi non cedat in injuriam mariti, *qui talis*, & ùt personæ privatæ; cedit tamen in injuriam mariti, *quà talis*, seu quà obligati ad bonum prolis; item in injuriam prolis ob præjudicium generationis & educationis; demum & in injuriam *statûs conjugalis* ad bonum societatis humanæ publicum ordinati, vi cujus tale jus non est renuntiabile: ergo *natura jure* talis consensus irritus est, ac nullus.

Colliges 2. Illud axioma: *scienti & volenti non fit injuria*, tantùm habere locum, quando consensus est *liber* & *validus*: hic autem validus esse non potest, cùm marito in uxorem sit quidem jus *quò ad usum*, non *quò ad dominium absolutum*, quale nempe jus habet in membra, queis uti potest, absolutè disponere, *ut* V. G. *abscindendo* non potest. Inde non est paritas cum stupro, quod esse definit virgine consentiente: quia, teste P. *Viva*, censetur, Domina sui claustri, de quo *illicitè* quidem, sed tamen *validè* disponit.

Colliges 3. Adulterii crimen pariter manere *respectu Mariti*; consentiente conjuge fornicantis tam cum *aliena* ** ligata, ùt patet, quàm cum solu-

* Sic novimus, *Julium* II. cum *Henrico* VIII. *Angliæ* Rege, dispensâsse ratione *Catharinæ*, *Arturi* fratris defuncti conjuge &c. similes dispensationes de *Martino* V. *Alexandro* VI. *Paulo* V. *Urbano* VIII. *Innocentio* X. refert *Clericatus*.

(a) L. ult. ff. de condict. sine causa.

(b) 1. Cor. 5. 1.

(c) 2. Cor. 7.

** Nam alia ratio in polygynia, de quà suprà, spectato saltem naturæ jure.

ſoluta: quia conſenſus conjugis nullus, utpote adverſus ſtatui conjugali, bono ſocietatis humanæ per fidem matrimonii intento, adeóque de jure, nequaquam renunciabili; ut nihil dicatur de incontienentia mariti, quam legitimare utique nequit conjugis conſenſus. *

Colliges 4. Quid reſpondendum ſit *Thomaſio*, proponenti hanc quæſtionem (a): *Quin ſi alteruter ex conjugibus conſentiat, ut alter corporis ſui copiam alii faciat, quomodò velles oſtendere, tum nihilominùs communicationi huic ineſſe naturalem turpitudinem? ſanè quilibet juri ſuo, ex pacto quæſito, renuntiare poterit, ni obſtet præceptum ſuperius, quod hactenus in ratione fruſtrà quæſivimus.*

Uſus legitimus. ℞. II. Altera obligatio eſt *uſus conjugii legitimus*: unde *naturæ jure, ſaltem leviter, prohibitus eſt uſus conjugii, ſolius causâ voluptatis.* Aſſertum deducitur ex propoſitione, ab *Innocentio* XI. damnata: *opus conjugii, ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ, ac defectu veniali.* *Ratio eſt*: quia ejusmodi uſus, *ſaltem leviter*, repugnat amori prolis & ſocietatis humanæ, *in ordine ad propagandam ſpeciem*, naturaliter debito: nam, teſte *Cardena* (b), moraliter evidens eſt, hunc uſum, eique conjunctam voluptatem, à natura inſtitutam *primariò* ad generationẽ prolis, *& conſervandam ſpeciem.* Jam ſic: evidenter eſt diſſonum rationi, invertere hunc ordinem, conjugio intrinſecum, & à natura præſtitum: atqui hoc fieret. Accedit *ratio extrinſeca*, ſeu authoritas SS. Patrum, *Auguſtini, Gregorii, Anſelmi, Aquinatis, item Sanchezii* & aliorum magno numero, quos allegat *Cardenas*, ut adeò, eodem authore, propoſitio allata, meritò proſcribi potuiſſet *propter ſolam rationem extrinſecam*, quæ in materia morum pro ſatis certa regula haberi poteſt, præſertim ſi ſit propè unanimis conſenſus. Unde

Colliges. 1. Non eſſe paritatem cum aliis ſenſuum delectamentis, eò quòd illecebræ non ita ſint *vehementes, ſenſuales, brutis communes*, animam ad carnalia taliter non *deprimentes*, non ita *periculoſæ*, nec excedatur modus debitus, neque generationis fini primario, & propagationi ſpeciei adeò *præjudicioſa*.

Colliges 2. Etſi non deſint, qui negent, ejusmodi voluptatem, etiam *pro fine partiali*, ſaltem *directè* intendi poſſe, eò quòd natura illam ordinârit *in purum medium*, neque iſthæc *brutalia* videantur eſſe appetibilia homini gratiâ ſui, *propter ſublimitatem naturæ rationalis*, probabiliùs tamen eſſe, ex communiore Moraliſtarum, *jure naturæ* licitum eſſe matrimonii uſum propter voluptatem, *tanquam finem ſubordinatum fini primario*, ſeu generationi prolis. *Ratio eſt*: quia talis ſequitur ordinem naturæ, quæ deſtinavit voluptatem ad faciliorem generationem prolis, & conſervationem ſpeciei humanæ.

Colliges 3. Quòd conjux teneretur reddere debitum, etſi alter peteret ob ſolam voluptatem: quia reſte *Sanchezio, Perezio*, & aliis, actus ille, illicitus exigenti, non eſt illicitus reddenti, adeóque debitus, eodem modo, quo, ſi quis voveat, craſtina non petere depoſitum, peccat petendo, alter tamen reddere obligatur, quia malitia petentis non deobligat alterum à reddendo illi, quod ſuum eſt: unde materialis illa cooperatio excuſatur ex juſta cauſa, ne excitentur odia, aut mutuus amor debitus deferveſcat, utì habet *P. Vira* (c).

℞. III. Obligatio tertia ſeſe extendit *ad cohabitationem mutuam*, fini conjugali debitam, ac *neceſſariam*, & licèt *perpetua* naturæ rationali, & matrimonii fini conformior, adeóque juri Divino, Gentium, & poſitivo humano præcepta ſit, *abſolutè tamen neceſſariam* eſſe, ſpectato ſaltem ſolo naturæ jure, ſatìs probari nequit. Quarta adſtringit ad reddendum mutuò debitum, quoties *debito* modo, & *rationabiliter petitur*. *Alias obligationes*, de vitanda libidine extra conjugium, ſeu in diverſa, ſeu eadem ſpecie humana; de vitanda mollitie, fornicatione, ſtupro &c. jam parte prima ſat declaravimus. Officia poſitiva paucis declarat *Puffendorfius* his verbis (d): *Officium Mariti* eſt uxorem diligere, nutrire, regere, atque defendere: *uxoris* Maritum amare, honorare, adjurorio eſſe non ſolùm in generanda, educandáque prole, ſed & in parte curarum domeſticarum capeſſenda. *Utrinque* autem indoles tam arctæ conjunctionis requirit, ut utriusque fortunæ ſint ſocii, moréſque attemperent, quæ omnia ex principio amoris conjugalis, ſi minùs *graviter*, ſaltem *leviter* eſſe naturæ jure præcepta, facilè deducuntur. *Cohabitatio neceſſaria ad finem, redditio debiti.*

Quæ-

---

* Videatur *Vira* & *Cardenas*.

(a) Inſtit. Div. L. 3. c. 2. n. 218.

(b) In criſi theolog. prop. damnat. 9. Diſp. 7. n. 63. f. m. 270.

(c) Trutina Theolog. Propoſit. 9. n. 14. f. m. 193.

(d) De officio hominis L. 2. c. 2. §. ultimo.

Potestas Mariti in uxorem spectato jure naturæ directiva.

Quæritur II. *Quid de potestate mariti in conjugem, spectato naturæ jure, tenendum?*

℟. I. *Spectato jure naturæ, etiam abstrahendo à statu naturæ lapsæ, inter conjuges non est perfecta æqualitas, sed vi statûs conjugalis marito, per se loquendo,* * *competit aliqua potestas, & superioritas saltem directiva.* Dicitur *directiva* ** indicans mulierem, viro subordinatam non vi coactiva, & *voluntate repugnante*, sed *honestate impellente*, quæ subordinatio post peccatum abiit in pœnam, dum etiam *reluctans*, & *invita* parere cogitur.

Ratio asserti est 1. Quia, authore *Lucâ Apolenio* (a), natura rationalis videtur exigere, *ut præstantior, firmior, fortiórque sexus, sequiori, infirmiori, & imbecilliori præsit.* 2. Quia, teste Apostolo (b), etiam abstrahendo à lapsu, *caput mulieris est Vir* (tanquam perfectius individuum) *cùm vir creatus non sit propter mulierem, sed mulier propter Virum.* 3. Quia, spectato solo naturæ statu, & *abstrahendo ab originali justitia*, inter omninò æquales difficilis; immò ferè impossibilis fuisset, in necessaria cohabitatione, longa concordia propter dispares genios, adversa ingenia, temperamenta rarissimè attemperata, muliebris sexûs nativam imbecillitatem &c. ut adeò quædam subordinatio, respectu uxoris, qua maritus, tanquam caput familiæ perfectiori intellectu ab Authore naturæ dotatus, uxorem dirigeret, ad bonum commune, & amorem conjugali statui, finique congruum videatur *simpliciter necessaria*, adeóque *naturaliter debita*. Inde S. *Chrysostomus* (c); *meritò fœmina viro subjicitur: nam æqualitas honoris pugnam parit*, quæ ratio etiam pugnat pro statu *naturæ puræ*. 4. Quia, teste *Ruperto* (d), *apud Gentiles quoque, qui scripturam* (de subjectione uxoris) *non legerant, vel hujus veri Dei præcepta non observabant, hæc lex naturaliter valuit, quam Dominus Naturæ imposuit, dicens, mulieri: & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Quædam tamen barbaræ Nationes, sicut cætera, ita & hunc naturæ ordinem confuderunt, ut mulier sine capite, id est, sine viro super viros ageret potestatem, & dominium. Verumtamen non tam jus, aut lex, quàm usurpatio dicenda est.*

℟. II. *Quæ opponi solent, inefficacia sunt. Nam.* 1. Qualiscunque superioritas, etsi solummodò *directiva*, gratis dicitur, exigi ab amore, *in ordine ad conjugii finem*, simpliciter necessario: cùm hic æquè obtineri possit, esto, nulla inter conjuges admittatur subjectio. Sed

℟. D. Æquè obtineri potest conjugii finis *quomodocunque* spectatus in se. T. Spectatus in ordine *ad cohabitationem*, non modò generandæ, sed educandæ quoque proli *necessariam*, eámque *amicabilem*, & *diuturnam*. N. *Ratio* colligitur ex dictis.

2. Conjux *in adjutorium viri*, tanquam socia, & specialis amica est creata ab Authore naturæ, neque cum imperfectione subjectionis, quæ non nisi in pœnam statuta legitur: ergo interprete *S. Augustino* (e): *uxor maritum habere meruit Dominum, non naturâ, sed culpâ.*

℟. D. Et officium *adjutorii, societatis*, ac *amicitiæ*, excludit omnem superioritatem ac potestatem, etiam *directivam* *** N. Excludit *coactivam, pœnalem* &c. C. Talis subordinatio conjugis respectu viri, ùt *perfectioris individui*, imperfectio *positiva* tam parùm dici potest, quàm parùm subordinatio Angelorum in hierarchia Angelica. Immò cùm non nisi in bonum statûs conjugalis mutuum cederet, uxor sciens se non *ancillam*, sed *sociam* haud voluntate repugnante, sed honestate impellente, naturæ officium explevisset, juxta illud Plinii (f): *Uxori sufficit obsequii gloria.* S. *Augustinus* de statu naturæ lapsæ, de subjectione pœnali locutus est, ùt patet. 3. Sola individui major perfectio & aptitudo ad superioritatem directivam, *de jure naturæ* potestatem non confert, cùm omnes nascantur *liberi* & *æquales*: ergo.

℟. D. Non confert, ùt spectata præcise in se. C. Non confert *vi statûs conjugalis*, exigentis ejusmodi subordina-

* Non enim negamus, conjugi ex pacto, *per accidens*, superioritatem & imperium vindicari posse V. G. si maritus sit hebes, uxor heroina; si ille subditus, hæc Princeps.

** *Puffendorfius* L. 6. c. 1. §. 11. f. m. 814. hanc potestatem sic explicat: *quòd pactum* (conjugale) *quia mariti conditio in eo est melior, accedente etiam sexûs præstantia, naturam fœderis inæqualis æmulatur, in quo uxor marito observantiam maximè, hic illi protectionem debeat.*

(a) De offic. *Christiani* L. 2. c. 2. f. m. 547.

(b) Cor. 1. c. 11. 3.

(c) In. 1. ad Cor 11. v. 3.

(d) L. 3. de oper. Trinit. c. 21.

(e) In Gen. 3 v. 16.

*** *Puffendorfius* L. cit. *Neque jure naturali quidquam obstat, quò minùs uxor etiam propriè dictum imperium mariti subeat: nam sese haud quidquam invicem destruunt metus imperii, & amicitia conjugalis, non magis quàm imperium in Principe amorem civium per se extinguit.*

(f) In panegyrico Trajani.

dinationem ex pacto matrimoniali, *conformiter ad jus naturæ initæ.* N.

℞. III. *Potestas Mariti coactiva, respectu conjugis, descendit remotè ex jure Divino positivo, & jure Gentium; proximè ex pacto conjugali.*

Assertum quò ad 1. Patet ex illo Divino imperio: *sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui* (a). *Mulieres subditæ sint viris suis* (b), & ita subordinatio *directiva* transiit *in subjectionem* peccati *pænalem*, longè duriorem, sic ut etiam *invita*, jugique *pertæsa*, immò & imperia, non semper æqua, danti parere & subesse, divino imperio compellatur. *De jure Gentium* patet: cùm pleræque, etsi Divini præcepti ignaræ, hanc dominationem viri in mores induxerint. De pacto, tanquam causa *proxima*, & *immediata* testatur consensus mutuus, in conditiones, seu modum contractûs conjugalis à jure divino, vel saltem à jure Gentium præscriptum. Unde non inaniter disserit *Puffendorfius* (c). Licèt in sacris litteris *Evæ subjectio in pænam seducti mariti injuncta dicatur, tamen ex hoc non sequitur, imperium maritale post lapsum non habere causam proximam, conventionem inter maritum & uxorem. Nam, cùm non omnis obsequii necessitas infelicitatem habeat conjunctam, id jam pænæ vicem in statu mulieris habet, quòd invita, & stimulante semper dominandi libidine jugum ferat.*

℞. IV. *Hæc tamen potestas non est despotica, nec herilis, nec absoluta, sed domestica ad societatis conjugalis & familiæ terminos restricta.*

Declaratur 1 membrum. Potestas *despotica* foret, si conjuncta foret *cum jure vitæ ac mortis*, quam adstruit *Fridericus Hornius* (d). Sed

Contrà est ex Puffendorffio (e), quòd *ad matrimonii finem*, tanto imperio nequaquam sit opus, immò id conjugali amori *positivè* adversum sit: quòd si tam atrocia perpetraret uxor, adest Judex; & in familia segrege, *etiam spectato naturæ jure*, tanquam hostis ejici, & velut jure belli occidi posset. Unde talem potestatem, omni jure prohibitam, rectè censet *Huberus* (f), *propter periculum à perversitate suspicionum, irarúmque maritalium.*

Declaratur 2. membrum. Potestas *herilis* traderet marito jus in uxorem, *veluti servam*, ad mentem quorundam populorum, uti testis est *Stagyrita* (g). Sed

Contrà est: Tali dominio refragatur *jus Divinum*, præcipiens *amorem* ac *honorem*, & prohibens *amaritudinem* (h) erga conjuges. Adversatur *jus Gentium*, consuetudine populorum, magis moratorum, dominium mitius adjudicante, etsi Authores castigationem moderatam, etiam per verbera, si *vera* necessitas postulet, communiore calculo admittant. Denique tali dominio repugnat *jus naturale*, quod libertatem fovet, & servitutes juri Gentium transcribit: sed neque finis conjugii, etiam respectu familiæ, conjugem *servam*, sed *thori sociam*, etsi subordinatam marito cupit, uti non semel jam declaravimus.

Declaratur 3. membrum. Potestas *domestica* dicit societatem aliquam inæqualem, vi cujus uxor inferior, maritus superior est, non quidem *absolutè*, sed in causis duntaxat conjugium, & familiam concernentibus, adeò ut uxor, quò ad domicilii determinationem, cohabitationis modum, leges Oeconomiæ &c. dependeat à Marito. *Ratio* asserti est: quia plus concedi, neque ratio statûs conjugalis, neque finis ejusdem exigit: unde si alicubi plus indultum legitur, id non *à natura*, vel *jure Divino*, sed ab instituto, & moribus unius vel alterius Gentis particularibus, ac malè formatis, provenit, uti rectè animadvertit *Grotius* (i).

§. II.

§. 2.

Hæc in materia protestantici errores, Grotii ejusque Interpretum.

Moralistarum protestantium avia de Societate conjug.li.

Quæritur III. *Quænam in avia circa statum conjugalem delabuntur protestantici Naturalistæ?*

℞. I. *In non pauca:* nobis potiora detexisse, satis erit ad academicum scopum. *Hugo Grotius* errat in primis principiis, dum conjugium definit per cohabitationem maris cum fæmina, *quæ fæminam constituat quasi sub oculis & custodia maris, accedente fide, quæ* se

(a) Gen. 3. v. 16.
(b) 1. Petri 3. v. 1.
(c) L. 4. de J. N. & G. c. 1. § 12.
(d) L. 1. de Civit. c. 1. §. 5. n. 16.
(e) L. c.
(f) De jure Civit. L. 1. sect. 1. c. 4. §. 8.
(g) 1. Pol. 1.
(h) Coloss. 3. 19. Epist. Petri 1. c. 3. 7.
(i) De J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 8. n. 1.

se fœmina mari obstringit : sic pupilla pene foret in conjugio tutoris, neque conjugii vinculum esset reciprocum, adeóque satis haud differret à concubinatu (a). Ibidem spectato jure naturæ, uxori non tribuit *jus mutuum* in corpus viri: negat de præcepto Divino primævo esse monogamiam, etsi *laudabilem*, & Deo *gratam* fuisse, admittat: matrimonia Parentum *etiam cum affinibus* rectæ lineæ, quod nemo facile dixerit, veluti inhonesta, & naturæ jure irrita affirmat (b) &c. &c. atque in his & similibus deviis, etiam per suos Paraphrastes protestanticos, non malè in veritatis semitam revocatur. At in multis, dum eum malè corrigunt, ipsimet corrigendi veniunt. Sic polygamiam naturæ jure, haud sanè improbabiliter permissam, minùs scitè carpit *Baclerus*, & *Vitriarius*, *Zieglerus* cum *Osiandro* malè corripit *Grotium*, quòd cum Pontificiis gradus, in *Levitico* prohibitos, non adscribat *præceptis moralibus*, etiamnum indispensabilibus, quos ipse cum *Luthero* ac Protestanticis, & juri Divino & naturali malè attribuit. *Baclerus ratione pudoris naturalis*, jus naturæ prohibitivum minùs limatè deducit ad gradus consanguinitatis lineæ transversæ; immò ad omnes, in *Levitico* vetitos. *Becmannum*, & *Osiandrum*, quamvis Acatholicos, in eadem avia non ablegamus, etsi jus naturale distinguant in *strictum*, *absolutum* & *indispensabile*; & in *minùs strictum*, *hypotheticum*, atque *dispensabile* &c. Item etsi distinguant *principia* juris naturæ, quæ obligant *necessariò*; atque ipsas *deductiones*, à Deo dispensabiles &c. Cùm enim similia hauserint ex Authoribus orthodoxis, ac probatissimis, ipsi reprobandi non sunt, quamvìs, cùm fateantur ultrò, aliud esse, quòd aliquid sit *juris naturalis*, aliud, quòd juri naturali *congruum sit* &c. probari in nostris principiis haud possint. Nam videntur hæc omnia ex *minùs distinctivo* juris naturalis principio profluens, ac jus naturale cum jure Gentium, ac positivo *confundere*, id quod cavere, & præcavere, in hac juris disciplina, quàm maximè adlaboramus.

Puffendorfii, & ejus glossatorum.

II. Inter *Puffendorfii* aberrationes quis numerare possit 1. Quòd ad matrimonium ratum requirat extraditionem actualem, *sic ut maritus ea, tanquam uxore, uti possit, velut Rebeccâ*, postquam ab *Isaaco* in tabernaculum Matris deducta est: unde dubitat, *an adulteram vocare quis possit, quæ alicui desponsata*, (de præsenti) tertio intereà, *antequam domum deducatur*, conjungitur, ut ùt per mandatarium, *dicis causâ*, nuptiæ (per contractum de præsenti) penitùs completæ sint (c). Nam etsi, *Immanuele Webero* Authore (d), *naturæ jure discrimen inter sponsalia & nuptias ferè ignoretur*, penitùs tamen ignorari haud potest: cur enim ob Parentum consensum, si minùs simpliciter necessarium, saltem rationi admodùm consentaneum: cur ob mutuam genii, morúmque experientiam; ob necessaria, pro conjugii oneribus paranda &c. fieri nequeat *promissio reciproca matrimonii futuri, subin obligatio actualis de jure mutuo in corpus, in ordine ad actus, de se aptos ad generationem prolis?* Hoc casu haberetur discrimen; haberetur matrimonium verum, ad quod sicuti, juxta *Puffendorfium*, non requiritur ipsa illicò consummatio, ita neque deductio conjugis in ædes, quæ mera conditio est ad consummationem non nisi *integraliter* necessariam. 2. Idem spectato naturæ jure, uti pacta omnia, *vi & timore injusto*, dissolvit, ita & *à fortiori* conjugium, cujus tamen antithesin esse probabiliorem, judicamus. 3. *Weberus* notator, uno alteróque scholio *Puffendorfium* non illustrat, sed deturpat. Exemplo sit illud, quo ait: sunt certè paucissimi, *aliàs sani*, qui *salvâ conscientia*, uti possunt exceptione ab universali illa obligatione nubendi. Et, qui quæve in Monasteriis *votum castitatis* jurant, ex stimulis & ustionibus persentiscunt, se *impossibilia* promisisse (e). Rursus cùm scribit: *quando Catellus Cotta Pontifici tribuit*, ut possit filio Regis, qui monasticam vitam amplexus est, *ad tempus* uxorem dare, ne Regnum deveniat ad alios; pòst ubi procreavit filium, *ut ad votum monasticum redeat, id ex mera Canonistarum adulatione* asseritur, & ea Pontificis potestas, nullibi probata est. Sed vel *Cotta*; vel, quod verosimilius, *Weberus* ex *Cotta*, malè intellecto, hæc non satis peritè refert; nam dispensationem in professione religiosa ab Apostolica sede *absolutè* obtinibilem Canonistæ probant; conjugium verò *temporarium*, atque *solubile*, nullibi affirmant. 4. *Kemerichius*, *Puffendorfii* alter interpres *per regulas honesti*, *decori*, more suo, minùs distinctè, officia quædam conjugalia, juri naturæ attribuit, positivo veriùs tri-

(a) De jure P. & B. L. 2. c. 5. §. 8. & seqq.
(b) L. c. §. 14.
(c) L. c. §. 14.
(d) In notis ad *Puffendorfium* de offic. hominis L. c. f. m. 168.
(e) L. c. f. m. 162.

tribuenda; quòd dicat, Principes non adſtringi ad gradus conſanguinitatis, & affinitatis, humano jure prohibitos, intelligendum *ſpectato ſolo naturæ jure*, & de Principibus paganis, etſi & iſti *jure Gentium, Chriſtiani* Eccleſiaſticis legibus æquè ac aliis ligentur, atque ſubjiciantur.

Thomaſii, ejuſque Amanuenſium. III. *Thomaſius* non ſatis benè polyandriam æquè ac polygyniam, naturæ jure, conceſſam adſtruit (a). 2. Poteſtatem mariti, etiam directivam reſpectu ſocietatis conjugalis, non tam naturæ juri, quàm pacto prorſus ultroneo, minùs probabiliter in acceptis refert (b). Ex erroneo principio pluriformes libidines, *ſpectato naturæ jure* permiſſas aſſerit (c): *atque hic*, inquit, *pro ſcortationis turpitudine demonſtranda non ſufficit, ſi dixerimus, eam non dirigi ad conjugii finem primarium, non tam ex ea ratione, quòd jam ſuprà oſtenderimus, extinctionem libidinis etiam eſſe finem conjugii, non per accidens merè* (d), *ſed ſecundarium, quàm quòd illa ratio ſaltem inferat, ſcortationem non eſſe conjugium: non verò inde concludi poſſit, omnem actum, vel omnem ſocietatem, quæ non eſt conjugium, eſſe ſocietatem inhoneſtam.* Atqui hoc ſufficienter demonſtravimus ſuprà, cùm *de officiis erga ſe ipſum* diſſereremus. 3. Concubinatum, quo procreatio ſobolis intenta foret merè *per accidens*, non tam juri naturæ, quàm officio hominis *erga Deum*, in neglecta intentionum ſubordinatione, adverſum pronuntiat. * 4. Adulterii turpitudinem, ſaltem alterutro conjugum conſentiente, naturæ jure difficulter probari poſſe affirmat. Addit: *hinc difficillimum foret, lenocinii turpitudinem, vel certè multarum ejus ſpecierum, ex ea diſciplina, ubi ſolam rationem ſequimur Ducem; demonſtrare* (e). 5. Inceſtum, etiam in primo gradu lineæ rectæ, admittit, *quòd reverentia erga Parentes non ſit irremiſſibilis* (f): 6. Licèt in ſecundis curis (g) hæc ſcita erronea utcunque emendet, auget tamen duplici errore: nam ait: *quæ* §. 98. *uſque ad* §. 104. *diſputata ſunt, ita quidem ſe habent, ſi jus naturæ metiaris ex ſolis regulis juſti, & finem conjugii ex ſimplici generatione ſobolis.* Quaſi verò regulæ juſti permitterent adulteria, ſcortationes, lenocinia, inceſtum etiam primi gradûs in linea recta. Addit: *at, cùm jus naturæ etiam comprehendat regulas honeſti & decori, & finis matrimonii ſit generatio ſobolis honeſta, & decora, huic decoro & honeſto ſimilia repugnabunt.* Quod aſſertum jus naturale cum poſitivo confundit, ùt ſæpe jam diximus, eò quòd regulæ *honeſti* & *decori* legem poſitivam frequentiùs notent, quàm naturalem. 6. In iisdem fundamentis errores accumulat, dum ait (h): quòd Clerus Pontificius incautis laicis perſuaſerit multa præcepta, ſeu Divina, ſeu naturalia, indeque ex inſtitutione primæva conjugii fecerit Sacramentum: *cujus rei ratio fuerit intereſſe Cleri, ut hoc pacto cauſas matrimoniales ad ſe trahere, & ſub hoc prætextu, & ſub ſibi, tanquam Vicariis Dei, reſervata poteſtate diſpenſandi, excommunicandi, totum Populum, maximè verò Principes ſibi obnoxios reddere poſſet.* 7. Ibidem ait (i), *quòd ſi Princeps ſit polygamus, nondum ullus probârit juſtis rationibus, hanc polygamiam tantum eſſe crimen, ut gehennam mereatur, & quòd legi univerſali Divinæ repugnet. Quòd tamen Clerus Pontificius iſtam doctrinam inculcaverit laicis, in cauſa eſt*, inquit, *quòd bigamia violet clericale ſacramentum matrimonii.* Addit: *neque indignum eſt obſervatu, quòd ubique ferè Clerus Pontificius fulminaverit, & acheronta moverit contra bigamiam Principum: contrà obmutuerit, vel etiam benedictionem dederit Principibus, apertè concubinariis, aut ſcortatoribus. Ratio in promptu eſt:* nempe quæ prius; *putatitium Sacramentum.* 8. Plures alios errores, calumniis pinguibus conſociatos, tranſilimus, ** cùm ſatis videatur clareſcere, ſaltem orthodoxis,

Thoma-

(a) In Juriſp. Div. L. 3. c. 2. n. 100. & 206.

(b) L. c. n. 110.

(c) N. 143. Item c. 3. n. 35. & ſeqq. unde in ſecundis curis L. 3. c. 2. §. 2. ſatis recantat, dum ait: *unde tollenda ſunt ea, quæ contra imperium maritale diſſeruimus.* §. 105. *Neque lapidem lydium rationes ferunt, quas adduximus* §. 110. & c. 3. §. 21. *ad præceptum de imperio mariti, de quo agitur* §. 35. & ſeqq. *non eſt lex poſitiva, ſed regula decori juris naturalis.* Ubi errorem novo corrigit errore.

(d) Uti habet n. 64. litt. d.

* In alio ſenſu, quo matrimonium verum, ſed *conſcientiæ*, quandoque concubinatûs nomine notatur, hic quæſtio eſſe non poteſt, cùm verum ſit matrimonium juxta omnes.

(e) N. 218. 219.

(f) N. 234. & 246.

(g) Fundam. J. N. & G. L. 3. c. 2. n. 15.

(h) L. c. n. 2. & 3. Similia regerit. c. 3. n. 4. in notis. Item n. 34.

(i) C. 3. n. 42.

** V. G. Dum in inſtit. Divin. L. 3. c. 3. n. 230 vocat Papam *pſeudo-vicarium Dei*, qui ſibi poteſtatem diſpenſandi *in jure Divino* arroget, quam tamen poteſtatem in dubium vocent ipſi Catholici Principes, potiſſimùm in *Gallia*. In fundamentis L. 3. n. 18. in notis carpit *Budæum*, *velut papizantem in antiqua lyra*, dum juxta axioma Canoniſtarum, inſtitutionem Divinam reſpectu

Thomasium in ſe dictis inſtitutionibus Divinis jus naturale extendiſſe *ad uſque ſcandalum; in emendatione* ſeu *fundamentis* id reſtrinxiſſe *per regulas honeſti, & decori*, ſed principium juris naturæ dilatâſſe ad uſque *Ethicam & doctrinam moralem poſitivam*; jus verò Divinum poſitivum penitùs obſcurâſſe. Exemplo ſit ejus axioma §. 35. *Cùm nulla*, inquit, *detur lex Divina poſitiva univerſalis, Princeps etiam in legum latione ad eam non poteſt reſpicere, ſed ſufficit, ſi tantùm præ oculis habeat præcepta juris naturæ & Gentium, obſervatâ tamen differentiâ inter præcepta honeſti, juſti, & decori, quòd nempe præcepta juſti, nullas admittant exceptiones, præcepta honeſti & decori admittant.* 9. *Laurentius Fleiſcherus*, *Thomaſii* epitomator id egit, pro ſuſcepto officio, ut Authoris ſui, puta *Thomaſii*, ſeu calumnias, ſeu falſitates recoqueret, ac ſiſtematicâ methodo, per inſtitutiones academicas propagaret. De calumniis teſtatur §. 2. (a); de erroribus cætera ſupellex nec ſine auctario. Nam Eunuchorum conjugia nec illicita, nec prohibita affirmat, ſi jus naturæ *ex ſolis regulis juſti* metiaris (b). Senum, ac vetularum matrimonia *inhoneſta*, & *quam maximè indecora*, adeóque *ſolvenda* pronuntiat (c). Polygamiam virilem neque *regulis decori*, neque *honeſti* repugnantem affirmat, *id quod & B. Lutherus in Landgravii Haſſiæ polygamia cum Margaretha de Sala agnoverit* (d). Addit: impugnare illam alii *ex jure Divino poſitivo univerſali* annifi ſunt, uti olim *Thomaſius*; ſed hoc jure illam haud prohibere plures contenderunt cum *Struvio*, *Hoppio*. &c. *Nos verò de eo haud ſumus ſolliciti, cùm exiſtentiam ejusmodi legum poſitivarum univerſalium jam ſuprà planè deſtruxerimus.* Superi! in quantum chaos delabuntur *Thomaſii etiam emendati* ſectatores. Nempe in ejusmodi avia deducunt ideæ proteſtantium Moraliſtarum. *

Fridericus Ludovici, Wernherus &c. IV. *Fridericum Ludovici*, *Balthaſarem Wernherum*, *Heineccium*, *Henricum Köchlerum*, aliósque, quod concernit, cùm tritam ſuorum ſemitam terant, in eadem fere avia abeunt. 1. *Fridericus Ludovici*, contra prima Proteſtantiſmi principia, juri naturæ haud oppoſita eſſe affirmat, *ſi quis ſponte cælibatum voveat, aut ſi talia Collegia inſtituantur, in quæ non niſi illi recipiuntur, qui cælibem vitam ſe exacturos promittunt, quò pertinere aſſerit monaſteria Romano-Catholicorum.* Ne tamen omninò degeneret à cogitationibus *Lutheri* profundis, addit hanc clauſulam: modò tamen *ejusmodi perſonæ libertas permittatur, ut conjugium futuro tempore inire poſſit, ſi cælibatus iterum diſpliceat, in quo peccari aliquando ſolet.*

Cæterùm in eô *turpiter* labitur, dum concubitum, ſolius libidinis cauſâ ſuſceptum, *per ſe* loquendo, *ſpectato natura jure*, turpem, atque illicitum probari haud poſſe, affirmat, (e). 2. *Wernherus*, caſtigatior cæteris, nil ferè oculos offendit, niſi quòd *adulterium*, & *malitioſam deſertionem*, inter cauſas diſſolvendi conjugalis vinculi, *ſpectato quoque jure Divino*, cum proteſtanticis aſſerat (f). 3. Sed nec *Heineccius* admodùm ceſpitat, niſi quòd jus naturæ à poſitivo, per principium amoris, ex *continentia* potius, quàm *neceſſitate* dimenſum, haud ſatis *ſequeſtrârit*: inde factum, quòd monogamiam, & inceſtum lineæ collateralis, *ex naturæ jure*, nec ipſe ſufficienti rationum pondere probârit; quòd *ſolemnitatem* quamdam, ritúsque ad declarandum conſenſum nuptialem adſtruxerit; quòd conjugia ſenum, ùt *turpiſſimam impudicitiam*, reprobârit; quòd divortia, ſiquidem legitima V. G. *ob adulterium*, *deſertionem malitioſam*, *intolerabiles mores* &c. abſolutè, *etiam quò ad vinculum*, abſque Divini juris exceptione admiſerit (g). In eadem proteſtantica avia de polygynia in certis caſibus conceſſa, de adulterio &c. abſolutè conjugium ſolvente, *nullo diſcrimine juris naturæ & Divini poſitivi*, delabitur *Henricus Kochlerus* (h). Sed iſta ad ſcopum ſatis.

§. III. §. 3.

De Statu familiæ.

De officiis Parentum & liberorum. *Quæritur* IV. *Quid, & quæ origo ſocietatis paternæ?*

℞. I.

---

matrimonii, *vim legis habere* affirmat. Dum n. 30. Patres, tempore *S. Auguſtini*, ſcientiâ moralis doctrinæ deſtitutos ex *Barbeyracio* affirmat, & ſic de aliis.

(a) In inſtitut. J. N. & G. L. 3. c. 2.

(b) L. c. §. 44.

(c) §. 46.

(d) In doctrina J. N. c. 10. §. 4.

* Profectò *Joannes Lyſerus* ſub nomine *Sinceri Wahrenbergs* polygamiam, etiam jure Divino revelato præceptam ſcripſit, abuſus dicto: *quòd is maledictus ſit, qui opus Dei negligenter facit.*

(e) §. 15.

(f) In elementis J. N. c. 17. §. 15.

(g) In elementis J. N. & G. L. 2. c. 6. §. 38. 41, 42. 49.

(h) In jure ſociali ſpecimine 2. §. 161. 162. 195. &c.

℣. I. Status familiæ *in genere*, ab aliquibus ſimpliciter appellatur *Domus*, vel quia deſcendentes ex eadem ſtirpe ſunt quaſi *domeſtici*; vel quia liberi plerumque naſcuntur *in domo paterna*; vel quia, quì familiæ Caput, *dominium* habet. Sed quia familia alia eſt *incompleta*, alia *completa*, teſte *Philoſopho* (a), *domus*, ùt notat familiam *completam*, rectè dicitur *conjunctio inter Parentes, liberos, & ſervos*, complexa ſocietatem *conjugalem*, *paternam*, & *herilem*: ùt notat familiam *incompletam*, eſt *ſocietas inter Parentes & liberos ob communem inter ſe utilitatem contracta*, ſeu *mutuis officiis ac juribus ad communem utilitatem & civilem honeſtatem definita*. De hac in præſente; de altera in ſequente paragrapho agendum eſt.

In ſpecie paterna. II. Status *familiæ* paternæ, dici poſſet, utcunque ad mentem *Huberi* (b), *ſocietas plurium perſonarum, quæ unius poteſtate per ipſam naturam, educationis cauſâ, ſociatæ ſunt.* Dicitur *ſocietas plurium perſonarum*, quia *in rigore* prolem ſaltem unam requirit, etſi Populorum uſu etiam improlis ſocietas *domeſtica* audiat, & penès Fideles cœtus quoque ſacri *religioſæ familiæ* appellentur. Quæ *unius poteſtate*, ſaltem *principali*, ut innuatur diſcrimen inter ſocietatem *domeſticam*, & Collegia alia, quæ ſubſiſtere poſſunt abſque ſubjectione *ad poteſtatem unius*. Dicitur *per ipſam naturam*; ſiquidem liberi, *citra ſuum aſſenſum*, ex ſola nativitate, in ſocietatem Parentum veniunt. Et quia ſocietas quoque conjugalis, etſi *factum*, humanúmque conſenſum ſupponat, quàm maximè *naturalis eſt*, comprehenſam cum liberis conjugem facilè indicatur. Additur *educationis cauſâ*: nam auxilium multiplex, quo indiget proles nata, uno vocabulo, *educatio* appellarur, atque partim ad corpus conſervandum, partim ad animum formandum ſpectat: unde *Thomaſio* dicitur *ſobolis à prima infantia ad maturitatem tum corporis, quàm animi conveniens perductio*, quam educationem familiæ paternæ finem *primarium* illicò aſſignabimus.

Origo. III. *Origo* familiæ paternæ, *per naturalem connexionem*, fluit ex ſtatu conjugali, è quo prodeunt liberi. Hos enim, majori ferè miſeriâ natos, quàm bruta, naturale lumen dictat, neque deſtituendos in cunis, neque indomitis affectibus relinquendos, ſed alendos, ac educandos, ad hoc officium naturæ jure Parentes obligante *per inditum amorem proli naturaliter debitum, quia ad felicitatem naturæ rationali propriam, ſimpliciter neceſſarium.* Inde rectiſſimè *Romanus* Orator (c): *etiam in beſtiis vis naturæ inſpici poteſt, quarum in fœtu & educationis laborem cùm cernamus, naturæ ipſius vocem audire videmus.* Cùm igitur neceſſe ſit liberis in ſocietate cum Parentibus vivere, uſque dum ipſimet ſibi ſufficiant, neceſſe eſt, ut exurgat familia paterna, *ſeu ſocietas plurium, qui per ipſam naturam educationis cauſâ ſociati ſunt.*

Origo patriæ poteſtatis ab educatione. IV. Porrò *cùm poteſtas paterna ſit antiquiſſimum ſimul ac ſanctiſſimum genus imperii, quo Parentum juſſa venerari, eorúmque præ ſe eminentiam agnoſcere tenentur liberi*, utì habet *Puffendorfius*, in ejus quoque originem indagandum eſt. Eam longè probabiliore calculo deſumendam dicimus *à fine*, ob quem coaluit ſtatus familiæ, nempe *ab educatione prolis.* Cùm enim, *naturæ jure*, Parentibus impoſirum ſit officium, ſeu obligatio alendæ, educandæ, ac dirigendæ prolis, *eodem jure* collata ſit, oportet Parentibus poteſtas *tanquam medium*, cum hoc fine, *indiſpenſabiliter connexum.* Siquidem natura *ex principio amoris prolis naturaliter debiti*, præcipiens educationem creaturæ rationali propriam. hoc ipſo conferre cenſetur media ad exequendum præceptum naturaliter requiſita, quale eſt *patria poteſtas, & præceptum obediendi* in liberis, de quo infrà. Ex quibus inferimus 1. Quòd *patria poteſtas* nil aliud ſit, quàm *jus Parentum in liberos, quo actiones ipſorum ad vitam honeſtè & feliciter tranſigendam diriguntur* *. Inferimus 2. *Poteſtatis* cauſam *remotam eſſe* generationem, ex ſuppoſitione liberi conſenſûs in ſtatum conjugalem reſpectu Parentum: *cauſam fundamentalem* eſſe amorem, proli naturaliter debitum, quia ad felicitatem naturæ rationali propriam, ſimpliciter neceſſarium: *cauſam efficientem* eſſe naturam obligantem; *cauſam formalem* ipſam obligationem; *finalem*, educationem congruam, uſquedum proles ſe ipſam regere, res ſuas adminiſtrare, vitam rationi conformem agere, ac imprimis Deum colere nôrit.

Inde

(a) L. 1. polit. c. 1
(b) De Jure civitatis L. 2.
(c) L. 3. de fin.
* *Vitriarius* in Inſtit. J. N. & G. L. 1. c. 5. Q. 5. diſtinguit *patriam poteſtatem ab imperio paterno*: illam dicit, eſſe in perſonas & bona; hoc tantùm in perſonas; illam ceſſare; hoc nunquam deſinere, eò quòd *reverentiam debitam* notet, ad quam etiam liberi, extra familiam, *durioribus mediis* conpelli queant. *Sed Imperii* vocabulum pluribus diſplicet, præcipuè in hoc ſenſu, cùm *regimen domeſticum* parentibus *imperium, propriè tale*, nullum concedat.

Non verò praeoccupatione. Inde fallit 1. *Hobbesius*, dum originem patriæ potestatis, conformiter ad paradoxa sua ptincipia, deducit *ex jure victoriæ* (a). Cùm in statu naturali, inquit, in omnes omnia liceant, quatenus quisque ad sui conservationem facere judicat, victor fit Dominus victi. Ex quo sequitur, *jure naturæ* dominium infantis ad istum primò pertinere, *qui eundem primus in sua potestate habuerit*: atqui manifestum est, infantem natum priùs in potestate matris esse, quàm cujusvis *alterius*. Sed sicut hominis hujus principia non nituntur nisi imaginario fundo, ita & isthoc phantasma; si enim dominium ab occupatione prima infantis deducat, obstetrix plerumque id Matri præripiet, quod sanè paradoxum.

Divina concessione. *Fallit* 2. *Hornius* cum *Hennige* (b), qui patriam potestatem *ex divina concessione* derivant. Sed hæc concessio non sapit disciplinam Jurisprudentiæ naturalis, & siquidem adstruatur concessio Dei, ùt Authoris naturæ, titulum quærimus in natura, quo nititur talis concessio.

Generatione. *Fallit* 3. *Grotius* cum *Kulpisio*, *Becmanno*, *Bœclero*, *Osiandro* & aliis (c), qui jus patriæ potestatis, ex *sola generatione* desumunt; at iste titulus, in se præcisè spectatus, etsi obligationem in liberis pariat, dicente *Philone*, *Parentes Deum quodammodo referre gignendo*; non tamen parit titulum *formalem*, & potestati patriæ *sufficientem*: * siquidem parùm quis esset obligatus Parentibus, si ab iis in hanc lucem editus foret, postmodum sibi soli, aut aliorum commiserationi relictus foret. *Relè Seneca: ad benè vivendum minima portio est vivere* (d).

Vel præsumptione consensus prolis. *Fallit* 4. *Puffendorfius* cum *Velthemio* & aliis (e): dum patriam potestatem eruit non tantùm ex titulo educationis, sed insuper ex *pacto tacito*, consensu nempe Parentum *expresso*, liberorum *præsumpto*. Sic habet: *quemadmodùm Parens eo ipso, quòd infantem tollat, declarat, sese obligationem à natura injunctam, impleturum, infantémque educaturum; ita infans, etsi propter latitantem adhuc rationis usum, reciproca officia, Parentum obligationi respondentia, expressè nequeat promittere; ex ipsa tamen Parentum opera obligationem erga eosdem contrahit, non minùs quàm si expressiùs ipsius consensus accessisset, qui consensus, cum ratione præsumptus, pro expresso valet* (f). Ita ille. Sed rectè notavit scholiastes *Weberus* (g): *Potuisset Author hunc consensum, tanquam fictum* (quas fictiones ignorat jus naturale) *planè omittere; sed opus erat Puffendorfio ad salvandam methodum, qua officia omnia in absoluta, & hypothetica divisit, statuisque, omnia officia hypothetica pactum expressum, vel tacitum supponere.* At officium hypotheticum dici posset ex suppositione *consensûs liberi in generationem*, respectu Parentum, in qua, tanquam causâ remotâ, nititur quoque patria potestas. Ratio *Puffendorfii*, quòd obligatio ex duplici titulo, præcepto naturali, & superveniente pacto, *oriri* possit, etsi id *propriè* dici posse *in eodem obligationis genere, & respectu ejusdem*, neget *Thomasius* (h), nos transmittimus; sed quia hoc pactum tacitum merè supponitur, à *Puffendorfio*, nec probatur, *id superfluum* judicamus. Nam, quod, *antecedenter ad omnem voluntatem humanam* ab authore naturæ statutum est, rationi rectæ insitum, & cuique cum vita congenitum, vim suam exerit independenter ab omni pacto humano, uti patet in aliis præceptis naturalibus v. g. de proximo diligendo, & aliis independenter ab omni pacto, naturaliter obligantibus. Quòd idem dicat consensum infantis videri *necessarium, ne aliquando querendi causam habeat, quasi imperium invito sibi & frustrà impositum sit*, nihil probat; nam obligatio sæpe invitos stringit, neque superior opus habet ad obligandum subditum ejus consensu; nec conquerendi suppetit ulla causa, cùm obligatio tota cedat in bonum prolis. Accedit, quòd

---

(a) Tract. de cive. c. 9. §. 2. apud *Puffendorfium* L. 6. de J. N. & G. c. 2. §. 2.
(b) Hornius in Polit. L. 1. c. e. §. 3. *Henniges* ad *Grotium*.
(c) *Grotius* de J. B. & P. L. 2. c. 4. §. 1. *Kulpis*. in Coll. ad *Grotium*. *Becman*. medit. c. 8. §. 7. *Boecler*. in notis ad *Grotium*. *Osiander* ibidem, quibus accedit clariss. P. *Schmier* L. 1. c. 2. n. 77.
* *Puffendorfius* L. c. §. 4. ait: *quòd generatio præbeat solummodò occasionem, jus aliquod in prolem acquirendi:* sed nisi causam, saltem *mediatam*, per *occasionem* intelligat, assentiri haud possumus, cùm quòd *ratio* desumpta à brutis, quæ generaudo imperium nesciunt, & à delectatione, quæ à parentibus non rarò sola intenditur, sed merè per accidens, nil probet; tum quòd *æqualitas* quò ad personam, & jura hominis naturaliter competentia, non elidant *subordinationem naturalem principiati ad suum principium*, eò quòd filii, *quà filii*, ex ipsa natura semper maneant Parentibus inferiores.
(d) De beneficiis 3. c. 31.
(e) *Puffendorf*. L. cit. *Velthem*. in notis ad Grotium.
(f) L. c. §. 4.
(g) De offic. hominis &c. L. 2. c. 3. §. 2. in notis.
(h) In institut. Jurisprud. Div. L. 3. c. 4. à n. 6.

quòd consensus præsumi non possit, ubi non est locus expresso: atqui non est locus expresso: si enim infans consentire posset in obligationem parendi, posset & dissentire, adeóque facere, ne esset patria potestas, quod dici nequit.

Subjectum potestatis atque regiminis domestici.

Quæritur V. Cuinam competat potestas in prolem, & familiæ regimen?

Nec sola mater, nec Pa-

Rz. 1. *Spectato jure civili* & potestatem, & regimen adscribi Patri, ùt *Genitori* & *familiæ Capiti*, constat (a): sed de hoc jure sollicitos nos esse haud opus est. *Spectato jure naturæ Hobbesius* utrumque attribuit Matri *propter præoccupationem*, ùt diximus; propter *certam* scientiam, cujus Patris reverà sit proles, ut proinde sit ejus, quem Mater vult, adeóque Matris; *propter majorem dolorem, laboremque Matris quàm Patris*, seu inspectetur generatio, seu educatio prolis. 2. *Puffendorfius* (b) in statu *segrege* & *naturali*, vel etiam *extramatrimoniali*, ubi vel nullum intervenit pactum, vel non nisi ad quærendam sobolem, prolem Matri *privativè* adjudicat, eò quòd non nisi indicio Matris cognosci queat, cujus sit soboles: unde & à legibus *Romanis* Patri in liberos, extra justum matrimonium natos, potestatem nullam tributam esse, affirmat. Quòd si intercedat pactum, ex eo potestatem & regimen desumendum cupit, præcipuè si sit *matrimoniale* cum potestate in fœminam, ubi potestas in prolem Patri accrescet, etsi in matrimonio impari, ubi v. g. Regina Marito subdito jungitur, jus matris prævaleat, ùt in aliis omnibus, ita etiam in sobole ad salutem Regni educanda, quem in morem *& Amazones* contraxisse affirmat. Addit utriusque potestatem & dominium insolidum *esse irregulare*, ùt pateat subordinatum à natura haud requisitum, cùm alterutrius cura, per pactum delata, sufficiat: ita penes *Babylonios*, per conjugale pactum, Pater in filios, mater in filias potestatem nactam, ex *Petro* de valle affirmat.

II. *Spectato naturæ jure potestas & familiæ regimen est penès Parentes simpliciter. 2. Exercitium potestatis, modusque regiminis dependet à pacto, etsi hoc deficiente principalior potestas absolutè competat Patrifamilias.*

Declaratur assertum quò ad 1. Supponendo ex dictis, quòd potestas, & familiæ regimen à natura sit intenta, *ùt medium* in ordine *ad educationem prolis.* Jam sic: potestas familiæ, *non modus*, seu ratio exercendæ potestatis, est exigita ab amore, proli naturaliter debito, & ad educationis finem *simpliciter necessaria*: ergo *spectato naturæ jure*, uti finis seu *educatio* est Parentibus injuncta *simpliciter*, abstrahendo à modo; ita & medium, seu *potestas* familiæ utrique est concessa *simpliciter*, exercitio potestatis specialibus Parentum pactis relicto, si modò sufficiant ad finem *simpliciter* obtinendum. Addunt alii* quòd proles sit partus, portio, & effectus utriusque, adeóque ab utroque instituenda atque regenda. Sed hæc potestatem, *modum potestatis* non evincunt, cùm natura perinde obtineat finem, sive educatio fiat *immediatè per Parentes*, vel *mediatè* per alios; per *alterutrum*, vel *utrumque*. Idem, quòd *propter specialem affectum* Parentes sint optimi educatores: sed hæc *convenientiam*, sed *jus naturæ* non probant.

Modò specialibus pactis reservato, etsi his deficientibus ex statu conjugali superioritas simpliciter sit penes Maritum.

Declaratur assertum quò ad 2. Quæ natura, in ordine ad finem, *per se* non disponit, relinquit dispositioni hominum *per pacta*: atqui *de exercitio potestatis patriæ* per se nil disponit in ordine ad educationis finem: ergo. Accedit, quòd, ob diversissimos eventus & circumstantias, per pacta educationis fini convenientiùs prospiciatur, neque pacta de potestate & regimine uxoris, naturæ juri opposita, dici possint, si obtineatur finis, à natura intentus. Quòd si pacta deficiant, primas in potestate & regimine familiæ obtinet Pater, non *ex speciali dispositione juris naturæ* circa modum regiminis respectu familiæ, sed ex alio titulo, quo nempe Marito, ùt suprà probavimus, *respectu statûs conjugalis* competit naturæ jure *potestas directiva* in ipsam uxorem, adeóque & superioritas respectu familiæ totius.

Uti passim fatentur potestantici Moralistæ.

III. Inde colliges, *Puffendorfium*, si ritè exponatur, nobis non admodùm adversum; sed neque *Grotium*, qui ait (c): *utrique parentum jus est in liberos: sed si contendant inter se imperia* (nempe deficiente pacto) *præfertur imperium Patris, ob sexûs præstantiam.* ** Consentit

Tho-

(a) Hoc titulo: & interpretes ad Instit. & Cod. *de patria potestate* & ff. de his, quæ sui, vel alieni juris. Unde *Wernherus* in elementis J. N. c. 17. § 20 vix emergit, dum ait, jus civile nil aliud disponere, quàm naturale, quod *tam Patri, quàm Matri* potestatem attribuit.

(b) L. de J. N. & G. c. 2. §. 5.

* Cum Clariss. P. *Schmier* Jurisprud. univers. L. 1. c. 2. sect. 2. §. 2. n. 72. & seqq.

(c) De J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 1. n. 1.

** In quæ verba rectè *Zieglerus*, *Grotii* notator, *imperio Patris non tollitur imperium Matris, sed ex alio capite juris naturalis, in societate conjugali fœminam in potestate Mariti constituentis, limitatur, & restringitur.*

Thomasius, qui ait: *ex mera ratione naturali potestatem competere utrique, quoniam ad fundamentum hujus potestatis concurrunt uterque, nisi ipsi Parentes in societate nuptiali convenerint aliter* (a). Unde in secundis curis, thesin oppositam adstruendo, ùt sæpe, jus suum naturale non tam emendat, quàm novis erroribus deformat (b).

Potestatis patriæ mensura desumenda ex fine, & accommodanda diversæ ætati;

Quæritur VI. Qualis & quanta sit patria potestas?

R. I. *In genere* est mensuranda ex fine *educationis*, *atque familiæ*, sic ut consistat *in jure ea omnia agendi, sine quibus liberorum actiones, ad obtinendum societatis hujus finem, dirigi nequeunt. In specie* se extendit ad jus *jubendi*, *prohibendi*, & debito modo immorigeros *castigandi*, quod tamen jus ad ætatem liberorum triplicem accommodandum est.

Primæ,

R. II. *In prima pueritiæ* vim maximè exerit tam quò ad *personas*, quàm *actiones*: cùm enim pueri se ipsos regere nequeant, æquitas postulat, ut dirigantur ab illis, quibus natura educationis officium injunxit. *Quò ad res, an ex jure naturæ*, uti habet *Thomasius* (c); vel *ex jure Gentium*, uti affirmat *Grotius* (d), capax dominii sit etiam tenera ætas, non ita est liquidum. Si tamen verum, defectus judicii seu in acceptatione, seu in administratione, à Parentibus est supplendus, quibus usum fructum percipere ad alendum filium ex quadam *æquitate** indulget *Puffendorfius* (e).

Mediæ,

2. *In ætate media* maturæ jam juventutis, potestas patria sese extendit *ad eas solummodo actiones, quæ ad familiam respectum ferunt.* Hinc sine consensu Parentum factæ meritò dicuntur nullæ, quia *simpliciter exigit* status familiæ, ut pars conveniat cum suo toto, & familiæ membrum capiti suo non controveniat. Ex quo colliges, quòd citra suasionem, utique non vilipendendam, ad certum vitæ genus liberos cogere, naturæ jure, *per se* loquendo, haud competat patriæ potestati; quòd paternus consensus ad nuptias quamdiu manet filius in familia, non quidem sit *absoluta necessitatis*, tantæ tamen, ut eô neglectô è familia dimitti possit ob novum onus (f), invitis Parentibus non imponendum. *Quò ad bona*, non malè distinguit *Puffendorfius* (g), acquisita *per industriam* assignans Parenti, *ex ratione æquitatis naturalis*; etsi enim ad alendam prolem naturaliter adstringatur, compensationem tamen aliquam justè petit, si per educationem, accedente culturâ, tantùm excreverit prolis industria, ut fructus aliquos inde degustare Parenti liceat. *Bona aliunde obtenta quò ad proprietatem* relinquit proli, reservata Parentibus facultate, exinde percipiendi tot fructus, quot alendis, defendendisque liberis necessarii videntur: non secùs ac Princeps *in statu civitatis* exigere potest, ut ex fructibus civium suum quidquam ad salutem & securitatem publicam conferatur.

Et adultæ.

3. *In ætate tertia* factæ emancipationis, ** cùm liberi penitùs sint sui juris, actionum suarum nanciscantur liberam potestatem, remanente solùm debito naturali, ut neque in hoc, neque in alio statu quid agant, *quod pietati & observantiæ filiali adversetur.*

Potestas correctionis non se extendit ad jus vitæ & necis ratione delicti;

R. III. *Potestas castigationis paternæ in tantum se extendit, in quantum requirit finis hujus societatis, hoc est, liberorum educatio.* Unde

Deducitur 1. Illam propriam esse ætati *primæ*; *secundæ* quandoque accommodam, sæpe tamen inutilem, atque *periculosam*; in tertia sublatam, quia carentem fine.

Deducitur 2. Hanc potestatem à *Puffendorfio*, *Hornio*, *Thomasio*, *Hubero*, & aliis, *etiam spectatô naturæ jure*, pro ratione delicti, malè extendi ad jus summum vitæ & necis. *Ratio est*: Quia tanta potestas *nec necessaria* ad finem conservandæ familiæ, siquidem in enormi delictô, & incorrigibilitate, *ejectioni* locus esse potest; nec est *conveniens* amori paterno tanta sceleris vindicta, qua vitam, quam dedit, ipse Pater eripiat. Quòd si ejectus hostem capitalem agere pergeret, filius, ùt hostis, repelli posset, non jure paterno, sed cuivis proprio *respectu justæ defensionis.*

Ut frustrà contendunt nonnulli.

IV. Unde non obstat 1. Quòd in statu naturalis libertatis desit imperium, *paterno majus*, quo jus vitæ & necis exerceri possit in liberos *delinquentes adultos*: ergo necesse est, ut com-

(a) Jurisprud. Divin. L. 3. c. 4. n. 66.
(b) In fundam. J. N. L. 3. c. 4. §. 8.
(c) Jurisp. Divin. L. 3. c. 4. n. 70.
(d) L. c. n. 2.
* *Jus strictum* negat *Thomasius* l. c. n. 69. eò *quòd alimentatio sit onus, non titulus, aut modus acquirendi.*
(e) L. 6. c. 2. § 8.
(f) L. 6. de J. N. & G. c. 2 §. 8.
(g) L. cit.
** Sumpto termino non in sensu civili, *sed nativo,*

competat patriæ poteſtati, uti habet *Thomaſius* (a). Nam

℞. *Tr. ant.* cùm ſaltem *jus arbitrii* non deſit in cauſa gravis diſſenſionis. N. C. Quia nulla neceſſitas, ſufficiente ad finem remedio ejectionis, & ſiquidem hoc fruſtraretur, ſuppetente etiam jure propriæ defenſionis.

Non obſtat. 2. Exercitium hujusmodi poteſtatis, cùm in lege veteri exemplum ſufficiat *Judas* reſpectu *Thamaris*, ſuæ nurûs (b); *Saul* reſpectu filii *Jonathæ*; in nova exemplum præbeat *Conſtantinus* reſpectu *Priſci* filii; pluribus exemplis ſuppetentibus penès Gentiles; *Romani* etiam per legem expreſſam jus iſtud Patri attribuerint. Sed

℞. D. Et jus iſtud fuit exercitum à Patrefamilias, *quà tali*. N. *Quà ſupremo, imperante*, & publico legum cuſtode, ac vindice. *Subdiſt.* Fuit exercitum, uſu ſemper legitimo, ac probato. N. Quandoque per abuſum, meritò reprobatum. C. Si Patri, *quà tali*, naturæ jure, competeret jus vitæ, & necis in filios *ratione delicti*, competeret etiam Matri, ſaltem defuncto Patre, quod difficulter quis admiſerit. Lex illa *Romanorum* non ex rationis præſcripto, ſed truculentia marriali profluxit, unde poſtmodùm abrogata eſt (c).

Neque obſtat. 3. Quòd *Abraham*, quà Paterfamilias, jus fœderum, bellique exercuerit æquè ſummum, ac jus vitæ & necis. Nam.

℞. D. Exercuit jus fœderum, belli, æquè ſummum, adeóque & jus vitæ & necis æquè, *in ſtatu merè naturali*, conceſſum in hoſtes, *& ratione juſtæ defenſionis* T. Adeóque & jus vitæ & necis æquè conceſſum *in filios*, *& ratione delicti domeſtici puniendi.* N. Dixi Tr. Quia *Abraham* fœdus contraxit, bellum movit, educendo trecentos, & octodecim armatos, non tam *quà Paterfamilias*, quàm juſti Populi Princeps, dicente ſcripturà *Princeps Dei es apud nos* (d).

Neque obſtat 4. Quòd familia referat figuram civitatis, Pater perſonam Principis, teſte Philoſopho (e): ergo utrique ſimilis poteſtas. ℞. D. Refert figuram aliqualem C. perfectam N. unde poteſtas regia *eſt perfecta*, *publica*, & *per ſe ſufficiens*; poteſtas patria eſt *minùs perfecta*, *privata*, ſibi *univerſaliter non ſufficiens*, adeóque tanquam ſubſidiis indiga, ad civitatem, veluti pars ad totum, rationis ductu ordinata.

Officia Parentum.

Quæritur VII. *Quæ officia, ſpectato jure naturæ, Parentum erga liberos & viceſſim?*

℞. I. Officium Parentum eſt *educatio* in alimentatione, *quò ad corpus*, & in inſtitutione, naturæ rationali congrua *quò ad animam*, nempe tali, *ut liberi vivant*, & *cum ratione vivant*, præcipuè ut in officiis *erga Deum* ritè inſtituantur. 2. Iisdem incumbit, exemplô honeſtæ vitæ præluceant, ut liberos ad idoneum vitæ genus applicent, & quantum virès permittunt, fortunam ipſorum fundent, atque ad felicitatem ſocietaris humanæ promoveant. Unde fluit, naturæ juri repugnare procurationem abortûs, abjectionem infantum, omnem nutritionis & inſtitutionis pernicioſam incuriam &c. 3. Eſt tamen educationis officium non ita perſonale, ut ſuo modo *delegari* non poſſit *utilitate prolis*, aut *neceſſitate id exigente*: quia in moralibus, quod quis per alium facit, cenſetur facere per ſe, & ſæpe educationis finis aliter obtineri haud poſſit.*

Liberorum.

℞. II. Officium liberorum *eſt filialis obſervantia*, quæ notat *obſequium*, vi cujus actiones ſuas, ad nutum Parentum inſtituere tenentur: & quia obſequium vi quoque coactivæ ac pœnali ſubeſt, metus quidam familiaritatem excludit, quæ excluſio in parentibus *gravitas*; in liberis *reverentia* appellatur. Immò cùm ſuperioritas paterna non tantùm *imperii*, ſed etiam *beneficii* ſit ratione *generationis*, & *educationis*, obſervantia *gratitudinem* quoque *filialem* includit.

2. Hæc officia reciproca, Parentes inter & liberos facilè deducuntur ex fundamentali principio juris naturalis, quia nempe ſunt *exigita ab amore, & his & illis naturaliter debito*, hoc eſt, *in ordine ad educationis finem, atque felicitatem, naturæ rationali propriam, abſolutè neceſſario, ac requiſito.*

Etiam ſoluta ſocietate familiæ.

℞. III. Cùm ſocietas paterna ceſſare poſſit, ceſſante fine, *ſeu educatione*, quando nempe liberi ad ſuſtentationem, & directionem ſibimet ipſis judicio paterno ſufficiunt, emancipari, immò ob deſidiam, pervica-

(a) Etiam in ſecundis curis L. 3. c. 4. §. 9.

(b) Gen. 38. v. 24. educite eam, ut comburatur.

(c) L. un. Cod. de emend. propinqu. L. un. Cod. *de his*, qui Parent. vel lib. occid.

(d) Gen. 23. v. 3..

(e) L. 3. Pol 6.

* Unde *Puffendorfius* L. 6. c. 2. §. 8. etiam ſuſceptori infantis abjecti, paterna jura attribuit, & hunc ſolum caſum eſſe, ait, quo imperium in hominem *occupatione* acquiratur.

caciam, aliásque graves causas etiam ejici inviti possunt, si modò Parentes ipsi in educationis officio non desuerint. Contrà liberi, *invito Parente*, à societate paterna in familiam aliam transire *regulariter* nequeunt, nisi iniquam detentionem Patris, & sufficientiam propriam demonstrare valeant. 2. Dissoluta societate paterna cessat regimen in Patre; obedientia, seu obsequii debitum respondens in filio; non tamen cessat debitum *pietatis*, hoc est, *reverentiæ* & *gratitudinis* ob beneficium generationis, & præcipuè educationis, quæ semel facta fieri infecta nequeunt. Unde liberi, etiam soluti paternâ familiâ, semper manent obstricti, *jure naturæ*, * ut Parentibus honoris signa exhibeant, beneficia beneficiis compensent, commoda, si fieri possint, promoveant, accedente magna necessitate etiam alant, atque sustentent, ad quæ, etsi cogi absolutè, *saltem spectato jure naturæ*, ** vix possint, graviter tamen in naturale debitum peccant, si facere negligant.

§. 4.

§. IV.

De Statu herili.

De statu herili.

Quæritur XVI. *Quid & quæ origo statûs herilis?*

Ejus natura.

℞. I. Rectè describitur esse *societas inæqualis, inter Dominum ac servum, eo fine instituta, ut hic in ejus commodum debita servitia præstet.*

Dicitur 1. *Societas inæqualis*, quia inita conditione inæquali: *inter Dominum & servum*, illo, ut *dominetur* in domo; isto, ut *serviat* restricta naturali libertate. 2. *Eo fine instituta*, nempe *utilitatis*, *commoditatis*, vel etiam *necessitatis* cujusdam respectivæ. Unde

Colligitur 1. Statum herilem, connotantem *servitia aliena in genere*, non esse *juris naturalis* præceptivi, sed merè permissivi, non enim est *necessitatis absolutæ*, ut sit, sed *utilitatis*, convenienter ad rationis dictamen, ut esse possit. Et quia supponit *factum*, libertatis congenitæ restrictivum, status est *adventitius*, qui supposito, quòd sit, *naturæ jure* adstringit ad servitia, seu ex ultroneo pacto, seu ex alio titulo, Dominis præstanda.

Colligitur 2. Discrimen *domesticos* inter & *servos*. Nam quæ Parentes in familiæ commodum agunt, nullo ipsi imperio agunt; quæ liberi, etsi, ex imperio paterno & necessitate quadam agant, proprio tamen emolumento sunt: contra quæ agunt, *servi* & ex imperio herili, & absoluta necessitate fluunt; immò non in suum, sed commodum familiæ cedunt, uti animadvertit *Thomasius*.

Colligitur 3. Sub statu familiæ, *etiam perfecta* non *necessariò* contineri statum herilem: secùs spectato jure naturæ, nec esse posset, nec *Adamus*, ejúsque Posteri habuissent unquam familiam perfectam absque adscititia appendice servorum. Est igitur familia alia perfecta, perfectione commensurata *necessitati*; alia perfectior perfectione proportionata *commoditati*.

℞. II. Servitus, variè ab aliis divisa non nisi *duplicis generis* à nobis agnoscitur *pactitia*, quæ habetur per contractum spontaneum, & magis propriè *famulitium* dixeris. Hæc, si interveniat merces, *mercenaria*, si ad tempus *temporaria*, si pro semper *perpetua* dici solet. Altera dicitur *legalis* seu *coacta*, quòd habeatur ex institutis Gentium, atque legibus, queîs bello capti servituti mancipabantur, unde & *mancipatus* propriè appellari suevit. *Varietas.*

℞. III. *Conditio servilis malè tribuitur naturæ. Declaratur nasci naturâ* servos, quorumdam veterum nænia fuit, quos inter *Stagyrita Euripides*, & alii, nisi fortè, quod verosimilius, de majore unius Gentis *habilitate naturali*, ad imperandum; alterius ad serviendum quis interpretari mavelit. *Servitus tamen pactitia, seu famulitium originem remotam habet ex inæqualitate conditionis humanæ; proximam ex pacto spontaneo, adeóque est institutionis humanæ.* *Origo.*

Declaratur. Multiplicato Genere humano, ubi recessum est à communione primæva, *per distinctionem bonorum*, invaluit inæqualitas conditionis humanæ, aliquibus, variante fortunâ, in *abundantiam*, aliis in *egestatem* delapsis. Inde ditiores eguêre aliorum auxiliis, egentiores alimentis; igitur deventum *ad pacta*, egenis operam, ditioribus alimenta, & mercedem stipulantibus. Accessit apud alios *hebetudinis sensus*, quæ conditio ad serviendum, quam dominandum multos magis idoneos reddidit: inde factum, ut operæ, sæpe *temporariæ*, quandoque *perpetuæ* evaserint; quòd inopes existimarent, se *in libertate* victum, vitámque

minùs

* Juxta, ea, quæ disputavimus *Tit.* V. §. 1. de officiis imperfectis.

** Unde *Vitriarii*, Epitomatoris *Grotiani*, thesin probatam non legimus, quòd ad *pietatis*, & *observantiæ* debitum, necessitate exigente, *durioribus mediis*, liberi emancipati cogi possent, *propter imperium paternum.* Quale imperium *per duriora media* in solutos, nulli amplius subjectos? Videantur Instit. Juris L. 1. c. 5. Q. 5. & 7.

minùs commodam habituros, quàm in ejusmodi spontanea servitute. Jam sic: *inæqualitas conditionis* adegit homines ad pacta spontanea, libertatis nativæ restrictiva, quæ nec *determinatè* exigita ab amore, sibi & aliis *simpliciter* necessario, nec *absolutè* illi adversa, cùm fundentur in emolumento, societati humanæ admodùm consentaneo: ergo pactitia servitus *originaliter* habetur ab inæqualitate conditionis humanæ; *causaliter* à pacto spontaneo, *in fieri* à jure naturæ permissivo, *in facto esse* à jure naturæ præceptivo.

3. Servitus *coacta* seu *mancipatus* originem *occasionalem* trahit *à bello*; *causalem* ab arbitrio Victoris, victique consensu coacto; *formalem* à jure Gentium.

Declaratur. Ingens utilitas, è servitiis habita; vel etiam cupiditas cumulandi opes, accedente forsitan cujusdam commiserationis, & humanitatis sensu in causa fuit, cur in crebrescentibus bellis, paulatim invaluerit mos, vitam relinquendi victis, & servitiis perpetuis mancipandi. Inde sunt, qui cum D. *Augustino* (a) *servi* etymon *à servando derivant, eò quòd bello capti, occidi, cùm potuissent, ad servitia servati sint.* Igitur è Victoris arbitrio, victique assensu, coacto quidem, quia metu mortis extorto, in quævis servitia, etsi summè dura, atque perpetua ortus est mancipatus, & more propter insignem vincentium utilitatem victorùmque nullam injuriam, sensim invalescente, *per jus Gentium* firmatus est, id quod erat declarandum.

Verior. ℞. IV. *Quæ opponi solent, inefficacia sunt.* Nam 1. Si dicas, quòd assensus victi coactus vel non sit necessarius, vel si sit necessarius, naturæ juri & ista adscribenda sit servitus: siquidem qui vitam invito potest adimere, consensu opus non habet, libertatem, ut adimat corporalem, præcipuè cùm assensus sæpe haberi non posset, victis mortem promptam præ lenta, hoc est, servitute tam dura ac infami præhabentibus.

℞. Assensus est necessarius, ut habeatur *obligatio* mancipii ad Dominum: hæc enim non oritur ex simplici vitæ donatione, nec ex necis dilatione, nec ex detentione in vinculis, *sed ex vinculo morali*, seu *data fide*; secùs enim, naturæ jure, si minùs occidere Dominum, * saltem aufugere posset, durante adhuc inter illos belli statu. ** Unde quamprimùm inter victorem & victum *mutua fides*, circa consociationem in familiam, intercessit, hostilitas prior censetur sublata, ut adeò servus, frangendo fidem, injuriam Domino; Dominus crudeliùs, quàm par est, tractando servum, servo injuriam faceret. Neque refert, quòd assensus sit vi extortus: nam quia supponitur, ex bello justo, *vi justa* extortus, stringit, sic ut respectu captorum in bello, servitus in fieri *juri Gentium* tribuatur *positivè*, juri naturæ permissivo *negativè*; in *facto* esse respectu obligationis in servo ex jure pacti naturali *præceptivo* derivetur.

2. Si oppones, quòd origo servitutis meliùs deduceretur cum *S. Chrysostomo* (b) & *Augustino* (c) ex pœna peccati, quæ in maledictione *Noemi* respectu *Chanaam* initium sumpserit, servus servorum erit fratribus suis. (d) ℞. Servitus *voluntaria*, seu *famulatus* pœna peccati, à *Noë* primùm promulgata, propriè dici vix potest, cùm cedat in emolumentum famulantiùm; & admodùm consentanea sit societati humanæ. Servitus *involuntaria*, seu mancipatus, *pro causa fundamentali* habet quidem peccatum, pro occasionali *bellum*, pro *formali arbitrium Victoris, Gentium jure suffultum*: unde rectissimè *S. Augustinus* (e): *Nam & cum justum geritur bellum, pro peccato contrario dimicatur, & omnis victoria, etiam cùm pro-* vens

(a) L. 19. de civit. Dei. c. 19.

* Quod contra *Puffendorfium negat Hertius* Scholiastes, eò quòd lex naturæ id non permittat contra servatorem, cui se dedens hostilem animum videtur exuisse. Sed forsan replicaret *Puffendorfius*, quomodò se dedidit *absque assensu?* Quomodò hostilem animum exuit, si forsan servitus sit morte durior?

** Inde *Puffendorfius* L. 6. de J. N. c. 3. §. 6. Ex quo consequitur, servos, qui carceribus, ergastulis, aut vinculis coërcentur, ab illis, qui pacto cum domino junguntur, diversos esse, quia serviunt illi non pacto, sed ne vapuleat: ideóque si aufugerint, aut Dominum occiderint, nihil facere contra leges naturales. Nam vinculis ligari corporalibus, signum est, illum, qui ligat, supponere, ligatum nulla obligatione, seu vinculo morali satis teneri.

(b) S. *Chrysostomus*: hom. 29. in Genesin: *Ecce fratrem eodem natum Patre, peccatum fecit servum, & ablata libertate jugum illi vilissimæ subjectionis imposuit, unde posteà servitus sumpsit originem.*

(c) L. c. *Proinde nullibi scripturarum legimus servum, antequàm hoc vocabulo Noë justus peccatum filii vindicaret: Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.*

(d) Gen. 9. 25. & seqq.

(e) L. c.

venit malis, Divino judicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens. Prima ergo servitutis causa peccatum est, ut homo homini conditionis vinculo subderetur, quod non fit, nisi Deo judicante, apud quem non est iniquitas, & novit diversas pœnas meritis distribuere delinquentium. Cæterum *Noëmi* ævo, etiamnum à bellis immuni, servitutis origo adscribi nequit. Non enim is intulit *Chanaano*, servitutem, sed inferendam ejus posteris prænuntiavit, *Tostato* interprete (a): siquidem *Chanaan* in servitutē detrusus tunc minimè fuit, sed ejus posteri, per bellum superati, in servitutem denique redacti sunt.

Officia status herilis in genere. *Quæritur* VIII. *Quæ officia fluant ex statu herili?*

℞. I. *In genere.* Sicuti duplex est servitus *mercenariorum*, & *obligatorum*, quos voceant, ita diversa è diverso fonte, & jura, & officia profluunt.

In specie Dominorum quò ad mercenarios. ℞. II. *In specie.* Servitutem spontaneam quod spectat, ea in particulari desumi *ex pacto* debent, quia ultroneo. *Regulariter* continet status iste jus injungendi servitia omnia, quæ in ordine ad finem intentum *rationabiliter* injungi possunt. 2. Jus percipiendi omnem fructum, ex opera locata acquisitum. 3. Jus disponendi & dirigendi actiones omnes, non tamen *jus vendendi* invitum: quia *ex pacto* concessum præsumi nequit: siquidem intentio servi fuit, huic Domino se se tradere, non cuicunque alteri, quem duriorem nancisci posset. Accedit, quòd alienandi facultas, dominium *strictè dictum*, supponere videatur, quod in *solis* rebus propriè locum habet. 4. Jus castigandi socordiam *pro ratione delicti* * nullatenus tamen *jus vitæ & necis*, quia ad finem statûs herilis non necessarium, cùm, summi supplicij locò, servus è familia ejici, propriæque socordiæ relinqui possit. Quòd si delictum atrox in ipsam familiam admissum sit, adest potestas civilis; in statu merè naturali, seu familia segrege, si expulsus nocere pergat, non quidem *vi imperii*, sed *jure belli*, tanquam hostis per extrema quoque remedia coerceri poterit. Quo in puncto notator *Hertius* minùs bene *Puffendorfium* reformat (b), dum docet, quòd tam rigorosum imperium, spectato fine statûs herilis, transferri *ex pacto* in Dominum debuerit: at hæc facilè dici, difficiliùs probari, persuaderi difficillimè poterunt. **

Quò ad obnoxia. ℞. III. Servitutem, propriè talem, seu mancipatum quod attinet, hic Domino tribuit jus longè majus, *utpote proprietatis*, saltem *suo modo*, sic ut libero ejus arbitrio non tantùm persona mancipii *** per *venditionem* etiam alienanda; sed etiam res ejus **** subjectæ maneant: unde imperium quoque exercet in mancipii *vitam*, impunitate saltem extrinsecâ, per leges indultâ, etsi *non plenâ* & *internâ justitiâ*, uti loquitur *Grotius* (c). Ejusmodi jus vitæ & necis *è titulo belli priore* malè deduci, existimat *Puffendorfius*, dum contra *Hornium* ait (d): *Isthæc planè diversa sunt: victor in victum, jure belli, quæcunque placuerint, potest statuere, occidere &c. quam tamen licentiam nemo jus vitæ & necis hactenus dixit. Sed jus vitæ & necis, quod Dominus in servum habere dicitur, notat potestatem legitimam ob antegressum delictum capitale supplicium infligendi* &c. An talis potestas *ratione delicti*, jure naturæ permissivo defendi possit in statu familiæ segregis herili, alii affirmant, alii negant, eò quòd statui naturali *imperium summum* cum jure gladii penitùs denegent. 2. Cæterùm, inter officia, quæ Domino incumbunt, est servo mercedem ex contractu persolvere; alimenta, aliàque vitæ necessaria suppeditare; imperia pactis, & viribus commensurare *****; citra ta-

(a) In c. 3. Gen. Q. 586.

* Nam abesse debet sævitia, siquidem & servo injuria fieri potest. L. un. C. de emend. servor. quod insigni errore negat *Hobbesius* de civ. c. 8. §. 9.

(b) In notis ad L. 6. c. 3. §. 4. Etiam *Thomasius* in secundis curis non satis bene se emendavit, dum statui familiæ, & à fortiori etiam herili, tribuit *potestatem puniendi indefinitam.*

** Inde *Heineccii* thesin probatam non legimus, cùm dicit: *idem, quod de venditione, etiam de jure vitæ, ac necis videtur dicendum, quod Domino in hos servos (mercenarios) competere posse nemo negaverit.* In Elem. J. N. L. 2. c. 4. §. 84.

*** Quæ, post amissam libertatem, transit etiam *in commercium*, sic ut venditio non repugnet.

**** Unde & *in prolem*, è serva parente natam, jus istud extendunt, quia partus servilem sequitur ventrem, tanquam fructus, & proles, *originariè* ad Matrem pertinet, uti contendit *Puffendorfius* L. 6. de J. N. c. 3. §. 9.

(c) De J B & P. L. 2. c. 5. §. 28.

(d) L. 6. de J. N. c. 3. §. 5.

***** Imperia vires excedentia, venditionem servi, *etiam spontanei Thomasius* in secundis curis non revocat *ad regulas justi*, sed tantùm *decori*. Ibidem mercenarios *perpetuos*, & bello captos, ejusdem conditionis esse affirmat, in eos jus vitæ & necis Domino tribuit, famulatum & man-

rationem in eum non sævire; non *ùt jumentum*, sed *ùt hominem* tractare, cùm quidem *liber* esse, *homo* tamen esse, nunquam desierit: ut adeò juri naturæ permissivo nunquam attribui possit illa servitus barbara, & inhumana, qua servi vix in hominum numerô, immò planè *pro nullis* (a) habiti erant penès *Romanos*, aliásque Gentes, à natura degeneres.

Officia servorum. ℞. IV. *Officia servorum e Dominorum juribus deduci debent.* Imprimis Domino, justè & justa præcipienti, in omnibus obtemperandum; reverentia personæ, industria mandatis exhibenda, secùs justa castigatio patienter ferenda, usque dum servitus *pactitia*, lapso locationis termino, vel *obnoxia* manumissione dissolvatur. *

Instructio 3.

INSTRUCTIO III.

De statu adventitio perfecto seu Civitate.

De statu hominis adventitio composito, seu de civitate.

§. 1.

§. I.

De origine civitatis seu societatis composita.

De origine, naturæ, fine, & proprietatibus civitatis.

Quæritur I. *Quæ origo civitatis?*

℞. I. Hactenus vidimus, quòd ex triplici statu societatis *simplicis*, nempe *conjugalis*, *paternæ*, & *herilis*, resultet societas composita *minor* nempe *familiæ*, & ipsa quidem, *spectato naturæ fine*, *perfecta*, etsi & ex ipsis familiis componi possit adhuc *perfectior*, nempe *civitatis*, ** per quam *in genere* hic intelligimus *quodvis corpus politicum, in suo genere perfectum, & civilis beatitudinis causâ in commune regimen coadunatum.*

℞. II. Hujus *origo* à compluribus petitur *ab Authore naturæ*, dicitúrque esse *juris*, seu institutionis *naturalis propriè talis.* Ita *Stagyrita* ejúsque interpres Angelicus, dicens: *hominem naturaliter esse animal domesticum & civile* (b), *Molina*, *Besoldus*, *Weizeneggerus*, *de Wolleren*, & recentissimè Clariss. *Sigismundus Stapfius*, *P. Franciscus Schmier*, (c), asserens *hanc esse communiorem, antiquiorem, & saniorem sententiam* contra *Puffendorfium*, *Thomasium* & alios.

Ratio asseritur 1. Quia homo *est naturâ* animal *sociale*, sermone prædi- *Ob varias rationes,* tum, ratione instructum, ut de felicitate vitæ perfecta sibi prospicere possit; simúlque tam respectu animi, quàm corporis tot miseriis ac necessitatibus pressum, ut de aliorum cultura, ope, atque auxiliis sibi etiam prospicere quàm maximè velit, immò *necessariò* debeat.

2. *Quia natura ipsa* homini indidit appetitum *societatis* non modò *domesticæ*, sed etiam *civilis*, utpote *quæ sola* verè sufficiens, seu ad avertenda incommoda, seu ad congrua vitæ commoda, ac felicitatem statu suo dignam, *qualis nimirum humano modo comparari potest.*

3. Quia homo ideò appetit societatem simpliciter, ut habeat vitæ sufficientiam: ergo à fortiori naturaliter appetit societatem civilem, ut habeat sufficientiam meliorem, sic ut appetitus neutiquam impleatur per solam societatem domesticam, ùt habet Clariss. *Stapfius* (d). Sed

℞. Posset *Puffendorfius*, *Thomasius* & *Quæ tamen non sunt efficaces,* alii *in genere*, hoc triplici argumento probare nimium. Nam, si ex *Stagyrita* & Angelico verum, uti habet Clariss. *P. Schmier* (e), *à natura non qualemcunque societatem, sed perfectam appeti, qua scilicet homo, integra cum felicitate, quò ad exteriorem & interiorem animi statum vivere queat*, sequeretur non modò civitatem *in se*, sed & civitatis *formam*, cæteris *perfectiorem*; immò quamvis legem, pro felicitate civitatis perfecta intentam, *naturæ juri* adscribi posse, quod certò nimium, & juris *positi-*

mancipatum, *ex eodem naturæ jure*, deducit, pluribúsque erroribus aliis, more suo, dum sese malè reformat, magis deformat, & institutiones suas Divinas non emendat, sed potiùs depravat.

(a) L. 32. ff. de reg. juris.

* Protestantium Authorum menda, utcunque jam indicavimus. Collegium politicum *Liebenthalii*, cum *Minervâ*, nimiùm impolitâ & istam materiam obfuscârit, vix sibi spongiam exposcit. V. G. Dum ex *Busbequio* improbat, quòd mancipatus inter *Christianos*, *Constantini* & Pontificum operâ, sublatus, sicque mendicis gravata Respublica sit, item dum servitutem *tam naturalem* homini asseverat, ut extra illam viventes egeni sint, veluti pisces in aëre, aves in aqua; dum usuras *legitimum*, & *licitum* acquirendi modum esse affirmat, & sic de aliis.

** Nam *de vicis*, *pagis*, *oppidis*, *urbibus* &c. eorúmque etymologiis, differentiis &c. plura disserere, ad finem jurisprudentiæ publicæ non est opus. Videantur Politici Oeconomici cum *Stagyrita*.

(b) in 1. Polit. c. 1. Lect. 1.

(c) In Jurisprud. publ. univers. L. 1. c. 2. sect. 4. §. 2. n. 157.

(d) In J. N. & G. P. 1. c. 2. n. 10.

(e) L. c. n. 162.

positivi cum *naturali* nimiùm confusivum. Unde Angelicus, ad *Stagyritæ* mentem, cæterique authores civitatis institutionem Naturæ attribuunt in sensu latiore, *secundùm inclinationem & appetitum ad omne id, quod rationi, quomodocunque consentaneum*, nempe ex principio juris naturæ *minùs proprio*, ac *distinctivo*, quæ *Puffendorfii* querela de orthodoxis Moralistis non semper inanis deprehenditur. *In specie* ad 1. Reponere possent iidem

Dist. Homo est animal *sociale*, potens & volens sibi prospicere de aliena ope, auxiliis, per societatem *aliquam*, conservandæ vitæ, aliisque necessitatibus *simpliciter sufficientem*. C. Per societatem, *determinatè civilem*, abundantiùs & perfectè sufficientem. *Subdist.* Ita, ut hæc necessitas sit *absoluta*, inferens jus naturæ *præceptivum* & proprium. N. Ita, ut hæc necessitas sit *respectiva*, ad meliùs esse, inferens jus naturæ, impropriè tale, & *concessivum*. C.

Ad 2. Dist. Natura indidit appetitum, modo quodam *suasivo*, tanquam principio, inclinante ad societatem civilem, velut naturæ rationali admodùm consentaneam. C. Indidit appetitum, jure etiam præceptivo tanquam principio obligante ad societatem *determinatè* civilem, velut naturæ rationali *simpliciter* necessariam. N. Item: *sola* societas civilis est verè sufficiens, sufficientiâ commoditatis amplioris C. sufficientiâ solius necessitatis; quam solam spectat jus naturæ. N.

Ad 3. Dist. C. Ergo natura appetit *à fortiori* societatem perfectam, ductu quodam rationis, *ad commodiora* inclinantis. C. Jure naturæ *ad perfectiora* necessitantis. N. Sæpe jam inculcatum, quòd jus naturæ prospiciat homini *in necessariis simpliciter*, sine quibus non attingeret felicitatem debitam, foretque *positivè*, vel saltem *negativè* * defectuosa. Jus positivum, velut in subsidium juri naturæ superadditum, prospicit homini *in necessariis ad melius esse*, secus enim jura omnia redigerentur in nimis confusum chaos.

Ut enervent rationes Puffendorfii. *Replicant memorati Authores.* Siquid obstaret *institutioni* civitatis *naturali*, obstaret juxta *Puffendorfium*, ejusque asseclas, quòd natura potiùs inclinet ad statum libertatis nativæ, & utilitatis privatæ, quàm ad statum civilis subjectionis, coactionis, etiam per pœnas capitales ad statum emolumenti publici, *per leges* & *tributa* potiùs procurandi, quàm emolumenti, privati: atqui hæc ratio nulla est: nam 1. Natura inclinat etiam ad statum Familiæ cum subjectione debita *potestati paternæ*, vel etiam herili. 2. Natura fertur in bonum majus, relicto minore, si majus aliter obtineri nequit: sic conservat vitam abscisso brachio: ergo & inclinat in felicitatem vitæ, aliter non obtinendam, nisi abdicatâ libertate &c. Sed

℞. Posset *Puffendorfius* cum suis N. *Min.* Ad 1. diceret, societatem patriam esse *necessitatis* absolutæ, adeoque institutionis *naturalis*; tantæ necessitatis haud esse societatem *herilem*, multò minùs *civilem*, adeóque & hanc, & illam esse institutionis merè humanæ.

Ad 2. Distingueret: natura fertur ad majus bonum relicto minore, *inclinatione suasiva*, propter majorem utilitatem rationi admodùm consentaneam ** C. Fertur *inclinatione obligatoria* propter necessitatem *Subd.* siquidem sit *absoluta*. C. Si tantùm *respectiva*, ad melius esse. N. Sic natura obligat quidem ad vitam conservandam, adeóque & ad media, *absolutè & determinatè necessaria*; non tamen obligat ad conservandam *meliori modo*: sicut igitur nulla est obligatio naturalis conservandi vitam *medio nimis difficili* V. G. brachii obscissione; ita non est obligatio naturalis sectandi felicitatem vitæ majorem jacturâ libertatis, & incommodo subjectionis; cùm libertas non semper sit bonum minùs vitâ commodiore, & quando ejus jactura non ponitur esse medium, *absolutè* & *determinatè* necessarium ad conservandam vitam.

℞. III. *Puffendorfius* pro causa civitatis remota assignat *metum graborum* ob mala, sibi extra civitatem à reprobis impendentia. *Aliis causa remota est metus proborum.* Nam, stante malitiâ hominum, in statu naturæ lapsæ, aliud *securitatis præsidium*, vix sufficisse existimat. *Non legem naturalem*, eadem malitiâ neglectam; non *fœdera*, paciscentibus ad servandam fidem haud efficaciter adigendis extra civile imperium; *non metum Authoris naturæ*, pœnâ Numinis non statim urgente, & plurium conscientiâ per affectuum intemperiem excussâ. Sed

Hæc sententia displicet *Kemmerichio*, *Puffendorfii* Epitomatori. 1. Quia nixa;

---

* Quò *ad officia* ergo proximum *imperfecta*, de quibus infrà agemus fusiore paraphrasi.

** Inde non probamus, *Puffendorfium*, cùm ait, quòd natura potiùs *abhorreat* à statu societatis civilis. Item: cùm per inclinationem in vitia non tam statum hominis naturalem, utpote quem *rationalem* esse oportet, quàm vitia statui naturali adversa describit, uti ejus scholiastes *Weberus* rectè animadvertit.

nixa, ùt ait, supposito falso, quasi propulsandis malis fœdera, aliæque consociationes per pacta, *citra nexum tamen civilem*, haud sufficissent. 2. Quia contraria veritati historicæ, quæ civitatis originem non probis, sed reprobis fert in acceptis.

Alius metus improborum,

2. *Kemmerichius* pro causa remota adstruit *metum pravorum*, ex malitia ortum, qua initio homines improbi, attractis sociis, ad opprimendos alios incitati sint, dominandi libidine, avaritià, aliisque spoliis stimulos sufficientibus. Unde ne absque imperio dilaberetur isthæc colluvies, in formam civitatis coaluerit, tandem & probis, ob improborum metum, per similia corpora sibi securitatem procurantibus. *Ratio* ipsius est: quia hæc origo sacræ historiæ conformis, quippe quæ non pios Patriarchas, *Sethum*, *Noachum*, (quæ *Kemmerichii* dialectus est) *Abrahamum*; sed impios, *Cainum* antè, & *Nimbrodum* post diluvium, primos civitatum conditores haud obscurè memorat, ùt ait. Immò si quis lustret sæculorum omnium fastos, occurrent passim latrocinia Gentis in Gentem; apparebit Regnorum præcipuorum ortus & incrementa per vim & latrocinia invaluisse. Ita ille. Sed

Et hæc sententia displicet non paucis. 1. Quia nixa falso principio, *Hobbesianismum* olente, quasi status naturalis sit *bellum omnium contra omnes*; & quasi Imperia, ac Regna non nisi *vi tyrannica* coaluerint. 2. Quia contraria rationi, dum institutum *Civitatis*, hoc est societatis, quæ teste Philosopho (a), *sola perfecta, & complementum totius sufficientiæ*, malitiæ humanæ, tanquam fonti primario tribuit, & veluti vinculum facit iniquitatis roborandæ; ac opportunum probos facilius lacessendi adminiculum, quæ vel in terminis malè tinniunt. 3. Quia fulta nimis dubio fundamento: nam uti habet *Thomasius* (b), admodùm est incertum, *an Innocentum fuerit prima civitas, an improborum*, & etsi S. Scriptura civitatem *Hennochiam* memoret *à Caino* erectam, non tamen memorat, fuisse *primam*, nec ullam aliam à probis erectam; non memorat ab improbis erectam, impellente potiùs metu suorum scelerum, quàm desiderio commodorum. Inde

Probabilius origo deri-

℞. IV. Vera origo Civitatis probabiliore calculo fluit à natura, non quidem *præcipiente*, sed per rationis lumen *inclinante* ad societatem, familià *perfectiorem*, & naturæ rationali *magis accommodam*, quia & conquirendis vitæ commodis, & amovendis incommodis *perfectè sufficientem*, adeóque *quò ad causam fundamentalem est juris naturalis impropriè talis, seu negativi.*

vatur fundamentaliter à iure naturæ concessivo,

Declaratur. Illud est juris naturæ negativi, seu *concessivi*, quod nec *determinatè* exigitur, nec etiam *positivè* repugnat amori, & sibi & alteri naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *simpliciter* necessario: tale quid est societas civilis: *Min.* quò ad 1. colligitur ex eo, quòd nulla sit efficax ratio, cur societas familiæ non sit *absolutè* sufficiens: nam, uti rectè arguit *Puffendorfius* (c): *jam anteà, quando adhuc in familias segreges dispersi agebant homines, satis consultum erat necessitatibus vitæ, inventà agricultura & pecuarià, vini culturà, vestiarià, aliisque artibus* (d). *Et sanè ponamus Patremfamilias, cui affatim agri, pecorisque, ac servorum, quid huic deesse possit ad tolerandam hancce vitam? Aut si quid desit, per commercia id supplere poterit: sicut multæ hodie Civitates dantur, quæ merces, necessitati, aut voluptati inservientes, ab exteris petunt, nec tamen ideò cum illis in unam civitatem coalescere necessum habent. Vice versa non pauci dantur Populi, per multa jam secula vitam civilem degentes, haud quidquam copiosiorem, quàm prisci quondam Patresfamilias victitabant.* Ita ille. Eadem *Min.* quò ad 2. liquit ex ℞. II. & ibidem allata triplici ratione, quæ saltem probat, societatem civilem, naturæ rationali esse *quàm maximè consentaneam.* Et in hoc sensu rectissimè dici potest, immò necessariò debet, quòd *Deus*, ùt *Author naturæ*, sit etiam *Author Civitatis*, utpote *antecedenter* ad eam, *per se loquendo*, *inclinans*, * & *consequenter* per pacta, *naturæ jure* stringentia, *immediatè* conservans, & probans.

Occasionaliter ab indigentia, metuque,

℞. V. Causa civitatis *impulsiva*, fuit partim *indigentia*, partim *metus malorum*, ab homine homini extra civitatem impendentium, ut sic haberetur *plenior vitæ sufficientia* ex auxiliis mutuis, *majorque securitas* ad mala, quæcunque tandem, seu interna, seu externa propulsanda. *Ratio* patet ex dictis.

℞. VI.

(a) 1. Polit. c. 2.
(b) In fundam. L. 3. c. 6. n. 3.
(c) De J. N. & G. L. 7. c. 1. §. 6.
(d) Genesis 13. 0. 24. 35.
* Nam si *metus improborum*, ùt nonnulli volunt, vel alius finis reprobus, *per accidens* inclinaret ad Civitatem formandam, utique Deus nullatenus *author* foret.

Efficienter à pacto libero, seu jure merè humano,

℟. VI. Causa *efficiens* proxima civitatis *est conventio tacita*, vel *expressa* eorum, qui animo pangendæ inter se societatis civilis in unum cœtum coëunt. *Ratio est*, quia, sine mutua singulorum cum singulis conventione, * nec obligati omnes, nec in corpus morale perfectè coadunati erunt, sed instar rudis *aggregati*, arenæ instar, diffluere poterunt. Necesse est autem, ut qui mutuis pactis coalescunt, diversæ sint conditionis, dicente Philosopho (a): *Non solùm ex multitudine hominum constat civitas, verùm etiam ex eorum multitudine, qui specie differant: non enim fit civitas ex similibus:* unde tres præcipuè hominum classes requiri solent, *quæstuosa*, quæ provideat de oportunis vitæ commodis; *militaris*, quæ seditiosos compescat, hostes repellat; *senatoria*, quæ rem communem gubernet.

Materialiter à Cœtu hominum constitutum formaliter ab imperio summo.

℟. VII. *Causa materialis* civitatis *proxima* est cœtus hominum, in unum corpus morale, ac politicum, mutuæ pactionis vinculo, consociatus. Porrò copiam hominum tantam requirit *Plato*, quanta *ad finem* seu *felicitatem* civitatis, tam in promovendis commodis, quàm in amovendis incommodis, necessaria est. *Remota* sunt familiæ, quæ in civitatis corpus coaluère. *Causa formalis* civitatis consistit in *summo Imperio*, hoc enim, authore *Seneca* (b), *vinculum est, per quod Respublica cohæret; est spiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt, nihil alioqui futura, nisi unus & præda, si mens illa Imperii subtrahatur.*

Ordo constituendæ Civitatis.

℟. VIII *Modum & ordinem*, quo nata est societas civilis, sic adumbrat orator *Romanus* (c): *Cùm hoc sit naturâ commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est; proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Inde autem est principium Urbis, & quasi seminarium Reipublicæ sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorúmque, qui, cùm una domo jam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt; sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui, quæ propagatio & soboles origo est Rerumpublicarum.*

Quæritur II. Quæ natura & finis societatis civilis? *Civitatis.*

℟. I. Civitas *in specie* rectè appellatur *societas plurium perfecta, consensu mutuo per summum imperium coadunata, in ordine ad beatitudinem civilem.* *Natura.*

Dicitur 1. Societas perfecta respectu familiæ, minùs perfectæ, atque sufficientis, etsi nec civitas notet perfectionem omnimodam, cùm & ipsa *ad plenam sufficientiam*, aliorum communitatum subsidiis, *per commercia* opus plerumque habeat.

Dicitur 2. Consensu mutuo, quo *propriè & proximè* coalescit societas civilis, sic ut *institutionis humanæ* non *naturalis*, meritò dici possit, ac debeat.

Dicitur 3. Per summum imperium coadunata, abstrahendo *à modo* exercendi imperii; unde si summo imperio exuatur, & in Provinciæ redigatur formam, desinit esse civitas, & accessio fit civitatis dominantis, uti habet *Grotius* (d).

Dicitur in ordine ad beatitudinem civilem, quæ finis est omnium Civitatum. Unde

Finis non sola felicitas externa,

℟. II. *Est erronea quorumdam thesis, qua asserunt beatitudinem civilem consistere in sola felicitate extrinseca hujus vitæ, absque necessario respectu ad intrinsecam, consistentem in virtute ac honestate morum, in ordine ad finem ultimum vitæ alterius consequendum.*

Ut volunt nonnulli,

Explicatur 1. Machiavellus scribere non erubuit (e), statum civilem, sine ulla virtute ac religione, salvum stare & conservari posse. *Puffendorfius* docuit, religionem, respectu statûs civilis, se habere *quasi impertinenter, ut adeò Principis nihil intersit, quid quisque civium credat, dummodo civili officio satisfaciat* (f). Sed

Sed principaliter interna.

Contra est. Felicitas *externa*, consistens in temporalium bonorum sufficientia, securitate, & tranquilitate vitæ, tantùm est finis Civitatis *inadæquatus materialis, & secundarius*: ergo finis adæquatus includit *formaliter* ac *principaliter* felicitatem quoque internam, sitam *in virtute*, vitæ honestate, justitiâ, Religioni, ac legibus, saltem naturalibus, conformi. A. P. Finis civitatis adæquatus non est *felicitas qualiscunque*, sed *humana*: ergo *primariò & formaliter* con-

* Exemplum præbuit *Otanes* in Monarchia *Persica*, post occisos Magos, novam formam induente, ubi *Otanes*, posquam consuluit *formam Republicæ popularem*, hæcque sententia fuisset rejecta, dixit: *Hac lege vobis jus meum imperii cedo, ut nulli vestrûm aut ipse ego aut ullus meorum subsit.* Addit *Herodotus*, cæteros ejus postulatis assensisse, & inde factum esse, ut sola hæc familia inter *Persas* in statu naturali viveret, nulli mortalium obnoxia.

(a) L. 2. Pol. c. 1.

(b) L. 1. de clementia c. 4.

(c) L. 1. de offic. c. 17.

(d) L. 1. c. 3. §. 7. n. 2.

(e) In præfat. suæ sphæræ Civitatis.

(f) In libello de habitu religionis *Christianæ* ad vitam civilem. §. 54. f. m. 269. & §. 50. f. 233.

consistit in honestate vitæ, justitiâ naturæ legibus conformi. A. Patet, siquidem sufficientia vitæ, in se spectata, est finis etiam communis brutis; est medium, ad felicitatem internam ordinatum, qua sine felicitas externa nequaquam est beatitudo vera, ac *solida*; neque diu absque intemperie, *saltem per se loquendo*, durare, multò minùs dici, neque conservari *stabiliter* potest. Inde Orator *Romanus* Civitatem beatam, non illam solummodò declaravit, quæ *opibus firma*, *copiis locuples*, *gratia ampla*, sed quæ simul *virtute honesta* sit (a). Inde etiam Angelicus ad vitam hominis beatam duo requirit: unum *principale*, quod est operatio secundùm virtutem, virtus enim est, qua bene vivitur: aliud *secundarium*, & quasi instrumentale, scilicet corporalium bonorum sufficientiam, *quorum usus est necessarius ad actum virtutis* &c. (b) Et alibi finem Reipublicæ *immediatum* assignat non *simpliciter vivere*, *sed vivere secundum virtutem*: non enim, inquit, homines congregantur *propter solum vivere*, secùs & animalia forent pars congregationis civilis: *sed ob bene vivere*, quod consequi non posset unusquisque singulariter vivens: *bona autem vita est secundùm virtutem*: *virtuosa igitur vita est congregationis humanæ finis.* Addit: *sed quia homo vivendo secundùm virtutem ad ulteriorem finem ordinatur* (etiam in consideratione statûs mere naturalis, uti initio declaravimus) *qui consistit in fruitione Divina* (qualicunque tandem statui conformi) *oportet eundem esse finem multitudinis humanæ, qui est hominis: non ergo ultimus finis multitudinis humanæ est vivere secundùm virtutem, sed per virtuosam vitam pervenire ad fruitionem Divinam.* Ita ille conformiter ad ea, quæ de beatitudine naturali initio disputavimus*.

Quam malè removet Puffendorfius.

Explicatur 2. Puffendorfius(c), ut fidem civitatis *in sola extrinseca felicitate* constituat, ita arguit: *Civitates institutæ non sunt propter religionem, neque religio propter civitatem, quia antecedenter exstitit, & independenter potest existere. Cùm neque opus sit ad religionem Civitate, nec Civitati religione Christiana, utriusque fine longe invicem discrepante* (d). Addit: hinc, cùm cuique cultus suus Deo *per se* sit approbandus, *nec absolutè* alteri curam animæ suæ valeat resignare, hic animæ salutem illi præstare haud potest, adeóque nullus *Christianus* quando coeunt in civitates, fidem suam in judicium summorum Imperantium aut Cleri resolverit, sed non nisi quatenus S. Scripturæ ex amussi congruerit (e). Inde *protestanticè* tandem concludit: ergo Religio non *statum*, sed *merum Collegium* formare potest, cujus membra non *humano imperio*, sed *unitate fidei*, tanquam vinculo, connectuntur; nec enim conjunctio cum pluribus *per se*, ad rationem salutis quid facit, sed hæc illi perinde est, multi an pauci fideles, ingentes, an mediocres cœtus iidem constituant. Ita ille Sed

Contra est. 1. Quòd Religio, saltem naturalis, ùt est fundamentum honestatis publicæ, ac justitiæ, sit finis *inadæquatus*, & necessarius civitatis, patet ex eo, quòd Religio sit *constitutivum formale* felicitatis internæ, utpote sine qua rueret omnis legum vis, ipsomet *Puffendorfio* id fatente (f). Nam ait: *cùm pietas erga Deum fundamentum sit probitatis morum, & virtutis erga homines, quam in civitate florere summorum Imperantium quàm maximè interest, atque hoc vinculo Imperantes inter & cives maxima firmitas è religione proveniat, quia Deus est Fidius, id est, cui fidem & pacta inter homines servari curæ sit. Sic igitur non solùm officium summorum Imperantium est, ut religio naturalis à civibus probè colatur, sed & iidem pœnis sancire possunt, nequis committat actus externos, quibus illa in universum, aut præcipua ejus capita subvertatur* &c.

Contrà est 2. Etsi religio in se, *quò ad professionem & exercitium*, non exigat statum, seu societatem hominum, potestate propria instructam; *ut tamen extensa in ejusmodi multitudinem*, exigit necessariò potestatem superiorem, *in ordine ad ejus directionem, & in unitate conservationem.* Et licèt religio non sit propter civitatem, est tamen civitas propter beatitudinem *non qualemcunque*, sed *humanam*, hoc est, *primariò* propter *internam*, tanquam *constitutivum formale*, cujus fundamentum est religio saltem naturalis; immò sine qua *externa* felicitas haberi nequit. Unde, *supposità*

socie-

(a) L. 7. ad Attic. epist. 11. aliàs 252.
(b) L. 3 de regimine Principum c. 15 f. m 85.
* *Liebenthalius* in Coll Polit. Exercit. 1. L. 1. f. m. 53. *inter erroneas opiniones, & veritati quàm maximè adversantes ponit etiam hanc: quòd homines primùm convenerint, ut alter alterum de religione doceret: in qua opinione Jesuitas esse dicit*: Sed quàm ista dicat inaniter, patet ex modò dictis.
(c) L. suprà cit.
(d) L. c. §. 5. f. 10. §. 54. f. 263. & 264. §. 40. f. 198.
(e) L. c. §. 54. f. 263. 264.
(f) L. c. §. 7. f. m. 28.

societate civili, sicutì honestas & justitia publica, ita & religio, ejúsque directio à superiore habili est juris naturalis Divini, utpote ad conservationem religionis, & finem civitatis, *simpliciter necessaria.* Ex his ruunt protestantica *Puffendorfii* & aliorum axiomata, *queis Christianam religionem* cum naturali non rectè discernunt, sed sæpe sæpius confundunt, utì illicò declarabimus; queìs dicunt, cuivis cultum suum Deo approbandum, nec alteri, *quò ad directionem*, curam animæ resignandam; nec fidem in judicium Superioris legitimi resolvendam; queis scribunt religionem formare non posse *statum*, sed *merum Collegium*, quæ omnia olent *protestantissimum*, corrupti juris naturæ ruderibus malè superinstructum.

Etiam spectata civitate Christiana.

Contrà est 3. Religionem *Christianam in specie*, quod spectat, *supposita ex jure Divino ejus revelatione populo Christiano facta; supposita ex jure humano coitione in civitatem*, sicuti honestas morum *Christiana*, est finis beatitudinis *primarius*, & *inadæquatus*, ita & religio *Christiana*, tanquam fundamentum, ejúsque directio à superiore habili est juris naturalis Divini, quia ad beatitudinem intentam *simpliciter necessaria.* Nam sicut *cujusvis Reipublicæ*, spectato præcisè statu naturali, finis adæquatus non est *felicitas qualiscunque*, sita in *Epicurea* quadam quiete, ac bonorum affluentia, sed est *felicitas humana*, sita in sufficientia, ac honestate vitæ, naturæ legibus conformi, qua non modò *quietè*, sed *& probè* cum virtute, saltem naturali, & honestate morali publica vivamus: ita finis adæquatus *Reipublicæ Christianæ* non est felicitas merè naturalis, sed *Christiana*, sita in sufficientia & honestate vitæ Divinis legibus conformi, sic ut non modò *tranquillè*, & etiam *probè* juxta juris naturalis dictamina, sed insuper *Christianè* juxta leges fidei nostræ vivamus, quæ non tantùm ad felicitatem quamdam naturalem, sed, *fide supposita*, etiam ad supernaturalem nos dirigant. Inde Apostolus, jubens (a): *obsecrationes fieri pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate*: addita ratione, *hoc enim bonum est, ut acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Subscribit *Vida* (b): *Causam*, inquit, *civitatis constituendæ fuisse hominibus, ut bene, beatéque, id est, honestè & cum virtute viverent, nemo, qui certis utitur sensibus, ibit inficias. Id omnes planè cordati Philosophi fatentur. Ex cordatis* igitur non erit *Puffendorfius* cum appendice suorum, *qui ex jure naturali* etiam pro *Christianæ* civitatis fine *meram libertatem autonomicam, mera format collegia, fidem in judicium Cleri non resignabilem, nisi quatenus S. Scripturæ ex ... usu congruit; qui religionem civitati accidentalem, immò quodlibeticam*, si modò non turbet quietem publicam, *errore protestantico* statuit, quos aphorismos pseudo-politicos *Titulo* III. & in *Collegiis* historicis (c) fusiùs jam oppugnavimus.

Exemplis factum, non legitimum ordinem probantibus.

Contrà est 4. Quòd si quis diceret, non esse satìs credibile, in formatione civitatis à multitudine coëunte religionem intendi *partialiter*, ne dicam *principaliter*; multas civitates & Respublicas, optimè constitutas in ordine ad suum finem, seu felicitatem, nulla nisi *accidentali curâ* religionis, etiam naturalis, præcipuè *Christianæ*.

℞. Hæc vel *esse falsa*, siquidem sermo sit de civitate *optimè constituta*, cùm neglecta religione, saltem naturali, diu constare nequeat beatitudo civilis, etiam *externa*; vel *esse impertinentia*, cùm sint effectus *per accidens*. Non enim *finis* civitatis, ejúsque *constitutio recta*, desumi debet ab eo, quod *fit*, vel *factum* est; sed quod, *ex ratione*, fieri oporteret.

Civitatis proprietates.

Quæritur III. Quæ proprietates, quis modus constituendæ, & ratio dissolvendæ civitatis?

℞. I. *Proprietates* eruuntur ex dictis. *Nam* 1. Sit societas *perfecta*, hoc est, si minùs *omnimodè*, saltem *absolutè* sibi sufficiens ad beatè vivendum. 2. Sit societas *plurium*, tot nempe, quot requiruntur ad finem *sufficientiæ*, & *securitatis perfectæ*. * 3. *Sit potestatis summæ*, adeóque ab omni imperio externo liberæ. 4. *Sit inæqualis*, hoc est, *ex inæqualibus*, saltem spectata *formaliter* **, eò quòd fundetur *in imperio*, petátque debitam Imperantium & parentium subordinationem. 5. *Sit stabilis* per membra

sibi

(a) 1. Tim. 2. 2.

(b) L. 2. de Reipubl. dignit.

(c) P. VI. Q. 1. §. 4. f. 12. & seqq. P. VII. Q. 2. propos. 3. f. 163. & seqq.

* Inde otiosam quæstionem dicit *Heineccius*, *quot personæ constituant Civitatem, seu Rempublicam?*

** Nam *materialiter* considerata, *ad societates æquales* referenda est, cùm inter eos, qui mutuæ pactionis vinculo in unum cœtum coëunt, nullus alteri subjectus, sed singuli inter se *æquales* sint.

sibi invicem succedentia, sic ut idem populus semper manere videatur, etsi cives singuli extinguantur. 6. *Sit personamoralis*, à singulis diversa: unde jura habet, quæ ad singulos non spectant; & vicissim singuli jura & bona propria habent, quæ ad civitatem, *quà talem*, non pertinent. Unde *Thomasius*, civitatem pleniùs describens, ait, *esse personam moralem compositam, cujus voluntas ex plurium pacto unita, pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus ac facultatibus ad pacem & securitatem communem uti possit* (a).

Modus

℞. II. *Modus*, quo coalescit Civitas, habetur à pacto vel *expresso*, vel etiam *tacito*: non enim, *Grotio* authore, patitur humanæ societatis conditio, ut actibus animi sufficienter manifestatis, nulla sit efficacia v. g. si familiæ segreges contra latrocinantes, *ipso facto*, sese consociarent. * Pactum autem est *duplex*: unum *de consociatione*, alterum *de debita subordinatione*, per certam regiminis formam: ** ad prius requiritur consensus singulorum; ad posterius sufficit consensus majoris partis, modò absque conditione societati se singuli mancipârunt. Non enim abs re omninò *Kemmerichius*, siquidem *de modo accidentali* intelligatur, dum ait(b): modus coalescendi fortè *tumultuarius* potiùs, & *quasi fortuitus*, partim *violentus*, partim *voluntarius*, concipiendus est. Quin & casus diversi probè discernendi, & etiam Imperans sibi subditos facit, atque sic *unum* tantùm *pactum* & quidem *posterius*, vel etiam multitudo quædam Imperantem quærit, & sic *duplex* istud *pactum* locum habere potest. Pacto isti posteriori adjici solent leges, quibus in genere ad salutem Populi promovendam, vel ad specialem administrandi imperii formam ac modum adstringitur Imperans, quæ adeò *fundamentales* appellari solent, quòd universa Civitatis structura iis, *tanquam fundamentis*, nitatur. Ita ille

℞. III. *Dissolutio Civitatis* habetur 1. *Ratione materiæ*, si membra omnia intereant, vel consociatio penitùs dissolvatur. 2. *Ratione formæ*, si jure summo exuatur Civitas, vel perfecta communitas inter membra tollatur, jugúmque alterius subeat. Cæterùm manente imperio & consociatione non dissolvitur Civitas *migratione* in alium locum, multò minùs destructis muris aut mutatâ regiminis formâ, uti passim exempla, in historiis obvia demonstrant. ***

Dissolutio.

§. II.

De varietate, ac multiplicitate Civitatis.

§. 2. De divisione civitatis.

Quæritur IV. Quæ Civitatis divisio?

℞. I. Celebrior est in civitates *regulares* & *irregulares*. Regulares sunt, *quæ regularem naturam, ex primæva institutione acquisitam, retinent salvam ac integram. Irregulares, quæ regularem indolem, ex primæva institutione sibi inditam, salvam & integram non habent.* Ad *regulares* spectant, in quibus forma regiminis *Monarchica, Aristocratica*, vel *Democratica*, teste *Tacito* (c): *cunctas Nationes & Urbes Populus, aut Primores, aut singuli regunt.* Nos ad regulares reducimus *statum civitatis mixtum*, quia simplici meliorem, magisque regularem, uti videbimus. **** Ad *irregulares* pertinent civitates *heriles, patrimoniales, informes, systemata civitatum* &c. Neque quis opponat huic divisioni, quòd *voluntas populi* in formanda civitate, seu Republica, *regulam faciat*, adeóque omnem civitatem, atque Rempublicam *regularem* esse. Nam

℞. Cum *Thomasio*, hanc divisionem non ex *Politicorum cerebro*, sed *ex ipsa rei natura* ortam esse, quia in civitate irregulari unio voluntatum, tam in Imperantibus, quàm parentibus (quæ anima est civitatis seu Reipublicæ) ita concipi nequaquam potest.

℞. II.

(a) Jurisp. Div. L. 3. c. 6. n. 63.

* Unde *Kemmerichius* supponendum dicit aliquam *consociationem* plurium æqualium, vel *ex mutua cohabitatione, vel latrocinii exercendi, vel mutuæ defensionis causâ* enatam.

** Quam Per *decretum*, communi consensu stabilitum, pacto posteriori de subordinatione præsupponit *Puffendorfius* & *Thomasius*.

(b) In elemen. J. N. & G. L. 2. c. 6. n. 23.

*** Posse *Civitatem*, *vel Rempublicam* consistere sine territorio, urbibus, muris, & tectis, *Heineccius* desumit ex *Israelitarum* Republica per 40. annos in deserto. Sed sic quivis exercitus Respublica foret, qualem de populo, sedem quærente, *saltem in fieri* quis admittere posset. *Sine familiis* constare posse Rempublicam idem probat cum *Puffendorfio* & *Thomasio* ex Monarchia Pontificia; sed hæc admodùm impropriè huc trahuntur, cùm Hierarchia Ecclesiastica, uti fine, ita & specie, quia merè spirituali, differat.

(c) L. 4. annal. 331.

**** Ex mente Polybii. Hist. 1. c. 1. *Manifestum est, eam Rempublicam censeri debere optimam, quæ ex omnibus istis, quas diximus, formis sit composita.* Item *Dionys. Halicarnass.* Ant. L. 2. *Hanc ego concinnam Reipublicæ formam cæteris omnibus præfero, ut paci æquè ac bello idoneam.* Similia *Zeno* apud *Laertium*, *Cicero*, *Tacitus* & alii.

Regularium species. ℞. II. *Monarchia in specie* est, cùm omne jus in subditos unus Princeps habet, solúsque Rempublicam ad communem utilitatem administrat. 2. *Aristocratia*, quando aliquot Optimates, hoc est, optimi & selecti viri, duo aut tres, aut paulò plures regunt. 3. *Democratia* est, ubi Populus in commune consulit, nullúmque supra se Principem agnoscit: aut ad certum sibi tempus Superiorem legit, prout olim fiebat sub consulibus apud *Romanos*; nunc apud *Helvetios* atque *Hollandos*. Finis & scopus hujus Reipublicæ est *libertas civium & æqualitas*. 4. *Status mixtus*, cùm Princeps, Senatus, & reliqui cives aliquid ad gubernationem Reipublicæ conferunt: & quidem, si Princeps cum Senatu, & selectis Nobilibus, consultat, Respublica mixta est ex *Monarchia* & *Aristocratia*, qualis est *Polonorum*, ubi Rex arbitrio proprio, nec bellum indicere, nec nova cum exteris fœdera sancire, nec tributa civibus potest imponere. Unde, sub tempus coronationis, sacramento se obstringit, nunquam se commissurum, ut, non communicato cum Senatoribus consilio, ulla de re momenti gravioris quidquam statuat. Modernum item *Romano-Germanicum*, Imperium ex *Monarchia, Aristocratia*, & non nihil ex *Democratia* participat: nam cum Imperatore, ac Electoribus de communi Patriæ bono consultantibus, civitates quoque liberæ suam in comitiis vocem habent. Sed de imperii forma alibi (a) fusiùs jam disceptatum. 5. Notanda harum formarum symbola. *Monarchia* comparari solet à Politicis corpori humano, in quo caput Principem; oculi Consiliarios & Senatum; pectus equestrem Ordinem; manus Milites; pedes plebeium Statum repræsentant cum dicto: *in omnibus unus. Aristocratiæ* Symbolum referunt columnæ marmoreæ, Palatium quoddam sustentantes, cum inscriptione: *sustinent, & ornant. Democratia* formicarum examini confertur cum lemmate: *In commune par omnibus ardor. Mixtæ* Reipublicæ symbolum est navis, quam gubernator, ad clavum residens, dirigit; reliqui nautæ remis, contis, velisque propellunt. Epigraphe: *fausti sub Directore labores*.

Ubi & irregularium ratione finis. ℞. III. Inter civitates *irregulares* aliæ declinant à fine, qui est utilitas publica, uti *civitates heriles*, in quibus Imperans pro fine *primario*, *& per se* intendit commodum proprium; Populi verò *per accidens*, absque injuria, quia eo non invito. Hæc potestas *planè absoluta* cum exercitio Imperii *veluti in servos* dici etiam solet *dominatus despoticus*. Hujus generis esse plerasque civitates *Asiæ*, & *Africæ* perhibet *Hertius*. Ratione *finis* declinant quoque *civitates patrimoniales*, de quibus libera est dispositio Imperantium, cùm *ex prima origine* civitates non ad arbitrium Imperantium, sed jure quasi fidei commissario ad eos devenerint, imperio ea lege delato, ut post mortem ad eos, unde profectum erat, revertatur. A fine deviant civitates, quæ pro scopo *non pacem, & publicam tranquillitatem*, sed dominationem, per bella continuò extendendam sibi proponunt: item quæ pro fine sibi præfigunt felicitatem merè externam, in bonis, opibus, abundantia, luxum, voluptates, &c. Rectè *Salustius* (b): *ubi divitiarum cupido invasit, neque disciplinæ, neque bonæ artes satis pollent; omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia*. Verbo: *à recto fine* deviat omnis civitas, quæ *finem primarium* sibi alium figit, quam *virtutem, honestatem*, ac *justitiam*. Inde *Polybius* (c): *Ille Reipublicæ status optabilis & firmus est, in quo & privatim sanctè innoxieque vivitur, & publicè justitia & clementia vigent*. In eundem sensum *Plato & Seneca* (d): *ei, qui Rempublicam rectè, laudabiliterque instituit gerere, virtus cum civibus communicanda est: & ubi non est pudor, nec cura juris, pietas, fides, instabile Regnum est*.

Ex defectu formæ. 2. Irregulares *ex defectu formæ* sunt, si Monarchia degeneret *in Tyrannidem*, qua imperium, protrito civium bono publico, *geritur ad libidinem unius*; *vel in administrationem* unius, alteriúsve Ministri, quales olim in Regno *Franciæ Majores Domûs* dixère. Si Aristocratia induat *oligarchiam*, qua pauci ex Optimatibus, ad suam potiùs utilitatem, quàm publicam salutem intenti, dominantur in cives, uti olim *Roma* vidit in Triumviratu. Denique si Democratia in *ochlocratiam* devolvatur, qua pars populi Imperium ad suam libidinem, non ad salutem publicam tractat, quam faciem induxère *Romani* quondam Dictatores; vel si in *anarchiam* perfidus delabatur, qua omnia miscet vulgi licen-

(a) In Coll. Hist. P. IV.
(b) Orat. 2. ad Cæsarem.
(c) L. 6.
(d) *Alcib.* [*Thyeste* act. 2. v. 40.

licentia, contemptu Regum & Magistratûs eversione.

Systematis. 3. Irregulares *ex defectu nexûs* sunt civitates *systematicæ*, quando nempe plures civitates coalescunt *in unum corpus morale*, ut singulæ summum Imperium quidem retineant, communi tamen consilio, belli, pacisque negotia tractando, unius civitatis nomen præseferant, quale systema probat *Belgium*, & *Helvetia fœderata*, & sic de aliis (a).

Status civitatis mixtus non videtur esse chymericus.

Quæritur V. *An dari possit status civitatis mixtus?*

℞. I. *Status civitatis mixtus, seu ex duplici, seu ex triplici forma temperatus, non est chimericus, ut vult Bodinus contra communiorem Politicorum.*

Patet: Nam sic sentit Politicorum ferè communis, nec ullus à *Bodino* hircocervus hac in mixtura ostendi potest: ergo. A. quò ad primum probatur ex *Aristotele*, Principe Politicorum (b), *Cicerone* (c), *Isocrate* (d), *Polybio* (e), *Platone* (f) & aliis antiquis. Ex *Contzemo* nostro (g), *Kirchnero* (h), *Othone Oringensi* (i), *Vitriario* (k), *Cocceio* (l), *Grotio*, *Arnisæo*, *Lampadio*, *Conringio*, *Boeclero*, *Schroedero*, *Knipsio*, *Cellario*, *Titio*, quos citat *Pfeffingerus* (m), aliisque obviis. Quò ad secundum membrum patebit ex dicendis.

℞. II. *Momenta, in contrarium afferri solita, non evincunt chimæram in statu mixto.* Nam

Opponit Bodinus. 1. Potestas Monarchica, seu jura Majestatis separari non possunt, & diversa diversis attribui, sed stant in indivisibili: ergo dari nequit status mixtus. A. P. Majestas Monarchica est *summa in omnibus potestas*, nec patitur aliam secum potestatem: ergo stat in indivisibili.

℞. N. A. Ad P. D. A. Majestas Monarchica, *perfectissimè* talis, est summa in omnibus, nec patitur aliam secum. C. A. Majestas Monarchica, *temperatè* sumpta, non patitur aliam. *Subd.* Quò ad eadem jura. C. A. Quò ad jura diversa. N. A & C. Etsi Majestas *perfectissima*, complectens jura omnia, simul sumpta, quà talis, sit indivisibilis, nec pluribus communicabilis, non tamen sequitur, quòd jura sejungi nequeant, & pluribus ita tribui, ut in singulis sit pars Majestatis, in corpore tota Majestas.

Opponit 2. Summa Maiestas mixta hoc ipso non est summa: ergo nulla.

℞. D. A. Non est summa *strictissimè* in uno Tr. A. In corpore universo. N. A. & C.

Opponit 3. Si summa est in corpore, tunc hoc ipso non est ampliùs Monarchica, sed Aristocratica, vel Democratica: ergo.

℞. D. A. Si est summa in corpore, seu penes plures, vel omnes, modô purè Aristocratico, vel Democratico, tunc est Aristocratica, vel Democratica C. A. Si alio modo mixto, nec purè Monarchico, nec purè Aristocratico summa est in corpore. N. A. & C. Distinctio infrà explicatiùs declarabitur.

Opponit 4. Est patens chimæra, potestatem summam esse *penes unum & plures*: ergo &c. ℞. N. Suppositum, quòd in statu mixto, debeat esse penes unum.

Opponit 5. Majestas Monarchica est incommunicabilis. 2. Nec illi quidquam magis contrarium quàm dividi: ergo nulla solutio.

℞. D. A. Majestas *perfectissimè* Monarchica est incommunicabilis. Tr. Majestas temperata. *Subd.* Est incommunicabilis quò ad formam quà talem Tr. Est incommunicabilis, hoc est, non potest temperari. N. A. & C. Ad. 2. D. A. Nihil illi magis contrarium quàm dividi, si prædicatum hoc copuletur potestati Monarchicæ, *in rigore* & *absolute* tali Tr. Secùs, N. A. & C.

Opponit 6. Potestas Monarchica absolutè summa, & tempetatè summa;

(a) Hæc pluribus Claris. *Stapfius* & P. *Schmier* l. cit.
(b) *Arist.* 4. Polit. c. 9.
(c) In 3. de LL. fragm. de Rebuspubl.
(d) In *Areopago*.
(e) *Polybius* L. 6.
(f) In 3. & 6. de LL. item 8. de Republ. ubi non tantùm ait dari Rempublicam mixtam sed 8. de LL. stabilissimam esse contendit.
(g) L. 1. Polit. c. 14. §. 3. ubi ait, tres illas Reipublicæ species ita ferè hoc tempore temperatas esse ut nusquam vel Monarchia pura, vel Aristocratia, vel Politia reperiatur.
(h) Disput. de Republ. 3. corollario ultimo propugnat, nullam unquam puram status formam extitisse, vel hodiedum ostendi posse.
(i) In Dissert. Juris Polit. c. 7. fol. m. 131. ubi Imperium *Romano-Germanicum Monarchicum* asstruit sed *aristocraticè temperatum*.
(k) L. 1. Tit. 7. n. 6 fol. m. 52.
(l) c. 7.
(m) In Notis ad *Vitriar.* Tom. 1. fol. m. 867.

ma; *summa penes unum* & *plures*, est chimærica, & abusus vocabulorum: ergo &c.

℞. N. A. Si ritè intelligatur, prout à communiori Authorum intelligitur. Item: in quæstione nominis standum est authoritate plurium: atqui plures vocant ejusmodi statum, ubi divisa hoc modo sunt Majestatis jura, mixtum, seu Monarchicum, Aristocraticè temperatum.

Opponit 7. Repugnat Majestati Monarchiæ dependere ab aliis: hoc fieret: ergo &c.

℞. D. Maj. Repugnat, si Majestas in solidum sit penes unum. Tr. Si sit penes plures, nec in solidum N. Maj.

Opponit 8. In Monarchia, *Aristocraticè mixta* omnes sunt Rege inferiores: ergo est verè Monarchica.

℞. D. A. Sunt Rege inferiores quò ad jura, quæ competunt soli. C. A. Quò ad jura, quæ etiam competunt aliis. N. A. & C. Sic in statu mixto jura Principis *contrahuntur*; in Aristocratico *detrahuntur*.

Opponit 9. Si datur status mixtus, tunc potest dari V. G. *Populo* jus ærarii publici, vitæ, necis, Magistratuum creandorum &c. *Senatui* jus belli, pacis, vectigalium. &c. *Regi* jus exigendi homagii, obedientiæ à singulis &c. hæc manifestè invicem repugnant: ergo &c.

℞. N. Maj. vel D. Tunc possunt jura dividi modo quocunque. N. M. Modo debito, & possibili Tr. *Bodinus* singulis partibus talia jura tribuit, quæ secum trahunt universam Majestatem, adeóque sunt incompossibilia.

Opponit 10. Regem facit non nisi summa & absoluta potestas: siquidem authore *Salustio*, *impunè quidvis facere, est Regem esse.*

℞. D. A. Regem Majestatis indefinitæ & quidvis facere impunè. C. A. Regem potestatis, suo modo definitæ. N. A & C.

Opponit 11. Reipublicæ forma est fons, ex quo operationes circa eandem administrandam profluunt: ergo administratio nequit discrepare à forma. ℞. Tr. A. quia hoc axioma in naturalibus locum habet, non in moralibus, queîs actionum suarum libera competit gubernatio. D. C. ergo administratio facta, nomine proprio, nequit discrepare à forma C. C. Facta nomine alieno. N. C. Diversæ Regnorum formæ resultant *ex subjecto, cui potestas summa inhæret*, prout illa est, vel in persona *physicè*, vel *moraliter una*, quibus autem executoribûs utatur hæc potestas summa, nil interest.

Opponit 12. Duo contraria non possunt simul subsistere: talia sunt Monarchia & Aristocratia: ergo nequeunt simul subsistere.

℞. D. M. Duo contraria in summo nequeunt simul subsistere C. Si utrobique aliquid remittatur. N. Maj. Min. & C.

Ex quibus tamen non sequitur nullam dari Monarchiam puram.

Opponit ultimò Kirchnerus. Nullus datur vel datus est unquam status *pure Monarchicus*: ergo. Quæstio hæc est de subjecto non supponente. A. P. Neque summus Pontifex, neque ullus alius Monarcha sic unquam rexit Rempublicam, ut non audiret, exquisierit, vel etiam obligatus suo modo fuerit audiendi Primorum consilia: ergo &c. A. *partes 1.* Nam sic legimus nostra ætate (a), quòd conventio cum Aula *Sardiniæ*, facta à Pontifice *Benedicto* XIII. Cardinalium Collegium ita offenderit, ut Eminentissimus *Pamphilius* dicere Pontifici ausus sit, nullum Pontificum, ab ævo S. *Petri*, neglexisse in rebus magni momenti, Sacri Collegii consilia exquirere & adhibere. Sic legimus quosdam Pontifices, non sine appositis conditionibus elevatos ad Apostolicum Solium. Neque *Galliæ*, *Hispaniæ*, & *Angliæ* Reges sine consensu Statuum, bellum indicere, tributa, & vectigalia posse exigere, testes sunt plures Authores citati ab *Othone Ornigensi* (b). Immò nec veteres Imperatores, etsi summam habuerint potestatem (c), sine senatûs consensu, & consilio, ea, quæ ponderis alicujus videbantur, expediebant (d).

Cùm aliud sit status, aliud ratio gubernandi.

℞. N. A. Ad P. D. C. Ergo *ratio gubernandi* est plerumque *Aristocratica*. C. C. Ergo status est Aristocraticus, vel mixtus N. C. Aliud *est status*, aliud *ratio gubernandi*. Ille definitur *ex jure*, *non ex modo gubernandi*: aliàs Dominus, ser-

(a) La clef du Cabinet de *Luxembourg*.

(b) Disput publ. de Majest. A. 1616. volum. 4. Disp. *Basil.* n. 27. Reges *Galliæ*, *Bodinus* L. 6. de Republ. 6. & 1. de Rep. c. 5. *Hottomannus* in *franco Gallia*. c. 7. 12. 25. *Scotiæ Buchanan.* in Dial. de jure Regni apud *Scot.* Item L. 5. Rerum *Scot.* in vita *Joan Ballioli* & L. 9. *Angliæ*. *Bodinus* L. c. *Polyd.* *Virgil.* L. 11. Hist. *Angl.* *Poloniæ*, *Bodin.* L. c. *Hungariæ Bonfin.* Rerum *Hungar.* L. 9. Decad. 4. *Daniæ Lauterbach.* 1. de Rep. c. 15. *Sueciæ Arnisæus* in Tract. de auth. Princ. c. 1. Has & alias citationes vide apud eundem Dissert. Jurid. Polit. c. 7. f m. 138.

(c) L. 1. de Constit. Princ.

(d) L. Humanum c. de LL.

servum filiali amore complectens, non affectione tantùm, sed & jure fieret Pater, quod nemo facilè dixerit. Sic si Monarcha sæpius utatur consilio Primorum, imperandi modus est Aristocraticus, non Imperium: contrà si Ordines non tam consulendi, quàm prohibendi pollent facultate, & Princeps *ex pacto ultroneo*, teneatur sequi illorum dissensum, Imperium est mixtum, seu Monarchicum, Aristocraticè temperatum.

Nulla forma ex omni parte perfecta.

Quæritur VI. *Quænam ex regularibus optima civitatis forma?*

℟. I. Quemadmodùm nullum est aurum quod non habeat suam scoriam; nulla vestis adeò pretiosa, quæ non patiatur suam tineam; ita nullam invenies Rempublicam, ex parte omni beatam. Sapientum proinde monitum est, non mutandas Respublicas; præcludendas novitatibus vias, nisi aliud evidens necessitas exigat, aut publica utilitas suadeat. Optima Respublica, juxta Philosophum, *ubi boni Magistratus & boni cives, ac probi Viri*. Nihilominùs pressiùs ad quæsitum est respondendum. Unde

Cæteris præstat Monarchia. Patet omnium Politicorum consensu.

℟. II. *Inter prædictas Rerumpublicarum species simplices excellit simplex Monarchica.* Ut enim in homine cor unum, in familia unus Dominus, in Universo unus Deus; ita unum Imperium unius animo regitur optimè. *Prob. 1.* Sapientum judicio & orbis consensu. * *Justinus* (a) *Principio rerum, Gentiumque Imperium penes Reges fuit.* Idem Divina comprobavit authoritas: *Deus enim ex uno fecit omne genus hominum* (b): cujus rei rationem reddens S. Chrysostomus (c), ait, ut esset inter homines non Democratia, sed Regnum. Certè *Christus*, institutione Divinâ, Ecclesiæ regimen Monarchicum voluit, uti declarat C. *Bellarminus*. (d).

Utilitate multiplici

Prob. 2. Utilitate. Nam si nulla Respublica sine civium concordia stetit, nulla sine discordia perit, sub uno Principe facilè servatur unitas, concordia, & consensus animorum. Rectè *Tacitus* (e): *discordantis Patriæ non aliud esse remedium, quàm si ab uno regeretur.* Et alibi (f) testatur: *Pacis interfuisse, ut deponeretur potestas in unum.* Huc accedit *Justitia*, quæ potissimùm sub uno floret Principe: nam vel solus Princeps jus dicit, vel per alios: si per se, non facilè à recto deflectet; si, per delegatos Judices, causas & lites dirimit, citiùs eos metu pœnæ inferendæ ab injuriis compescet.

Aliæ proprietates optimo Regimini convenientes sunt etiam hæ: 1. Est *Ordo*. Nam eò melior est gubernatio, quò magis est ordinata: atqui magis est ordinata *Monarchia*, quàm *Aristocratia* vel *Democratia*: ergo. *Prob. Min.* Omnis ordo in eo consistit, ut alii præsint, alii subjiciantur: non enim inter pares, sed inter inferiores & superiores Ordo dignoscitur: atqui in sola *Monarchia* omnes omninò ordinem aliquem habent, cùm omnes excepto uno, qui omnibus præest, subjiciantur. Nec enim inter optimates, nec inter cives, utpote ejusdem conditionis homines, Ordo tam facilè, haberi potest: adeóque *Monarchia* cæteris est præferenda.

2. Proprietas est *consecutio finis intenti*: Nec enim negari potest, meliorem multitudinis regendæ formam illam esse, quæ commodiùs æquè, ac faciliùs propositum sibi finem consequitur, finem autem gubernationis civium inter se conjunctionem esse & pacem, omnium sensu comprobatur. Jam sic: Conjunctio in eo potissimùm sita esse videtur, ut idem sentiant, idem velint, idem sequantur omnes: atqui multò certiùs id, atque faciliùs obtinetur, si uni parendum, quàm si multis: ergo &c.

3. Proprietas est *robur*, ac *potentia Reipublicæ*. Illa enim gubernatio omnium judicio cæteris antecellit, quæ fortiorem Rempublicam facit: Hoc facit *Monarchia*: ergo *Monarchia* cæteris antecellit. *Prob. Min.* Illa gubernatio facit potentiorem Rempublicam, in qua est major virium conjunctio: atqui *in Monarchia est* major conjunctio, quia non à multis, sed ab uno omnes dependent: ergo Monarchia fortiorem Rempublicam facit, & per consequens optima gubernatio est.

4. Proprietas est *stabilitas*, ac *diuturnitas*. Nam illa gubernatio est cæteris melior, quæ cæteris est stabilior, ac diuturnior: atqui *Monarchia* est stabilior ac diuturnior: ergo &c. *Min. P.* Illud regimen stabilius est, quod difficilius dividi potest: Regnum enim in

* Scriptores allegatos vide in Coll. Hist. P. III. Q. 1. f. 413. in notis.
(a) L. 1.
(b) Act. 17.
(c) Hom. 34. in epist. 1. ad Cor. c. 13.
(d) L. 1. de Rom. Pont. c. 2. & 3. ex quo hæc pauca desumpta sunt.
(e) L. 1. Annal.
(f) Idem L. 1. Historiarum.

in se divisum desolabitur, ut *Christus Matth.* 12. testatur. Atqui regimen *Monarchicum* hoc ipso, quòd ab uno omnes dependeant, difficilius dividi potest: ergo *Monarchia* difficiliùs scindi, & dividi potest quàm regimen, à multitudine in unum conspirante dependens. Min. ex Historia demonstratur. Sic *Monarchia Assyriorum* à *Nino* ad *Sardanapalum*, sine interruptione, duravit annis circiter mille supra trecentos, & quidem semper filio demortui Regis in Regno succedente, si verum est, quod scribit *Vellejus Paterculus* (a). *Scytharum* Regnum omnium vetustissimum, nec ab ullo externo hoste destrui potuit, nec per se ullo unquam tempore dissolutum est *teste Justino* (b); atque ideò aliquot annorum millibus illud stetisse necessum est. Quæ autem Respublica ætatem tulit? Certè Respublica *Romanorum* potentissima, vix annos *quadringentos* & amplius potuit, immò neque his annis, quibus floruit in Imperio *Romana* Respublica, eodem modo regebatur. At eadem sub Monarchis in *Oriente* a *Julio* usque ad *Constantinum* ultimum sine interruptione duravit annis circiter 1495. *In Occidente* autem ab eodem *Julio* usque *ad Augustulum* supra quingentos, & à *Carolo M.* ad usque Imperatorem Augustissimum *Carolum* VI. ultra nongentos annos floruit, tot *Augustis*, quot Imperatoribus nobilitata.

5. Denique Proprietas est *facilitas gubernationis*: sed facilius est, ut ab uno rectè regatur civitas, quàm à multis. *Prob. Min.* Faciliùs est, unum hominem bonum reperire, quàm multos. Dein Magistratus annui nec bene cognitum plerumque habent statum Reipublicæ, nec ejusdem bona, utpote non sua, tanta sedulitate curant, quantâ Monarchæ administrant. Sic enim naturâ plerisque comparatum est, ut onera tam facilè in alios trajiciamus, quàm difficulter, ni innata propria tuendi sollicitudo nos cogat, ipsimet subeamus.

Ab incommodis aliarum specierum.

Prob. 3. Ab Incommodis aliarum formarum. Nam *Aristocratiæ* opponitur 1. Quòd difficilis & rara optimorum plurium electio. Sic legimus *Colanum* rejectum, *Catonem* repulsum, *Aristidem ostracismo* damnatum. 2. Quòd inter plures plerumque aliqui mali, æmuli, invidi: unde plerumque turbæ, dissensiones, discordiæ, prout testis est Respublica *Atheniensis*, & præcipuè *Romana*, quæ per Aristocraticum regimen concussa propemodùm periisset. 3. Quòd per varias machinationes, quibus à tot & toties ambiuntur fasces, perturbetur plerumque Respublica, præcipuè cùm alii populari aura, alii per opes, nequaquam omnes per virtutem promoveantur. 4. Quòd in Optimatum consiliis plerumque lites, ac factiones, quavis parte suum judicium sustinente: unde decisiones lentæ, executiones quandoque non satis seriæ, sæpe seræ cum ingenti damno Reipublicæ. 5. Quòd rara Respublica, regimine aristocratico, *saltem puro*, neque per Monarchicum mixto ætatem tulerit. Rectè *Tacitus arduum eodem loco potentiam, & concordiam esse.* (c) Sensit Aristocratiæ incommoda *Romana* Respublica sub Triumviris, *Pompejo*, *Crasso*, & *Julio* sub *Antonio*, *Octavio*, & *Lepido*, omnia Civium bona suæ libidini addicentibus.

Democratiæ opponitur 1. Quòd plerumque non ratio, sed impetus; non consilium, sed furor populum, & per populum Rempublicam regat, nec quidquam sit *asperius humili, cùm surgit in altum.* 2. Quòd in plebe rarus sit ordo, in rebus turbidis mera confusio, in prosperis socordia, & luxus; unde facilis ad interitum semita. Exemplo esse potest *Aristides*, per *Themistoclem* accusatus, & plebeja sententia damnatus. Siquidem *Aristides*, in medio turbæ ignotus, cùm ex obvio quæreret: *cur Aristidem damnaret? An hominem nosset? Minimè*, reposuit, sed *quia audio ostracismo damnandum, & meo id fiat calculo, oportet.* Profectò, quanta sit in Democratia rerum confusio, dissidia sententiarum, odia Nobilium, direptiones fortunarum, licentia vitæ, projecta vulgi audacia, tyrannis, contemptus legum, & impunitas inveniatur, argumento est ostracismus *Atheniensium*, *Ephesiorum* calamitas, *Syracusanorum* tumultus, *Carthaginensium* exitium, ut non immeritò *Plato* dixerit, *non ex alia Republica tyrannidem facilius oriri, quàm ex Democratia.* Summa libertas maximæ, atque immanissimæ Mater est servitutis. Nec mirum, cùm plerumque hujusmodi homines sint rerum imperiti, cupidi, egentes, ad regendos homines, nec à natura, nec ab arte instructi.

A propensione naturali ad regimen unius.

Confirmatur. Illa Regiminis forma præ cæteris à Deo probatur, ad quam tam animantibus rationalibus, quàm irra-

(a) Priore Histor. volumine.
(b) Lib. 2.
(c) L. 4. Annal.

irrationalibus naturalem propensionē indidit; nam propensio naturalis juxta omnes ad Authorem Naturæ Deum est referenda: sed animantibus tam rationalibus quàm irrationalibus naturalis propensio indita est ad regimen *Monarchicum*. *Prob. Min.* Sic in qualibet domo naturaliter ad unum Patremfamilias pertinet gubernatio conjugis, filiorum, servorum, & rerum denique cæterarum omnium. Item maxima pars Orbis Terrarum à Regibus gubernatur. *Prob. eadem Min.* quò ad alteram partem: Nam teste *S. Cypriano* (a): *Rex unus*, ait, *apibus; Dux unus in gregibus; & in armentis Rector unus.* Et S. *Hieronymus* (b): *Et Grues unum sequuntur ordine literatô.*

Præstantissima Reipublica forma est Monarchia temperata.

℞. III. *Omnium Rerumpublicarum forma optima, est forma mixta, quæ ex Monarchia & Aristocratia, est temperata, ubi nimirùm & Regia viget potestas, & Senatûs, seu Ordinum valet authoritas, saltem spectatâ humanæ naturæ fragilitate.*

Quia vitat omnium aliarum incommoda.

Ratio: Quia hujusmodi Regimen nec tyrannidi est obnoxium, propter Senatorum aut Ordinum vigilantiam, qui Principem ita in suo continent officio, ut, absque consensu eorum, nil audeat contra Statum, legésque Patriæ moliri. Nec discordiis, atque ambitioni Optimatum patere potest, cùm omnes ab uno capite dependeant.

Dixi 1. *Ubi Regia viget potestas.* Nam si Princeps precariò imperet, & umbratilem authoritatem habeat, prout olim apud *Cromerum* (c) questa est *Christiana, Ladislai* I. Uxor, ibi Leges Patriæ, justitiam, pacem, concordiam, fortunas denique, ac innocentiam civium, periclitari est necesse.

Dixi 2. *Saltem spectata humana naturæ fragilitate*, seu in hac vita: nam seclusis humanæ vitæ circumstantiis Monarchiam simplicem *absolutè*, & *simpliciter* excellere probabitur alibi. Quô positô

Et participat Monarchiæ commoda, estque gratior subditis.

Confirmatur Concl. Hæc Regiminis forma habet omnia simplicis *Monarchiæ* bona & commoda, & est in hac vita gratior, & utilior. 1. *membrum Ant. patet* ex eo, quòd tale Regimen sit, *absolutè loquendo*, *Monarchicum*. 2. *verò Prob.* Illud gubernationis genus omnes magis amant, cujus plures participes esse possunt: atqui Regiminis, ex *Monarchia & Aristocratia temperati*, excluso successionis jure, participes esse plures possunt, cùm id *virtuti*, non *generi* deferatur: ergo est gratius, & simul utilius; cùm certum sit, non posse unum aliquem hominem per se Provincias, & civitates singulas regere; & velit, nolit, cogatur earum procurationem administris, Vicariis suis, vel propriis earum Principibus demandare; nec sit, qui ignoret, diligentiùs ac fideliùs Principes res suas, quàm alienas Vicarios procuraturos.

℞. IV. *Quæ opponi solent Monarchicæ formæ, præsertim temperatæ, inefficacia sunt.*

Unde Deus Israeli non postulatum Regem, sed modum postulandi & circumstantias exprobravit.

Nam opponunt 1. Populus *Israeliticus* propter postulatum à *Samuele* Propheta Regem non levem Dei offensam incurrit: ergo Monarchica gubernatio non est bona.

℞. *Israelitas* incurrisse offensam Dei, tum quia contra ejus Divinam voluntatem Regem sibi dari petierant, prout patet ex illis Domini verbis: *me abjecerunt, ne regnem super eos* (d). Tum quia injurii fuerunt *in Samuelem* Judicem, optimè de se meritum, cui potestatem judiciariam abrogârunt.

Incommoda sunt tantùm ad speciem, rara, per accidens & facile evitabilia.

Oppones II. Major est prudentia in multis, quàm in uno, & plus vident oculi, quàm oculus, ùt communi circumfertur proverbio. Item: Regem delinquentem nemo audebit officii admonere, aut veritatem ei dicere. Denique, faciliùs unus Princeps muneribus corrumpitur, quàm plures Optimates: ergo &c.

℞. Ad 1. Huic incommodo satis provisum esse per Consiliarios. *Quorum Princeps oculis videbit: quorum auribus audiet: quorum denique sententiis in unum coëuntibus consultabit, teste Synesio* (e). *Ad* 2. ℞. Si quandoque veritas ab Aula Principis exulat, plures tamen sunt, qui admonitionem, debito & circumspecto modo adhibitam, non gravatè admittunt. Ad 3. ℞. Falsum esse antecedens; & contrarium potiùs apud Optimates, aut *Democraticos* inveniri, qui levi munusculo perverti possunt, cùm Princeps non nisi grandi aliquo munere tentari possit, si tamen possit.

Calvini replica de animalibus nulla est.

Opponit III. Contra confirmat. *Conclus.* 1. *Calvinus* (f): ex solâ ratione probari, *Aristocratiam Monarchia* præstare: Nam sicut apes non ex toto orbe confluunt, ut Regem unum

eligant,

(a) In tract. de Idolorum vanitate.
(b) In epist. ad Rusticum.
(c) Lib. 19.
(d) 1. Reg. 8.
(e) De Regno administrando.
(f) *Joann.* 10.

eligant, sed suis alveariis contenti sunt Reges singuli; & sicut in gruibus unaquæque caterva proprium Regem habet, ita singulis suos Episcopos Ecclesiis tribui oportet: Unde si allata exempla aliquid probant, plurium Principatum potiùs, quam summam unius potestatem præferendam esse demonstrant.

℞. *N. Ant.* Ad cujus Prob. omissô in certo sensu antecedente, quod tamen in sensu objectionis falso supposito nititur: N. *Cons.* Nam Ecclesia, sicut *unum ovile* (a), non multa ovilia; sic etiam unum alveare, & una caterva dici potest: ergo sicut Rex unus est apibus, & grues unum sequuntur Ducem; ita Ecclesia universa debet habere & sequi unum Pastorem, & Ductorem.

Regnum Electivum & Successivum quid?

Quæritur VII. *Utrùm Regnum electivum an successivum sit præstantius?*

℞. I. *In genere* ad conclusionem supponendum, *electivum* Regnum vocari, quod liberis Electorum suffragiis confertur: *Successivum* quod jure sanguinis, atque natalium, hæreditario jure possidetur. Agitatur hoc punctum sæpiùs à Politicis, diversis diversa sentientibus, & quidem successio plures Patronos habet, ut *Tholosanum*, *Contzenium*, *Lipsium*, *Bodinum*, *Marianam* &c. Quorum nihilominùs non obstánte authoritate

℞. II. Cum *Aristotele*, Politicorum Principe (b): *per se loquendo, electionem successione potiorem esse, maximè, si ei aliqua successio adjungatur.*

Successioni Electio præhabenda, quia Electio Princip: gloriosior.

Prob. 1. Pars Concl. Electio & Principi est gloriosior & Reipublicæ utilior. Quod attinet ad Principis gloriam, planum est; nam si magis decorum, atque laudabile est, propria virtute ad sublimia honorum fastigia contendere, quàm fortuitâ nascendi sorte fasces capessere; virtutem suam Princeps publico Regni testimonio probatam habet, cùm ad Coronæ decus ab Electoribus vocatur. Notum illud, at verum *Tacit.* Principis Historiarum (c): *Optimum quemque demonstrat Electio: contrà nasci, & generari à Principibus fortuitum, nec ultrà æstimatur*: Cooptandi judicium in electione manet integrum; & quemadmodùm apud *Romanos* nemo ad aram *Honoris*, nisi per delubrum *virtutis* penetrare potuit; ita electo Principi egregia Virtus, & dignæ Imperio dotes ad regale solium viam complanent, necesse est; *ut per honorem magni nominis declarentur merita Candidati*, *Cassiodorô* Authore (d). Jam verò, quòd electio Reipublicæ sit *utilior*,

Et Republicæ utilior, quia certior Electi capacitas & virtus.

Prob. I. Electio fit cum consilio, ac seriâ deliberatione ab hominibus maturi judicii, qui vitam, dotes, mores, virtutem Regis futuri perspectam habent: & in hoc sua flectunt consilia, ut quàm optimus, & quàm aptissimus ad Principatum evehatur. Unde jurejurandô promittunt, se electuros Principem, quem judicant dignissimum. *Multi nobiles à Parentibus degenerant*, verba sunt Philosophi (e): *& in deteriores mores* prolabuntur. At in tota multitudine instar monstri est, si unum prudentem Virum non invenias. Idem comprobat *Plinius*, cujus hæc sunt: *An Senatum Populúmque Romanum, Exercitum, Provincias, Socios transmissurus uni, successorem è sinu uxoris accipias, summæque potestatis hæredem, tantùm intra domum tuam quæras, non per totam civitatem circumferas oculos? Et hunc tibi proximum, tibi conjunctissimum existimes, quem optimum, quem Diis simillimum invenies? Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus; non enim servulis tuis Dominum, sed Principem Civibus daturus es.* Quòd, si aliquando Electores errare contigerit, propter mutatum in pejus Principem, remedia suppetunt sublevandi Rempublicam, quæ jura Regni suppeditant, & hic decidere non est opus. Econtrà in successione, quantumcunque inhabilis fuerit Princeps, quod evenire utique potest, tolerari nihilominùs debet ita, ut sub ægro capite semper corpus langueat, sub malo Rege semper malè vivatur.

Experientia.

Prob. II. Princeps, liberis suffragiis ad Regnum evectus, ex se ipso habet regulam boni Imperii: bene imperat, qui aliquando paruit. Hinc *Trajanus*: *Talem me præstabo Imperatorem aliis, qualem optarem privatus*: *& Galba apud Tacitum* (f): *utilissimum & brevissimum rerum bonarum, malarúmque delectum vocavit, cogitare quid sub alio Principe volueris, aut nolueris.* E converso: Regum filii inter delicias, & adulationes educati, voluptatibus fracti, subditorum necessitates minùs perspectas habent: Regnum velut Patrimonium, subditos velut servos non raro tractare solent.

Prob.

(a) Joann. 10.
(b) 3. Politic. c. 11.
(c) Lib. 1. Hist.
(d) Lib. 1. Variar. epistol.
(e) *Aristot.* Lib. 2. Rhet.
(f) L. 1. Historiarum.

Subditorum cura.

Prob. III. Princeps electivus, cupiens filium Regni habere successorem, cùm sciat, id non posse aliter obtineri, nisi per libera Electorum suffragia, Reipublicæ commodis studiosiùs inservit, modestiùs agit, leges, & justitiam pressiùs observat, libertatem civium attentiùs fovet, nil denique omittit, quod conciliandis subditorum animis opportunum judicat.

Et quia majora in successione incommoda, præcipuè deficiente hæredes

Prob. IV. Ex incommodis in successione contingere solitis. Nam sæpè Princeps aut sine liberis decedit, aut relinquit filium impuberem, aut certè filiam: si absque prole obiêrit, gravissimis Regnum agitatur dissidiis. Exemplo sit *Oriens* (a), ubi mortuo *Michaële*, *Constantini* filiô, duo proximi Duces *Nicephorus*, & *Briennius* tamdiu infestis armis de Imperio decertârunt, donec alter succumberet. Exemplo est *Occidens* (b), ubi post interfectum *Maximinum* Imperatorem cum filio, quinque ambitiosi Principes ad coronam per civium cædes eniti contendebant. Documento est *Germania* post mortem *Ludovici* in bello contra *Hungaros* amissi. Post mortem verò *Philippi Mariæ*, ultimi Vicecomitum *Mediolanensium* ex Gente *Anglera*, quàm ingentibus involuta fuerit ea Respublica calamitatibus propter complures Principes, Principatum sibi vendicantes, testatur *Æneas Piccolomini* (c). Et ut omittantur superiorum temporum dissidia, priore primùm sæculô vidimus funestum bellum inter *Hispanum* & *Joannem Brigantinum* pro afferenda corona *Lusitaniæ*. Immò hoc etiam sæculô vidimus cruentas lites, quibus pro successione in Regno *Hispaniæ* à duobus maximis *Europæ* Monarchis est decertatum.

Vel succedente hærede impubere,

Non melior est conditio Regnorum, quibus Successor immaturæ adhuc ætatis obtigerit. Divinum audi Oraculum: *Væ tibi terra, cujus Rex puer est* (d). Quomodò enim subjectos reget Populos, qui se ipsum regere nequit? Quo pacto avertet pericula, qui vix habilis ad cognoscenda, ut ne dicam, amolienda? Hac de causa *Germani* Proceres, post obitum *Henrici* VI. cùm *Fridericus* II. admodùm puer esset, ne sine capite haberetur Imperium, *Philippum* non tam tutorem, quàm Imperatorem creârunt. Similî moti periculô *Hungari*, *Ladislaum Regem Poloniæ* ad sua sceptra invitârunt; videbant enim hæreditarii Principis *Ladislai* pueritiam, infringendæ *Amurathi* potentiæ non esse parem.

Tutoribus sceptra in sua potiùs commoda moderantibus.

Nec vacat periculo Respublica, cùm immaturo Principi tutores assignantur. Hi enim non tam successionem respiciunt, quàm suæ fortunæ rationem habent: & sæpe dominandi libidine sceptris hæreditariis violentas manus injiciunt; immò legitimum Principem vitâ & purpurâ pariter exuunt. Ita *Irene Constantinum* è vivis sustulit. Ita *Andronicus Alexium*, *Guido Balduinum* (e). Idem tentavit *Stilico* in pupillum *Honorium*, ut rerum summam in filium suum *Eucherium* transferret, nisi ab *Honorii* sociis trucidatus esset (f). Huc accedunt graves de usurpanda tutela contentiones cognatorum, quales fuerant circa tutelam *Henrici* IV. *Boleslai Pudici*, *Ladislai Hungari*.

Habenda tamen in Electione est aliqua ratio successionis ob authoritatem, gratitudinem.

2\. *Pars Concl.* Ut nimirum in Electionibus ratio habeatur aliqua successionis in stirpe Regia. *Prob.* Quia hoc pacto, & bene merito Principi gratia post mortem redditur, & promptior obsequendi alacritas novo Regi à subditis exhibetur. Libentiùs namque obtemperamus ex illa prognatis familia, cui jam per consuetudinem obedire didicimus. Denique majori affectu, atque amore Principem prosequimur, quem in Patriæ gremio natum, inter Populares nutritum, in oculis nostris crescentem vidimus. Utrumque in Regno *Poloniæ* sæpiùs; in Imperio *Romano-Germanico* jam per duo sæcula, prudenter non minùs quàm utiliter, in gloriosissima Domo *Austriaca* observatum vidimus.

℞. III. *Quæ objici solent, inefficacia sunt.* Nam

Unde factiones æmulorum non nisi in Electionibus inordinatis timendæ.

Opponunt I. Electio tumultui civium & novis machinationibus ambitiosorum est obnoxia: ergo potior est successio. *Ant. Prob.* Multi enim competitores animum erigunt, & factionibus utuntur ad pertrahenda in suas partes Electorum suffragia: hæc autem incommoda evitantur, & pravorum spes cohibentur, cùm successor non sit in incerto, ùt ait prudenter *Tacitus* (g):

Mino-

(a) *Zonaras.*
(b) *Herodianus* & *Capitolinus.*
(c) Lib. 46.
(d) Ecclesiastis 10. v. 16
(e) *Zonaras.*
(f) *Nicetas in Alexandric. Annal.*
(g) 2 Annal.

Minore namque discrimine sumitur Princeps, quàm quæritur.

℟. D. A. In electionibus inordinatis hoc evenit. *Transf.* In legitimis, & certâ constitutionum formâ definitis. *Neg. Ant.* & *Consf.* Etsi enim sæpiùs concurrant competitorum desideria; quia tamen sciunt, Principem non nisi plurium Electorum votis eligendum, ideò nil hostile machinari poterunt. Quòd si aliquando propter eligentium dissensionem res ad arma venerit, potior pars civium pro legitimo Principe stabit.

Nec major successorum authoritas.

Opponunt II. Major est authoritas Principum in Regno successivo, quàm electivo: nam qui aliorum suffragiô ad Reipublicæ fastigium evectus est, multa debet indulgere, in multis cogitur dissimulare suæ Majestatis Auctoribus. Prætereà facilè contemni potest ab iis, quibus antea par, aut etiam inferior fuit. *Tiberium* contempsère *Romani*, quem exulem, & palliatum, *Græcorum* ritu, viderant. *Galba* contemptui fuit propterea, quòd priùs ære alienô obstrictus vix *Romæ* manere potuerit. *Ælium Pertinacem, Macrinum, Maximinum, Balduinum, Pupienum*, aliósque similes ea facilitate necârunt milites, qua priùs creârunt Imperatores.

Si ex illustribus familiis justa fuit electio.

℟. *N. Ant.* Cùm enim ex illustribus familiis præclari Heroes communiter ad sceptra vocentur, salva iis manet authoritas apud subditos, modò justè imperent, & bono publico promovendo studeant.

Nec major in illis subditorum charitas.

Opponunt III. Major est in hæreditarium Principem charitas: ergo &c. Nam non tantùm ab eo solo, sed etiam ab ejus posteris quilibet privatus, sive civis beneficia exspectat: novos, antequàm subditi amare incipiant, fastidire solent.

Præcipuè si cæteris sint digniores.

℟. D. A. De amore naturali. *Transf.* De civili, ac benevolentiæ. N. A. & *Consf.* Nam si novus Princeps opinione virtutis, amorem Electorum ad sui electionem conciliavit, dubio procul continuabitur hæc benevolentia etiam in Imperio, modò publici bonum, civiúmque curam non negligat.

Error frequentior est in successione.

Opponunt IV. Electio sæpe in suis Candidatis aberrat: ergo &c.

℟. Frequentiùs hunc errorem in successione contingere. *In Sobole frequenter fallimur* (verba sunt *Theodorici* Regis ad Regem *Herulorum*) *ignari autem esse noscunt, quos judicia pepererunt: hi enim gratiam non de natura, sed de solis meritis habent* (a).

Interregni incommoda prævenit vicaria potestas & successoris designatio matura.

Opponunt V. Sub tempus Interregni propter dilatas Electiones, multa eveniunt pericula, & Statuum perturbatio absque summo Capite: ergo &c.

℟. In bene ordinatis Rebuspublicis satìs commodè prævertendis his incommodis consultum est. Nam in Imperio *Romano-Germanico*, interregni tempore, vicaria potestas est penes certos Principes (b). In *Polonia* vacante Regnô negotium administrandæ Reipublicæ devolvitur ad Archi-Episcopum *Gnesnensem* Regni Primatem, qui comitia Electoralia indicit, & si quando, tum eo tempore, judicia in rigore observantur. Consultissimum tamen Regnis ac Imperio fore, Politici autumant, si vivente adhuc Principe Successor designetur. Ita *Carolus* V. *Austriacus* petiit ab Electoribus, ut sibi adhuc vivo *Ferdinandus* frater substitueretur. *Ferdinandus* III. *Ferdinando* IV. filio *Romani* Regni coronam apud Electores obtinuit. Idem factum in *Josepho* I. Sic *Jagelloni* adhuc vivo subrogatus *filius Ladislaus*, *Sigismundo* I. *Augustus* itidem adlectus filius; idem factitatum olim apud *Romanos* per adoptionem Successorum, & sic de aliis.

Neque periculum, ut exteri eligantur.

Opponunt VI. In Regnis Electivis non nunquam Exteri ad sceptrum vocantur: hoc autem & indecorum, & minus tutum videtur, ut leges, jura, immunitates; vitam denique ipsam iis credamus, qui quemadmodùm linguâ, ita etiam moribus, à suis subditis discrepant.

Quia in Imperio Romano-Germanico hoc cautum legibus.

℟. In *Romano* Imperio cautum legibus, ne alienigena Princeps, sed Princeps *Germani* sanguinis creetur. Quòd si aliqua Respublica peregrinum Principem eligit, non aliis conditionibus id facit, nisi ut ante coronationem jurejurandô se obstringat de servandis Majorum institutis, legibus, privilegiis, ac immunitatibus. Ab hoc Princeps si aliquando deflecteret, facilè senatus & Ordines debiti admonebunt officii.

De electione Principis.

Quæritur VIII. *Utrùm in Regnis electivis ex propria potiùs, an aliena Republica Princeps assumi debeat?*

Videtur externus præferendus.

℟. I. *Sunt Authores, qui pro externo Principe, in Regnum assumendo, suffragium ferunt.*

Quia sic æmulatio Optimatum, causa bellorum civilium, præscinditur.

Argumenta afferunt. 1. Quia in libera Republica, ubi Optimatum vehemens est æmulatio, per externi Principis electionem, præscinditur causa dissensionum civilium; compescitur Magnatum ambitio; conservatur Ordinum æqualitas; si enim plu-

(a) *Cassiodorus* Lib. 4. Epist. 2.
(b) Aurea Bulla. §. *Quoties*

plures competitores ad Coronam concurrerent, indignarentur repudiati contra Electores, invidiâ flagrarent contra prælatum fibi Principem: ipsi denique apud novum Regem, tanquam æmuli, & insidiatores Potestatis suspecti haberentur.

Quia præcavetur nimiæ potentiæ, subditorum libertati periculosæ.

2. Quia externus Princeps non potest tam facilè in eam excrescere potentiam, quæ imminuendis subditorum libertatibus foret idonea, ipsisque subditis perquàm gravis. Indigena verò Princeps validus amicorum, nec non consanguineorum præsidiô, favore, opibus, factionibus, quidquid in præjudicium Reipublicæ vellet statuere. Hæc potissimùm in sua Republica præcavere dicuntur *Poloni*; qui eos communiter Principes assumunt, quos vel animi moderatione cognitos, vel procul dissitos timere non debeant.

Quia sic coalescit finitimorum amicitia.

3. Quia per hujusmodi electionem insignis coalescit amicitia inter eas Gentes, è quibus novus Princeps petitur. Hoc pacto prædicti *Poloni* cum *Lithuanis* in unam Rempublicam firmissimo unionis nexu coaluerunt: exinde conterminis hostibus *Poloniæ* formidabiles facti.

Alii præferunt Indigenam.

℟. II. *Sunt contrà Authores, qui statuunt, Reipublicæ Principem domesticum esse eligendum.*

Ob omnium Nationum consensum.

Prob. Concl. 1. Ex consensu omnium penè Nationum, quem firmat etiam authoritas Divina, quæ Regem *Israelitis* è medio fratrum assumendum præcepit.

Ob majorem amorem mutuum.

Prob. 2. Princeps indigena & subditos ordinariè plùs diligit, & ipse vicissim à subditis teneriùs diligitur. *Alienigenam Dominum* (ùt ait *Curtius* (a) :) *nemo patitur libens*: & *Tacitus* (b) de *Parthis* refert, quòd petitum *Româ*, acceptúmque Regem, velut externum, aspernati fuerint.

Ob longiorem Regni durationem;

3. Quia sub peregrinis Principibus plerumque non diuturna sunt Regna. Rem istam exemplis, haud sanè paucis, historia demonstrat, quæ, quia obvia, hic commemorare proliziùs supersedemus. Quæ nostro tempore præ oculis habemus.

Ob meliorem, Regni, moriúmque notitiam,

4. Quia Princeps indigena patrias leges, mores Popularium, virtutes, denique ac dexteritatem civium meliùs perspectas habet, ut eorum operâ, quam commodissimè ad communem utilitatem uti possit.

Ac regendi Populi rationem.

5. Peregrinus Princeps non tam facilè assuescit ad alienam gubernandi rationem. Si autem ex propriis moribus, legibúsque aliquid novi statuere voluerit, exoriuntur in subditis murmura, querelæ, provocatio ad pristinas immunitates & privilegia: denique, ubi non subvenitur, remedium ex bello. Hinc olim *Batavi* armorum, contra *Hispanum* sumptorum, eam potissimùm causam attulère, quòd Rex *Hispanicam* regendi formam, contra *Belgarum* consuetudinem, atque privilegia, in *Belgium* invehere voluerit.

Quæritur IX. *Quænam sint præsidia civitatis?*

Præsidia civitatis.

℟. I. Duplicis generis esse præsidia; *animata* scilicèt, ùt sunt cives & Milites: *Inanimata*, ùt munitiones & arma. Quantum præsidii situm sit in civibus justitiæ cultu, consiliô, concordiâ, & vitæ integritate illustribus, quantúmque in militibus, dicetur infrà. Nunc præsidia *inanimata*, hoc est, munitiones breviter perstringendæ. Et imprimis communis est Politicorum sensus, muniriones in finibus Regnorum esse perquàm necessarias: In controversiam vocant: utrùm etiam intra ipsum Regnum munitas expediat habere civitates. Unde

Expedit plura esse præsidia in Regno, saltem vicinis hostibus cincto.

℟. II. *Expedit in Regno, saltem vicinis hostibus undique cincto, plura esse præsidia.* Ita præcipuè contra *Machiavellum*, qui munimenta omnia esse subruenda, neque propugnacula, sed fortissima solummodò pectora opponenda hostibus suadet.

Quia sine præsidiis Regna sunt obviis periculis pervia.

Prob. Concl. 1. Urbes, propugnaculis vacuæ, omnium latrociniis, deprædationibúsque sunt constanter obnoxiæ. Sic natura ipsa sua dedit lustra feris, avibus nidos, ùt plurimùm in locis præruptis, ac inaccessis.

Quia his parcitur sanguini civium;

Confirmatur I. Quia hac ratione parcitur civium sanguini: satiùs enim est lacerari muros, & lapides, quàm objecta oppidanorum corpora, quod scitè ait *Antimachus*.

Quia utilitas multiplex suadetur exemplo Galliæ.

Confirmatur II. Exemplo *Galliæ*, quæ sanè ingentes utilitates, ac commoda sensit, quòd ex consilio, Purpurati Ministri *Richelii* fortissimis se se, plurimísque munitionibus undique vallârit: nam nemo non vidit prioribus annis, quantas hostibus difficultates, quantásque objecerit remoras; quantum sanguinis fusum sit in acerrimis earum expugnationibus; quam immensis constiterint sumptibus diuturnæ adeò obsidiones: ergo in Regionibus ejusmodi, quales sunt *Belgium*,

(a) Lib. 7.
(b) Lib. 2. Annal.

giam, Brisgoja, Hungaria, expedit habere munitiones æque multas atque egregias, ad quas irruentes hostes caput obtundant; immò in quas, ne irruere possint, prohibeantur.

Contrà in Regno, amicis confiniis cincto, munitiones plures inutiles: aliquæ tamen satis sunt utiles.

℞. III. *In illis Provinciis, quæ ab hostili incursu admodùm remotæ sunt, amicisque terris circumdatæ, plures munitiones & inutiles, & nimiùm onerosæ, ùt patet: aliquæ tamen meritò commendantur*, quia occurrente forsan necessitate magno usui futuræ, uti fuit *Anglipolis*, tum eo tempore, *quo Smalcaldicô* fœdere juncti, contra *Carolum* V. Cæsarem; immò & veram Ecclesiam, tumultus bellicos concitârunt; tum eo ævo, quo è *Septentrione* effusi *Sueci* totum latè Imperium inundârunt.

Ne munitione finitimâ occupatâ, mox tota cadat Provincia,

Prob. alterum asserti membrum 1. Quia si tantùm in confiniis excitata repererit munimenta, facilè his expugnatis, aut prætermissis, in ipsa Reipublicæ viscera primo impetu hostis immigrabit, & quà igni, quà ferro cuncta populabitur, totamque Provinciam sui juris faciet. Ita factum in *Hispania* legimus, cujus Portu *Salee* dicto *à Mauris* occupato, totum ferè Regnum, trium annorum spatiô, à Barbaris subjugatum fuit.

Nullúmque sit civibus Asylon;

Prob. Concl. 2. Ingruente hoste, si Provincia destituta fuerit præsidiis, actum est de salute civium: quo enim imbellis ætas, aut sexus, aut inermis Populus confugiet? Ubi suas fortunas, vitam propriam, aut chara pignora tutè deponet? Sola duntaxat spes in fuga, & exilio erit, prout etiam vidimus in iis *Polonis*, qui relictis bonis in vicina *Silesia*, sub tempus belli *Suecici*, exulârunt.

Derelictis bonis & frugibus hostis potentiam augentibus.

Prob. Concl. 3. In provincia, munimentis destituta, facilè hostis potentiam suam tam abscessu incolarum, quàm derelictæ annonæ copia firmabit.

Conclusionem confirmant exemplo suo aliæ Nationes,

Confirmatur I. Exemplô bene ordinatarum Nationum; quid enim *Belgas* fecit expugnatu difficiles? Quid *Germaniam*, florente olim inter cives concordiâ, reddidit adeò firmam, atque potentem, nisi civitates non minùs muris, ac propugnaculis, quàm armorum apparatu instructæ?

Uti & pericula Tyrannorum.

Confirmatur II. Quia si Princeps per tyrannidem aliquid contra libertatem civium moliri voluerit, difficilè sua destinata perficiet, ubi cives bene firma præsidia habuerint.

℞. IV. *Quæ opponuntur, exigui momenti sunt.* Nam

Timor rebellionis in munitionibus nutrienda.

Opponunt 1. Civitates munitæ reddunt cives nimiùm pervicaces: & tam Principi quàm Reipublicæ rebelles: ergo non sunt permittendæ. Patet hoc in *Gedanensibus* contra *Stephanum Bathori*; in *Belgicis* civitatibus contra Regem *Hispaniæ*; *Magdeburgo* & *Pragâ* contra *Ferdinandum* Imp. insurgentibus. Eam ob rem *Græci* olim, & *Romani* suspectarum civitatum mœnia subruerunt. *Henricus* II. Rex *Angliæ* Procerum arces muris nudavit. *Poloni* Ordines *Sigismundo Augusto* munitionem *Warsoviæ* diluaterunt.

Probaret nimium, præsidia scilicet in Regni limitibus haud toleranda.

℞. 1. Hoc argumentum probaret, neque in limitibus Regni toleranda Propugnacula, ii enim in his non timetur perfidia, par est ratio de aliis. Quòd si in confiniis obsequentes & fideles habentur Præsidiarii, cur non idem de reliquis sperandum?

℞. 2. D. A. Munitarum Urbium cives fiunt rebelles *per se*. N. *Per accidens*, si nimirùm gravi aliquâ injuriâ Principis, aut Optimatum lacessiti fuerint: T. A. N. C. Ut autem munitæ civitates in officio contineantur, duo media suggerunt Politici.

Facilè vitandum impositis Urbi fortalitiis,

Primum. Ponendæ in ejusmodi Urbibus Arces cum præsidio Principis, aut Reipublicæ, prout fecit *Carolus* V. *Neapolitanis*, aliique complures Principes in suis Provinciis. Frenum enim hoc, immò jugum, ad edomandas contumacium cervices, est præsentissimum.

Aliisque politicis mediis.

Secundum. Curandum, ut ejusmodi cives intra ditiones Reipublicæ habeant aliqua sua bona, sive illa sint mobilia, sive immobilia, quæ per modum pignoris teneantur: horum enim intuitu & amittendi metu non facilè hostile quid attentabunt. Ita *Cajus Cæsar*, occupatâ Urbe aliqua, obsides inde sumebat. *Philippus* I. Rex *Franciæ*, Procerum *Vasconum* liberos, per speciem honoris, & aulicæ gratiæ, pro obsidibus accepit. *Carolus* V. Imp. cùm propter solertiam & authoritatem *Andreæ Auriæ*, non posset arcem imponere *Genuæ*, pecuniam satìs copiosam à *Genuensibus* mutuò accepit, assignatis pro ea, fœnoris locò, non nullis in *Hispania* territoriis: hoc pacto, & opes hominum, lucri dulcedine illectorum, ad se pertraxit, & Urbis fidem, commodato auro veluti alligatam, continuit.

Et licèt Urbis munitæ rebellio immensam quandoque cladem Regno attulerit.

Dices: Saltem in casu defectionis ejusmodi Munimenta toti Regno sunt immensæ cladi, dum bis, terque nequidquam obsessa, non nisi iisdéque versis omnibus, tandem subiguntur, ùt plurimis exemplis constat.

Quia tamen malum per accidens, movere non debet.

℞. 1. Casus *per accidens* nihil probat: cùm rarò Munimentum unicum contra Regnum insurgat. Immò observant Politici, vix unquam ejusmodi Urbis, quin & Provinciæ

defe-

defectionem contigisse, nisi cùm à Principe simul, & vera Religione deficeret. In forma

Et fame avertenda sunt obsidionis incommoda. ℞. 2. N. A. Eò quòd fame, & fine ullo ferè dispendio ad extrema facilè possit cogi, ùt exempla Historica demonstrant.

Præsidiis fortiora sunt quidem civium pectora. *Opponunt* 2. Potentiora sunt præsidia pectorum, quàm saxorum, aut fossarum; documento sunt fortissimi olim *Spartani*, & moderni *Turcæ*, qui omnem spem victoriæ non in arcibus, sed campo, & dextera sitam habent.

Si illa spectentur sola, non ut conjuncta civibus. ℞. D. A. Si muri *solitariè* accipiantur C. A. Si cum fidis Præsidiariis considerentur, de quibus hìc agimus N. A. & C.

Ejusmodi munimentis potiti hostes difficulter ejiciuntur. *Opponunt* 3. Hostes ejusmodi munitionibus potiti, difficillime ejiciuntur: ergo ejusmodi munimenta vel alunt hostem in Regni visceribus, vel tantos ad expellendos sumptus exigunt, quantos exegerant, eùm conderentur.

Si potiti sunt omnibus, non si uno tantùm vel altero. ℞. D. A. Ejusmodi munitionibus pluribus potiti difficillime ejiciuntur. Unâ vel alterâ tantùm: N. A. & C. Si unum, vel alterum solummodò occupetur, damnum tantum non est, quantum foret, si Regio infestis pateret Hostium excursionibus.

Immensos quidem exigunt sumptus. *Opponunt* 4. Immensis sumptibus opus est ad conservanda munimenta, tam belli quàm pacis tempore, multóque adhuc majoribus ad erigenda, sic ut exhauriantur æraria, quibus ingentes ali exercitus possent: ergo conducibilius est, non erigi plura in Provinciis munimenta.

Etsi non sint prorsus invicta; *Confirmatur.* Utut immensis stent sumptibus munimenta, hoc tamen tempore nulla sat tuta sunt, cùm tot mentorum, aliarúmque machinarum artificiô, nullum ampliùs sit invictum.

Utilitas tamen compensat sumptus. ℞. D. A. Immensis sumptibus opus est, quin habeatur operæ pretium: N. A. Ut habeatur operæ pretium, utpote, quibus munimentis sæpe hostium atteruntur vires, & totius Regni salus, tanquam *Palladio* sarta tectáque, protegitur C. A. & N. C.

Et plura sunt invicta saltem respectivè. *Ad Confirm.* ℞. D. Nullum ampliùs est invictum *absolutè*. T. Quia multa, saltem non victa, in Historiis legimus. &c. Nullum ampliùs est invictum *suo modo*, & *respectivè*. N. A. Multa sunt invicta, quia diuturna obsidio nimiô hostium sanguine, nimisque sumptibus staret. 2. Quia tamdiu invicta, ut facilè succurri possit, & solvi obsidio debeat. Adde, quòd invicta dici possint, quia non nisi ultroneâ deditione, honestissimísque conditionibus, ingenti hostium clade, Regnique emolumento in potestatem hostium veniunt, sic ut intereà tempus abunde suppetat, colligendi exercitum, convehendi magnam annonæ copiam, reliquis urbibus maturè providendi, sanciendi cum Vicinis fœdera, irruendi in hostium regiones, eorum urbes occupandi, vel etiam, si res ferat, de pace deliberandi. Exemplo sit ultima *Viennæ* obsidio, qua à *Turcarum* tyrannide *Romanum* Imperium validè est conservatum. Jam si plures munitiones, quarum quælibet aliquot mensium obsidioni sustinendæ par est, hosti objiciantur, quis non videt, quantas illæ Regno utilitates afferant, nullis unquam thesauris satis compensandas?

Nec Regno consultius est habere plures urbes mediocriter tantùm munitas. *Opponunt* V. Consultius Regno foret, habere urbes plures, non quidem munitissimas, sed tamen primis hostium insultibus sustinendis pares. A. P. Vel enim stat numerosus in campo exercitus, qui urbem opportunè liberare possit, vel non? si prius, parùm refert, à munita, vel non adeò munita urbe depelli hostem, nisi quòd citiùs huic, quàm illi succurri oporteat. Si posterius, arx etiam Cœlo imposita, cedet hodie tandem *Vulcani* furoribus, & pertinaci hostium obsidioni.

Nisi in apertis, & ab hoste dissitis Regionibus. ℞. D. A. Consultius foret in apertis, & ab hoste longè dissitis Regionibus. T. In Provinciis, quæ vel fati iniquitate, vel quod verius, soli ubertate, ac opulentia divites, hostiúmque confiniis oppositæ, perpetuis fatigantur bellis, cujusmodi sunt *Belgium*, *Brisgoja*, *Hungaria* &c. N. A. & C.

Præsidiariorum licentia morésque sæpe corrupti. *Opponunt* VI. Præter alia incommoda munitiones firmæ egent frequenti præsidio militum, è quorum numero subin aliqui *Attalo* non absimiles, de quo Poeta:

Miles es, & malus es, bonus es tamen Attale Miles:
Miles enim ùt canis est, qui malus, ille bonus.

Immò sunt, qui diversam non rarò profitentur religionem, unde morum licentia, blasphemandi, & furandi libido plerumque irrepete solet in oppidanis: ergo consultius foret, carere ejusmodi propugnaculis, validorum vitiorum non rarò asylis.

Non sunt incommoda publica per se connexa. ℞. D. A. Et hæc sunt incommoda publica *per se* connexa: N. Privata, *per accidens* consectanea, bonóque publico postponenda. C. A. & N. C. Adde, quòd militum licentia facilè inhiberi possit insigni Gubernatoris prudentia, qui eandem cum *Aurelio* Imperatore legem suis ponere

poterit, ùt refert *Vopiscus*: *Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annonâ quisque sua contentus sit, curétque, ut, qui armis vincunt, vitiis non vincantur.*

Præsidia Reipublicæ animata in genere.

Quæritur X. *Quæ sint præsidia Reipublicæ animata?*

℟. *In genere.* Florent Imperia, cùm in statu *Monarchico* sua Principi servatur authoritas; cùm in *Aristocratico* penes Optimates est præcellentia, & mutua voluntatum consensio. Ut autem propositæ Quæstioni commodiùs respondeatur, erudita *Rudolphi* II. Imp. pictura declaranda est.

In specie symbolicè expressa.

Expressurus hic Monarcha florentissimæ Reipublicæ ideam, curavit depingi sphæram Orbis, seu pomum Regium, quod quatuor *charites* protensis dexteris sustinebant. Prima sceptrum præferebat, cui oculus insertus cum subscriptione: *Consilium.* Secunda *Justitiam* repræsentabat cum inscriptione: *Suum cuique.* Tertia manipulum sagittarum monstrabat, cum epigraphe: *concordia.* Quarta speculum sinistrâ exhibebat cum lemmate: *Vitæ puritas.* In medio sphæræ expressa *felicitas* fuit cum cornu copiæ; inscriptio: *Spes florida Regni.*

Consilium gubernantium.

Innuebat videlicet sapientissimus Imperator, quatuor hisce dotibus universam Reipublicæ molem sustentari quàm firmissimè: *consiliò* nimitum *Gubernantium*, *justitiâ cultu*, *concordiâ*, & *sanctimonia* civium. Et quidem, quod attinet ad primum, orbis consensus est, omnium Regnorum salutem *consiliò* niti.

Justitiæ cultus.

Quantùm ad conservandas Respublicas *Justitiæ cultus* cùm in privatis, tum potissimùm in publicis negotiis conferat, experientia docet. Hac enim teste habemus florentissimas fuisse nationes, quibus *Justitiæ* cura fuit præcipua, quas inter principem olim locum *Romani* tenuerunt, qui juxta testimonium D. *Augustini* justitiam in bello sic administrârunt, ut vel ideò Victores Gentium, & orbis Domini evaserint.

Concordia civium.

Jam verò civium *concordia*, quantùm conservandis Regnis inserviat, ex oppositis damnis, & ruinis per seditiones illatis, manifestè patet. Notum illud *Scyluri Scytharum* Regis, octoginta liberorum Parentis, qui antequam supremum diem clauderet, convocatis filiis sagittarum fasciculum porrexit, præcepiò, ut frangerent. Cùm autem facto rei periculo nihil effecissent, ipse singillatim extrahens jacula, facilè omnia confregit, adjecitque, invictos, & insuperabiles fore, si fraterna charitate & concordiâ colligati forent; imbecilles, & facilè debellandos, si mutuis odiis dissilirent. Non aliter *Jugurtha* apud *Salustium* ad filios: *Equidem vobis trado Regnum firmum, si boni eritis; si mali, imbecillum, nam concordiâ* res parvæ crescunt, discordiâ *maximæ dilabuntur.*

Probitas Civium.

Denique *sanctimoniâ* & *probitate* Civium Regna sustentari, adeò clarum est, ut nec ipsi Ethnici præsens punctum in dubium vocaverint. Hinc *Achior* orationem suam, coram *Holoferne* habitam, hac absolvit clausulâ: *Perquire*, inquit, *si est aliqua iniquitas eorum* (Judæorum) *in conspectu Dei, ascendamus ad eos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi. Si verò non est offensio Populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus opprobrium universæ terræ* (a). Id ipsum à Domino Exercituum plurimis firmatum est promissis, modò ingratus Populus à pietate non deflecteret.

Quæritur XI. Quænam sint causæ Regnorum corruptivæ?

Regnorum miræ vicissitudines.

℟. I. Quò ad istas Regnorum vicissitudines non deflectet à vero, quis quis cum *Isidoro Pelusiotha* Mundum hunc *perpetuam ruinarum ruinam* appellaverit. Ita enim omnes res mortalium, quantumvis firmissimæ, in quotidianos lapsus pronô impetu feruntur, ut stare solâ inconstantiâ videantur: & quemadmodùm in ætatibus humanis infantiam excipit pueritia, pueritiam adolescentia, hanc sequitur juventus, juventutem virile robur, huic demum annis gravis succedit senectus: ita Regna ex minimis coacta crescunt, florent, vigent, senescunt, extremò occidunt, suisque tumulis obruuntur. Stetit quondam, floruitque prima in orbe *Assyriorum* Monarchia, tandem exactis mille trecentis annis corruit. Ruinam *Assyriorum* excepit Monarchia *Medorum*, *Medis* successit *Persia*; *Persica* potentia collapsa in *Macedoniam*, hæc desiit in *Romanum* Imperium. *Romana* Monarchia, quàm sit obnoxia imbecillitati, declaravit statua illa Regis *Babylonici*, ubi pedes, ex testa lutea, ferróque malè cohærentes, ad ictum lapilli unius, aurum, argentum, æs denique ac ferrum, suâ ruina in pulverem redegerunt.

Illarum causæ apud varios variæ.

℟. II. Tantas Imperiorum vicissitudines dum attentiùs expenderent Politici, fallor, Pseudo-Politici causásque earum inquirerent, in diversas abiêre opiniones.

Anni climacterici.

Alii enim cum *Platone* interitum Rerū pub-

(a) Judith, c. 5.

criticis quibusdam annorum numeris adscripserunt. Alii in fortuitos casus; alii in astrorum influentias, & certas Planetarum oppositiones occasus Regnorum retulerunt. Ita cum nonnullis *Cardanus*, & *Mizaldus* sentiunt: immò *Copernicus* ortus, & interitus Rerumpublicarum ad revolutionem excentrici terræ revocare non dubitavit. Alii denique cum Ethnicis, & *Manichæis*, *Machiavello*, & modernis quibusdam erronibus Regnorum interitus fato inevitabili assignârunt.

Casus. Astra.

Sed falso, ut patet curvis intellectui sano.

Verùm facilè omnes rejiciuntur. Et prima quidem opinio falsitatis arguitur, cùm quia juxta Philosophos quantitas (cujus species est numerus) nullam vim agendi habet: tum quia de criticis hisce annis contrarium docet experientia: cùm enim hi Authores jam annum ducentesimum quinquagesimum, jam quingentesimum, jam septingentesimum *climactericum*, & Regnis *fatalem* pronuntient, multa Regna, aut prædictos annos non attigerunt, aut feliciter superârunt: prout patet in Monarchiis *Assyriorum*, *Persarum*, *Romanorum*, Republica *Veneta*, & Regno *Sinarum*.

Præcipuè veritatibus fidei

2. *Opinio*, mutationes Regnorum fortunæ, aut casui adscribens, tanquam absurda, impia, & *Epicuri atheismum* redolens, damnatur, Certi enim sumus ex fide Catholica, Mundum hunc Divinâ providentia, ordine, atque consilio sapientissimè gubernari.

Instructio.

Tertia opinio ex eo refellitur, quòd cùm Respublicæ mutentur humanis voluntatibus, consiliis, viribus atque bellis; astrorum verò influxus non agant *directè* ac *immediatè* in humanam voluntatem, non possint esse causa corruptiva Regnorum; *Copernicus*, etiam falsô nixus fundamentô, triplicem terræ motum assignavit contra veriorem Mathematicorum doctrinam. Deinde motus hic juxta ipsius opinionem est certus, & regularis; conversiones autem Regnorum sunt incertæ: nam aliæ Respublicæ citiùs, aliæ tardiùs intereunt. Idem dicendum de cometis, & Eclipsibus, quæ sæpiùs accidunt in annos propè singulos, Rebuspublicis interim longa sæculorum serie in suo statu, & ordine florentibûs. Superstitiosus in hoc punctô *Mitas & Manuel Comnenus* (a), dum Eclipses suspectas habuêre, neque exercitus in apertum producere ausi sunt, ab hostibus internecione fuerant deleti. Argutè *Cassius*, qui, cùm à *Chaldæis* vetaretur *Parthos* bello lacessere, priusquàm sol *Scorpii* sidus evasisset, respondit: *Non scorpiones ego metuo, sed sagittarios* (b), alludens *ad Parthos*, quorum sagittis *Crassus* erat obrutus.

Ultima opinio, quæ conversiones Rerumpublicarum fato cuidam inevitabili adscribit, & cui plures moderni Anti-Politici tenaciùs adhærent, ut commodiùs rejiciatur,

Immo ex ratione naturali.

Advertendum 1. Fatum describi, quòd *sit necessitas quædam inevitabilis, & insuperabilis, quæ causas secundas, etiam liberas, adeò necessitet, ut eâ posita non possint non agere. Machiavellus* (c) *fatum & fortunam* comparat flumini montano, in præceps magno impetu labenti, arbores, domos, agros, & quidquid est obvium, tanto furore secum rapienti, ut ei nulla vi humana, nullô consiliô aut arte obsisti possit. Unde autem hæc necessitas fatalis oriatur, non convenit inter Errones. Alii enim in astrorum influxus, & planetarum conjunctiones rejiciunt; alii ex sola præscientia, & voluntate Dei, omnes creaturas necessitantis, derivatam ajunt. Hinc ulteriùs tollunt liberum arbitrium, & per summam blasphemiam inferunt, Deum esse authorem quemadmodùm aliorum effectuum, ita & peccaminosarum actionum.

Advertendum 2. Fatum juxta *Boetium* (d), in sensu orthodoxo describi, quòd sit *dispositio, secundùm quam Divina Providentia res ordinat: seu quòd sit ordo causarum, Divinam Providentiam infallibiliter exigentium.* Juxta hanc definitionem docent, *fatum* apud orthodoxos idem esse, quod *Divina Providentia*, quæ (ùt ait sapiens) *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, nec unquam in sua dispositione falli potest. Ejus functiones, circa res omnes creatas, sunt creatio & gubernatio, cooperatio cum creaturis, permissio, aut impeditio malorum, redemptio hominum; illuminatio naturæ rationalis, justificatio, & similia. *Docent 2.* Fatum, seu dispositionem Divinam sumi *activè, & passivè*: *activè* sumptum fatum est *mens, seu prudentia Divina omnia ponens. Passivè* acceptum fatum est *ordo, series, connexio, & habitudo, quam habent res creatæ ad finem hujus Universi. Docent 3.* Fatum, *adæquatè acceptum*, non esse unam aliquam causam adæquatam, sed complexum causarum secundarum, includens insuper præscientiam, providentiam, & omnipotentiam Dei. *Docent*

Quæ fatum longè quid aliud esse docet, quàm illi somnient.

(a) *Nicetas* 6. Annal.
(b) *Plutarch.* in *Crasso.*
(c) In Principe c. 25.
(d) Lib. 4. de consol. Philosophiæ.

cens 4. A præscientia Dei nullam causis liberis inferri necessitatem: præscientia enim Divina non facit; sed supponit futuritionem effectûs, liberè producendi à causis secundis, quibus Deus cooperatur juxta propriam cujusque exigentiam. His præmissis

Unde à Pseudo-Politicis Regnorum mutationes male adscribuntur fato.

Dicendum. Mutationes, & corruptiones Rerumpublicarum non debent adscribi fato, juxta sensum Hæreticorum, & Atheistarum explicato. Ratio est, quia tam incrementa quàm interitus Regnorum proveniunt à causis liberis, liberè agentibus, ùt mox videbimus. Fatum autem Acatholicorum omnem tollit libertatem, cùm dicit: *omnia in mundo fatali quodam ordine, ac inevitabili necessitate fieri.*

Causæ verè corruptivæ sunt duplicis generis. Externæ: Providentia Numinis.

Quæritur XII. Quænam sunt causæ veræ Rerumpublicarum corruptivæ? R. Causæ, quibus Regna mutantur, & destruuntur, duplices sunt: *Internæ* videlicèt & *externæ*. Inter *externas* numeratur 1. *Providentia Divina*, quæ propter altissimos suos fines, & demerita hominum *transfert regna de Gento ad Gentem. Permissio* item ejus sanctissima, quæ causarum secundarum dispositionibus, atque exigentiis sese accommodat. 2. *Conatus hostium*, aliena Regna invadentium.

Hostium ambitio. Internæ.

Interna causa dividitur *ab Aristotele* (a), *Platone* (b), aliisque Policicis *in fallaciam, violentiam, & delicta Civium.* Per *fallaciam* intelliguntur prava hominum consilia, quibus Respublicæ ab una in aliam formam commutantur, aut certè omninò intereunt. Hinc *Salustius* de bello *Jugurthino*: *Ego*, inquit, *ita comperi, omnia Regna, civitates, Nationésque usque eò prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicunque gratia, timor, voluptas corrupêre, post paulo imminutæ opes, denique eversum Imperium, postremò servitus imposita.*

Violentia.

2. Causa interna, *violentia dicta*, significat seditionem Civium, evertendis Regnis, atque statibus exitialem perniciem. Sedirio creat bella, bella sequitur cædes, cædibus exhauriuntur Cives, exhaustis Civibus supervenit hostis, & Rempublicam sui juris & potestatis facit. Ita potentia *Ottomanica*, internis *Christianorum* Principum dissidiis crevit, & *Orientale* Imperium ad *Turcas* transtulit: cùm enim *Palæologus* Imperator, intestino bello à Proceribus pressus, *Amurathem* in subsidium vocâsset, vicit quidem adversarios, sed ipse Imperiô *Constantinopolitanô* per *Turcam* est deturbatus. Ita cùm *Pisani* seditionibus intcinis agitarentur, à *Florentinis* oppressi sunt. Ita *Roberto*, & *Baliolo*, de Regno *Scotiæ* contendentibus, supervenit *Eduardus Anglus*, illúdque sibi in beneficium vindicavit. Et ne recentiora exempla penitùs transiliantur, dum *Polonia* intestino ardebat bello, *Moscus* potiorem *Lithuaniæ* partem abripuit: *Suecus*, nullo resistente, totum ferè Regnum in suam potestatem redegit. *Germaniæ* fata quis ignorat? Dum enim *Lutheri* tumultuoso tympano est concitata, partim intestinis cladibus, partim exterorum ferro, rapinis &c. propè obtrita est.

Cujus triplex causa: ambitio,

Seditioni civium planissimam sternit viam 1. *Ambitio*, factiones, & nimia potentia Optimatum, prout videre est in bellis civilibus *Romanorum* sub *Pompejo* & *Julio*.

Hæresis,

2. *Religionis dissidium*, ùt experta est *Germania* & *Bohemia*.

Tyrannis,

3. *Subditorum oppressio*: ex hac enim oritur in oppressis indignatio, ira, dolor, odium, vindictæ cupido, tandem aperta rebellio.

Delicta Civium.

Tertia causa eversionis Reipublicæ est *flagitiosa Incolarum vita.* Documento est *Israeliticus* Populus, qui quoties à pietate, cultúque veri Dei deflexit, toties aut tributarius hostium effectus est, aut in miseram captivitatem, & ærumnosam servitutem abductus. Porrò inter delicta Populi, eversionem Reipublicæ trahentia, hæc potissimùm censentur. *1. Injustitiæ Magistratuum, scelerúmque impunitas*, id Divinum testatur Oraculum (c): *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter injustitiam, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. 2. Pauperum oppressio: Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exsurgam dicit Dominus* (d). *3. Luxus Civium.* Mirari satìs non poterat *Cato Censorius*, quomodò subsistere possit civitas, in qua pisciculus bove cariùs venderetur: *Hannibali* quoque *Capuanas* delitias exitio fuisse, inversa docuit fortuna. *4. Fastus & arrogantia Populi. 5. Incontinentia vitæ*, signum evidens in lubrico stantis Reipublicæ. Patet in eversa *Pentapoli*, & tribu *Benjamin* propemodùm deleta. 6. Denique *iners otium, effeminati mores, neglectus vos militaris*, argumentum certum est perituri Populi. Exempla non tot quin plura suppeditant Historici annales.

TITU-

(a) 5. Politicor.
(b) 5. De Republ.
(c) Eccles. 10. v. 8.
(d) Psalm. 11.

Titulus 2.

TITULUS II.

De origine dominii, ac potestatis summæ. Instructio 1.

De origine dominii, officiisque exinde fluentibus.

INSTRUCTIO I.

De acquirendo rerum dominio.

De officio circa acquirendum rerum dominium.

§. 1.

§. I.

De origine dominii causalis, ejusque effectu in se, qui fundatur partim in jure naturæ positivo, partim in negativo.

De origine dominii, & prima rerum divisione.

QUæritur I. *Quid de dominio rerum, ejúsque origine in genere sentiendum?*

℞. I. *Per dominium rerum causale*, * seu *in genere*, & abstrahendo ab effectu, quem parit ad alios, ** denotatur *facultas utendi rebus in proprium commodum ex beneplacito proprio.* Hujus dominii origo *causalis est*, Author naturæ, Deus. *Fundamentalis* petitur à jure, quod ab authore naturæ homini datum, ut se conservet, vitámque ac felicitatem suam promoveat, qui finis, absque usu, & destructione Creaturarum, obtineri non posset. Ex quo fluit, quòd hujus dominii usus, ùt est medium *simpliciter necessarium*, se vitámque suam conservandi, sit juris naturalis *præceptivi*, id est, *propriè talis* *** ; ùt est medium, se suámque vitam, ac felicitatem meliùs conservandi, sit juris naturalis *impropriè talis*, seu *concessivi.* **** Patet ex fundamentali principio, quia prius dominium, saltem *quò ad usum fructum*, est exigitum ab amore, sibi naturaliter debito, utpote ad conservationem sui *simpliciter* necessario; posterius autem nec est *absolutè* exigitum, nec repugnans, Creatore Deo, in hominis gratiam, usúmque *rationabilem*, Creaturas cæteras destinante, ac largiente: Inde *Romanus* Orator (a): *ad hominum commoditates, & usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quæ gignuntur, donata, consultò nobis, non fortuitò nata videantur.* Neque rectè à *Puffendorfio* arguitur *Stagyrita*, cùm scripsit (b): *Si igitur natura nihil, neque imperfectum facit, neque frustra, necesse est, hominum causâ, hæc omnia fecisse naturam*: nam *hominum causâ* hæc visibilia creata intelligimus, etsi non omnia cedant in

* Dicitur causale, seu fundamentale, quod sit causa seu fundamentum dominii formalis, & parientis effectum ad alios, de quo infrà. Neque dicas, quòd meliùs diceretur dominium *formale* sed *in actu primo*, & *quidem imperfecto.* Nam ℞. Si res eadem, & appellatio solùm diversa, quis me coget jurare in verba Magistri?

** Circa hoc dominium, ejúsque effectum in se *quæri posset.* 1. An in *Adamo* fundârit jus *propriè* vel *impropriè* tale, cùm non notârit *exclusionem aliorum à re*, quæ *occupabatur* ad usum? ℞. Fundâsse jus *propriè* tale, ad quod sufficit *potentialis exclusio*, effectu actuali *per accidens* impedito. Oppositum defendit pluribus *Puffendorfius*, præter morem satis scholasticus L. 4. de J. N. & G. c. 4. § 3. *Thomasius*, qui more suo, scholasticorum *Momus*, dominium *potentiale* vocat *lucem sine lumine* in Jurisprud. Div. L. 2. c. 10. n. 54. *Vitriarius* in Instit. J. N. & G. L. 2. c. 2. n. 6. f. m 72. & alii. Nos in lite vocabularis cuivis loquendi modum relinquimus. *Quæri posset* 2. An, solo *Adamo* existente, occupatio rerum tribuerit jus formale, & quomodò? ℞. Quò ad usum rerum, *simpliciter* ad vitam *necessarium*, tribuisset jus *formale*, & quidem naturale *propriè* tale occupatione, & usu rerum proprietatem firmante; quò ad *non necessaria* tribuisset jus *formale*, interveniente *Adami* voluntate, atque facto completum; *naturale* quidem sed minùs *propriè tale*, quia *mera naturæ concessione* fundatum. *Quæri posset* 3. An usus rerum sit à dominio *absolutè* separabilis? ℞. Cum longè communiore Moralistarum *affirmativè*. Sed quæstio huc non pertinet.

*** In quo jure fundatur facultas utendi rebus, ad vitam *absolutè* necessariis, *in casu extremæ* necessitatis, nil obstante rerum dominio jure Gentium acquisito, cui juri prævalet jus naturæ.

**** *Puffendorfius* de J. N. & G. L. 4. c. 4. §. 1. ait: *unde ineptè quæritur, utrùm proprietas rerum sit à natura, an verò ex instituto?* nempe *ineptè* respectu *rerum*, non respectu *hominis*, ùt sese explicat per contextum.

(a) L. 1. de LL.
(b) L. 1. Polit. c. 5.

in usum hominis immediatum, cùm totius universi pulchritudo, atque coordinatio, *hominis causâ*, à Creatore Deo producta sit, ac ad eum, tanquam finem immediatum, ordinata. Unde non satìs apposité *Seneca: nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur* (a).

Etiam quò ad usum animalium,

℟. II. An usus creaturarum, *non necessarius*, hoc est, *ad commodum*, atque *jucunditatem*, immò & *voluptatem* à Naturæ authore concessus sit, aliquibus non ita est liquidum. 1. Quia saltem ex animalibus plerisque, alio modo, *quàm per destructionem*, utilitas percipi à nobis potest, V. G. à viventibus accipiendo lac, lanam, ova &c. à mortuis pelles, & corium. 2. Quia necessitatibus humanis consuli potest citra esum carnium. 3. Quia, *quò ad animalitatem* magna nos inter & bruta videtur esse cognatio. 4. Quia novimus ex sacris litteris, non nisi post diluvium edendorum animalium jus à Deo concessum (b), dum sine dubio, ante cataclismum Fideles saltem divinæ concessionis (quæ non nisi de oleribus, pomis, & frugibus loquitur) memores, ab esu carnium abstinuerunt. 5. Quia *ex sola ratione* firmum argumentum de esu carnium vix erui potest. Sed

Non necessarium,

℟. III. *Creaturarum, etiam animalium usus, si modò rationabilis, homini ab Authore Deo est absolutè concessus* *. Dicitur, usus *rationabilis*, siquidem abusus, saltem *quò ad modum*, ratione pravi affectûs, à ratione est alienus, & licèt non cederet in injuriam animalium, utpote quæ uti juris, ita & injuriæ incapacia; cedere tamen in injuriam Creatoris, propter abusum concessi juris, ac beneficii, ut ne dicam, propter pravum abutentis affectum, naturæ jure semper prohibitum. Afferti ratio *positiva* est *felicitas hominis*, ab Authore naturæ intenta, quæ non tantùm requirit usum, sustentandæ vitæ simpliciter necessarium, sed etiam usum, commodum, vitæ jucunditati, ac honestæ voluptati proprium; quo sine animalium increscens continuò copia universo noxia potiùs foret, quàm utilis. Ratio *negativa* est, quòd suprà recensita nil moveant. Nam volatilia, & aquatica, multáque ex terrestribus, absque occisione nil prosunt: neque tam commodè consuli vitæ potest absque esu carnium. Accedit, quòd juxta dicta in prolegomenis, comestionem carnium unquam fuisse prohibitam, præcipuè *naturæ jure*, nullatenùs probari potest, etsi ante diluvium, in maxima rerum omnium abundantia, primóque naturæ humanæ vigore, nonnulli ob causas extrinsecas, fors abstinuerint.

De origine dominii formalis, ejusque effectu in ordine ad alios.

Quæritur II. *Quid de dominio rerum in specie, seu de prima rerum divisione tenendum?*

℟. I. Dominium rerum *formale*, in specie, & prout parit effectum *in ordine, ad alios homines*, est *jus de re corporali liberè disponendi, eámque vindicandi.* Unde notat *possessionem*, quæ est detentio rei cum animo habendi *proprietatem*; hæc autem est qualitas, qua res sic ad aliquem pertinet, ut eodem modo *in solidum* non pertineat ad alium, cum jure exclusionis. Demum notat *usumfructum*, qui est jus utendi rebus pro libitu: ex proprietate sequitur *vindicatio*, ex usufructu *alienatio*. Unde aliud est dominium *perfectum*, quod est *in solidum*, & non tantùm proprietatem, sed & usumfructum, ac alienandi facultatem complectitur. Et aliud *imperfectum* seu ex parte, quod si proprietatem absque usufructu contineat, dicitur *directum*; si usumfructum absque proprietate integra, vel ejus parte, appellatur *utile*, quale datur in feudis & servitutibus, & vel à pactis, vel legibus positivis formam, modúmque accipit.

Quod supponit appropriationem rerum.

℟. II. Hoc dominium fundatur in quadam rerum seu *appropriatione*, seu *divisione*, quam factam esse negari nequit, *etsi Author, modus, & tempus majorem auguriis fidem non videatur expetere.*

Declaratur assertum. 1. Res omnes initio ab Authore naturæ Deo, *velut in medio hominibus expositas*, ita ut non magìs ad hunc, quàm alium pertinerent, non malè asserit *Puffendorfius*: data tamen hominibus est facultas, sic disponendi circa res omnes, prout conditio humani Generis, ratio pacis, atque felicitatis, boníque ordinis in eodem conservandi, videretur

(a) De ira L. 2, c. 27.
(b) Genes. 1. v. 29. & 30.
* *Thomasius* in Jurisp. Div. L. 2. c. 10. denuò heteroclitum se probat, dum ait; quærere, quo jure homo exerceat facultatem utendi rebus, esse *quæstionem Domitianam.* 1. *Quia jus homini nullum respectu Dei*; at cur non possit facultas esse à Deo? 2. *Quia respectu hujus facultatis sufficit, si modò nihil afferri possit, quod istam potestatem impugnet.* At afferri aliquid posset, nisi demonstraretur jus Creatoris concessivum, quod *absque revelatione* fieri potest, uti ibidem, *ex ratione naturali*, ipsemet hoc demonstrat, saltem *quò ad res*, ad vitam hominis *necessarias*.

tur exigere. Hæc facultas nonnullis *generale, indefinitum dominium* appellatur, * cùm sit potestas ad introducenda dominia particularia, qua sine homines hæc introducere *justè* haud potuissent. Et quia omnes æqualiter gaudebant hoc jure occupandi res nullius, suósque in usus convertendi, hic rerum status *communio* primæva Politicis appellatur, quam *in sensu negativo* rectè dixeris *facultatem utendi rebus creatis, communem omnibus in ordine ad easdem sibi privativè appropriandas.* Hanc rerum communionem initio, cùm adhuc inter paucos subsisteret mortalium genus, obtinuisse, vero haud absimile videtur. 1. Quia à paucis res universi actu occupari haud poterant. 2. Quia, ut de occupandis tantoperè laborarent, necesse non fuit abundantibus vitæ subsidiis.

Quæ diu durare non potuit. *Declaratur assertum 2.* Hæc *primæva rerum communio* vel nunquam fuit universalis, vel saltem diu ** durare non potuit. *Ratio est. 1.* Quia mox primi mortalium non solùm fructus, sed & pecora, atque fundos, jure proprio sibi asseruisse videntur, uti innuit historia sacra. *Ratio est 2.* Quia nec pecus sine cura, nec terra sine cultura, multum profert: unde quilibet suorum laborum fructus sibi proprios habuit. *Ratio est 3.* Quia multiplicato sensim Genere humano & invalescente habendi cupidine, à primæva hac communione recessum est.

Appropriatione rerum prima per occupationem. *Declaratur assertum 3.* Modus introducti dominii non est satis explicatus. Initia sumpsisse *ab occupatione*, qua res nullius proprii juris esse factas, videtur esse verosimilius. Ut tamen hæc occupatio esset acquisitionis legitimus titulus, etiam adversus alios, niti debebat ordinatione rationi consuetudinaria, jus Gentium fundante, qua sine nemo dominii sui securus esse potuisset, uti infra declarabimus. Inde *Puffendorfius* (a): Cùm adhuc *inter paucos mortalium Genus subsisteret, placuit, ut illa quidem cujusque fierent, nec ab altero ipsi eripi deberent, quæ quis apprehendisset*, hac intentione, ut eadem ad usus suos applicaret: ipsa tamen *corpora*, ex quibus illæ res provenirent, ad neminem peculiariter spectantia, manerent. Accedit, quòd etiam res arte vel labore proprio comparatæ, in proprietatem abierint, id quod v. g. de ovibus *Abelis* nemo inficias iverit.

Subinde etiam per divisionem. *Declaratur assertum 4.* Multiplicato tamen Genere humano, accessisse sensim varias rerum divisiones, firmatas pactis etiam expressis, negari haud potest. *Ratio est*, necessitas evitandi rixas, & introducendi ordinis, uti patet exemplo *Abrahami* & *Loth* (b). 2. Testimonia S. Scripturæ, queis constat, quòd, circa *Phalegi* tempora, *divisa sit terra* (c), communi Interpretum calculo divisionem quamdam adstruente. An autem *prima* hæc divisio; an à *Noemo* facta sit anno Mundi 1789. an post confusionem linguarum *Babyloncam* contigerit altera; an potestate *Adami*, seu *Noemi paterna*; an *ordinatione* alterius Principis ad hunc finem designati; an per modum *occupationis*, *sortitionis*, *vel alterius divisionis* ipso rerum usu & coniuetudine; an *consensu* & *pacto* hominum tacito, vel expresso, cùm sileat S. Scriptura, ratio non nisi in auguria evagari potest.

Declaratur assertum 5. *Ziegleri, Strauchii*, aliique (d) negant *primævam rerum communionem*, asserentes proprietatem hujus universi à Creatore sic donatam *Adamo*, ut vi hujus donationis verè fuerit *Dominus totius Orbis*, & consequenter nemo, neque filii ejusdem, citra *Adami* donationem, assignationem, aut cessionem, quidquam occupare, absque ejus injuria, potuerit. *Rationem* hujus opinionis si petas, nulla additur, nisi quòd *Grotius*, in primæva rerum communione usum rerum, *exclusum à proprietate*, supponat. At *usum facti*, in rebus etiam consumptibilibus ab *usu juris*, seu dominio proprietatis separabilem, adstruit sat communis Doctorum; neque opus est hac sententiâ, cùm, stante primæva rerum communione, *per ipsum usum*, id quisque, quod occupavit, sibi proprium fecerit, sic ut à nemine jure potuerit impediri. Et quæ-

* *Puffendorfius* L. 4. c. 4. §. 10. Accepit homo jus in res, ex concessione Numinis, sed *indefinitum, generale, indifferens*, neque *restrictum* ad proprietatem, vel communionem, & quod homines, prout ratio & necessitas suaderet, in peculiarem quasi formam redigere possent.

** Illud falsum, quòd *talis communio ne quidem minimum temporis durare potuisset, quod naturæ rationali contraria, ferina, insociabilis*, uti vult *Becierus*, rectè à *Puffendorfio* refutatus. L. 4. de J. N. c. 4. §. 14.

(a) De off. hom. & civis L. 1. c. 12. §. 2. L. 4. de J. N. c. 4. §. 6.

(b) Gen. 13. v. 9.

(c) Gen. 10. v. 25.

(d) Apud Grotium. L. 2. c. 2. §. 1. in notis.

quæso, cur *res nullius*, quas occupandi quilibet facultatem habet, *in communione existere*, dici nequeant?

Primæva communio rerum, atque divisio est juris naturalis impropriè talis.

℞. III. *Uti primæva rerum communio, ita & earundem divisio est juris naturalis merè negativi. 2. Unde origo dominii proprietatis remota non habetur à jure naturæ, nisi impropriè tali; proxima per occupationem, vel etiam divisionem jure Gentium firmatam.*

Declaratur primum membrum. Quod nec *positivè* repugnat, nec *determinatè* exigitur *ab amore, vel sibi, vel proximo naturaliter debito, seu ad felicitatem, societatis humanæ proprio, simpliciter necessario*, id est, naturæ jure merè concessum: tale quid est *primæva rerum communio*, earúmque facta successivè *divisio. Min. quò ad 1mum P. Bonorum communio*, tantùm abest, *ut positivè* repugnet amori sui, vel proximi, aut ad felicitatis publicæ turbationem necessariò vergat, ut amori mutuo, *per se loquendo*,* sit potiùs admodùm consentanea; non tamen est *absolute* exigita ab amore, proximo naturaliter debito, quia *determinatè* haud necessaria ad felicitatem, societati humanæ propriam, cùm nil obstante divisione hæc felicitas haberi possit; immò, *supposito statu naturæ lapsæ* longe faciliùs pax & tranquillitas publica, rerum *divisione* habeatur & conservetur. *Min.* P. etiam *quo ad 2. Rerum divisio*, supposito statu naturæ lapsæ, tantùm abest, ut repugnet amori, sibi vel proximo *naturaliter* debito, ut etiam ad pacem & felicitatem societatis humanæ sit longè conformior, & quodammodò necessaria, etsi non tam *absolutè* exigita, ac si absque divisione, tanquam medio, *per se*, & *determinatè* requisito, felicitas societatis humanæ publica nullatenùs haberi posset: nam, ut jam in prolegomenis diximus, licèt natura humana exigat conservandam tranquillitatem publicam, *probari tamen nullatenùs* potest, quòd exigat *per se* & *simpliciter*, conservandam *hoc determinatè medio divisionis*, cùm satis sit, quòd exigat conservandam pacem *per qualecunque medium* vitandi lites, ac jurgia, *jure Gentium determinandum.*

A quo descendit dominii proprietatis origo remota, proxima à jure Gentium.

Declaratur 2. membrum. Origo *dominii proprietatis* remota fluit ex facultate utendi rebus, ab authore Naturæ velut in medio positis, seu ex dominio, *quasi negativo*, à natura indulto: atqui hoc respectu rerum creatarum *in genere*, est juris merè concessivi, ùt suprà vidimus. *Rursus*: Origo proxima habetur *per appropriationem*, quæ vel consistit in prima occupatione respectu *rerum nullius*; vel in quadam divisione, seu consensu hominum prævio, seu usu longævo firmata, in ordine ad evitandam confusionem, discordiam, pacemque publicam promovendam, qui usus *jus Gentium* fundare solet. Nam *supposito statu naturæ lapsæ*, & *multitudine hominum*, ad rationis rectæ dictamina adstringi nolentium, *justa*, societati humanæ *magis consentanea*, & quodammodò *necessaria* ad tranquillitatem publicam fuit *rerum divisio*, qua acquirerentur dominia particularia cum *aliorum exclusione*, ùt jam alibi declaravimus. Rectè hæc complexus Doctor mellifluus, cùm scripsit (a): *Natura omnia omnibus in commune profudit: sic Deus generari omnia jussit, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio: natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum.* In eundem sensum Angelicus (b): *unde proprietas possessionum non est contra jus naturale, sed juri naturali superadditur per adinventionem rationis humanæ: nempe ex condicto humano, quod pertinet ad jus positivum*, hoc est Gentium. **

℞. IV. *Quæ contra divisionem rerum opponi solent, non stringunt.* Nam

Si dicas 1. Quòd ratio naturalis esse necessarium dictat, est juris naturalis præceptivi: atqui, suppositâ Generis humani multiplicatione, *divisionem rerum* esse necessariam dictat.

℞. Hanc regulam dignoscendi juris naturalis haud esse genuinam. Sed Tr. *Maj.* D. *Min.* Divisionem dictat esse necessariam *absolutè*, & *determinatè* in se, sic ut eandem natura instituerit. N. Dictat esse necessariam *quomodocunque*, & *indeterminatè*, sic ut exigat determinandam, atque instituendam jure Gentium. C Ratio naturalis etiam dictat punienda esse peccata, non tamen dictat esse punienda *determinatè* per suspendium, sed determinationem relinquit juri civili.

Si dicas 2. Furtum est contra jus naturale: ergo res ablata fuit jure naturæ propria.

℞. N.

---

* Nam *per accidens* non quidem *causa*, sed tamen *occasio* litium esse solet hominibus depravatis.

(a) L. 1. de offic. c. 28.

(b) 2. 2. Q. 66. art 2. ad 1.

** *Suarezius* in Defens. fidei Cathol. L. 3. c. 2. n. 14. *Immediatè non dedit Deus (ordinariè loquor) alicui homini proprium, & peculiare dominium alicujus rei, sed immediatè omnia fecit communia: privata autem dominia partim jure Gentium, partim jure civili introducta sunt.*

R. N. C. Jus naturæ quidem dictat non esse rem Domino auferendam; at Dominum non facit: sicut idem jus etiam dictat, esse Domino parendum, non tamen propterea unus homo est *jure naturæ* Dominus alterius.

Si dicas 3. Rerum divisio est medium *determinatè* & *simpliciter* necessarium ad conservandam pacem, & tranquillitatem publicam, *supposita hominum multitudine*: ergo est juris naturalis non merè permissivi, sed præceptivi. A. ex eo suadetur, quòd non sit aliud medium conveniens assignabile. Sed

R. N. A. Ad P. Etsi assignabile non sit, probatur, aliud medium competens non esse possibile: nam impossibilitas rerum, ex contradictoriis demonstranda, Adversariis incumbit. Et cur medium evitandi rixas, ac componendi dissidia circa res necessarias, vel per occupationem appropriatas, *saltem absolutè loquendo*, haberi non potuisset per arbitros, è familiis, vel vicinis populis electos? cur medium excitandi homines ad diligentiam in procurandis vitæ necessariis esse non potuisset, *saltem absolutè loquendo*, Authoritas. Parentum, Majorum, delectorum Inspectorum, Præfectorum, Superiorum, qui non defuissent? cur impellere non potuisset ipsa necessitas, vitæ meliùs sustentandæ commoditas, & sic de aliis? Neque obest: quòd rerum divisio saltem sit *commodissimum* tranquillitatis conservandæ medium; nam jus naturæ absolutæ necessitati prospicit; commoda juri Gentium relinquit disponenda.

Si dicas 4. Authore *Justiniano* (a), *quod antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur*: ergo res nullius, antè divisionem *naturali jure* fuerunt appropriatæ.

R. *Justiniano*, ùt jam alibi diximus, jus naturale dici *jus Gentium*, utì ex contextu, & præcedente paragrapho legenti est manifestum.

Si dicas 5. Ex dictis patet, quòd rerum divisio supponat *statum naturæ lapsæ*, sitque inducta solummodò *ad præcavendas lites*: ergo eandem in prolegomenis (b) malè admisimus, etiam *in statu naturæ integræ*, qui longè perfectior, & absque jurgiis.

R. D. Quòd *præsens* rerum divisio supponat statum naturæ lapsæ, inductáque sit ob præcavendas lites. C. Quòd *omnis* divisio, inducenda etiam ad abundantiam perfectionis, N. Sic in præsenti Ecclesiæ statu, obtinet rerum divisio, utpote, *cessante illa primæva, communique charitate, & accedente Fidelium multiplicatione tanta*, magis utilis, ac necessaria, etsi *manente primæva charitate*, potuisset, immò & probabiliùs fuisset inter multiplicatos Fideles inducta quoque dominiorum, rerúmque quædam divisio, *sed demptis imperfectionibus præsentis status*: ita à pari in statu naturæ integræ. In iisdem prolegomenis (c), eundem in modum, admisimus in statu naturæ integræ inducendam fortè quamdam subordinationem politicam, sed ad abundantiam perfectionis, cui ordo præsentis status per Reges, Doctores &c. non comparandus, utpote supponens statum naturæ corruptæ, & subordinationem longè diversam, mediisque oppositis instructam.

§. II.

§. 2. *De dominio maris.*

De dominio maris.

Quæritur III. *Quænam sint conditiones ex parte rerum, proprietatis capacium, qualésque dicantur res inexhaustæ utilitatis?*

Conditiones requisitæ ad proprietatem rerum.

R. I. Communiter solet adstrui *triplex conditio*. 1. Ut usum præbere possit *mediatè*, vel *immediatè, per se*, aut *per cohærentiam* cum alia re, quale est lumen respectu ædificii, aër respectu regionis; mare adjacens respectu littoris. &c. *Ratio est*: quòd rem planè inutilem sibi appropriare velle supervacaneum, & ineptum esset: etsi fortè difficile sit, ejusmodi rei planè inutilis exemplum proferre. 2. Ut res non præbeat naturâ suâ usum, omnibus sufficientem, citra periculum dissidii. Nam sibi appropriare rem inexhaustæ utilitatis, aliósque arcere velle, esset contra legem naturæ, fundatam in principio amoris naturaliter debiti: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Tale quid est lumen, calor solis, aër, aqua *in se &c.* Authores his accensent communiter *vastum oceanum*, de quo infrà. 3. Ut res ipsa apprehensioni & custodiæ hominum aliquatenus obnoxia sit. *Ratio est*: Quia, cùm proprietas includat *per se* jus, alios homines ab ea re arcendi, inutile hoc foret, nisi adversùs alios in actum deduci posset: quo pacto peccaret quis in officium hominis erga

(a) § feræ 12. Instit. de rerum divisione.
(b) *Instruct* 1. §. 1. observando VII.
(c) L. c. observando VI.

ga se ipsum, quod jubet, *supra vires non esse nitendum*, V. G. si *unus* populus vellet sibi vastum appropriare Oceanum.

Qualia sint loca inculta, insula deserta.

℞. II. Etiam post introducta dominia non cessavit penitus *omnis rerum communio*, cùm salva pace Generis humani res aliquæ *potuerint*, aliæ *debuerint* permanere *communes*, hoc est, spectata proprietate *nullius*.

Res inexhausta utilitatis dominii incapaces.

Explicatur. Videtur certum, res non simul & semel, sed succcessive, ad exigentiam Generis humani, proprietati fuisse subjectas: ergo potuère complures, præsertim incognitæ, manere sub primæva rerum communione. Rursus: videtur, res quasdam esse *inexhaustæ utilitatis*, quas inter V. G. calor solis, aër, aqua profluens, ùt sunt *in se*, vastus item Oceanus, circa quem gyratur cardo præcipuæ quæstionis &c. Dicuntur *inexhaustæ utilitatis*, non tantùm, quòd præbeant usum, omnibus sufficientem citra dissidii periculum, sed etiam sic occupari haud possint, ut ab earum usu alii excludi queant: ergo res ejusmodi *debuerunt* manere in communione primæva. Quæ enim Gens, etsi potentissima, vasti Oceani ostia firmiter claudere, & ab ingressu alios arcere velit, aut possit? Adeóque supervacaneus foret conatus, & inani litigio nimis obnoxius. Ita *Grotius* (a), & alii. Sed

Diversa maris acceptio.

℞. III. Oceanus, seu mare *sub diversa ratione* consideratur à Publicistis. 1. Mare *internum*, sic dictum, quòd interiora terræ ingrediatur, Regnorúmque littoribus concludatur, atque hoc nomine veniunt maria minora, quale V. G. *Adriaticum, Venetus* desponsum &c. quò etiam reducuntur *Sinus*, *freta*, *lacus* &c. 2. Mare *externum*, sic appellatum, quòd extima terræ ambiat, variásque alluat regiones, ac littora, à quibus, quandoque varia sortitur nomina, quò pertinent *portus* &c. 3. Mare *vastum*, seu Oceanus, magnis continentibus interjectus, & quò ad partes à littoribus remotissimus.

De dominio maris famosa disceptatio.

Quæritur IV. Quid de proprietate, marísque dominio memorandum?

℞. I. Famosa, elapso sæculo, orta est controversia, *an mare dominii, & proprietatis sit capax?* Ansam præbuit fœderatum *Belgium*, quod refragante *Hispania*, mare volebat liberum *naturæ jure*, *ac Gentium*, adeóque & libera sibi ad *Indos* commercia. Ad horum mentem *Hugo Grotius* librum parturiit *de mari libero*, quam tamen sententiam, alio *Batavos* afflante vento, multis postmodùm limitibus, veluti littoribus circumsepsit. Contrà *Seldenus*, partim æmulis *Grotii* studiis, partim favore Nationis *Anglicæ* contra *Batavos* incitatus, *Grotio* opposuit librum *de mari clauso*, quam epigraphen, veluti minùs eruditam, *Thalassocratiæ* titulo, *Grotius* correxit. Apologetam *Grotianum* egit successu temporis *Theodorus Graswinckelius per vindicias maris liberi*, quod opus, ex sententia *Arsenii Sommelsdikii*, qui stilo ferreo efficaciùs *Batavorum* vota defendi posse ajebat, lucem publicam non aspexit, quantùm constat. Nec *Seldeno* defuère epitomatores *Rivii*, plurésque cum *Strauchio* fautores, uti videre est apud *Grotium* (b): mediam viam tenuère *Bœcleri* (c) Et nos, non nisi pro notitia Academica authorum sensa in pugnum contrahimus.

Mare internum dominii capax.

℞. II. *Mare internum dominii ac proprietatis esse capax, naturæ jure permissivo, & Gentium positivo, est sententia communiter recepta.* Patet usu Gentium communi, ipso *Grotio* eundem legitimum profitente. **Ratio est* 1. Quia ejusmodi maria, freta, lacus &c. sunt *accessoria* fundorum, æquè capacia dominii, ac ipsa territoria. 2. Quia utilitatem nobis præstare, & custodiri possunt. 3. Quia non sunt *inexhaustæ utilitatis*, sed augent vel minuunt rerum pretia. 4. Quia coluntur, & conservantur per expensas peculiares, & eorum communio foret periculis, præjudiciis, ac damnificationi obnoxia, non aliliter, ac si territorium foret commune. 5. Quia omnis res admittit dominium humanum, de qua homo potest disponere in ordine ad omnem illum usum, cujus res illa est capax: atqui hoc modo potest homo disponere de mari interno; potest enim sibi attribuere jus navigandi, negotiandi, piscandi, vectigalia imponendi &c. exclusis aliis: ergo mare admittit dominium humanum.

Ubi & externum.

℞. III. *Etiam mare externum, eodem jure dominii, ac proprietatis est capax, ex satis communi authorum.* Rationes prædictas videtur ipsemet *firmare usus*, quo Gentes maritimæ non quidem initio sed post inventam navigationis praxin, sen-

(a) De J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 3.
(b) In notis L. suprà cit.
(c) In dissert. cui titulus: *Minos, maris Dominus.*
* L. 2. de J. B. & P. c. 3. §. 8. subnotante *Boeclero*: *incipit Grotius restringere, & corrigere ea, quæ in mari libero liberalius disseruerat.*

ſenſim occupârunt, * & de facto, poſt occupatum territorium, præſumantur etiam occupâſſe alluentem Oceanum, in quantum portubus, ſeu exſcenſioni opportunus, aut, *munimenti inſtar*, ditioni neceſſarius; ** vel etiam, ratione *utilitatis*, commodius cuſtodiri, ſuo ex territorio, poteſt.

Etiam vaſtus Oceanus, per ſe, & ex ſua natura, non eſt incapax proprietatis.

℞. IV. *Etiam vaſtus Oceanus, in ſe ſpectatus, dominii & proprietatis non videtur eſſe incapax abſolutè. 2. Licèt incapax ſit per accidens, ſaltem reſpectu unius Gentis, vel etiam plurium. 3. Hoc tamen non obſtante Oceani libertas uſúsque innoxius fundatur partim in primæva communione, partim in lege humanitatis naturali, ac Gentium poſitiva.*

Probatur aſſertum quò ad 1. Poſſunt ea, quæ jure naturæ omnibus communia, ſucceſſu temporis, ob emergentem neceſſitatem, ſic ab hominibus occupari, ut poſthac fiant propria, ac privata: ergo etiam vaſtus oceanus. A. Patet ex dictis. C. P. 1. à paritate cum terra, quæ, etſi vaſtiſſima, nihiloſeciùs, exutâ primæva communione, tam quò ad uſum, quàm quò ad proprietatem, ſucceſſu temporis dominium induit, ſeparata in varias ditiones, atque Provincias. C. P. 2. Neque maris natura, neque alia ratio moralis huic occupationi, ac proprietati refragatur: nam ſicut Creator dixit: *ſubjicite terram*, ſic dixit, *dominamini piſcibus maris* (a). ergo. A. clareſcit ex replicis. Nam

Ubi nonnulli contendunt.

Opponunt adverſarii 1. cum *Grotio*. Oceanus *ex ſua natura* eſt *inexhauſtæ utilitatis*, omnibúsque ſubminiſtrat uſum ſufficientem, tam in piſcando, quàm navigando: ergo ceſſat ratio proprietatis, ob quam res adſtruuntur diverſæ.

℞. 1. Etiam terra, *ſecundùm ſuam amplitudinem conſiderata*, vel æquè eſt inexhauſtæ utilitatis, ſufficiens ad quemvis uſum, quò ad habitationem, venationem, frugum, ac fructuum productionem; vel etiam Oceanus eſt æquè exhauribilis utilitatis, per uſum ac piſcationem promiſcuam, ſaltem quò ad partes magìs æſtimabiles, ubi gemmas, corallia, ſuccinum, certáque genera piſcium &c. reperire eſt: ergo vel uterque, vel neuter erit capax proprietatis.

℞. 2. Tr. A. N. C. Ratio inductæ proprietatis, *ſaltem primaria*, haud fuit, quòd terra ſit *exhauribilis utilitatis*; ſed quòd & *in ſe* & *naturæ jure* ſit occupabilis, & circa res, etſi omnibus *abſolutè* ſufficientes, *in ſtatu tamen naturæ depravatæ*, abſque proprietate, atque dominio poſitivo, pax & felicitas publica conſervari *moraliter* non potuerit. Jam ſic: hæc ratio pugnat ſaltem pro Oceano *interno*, atque *externo*, neque facta eſt injuria Gentibus, occupatis his Oceani partibus, quæ priùs quidem non occupatæ, occupabiles tamen erant ex ſua natura: ergo hæc ipſa ratio pugnat etiam pro vaſto Oceano, *ſecundùm naturam ſuam conſiderate*, cùm par ſit ratio utrinque. *Opponunt* 2. Eſt ratio diſpar non una: nam 1. Terra, etſi Oceano dicatur major, *abſque cultura* tamen, & in moderna hominum multitudine non ſufficeret, eſſetque *exhauſtæ utilitatis*: at Oceanus, *culturæ haud indigus*, eſt *inexhauſtæ*, ut adeò ridicula ejus foret diviſio, teſte *Puffendorfio* (b). 2 Vaſtus Oceanus, à continenti & littoribus remotiſſimus, *ut acceſſorius Regionum*, conſiderari non poteſt, poſſunt mare *internum* & *externum*. 3. Eſt res *interminabilis*; terminabiles ejus partes, & terra, etſi vaſtiſſima. 4. Eſt *inoccupabilis*, ejúſque cuſtodia fruſtranei conatûs, quia abſolutè impoſſibilis. 5. Eſt uſûs extraordinarii, non omnibus communis; terra verò eſt uſûs ordinarii, omnibus communis, adeóque litibus plurimis expoſiti.

℞. 1. *in genere* D. Et hæ rationes probant, vaſtum Oceanum eſſe dominii ac proprietatis incapacem *per ſe* & *ex ſua natura*. N. Eſſe incapacem *per accidens*, & *ex ratione extrinſeca*. Tr. *In ſpecie* ad 1. Si terra eſt exhauribilis utilitatis reſpectu multitudinis hominum modernæ, ſaltem *abſque cultura*, cur Oceanus reſpectu piſcationis, gemmarum &c. exhauriri non poſſet, ſi à tanta multitudine occuparetur? an ridicula tunc foret diviſio, præcipuè cùm coli non poſſet *quò ad utilitatem*; Quòd autem æquè non habitetur, ob difficultatem *aquæ mobilis* ac *ſalſæ*, non provenit ab Oceano, *dominii incapace*, cùm in ſe ſit ejuſdem naturæ, ac partes, certò proprietatis capaces; ſed oritur ab incapacitate extrinſecæ difficultatis, ſe tenentis ex parte hominum.

Ad 2. Etſi vaſtus Oceanus, quaſi territoriis *acceſſorius*, conſiderari non poſſit, poſſet tamen occupari *per ſe* E. g. ſi, quod innuit *Grotius* (c), plures claſ-

ſes

* Hiſtoriam hujus ſucceſſivæ occupationis texit *Puffendorfius* L. 4. de J. N. c. 5. §. 8.

** Inde Dux *Somorſetiæ* apud *Sleidanum* L. 20. *Oceano claudimur undique, tanquam mœnibus, & vallo firmiſſimo.*

(a) Gen. 1. 28. In piſces autem imperium intelligi nequit, niſi ſimul ſit jus in elementum aquæ, quod inhabitant, prout ejus admittit natura uſurpandi. *Puffend.* L. 4. c. 5. n. 5.

(b) L. 4. c. 5. §. 4.

(c) L. 2. de J. B. & P. c. 3. §. 13. n. 2.

ſes maritimæ, diviſo Regnorum inſtar Oceano, ſibi vindicarent, & *ſtabiliter* ibi ſubſiſterent, quæ implicantia? Certè *Auguſtus* Cæſar duas claſſes unam ad tutelam maris ſuperi, alteram ad tutelam maris inferi, in *Italia ſtabiliter* diſpoſitas habuit.

Ad 3. D. Vaſtus Oceanus eſt res *interminabilis*, hoc eſt; non habet terminos proprios. C. Non habet alienos v. g. Inſulas, portus, ſcopulos eminentes, brevia, adverſa promontoria &c. vel ſaltem cœleſtes ex ſideribus, hydrographicos ex ſphæra cœleſti N. Oceanus æquè hodie eſt dimenius cum ſuis inſulis, ac terminatus eſt continens cum ſuis Regnis. *

Ad 4. *Eſt inoccupabilis* ex ſua natura, & *per ſe*. N. *Per accidens*, difficultate cuſtodiæ Populos abſterrente. C. Etiam tellus, maximè ſub zonis frigidis, haud occupata, & habitata eſt propter difficultatem, ex quo nemo inferet, *de ſe* non eſſe occupabilem.

Ad 5. Uſus maris, *minùs ordinarius*, probat quidem Oceanum minùs occupatum, ac dominio ſubjectum, quàm terram; non tamen probat, minùs occupabilem *de ſe*, & proprietatis minùs capacem *ex ſua natura*, quod ſolum hìc propugnatur.

Opponunt 5. Non eſt aſſignabilis *modus* appropriandi maris, etiam *externi* ſolummodò, ut ne dicam *vaſti Oceani*: ergo eſt dominii incapax ex ſua natura. A. P. Non modus *per occupationem*, quæ certis terminis definiri nequit. Non *per diviſionem*, in quam Gentes, tantoperè diſſitas, conveniſſe unquam, nemo vel imaginarius ſibi facilè finxerit. Non *per præſcriptionem*: cui abſque Gentium conſenſu *etiam immemoriali*, titulus ac bona fides deficeret. *Confirmatur*: *ſi mare* proprietatis eſt capax, tunc etiam *aer*, quod nemo dixerit: cùm elementa extra *humanum commercium* eſſe noſcantur.

℞. N. A. Nam idem eſt aſſignabilis modus reſpectu Maris, ac Telluris, nempe *per occupationem* territorii maritimi, qua tantum maris quis occupâſſe cenſetur, *quantum ad neceſſitatem & utilitatem territorii ſui requiritur, atque defendi poteſt*, aliis ad teli jactum, vel tormenti globum; aliis ad ſexaginta, immò & ad plura milliaria ſpatium extendentibus. Illud ſat conteſtatum, *ad occupationem* immobilium opus non eſſe, ut quis ſingulas partes circumambulet, ſed cùm quis fundum intrat animo occupandi, totum jam occupâſſe intelligatur. *Per diviſionem* expreſſis pactis, *certa maris ſpatia*, eſſe appropriata, conſtat ex transactionibus publicis, quarumdam Gentium. Nam teſte *Puffendorfio* (a), *poſtquam conſtitit*, inventa navigatione *alios quoque populos ex terra, in vacuum hactenus mare, ditionem ſuam*, neceſſitatis vel utilitatis ergo *protuliſſe, rectè præſumitur, reliquos populos haud quidquam deteriore conditione eſſe voluiſſe*, ut adeò pactum Gentium tacitum ſatis eluceſcat. Unde præſcriptioni ſaltem immemoriali, titulus, ac bona fides deeſſe nequit: *quò ad vaſtum Oceanum* ſicuti occupatio, diviſio, & conſequenter præſcriptio *moraliter* poſſibilis non eſt, ita is, non quidem *ex ſua natura*, ſed tamen *per accidens* intelligitur etiamnum eſſe in primæva rerum communione. *Ad confirmationem* dicendum, quòd elementa, *ùt ſunt in ſe*, ſint quidem extra humanum commercium, dicantúrque *res nullius negativè tales*, in proprietate tamen ſint, quatenus *ùt territorii acceſſoria*, reputantur. Hinc de aëre *Puffendorfius* (b); *Etſi in Geneſi præter dominium animalium, & piſcium, etiam volucrum fiat mentio, tamen cùm in aëre homini verſari ſit negatum, ita ut à terra ſit disjunctus, ſoli aëri innixus, ideò imperium in aërem exerceri non potuit niſi quò ad usque, qui in terra ſunt, pertingere queant.*

Declaratur aſſertum quò ad 2. Vaſtum Oceanum ab una Gente, immò etiam pluribus, occupari, & in proprietate conſervari *moraliter* non poſſe, adeóque *per accidens* eſſe dominii incapacem, ſatis clareſcit ex dictis. Hoc tamen non obſtante, utì rectè animadvertit *Grotius* (c), poſſet Gens Genti per pacta ſeſe obſtringere, quòd ultra certum Oceani terminum nolit navigationem provehere. *Ratio eſt:* quia

Eſt tamen incapax per accidens ratione difficultatis extrinſecæ.

* Terminos ejusmodi poſitos legimus per lineam à polo arctico ad antarcticum, tempore *Alexandri* VI. Papæ, dum inter *Luſitanos*, & *Caſtellanos* diviſæ ſunt Inſulæ tunc repertæ & reperiendæ, uti refert *Seldenus*, qua de re admodùm nugantur *Hubnerus* in den Hiſt. Fragen. P. 9. L. 3. f 990. legatur Bulla apud *Bzovium* in Annal. ad An. 1490. N. 20. ubi Puntifex jus tribuit *Ferdinando* in illas terras repertas & reperiendas eo fine, *ut ibi Chriſtiana religio dilatetur; incolæ ad fidem reducantur, & animarum ſalus procuretur*; item ea conditione, *ut Viri Apoſtolici ad Nationes has excolendas eò ablegentur.* Videantur etiam dicta in Coll. Hiſt. P. VI. f. 133.

(a) L. 4. de J.N. & G. c. 5. §. 8.

(b) L. c. §. 5.

(c) L. 2. c. 3. §. 15. n. 1. & 2.

quia in alterius gratiam, cujus id interesset, posset Gens una facultatem illam, naturæ permissivam, quam habet cum omnibus communem, sibi restringere, etsi jus prohibendi nullum alteri Genti competeret. *

Unde Oceani libertas, ejusque innoxius est juris naturæ & Gentium.

Explicatur assertum quò ad 3. Vastus Oceanus nunquam hactenus fuit occupatus, dominióque subjectus *ex toto*, nec etiam subjici *moraliter* potest: ergo manet *in primæva rerum communione*, ut adeò ejus usus innoxius à nemine prohiberi *jure* possit. Item: Oceani usus, siquidem verè sit *innoxius*, nulliúsque juri acquisito præjudiciosus, etiam in partibus, dominio subjectis, quò ad navigationem, piscationémque, victui per *transitum* necessariam &c. pertinet ad officia imperfecta *innoxiæ utilitatis*, fundatúrque in amore *non qualicunque ultroneæ humanitatis*, sed *naturalis æquitatis*, hoc est, *in amore, cuivis naturaliter debito*, quia ad felicitatem naturæ rationali, saltem *negativè* propriam, *simpliciter necessario*, ergo *est juris naturalis, propriè talis*, utpote qua sine obligatione felicitas, naturæ rationali propria, saltem *negativè* deficeret, juxta ea, quæ fusiùs disputavimus suprà (a). Item: vasti Oceani libertas sic expedit societati humanæ propter communem Gentium seu necessitatem, seu utilitatem, ut earundem longævo usu firmata sit: ergo est etiam juris Gentium positivi.

§. 3.

Origo commercii occasionalis rerum divisio.

§. III.

De Origine commerciorum.

Quæritur V. *Quæ de origine commercii, præcipuè maritimi, tenenda?*

℞. I. Commercii nomine intelligitur *mutua inter homines, mediante permutatione, aut emptione, ac venditione, earum rerum communicatio, quibus mutuò egent.* Hujus communicationis *Origo occasionalis* fuit rerum *divisio, & dominiorum introductio. Explicatur:* Cessante primæva rerum communione, & ob multiplicationem Generis humani succedente rerum divisione, lapsu temporis, distincta fuère dominia, discretæ Gentes, condita Regna, erectæ urbes, Imperia &c. cúmque animadverterent Gentes, *quòd non omnis ferat omnia Tellus*, rationis ductu, instituère commercia, per quæ mutuis necessitatibus, atque commodis succurrerent.

Inde ortæ *permutationes rerum, emptiones, venditiones, locationes, obligationes, pactiones* &c. alíique modi, de quorum natura, & introductione, infrà specialem faciemus memoriam. Profectò commercia *Baldus* rectè *quintum Reipublicæ elementum* appellavit; & bellè *S. Chrysostomus* edixit: *cum indiga nobis natura ab Opifice Deo tributa sit, neque sibi sufficiens, utilitati nostræ prospectum est, ut scilicet indigentia nostra, mutuâ consuetudine, juvaretur.*

Remota habetur à jure naturæ concessivo.

℞. II. *Commercii origo remota & fundamentalis non habetur à jure naturæ, nisi impropriè tali, seu merè concessivo.* 2. *Proxima & formalis fuit à solo jure Gentium.*

Declaratur 1. *Assertum:* Communicatio mutua *per commutationem, emptionem, & venditionem rerum* &c. nec *positivè* repugnat, nec *determinatè* exigitur ab amore sibi, vel proximo *naturaliter* debito, seu ad felicitatem, societati humanæ propriam *simpliciter necessario*: ergo, respectu naturæ, est ex concessis. A. liquet: nam tantùm abest, ut *positivè* repugnet, ut, suppositâ saltem rerum divisione, naturalis ratio etiam inclinet ad ejusmodi medium, societati humanæ quàm maximè opportunum. Quòd talis communicatio non sit *determinatè* exigita ab amore *simpliciter necessario*, patet 1. Quia non est *medium*, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *absolutè necessarium*: nam *etsi non omnis ferat omnia tellus*, natura tamen non deficit in mediis, ad vitam *simpliciter* necessariis: unde scimus, nonnullas Gentes, commercii expertes; quasdam commercia respuentes, vel saltem respuere potentes, siquidem emolumentis, *absolutè* non necessariis, sed tantùm vitæ commodiori aptis, carere, suísque solummodò contenti vivere malint. Unde necessitas commercii est *respectiva*, seu *ad meliùs vivere*, qua de felicitate *nil positivè* disponit natura, sed relinquit disponenda juri Gentium, ac civili. 2. Quia non est *medium*, *determinatè necessarium*: nam sublevandæ necessitati, *simpliciter tali*, si minùs suppeteret *primæva rerum communio*, hisce in circumstantiis *naturæ jure* rediviva, saltem haberi posset aliud medium V. G. *servitus*, qua Gens Genti se subderet ad acquirenda, vitæ *simpliciter* necessaria, vel aliud simile, quorum omnium determinationem non curat jus naturæ, sed relinquit juri Gentium.

Neque

* Tale quid accidisse in pactis cum Cæsare, ac *Hollandis*, circa navigationem *Ostendanam* in *Indias* &c. memorant Authores.

(a) P. 1. Tit. 5. instruct. 1, & infrà de causis belli. Videatur *Grotius.* L. 2. c. 2. §. 18. & c. 3. §. 12.

Neque quis dicat: commercii libertas, *verè innoxia*, hoc est, absque omni incommodo, & detrimenti periculo, ementi *ne offarus*, vendenti *talis*, pertinet ad officia imperfecta *innoxiæ utilitatis*, fundatúrque in amore æquitatis naturalis, ad felicitatem societatis humanæ saltem *negativè* propriam, *simpliciter* requisito: ergo est juris naturalis non tantùm *concessivi*, sed positivi, *& propriè talis*.

℞. D. A. Commercii aliqua libertas, particularis, quarumdam mercium, fundata in vera necessitate, siquidem *verè innoxia sit*, pertinet ad officia *innoxiæ utilitatis*. Tr. Commercii libertas universalis, respectu omnium Gentium, quarumcunque mercium, quovis apparatu, & fundata etiam in sola lucri utilitate pertinet ad officia *innoxiæ utilitatis*. N A. Et supponit, quòd jus naturæ respiciat, quæ spectant lucrum & luxum, talisque libertas *regulariter* innoxia esse possit omni periculo, saltem privato vendentium, ac ementium: unde hæc libertas *universalis*, & in genere, rectè *ad jus Gentium* refertur.

Proxima à jure Gentium positivo.

Declaratur 2. Assertum Illud est *proximè* & *formaliter* juris Gentium, quod fluit *immediatè* ex *ordinatione rationis, longævo Gentium usu, De quo, ut societatis humanæ Gubernatoris immediati, consensu firmata, ad Gentium quà talium publicam felicitatem*: tale quid est commercium inter Gentes. Mi. manifesta est ex eo, quòd Gentes divisæ, per rationis lumen innatum, cognoverint, hunc modum sublevandæ non modò mutuæ necessitatis, sed etiam promovendæ commoditatis, atque felicitatis humanæ, esse quàm accommodatissimum, commerciorum induxêre usum ac libertatem, qua homo homini succurreret, mutuisque necessitatibus, ac commodis provideret.

Neque quis dicat cum *Pattynio* (a), uti rerum divisionem, ita & commercii libertatem *jure naturæ* ortam; sed *jure Gentium* introductam: *ortam* quidem, quòd ex rationis naturalis ductu profluxerit; *introductam* verò, quòd ex necessitatis hujus notitia per instinctum Gentium se propagârit. Nam

℞. Si author, hoc modo loquendi, idem velit, quod in asserto statuimus, uti à parte rei videtur, haud adeò dissentimus, etsi *loquendi modum* quàm maximè improbemus. Nam jus naturæ jus Gentium *primarium* dicere; id definire, *quod ex sola ratione profluit, & homini innatum* est; jus Gentium adstruere *secundarium*, idque dicere, *quod ex composita mentis humanæ notitia deductum, innatúmque est, humana necessitate id exigente* &c. ideæ exoletæ sunt, juris naturæ & Gentium, immò & positivi humani confusivæ, à nobis jam refutatæ, ut adeò Author *Seldem* distinctionem, de jure naturali *positivo*, ac *permissivo*, per *simplicitatem* minùs limatam explodat potiùs, quàm refutet. In eo nempe *Rhodium* impingit cum multis, quòd *juris naturalis* esse decernat id omne, quod ratione naturali quomodocunque congruum, & pro quacunque societatis humanæ necessitate expediens, dictat naturale lumen. At mirum, quòd, vel legendo *Grotium*, & *Puffendorfium*, quos laudat, non dedoctus sit hunc errorem. Prior circa materiam juris naturalis observat (b), multa vulgò dici juris naturalis non *propriè*, sed *reductivè*; *quibus jus illud non repugnat*, sicut justa appellantur, non solùm quæ ex justitia, sed etiam quæ cum justitia non pugnant, quamquàm ista meliùs vocarentur *permissa*. Posterior ait (c): locutionem, quòd *dominium* & *proprietas* (adde: libertas commercii) *sit juris naturalis*, non habere sensum, quòd sit *de præcepto naturæ propriè dicto*, sed quòd sit ex instituto aliquo, ad vitam humanam introducto per *sanam rationem*, ex consideratis conditionis humanæ circumstantiis, nempe ex jure Gentium.

Non quævis commercii libertas jure Gentium est inducta, sed tantùm quæ societatis humanæ felicitati congrua.

℞. III. *Jure Gentium inducta est commercii libertas, non qualiscunque, sed societatis humanæ fini accommoda, hoc est, mutuæ Gentium necessitati, atque utilitati intenta. 2. Quòd jus, etsi absolutè mutabile sit, mutabile tamen non est, pro cujusvis Gentis arbitrio. 3. Neque propriè mutatum est hactenus, uti minùs propriè asserunt cum Battynio* (d) *nonnulli, etsi mutatis circumstantiis restrictionem variam materialiter subierit. 4. Unde manentibus antiquis circumstantiis etiamnum in primo robore perseverat.*

Declaratur assertum quò ad 1. Jus Gentium, quò ad libertatem inducti commercii non impedibilem, ex fine

(a) In scripto *de mari libero*, ex jure naturæ & Gentium asserto c. 3. f. m. 11. & seqq.
(b) L. 1. de J. B. & P. c. 1. §. 10.
(c) l. 4. de J. N. & G. c. 4. §. 14. Item L. 2. c. 3. §. 21.
(d) L. c. c. 5. n. 1. f. m. 18. ubi dicitur: oportet ante omnia investigare principaliores causas, ob quas jus Gentium *secundarium*, tractu temporis, commerciorum intuitu *mutatum sit* &c. sed mox c. 6. n. 6. f. m. 26. videtur asserere oppositum his verbis: *Lubet paucis docere, jus Gentium secundarium hac in re nullatenus esse mutatum.*

fine essentiali respicit Gentium publicam felicitatem, *in utilitate ac necessitate mutua* radicatam: ergo cessante hoc fine, cessaret hoc ipso etiam jus *respectu commercii liberi*: atqui finis cessaret, casu quo hæc libertas evaderet *noxia*, *periculosa*, *incommoda*, *inutilis* &c.

Quòd jus absolutè quidem mutabile Gentium consensu,

Declaratur quò ad 2. Jus Gentium esse *absolutè* mutabile, patet ex dictis, & ex abolita penès *Christianos* populos servitute: ergo etiam mutabile est *quò ad libertatem commercii*, sic ut justè impediri possit. Quòd autem mutabile non sit *præcisè ex Gentis cujusvis arbitrio*, clarescit ex eo, quia hoc jus non dependet *à simplici Gentium voluntate, privatóque qualicunque incommodo*, sed *ab ordinatione rectæ rationis* per usum roborata, directáque ad communem Gentium felicitatem publicam.

Nunquam tamen mutatum est hactenus, etsi restrictiones varias subierit.

Declaratur quò ad 3. Si jus commercii *formaliter*, & *propriè* fuisset mutatum, tunc *manentibus iisdem circumstantiis mutuæ necessitatis seu utilitatis*, sub quibus libertas *immpedibus* inducta est, seu *totaliter* seu *partialiter* fuisset sublatum, Gentibus id abrogantibus, vel dispensantibus: neutrum dici potest: nam ex eo, quòd *mutatis circumstantiis mutuæ utilitatis*, ob justos timores, seu pericula propriæ securitatis, ac conservationis, materia restricta, & à lege exempta sit, tantùm sequitur mutatio quædam *materialis*, & *impropria*, cùm jus istud commercii liberi, stante periculo propriæ damnificationis, à Gentibus nunquam inductum sit. * Sic libertas universalis, *adeundi quamvis Gentem negotiationis ergo*, occupatis terrâ, marique dominiis, indéque ortis variis bellis, fœderibus &c. pro ratione cessantis utilitatis, & ipsa restricta est propter justum timorem vis latitantis, suspicionem insidiarum, periculosos transitus, intestini mercimonii præjudicia, exhauriendæ regionis damna, aliáque incommoda publica &c. Sic ut, teste Philosopho, *legibus cavendum fuerit, quibuscum communicare cives oporteat, & quibuscum non oporteat.* Sic ob piratas, classésque bellicas lex illa *Romanis* posita legitur à *Carthaginensibus*, *ne navigarent ultra pulchrum promontorium; ne quis Romanorum, aut Africam, aut Sardiniam appelleret.* Sic ævo quoque recentiore *Lusitanos*, *Hispanos*, *Gallos*, *Batavos*, & *Anglos* novimus prohibuisse, varias novi orbis adire regiones *commercii gratiâ* (a).

Neque quis dicat: Libertas commercii, naturæ jure *concessivo*, & Gentium *positivo* fundata, *ob incommodum privatum*. V. G. timorem insidiarum à particulari Gente *restringi*, ac *impediri* jure non potest: ergo nec *materialiter* mutari. A. patet ex declaratione membri secundi: quia hæc libertas est intenta ad utilitatem Gentium *publicam*, cui subordinatur incommodum privatum.

℞. D. A. Ob incommodum qualecunque V. G. Lucri sperati, *sed indebiti* cessantis, impediri *jure* non potest. C. Ob incommodum in bonis debitis, ac statui proprio competentibus. *Subd.* Nisi pro tali casu cesset finis, Gentium jure intentus, & prævaleat jus naturæ positivum. C. Secus. N. A. & C. In tali casu cessat *utilitas mutua*, qui est finis à Gentibus intentus: prævalet *jus naturæ positivum*, exigens conservationem & indemnitatem statûs proprii, præferénsque bonum proprium bono & commodo alieno.

Unde, manentibus antiquis circumstantiis, etiamnum in primo robore perseverat.

Declaratur quò ad 4: Si jus Gentium *quò ad commercii libertatem* non foret ampliùs in robore primævo, tunc ideò, quia ob varias *causas*, *timores*, *pericula*, *præjudicia*, ac *incommoda propria* fuisset sæpe inhibita, & restricta, utì constat ex dictis ad 3. hæc ratio nulla est. *Min.* P. Commercii libertas, sub istis circumstantiis, nunquam per usum Gentium inducta, sed solummodò sub circumstantiis *mutuæ utilitatis, atque necessitatis;* atqui sub istis, utì semper, ita etiamnum in suo vigore perseverat: ergo &c.

Neque quis dicat: Si etiamnum perseverat avita commercii libertas, jure Gentium inducta, *tunc fas erit cuique negotiari in alienis provinciis, importando merces, quibus ibi carent; & exportando aurum, aliásque merces, quibus abundant*, *utì* habet *Franciscus à Victoria*: hoc falsum, rectè dicente *Grotio* (b): *Ad sua vendenda non æquum est jus, ac ad aliena, æquo pretio, comparanda*: nam cuilibet liberum est statuere, quid velit vel non velit acquirere: inde *de Arabibus Nabatæis Strabo*: *importare quasdam merces licet, quasdam non licet.* Immò nec emere semper licet res, incolis necessarias. Unde & frumenti venditio, in speciali penuria, sæpe indigenis prohibetur.

℞. D. Fas erit cuique *negotiari* negotiatione, juri Gentium conformi, hoc est, mutuæ necessitati, & utilitati

(*) Videantur dicta Tit. II. Instruct. 2. Q. 10. de mutabilitate juris naturæ.

(a) Apud *Pattyrium* ùt c. 3.

(b) De J. P. L. 2. c. 2. §. 19. & 20.

tari Gentium accommodata. C. Negotiatione *qualicunque*, invitos compellendo ad res quascunque emendas, etsi inutiles, & nocivas,& mutuò vendendas, etsi commodas, usibúsque propriis necessarias. N. *Grotius* plus non vult, quàm quòd exteris majus jus suppetat ad *necessaria* coemenda, quibus indigenæ abundant, quàm ad sua illis obtrudenda, etsi soli sæpe luxui propria, quales sunt, merces *exoticæ*, non *necessariæ*, *nocivæ*, V. G. vinum adustum, aliique potus ad intemperiem civium accommodati, quos inferre quondam prohibuerunt *Belgæ*, ùt author est *Grotius*. Et enimverò siquæ Gens domesticis mercibus vellet esse contenta, quomodò quis alienas invitæ obtruserit? Nunquid ne alienas admitteret, sufficiens ratio foret, ut indigenarum excitetur industria, neque opes propriæ ad exteros dilaberentur.

Gens Genti jure prohibere nequit navigationem per vastum Oceanum, atque negotiationem ad Gentes liberas, prohibendi nullo jure subjectas.

℞. IV. *Gens Genti jure prohibere nequit, ne ad exteras Gentes liberas, hoc est, prohibendi nullo jure subjectas, per vastum Oceanum navigatum eat, & cum iis commercia colat.*

Dicitur. Prohibere nequit: nam quòd Gens una in alterius favorem, & commodum jure suo cedere, vel *juris* usum sibi ultrò restringere, per pacificationes, pactionésque possit, patet, & nostri ævi monumenta contestantur.

P. Assertum. Commercii libertas est juris Gentium; vastus Oceanus nullius dominio est subjectus: ergo nequit proferri titulus, quo ejusmodi negotiatio, sive ratione termini, sive ratione medii, seu transitûs ab alia Gente *justè* interdici queat. C. P. Si suppeteret titulus, tunc esset *præjudicium* commercii proprii cum illa Gente habiti, vel habendi; imminutio sperati lucri, & augendarum opum obstaculum: hæc ratio nulla est. 1. Quia finis commercii liberi, jure Gentium intentus, non est utilitas *privata* unius Gentis, sed *communis*, & publica. 2. Quia alienum commodum, juri alterius æquali non obstat, neque lucri, *privativè indebiti*, diminutio, vel cessatio pro damno reputanda est, uti rectè animadvertit *Grotius*.

Neque quis dicat cum *Hollandis*: *Modernum jus Gentium dictat, navigationes & commercia olim communia, modò limitata, atque ita esse divisa, ut ab ingressu alieni territorii abstinendum sit, præcipuè in emporiis Indicis* (a). Immò ejusmodi commercia maritima, in *Indiis* per *Hollandos* cæpta, ab iisdem esse Nationibus aliis prohibita, testis est nostra ætas.

℞. D. A. Modernum jus Gentium, *privatæ utilitati* à nonnullis accommodatum, dictat libertatem commercii avitam, *cum liberis Gentibus*, esse mutatam, atque restrictam. C. Modernum jus Gentium, *communi & publicæ societatis humanæ necessitate*, atque *utilitate* fundatum. N. A. Et suppositum, quòd jus Gentium hac ex parte, unquam mutatum sit, vel mutari potuerit à Gente privata in commodum proprium, etsi in territoriis propriis, *ob mutatas circumstantias*, libertas sæpe restricta sit, & restringi etiamnum possit. Quòd si *Hollandi*, commercium etiam *quò ad liberas Gentes*, inhibere tentâssent, conatus probaret *factum*, non *jus*, & *Hollandos* posteriores refutarent priores. Nam cùm *Hispani* & *Lusitani* (uti dictum) *occasione* belli, *Hollandis* navigationem prohiberent in *Indias*, quòd ibidem cum populis liberis colebant, illicò *Hugo Grotius*, ab *Hollandis* deputatus ad *Europæ* Principes, dissertationem dedit *de mari libero*, ubi ait (b): *non esse Lusitanos earum partium Dominos, putà Ravæ, Taprobanæ, partis maximæ Moluccarum*, ex quo concludit: *Lusitanis* fas non esse prohibendi commercium, *quod tale est, quo gaudent omnes Gentes, & nulli negatur*, præcipuè, cùm dominium, quod cadit in mare, solummodò *in libero ejus usu* consistat, *idque Respublica Batava omni tempore pro certo habuerit, eò quòd sit fundamentum navigationis & commercii maritimi*, uti scribit *Grotii* Apologeta *Graswinckelius* (c).

℞. V.

(a) Directores societatis *Hollandicæ* in causa *Ostendani* commercii: Que la raison, & le droit des Gens d' aujourd' huy dictent, que la navigation, & le commerce, qui du temps des anciens etoient par tout communs, ouverts, & libres, sont presentement regardés comme limitez, appropriez, & partagez en telle sorte, que l' un doit s' abstenir d' aller dans le district de l' autre. Et alibi: Que le droit des Gens aujourd' huy porte notoirement à present, qu' on doit s'abstenir de trafiquer dans les terres, & places de commerce, qui dans le nouveau Monde appartient aux autres, apud *Pattynium* l. c. f. m. 21. & 26.

(b) De mari libero c. 2.

(c) In tract. de supr. potest. Statuum *Hollandiæ* P. 2. L. 2. c. 11. Adde, vindicias maris liberi. *Batavi*, cùm cernerent, se suis armis convictos, & frustra *ex jure Gentium* se protestatos contra commercium & navigationem *Austriaci Belgii*, ad pacta pacis *Westphalicæ*, alia-

Transitus & transvectio mercium per territorium alienum, seu terrestre seu maritimum, in raro admodum casu est juris Gentium.

§. V. *An transvectio mercium in liberas ditiones, per territorium alienum, seu terrestre seu maritimum, sit jure Gentium libera, non adeò est expeditum.* Qua tamen in re sat convenit inter Authores.

1. Quòd transitus, vel transvectio *armata* jure prohiberi possit; immò etiam *inermis*, si sit frequens, copiosa, periculosa, meritò suspecta, statui publico incommoda &c. 2. Si foret in *vera necessitate* fundata, & esse possit *verè innoxia*, negari justè non possit, etiam *spectato jure naturæ minùs rigoroso*, seu *æquitate naturali* ad officia *innoxiæ utilitatis* obligante, uti initio statuimus. 3. Si in mera *utilitate & lucro* esset fundata, etsi poneretur *verè innoxia*, suo modo impediri potest, non tantùm impositis vectigalibus, sed per *jus stapulæ*, ùt vocant, merces in nostro territorio ad tempus sistendo &c. nam commodum, nulli debitum, nobis priùs attribuere possumus, si sine vendentium præjudicio, saltem positivo, fieri possit. Inde *Puffendorfius* (a): *Equidem fateor, vix probabilem inveniri posse prætextum, ut quis negare velit iter navibus inermibus per apertum mare, ditioni nostræ subjectum, ad tertium pacatum tendentibus. Sed ut merces sistantur in terra nostra, in freto, aut flumine, non citra rationem fieri potest. Nam, quid impedit, quò minùs nostri cives id lucrum vendicent, quod peregrini capiunt, quippe cùm illis magis favere possimus quàm hisce?* * 4. Transvectionem mercium, verè *innoxiam*, impediri posse ob *solum præjudicium* commercii proprii cum ea ipsa libera Gente, & *ob solum* lucri cujusdam cessantis *incommodum*, negat *Grotius* (b): *Quia* dominium introduci potuit cum receptione talis usûs, qui prodest his, illis non nocet, adeóque sic introductum præsumi debet. Accedit, quòd hoc permitti, *intersit* societatis humanæ, nec cuiquam id damno sit: *nam, etsi cui lucrum speratum, sed non debitum decedat, id damni vice non reputandum*, quæ omnia confirmat accumulatis testimoniis, & exemplis. Negat *Puffendorfius* cum *Zieglero* & aliis (c).

Nam redent ad primum: talem usum ac potestatem præsumi quidem *respectu commercii liberi in se*, de quo suprà; sed non *respectu transitûs* per territorium proprium, *siquidem mea intersit*, ne fiat tale commercium: nam communis usus viarum, & libertas transitûs sic *jure Gentium* est attemperatus, ut status proprii ac publici *ratio potior* haberi possit. Et licèt, prohibito transitu, alter patiatur incommodum, per hoc tamen jus meum in meo territorio non aufertur.

Ad alterum reponunt, interesse quidem societatis humanæ commercia esse ùt plurimùm libera, nec ulli Genti omninò præcludi: hanc tamen vel illam Gentem excludi à commercio hujus, vel illius Gentis, si tamen aliunde illis necessaria suppetant, *non esse iniquum*. Unde etsi nobis non noceat, si mercibus transitum concedamus gratis, nec nobis injuria fiat, aut damnum inferatur propriè dictum, dum ab aliis intercipitur lucrum, quod itidem nobis patebat, per hoc tamen non spoliamur æquali jure ejusdem commodi capiendi: ergo, cùm nec transeuntes jus habeant hoc lucro nos excludendi, nobismet ipsi proximiores, id nobis potiùs reservare possumus: *quod fieri potest, si merces istæ, non nisi interventu nostrorum civium inter duos Populos, quibus interjecti sumus commeent*, uti habet *Puffendorfius*.

Exempla, quæ adducit *Grotius, facti* esse potentiorum, *non juris*, inquit *Gronovius*. Addit: *longè graviora adduci possunt illorum exempla, qui pessimam mercedem suæ bonitatis, transitus conceden-*

aliisque confugère, dicentes: La question se reduit à sçavoir, s'il-y-a un traité, & s'il y en a un, tout raisonement sur le droit des Gens, au autre n'est pas de mise An hac ex parte fulcrum prætenso juri invenerint, non est hujus loci disquirere, quia juri Gentium *universali*, *particulare* Imperii non miscendum. Videatur laudatus *Pattynius*, ex quo quondam inter trecentas positiones historicas, etiam hasce publico dedimus. CCXII. *Quòd Gens Genti prohibere non possit, ne ad exteras Gentes, nullo jure subjectas prohibenti, navigatum eat, & cum illis commercia colat, sententia est Hugonis Grotii, etiamnum vera. CCXIII. Hoc jus in pace Monasteriensi, quò ad liberas Gentes Orientalis Indiæ, Hispanis restrictum esse, rectè negat Historia. CCXIV. Immò etiam, posita restrictione, è principiis Grotii, Batavorum Apologetæ, sequeretur, dictam conventionem hac ex parte non stringere. CCXV. Illud probabilius, quòd etsi Hispanis jus fuisset restrictum, & pacta stringerent, sub Hispaniæ nomine, neutiquam comprehensum esse Austriacum Belgium.*

(a) L. 3. de J. N. & G. c. 3. §. 6.

* *Puffendorfius* ponit, quòd *peregrini transeuntes capiant, eorum lucrum in nos avertendo*: sed si existimat, transeuntes ad sua nobis vendenda, cum præjudicio sperati alibi lucri, cogi posse, ut illud in nos avertamus, rectè corrigitur ab *Hertio* his verbis: id *sanè impedit, quòd transeunti, merces jam in manibus tenenti, lucrum ex iis speratum, invito eo, in nos derivare non possimus.*

(b) L. 2. de J. B. c. 2. §. 13. n. 2. & 5.

(c) L. c. apud *Gratium* in notis.

cedendo, *tulerunt*, quorum aliqua ibi allegat.

Nostram mentem, quod spectat, *Puffendorfii* rationes assertis *Grotii* præhabemus, exceptis tamen excipiendis. Nam 1. in casu petiti transitûs, *verè innoxii*, quò ad merces, *ad vitam transeuntium necessarias*, vel etiam *admodùm utiles*, salvo æquali lucro transitum concedentis ex pari cum illa Gente commercio, etsi non omni eo, quod per commercium, *privativè proprium*, sperari posset, transitus *nec jure naturæ*, minùs rigoroso, nec etiam *jure Gentium* negari potest: atque hoc per rationes *Grotii* evinci existimamus. 2. Transitum quò ad merces, soli lucro intentas, *absolutè* negari posse ad occupandum, reservandúmque nobismet ipsis illud lucrum, damus rationibus *Puffendorfii*, vel potiùs receptæ jam praxi concedimus. 3. Itidem largimur, transitum concedi posse ea conditione, ut transeuntes merces suas, sperato pretio indigenis venum exponant, etsi *Puffendorfio* negemus, concesso transitu invitos ad hoc cogi posse, multò minùs ad res suas viliore pretio vendendas, ut indigenæ ex iis lucrum speratum præripiant, & apud Gentem exteram in se avertant (a).

Instructio 2.

INSTRUCTIO II.

Modi acquirendæ proprietatis.

De modis acquirendi dominii.

§. 1.

§. I.

De modis originariis.

Modi acquirendæ proprietatis originarii.

Quæritur I. *Quinam sint modi acquirendi dominii, & quonam jure fundentur?*

Originarii, ℞. I. Modos acquirendi dominii communi recepta methodo, alios dicunt *originarios*, alios *derivativos*. *Originariis* acquiruntur *res*, quæ dicuntur *nullius*; *derivativis* dominium acquisitum ab uno in alium transfertur. Utrique iterum sunt vel *principales*, vel *accessorii*: per illos acquiruntur *res ipsæ*, per hos *rerum accessiones*.

℞. II. Inter *originarios* modos, juxta dicta, est *occupatio*, & etiam *divisio*: hanc *juris Gentium* esse sat convenit inter Authores; *de occupatione* movetur aliqua difficultas. Nam *Per occupationem & divisionem.*

℞. III. *Sunt cum Hobbesio* (b), *qui occupationem formaliter*, *& immediatè ex naturæ jure derivent*. *Ratio est*: quia Natura non solum *concessit* usum communem *rerum nullius*, * sed etiam *præcepit*, ut ne quis ab occupatione usûque rerum ejusmodi impediatur. Ita ex naturæ jure *positivo* profluit, ne quis aquam sumere de profluente, vel transire per viam, omnibus communem, prohibeatur. Sed *Occupatio aliquibus est formaliter juris naturæ.*

Contrà est: Etsi *jus* naturæ *concessivum* quò ad appropriationem, usúmque rerum communium, post se trahat etiam *jus præceptivum*, de non impedienda appropriatione, non tamen præcipit *modum appropriationis determinatum per occupationem*, cùm *simpliciter* necessarius non sit, sed existentibus pluribus hominibus, jus æquale habentibus, etiam *per divisionem*, *sortitionem* &c. haberi possit, ut adeò *modum inducendi dominii* jus naturæ non determinet, sed juri Gentium relinquat determinandum. Quò ad usum rerum quarumdam innoxium non est paritas: nam harum usus, ne prohibeatur, etiam præexistente earum dominio, natura præcipit, quia fundata in amore cuivis debito, & ad felicitatem humanam, saltem negativam simpliciter necessario, *abstrahendo à modo*, quo fiat appropriatio.

℞. IV. Sunt cum *Hertio* (c), & *Kemmerichio* (d), qui appropriationem rerum communium fundant *in occupatione*; hanc verò *in facultate*, *quam à Deo concessam munit socialitas*. *Ratio est*: quia consensus aliquis Gentium, etiam tacitus, videtur gratis requiri à *Puffendorfio*: non enim dominium dicit ne- *Saltem est munita à socialitate.*

(a) Videantur etiam dicenda infrà de justis belli causis.

(b) De Civit. c. 15. §. 5. *Jus omne in alios vel à natura, vel à pacto. Vitriarius* de J. N. & G. L. 2. c. 8. n. 2. *Occupatio est modus originarius, & naturalis.*

* *Thomasius* in fund. J. N. L. 2. c. 10. n. 8. magnam hujus opinionis vim ponit in eo, si res non dicantur *communes*, sed *nullius*. Quasi verò res nullius, hoc est, à *natura in medio posita*, *vel derelicta*, non hoc ipso forent *communes*, hoc sensu, quòd à *quovis æquè sint occupabiles*. Scimus, quòd *res nullius* in rigore scholastico, illa dicatur, *quæ nec quò ad usum, nec quò ad dominium ad alium actu pertinet; res communis, quæ jure naturæ quò ad usum, & conditionem acquirendi ad omnes Gentes pertinet, in nullius tamen adhuc dominio est*: scimus, inquam, aliquod discrimen *formale*, quod in divisione sua innuit *Justinianus* pr. J. de R. D. sed & scimus discrimen *reale*, in ordine ad hanc difficultatem, non esse: unde *res communes* sæpe etiam dicuntur esse *nullius* §. 5. & 22. Instit. de R. D.

(c) In notis ad *Puffendorfium* de J. N. & G. L. 3. c. 5. §. 3. Item L. 4. c. 4. §. 4. in notis.

(d) in *Puffendorfio* enucleato. c. 12. §. 2. n. 18. ubi ait, *nec enim vel conventione, vel divisione opus fuit circa res, in nullius proprietate, vel communione positivè existentes.*

necessariò *exclusionem aliorum ab ista re*, sic ut supponat plures *unè* homines. Accedit, quòd, si renuntiante uno facultati suæ in aliquam rem, cæteri non renuntiantes ab ejus usu hoc ipso excludi nequeant, turbæ in humano Genere oriri queant, ùt habet *Hertius*. Sed

Contrà est: Sola facultas rem sibi appropriandi non appropriat, * ùt patet: sed nec addita *occupatio rei*, saltem suppetentibus aliis, quibus æqualis est occupandæ rei facultas, *nisi per usum* & *consuetudinem*, velint esse modum appropriationis legitimum, *cæterorum omnium exclusivum*. Unde facultas à societate munita, quam adstruit *Hertius*, ænigma est, ad captum haud explicabile, nisi dicatur, esse facultas, *societatis humanæ instituto, saltem tacito, seu Gentium usu*, circa modum appropriationis, & acquirendi dominii *munita*. Dominium proprietatis *in se* non quidem necessariò dicit aliorum exclusionem *actualem*, sed tamen *potentialem*, quale etiam in *Adamo* solitario, dabatur; neque dominium Dei, quia diversi Generis, ad humanum habere potest proportionem. Adde, quòd jus Gentium, usu longævo sat præcaveat turbis, quia occupanti jus privativum attribuit.

Aliis est [illegible] Gentium, ut quod [illegible]endum.

℞. V. Sunt denique cum *Puffendorfio* (a), qui ad originariam acquisitionem proprietatis, atque dominii humani, *institutum Gentium* requirunt, pacto *tacito*, vel *expresso* fundatum. *Ratio est.* 1. Quia juxta communem Theologorum, & Moralistarum, *proprietas rerum* non est à natura, utpote *separabilis*; sed ex instituto, ac jure Gentium. 2. Quia felicitas societatis humanæ non exigit *simpliciter* hunc *determinatum* acquirendi dominii modum *per occupationem*, cùm alius æquè ad hunc finem appositus esse possit: ut adeò instituto hominum natura reliquerit, an omnes, vel certas duntaxat res proprias facere, quasdam verò in communione relinquere; an hoc vel illo modo dominium inducere, resque communes primò occupanti cedere mavelint. Unde etiam intelligitur, quomodò naturæ jure firmentur omnes conventiones, quæ circa rerum proprietatem ab hominibus sunt introductæ, modò contradictionem non involvant, aut societatem humanam non turbent. 3. Quia, teste *Puffendorfio*, posita æquali hominum facultate primæva in res, quæ dicebantur *nullius*, nequit intelligi, quomodò nudus actus corporalis unius, qualis est *occupatio*, cæterorum facultati æquali præjudicare possit, nisi ipsorum aliquo consensu id fuerit introductum. Nos *Puffendorfio* sensa ejusdem Glossatorum striis, hac ex parte præferimus, eo tamen discrimine, quòd non *pactionem aliquam tacitam*, in qua is minùs limatè fundat suum jus Gentium, sed *ordinationem rationis humanæ*, longævo usu, *velut tacita consensûs mutui possessione*, introductam, & à Deo, Gentium supremo Gubernatore, firmatam, adstruamus. **

Occupationis præcipuæ species.

℞. VI. Porrò *occupatio* dicitur *apprehensio rei cum animo eam habendi ùt suam*, circa quam fluit ex dictis regula vulgaris, *res nullius cedit occupanti*. Possunt autem occupari *res mobiles*, atque *immobiles*, hæ occupantur vel per *Universitates*, vel per fundos: illud fit, ubi à pluribus simul, seu integro cœtu; hoc verò, ubi a singulis terra occupatur. *Mobilia* occupantur vel *per inventionem* vel *per venationem*. *Inventio* est *occupatio rei mobilis, quæ vel nullius est, vel cujus Dominus, etiam post inquisitionem debitam, haberi nequit. Venatio est occupatio ferarum, avium, piscium, quæ in naturali libertate constitutæ cum animo eas habendi.* 2. Res inventæ, *quæ nullius sunt*, jure Gentium fiunt *primò occupantis*, id quod suo modo etiam intelligendum de thesauris, ùt dicuntur *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat* (b), ubi tamen ratione fundi *privati, publici, Principum* plures dispositiones facit jus civile, quæ huc non pertinent. 3. Venatio, etsi sit juris naturalis permissivi, reservari tamen Principi, etiam in territoriis subditorum, *absolutè* potest *speciali jure*, justis suffulto titulis, & causis. Tales sunt. 1. *Publica tranquillitas*, ne venationis prætextu, periculosius armorum usus, latrocinia, & rebellionis initia, in-

---

* Inde *Puffendorfius* L. 3. de J. N. c. 5. §. 3. *Sciendum, non quamlibet facultatem naturalem aliquid agendi propriè jus esse, sed illam demum, quæ effectum aliquem moralem involvit, apud alios* (siquidem supponantur existere) *qui ejusdem mecum sunt naturæ.* Nam meram facultatem, ùt ait, habet & equus & cervus ad pascendum, quin *occupato*, vel *seposito*, etiam ad futuram famem gramine dicantur habere jus.

(a) L. 4. de J. N. c. 4. §. 4. 5. & alibi.

** Inde rectè *Thomasius* in Jurispr. Divin. L. 2. c. 10. n. 92. *contra eos*, inquit, *qui pactum tacitum pro fonte omnis obligationis agnoscunt, jam supra legem supposuimus, quæ sæpe sine pacto, sine hac nunquam pactum obligationem parit.*

(b) L. 31. ff. de acquir. rerum domin.

introducantur. *Publica utilitas*, ne subditi à magis utilibus, negotiationibus, commerciis, laboribus, agricultura abstrahantur, & ne intempestiva, nimiaque venatione, ferarum progenies exstirpetur. Additur *sustentatio*, & *recreatio* Principis; sed meliore titulo *jus belli*, si Provinciæ armis fuère subjectæ, & venandi jure spoliatæ; denique *titulus ordinarius* est consensus Populi, saltem tacitus, vel potiùs usus Principum longævus, præscriptione confirmatus. Hæc ex sententiâ communiter receptâ.

Juri naturæ & Gentium, respectu dominii in feram captam, non derogat, per se loquendo jus humanum, ò quod opponat legem solummodò pœnalem.

4. Cæterùm, abstrahendo ab illa quæstione, an *possit* Princeps ita prohibere venationem, ut venatorem etiam faciat incapacem Dominii in feram captam, uti affirmat *Lugo* cum pluribus; item an prohibere *possit* fericidia sub pœna mortis, vel mutilationis, extra contemptum formalem legis, aut Legislatoris, qua de re alii, illud cum *Lessio*, & *Covarruvia* statuit *longè communior*, quòd venator capiens feram, etiam in loco prohibito, si modò non penitùs clauso, faciat suam *jure Naturæ & Gentium*, quod hic præcipuè indagamus, jure etiam civili haud derogante, sic ut non teneatur ad restitutionem feræ, saltem ante sententiam Judicis, etsi teneri absolutè possit ad compensationem injuriæ ob ingressum prohibitum, vel etiam ob damnum specialiter illatum. *Rationem assignant* 1. Quòd feræ sint *in naturali libertate* positæ, adeóque *nullius*, quam libertatem non adimit prohibitio, *per se loquendo*, sic ut cedere nequeant occupanti. 2. Quia, ùt habet *Lessius* (a), *Lex illa, etsi pœnam appositam habeat* &c. *rationi tamen consonum est, ut reservatio, illa juris venandi facta per Principem, non adeò strictè accipiatur*, sed *per se loquendo*, habeatur ùt merè pœnalis, obligans vel ad omittendam actionem, vel ad subeundam pœnam, ad quam, justè imponendam, non semper requiritur culpa Theologica, sed sufficere potest juridica (b).

Quæ opponuntur, vel inefficacia, vel impertinentia sunt.

Neque quis dicat 1. In recentissimis thesibus quidam Jureconsultus tenet, feras, pisces, & aves nobiliores esse *accessorium fundi*, atque in dominio *proprietatis* Principis, adeóque verum furtum committi, si ab alio captæ auferantur. *Ratio est*: quòd quando dicitur, feras esse *in naturali libertate*, nil aliud sit, quàm quòd non sint conclusæ, sed libertate gaudeant vagandi, quocunque libeat, non autem, quòd sint *in dominio nullius*. Sed

R. Opinio recentis Jureconsulti, etsi consultissimi, asserta potiùs, quàm solidè probata, uti alibi, * ita & hìc nos minimè movet, ut refragemur *longe communiori Theologorum, Canonistarum, ac Jureconsultorum civilium, immò & communi hominum persuasioni, ac praxi*. Eadem est responsio ad explicationem *naturalis libertatis*, quæ gratis datur, quia nec authoritate, nec ratione satis probatur. Jurisconsulto huic, saltem hac ex parte, meritò præferimus adultum magis Theologum, *Lessium* nostrum (c), qui ait: Animal sylvestre non est Domini illius fundi, sed nullius; ergo transit in dominium primò occupantis. *Ratio est*: quia *animantia non sunt fructus agrorum, vel fluviorum, sicuti arbores, quæ solo hærent, sed alia ex aliis procreantur.* Unde sequitur, quòd, etiamsi ager vel possessio talis sit, ut ejus fructus in venatione consistant, ipsáque venatio sit alteri elocata, non tamen ideo animalia fiunt conductoris, vel usumfructum habentis, *quamdiu naturali libertate fruuntur*, sed conductor, & usufructuarius solum jus venandi ex tali fundo habent, quod jus censetur ad fructus agri vel sylvæ pertinere. Ita ille, allegans etiam *Covarruviam*.

Neque quis dicat 2. Saltem est *periculosa, & cordatis quibusdam viris penè scandalosa thesis*, qua dicitur, leges, venationem prohibentes, esse *solummodò pœnales*. Nam 1. *Stylus*, quibus ejusmodi leges, *saltem in Bavaria*, concipi solent, *planè aliud innuit*. 2. *Hæc doctrina videtur fovere seripetarum inobedientiam atque temeritatem, integris ipsorum familiis gravissimè perniciosam, qua insuper potestas legislativa Principis vilipenditur, & præter alia mala multæ cædes patrantur, sic ut ejusmodi doctrina videatur sanè haud tolerabilis.* Sed

R. 1. Parciùs ista Viris gravissimis, & inprimis Theologis, quos inter non tantùm antiqui plerique omnes, sed & nostra ætate cautissimi, ac scrupulosissimi: audiatur omnium locò unus è nostra Academia, qui ita habet (d): *An autem lex, venationem prohibens, sit tantùm pœnalis, an non, si aliunde colligi non potest, poterit desumi*

(a) De Just. & jure L. 2. c. 5. Dub. 9. f. m. 49.
(b) Videri potest *Lessius* l. c.
* Videri possunt Coll. Hist. P. IX. Q. 7. f. 457. Inferes 7. & in notis: ut nihil dicamus de aliis ejusdem positionibus, quas iis, quorum interest, discutiendas relinquimus.
(c) L. cit.
(d) In Theol. Schol. nuper edita, tract. 8. de Jure & Just. Q. 1. A. 8. f. m. 292. & 191.

sumi ex communi persuasione & praxi, quæ est optima legum interpres. Ex quo principio Ioninger infert, hanc legem tantùm esse pœnalem. Idem alius Recentior testatur de Bavaria, & terris vicinis, scilicet in his hanc legem esse tantùm pœnalem. Aliàs Lugo ait communem esse sententiam, injustum venatorem debere non quidem restituere feram, sed tamen compensationem facere pro læso jure venandi. Addit tamen, nisi ex magnificentia Domini colligatur, ipsum non curare restitutionem damni, sed tantùm statuere pœnas, ut feræ sint tutæ, quòd regulariter præsumendum esse, ait, de Principibus. Ita hi Theologi. Sed & parciùs ista Canonistis, & Civilistis, ex illorum numero sufficiat recens lumen nostræ Academiæ (a), qui expressè hanc defendit sententiam *ex communi persuasione, optima legum humanarum interprete.* Addit: *nam Principes non solent clarè mentem suam exprimere, quòd graviter obligare velint in conscientia, & an non velint contenti esse pœnâ, quam sumunt à transgressoribus, quos deprehendant: deinde nec venantes, nec Confessarii solent movere scrupulum, saltem gravis peccati. Immò Principes, reservando sibi solis nemora omnia, possunt, & censentur esse contenti mulctis pecuniariis, & aliis pœnis, quas statuunt in fericidas, si deprehendant, ut adeò hæc edicta videantur potissimùm esse pœnalia tantùm, uti illa, quibus prohibetur, ne pannus, tabacus, vel aliæ certæ merces invehantur ex alienis Provinciis.* Ita ille. Ex Jureconsultis sit, cæterorum locò, Clarill. *Schambogen* ex Academia ipsa *Viennensi*, & sic de aliis.

R. 2. Thesin dicere *periculosam, scandalosam*, & *haud tolerabilem*, etsi à nominatissimis, & plerisque Theologis, SS. Canonum, legúmque peritis assertam, & *ex communi* indoctorum & doctorum *persuasione, ac praxi*, quæ optima legum interpres, stabilitam; immò & *Confessariorum plerorumque judicio* confirmatam, penè *scandalosum*, & *haud tolerabile* dici posset. *Ratio 1.* De stylo *Bavarico*, est *impertinens*, & *nulla. Impertinens*, quia hìc quæstio est *in communi*, non de particulari regione: nam facilè concedimus cum laudato suprà Theologo (b): *cujusvis regionis consuetudinem, & praxin consulendam esse.* Est *nulla*, quia oppositum etiam de *Bavaria* alii testantur, ùt diximus. Accedit, quòd hìc specialiter indagemus, quid *jus naturæ & Gentium* statuat, cui per pacta, vel cessiones, ultra positivas leges pœnales, derogatum esse, unde quis probabit, vel eruet? *Sed & 2. ratio* est *extra rhombum:* nam si quis diceret: sententia, negans legem merè pœnalem, est periculosa, & perniciosa conscientiis, inducens non tantùm reatum pœnæ temporalis, sed & æternæ unà cum reatu gravissimæ culpæ, & tam frequentis in tanta feripetarum multitudine, ac temeritate, ut etiam vitam, bona, & familiam omnem prostituant &c. Si quis ista opponeret, haud dubiè reponeret adversarius: *hæc sequi per accidens:* ergo à pari. Nam vilipensio potestatis legislativæ, temeritas feripetarum tam periculosa, ac perniciosa, mala familiæ, cædes &c. gravem reatum etiam conscientiis inducunt, sed hæc respectu nostræ thesis sunt *mala merè per accidens:* unde cum memorato suprà SS. Canonum interprete & ipsi statuimus: (c) *Per accidens tamen feripetæ graviter peccare possunt, si se exponant probabili periculo gravissimæ mulctæ, vel exilii, cum detrimento conjugis & liberorum 2. Si venentur cum magno neglectu rei domesticæ. 3. Si cum omissione sacri die festo. 4. Si enormem vel valde notabilem edant stragem ferarum &c.* Sed hæc de his satis, immò plus quàm satis.

Quæritur II. *Quid de modis acquirendi dominii derivatis, maximè quæ consistunt in facto, hoc est, de pactis, atque contractibus memorabile, quò ad jus naturæ, & Gentium?* *Modi transferendæ proprietatis.*

R. I. Modi, acquirendi dominii *derivativi*, dicuntur ii, quibus proprietas *derivatur* in alios: hi partim habentur *à facto*, seu voluntate unius dominium transferentis, & alterius acceptantis; partim *à lege*, seu dispositione juris, dominium quandoque, *invito* etiam Domino, transferentis. Ad priores refertur potissimùm *contractus*, uti & *pacta;* ad posteriores *successio ab intestato, usucapio*, atque *præscriptio*, de quibus præcipuè nobis disquirendum.

R. II. *Modi, transferendi dominii in facto, seu voluntate humana fundati, regulariter loquendo,* * *non profluunt à jure naturæ,* *In facto per pacta, atque contractus.*

(a) In Candidato Jurispr. sacræ L. 5. tit. 14. n. 5. f. m. 654.
(b) L. c. Theol. Schol.
(c) In Candidato loc. cit. f. 616.
* Excepto *contractu matrimoniali*, pro cujus *causa efficiente*, in ratione contractûs, rectè statuitur *jus naturæ*, quia, uti suprà ostendimus, *in ordine ad propagationem Generis humani*, est medium *simpliciter*, & *determinatè* necessarium: est etiam *juris Divini positivi*, uti patet ex Genesis C. 2. nam juxta Catechismum *Romanum* parte 2. c. 8. *Deus in Mundi creatione instituit matrimonium in officium naturæ.* Alia ratio est de contractu *sponsalitio*. Contractûs verò matri-

turæ, nisi merè negativo. 2. Remotè, & in genere habentur à jure Gentium. 3. Proximè, & in specie, oriuntur à jure civili tam quò ad substantiam, quàm quò ad formam. 4. Etsi obligatio illorum sit juris naturalis, propriè talis, seu positivi.

Quorum origo non à natura, nisi impropriè & concessivè,

Declaratur assertum quò ad 1. Ipsum dominium, seu inducta rerum proprietas, ejusdem translatio, vel potiùs transferibilitas spectata in se, non est juris naturæ, nisi merè negativi: ergo etiam modi transferendæ proprietatis, seu fundentur *in facto*, seu *in lege*, sunt juris naturalis merè negativi. C. Fluit *à fortiori*. A. Quò ad 1. Tenet ex decisis suprà. Quò ad 2. P. Ideò inducta rerum proprietas non est juris naturalis positivi, quia nec est *determinatè* exigita, nec *simpliciter* necessaria ad felicitatem naturæ rationali, ac societati humanæ propriam, qui finis, quòd obtineri nulla ratione potuerit, nisi per rerum qualiumcunque inductam proprietatem, tanquam per medium *determinatè*, & *simpliciter* necessarium, probari nequit, ùt suprà diximus: atqui etiam translatio dominii & proprietatis, in se spectata, nec est *determinatè* exigita, nec *simpliciter* necessaria: ergo. *M. n. Prob.* Ad felicitatem, societati humanæ propriam, nil est *positivè* exigitum, & *absolutè* necessarium, nisi usus rerum, ad sustentandam vitam *simpliciter* requisitus, qui haberi poterat, stante etiam rerum communione, sic ut nec universalis rerum proprietas, multò minùs modus transferendæ proprietatis fuerit à natura *necessariò* determinandus.

Neque quis dicat: Suppositâ naturæ corruptione, hominúmque multitudine, in ordine ad pacem, & tranquillitatem publicam, sicuti humanæ societati *simpliciter* & *determinatè* necessaria fuit rerum divisio, atque *appropriatio*; ita & *proprietatis translatio*, seu *transferibilitas* in se spectata, saltem per modum aliquem *indeterminatum*: ergo pacta aliqua, *saltem indeterminatè* accepta, juri naturæ positivo, *tanquam causæ*, meritò adscribi possunt, ac debent. A. P. Secùs enim in casu, quo quis V. G. per negligentiam, vel fortuitò, media vitæ necessaria amisisset, destitutus à natura foret omni remedio, nisi aliquem paciscendi modum, jure positivo determinandum, natura exigeret: *num fortè pro tali casu Author naturæ sollicitus non fuit* (a)?

Sed contrà est 1. N. A. Nam etsi natura, in quacunque suppositione, *positivè* exigat pacem publicam conservandam, conservandæ tamen modum, ac medium, *simpliciter & determinatè* non exigit, nisi quis eundem probet ad hunc finem esse *simpliciter*, ac *determinatè* necessarium: atqui *divisionem*, & *appropriationem* rerum, adeóque & *proprietatis translationem* per modum qualemcunque, etiam *supposita hominum multiplicatione*, esse medium conservandæ pacis *unicè*, *determinatè*, & *simpliciter* necessarium, unde probatur? Profectò aliud est, quòd sit medium, oppidò accommodatum: aliud, quòd sit medium, tam *unicè*, & *absolutè* necessarium, ut aliud nullum, etsi fors minùs commodum, magísque operosum, huic fini sufficiens esse possit. Quòd si ergo rerum appropriatio, & proprietatis translatio *modus* tantummodò *aliquis* sit conservandæ pacis, natura illum non exigit, *ut determinandum à se*, sed *determinandum* relinquit juri Gentium, ac positivo.

Contrà est 2. N. C. Immò transmisso *Ant.* etsi falso, sequela non tenet: nam licet natura *absolutè* exigeret transferibilitatem proprietatis, non tamen exigeret *determinatè* per pacta, etiam sumpta *in genere*; sed exigeret, vel *per pacta*, vel *per legem*, *determinatione* juri Gentium & positivo *relictâ*.

Contrà est 3. Siquidem ad talem casum particularem, etiam accidentem ex culpa propria, sollicitus esse debet Author naturæ, in ultima necessitate revivisceret naturæ jure *primæva rerum communio*, medium consensu Authorum unanimi admissum, ut adeò hæc responsio magis *animum implere* videatur, quàm si quis admitteret, exigi naturæ jure, in simili casu, *paciscendi modum*, indeterminatè sumptum, *eò quòd illud sit juris naturalis, in quod homines, si ante omnem casum particularem requisiti fuissent, vix non unanimes consensissent*, quam regulam dignoscen-

monialis *forma hodierna* debetur juri Ecclesiastico, uti patet *ex ratione Sacramenti*, ad quam à *Christo* elevatus est hic contractus, hac tamen formâ nil præjudicatur juri naturæ, cujus fini æque satis fit, quacunque formâ contrahatur: unde sicut *ante elevationem*, jus naturæ formam contractûs matrimonialis *juri civili*, ita *post elevationem* soli *juri Ecclesiastico* reliquit

(a) Ita non nemo ex Recentioribus in doctissimo tractatu Canonico-legali de pactis c. 3. sect. 1. §. 1. Art. 5. & seq. t. m. 150. & 157.

noscendi juris naturalis haud esse admittendam, initio sat demonstravimus.

Habeatur tamen in genere a jure Gentium;

Declaratur assertum quò ad 2. Facultas transferendæ proprietatis, *determinatè* per pacta, & *contractus*, qualescumque demum, fluit *ex ordinatione rationis, longævo Gentium usu firmata, ad Gentium publicam felicitatem*, uti suprà de facultate commercii diximus: ergo est juris Gentium. *Ant.* constat: non enim *determinatè* fluit *ex jure naturæ*, uti ostensum. Non *ex solo jure civili*, quia facultas, transferendi dominii per pacta *in genere*, non est *qualitercunque* recepta à Gentibus *in particulare* cujuslibet Nationis bonum; sed est recepta, per obligationem reciprocam in commune bonum societatis humanæ, ratione suadente, & utilitate, ac necessitate publica id exigente, ut adeò à Gente particulari *hæc facultas paciscendi* in genere mutari, abrogarique haud posset: ergo est juris Gentium.

In specie à jure civili.

Declaratur assertum quò ad 3. Pacta *in specie*, seu modi paciscendi per *locationem commutationem, emptionem, venditionem* &c. per *hanc* vel *illam formam* &c. non respiciunt primariò communem Gentium utilitatem, sed privatam potiùs Gentis cujuslibet necessitatem, atque commoditatem: ergo non sunt *juris Gentium*, sed *civilis*; *Ant.* constat; nam etsi Gentium quà talium intersit, ut existant pacta, atque contractus; nil tamen interest, an existat hoc *determinatè* modo, vel illo; an hac solemnitate, & forma, vel illa; an cum hoc vel illo; quam determinationem, pro rerum & circumstantiarum varia exigentia, contra dolos & fraudes præscribendam, longè utilius civili juri relinquit. *Unde fluit* 1. Quòd Gens quævis unum alterúmve paciscendi modum, & alibi, & in sua ditione receptum, *salvo jure Gentium*, per leges etiam publicas possit mutare, vel penitùs abrogare. *Fluit* 2. Quòd Natio privata, vel Magistratus, *salvo Gentium jure*, varia possit disponere, & mutare circa contrahentes, materiam, & formam contractuum; uti ipsámet experientiâ satis est contestatum.

Obligatio verò à jure naturæ propriè tali ac positivo.

Declaratur assertum quò ad 4. Quòd obligatio pactorum, atque contractuum sit juris naturalis positivi, demonstrat principium nostrum fundamentale: nam fides tam publica, quàm privata in pactis, atque contractibus est *positivè exigita ab amore proximo naturaliter debito, & ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessario*: secùs enim rueret commercium omne inter mortales cum manifesto societatis humanæ præjudicio atque detrimento. Inde rectissimè *Ulpianus* (a) pro vinculo servandi pacta *æquitatem naturalem* assignat: *quid enim*, inquit, *tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt servare?* Rationem dat *Stagyrita*: quia *sublata fide tollitur, quod inter homines est commercium* &c.

Pactorum requisita, ubique contraria.

℞. III. Circa contractus, & pacta, *spectato jure naturæ*, requiritur mutuus consensus, sufficienter manifestatus; in contrahentibus, *verè* talibus, capacitas consensûs, & liberæ dispositionis. *Ratio est*: quia pactum ex sua natura est *plurium consensus de re aliqua præstanda*, neque plus requiri possit ad verè paciscendum. a. *Spectato naturæ jure* pacta atque contractus reddunt invalidos defectus requisiti consensûs, atque capacitatis in contrahentibus; materia de se mala, vel in finem malum intenta, error vel dolus circa substantiam, &c. quæ, quia ubique obvia, & satis contestata Protestantium quoque assensu diducere fusiùs *ad scopum nobis propositum* non est opus. 3. Punctum geminum circa pacta *spectato naturæ jure*, scrupulum movere posset. An nempe pacta, vi, seu metu, *absolutè gravi*, & *injusto* extorta, sint jure naturæ invalida, id quod tenet *Puffendorfius* cum suis? * Sed antithesin infrà contra hunc Authorem pluribus stabiliemus (b). Alterum, an pactum de facto turpi, *siquidem jam sit impletum*, naturæ jure sit validum, pariátque obligationem solvendi V. G. pretii pro usu corporis fornicario, vel alterius homicidio, id quod asserit *La Croix* (c) cum plerisque etiam Orthodoxis. Nam supponunt, pactum ejusmodi turpe esse *æquivalenter duplex*, unum *absolutum* de re illicita præstanda, quod jure naturæ nullum, adeóque ad obligationem inducendam inhabile; alterum *conditionatum*

(a) L. 1. pr. ff. de pact.

* Quos inter *Vitriarius* in Instit. J. N. & G. L. 2. c. 11. n. 14. demùm minùs bene emendans *Grotium Fred. Ludovici* in doctr. J. N. c. 7. §. 4. ausus etiam dicere ejusmodi pacta *evidente nullitate laborare: quia absurdum esset, si ex pacto alterius injusto, & socialitatem directè turbante, actio contra membrum societatis concederetur*; similia alii. sed infrà huic rationi respondebimus.

(b) Titulo 4. de pace, ejúsque contrariis.

(c) L. 3. P. 2. n. 692.

natum, de solvendo pretio post opus illicitum, effectui jam mandatum, quod jure naturæ validum, adeóque ad inducendam obligationem accommodum. *Ratio est.* 1. Quia talis contractus primum completur posita conditione turpi, qua supposita, licitum est dare pretium pro actu, qui ob molestiam, vel periculum præstantis, & commodum seu illicium paciscentis est pretio æstimabilis. 2. Quia obligatio non oritur ex vi consensûs, *ùt antecedentis*, sed ùt *consequentis* conditionem turpem. 3. Quia juxta omnes obligat votum seu promissum dandi eleemosynam factum sub conditione, si quis denuò peccatet. Sed

Contra est 1. contra 1mam rationem. Videtur nonnullis, quos inter *Platelius, Medina, Covarruvias, Amicus, Card. Mantica*, & recens author in nostra hac *Ingolstadiensi* Academia (a), videtur, inquam nonnullis suppositum de pacto, *æquivalenter duplici*, gratis adstrui: nam, inquiunt, pactum de facto honesto, *absque conditione expressa*, initum: v. g. *fac hoc obsequium pro hac mercede*, est omnibus simpliciter absolutum: ergo non est ratio, cur pactum de facto inhonesto: v. g. *fac usum corporis pro mercede* sit æquivalenter duplex. Unde prima ratio vacillat: nam pactum *simpliciter* nullum, naturæ jure, nullum producere effectum potest (b). Si quis diceret contractum non esse *omninò nullum*, *sed conditionate validum*; ita ut *statim initiò* obliget non *absolutè*, sed *conditionatè*: *unde Isidorus*: *in malis promissis rescinde fidem.* &c. Si non est *omninò nullus*, sed *statim initio* obligat *aliquo modo*, tunc est *aliquo modo* vinculum iniquitatis, *incitans ad faciendum malum*, seu homicidium, lucro conditionato, tanquam illicio, annexum: hoc nonnullis videtur *aliquo modo* absurdum. Accedit, quòd nequeat explicari hæc *aliqualis* obligatio *statim initio*, & ante impletam conditionem: non ad *faciendum* homicidium; neque *ad expectandam* impletionem conditionis malæ, ùt patet: non ad dandam pecuniam *post impletam conditionem*: quia sic *non statim initio* obligaret, seu ex vi consensûs, *ùt antecedenter & absolutè nulliter positi*, sed ex vi consensûs, *ùt consequentis* conditionem turpem, quod idem dicunt cæteri, aliis terminis, & paulò clarioribus, Scitum illud *Isidori de rescissione fidei* nihil probat: nam non loquitur de promissis, *turpitudinem continentibus* v. g. homicidio, fornicatione &c. sed de promissis, *malè conceptis*, hoc est, vi, dolo, alióve modo peccaminoso obtentis, & aliàs de jure validis, id quod solidè probat *P. Jacobus Wiestner*, qui videri potest (c).

Contrà est 2. contra adam rationem suprà allatam. Si obligatio oriretur ex consensu *consequente conditionem*, tunc vel *ex renovato*, vel *ex remanente*, sic ut, post factum turpe jam impletum, veluti de promissione licita, convalesceret: neutrum rectè dicitur; non primum, quia regulariter non renovatur, vel saltem *necessariò* haud renovatur; immò si renovaretur, id foret extra statum hujus quæstionis. *Non 2.* Quia consensus *nulliter* positus, etsi non revocatus, convalescere nequit præcisè per hoc, quòd cesset causa nullitatis extrinseca (d): secùs & matrimonialis contractus, cum impedimento naturaliter dirimente initus, hoc sublato, absque novo consensu convalesceret, quod nemo facilè admittet (e): non enim plus est consensus, nulliter præstitus, ac nunquam præstitus, eò quòd paria sint *aliquid invalidè*, & *omninò non facere* (f).

Contrà est 3. contra 3tiam rationem suprà allatam. Paritas cum voto, seu promissione dandi eleemosynam, siquis denuò peccaret, non videtur stringere: nam ideò hæc promissio vel votum valet, quia à peccato absterret: contrà in pacto pretii promissorio pro re turpi, seu *conditionatè*, seu *absolutè* supponatur initum, promissio allicit ad peccatum, adeóque, *ùt vinculum iniquitatis*, ligare nequit. Ita illi.

4. Nos horum sententiæ, tanquam magis accommodæ *ad finem à natura intentum*, suffragium addimus. *Ratio est*: quia in opposita sententia, pactum seu de re honesta, seu inhonesta, *æquè & eodem modo*, obligaret ad pretium, cùm neque pactum honestum, nisi post præstitam operam obliget;

(a) In Thesibus impressis, seu tractatu Canonico-Legali de pactis & contractibus c. 4. sect. 3. §. 2. à n. 391. ubi allegatos authores videre est n. 275. f. m. 553. qui omnes pacta ejusmodi inhonesta defendunt esse invalida non tantùm *jure naturali*, sed etiam *positive*, de quo nos tamen abstrahimus.

(b) L. 1. § 2 ff de bonor. poss. L. 4. §. 6. ff. de re jud.

(c) L. V. Instit. Can. Tit. 41. in regulam juris 69. *in malis promissis fidem non expedit observari.* f. m 681 & 682

(d) Habetur hoc etiam C. un. pr. de desp. impub. in 6.

(e) Certe Sanchez L. 2. Disp. 35. n. 2. & Disp. 36. n. 3. & 4. *Angelicus*, *Soto* cum communi id non admittunt.

(f) L. 6. ff. qui satisdare cogi.

ligets atqui hoc videtur præjudicare *fini*, à natura *intento* in irritandis ejusmodi pactis inhonestis, ne scilicet *per valorem præbeatur* peccatis illicitum. Jam sic: si convalescunt, pacta facto turpi impleto, foret *æquale* vel etiam *majus illicitum* quàm si priùs valida jam fuissent. Nam sicarius, vel fornicaria si scirent, nullum esse pactum, nisi peccato impleto, ut lucrum optatum acquirerent, præcipites ruerent in peccatum, quo promissorem *irrescindibiliter* obligarent; forsan lentiùs processuri, si pactum turpe ad instar contractûs honesti, antecederet jam stringeret. Ubi tamen animadvertendum, quòd promissor, *solius pacti*, ad solutionem promissi pretii haud obligetur *naturæ jure*; nam si accederet titulus alius v. g. *de damno dato*, mutaretur casus per circumstantiam, quæ huc non spectat (a). *Si quis diceret*, ex nostra sententia sequi, quòd militi, in bello scienter injusto militanti, non debeatur stipendium; quòd facienti arma pro tali bello; quòd sartori vel sutori, in gratiam vani juvenis, vel die festo laboranti, non debeatur solutio, saltem laboris; atqui hæc planè videntur falsa: Sed

℟. De milite casum esse *satis speculativum*: cùm milites belli justitiam nec inquirere soleant, nec teneantur, uti infrà dicemus. Si ponatur belli consiliarius, vel belli notoria injustitia, conducti similes forent socii publici cujusdam prædonis, quibus quòd *jus naturæ* assistat *quoad pacta stipendia*, sicque præbeat *iniquitati illicia*, non persuademur. Quò ad arma, vestes, calceos &c. non est sufficiens paritas cum homicidio, fornicatione, & similibus in pactum deductis. Nam hæc artefacta, extra pactum vitiosum, habent suum pretium, valorem, & utilitatem *honestam*, ferro, panno, & corio superadditam: ergo, non quidem vi pacti vitiosi, sed vi æstimabilitatis, quâ ferrum, pannus, seu corium auctum est, solutio debetur, ut ne alter *absque titulo* sibi hæc artefacta appropriet. Quibus ritè expensis, à nostra decisione nequaquam videtur abstrahendum, aut in oppositam sententiam inclinandum, sed *mirari* possumus cum allegato suprà Jureconsulto, *quòd tam Theologi quàm Jureconsulti turmatim in oppositam sententiam concedant*(b).

§. II.

§. 2.

Modi acquirendæ proprietatis derivativi.

De modis acquirendæ proprietatis derivativis.

Quæritur III. Quid de modis acquirendi dominii derivativis, maximè qui consistunt in lege, & præprimis de successione ab intestato memorabile, spectato naturæ jure, ac Gentium?

Modi transferendæ proprietatis,

℟. I. Translatio dominii per legem alia *est mortis causâ*, alia *inter vivos*: illa fit *per successionem ab intestato*, & suo modo etiam per *testamentariam* voluntatem; hæc *per contractus*, de quibus suprà, vel per *usucapionem*, atque *præscriptionem*, de quibus hoc loco, in quantum satis ad scopum propositum.

Per legem;

℟. II. Translatio dominii, *mortis causâ*, quæ fit *per successionem ab intestato* nil *participat de positivo jure naturæ* *. *Ratio est*: quia *spectato jure naturæ*, translatio dominii fieri nequit, nisi dominio existente: atqui post mortem Domini dominium ejus ampliùs non extat, eò *quòd mors omnia jura solvat*: ergo translatio dominii, *spectato jure naturæ*, fieri nequit. Unde *successio ab intestato*, simpliciter loquendo, habetur *à jure Gentium*; *quo ad* modum fluit *à jure civili*: *Ratio prioris est*: quia ejusmodi successionem exigit felicitas publica, ne bona relicta maneant incerta, litibúsque exposita. *Ratio posterioris est*: quia *modus successionis* non tam spectat felicitatem Gentium *publicam* quàm *privatam* cujusvis reipublicæ, sive dein ipsa, sive consanguinei, sive agnati succedant, quorum successio communiter est recepta, utpote fundata in voluntate decedentium *præsumpta*, & amore naturali regulariter indicante defunctos dominium transferre voluisse potiùs in illos, quos maximè amaverint; amâsse autem maximè præsumuntur eos, qui sanguine proximiùs erant conjuncti: quippe quòd & ordini naturæ, & communi hominum affectui maximè consentaneum sit. Sed cùm hi vel *descendentes* sint, vel *ascendentes*, vel *collaterales*, primò quidem *ad descendentes*, posteà *ad ascendentes*; denique *ad collaterales* successionem devolvendam ipso usu induxère Gentes, & velut *legiti-*

Per Successionem ab intestato;

(a) Videatur tractatus de Pactis laudatus suprà.

(b) In cit. tract. de pactis f. m. 552.

* Inde colliges minùs curatè dicta à *Friderico Ludovici* in doctr. J N. c. 6. §. 14. *Quò ad successionem ab intestato, jus naturæ præcipit, ne is in possessione hæreditatis turbetur, cui defunctus bona sua probabiliter addicere voluit: cuinam autem illa relinquere voluerit, hoc ex doctrina de interpretatione hauriendum.* Item *Vitriarii* in Instit. J. N. & G L. 2. c. 7 Q 6. & 7. ubi expletionem juris, & successionem *ex naturæ jure* derivat: illud per figmentum, hoc per errorem

gitimam passim recepêre, etsi legibus positivis hæc succedendi ratio *specialiùs certiùsque* definita sit.

Voluntate ultima seu testamentaria.

℞. III. *Translatio dominii* per ultimam voluntatem, quam *testamentariam* appellant, uti hìc accipitur, * *est declaratio voluntatis justa* de dispositione bonorum, ac institutione hæredum, in quos quis post mortem sua translata cupit, *salvo tamen in vivis dominio.* Hæc declaratio ultimæ voluntatis neque *in se*, neque *quoad valorem, seu efficaciam*, fluit à jure naturæ, vel Gentium, nisi *merè negativo.* Non *in se*: quia nemo obligatus est, ne quidem in conscientia, *per se* loquendo, ad ejusmodi ultimam voluntatem, cùm sufficere possit ad finem, à jure Gentium intentum, successio ab intestato. *Per accidens* tamen, authore *Laymanno*, obligatio quædam oriri posset ad exonerandam conscientiam circa debita, ad præcavendas lites, discordias, detrimenta tertii, aliáque incommoda prævisa. *Quò ad valorem* jus naturæ, *etiam posito rerum dominio*, nihil *positivè* disponit. Cùm enim dominium testatoris ad usque mortem perseveret, & per mortem *absolutè* exspiret, translatio dominii ampliùs fieri nequit, ùt suprà dictum. Unde est, quòd bona defunctorum, *ex natura rei*, forent vacantia, & veluti derelicta, nisi lex ultimæ voluntati *moralem perseverantiam* daret, eique sua authoritate assisteret. *Sed neque efficacia hujus ultimæ voluntatis habetur à jure Gentium positivo, sed à jure merè civili. Ratio prioris est*: Quia testamentaria dispositio *proximè* non spectat bonum, ac felicitatem Gentium, *quà talium*, cui sufficit successio ab intestato; sed, *per se* ac *principaliter* spectant bonum ac favorem testatorum, quorum interest testatos potiùs, quàm intestatos decedere: ergo jus Gentium dispositionem relinquit juri civili. *Ratio posterioris* fluit ex dictis.

Opposita solita, non videntur satis efficacia.

℞. IV. *Quæ nonnullis in oppositum movent, inefficacia sunt.*

Opponunt 1. Voluntatis testamentariæ ratio apud plerasque Gentes moratiores, *longævo usu* invaluit: ergo est juris Gentium.

℞. D. A. *Longævo usu* invaluit, inducente obligationem, à Gentium jure profectam, sic ut abrogari, ac mutari non possit à quavis Gente privata. N. A. Inducente observantiam, non nisi civili jure firmatam. C. A. Et D. Ergo est juris Gentium *propriè* talis. N. C. *Impropriè* dicti C. C. Testamenta olim non nisi apud *Græcos* & *Romanos* in usu fuisse *Romani* fasti memorant, immò & hodie *in Gallias* testari extero, regulariter haud indultum ferunt, quin violati juris Gentium arguatur *Gallica* Natio. **

Opponunt 2. Etsi ultima voluntas per mortem exspiret *physicè*, manet tamen *moraliter* satis connexa cum subsecuta acceptatione hæredis: ergo, supposita rerum proprietate, efficacia fluit *ex natura rei*, seu *ex ipso jure dominii*, ultra fata se extendentis. A. clarescit in casu, quo fit *dispositio inter vivos*, executione tamen in tempus mortis dilatâ, vel sub onere, post mortem implendo, ratione erigendi monumenti, partis solvendæ descendentibus donationis, post mortem effectum sortituræ &c. Jam sic. In ejusmodi casu voluntatis declaratio, etsi *physicè* transierit, non retractata tamen, perseverat *moraliter*, & licèt per mortem *positivè* quidem non confirmetur, *revocabilis tamen esse desinit*, habétque efficaciam in effectum post mortem, sic ut etiam descendentibus, necdum natis, acquiratur jus &c. ergo à fortiori, ultima voluntas, majoris efficaciæ meritò habenda, perseverat *moraliter* in ordine ad valorem, dispositioni suæ tribuendum.

℞. D. A. Ultima voluntas manet *moraliter*, hoc est, in æstimatione humana, & fictione juris positivi, eidem efficaciam tribuentis. C. A. Manet moraliter, hoc est, in reali dominio eidem per se valorem præstante. N. A. Et C. Cum *dispositione inter vivos* negatur paritas: nam per hanc verè transfertur dominium, & jus hæredi fit in diem, quæ revocari non potest, quæsitum, etsi *usus dominii*, ad vitæ terminum sit reservatus. Cæteræ dispositionea

---

* Abstrahendo à differentiis inter *codicillos*, *legata*, *testamenta scripta* & *nuncupativa*, quæ huc non spectant.

** Unde non probatur *Thomasius*, cùm ait Jurisp. Div. L. 2. c. 10. n. 164. *Nam & illud in qualecumque mortalitatis solatium, si non apud omnes, certè apud plerasque fuit receptum* (: nisi forsan per *hi receptum* jus Gentium *merè negativum* intelligat:) *ut quis vivus sua bona transferre possit in eventum mortis in eum, quem maximè amaret.* Inde in curis secundis L. 2. c. 10. n. 11. errorem correxit, asserens testamenta esse *juris merè civilis*: sed, more suo, mox accumulat novos errores, ad quæstionem, *an expediat Reipublicæ testamenta introducere?* ubi contra *Puffendorfium* reponit *paucis: expedit avaritiæ Advocatorum & Judicum, expedit Clero Pontificio, cujus præcipuus acquirendi modus fuit.* Addit, se in dissert. speciali probâsse, *testamenti factionem esse Reipublicæ noxiam.* Fasces deponas ad hujus censoris logos unius Jurisprudentiæ civilis.

tiones tenent, vel ratione pacti, inter vivos completi, ſempérque ſtringentis jure naturæ *quò ad obligatum*; vel ex favore juris poſitivi.

Oppones 3. Non eſt opus *fictione juris poſitivi* ad perſeverantiam ultimæ voluntatis moralem; nam, dari *entia moralia jure naturæ*, patet in dominio & obligatione: non enim, quòd res hæc mea ſit, aut *Titius* mihi obligatus, ex phyſica mutua connexione, ſed ex humana æſtimatione, in præcedente facto ſundata, proficiſcitur. Dari *perſeverantiam moralem*, naturæ jure fundatam, patet *ex diſpoſitione inter vivos*, actu illo voluntatis non niſi *moraliter* perſeverante; immò donatio facta per epiſtolam etiam, me dormiente, per alterius acceptationem compleri poteſt.

℞. D. Dantur entia moralia, & perſeverantia quædam moralis, naturæ jure, ſiquidem ſint fundata *in facto reali*, nec *revocato*. C. Si non ſint fundata *in ullo facto reali*, ſed mera hominum fictione. N. Moralis perſeverantia ultimæ voluntatis fundari nequit *in actu*, ſeu facto præterito, transferente dominium *pro tunc*, ſeu pro vitæ tempore, ut eſt in confeſſo; nec in facto præterito transferente dominium *pro nunc*, ſeu pro inſtanti mortis, ubi nullum ampliùs dominium, ùt adeò nulla ſit paritas ad inſtantias allatas.

Opponunt 4. Falſum eſt, *quòd mors omnia jura ſolvat*, faciátque bona *veluti derelicta*, utì patet 1. In bonis famæ, quarum jus manet defuncto, paritque obligationem reſtitutionis. 2. In debitis, per mortem *Titii* non extinctis, ſicut creditori remaneat jus naturale in bona defuncti. Jam ſic: in hoc caſu bona, *ſaltem moraliter*, cenſentur etiamnum eſſe defuncti in ordine ad præſtandam eorum ſolutionem: ergo etiam, per ultimam voluntatem, ſic poſſunt eſſe affecta *moraliter*, ut inimpedibiliter tranſeant ad hæredem, ea acceptantem.

℞. D. Falſum eſt, *quòd mors omnia jura ſolvat*, quòad bona fortunæ, homini propria, & per mortem auſeribilia. N. Quò ad bona famæ, immortali animæ propria, neque morte ablata. C. A. Et N. C. Ad alterum D. Creditori manet jus naturale in bona defuncti, quaſi defuncto etiamnum propria. N. In bona, ùt à defuncto cum onere relicta, & ad quemcunque ſic tranſeuntia. C. Unde negatur ſuppoſitum, quòd fortunæ relictæ, ſaltem ſpectato jure dominii, & *ex natura rei*, poſſint quodammodò dici propria defuncto, ut adeò illatio nulla fieri poſſit ad voluntatem ultimam, quaſi *per ſe*, ſaltem *moraliter* bona transferentem.

Opponunt 5. Intereſt ſocietatis humanæ, ne bona poſt mortem relicta fiant *quaſi derelicta*, ſeu *communia*, litibúſque expoſita, ob quas neceſſaria fuit prima rerum diviſio: ergo *modus* hiſce præveniendi incommodis eſt *juris naturalis*: atqui non eſt modus *rationi conformior*, quàm diſpoſitio per ultimam voluntatem: hac enim ſublata, homines paſſim forent negligentes in conſervandis ſuis bonis, minúſque difficiles in diſſipandis, cùm crederent, ſore, ut vel contra vel præter voluntatem ſuam, aliis ea obtingerent *

℞. Hoc *intereſt* ſicuti non probat neceſſitatem *abſolutam* diviſionis bonorum; ita multò minùs evincit *ejuſmodi modum* diſpoſitionis ultimæ, quò ad bona *ſimpliciter neceſſarium*, & licèt probaretur aliqualis neceſſitas, cùm ea potiùs ſit privata, quàm *publica*, ne quidem jus Gentium arguit, ùt ſuprà diximus. Unde D. *min. ſubſ.* Atqui non eſt modus rationi conformior, quàm diſpoſitio ultima, ſic ut ſtabiliatur *jure naturæ* vel *Gentium* N. Sic ut fundetur *jure civili*. C. Etiam ultima voluntas non caret ſuis ſæpe incommodis, præjudiciis, fraudibus, quibus, ut præcaveretur per ſolemnitates, & cautelas juris poſitivi, neceſſe fuit.

Opponunt 6. Eveniunt caſus, ſatìs frequentes, in quibus, *ratione ultimæ voluntatis*, in jure civili pro teſtamentis *nullum*, vel *anceps præſidium* v. g. ſi quòd teſtamentum, ùt ſæpe fit, ſit *imperfectum*, hoc eſt, vel debitis ſolemnitatibus deſtitutum, vel ſaltem ad omnes juris apices non exactum: ergo, ne fruſtrentur crebrò ultimæ voluntates *cum hæredum præjudicio*, opus eſt alio titulo, nempe jure naturali. C. P. In hiſce caſibus hæredi jus civile non aſſiſtit, ſive adire velit, ſive jam adierit hæreditatem; multò minùs jus Gentium: ergo ſi nec ex jure naturali ſuppetit titulus ad rem, vel in re, hæres eſt deſtitutus omni titulo juſto, tenebitúrque manifeſtare defectum teſtamenti, & hæreditatem cedere ſuccedentibus ab inteſtato, id quod videtur nimìs durum, & contra praxin etiam timoratorum. Sed

℞. D. A. Eveniunt ejuſmodi caſus, *per ſe loquendo*, defectu juris naturalis hæc præjudicia cauſante. N. A. Eveniunt *per accidens*, teſtatorum incuriâ hæc præjudicia cauſante C. A. Et N.

Sup-

* Clariſſ. P. *Bæckhen* L. infrà cit. f. m. 337. exiſtimat, *ex hac ratione liquere, in ſocietate hominum facultatem teſtamentariam prorſus eſſe neceſſariam, nec proin promiſcuè omnibus adimi poſſe.*

Suppositum, quòd jus naturale, ordinatum solummodò ad felicitatem, humano Generi *simpliciter necessariam*, respicere debeat *casus privatos*, & *per accidens* emergentes, testatorum vel hæredum incuriâ suis commodis ex civili jure ultro obstante. Certè jus naturale *communi bono per se* sufficienter præcavet per pacta, dispositiones, atque donationes inter vivos, *mortis causâ factas*, * quòd si quis extendere velit etiam ad testamentarias voluntates, casúsque *per accidens* inde fluentes, næ is immensa legum naturalium mole Genus humanum obrueret, id quod inconveniens esse alibi iat declaravimus (a).

Ad primam illationem eadem est responsio: cùm enim hoc præjudicium hæredum eveniat *merè per accidens*, scilicet ex neglectu juris civilis per testatorum, vel etiam hæredum incuriam, insuperhabitô horum bonô privato, jus Gentium satis curat *bonum commune*, ne bona sint quasi derelicta, assistendo hæredibus ab intestato, ita ut ad bonum publicum nullatenus opus sit jure naturali. Atque hoc ipsum juxta Adversarios verum est, siquidem ejusmodi testamenta deducantur ad forum contentiosum, cùm neque tunc hæredibus suffragari possit *titulus ex jure naturali*, quem adstruunt, sed cum eorum præjudicio jus Gentium bona attribuat succedentibus ab intestato. Quò ad alteram probationem *tota difficultas* videtur recidere ad hoc, quòd *in casu adeunda vel aditæ hæreditatis ex testamento imperfecto, neque deducto ad forum judiciale*, hæredes obligarentur in conscientia, *per defectum justi tituli*, ultrò relinquere hæreditatem successoribus ab intestato, quod videtur *durum etiam pro conscientiis timoratis*. Sed ad hoc n. 1. Ejusmodi casum esse *satis rarum in praxi*, cùm testamenta, præcipuè si adsint successores ab intestato, *ordinariè* cognosci, & legitimari à Magistratu debeant, ut adeò videretur *durum*, jus naturale, quod non spectat *nisi bonum humano Generi absolutè debitum, ac necessarium*, ad talem casum *privatum, per accidens* emergentem, nec nisi ex incuria propria hæredibus *præjudiciosum*, extendere, uti jam diximus, & *velut juris naturalis indoli penitùs adversum*, in prima parte argumentis pluribus ostendimus. Sed quia *ob alienorum scrupulos* hæc instantia meretur *solidiùs* dissolvi, n. 2. In tali casu nullam apparere solidam difficultatem. Nam, *abstrahendo à principiis Probabilismi reflexis, timoratæ conscientiæ facilè applicandis*, cùm per nostram sententiam, etsi *notabiliter* (ùt judicamus) *probabiliorem*, oppositæ opinionis probabilitatem *veram* velimus neutiquam elisam, abstrahendo, inquam, à talibus principiis, *etiam in nostris principiis directis*, suppetit titulus justus retinendæ hæreditatis in ejusmodi casu testamenti imperfecti, *saltem in foro conscientiæ, & ante sententiam judicis*. Siquidem cum *Lessio*, & teste *Joanne Christophoro Schambogen* (b) *cum communi Theologorum*, tenemus, *solemnitates*, ac sic dictos *apices*, testamentis perfectis à civili jure inductos, non esse de testamenti *forma substantiali*, sed solummodò *de probatoria*, adeóque si aliunde constat *de voluntate absoluta* testatoris defuncti, eidem hæres in conscientia accommodare quò ad onerosa se debeat, adeóque & quò ad favorabilia accomodare se possit, titulo justo suppetente vel *ex jure civili*, quod ante sententiam Judicis, in tali casu, assistit testamentò imperfecto, vel saltem *titulo honestatis, & debiti cujusdam moralis*, uti ipse fatetur *Covarruvias*, etsi hac ex parte contrarius. Inter rationes alias assignatur & hæc, quòd solemnitates testamentariæ sint ad vitandas solummodò fraudes requisitæ, §. 4. h. t. quæ, si de testatoris voluntate certa constet, cessant saltem ante sententiam Judicis. Item: quòd hæredes ab intestato hæreditatem habere debeant, provenit ex tacita & præsumpta defuncti voluntate: atqui hæc præsumptio, adveniente veritate,

* Hanc in rem non malè differit Puffendorfius L. 4. de J. N. & G. c. 10. §. 5. saltem, ùt apparet, & à nobis exponi potest, cùm ait: Cæterùm uti nemo facilè adseruerit, *juri naturæ repugnare*, ut quis possit de rebus suis disponere eo tempore, quo Dominus est, & effectum conferre in tempus, quo futurus Dominus non sit (intellige efficaciâ juri civili relictâ) ita ut hoc *ex dominii natura*, necessariâ aliqua ratione resultet, haud quidquam apparet. Equidem hoc *ex natura dominii* fluit, ut quis vivus in rem suam alicui vivo jus conferat, quod non extinguatur, extincto licet eo, qui illud constituit, quippe cùm illud jus in vivente altero hæreat. Nam cùm *efficiens*, & *effectum* sint entia separata, illo extincto, hoc non statim extingui necessum est, adeóque uti quis rem suam vivus plene in alterum potest transferre, cujus dominium hic non amittat mortuo eo, abs quo idem fuit acceptum; ita nil impedit, quò minùs quis dominium rei suæ in alium transferre possit, recepto tamen sibi certo in eam rem jure, quò ad in vivis fuerit. Ita ille

(a) P. I. Tit. 1. f. 634. & passim per decursum.

(b) In instit. Juris L. 2. tit. 10. f. m. 300. edit. A. 1727.

ritate, si de alia voluntate constet, cessat saltem ante, sententiam Judicis (a).

Unde non satisfacit *Grotius* (b), cùm ait: *dato domino testamentum, quò ad substantiam, est juris naturalis; quò ad formam juris civilis*: cui pridem dubia, nec immeritò, movit *Puffendorfius* (c). *Grotii* partes tenent plures cum *Bæclero* (d); ex RR. Clariss PP. *Schmier* & *Böcken* (e), qui superaddit & hanc quoque rationem. Quòd testamentaria facultas in lege *duodecim tabularum*, *omnium primâ*, non sit inducta, & *confirmata*, supponendo eam ex jure anteriore, *utique naturali*. Immò cur non immediatiùs ex jure Gentium? Sed lex duodecim tabularum *prima* haud fuit ex positivis, sed *prima* ex publica forsan solemnitate promulgationis, de qua constat. Rursus ait: quòd eadem facultas per *Constantinum* deducatur ex ratione naturali (f). Sit: etiam jus positivum, *ratione naturali*, non destituitur: & licèt *æquitas naturalis* firmet voluntatem translati dominii inter vivos, *speciali tamen favore* firmare nequit ultimam voluntatem, quia dominio destitutam, ut adeò neque *jus naturæ conditionatum* (siquidem supponatur *) evinci possit, quòd nempe stringat, *donec jure positivo pro rerum exigentia, hoc, illove casu fuerit constitutum*.

Quæritur IV. *Quid tenendum de altero modo, acquirendi dominii derivativo, scilicet per legem præscriptionis, respectu juris naturæ ac Gentium?*

Per præscriptionem. R. I. Etsi *usucapio* & *præscriptio* non rarò Authoribus idem sonent, utramque tamen rectè distinguit *Puffendorfius*, ideò hìc nominatus, quòd contra illum hìc, uti & alibi, specialiùs agamus (g), dum ait: *usucapio* dicitur, dum *res usu, aut diuturna possessione capitur, atque acquiritur: exceptio* autem, qua prior Dominus, *post usucapionem completam*, à possessore repellitur, *præscriptio* appellatur, nihilque aliud est, quàm *modus acquirendi, quo jus, vel liberationem à jure, temporis privilegio, nanciscimur*. Difficultatis cardo in eo vertitur, an solo jure civili, an jure Gentium, vel etiam Naturæ nitatur? Circa quod

R. II. Titulus usucapionis, atque præscriptionis, *quò ad præsentem formam in specie, est juris merè civilis*. *Patet*: nam determinatio quantitatis in tempore, qualitatis in bona fide &c. aliam originem habere nequit, nisi civilem; jure naturali, vel Gentium ejusmodi minutias non attendente. *Quæ quò ad formam modernam juris mere civilis.*

R. III. *Titulus usucapionis, atque præscriptionis in genere, seu quò ad originem & substantiam, non est juris naturalis, nisi merè negativè*. *Ratio est*: Quia, uti ipsa terum proprietas, ita & modus acquirendæ, seu transferendæ proprietatis, *determinatè per præscriptionem*, nec *positivè exigitur*, nec etiam *positivè repugnat* amori, societati humanæ *naturaliter debito*, hoc est, ad felicitatem, eidem propriam, *absolute necessario*. Siquidem ad hunc finem, *simpliciter spectatum*, etiam supposita rerum divisione, perinde est, sive per modum occupationis rei derelictæ, sive per modum præscriptionis, sive per alium acquiri, atque transferri dominium queat, quæ omnia jus naturæ, tanquam juri Gentium, ac positivo propria, commodiùsque disponenda relinquit. Unde, cùm alibi diximus (h), præscriptionem esse *juris naturæ*, in sensu eorum vulgari locuti sumus, qui jus naturæ, *secundarium*, ùt appellant, cum jure Gentium confundunt. *Quò ad originem atque substantiam non est juris naturalis.*

R. IV. *Idem titulus, quò ad originem & substantiam spectatus, & præcisus à certis temporum punctis, probabiliùs est juris Gentium*. *Sed Gentium.*

P. Assertum 1. Juris Gentium, propriè talis, esse dicitur, quod fluit *ex ordinatione rationis, longævo Populorum usu, Deoque societatis humanæ Gubernatore firmata, ad communem Gentium felicitatem*: tale quid est titulus usucapionis, atque præscriptionis: ergo est juris Gentium, propriè talis. *Min. P.* Sine hoc titulo, inter liberas Gentes, *respectu ditionum, quas possident*, nulla haberetur sat secura proprietas stabilisque possessio; pax & quies Reipublicæ

(a) Videri potest *Schambogen* l. c. à f. 298.
(b) L. 2. de J. B. & P. c. 6. n. 14.
(c) L. 4. de J. N. & G. c. 10. §. 4. f. m. 576.
(d) In notis ad Grotium L. c.
(e) Commentar. in jus Can. T. 2. L. 3. Tit. 26. §. 2. f. m. 333.
(f) L. 1. Cod. de SS. Eccles. *Nihil est, quòd magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ voluntatis, post quod aliud velle non possint, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium.*
* Nam f. 337. ait Author: *Juri naturali, minimùm permissivo, ante juris humani concessionem, ultimas voluntates adscribi posse*, qua in re non refragamur, eo tamen sensu, quòd jus naturæ permittat, ut ultimæ voluntates *efficaciam* à jure humano accipiant.
(g) De J. N. L. 4. c. 12. §. 2.
(h) In Coll. Hist. P. VIII. Q. 18.

publicæ diu, vel semper conservari haud posset; adeóque, incertis dominiis, nullus litium, bellorúmque finis foret: ergo hic titulus, juris Gentium, sit oportet. *Ant. Patet*: nam ad securam possessionem ditionum sæpe alius titulus, repellendis prætensionibus sufficiens, proferri nequit: non titulus belli, cujus plerumque justitia *dubia*; non occupatio ex derelictione solùm *præsumpta*; non pacta, transactiones, donationes &c. quarum valor sæpe *incertus*, monumenta non satis authentica, immò injuria temporum communiter jam consumpta &c. Sic constat, plurima Regna & ditiones, quæ olim Imperio *Romano-Germanico* erant *certò* subjecta, hodie avulsa, nullo alio titulo, *saltem certe* suppetente, nisi quem affert *Dedacus Saavedra* (a): *pro omnibus, quotquot sunt, Regnis, hodie commum Populi consensu, immemorialis possessio militat.* Rationem addit: *Toto Orbe penitus exulare deberet pax, si, coram tribunali temporis, Regna atque dominia legitimum, quo nituntur, titulum non reddidissent. Vix enim Gens ulla, quæ à se ipsa acceperit supremam potestatem, illamque ab alia potentiore mutuata non sit, poterit reperiri.* Unde *Ludovicus Gonzaga* opposuit *Henrico, Galliæ* Regi (b): *Principes, si regentur, quo titulo tot Provincias possideant, aliud, quod respondeant, non habere, quàm eas anteà à Parentibus acepisse; & si lex sit, ut Principes, quæ à Majoribus usurpata possident, restituere teneantur, ad summas angustias plerosque, qui nunc latè regnant, redactum iri.* Unde jam dudum *Jephte jus Israelitarum* contra *Ammonitas* in certas terras ex possessione, adeóque temporis longissimi præscriptione, defendit. Unde, cùm elapso sæculo per famosas cameras reunionum (c) *Gallia* multas ditiones *Alsaticas* sibi, jure avito debitas, conquireret, non aliud scutum opposuêre Imperii Status, nisi *titulum præscriptionis*, dicentes: *iniquum fore, Status immemoriali, & plurium sæculorum possessioni innixos, ad editionem titulorum suorum, contra omnia jura, cogere; hoc enim modo totius Orbis possessiones, & rerum dominia incerta reddi* (d). Sic, cùm fluente etiamnum sæculo ditiones quædam Apostolicæ sedis, velut Imperio malè ereptæ, impeterentur, Purpurati *in præcipuum titulum, longam possessionem, diuturnitatem temporis* (e), adeóque titulum præscriptionis, jure Gentium stabilitum, opposuêre: quem in sensum jam priùs rectissimè scripsit C. *Bellarminus* (f): *Etiamsi nihil* (donationum scilicet Cæsarearum respectu ditionum Apostolicæ sedis) *extaret, abunde sufficeret octingentorum annorum præscriptio. Nam etiam Regna, & Imperia, per latrocinium acquisita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioquin enim, quo jure Julius Cæsar occupavit Romanum Imperium? Et tamen tempore Tiberii ait Christus: reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Quo jure Franci Galliam, Saxones Brittanniam, Gothi Hispaniam invaserunt? Et tamen suo tempore Regna, ab illis constituta, quis illegitima diceret?*

P. *Assertum* 2. Quòd ab antiquo receptum fuit per plerasque Gentes, velut legitimum, rationi conforme, & necessitate exigente inductum, illud rectè censetur esse *juris Gentium*, præcipuè, si quæ opponi solent, velut minùs efficacia, facilè solvi possint: Atqui ditionum translatio, *titulo præscriptionis* innixa, est recepti juris apud Populos. *Min.* colligitur partim ex sensu Gentium suprà allato, quem firmant cum *Suarezio* (g) non contemnendi Scriptores, quos allegat Clariss. P. *Schmier* (h), partim ex dissolutione replicarum.

℞. V. *Quæ nostro asserto opponi solent, inefficacia sunt.* *Nil obstantibus oppositis momentis.*

Replicant 1. Per præscriptionem, *Gentium jure fundatam*, tantùm abest, ut obtineatur *finis intentus*, hoc est, *bonum Regnorum*, in tranquillitate publica, securáque ditionum proprietate situm, ut potiùs *malum publicum*, per plures dissensiones, ac lites, orireretur: ergo ruit nostrum fundamentum. A. P. Jus Gentium nec *tempus*, nec *possessionem*, nec *titulum*, aliáque ad præscriptionē requisita, determinat; determinatio civilis per Gentes liberas non attenditur; arbitrium Prudentum iret in tot sententias, quot capita, &c., etsi uniforme foret, liberas Gentes haud necessariò stringeret: ergo, *incerto titulo præscriptionis*, incerta manerent dominia infestationi, litibúsque obnoxia, potiúsque intentum oppositum mali publici evinceret.

℞. N.

(a) Apud *Achrlium* de præscript. immem. c. 1. Th. 15.
(b) In præfat. ad coronam Gothicam.
(c) Videantur Coll. Hist. P. II.
(d) Anno 1680. in comitiis *Ratisbon.* apud *Londorpium* Tom. 11. f. 81.
(e) In litteris datis a. 1705. 12 *Augusti.*
(f) L. 1. de Rom. Pont. c. 9.
(g) In defens. fidei Cath. L. 3. c. 2. n. 10. in S. de LL. l. 8. c. 34. n. 10.
(h) In Jurisp. publ. L. 2. c. 2. sect. 3. n. 126. f. m. 106.

℟. N. A. Ad. P. Jus Gentium nec determinat tempus, nec alia *juxta præsentem formam & usum*, à jure civili requisita. C. Nec determinat tempus, nec *alia*, *ad formam & usum Gentium communem* necessaria. N. A. Et suppositum, quòd hìc *præscriptionis* vocabulo utamur in sensu civili, communiter usitato, *pro acquisitione dominii, vel juris alieni, extinctione per continuationem possessionis tempore ac modo, à lege civili definito* (a): sed hoc vocabulum sumimus *pro modo acquirendi dominii, quo jus, vel liberatio à jure, temporis privilegio, in genere loquendo, obtineri potest*. Et in hoc sensu *jus Gentium* determinat *tempus immemoriale*, cuivis notum; pro titulo *possessionem bonæ fidei*, utpote in rei derelictione tacita, vel præsumpta fundatam: quod requisitum *bonæ fidei*, jure Gentium satìs constat, cùm manifestum sit per se, nullam rem *mala fide* possideri.

Replicant 2. Vel titulus usucapionis & præscriptionis dicitur juris Gentium *immediatè*, ùt est *in se*: vel *mediatè*, ùt est fundatus in *occupatione rei, quasi derelictæ*: prius est *insufficiens* ob defectum bonæ fidei; posterius *superfluum*, cùm absque titulo præscriptionis, *rei derelictio*, ejúsque *præsumptio*, Gentibus sufficiat ad finem intentum. *Confirmatur.* Per solum titulum *derelictionis præsumptæ* habetur pax, & tranquillitas publica; præcavetur incertis dominiis, litibúsque inter Gentes: ergo titulus præscriptionis haud necessarius.

A. P. Titulus *derelictionis præsumptæ* servit Gentibus, Principibúsque supremis *per modum exceptionis*, quam *bona fide* opponere possunt in casu diuturnæ & pacificæ possessionis: hæc namque possessio facit, quòd *melior sit conditio possidentis*, sic ut, *stante dubio*, re sic possessa spoliari nequeat, usquedum pars adversa idoneis argumentis ostendat, ditionem à se nunquam derelictam, vel abdicatam: ergo.

℟. *N. Min.* Ad P. Dico: præscriptionem esse juris Gentium *immediatè in se*, *utpote medium necessarium ad bonorum & jurium certitudinem, pacémque inter Gentes conservandam.* Et licet ex derelictione præsumpta supponatur bona fides, ad usucapionem requisita, per solam tamen præscriptionem, seu possessionem immemorabilem, jure Gentium, acquiritur dominium certum cum extinctione omnimoda alieni juris. Inde non male hac ex parte *Puffendorfius* (b): Nobis omninò videtur, usucapionem, prout abstrahit à punctis temporum, per leges civiles designatis, esse *velut appendicem, & consectarium dominii rerum*, adeóque, cùm dominia introducerentur, id quoque pacis causâ placuisse, ut qui aliquid, neque vi, neque clam, neque precariò, suo nomine, possideret, tantisper Dominus præsumeretur, quò ad ab altero contrarium probaretur. Qui autem *per longissimum temporis spatium*, per quod nemo, mediocriter diligens, rem suam negligere creditur, quid bona fide possederit, suum petitorem (præscriptionis jure) planè posset repellere, quia non citiùs rem suam vindicatam iverit. Ita ille.

Alterum membrum D. Absque titulo præscriptionis, rei derelictio, *verè talis*, sufficit ad finem, à Gentibus intentum, hoc est, *ad pacem stabilem, ditionum dominia certa*. C. Derelictio solùm *æquivalenter talis*, seu *tacita*, atque *præsumpta*. N. A. Et C. Derelictio *verè talis* est, qua res propriè derelinquitur, sic ut, absque intercapedine longioris possessionis, ex jure naturali permissivo, Gentiúmque formali, primo occupanti *proprietas certa* acquiratur. Contrà *usucapio* est, qua res occupatur bona fide, *ob derelictionem præsumptam*, cum jure tamen exceptionis in contrarium, *sic ut præsumptio cedat veritati*. *Præscriptio est*, qua res acquiritur, per derelictionem præsumptam usucapta, sic ut, titulo quietæ possessionis, per immemoriale tempus continuatæ, rei dominium tam plenum acquiratur, ut etiam omnis exceptio repellatur. Sanè sicut per occupationem rei, *verè derelictæ*, aliquis fit rei Dominus stabilis: ita per usucapionem rei, *æquivalenter derelictæ*, accedente temporis immemorialis possessione per præscriptionem, jure Gentium firmatam, aliquis, insuper-habitâ omni prætensione oppositâ evadit possessor *certus & imperturbabilis*. Unde

Ad confirmationem negatur suppositum, quòd titulus derelictionis, merè præsumptæ, *sufficiat absolutè*, ne dicam *æquè* ac præscriptio, ad finem à Gentibus intentum, seu ad pacem publicam, certáque dominia inter Principes supremos. Siquidem ex confessione propria Adversariorum (c), etsi huic derelictioni præsumptæ accedat possessio, quantumcunque diuturna, plus non acquiritur, *quàm conditio melior possidentis*, salvo jure excipientis, *qui si reclamet, & protestetur contra possessionem idoneis*

(a) L. 3. ff. de usurp. & usucap.
(b) De J. N. & G. c. 12. §. 9. f. m. 615.
(c) Quos inter P. Ant. Soll de præscript. P. 1. c. 1. §. 3. f. m. 27.

idoneis argumentis, præsumptio veritati cedere deberet. Immò etsi, per immemorialis temporis possessionem, *magna foret præsumtio* factæ derelictionis, non tamen esset præsumptio *juris de jure*, *seu exclusiva contrariæ præsumptionis*, adeóque jus possessionis *certum* non faceret. Unde non præciderentur lites, nec tranquillitas stabilis haberetur, sed per prætensiones annosas, immò & violenta remedia, dominia labefactari, & pax publica inter Gentes turbari posset.

Replicant 3. Præscriptio, & derelictio sunt tituli penitùs diversi; hæc enim fundatur in voluntate propria, rem deserente, illa in lege rei dominium transferente; hæc locum non habet in ignorante, habet illa; hæc est modus amittendi, illa acquirendi dominii, hæc non exigit bonam fidem, exigit illa, & sic de aliis: ergo malè confunduntur. Item, etsi pro bono Gentium publico expediens foret ejusmodi modus transferendi dominii, non sequitur, quòd detur: nam nequit probari ejusmodi pactum mutuum inter Gentes: immò teste *Ferdinando Vasquio*, moratissimæ Gentes, quales *Hispana*, *Gallica*, *Austriaca* &c. præscriptiones contra se nullas agnoscunt: neque credibile est, eas admissurum Imperatorem *Sinarum*, *Turcarum*, *Persarum*, etsi jus Legatorum omnes recipiant, ac agnoscant

℞. Ad 1. Negando suppositum, quòd hi duo tituli confundantur: nam præscriptio, *per derelictionem rei præsumptam*, non transfert dominium, sed *acquirit*, seu *habet* bonam fidem, *ut per possessionem temporis immemorialis* Gentium jure, dominium transferre possit. Immò quàm maximè distinguimus utrumque titulum, dum derelictionem præsumptam, etiam accedente temporis longæva possessione, *ùt insufficientem*, rejicimus, *utpote non exclusivam contrariæ præsumptionis*: contrà possessionem immemorialem, in derelictione præsumpta fundatam, præscriptionem dicimus, & *ùt exclusivam omnis contrariæ præsumptionis* adstruimus, ac dominii *verè* translativam, exigente Gentium necessitate, affirmamus. Unde & proprietates derelictionis præsumptæ & præscriptionis manent quàm maximè discretæ, etsi negemus, derelictionem præsumptam etiam malæ fidei possessori suffragari posse, uti ait Clariss. *Sigismundus Stapfius*: derelictio enim præsumpta hoc ipso, *quia conjectura probabili fundata, elidit malam*, & inducit *bonam fidem.* Nos igitur non ferit censura clarissimi hujus Authoris, dum ait: *adversæ sententiæ Patronos scientiarum vocabula malè confundere, dum derelictionem præsumptam præscriptionem; modum amittendi dominii modum acquirendi dominii appellant.*

Ad 2. Nos pacta mutua pro jure Gentium non requirimus; *usu longævo* hunc titulum præscriptionis inductum à Gentibus, satis ostendimus suprà. *Vasquius* ex suo principio, manifestè falso, quo negat *alienationem ditionum omnem*, consequenter etiam negat titulum præscriptionis, quem *ùt jure positivo inductum*, bene rejiciunt allegatæ Nationes; *ùt jure Gentium fundatum*, si repudiarent, æquè repudiarent titulum, derelictioni præsumptæ innixum, quod adversarii utique non admittent.

Replicant 4. Etiam subsidio præscriptionis, jus magis certum haberi nequit, ac beneficio derelictionis præsumptæ: ergo fundamentum allatum non tenet. A. P. Præscriptio, quantumvis immemorialis, ut subsistat, essentialiter requirit bonam fidem, * quæ aliunde non habetur, quàm ex præsumptione immemorialis possessionis. Jam sic: hæc præsumptio bonæ fidei non est *juris de jure*, sed admittit exceptionem, æque ac præsumptio derelictionis, orta ex tempore longævo: ergo præscriptionis subsidio jus certius haberi nequit.

Confirmatur. Nostra sententia redderet *inutilem* atque *frustraneum* art. 10. Capitulationis Cæsareæ *Carolinæ*, quo sese obligat Imperator, ad recuperandas omnes ditiones, jam pridem injustè ab Imperio decerptas; atqui hoc dici nequit. *Maj.* patet: nam, cùm ex decursu tanti temporis, saltem in successoribus præsumatur bona fides, hæ ditiones forent, jure Gentium, præscriptæ, nulla prætensione Imperio suppetente: ergo **.

℞. Negando suppositum, quòd post possessionem, immemoriali tempore

pore

---

* *Thomasius* in secundis curis L. 2. c. 10. n. 17. *de bona fide* rursus venditat paradoxa; *addendum*, inquit, quòd sententia juris canonici, de requisito bonæ fidei etiam in præscriptione longissimi temporis, etsi videatur prima fronte pia, reverâ tamen turbat tranquillitatem humani Generis, cui valde interest, lites quascunque aliquando finiri, & dominia rerum aliquando esse in certo. Facile tamen Historiæ Ecclesiasticæ gnaro patet, quem usum prætextu hæc pietas attulerit Clero *Romano*, ut videlicet ejus ope potuerint vindicare omnia bona Ecclesiastica, quocunque modo alienata, & per immemoriale etiam tempus possessa, sub specie, quòd possessores fuerint in mala fide, ut qui scire debuerint, bona Ecclesiastica non posse alienari.

** Ita Clariss. *Sigismundus Stapfius* de J. N. & G. P. a. c. un. §. 6. n. 6. f. m. 139.

pore pacatam, non elidatur omnis exceptio, etiam *ratione bonæ fidei* facienda, quæ non tantùm ex præsumptione rei derelictæ redderetur difficulter trahenda in dubium, sed *jure Gentium* fieret certa, extra omne dubium, ac controversiam posita, etsi fors postmodùm mala aliqua fides, per quoddam tempus habita, demonstrari posset.

Ad confirmationem negatur, articulum fore frustraneum: nam in illo Imperator non obligat sese ad recuperanda per immemorialis temporis quietam possessionem dudum præscripta, sed ad recuperanda *injustè alienata*, quorum possessio, hoc ipso obstante articulo, quieta nunquam fuit, nec esse potuit.

Replicant 5. Communissima, gravissimáque authoritas rum TT. tum sacri, profaníque juris interpretum, *unanimi calculo*, præscriptionis originem *juri civili* in acceptis ferunt: pro jure Gentium stant respectivè pauci (a), *qui hanc quæstionem vel ex instituto non examinârunt, vel paucis absolverunt.* Jam sic: quando agitur de obligatione juris Gentium, non recedendum à communi, immò à communissima: quia talis, tantáque authoritas, in re juridica, sententiam facit moraliter certam, neque credibile plerosque, immò ferè omnes, jus Gentium ignorare: ergo nostra sententia, saltem ob authoritatem oppositam deferenda. Ita nonnemo ex Recentissimis (b).

℟. 1. Clariss. *P. Franciscus Schmier* (c) pro sua, nostráque sententia, allegat *communem ferè sensum, & consensum Scriptorum*, è quibus ibidem præter *Suarezium* nostrum (d), producit non paucos: cui ergo ex oppositum testantibus commodanda fides? Nil definimus: id nobis compertum, ex nostræ sententiæ patronis eos, quos inspicere licuit, thesin hanc ex instituto, nec paucis adeò examinâsse.

℟. 2. Nos quod spectat, authoritati, tanquam *argumento extrinseco*, & *à posteriori*, ùt par est, deferimus; sed in materia juris naturæ, & Gentium non nisi in defectu *rationis intrinsecæ*, seu *à priori*: non enim Naturæ, Gentiúmque jura, *ex judicio Authorum*, sed ex necessitate, & ratione intrinseca, definienda sunt: hæc autem hìc minimè deest, ùt vidimus. Accedit, quòd tota authoritas opposita niti videatur minùs conveniente supposito, putà *termino præscriptionis, civiliter intellecto*, cùm continuò urgeant, quòd jure Gentium, nec *tempus*, nec *titulus* determinetur, quæ in sensu, Gentium usui accommodato, determinata esse sat declaravimus.

Replicant 6. Præsumi nequit, Gentes liberas in diminutionem suæ libertatis, vel Reges ac Principes in præjudicium regni proprii in usucapionis, vel præscriptionis titulos unquam consensisse: ergo saltem non fundantur *in jure Gentium*. A. P. Nemo præsumendus est, *jus suum jactare*, aut ulla temporis longævitate verè derelinquere voluisse: ergo &c.

℟. D. A. Præsumi nequit, si tantùm foret in diminutionem, ac præjudicium. C. A. Si etiam sit in emolumentum. N. A. & C. Sic iisdem titulis, longáque Imperantis patientiâ populus libertatem; Imperans possessionis suæ securitatem nancisci potest. Ad P. N. A. Nam præterquam quòd, teste *Tiberio* (e), *magna imperia magna sint onera*, certum est, & abdicationem libertatis penès Populum, & abdicationem potestatis, saltem cum Populi consensu, penès Principem esse. Jam sic: Qui per immemoriale tempus, nullo signo, actúve externo, *etsi potuerit*, ac etiam *debuerit*, jus suum prosequitur, sufficienter declarâsse creditur, quòd animo, verè rem dereliquerit, omnéque dominium abdicârit: ergo jus cedit alteri Domino. A. Patet; quia *naturali præsumptione* quis creditur voluisse id, quod sufficienter declaravit (f), & sufficienter declarâsse, quòd nolit id, cujus tanto tempore nullam significationem edidit. C. Pariter liquet: nam quod sufficienter declaratum, id pro jure habendum est, cùm societatis humanæ ratio non patiatur, actibus animi, sufficienter se declarantis, nullum esse effectum.

Replicant 7. Nequeunt determinari signa, quibus animus rem verè dere-

(a) Quos inter Clariss. P. *Schmier*, & *Pichler*.
(b) P. Ant. Soli. S. J. l. c. f. m. 23.
(c) L. supra cit. n. 136. f. m. 103.
(d) In defens. fidei Cath. L. 3. c. 2. n. 20. ubi expressè ait, *Regna bona fide præscribi posse*, utique non jure civili, sed Gentium. Unde L. 2. de LL. c. 34. n. 10. solummodò *supponit tanquam notum, quòd nulla præscriptio fit ex sola naturali lege*, ut adeò jus Gentium nullatenus excludat.
(e) Apud *Tacitum* L. 1. Annal. c. 1.
(f) LL. *ac* e ff. de pactis. L. *recusari* ff. de acquir. vel amitt. hæredit.

derelinquentis sufficienter colligatur, etsi in ejusmodi derelictione præsumpta fundatam dixerimus præscriptionem.

℞. N. A. Varia tam *positiva*, quàm *negativa* protulerunt Authores. *Nicolaus Hertius* assignat 1. Acquiescentiam tempore immemoriali, nulla unquam facta protestatione verbis vel factis, etsi fieri facilè potuisset. 2. Nullam mentionem juris factam, etiam in pactis cum possessore altero initis. 3. Omissionem tituli, seu insignium, ditionis amissæ causâ sibi competentium. 4. Titulum alteri datum appellando *Dominum regionis* absque restrictione. 5. Negata auxilia, cùm ferri potuissent, & debuissent: *

Replicant 8. Si longa patientia Imperantis sufficit ad pariendam Populo libertatem, ùt diximus, eodem jure vis & tyrannis, quâ pleraque in suis exordiis parta fuère Imperia, sufficiet ad recuperandam Populo libertatem: ergo subditis licebit pro libitu jugum excutere, & libertatem pristinam vindicare. A. Patet: nam nihil tam *naturale*, quàm ut eodem vinculo dissolvi queant omnia, quo colligata sunt.

℞. N. A. Quod *Wilhelmus Beckerus* rectè dicit esse *thesin seditiosam.* Disparitatis ratio est, quia Imperia, etsi vi parta, ex tacito Populi assensu jus tandem firmum, atque robur accipiunt, adeò ut qui tale imperium obtinenti se opposuerit, pro rebelli habendus sit.

Replicant. 9. Si præscriptio est *juris Gentium*, poterit præscribi à Principe contra libertatem Populi pro summa potestate: ergo pari jure præscribi à Populo poterit contra potestatem Principis summam pro libertate: sequela est falsa: ergo &c. *Min. P. à Grotio. 1.* Quia subditus, utpote subditus, est *subjectum* incapax Majestatis. 2. Quia Majestas est *objectum* incapax præscriptionis, utpote extra commercium. 3. Quia adesse nequit *bona fides* in subditis, quales ignorare se nequeunt. 4. Quia adesse nequit *titulus*, Imperii translativus in præscribentes, utpote *conditione subditos.* 5. Quia jus nequit esse *causa efficiens* Imperiorum, utpote quæ nec auferre potest, nec tradere. 6. Quia deest *effectus*, putà plenum dominium, quod in Imperium dari negant AA. 7. Quia deest *finis*, certa possessio Regni, quam penès Principem esse, certum est.

℞. C. Sequelam ob rationes allatas suprà. Nam constat, non unius Reipublicæ usu, quòd à regimine Monarchico sese sensim, tractúque temporis immemoriali, exemerint, translatô, in Optimates vel Populum dominiô, quibus litem movere, quid aliud esset, quàm publicam pacem evertere, & bella suscitare? *Min. subs. Dist* Sequela est *Grotio* falsa, *consequenter* ad ejus doctrinam. N. *In consequenter.* C. Ipsemet concedit, quòd longa patientia Principis Populo sufficere possit ad pariendam libertatem *ex derelictione Imperii præsumpta* (a): cur ergo sufficere non possit ex præscriptione, *saltem fundata in derelictione præsumpta?* P. D. Et hæ exceptiones pugnant contra jus præscriptionis, consideratæ *secundum jus civile Romanum.* C. Consideratæ *secundùm Gentium.* N. Unde *ad 1.* Saltem subditus, *quâ talis*, seu ùt desinit esse subditus, est subjectum capax Majestatis. *Ad 2.* Majestas est objectum alienabile: ergo est præscribibile, saltem ex titulo derelictionis: neque est extra commercium *quò ad modum.* *Ad 3.* Haberi poterit *bona fides*; V. G. Si Rex deserat subditos, si negligat, Rectorem petenti non respondeat, auxilia ferre vel nolit, vel non valeat. *Ad 4.* Titulum suppeditat præscriptio, fundata saltem in præsumpta derelictione Imperii, cujus, sic derelicti, sunt capaces subditi, *ampliativè* sumpti, utpote existentes in possessione naturalis libertatis, ac jurium Majestatis, immemoriali tempore exercitæ. *Ad 5.* D. Jus *civile* nequit esse causa. C. Jus Gentium, vel Divinum nequit esse causa, *quò ad modum* consequendi potestatem summam, atque Imperium. N. *Ad 6.* Si in Regnis, non patrimonialibus, seu *successione*, seu *electione*, acquiri potest dominium plenum, acquiri pariter poterit *præscriptione*: quòd si solummodò usus fructus, Doctorum calculo, obtinetur, id ipsum præstabit *præscriptio*, nec alius effectus requiretur. *Ad 7.* In casu præscriptionis longævæ contra Principem, certum non est, Potestatem summam esse penes ipsum, sed ipsa præscriptio eandem Populo reddit certam.

Quæritur V. An ditiones & Regna sint absolutè alienabilia?

Ditiones & Regna sunt alienabilia, variis titulis.

℞. *I. Affirmativè. P.* Ditiones & Regna cum Populis subjectis, *titulo præscriptionis*, jure Gentium fundato esse aliena-

* Plura signa recenset Clariss. P. *Schmier.*
(a) L. 2. de Jure belli c. 4. §. 14. n. 2.

alienabilia, vidimus: jure belli, seu titulo emptionis, donationis, permutationis, cessionis, aliisque contractibus, à potestatem habente legitimè factis, esse & Naturæ & Gentium jure alienabilia, demonstrat communis omnium Gentium usus, sensus atque consensus, rationibus oppositis, nil evincentibus: ergo &c. Unde

℞. II. *Fundamenta, quibus nonnulli cum Ferdinando Vasquio* (a) *alienationem Regnorum ac ditionum cum populis subjectis absolutè rejiciunt, non videri sat solida.*

Dicunt 1. Nulla alienatio, respectu ditionum, vel Regni, absque consensu Populi, competit Principi, teste *Baldo* (b): ergo &c. A. P. Quia dominii universalis jura non ad Regem, sed Regnum spectant: neque præsumi potest, translato dominio, concessa à Populo potestas, *vel mutilandi Regni, vel alienandi ex toto.*

℞. D. A. In regno patrimoniali, vel respectu ditionum patrimonialium N. A In regno non patrimoniali, quod *lege* vel *electione populi* defertur. C. A. In hoc siquidem Populus contra voluntatem haud tenetur aliis, quàm quibus *electione*, vel *successione* collatum est imperium, obtemperare, Authore *Grotio.*

Ad P. D. Jura dominii universalis ad Regnum spectant *in Regno Democratico, Aristocratico*, vel *non merè Monarchico*, sed Regni legibus circumscripto Tr. In Regno *herili* vel etiam *merè Monarchico*, ubi à solius Principis arbitrio cuncta dependent. N. Sic in Imperio *Romano-Germanico* alienationes ejusmodi, à tempore capitulationum, sunt restrictæ *ad consensum Electorum* (c), hodie ipsorum etiam Statuum (d): id quod *Hermes* extendit etiam ad alienationes modicas, *ne aperiatur aditus ad majores*; item ad alienationes conditionatas, & oppignorationes, *propter periculum relutionis*, qua deficiente evaderent in absolutas. Contrà in Regnis, justo bello partis, vel irrestrictâ Populi deditione traditis, plenóque proprietatis jure possessis, absoluta manet Regibus alienandi potestas. Sic *Darius* Regnum, bello partum, *Artaxerxi*; *Cyro* autem civitates legavit, *Justino* teste: sic *Salomon* viginti urbes, in terra *Galilææ*, *Hiramo* tradidit (e), & sic de aliis.

Dicunt 2. Juxta *Vasquium* regia potestas est *merè* in commodum subditorum, administraria Regni, protectoria subditorum, bonorumque tutoria (f): ergo, sicuti tutor privatus immobilia pupilli bona alienare nequit sine Magistratûs decreto (g), ita nec publicus. A. *quo ad* 1. *est Angelus* (h): *Regnum non est propter Regem, sed Rex propter Regnum* &c. *Quo ad* 2. Quia probari nequit, homines ampliùs à sua libertate, quam hoc pacto *protectionis & administrationis* conclusa est, recedere voluisse.

℞. D. A. Omnis Regia potestas est *merè* in commodum subditorum. N. A. Potestas restricta per electionis, & Regni leges *subd.* Est *primariò* in commodum subditorum C. Est *unicè* in commodum subditorum. * N. A. & C Replica videtur niti illa thesi, probabilius falsa, quòd *Majestas sit penes Regnum, non Regem.* Accedit, quòd, præterquam *Vasquii* assertio juxta *Conringium* (i) sit Reipublicæ ac Majestati periculosa, negari haud possit, dari etiam *imperia herilia*, in quibus Imperantium salus *per se*, & *primariò*, *secundariò*, & non nisi *per accidens* subditorum utilitas, etiam absque injustitia, quæritur, prout idem *Conringius* ex *Aristotele* (k) conatur ostendere. ** Unde D. C. Ergo alienare nil potest Tutor *publicus*, si per reservata Regni, instar *privati*, sit præpeditus. C. Secùs N. C. Et supposito, quòd talis foret Rex, & non potiùs *Vasallus Regni*, destitutus Regiâ potestate, seu Majestate, id quod de titulari quodam, non vero Rege vel Imperatore, dici potest.

Di-

(a) Illustr. Controv. 3. L. 1. c. 4. n. 5. Item c. 5. n. 5. & 4. Item L. 2. c. 51. n. 28. ubi negat alienabilitatem ditionum titulo præscriptionis.
(b) In C. Intell. extrav. de Jurejur.
(c) Capitul. *Carol.* V. art. 9. *Leopoldi* & *Josephi* 32. Ohne Wissen / Willen, und Zulassung gemeldeter Chur-Fürsten samtlich.
(d) Capit. *Carol.* VI. A. 10. Ohne Wissen, Willen / und Zulassen der Chur-Fürsten / Fürsten, und Stände &c.
(e) L. 3. Regum c. 9. v. 11.
(f) L. 3. de Jure Reip.
(g) L. 1. c. de præd. Min. non alien.
(h) Vel alterius L. 2. de regim. Princ. c. 11.
* *Angelus* ibidem ex *Aristotele*: *Ille legitimus est Rex, qui principaliter subditorum bonum intendit.*
(i) T. operum 3. f. m. 1021. n. 70. & T. 1. f. 267. n. 3.
(k) 1. Polit. 3. 4. & 5.
** Non dicimus, quòd ejusmodi Regna *merè monarchica*, seu *herilia* sint ab Authore naturæ, seu jure naturæ *positivo*, sed *permissivo*: nam *immediatè* procedunt à jure Gentium; *positivè* etiam à jure belli, de quo infrà.

Dicunt 3. Saltem in Regnis *non merè herilibus*, sed in populi commodum *principaliter* ordinatis, hoc est, in Regnis, quæ *electione* vel *successione* deferuntur, permissa non est ejusmodi alienatio Regni, seu ditionum *sine consensu populi*, vel etiam *partis alienandæ*: ergo &c. A. P. Illud non permissum Potestati summæ, quod præsumi nequit unquam esse à Populo concessum; atqui præsumi nequit concessa potestas alienandi Regni, ditionum, &c. *Min.* P. Omnis alienatio est Populo quàm maximè noxia, teste *Vasquio*: ergo talis potestas præsumi nequit esse concessa.

℞. D. A. Non est permissa sine consensu semper *expresso*. N. A. Sine consensu *saltem tacito*, vel *interpretativo*. Subd. Si nulla subsit necessitas, vel utilitas publica. C. Si subsit. N. A. & C. Distinctio supponit, cum *Grotio*, jus Regis, vel Regni in cives, *ex primæva voluntate coeuntium in talem Rempublicam*, metiendum esse: hæc autem sicut præsumi nequit in privatum præcise commodum fuisse intenta, ùt videtur tenere *Gabelius* (a); sic etiam censeri nequit, *omni modò* Reipublicæ saluti fuisse obstricta, ùt vult *Conringius* (b): *suo modo* tamen Reipublicæ commodo publico suum privatum subordinâsse, naturalis ratio suadet. Sicut ergo civis ob civitatis salutem deseri potest, non tamen invitus hosti tradi, sic pars Regni alienari atque abscindi potest, non tamen invita subjici alterius potestati: Unde pars sic abscissa ab obligatione civili sui corporis erit soluta, & siquidem se defendere poterit contra potestatem alterius, poterit in libertate manere, aut novam civitatem erigere, ùt rectè observat D. *Staphius*. (c) Ad P. N. Illud suppositum *Vasquii*, quo statuit *omnem* alienationem esse Populo noxiam: cùm constet, non modò corpori salvando esse crebrò per necessariam, ac subin utilem; sed & alienatæ parti non semper incommodam, ac ingratam, uti exempla varia demonstrant.

Dicunt 4. Membrum corporis naturalis *ob bonum totius* abscindi potest *absolutè*, immò & destrui: ergo & regnum, seu Provincia Regni, quod est corpus morale, *etiam invita*, non tantùm abicindi, sed & alteri subjici poterit.

℞. G. A. N. C. & paritatem: Disparitatem innuit *Vitriarius*, cùm dicit (d): partes *corporis moralis* non ita sunt sub suo corpore, ùt partes corporis *naturalis*; hæ enim sine corpore vita vivere non possunt, & ideò in usum corporis rectè abscinduntur: illæ sine suo corpore vivere interdum possunt, & est corpus voluntate contractum, ac propterea jus ejus in partes ex primæva voluntate metiendum est.

Dicunt 5. Ex dictis videtur sequi ditionem nullam *absolutè* esse alienabilem; hoc est contra assertum suprà positum: ergo &c. *Maj.* P. Alienatio juxta leges (e) est *actus, per quem transfertur dominium*, requirens non modò mutuum contrahentium consensum, sed & ipsam *extraditionem*. Jam sic: juxta dicta pars alienata absque consensu hujus partis proprio extradi nequit alteri Domino, sed restituitur potiùs, *jure naturæ*, primævæ libertati: ergo nequit *absolutè alienari*.

℞. N. A. Ad P. D. Alienatio juxta leges *positivas* est actus requirens ipsam extraditionem. C. Juxta *jus naturale*. N. A. & C. Teste *Grotio* per sola pacta, naturali jure, transfertur dominium, & extraditio est *motus acquirendi*, seu *actus interveniens* in transferendo dominio. Ad alterum Tr. A. D. C. Ergo ejusmodi ditio nequit alienari *absolutè* cum consensu eorum, qui alienantur, id quod *ordinariè* fit. N. C. Nequit alienari cum eorum dissensu, id quod est *extraordinarium*. *Subd.* Nequid alienari alienatione *positiva, physica*, per extraditionem completâ, atque strictissimâ, sic, ut habeatur *jus in re*, & *ad rem*. C. C. Nequit alienari alienatione quasi *negativa*, seu *morali*, hoc est, nequit per remissionem sui juris separari à corpore, alienatione minùs strictâ, sic ut alteri parti, *saltem respectu corporis alienantis*, tribuatur, jus *ad rem*, à communitate penitus jam separatam. N. C. Videri potest *Puffendorfius* (f). In quæstione nominis loqui licet, ùt lubet, in qua haud dubiè verum, quòd si per translationem dominii intelligatur quoque *possessio physica*, requiratur extraditio.

Dicunt 6. Alienatio Regni, ditionum, &c. repugnat *libertati naturali*, & *primævæ intentioni* coeuntium in societatem civilem; ergo esse permissa nequit. A. P.

(a) Tom. *Conringii* 1. f. m. 968. litt. B. quem uti & *Puffendorfium* ac *Grotium* sequitur *Vitriarius* in instit. Juris Nat. & Gent. c. 6. n. 6. f. m. 145.
(b) L. c.
(c) De Majest. c. 3. §. 11.
(d) Inst. J. N. & G. c. 6. n. 7. f. m. 147.
(e) L. 1. c. de fundo dotis L. 67. ff. de contrahend. empt.
(f) De Jure Naturæ & Gentium L. 4. c. 9. n. 5. & seqq.

A. P. Homines liberi reputantur *extra commercium*, & intentio coeuntium fuit *excluſivæ ſeparationis* pro ſemper: ergo &c.

℞. N. A. Ad P. D. Reputantur eſſe extra commercium, in quantum ſunt liberi. C. In quantum libertate ſua vel ſe abdicârunt, vel ſaltem ad alterius quoque commoda reſtrinxerunt. N. Sic naſcimur liberi, ſpectato ſtatu naturali, & tamen liberum nobis eſt, libertate nos abdicare, & aliis in ſervitutem ſeu *naturalem*, ſeu *civilem*, committere: unde cives, etſi ſint liberi *ſecundùm ſe*, adeóque *extra commercium*, non tamen ſunt liberi, in quantum, abdicata ſpontè libertate, alterius regimini, & totius corporis ſaluti, quodammodò ſe obligârunt. Unde ſic obligati ſicuti non ſunt liberi, ita ſunt *in humano commercio*; quamvis dum alienantur, propriè loquendo, non ipſi, ſed potiùs *jus ipſos regendi* alienetur. Alterum etiam D. Intentio coeuntium fuit excluſiva ſeparationis pro ſemper *abſolutè*. N. *Conditionatè*, niſi neceſſitas vel utilitas publica totius, ad quam ſe *ſuo modo* obligârunt, aliud exigat.

Officia ex dominio acquiſito fluentia.

Quæritur IV. Quænam, ex hactenus recenſitis de origine dominii, fluunt in humanam ſocietatem officia, Naturæ vel ſaltem Gentium jure firmata?

℞. I. Officia, magìs ſpecialia, huc non ſpectant, univerſaliora ſunt. 1. Quòd dominio creaturarum non abutendum ſit in contumeliam Creatoris, neque in præjudicium ſui vel proximi. 2. Neminem in ſuo dominio eſſe turbandum. 3. Res inexhauſtæ utilitatis, nec proprietati ulli ſubjectæ, inter primævam communionem eſſe relinquendas. 4. Quidquid nullius eſt, primò occupanti cedendum. 5. Rebus, alieno dominio ſubjectis, citra voluntatem Domini regulariter, & excepto ſummæ neceſſitatis caſu, non utendum. 6. fidem in fœderibus, pactis, & contractibus ſervandam, & ſic de aliis.

℞. II. Tractant Acatholici Moraliſtæ, quorum veſtigia cenſurando perſequimur, ùt ſunt *Grotii*, *Puffendorfii*, *Thomaſii*, *Heineccii* &c. plura de rerum pretio, de contractibus, de modis, quibus ſolvuntur obligationes ex pactis, de interpretatione &c. quæ hìc, pluribus è cauſis, prætermittimus. Illas inter eſt 1. Quòd hisce in capitibus, non ea, quæ *juris naturæ* & *Gentium*, ſed quæ *juris merè civilis* ſunt, adducantur in medium, nos autem nonniſi inſtitutiones juris naturæ & Gentium profiteamur. 2. Quòd Acatholici Scriptores in iis, quæ juris civilis, ſat emendati ſint, ut adeò hic ceſſet ſcopi, nobis propoſiti, finis, qui eſt, Moraliſtas proteſtanticos à ſcoria repurgare, atque ad uſum catholicum habiles reddere. 3. Quòd, quæ iuris civilis, hisce in materiis, in orthodoxis, Jureconſultis paſſim multa eruditione jam proſtent, & cuivis obvia ſint.

INSTRUCTIO III. *Inſtructio 3.*

De Majeſtate. *De Majeſtate.*

§. I. §. 1.

De origine, natura, ac proprietatibus Majeſtatis. *Natura & origo Majeſtatis.*

Quæritur I. Quid, quænam proprietas, & diviſio Majeſtatis? *Natura Majeſtatis.*

℞. I. Imperium ſummum, una voce, *Majeſtas* dicitur, éſtque, juxta *Stagyritam*, *ſumma in Civitatibus poteſtas* (a): *Oringenſi* etiam *perpetua* (b); *Coccejo ſacra, Deique vicaria poteſtas tuendi jura Civium atque Rempublicam*: *Arumæo eſt poteſtas in ſubditos ſumma, perpetua, legibúsque ſoluta, ſalutis publicæ cauſâ.* Clariſſ. P. *Franciſco Schmier* definitur eſſe *facultas moralis, ab omni ſuperiore independens, civitatem gubernandi, ſive actiones civium dirigendi ad communem & publicam ſalutem.*

II. Exinde fluunt Majeſtatis variæ proprietates. 1. *Libertas plena* quò ad exteros: nam Principes ſummi, *reſpectu æqualium*, ſunt in ſtatu libertatis naturalis, quò ad ea, quæ jus naturæ concernunt. 2. *Carentia ſuperioris* in terris, non enim ullius directioni, judicio, coactioni, aut pœnæ ſeſe ſubjicere ſolent Principes ſummi, cùm à ſolo Deo (abſtrahendo à Principibus *Chriſtianis*) dependere ſe aſſerant, quæ ſubordinatio ordinis eſt altioris. An fiduciarius nexus deroget huic poteſtati ſummæ, non eadem eſt Authorum ſententia. Sunt, qui affirmant cum *Vitriario* & aliis (c). *Ratio eſt*: quia Princeps Vaſallus Domino directo fidelitatem jurat, ejus judicium in cauſis feudalibus agnoſcit; in caſu feloniæ feudis exuitur &c. Sunt cum *Grotio* (d) & aliis, qui

(a) L. 3. Polit. c. 7.
(b) Diſput. de Majeſtate, edita A. 1616.
(c) Inſtit. J. N. & G. L. 1. c. 3. §. 54.
(d) L. 1. c. 3. §. 23.

qui negant. *Ratio est*: quia solus titulus feudalis non fundat subjectionem, cùm descendat *ex pacto*, neque *per se* obliget *ad homagium subjectionis*, sed *ad juramentum fidelitatis*. Unde sicut in privatis non demit jus libertatis naturalis; ita nec in Principibus jus libertatis civilis, sic ut iis salva sit potestas summa, & irrestricta in cives & subditos. In casu feloniæ cognitio est restricta ad solas causas feudales, & est *arbitrio*, quàm *judicio*, similior. Ita illi: res non caret difficultate, cui judicium nostrum non interponimus. An Capitulationes derogent Majestati Imperatoriæ, fusè alibi disquisivimus, (a) & quia jus Imperii *privatum* tangunt, hîc repetenda non ducimus. Illud sat contestatum, *obligationem clientelarem*, seu *jus protectionis*, nil officere potestati summæ, cùm solummodò casum defensionis ex pacto superioritatem nullam respiciat *: uti alibi expressiùs evicimus contra *Conringii*, & aliorum Protestantium inania prorsus molimina; queis *Romanos* Pontifices, ditionésque Apostolicæ sedis, Imperatoribus, hoc titulo, *impertinenter* subjicere adlaborant **. 3. Proprietas est *exemptio à legibus positivis*, non tamen Divinis, naturalibus, & quæ sunt Gentium. Unde Reges nequaquam *exleges* sunt, & licèt positivis legibus sese exsolvere *absolutè* possint, non tamen possunt *pro libitu*, postulante *æquitate quadam naturali*, ut suo exemplo, quod æquum justúmque, promoveant. Possunt insuper Successores Antecessorum actus irritos facere, ac leges ab iis latas abrogare, *absolutè* loquendo, quia Successores eadem potestate pollent, quàm Antecessores: uti ergo summitatem potestatis non destruit, quòd illi voluntatem suam mutare, ac statuta revocare queant, ita nec eandem tollit, quòd Successores Antecessorum placita immutare queant, uti habet *Grotius* (b). 4. Juxta plerosque Majestati propria est *perpetuitas*, eò quòd *temporaria*, non tam summa, quàm *vicaria*, atque *precaria* dicenda sit. Refragantur tamen nonnulli cum *Grotio* (c), si modò potestas revocabilis *non sit ad nutum*. *Ratio est*: quòd tempus, uti nec mensura jurium privatorum, ita nec publicorum statui debeat, rerúmque moralium natura ex operationibus desumenda sit. Ejusmodi exemplum Majestatis admittit *Vitriarius* (d) in Regno fidei commissario, ea lege delato, ut, si fidei committentis fratri, aut agnato nascatur filius, ipsi restituat Regnum: eò quòd tale Regnum, Regnique potestas possideatur, & administretur *nomine proprio*, & *independenter ab alio*: actus enim personæ regentis nulliis censuræ obnoxii sunt, & ubi fit restitutio, non intercedit vis, aut coactio superioris, sed restringit sola fides, tacito saltem pacto firmata. Ita illi. Loquere, ùt placet. 5 Sunt, qui *indivisibilitatem*, veluti proprietatem essentialem, Majestati attribuunt: id quod in sensu, Majestatis eversivo, & quò ad aliqua certa jura, quæ parem adstruerent, sat contestatum. *In alio tamen sensu*, & quò ad quædam jura, facientia statum Reipublicæ mixtum, cùm jam suprà oppositam thesin dederimus, non est, cur pluribus hîc evagemur.

§. III. Dividitur potestas summa *Divisio.* 1. *In absolutam* & *limitatam*. Illa nulla conventione, aut conditione restringitur, uti ista, saltem *quò ad usum* & *exercitium* potestatis summæ, qualem in Imperio *Romano-Germanico* vigere, prolixiore paraphrasi, alibi demonstravimus (e). 2. In *patrimonialem* & *non patrimonialem*: illa habetur pleno & absoluto jure proprietatis, non ista: exemplum prioris est in Regno acquisito jure belli, statu democratico &c. posterioris in Regno, per legem delato. 3. In *civilem* & *herilem*: illa *primariò* tendit in utilitatem subditorum, hæc verò *primariò*, etsi non *unicè* in commodum Imperantis. 4. *In electivam* & *successivam*. 5. Denique juxta quosdam *in realem* & *personalem*; illa Imperio vel Regno, hæc Imperanti vel Regnanti competit, éstque reali subordinata ***: atque hanc divisionem *Lymnæi* defendunt *ut indubitatam*; *Sigismundi Stapfii ùt manifestò falsam* rejiciunt. *Ratio* prioris opinionis est: quòd Populus, conferendo potestatem Personæ, utilitatis, salutisque suæ intuitu, *realem* sibi naturali ratione

(a) In Coll. Hist. P. IV. Q. 3. f. 14.

* Ex recepto procardico: Schutz- und Schirms-Gerechtigkeit gibt kein Obrigkeit.

** Videantur Coll. Hist. P. IX. per totum.

(b) L. 1. c 3. §. 7. n. 1.

(c) L. c. §. 11. n. 1.

(d) In Instit. J. N. & G. L. 1. c. 3.

(e) In Coll. Hist. P. IV. Q. 4. de forma Imperii *Romano-Germanici* f. 50. & seqq.

*** De hac divisione *Bernardus Reinneccius* Disp. inaugurali A. 1619. n. 4. Quidam Majestatem Imperii hanc *realem*, quæ in constituenda; & in *personalem*, quæ in administranda Republica consistit, dividunt: illam Reipublicæ coævam, & sub interregnis & alterationibus persistere; hanc temporalem, & cum persona extingui, dictitant.

ne reservet, nec *personalem* velit, nisi *ministram* Majestatis *realis*. *Ratio* posterioris est: Quòd Majestas *personalis*, subordinata reali, *chymerica* sit, quia *summa*, & *non summa*, nec utilitati, nec saluti Reipublicæ commoda. Hæc retulisse satis ad scopum, nobis propositum (a).

Origo remota. *Quæritur* II. *Quænam sit origo potestatis summæ?*

℟. I. Majestatis *originem primam*, eámque *fundamentalem*, esse Deum, sententia est omnium Authorum calculo roborata, & in sacris paginis manifestè asserta. *Patet:* nam apud Sapientem (b): ipse testatur Altissimus in hæc verba: *per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt; per me Principes imperant, & Potentes decernunt justitiam. Ratio est:* quia, cùm omnes in lucem prodeamus æquales, alteri in alterum potestas esse ut possit, is ordinârit, vel saltem permiserit, oportet, cui omnis natura subest. Accedit: quòd jus vitæ & necis, etiam in nocentes, atque consentientes, absque supremo vitæ & necis arbitro Deo, nulli mortalium competat: inde forsan est, quòd Principes supremi, Dei *Vicarii* ac *Ministri* audiant, séque *Dei gratiâ* imperare affirment.

Proxima in genere. ℟. II. Circa Majestatis *originem proximam*, satis est contestatum 1. Quòd potestas civilis summa, considerata *in se*, prout *in genere* notat *facultatem moralem gubernandi Rempublicam*, habeatur *immediatè* à Deo. *Ratio est*: Quia haberi nequit ab hominibus, seu omnibus & singulis, seu singulis saltem Patribusfamilias: ergo haberi debet à Deo. A. *Patet*. Cùm enim omnes & singuli, uti dictum, sint ex natura sua æquales, potestatem civilem neque habent in se, neque in alios: Patres verò familias non habent nisi potestatem merè oeconomicam, * ut adeò nec ipsi politicam, qua carent in civitatem conferre queant. Sanè contestatum est 2. Quòd hæc potestas summa *in se*, seu *in genere* non procedat à Deo, *tanquam libero collatore*, sic ut *ex mera liberalitate divina* sit hominibus superaddita. Quia alias sola revelatione, non naturali ratione nobis posset esse cognita, uti habet *Suarezius*: quòd neque sit à Deo, præcisè *ut Authore naturæ*, *per se* loquendo, *& independenter* ab omni facto humano; quia *absolutè* necessaria non est naturæ humanæ, uti necessaria tamen est potestas patria, cùm ipsa societas civilis *immediatè* descendat non à jure naturæ, ** sed Gentium uti suprà est declaratum.

℟. III. Illud utcunque controversum, an Majestas *relativè spectata*, seu respectu habito ad subjectum, & quatenus *in specie* residet penes *unum*, vel *plures*, sit immediatè à Deo, vel potiùs à communitate. In specie.

Qui statuunt cum *Joanne Marsilio* *** *Hornio* & aliis esse *immediatè* à Deo, his sese fulciunt rationum momentis. Juxta quosdam immediatè à Deo

1. Quia potestas summa, à communitate tanquam superiore collata uni, vel pluribus, ab eadem posset denuò abrogari non sine præjudicio Reipublicæ, cùm superior potestatem, inferiori collatam, semper revocare possit. Sed

℟. Oppositæ sententiæ Patroni D. rationem. Potest revocare, *si revocabiliter* contulit, sic ut constitutionis effectus maneat dependens à voluntate constituentis. C. *Si irrevocabiliter* contulit. N. Constitutio, quæ initio est *voluntatis*, sortitur posteà effectum *necessitatis*, uti patet in voluntaria servitute privata.

2. Quia potestas summa esse nequit penès communitatem, tanquam subjectum *immediatum*, nisi dependenter à Deo, ùt Gubernatore supremo societatis humanæ, in civiles status divisæ: ergo à Communitate transferri non posset in *unum* vel *plures*, essétque forma Democratica, veluti à Deo constituta. Sed

℟. Adv. C. A. D. C. Transferri non posset in unũ vel plures, si foret à Deo communicata *positivè*, ut necessariò exercenda à Communitate. C. C. Si tantùm est communicata *negativè* sic ut à Communitate sibi reservari vel in unum,

(a) Fusiores sunt Clariss. P. *Francisc. Schmier, Stapfii, Puffendorfii, Besoldi, Lymnæi.*

(b) Proverb. 8. v. 15.

* Unde non suffragamur P. *Tannero* in Defens. Immunit. Ecclesiast. L. 2. c. 4. Ubi familiis adjudicat *supremum temporalis potestatis jus*, etiam *gladii*, uti affirmat c. 2. f. m. 221. quod à familiis transfundi asserit in Civitatem, sic ut potestas civilis *immediatè* à Deo sit in solis familiis. Rationes in oppositum dedimus suprà de potestate patria.

** Unde non assentimur Clarissimo *Stapfio* de J. N. & G. P. 2. c. un. §. 2. n. 6. f. m. 56. supponenti, *quòd Deus sit author immediatus societatis civilis.* 1. *Quia naturæ humanæ impressit appetitum societatis humanæ.* 2. Quia homo juxta Philosophum, *naturaliter animal sociale, politicum*, adstipulante *Angelico*, *Augustino* apud *Tannerum* in Def. Eccles. libert. L. 2. c. 2. f. m. 220. quæ in sensu minùs proprio, & latiore dicta esse, satis colligitur ex disputatis suprà.

*** Qui in propositione prima sic statuit; Potestas, *quam habent Principes sæculares, immò & ipse Pontifex, tanquam Princeps temporalis Statuum, & Provinciarum, quas possidet, est ipsis à Deo immediatè, absque ulla exceptione, concessa.*

unum, aut plures transferri possit. N. C. Inde licèt Communitas sit *subjectum immediatum* potestatis summæ, non tamen est subjectum à Deo *positivè* determinatum pro exercitio potestatis summæ.

3. Quia sacer textus ait: *non est potestas, nisi à Deo.* unde, teste de *Marca* (a), Patres Concilii *Parisiensis Ludovico* Imperatori declarant, Regnum non Decessoribus, sed Deo ipsum debere dicentes: *quisquis ex mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed à Deo sibi commissum Regnum crederet.* Accedunt exempla *Saulis, Davidis*, qui à Deo *immediatè* creati Reges, item *S. Mathiæ*, Pontificum *Romanorum*, ubi Ecclesia non applicat potestatem personis, sed personas potestati. Sed

℞. Adv. Ad. 1. D. Non est potestas, nisi à Deo vel *immediatè*, vel *mediatè*, C. Semper *immediatè*. N. Neque absona est hæc distinctio, uti vult *Hornius*, quia Deus nihilosecius est *causa generalis* juxta illud principium generale: *quod primum est in unoquoque genere, illud est causa cæterorum;* immò & *causa est immediata* Majestatis *spectatæ in se*, etsi tantùm sit mediata, *ut consideratæ* in ordine ad subjectum Majestatis determinatum. Inde rectè *S. Chrysostomus* (b): *Non est potestas, nisi à Deo: quid dicis: ergo omnis Princeps à Deo constitutus est. Istud non dico. Non enim de quovis Principe mihi sermo nunc est, sed de re ipsa, id est, de ipsa posestate. Quòd enim Principatus sint, quódque non simpliciter & temere cuncta ferantur, Divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit: non enim Princeps est, nisi à Deo; sed de re ipsa disserit, dicens: non est potestas, nisi à Deo.* Unde in eodem sensu Patres Synodi *Parisiensis* A. 829. locutos esse ex eo colligitur, quòd suffecerit ad eorum scopum, si Reges intelligant. Regna non esse hæreditates Antecessorum, circa quas habeant absolutam potestatem disponendi; sed beneficium Dei, à Majoribus propagatum, & vel ideò juxta institutionem Divinam, Dei ipsius nomine, ad salutem, & felicitatem eivium administrandum.

Ad 2. Exempla *Saulis*, ac *Davidis* vel specialia sunt, ut non tam regulam probent, quàm exceptionem à regula; vel ùt monstrat *Suarezius*, (c): Deus solummodò designavit personas, nec immediatè contulit potestatem summam. Cum D. *Mathia*, & Pontificibus summis, nulla est paritas: nam Apostolica, & Pontificia potestas, utpote tota supernaturalis, & proveniens à Deo, *tanquam libero collatore*, antecedenter non Ecclesiæ, sed Capiti, ab Ecclesia designando, est collata, ut adeò non tantùm *in se*, sed etiam in ordine *ad subjectum Monarchicum* fluat immediatè *à Christo*, neque antecedenter ab Ecclesia limitari, minuive possit: totum oppositum contingit quò ad potestatem summam civilem, uti constat ex dictis (d).

℞. IV. Qui statuunt cum *Suarezio*, & eo teste *cum communi Theologorum, ac Juris consultorum*, potestatem civilem summam esse, in communitate *immediatè à Deo, & hac mediante* in uno vel pluribus, his moventur argumentis. *Juxta alios immediate à Populo.*

1. Authoritate, quam *Suarezius* noster dicit *communem* Theologorum, ac Jurisperitorum; *Toletus certam* cum Angelico, qui generatim ait, *dominium, & prælationem* (politicam) *introductam esse jure humano* (e). Cum S. *Augustino*, qui ait: *generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis.* Cum *Dominico Soto, Covarruvia, Ludovico, Molina*, * C. *Bellarmino, Tannero*, & recentissimè cum Clariss. *P. Schmier, Sigismundo Stapfio & aliis.*

2. Quia supposita, ex jure naturæ *negativo*, Gentiúmque *positivo*, civitate, *simpliciter* necessarium est, ut illa sit sibi sufficiens ad existendum, hoc est, ad sui conservationem, defensionem, directionem, ac Jurisdictionem, ejusmodi corpori requisitam: ergo *competens* potestas, hoc est, *summa*, ex tali corpore fluit, *quasi proprietas, propria quarto modo:* ergo est juris naturæ, quæ non deficit in necessariis, adeóque fluit *immediatè*, à Deo tanquam Authore naturæ. Neque quis dicat, quòd sic sit *mediatè* tantùm à Deo, quia *mediante lege naturæ:* nam cùm jus naturæ sit *ordinatio ipsius Authoris naturæ*, authoritatem suam non habens ab homine, sed à Deo, etsi *mediante rationis dictamine* promulgetur, rectè dicitur talis proprie-

tas

(a) De concord. Sacerd. & Imp. L. 2. c. 2. n. 3.
(b) Hom. 23. in epist. ad Rom.
(c) In defens. fidei Cath. L. 3. c. 3. n. 5.
(d) Videatur *Suarezius* l. c. n. 13.
(e) 2. 2. Q. 10. a. 11.
* *Sotum, Molinam, Joannes Marsilius* pro se allegat, sed eos vindicat *Tannerus* in defens. Eccles. libert. L. 2. c. 1. f. m. 209. & c. 2. f. m. 204.

tas fluere *immediatè* à Deo in civitatem, quia inter Deum dantem, & civitatem recipientem, *propriè loquendo*, nil mediat.

3. Quia, etsi *simpliciter* necesse sit, ut potestas summa sit in politico corpore *absolutè*; non tamen *simpliciter* necesse est, ut sit determinatè penès unum vel plures, hoc vel illo modo: ergo forma regiminis Democratica, Aristocratica, vel Monarchica non est juris *naturæ*, neque proprietas *naturalis immediatè* fluens à Deo; sed est juris merè *humani*, proprietas quædam *moralis*, *immediatè* manans, & à Populo. *Ant.* Constat: quia seu potestas civilis resideat penes unum, seu stet penès plures, civitati sua constat felicitas, ùt ipsa monstrat experientia. Accedit, quòd potestas civilis, *relatè* considerata, prout est penès unum vel plures, dici haud possit, esse à Deo, *tanquam libero collatore*, cùm ex Scriptura nil constat, etsi Reges dicantur regnare *gratiâ Dei*, ùt suprà dictum est. Ut nil dicatur, quòd alias sequeretur, statum Monarchicum esse à Deo præceptum, adeóque à civitate non mutabilem, nec aliam formam antecedenter fuisse eligibilem; potestatem regiam in omnibus esse æqualem, cum iisdem proprietatibus durationis, aut successionis, & similibus &c. quæ utique sunt paradoxa, & evidenti experientiæ opposita.

Modus exercendæ potestatis, indeterminatè sumptus, est à jure naturæ.

R. V. Hæc ex aliena mente relata cupimus, eò quòd nostrum suffragium nil conferre videatur ad scopum, operi huic propositum. Ex *Weizeneggero* tamen (a), *Tannero* (b), & aliis.

Addendum 1. Quòd *modus aliquis* exercendæ potestatis summæ, communitati à Deo collatæ, seu quòd *forma regiminis*, *indeterminatè sumpta*, sit simpliciter necessaria, adeóque communitas, *naturæ jure*, sit obligata, exercitium potestatis supra se ipsam vel sibi reservare per regimen *Democraticum*, vel pluribus per *Aristocraticum*, vel uni *per Monarchicum*, vel per formam aliam quamcunque mixtam, regularem, aut irregularem in alios transferre. *Ratio est:* quia fieri non potest, ut Respublica, seu communitas admodùm populosa, eo modo, quo *indiscriminatim*, & membris singulis *æqualiter communem* jure naturæ sortitur potestatem, eandem secundùm se tota, omnimodam exerceat in partes singulas, cùm non tantùm singulorum consensum, *in singulis actibus*, exigere & exspectare, sed etiam maximam multitudinem in idem placitum convenire, facultatem humanæ conditionis excedat. Unde cum Communitate, *ut naturaliter habente potestatem summam*, confundi haud debet status Democraticus, *ut notat exercendæ potestatis specialem formam*, solo jure positivo inductam, qua nempe potestas summa, sic est penes universitatem, ut obligatio parendi sit penes singulos; qua modus consultandi fit per comitia popularia, statuta verò per majoritatem vororum; qua Respublica, tanquam persona moralis, per numerosiorem partem repræsentata, deligit certos Magistratus, qui tanquam consules, Prætores, Vicarii potestatem summam Populi nomine exercent. Hinc cùm *Suarezius* noster statum Democraticum *ex naturali institutione*, saltem *negativa*, seu *concessiva*, deducit *, eique ex naturæ jure quamdam prærogativam præ cæteris formis adjiciat, aliter non assentimur, nisi quòd forma Democratica magis cæteris sit *naturalis*, hoc est, magis accedat ad statum naturalem, in quo *libertas*, & *æqualitas* insigniter elucent.

Addendum 2. Ex Patre *Tannero* (c) quòd error sit *in fide & moribus*, dicere, Principes sæculares habere semper summam potestatem à Deo *quò ad modum acquirendi*: quia manifestum est, Regna non rarò ambitione, vi injusta, aliisque artibus illicitis acquiri, dicente Deo: (d) *ipsi regnaverunt, sed non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi.*

Modus acquirendæ potestatis summæ non semper à Deo.

Addendum 3. Ex eodem, quòd error sit *in fide & moribus*, dicere, Principes sæculares habere semper *usum potestatis suæ, quà talis, vel talis est, à Deo*, adeóque potestatem sæcularem semper à Deo esse *quò ad usum*: quia manifestum est, sæpe multùm, graviterque peccari in usu hujus potestatis juxta

Neque omnis usus ejusdem potestatis.

(a) In dissert. Jurid. polit. edita a. 1631. Ingolstadii. c. 3. n. 4.

(b) Theol. Schol. t. 2. Disput. 5. Dub. 1. n. 30.

* In defens. fidei Cathol. L. 3. c. 2. n. 8. &. 9. ubi inter alia ait: At verò *Democratia* esse posset absque institutione positiva, *ex sola naturali institutione*, seu *dimanatione* cum sola negatione novæ, seu positivæ institutionis; quia ipsa ratio naturalis dictat, potestatem politicam supremam naturaliter sequi ex humana communitate perfecta, & ex vi ejusdem rationis ad totam communitatem pertinere, nisi per novam institutionem in alium transferatur, quia ex vi rationis, neque alia determinatio locum habet, neque immutabilior postulatur.

(c) L. c. c. 4. f. m. 147.

(d) Oseæ 8.

ta illud: *Potentes potenter tormenta patientur* (a).

Sensus Natalis Alexandri;

Addendum 4. E recentissimis *Natalem Alexandrum* potestatem regiam adstruxisse *immediatè* à Deo, jure tam *naturali*, quàm *Divino*, dum scripsit: (b) uti potestas Pontificia, *mediante* electione hujus vel illius personæ, est *immediatè à Christo* jure Divino; ita potestas regia, *mediante* electione, successione, vel justo bello, est penes Regem *immediatè* à Deo jure tam *naturali*, quàm *Divino* juxta illud: *data est à Domino potestas nobis, & virtus ab Altissimo.* Sed *collationem potestatis* malè confundit *cum usu potestatis collata, & obligatione parendi in subditis.* Nam suppositâ potestate ab hominibus collatâ in Regem, & ab eodem acceptatâ obligationem imperandi in Rege, & parendi in populo esse *immediate* à Deo, jure tam *naturali* quàm *Divino*, nemo inficiatur, quem sensum, etsi inconsequenter ad priora, ipse fatetur his verbis: *licèt jure Gentium Reges sint constituti, nihilominùs juris est naturalis, ac Divini, ut constitutis supra se Regibus subditi pareant.* Atque hoc, & nihil aliud ibidem probat *evidentissimis*, uti ait, *exemplis*; testimonio item S. *Chrysostomi*, Patrum è Synodo *Parisiensi* suprà jam allegatis; *Francisci de Victoria*, quem susiùs confutavit *Tannerus* noster (c). Illud mirum videri posset in tam erudito Authore, quòd sententiæ oppositæ Patronos, *Victoriæ* judicio, haud *è numero Sapientûm* esse affirmet; quòd asserat, *manibus usi ratiunculis, pascique figmentis*; quòd dicat *ratiocinationes* esse *totidem à rectâ ratione aberrationes, argumenta verò sophismata*, & quæ sunt alia, de quibus judicet æquus Lector.

Authorum protestantium.

Addendum 5. Scriptores Protestanticos quod concernit, ii in diversa abeunt, quorum tamen errores strictim hìc detegendi. *Grotius* & originem Civitatis, & potestatis summæ *ordinationem humanam* vocat, etsi alibi *Divinam* quoque appellet, quia *consequenter à Deo probatam.* (d) *Puffendorfius*, uti originem civitatis juri naturali positivo, ita & Magistratûs originem remotam *antecedenter* refert ad Deum, tanquam Authorem naturæ; originem *immediatam* deducit ex pactis (e). *Thomasius* in primis curis *Puffendorfio* adhæsit (f); in secundis *Grotium* prætulit, addita ratione: *Si enim civitates originem sumpserunt ab hominibus improbis* (quod *Puffendorfius*, quò ad causam impulsivam, alibi defendit) *Deus non potest antecedenter præcepisse hominibus, ut societas civilis institueretur, sed sufficit, si posteà institutam probaverit. Masii, Horniique* causam Imperii *immediatam* à Deo derivant, quam sententiam, teste *Thomasio, communiter defendunt Theologi Lutherani*; *Masius* verò commendet, *tanquam religioni Lutheranæ præcipuam*, sic ut scripta opposita *Thomasii Hafniæ* per carnificem, authoritate Regia, publicè concremârit. *Vitriarius* singularem procudit sententiam de causa potestatis summæ, dum ait (g): *Populus nunquam concessit potestatem Regi, quam nunquam habuit, sed solus Deus; & Populus liber, Regem sibi eligendo, inter manus Dei, à quo proximè accepit, eam * resignat, qui, postquàm à Populo Rex est electus, eam ** Regi confert.* Hæc, ùt jacent, & *antiloga* sunt & *paradoxa*.

§. II. §. 2.

De subjecto, objecto, & juribus Majestatis.

Subjectum objectum, & jura Majestatis.

Majestatis subjectum.

Quæritur III. *Quale subjectum & objectum summæ potestatis?*

℞. I. Subjectum Majestatis communiter adstruitur duplex, *mediatum*, & *immediatum*. Illud esse dicitur *communitas*, quatenus *in se spectata*, semper exigit potestatem summam, veluti proprietatem *naturaliter sibi competentem*; istud est persona *physica*, vel *moralis*, hoc est, unus vel plures, in quos', nulla sibi reservata parte, Majestatem omnem transtulit civitas. Unde fallit *Hornius* (h), dum negat regnatrice familiâ penitus extinctâ, imperium non reverti ad Populum; quasi verò naturalis proprietas, extra casum seu translatæ, seu ademptæ hujus potestatis, eidem inseparabiliter non inhære-

(a) Sap. 6. quam utramque thesin ibidem *Tannerus*, luculento testimonio *Angelici*, illustrat è Comment. in epist. ad *Romanos*, art. 1.

(b) In Hist. Eccles. T. 8. ad sæcul. 15. & 16. Dissert, 6. n. 18. f. m. 455. & 456. novæ editionis.

(c) L. suprà cit.

(d) De J. B. & P. L. 1. c. 4. §. 7. n. 3.

(e) De J. N. & G. L. 7. c. 3. n. 2. & seqq.

(f) Jurisp. Divin. L. 3. c. 6. n. 73.

(g) Instit. J. N. & G. f. m. 24. Q. 121. c. 3.

* Forsan: *libertatem.*

** Forsan: *potestatem suam.*

(h) L. 2. de Civit. c. 11. §. 1.

hæreret, ex quo tamen nullatenùs ſequitur, in populo *ſemper* manere Majeſtatem quamdam *realem*, quam eſſe chymericam, ſuprà jam vidimus.

Requiſita. ℞. II. *Majeſtatis capax eſt omnis homo, quem natura, ſpecialis lex, aut conſuetudo non repellit.* An natura repellat rationis uſu carentes, quales furioſi, mente capti, infantes &c. eò quòd cenſeantur *ſimpliciter* inepti ad regimen, in homines exercendum, per plures diſtinctiones determinant Authores. In Regnis *electivis*, Candidati ad ſceptrum furioſi, infantes, ſaltem abſque Vicariis ad uſque rationis uſum, vix admitterentur; aliud foret de ſuperveniente amentiâ, quæ utique non niſi Vicarium Regentem expeteret. In Regnis *ſucceſſivis* non eſt difficultas, ubi regulariter non cum annis accreſcit Majeſtas, ſed momento adeſt poſt fata Anteceſſoris, etſi non ſine vicaria adminiſtratione Reipublicæ. De ſexu muliebri aliquos ſcrupulum moviſſe, teſtis eſt *Hornius*, eò quòd *ordinariè* ſit defectus efficaciæ, ac prudentiæ; propenſio itidem in iram, ſævitiam, aliáque ſcelera. Sed conſtat ex *Seneca*, quòd *ratio & virtus nec ſenſum, nec ſexum diſcernat* (a); conſtat de pluribus Regnis, quæ, ad mentem *Taciti* (b), *virilibus curis fœminarum vitia exuerunt*; conſtat denique de praxi, ipſáque experientiâ, quam nemo, naturæ juri oppoſitam, facilè dixerit. Unde quòd apud potiores Nationes excludantur mulieres à ſceptro, provenit ex *poſitiva lege*, & *conſuetudine*, per quam etiam *illegitimè nati*, *vilioris conditionis homines*, *peregrini*, & *exteri* communiter excludi ſolent.

Objectum. ℞. III. *Objectum* poteſtatis civilis itidem duplex aſſeritur, *primarium* & *ſecundarium*. Sub illo comprehenduntur ſubditi *propriè tales*, quales ſunt cives homagio adſtricti; Incolæ ſive landſaſſii domicilium verum ſortiti; immò & peregrini, præcipuè ære alieno aut crimine, in loco commorationis obſtricti; denique Eccleſiaſticos territorii qua ratione tangat politica poteſtas, alibi ad usque ſcrupulum ultimum, jam trutinavimus (c). Sub *ſecundario* continetur *locus* ſeu *territorium*, in quo ſtat præſumptio pro juribus Majeſtatis, & exemptio reſtat probanda. Alienum territorium, *intranti pacificè* Perſonæ Regiæ, etſi non maneat Majeſtatis poteſtas judiciaria, atque contentioſa citra conſenſum Domini territorialis, utpote ſine ſtrepitu non exercenda, manet tamen *dignitas Majeſtatis*, quò ad honores, præeminentiam, independentiam, id quòd malè negat *Böhmerus* (d). Ratio eſt, quia characterem vicariæ dignitatis Divinæ, ſibi impreſſum, ubique circumfert: unde *Zieglerus*, etſi proteſtanticus, *Eliſabetham Angliæ* Reginam, crudelitatis tyrannicæ ream coarguit, quòd *Mariam Stuartam* mortis ſupplicio affecerit (e).

Quæritur IV. Quænam ſunt jura ſummæ poteſtatis? *Jura ſummæ poteſtatis.*

℞. 1. Summa poteſtas, cùm ſit jus quoddam univerſale, ſeu *totum poteſtativum*, ſub ſe continet varia jura particularia, veluti totidem poteſtates, ac particulas Majeſtatis. Horum jurium alia ſunt *Majora*, quæ vocantur *Regalia intrinſeca*, eò quòd regiæ poteſtati ſint indiſpenſabiliter connexa; alia *minora* ſeu *Regalia extrinſeca*, etiam aliis communicanda. Priora ſpectant potiſſimùm poteſtatem tuendi jura, atque Rempublicam; poſteriora conſiſtunt in ſubſidiis, ad eam tuitionem requiſitis.

2. Utraque reſpiciunt *tanquam finem*, internam & externam Reipublicæ ſecuritatem, atque tranquillitatem. *Eorum fundamentum.* Unde illorum *fundamentum* non eſt quædam deſpotica, & veluti exlex libertas, qua quod Regibus libitum licitum, utì cum *Machiavello* Pſeudo-politici affirmare non horrent *; neque irreſtricta quædam poteſtas, qua veluti

(a) Apud Lipſium Civil. doctr. L. 2. c. 3.
(b) L. 6. annal. c. 25.
(c) In Coll. Hiſt. P. VII. Q. 2. per totum.
(d) In introduct. ad Jus publ. L. 1. c. 4. §. 11.
(e) De juribus Majeſt. L. 3. c. 31. ubi §. 18 allegat hoc epitaphium: *Maria, Scotorum Regina, Regis filia, Regis Gallorum vidua, Reginæ Angliæ agnata, & hæres prima, virtutibus regiis, & animo regio ornata, jure regio fruſtrà ſæpiùs implorato, barbarâ ac tyrannicâ crudelitate, ornamentum noſtri ſæculi, & verè regium lumen extinguitur, eodémque nefario judicio, & Maria Scotorum Regina morte naturali, & omnes ſuperſtites Reges, plebei facti, civili morte multantur. Novum & inauditum tumuli genus, in quo cum vivis mortui includuntur. Cum ſacris enim Divæ Mariæ cineribus, omnium Regum ac Principum violatam, ac proſtratam Majeſtatem, hic jacere ſcito.*

* Inter argumentorum fucos afferunt etiam illud 1. Reg. c. 8. v. 11. quaſi per *Samuelem* ſit à Deo promulgatum *jus Regium: hoc erit jus Regis* &c. *filios veſtros tollet, filias veſtras faciet unguentarias* &c. Illud mirum, quòd etiam *Vitriarius* huic turbæ calamum ſuum accommodet, dum ad quæſtionem: *an Sammuelis 8. deſcribatur verum jus Regium?* ℞. Et *Affirmativè* 1. Quia

luti *Pro-DEI*, ùt eos nominat *Hornius* (a): *id possint omne in territorio, quod Deus in Universo*: sed est potestas, *commensurata* fini, hoc est, *saluti Reipublicæ*, sic ut illis id omne sit licitum, sine quo felicitas Reipublicæ salva esse non potest: *quòd ex abundanti est*, *à malo est*, quia destructio finis, quia superfluum à quo & Deus & natura abhorret; quia nec civitas in transferenda potestate ad similia unquam consensisse, præsumi potest. Unde veriorem regulam statûs ex officio *Vicarii*, seu *Pro-Dei* eruit, Regibúsque commendat C. *Bellarminus* (b), nempe quòd Principatum, *non ùt absolutè suum, sed ùt sibi à Rege supremo ad tempus traditum*, obtineant, *sub conditione* rationis reddendæ in tremendo nimis judicio ejusdem viventis Dei sententiam dicturi ex sapientis oraculo (c): *Potentes potenter tormenta patientur*.

Jura in specie belli & pacis. ℞. II. Cùm igitur *salus civitatis* & *finis* & *suprema lex sit*, ex qua & *officia*, & *jura summorum Imperantium*; ex juribus verò Imperantium *officia subditorum* erui debent, fluit, officium Regum *primarium* esse curare, ut civitas, *internè* pariter ac *externè*, secura, atque tranquilla sit. Quò ad officium *securitatis externæ* conservandæ *pax* cum vicinis, cæterísque colenda; vel *per bellum*, vim vi repellendo, instauranda: exinde nascitur *jus Majestaticum belli* ac *pacis*, cum juribus connexis ea ordinandi, ac subditis imperandi, sine quibus bellum geri non potest; belli item hostibus indicendi, adversùs eos gerendi, ac per pacem finiendi, quæ omnia, speciali tractatione, infrà examinabimus.

Fœderum; 2. Quia verò non tantùm belli, sed etiam pacis tempore *ad salutem civitatis promovendam*, sæpe aliorum auxilio opus est, *de fœderibus*, amicitiáque vicinorum Regi circumspiciendum, unde *jus fœderum* emergit, de quo pariter specialis infrà disquisitio erit.

3. Cúmque negotia publica cum Exteris tractanda per internuntios sæpe securiùs, certè multò commodiùs, quàm per ipsos Imperantes, expediri queant, *jus* quoque *Legatorum*, eisdem competit. *Legatorum.*

℞. IV. Quò ad officia summorum Imperantium, *respectu tranquillitatis* internæ conservandæ, cura primaria illis incumbit, ut in Republica sit, foveatur, & conservetur *una* & *unicè vera* Religio. *Ratio est.* 1. Quia hac sine vera religione civilis beatitudo est destituta fine *magis principali*, ùt suprà vidimus; adeóque nec vera, nec solida esse potest. 2. Quia nisi *una* sit, tranquillitas *stabilis* esse non potest, eò quòd multiplicitas animos civium ab Imperantibus, cæterísque civibus dividat, & propter summam connexionem Ecclesiastici & politici statûs, ex autonomica licentia, diffidationes, dissensiones, ac turbas in Civitate oriri necesse sit, prout in nostris Collegiis demonstravimus abundè satis. Inde Imperantibus summis debetur *jus sacrorum*, sed minimè *protestanticum*, verbo Dei apertè contrarium; at benè *catholicum*, religionis cultum exemplo, & opere in civibus promovendo, fidem *unicè veram* pro viribus fovendo, Ecclesiam tuendo, Ecclesiasticum Ordinem protegendo, omni cura invigilando, ut ne introducatur falsa religio, ichisma, vel hæresis, sed Novatores continuò supprimantur, & religionis dissidia mox in suis initiis supprimantur. Ad hæc & similia frontem caperent autonomici Protestantium declamatores, * quantum velint hæc obiter hìc dicta, haud obiter probata *Jus sacrorum.*

1. *Quia populus Regem petiit, & Deus promisit talem, qualem alii Populi habebant.* Quales nempe habebant *Assyrii*, *Persæ* &c. An jure regio, semper vero, utentes? Historiæ oppositum sat demonstrant. 2. *Quia omnes actus, ibi designati, per se vitium nullum continent.* Utique: *agros vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis*, sicut *Achab*, de quo jure regio Deus per Prophetam mortem eidem denuntiavit. 3. *Positâ necessitate Reipublica necessariò à quocunque Rege, si salvam velit Rempublicam, suscipiuntur, suntque jura Regis saltem extraordinaria.* Nil de eminenti dominio, casúque necessitatis *Samuel*, aliàs non subjunxisset v. 18. *clamabitis in illa die à facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus, quia petiistis vobis Regem.* Alia jura, *verè Regia* Deus expressit *Deuteron* 17 v. 16. & seqq. *cùm constitutus fuerit Rex, non multiplicabit sibi equos &c. non habebit uxores plurimas &c.*

(a) L. 2. de Civit. P. 1. sect. 6. §. 17.

(b) De offic. Princ. Christ. L. 1. c. 1.

(c) Sap. 6. v. 7.

* Quos inter obvii quique, etsi in *praxi* contra Catholicos, immò persæpe & contra Imperii leges fundamentales, religionem in Imperio *avitam*, ac *dominantem*, ipsi stylo ferreo, eorum asseclæ etiam vi & ferro persequantur, ac in conscientias, ipsis tantopere liberas, sævire minime negligant. Hic sufficit *Hermanni Kemmerichii* protestantica regula statûs in Elementis J. N. & G. P. 1. c. 7. n. 24. f. m. 227. *Cæterùm innoxiam libertatem subditis relinquat Princeps, nec eam ulteriùs restringat, quàm salus Civitatis requirit, nec imperium sibi arroget in ea, quæ imperio non sunt obnoxia.* Item f. 258. alium errorem protestanticum recoquit, dum ait. n. 26 *Ex eadem ratione, nec errores intellectûs, etiam quæ circa religionem admissi videntur, atque hæreses nomine notari solent, pœnis subjici debent, modò sub prætextu religionis Respublica non turbetur,*

bata *in parte prima* de officiis erga Deum, curiositatis ergo, relegere poterunt.

Legum atque Judiciorum Magistratuum. 2. Ad eundem finem *internæ tranquillitatis* summorum Principum, officium est *cura justitiæ*, qua nempe actiones Civium ad tranquillitatem, decúsque Reipublicæ sic componantur, ut lites atque dissidia vel præcaveantur, vel præscindantur. Ut verò justitia rite administretur, non solùm bonæ *leges* ferendæ, sed etiam *judicia* instituenda, idque imprimis curandum, ut *boni præmiis* foveantur, *mali pœnis* coërceantur, & redigantur in ordinem. Inde fluit *jus leges ferendi*, interpretandi authenticè, gratiosa, quæ ex mera gratia *onerosa*, quæ pro certo pretio, *remuneratoria*, quæ ob merita conceduntur. Et quia observatio legum torpet, nisi *boni per præmia* stimulentur, *mali per pœnas* coërceantur, nascitur jus circa *præmia* & *pœnas*, etiam capitales, quò etiam revocatur sic dictum jus aggratiandi.

Magistratuum atque Judiciorum. 3. Cùmque Imperatores summi per semetipsos omnibus negotiis, causis emergentibus par esse nequeunt, de administris fidelibus, justisque, selectu summo, prospiciendum: unde oritur *jus circa officia publica*, hoc est, *jus constituendi Magistratus*, legum executores, *jus constituendi judicia*, cum potestate judiciaria, de factis subditorum cognoscendi, secundùm acta & probata sententiam ferendi & exequendi, jus ordinandi, ac reformandi Judices, ac tribunalia publica &c.

Tributorum ac vectigalium. 4. Cùm conservatio tranquillitatis tam internæ quàm externæ, subsidia exigat, summis Imperantibus competit *jus tributorum* & *vectigalium* ob publicas necessitates, & ne deficiant, sed abundent hæc subsidia, eisdem competit jus dirigendi *commercia*, *opificia*, & *agriculturam*. Item jus *cudendi monetam*, jus præscribendi leges circa bona subditorum, circa contractus: jus instituendi *nundinas*, concedendi privilegium stapulæ, jus definiendi rerum pretia, constituendi pondera, mensuras, ulnas &c. Et quia hunc in finem sæpe in *Collegia & societates* coire assolent Cives, etiam illa ad decus & utilitatem status publici sunt dirigenda: unde emergit jus circa *Collegia* seu *Universitates*.

Existimationis civium. 5. Et quia fieri non potest, quin ex indè varii Civium status ac ordines, diversáque existimatio, ac dignitas enascantur, etiam *circa æstimationem* & *dignitatem* Civium rite ordinandam, ac dispertiendam, & *officium* & *jus* summis Imperantibus attribuitur quò ad Civium existimationem seu augendam seu minuendam *per infamiæ publicæ notam*, prout utilitas Reipublicæ exigit.

Dominii eminentis. 6. Addit *Hugo Grotius Imperium* seu *dominium* eminens, vi cujus Imperantes, urgente summa necessitate, ad salutem publicam, bona subditorum possunt in usus publicos convertere, vel etiam pessundare &c. sic ædes destruuntur, agri exuruntur tempore belli &c.

De hisce juribus in specie quænam tractanda, quæ ad jus civile remittenda. §. V. De recensitis juribus *in specie* fusiores denuò sunt protestantici Publicistæ, *Grotii*, *Puffendorfii*, *Thomasii*, *Vitriarii*, *Heineccii*, obviique passim, præcipuè circa leges in specie; circa privilegia & pœnas; circa existimationem Civium; circa bona & jura subditorum, eorúmque officia in Republica. Item circa modos *acquirendæ* & *amittendæ* Majestatis &c. quæ omnia in institutionibus hisce non ex tœdio laboris, sed de industria, *momentis pluribus suffultâ*, præmeditato saltu transilimus. *Modos acquirendæ ac amittendæ potestatis summæ*, quòd dissimulemus, ratio est, quòd influant theses satis delicatæ ac invidiosæ, quales v.g. *de tyrannide*, quas *ad scopum innocuæ eruditionis nobis propositum*, tanquam academicis circulis superiores, tutò præterimus. Accedit, quòd & ista ab orthodoxis Authoribus etiam recentissimis, quales Clariss. *P. Franciscus Schmier*, *Sigismundus Szaofius*, jam fusiùs tractata, curioso oculo ubique prostent. Reliquum materiarum elenchum quòd decurtemus, *Ratio est 1.* Quia satis prolixi hactenus, infiniti esse nolumus, & uti in rebus omnibus, ita & in hisce institutionibus *modus sit*, ut ne immodica rerum farragine ætatem academicam terreamus potiùs, quàm ad hoc nobile studium alliciamus. *Ratio est 2.* Quia quàm prolixos esse oportuit in iis, quæ difficultatis plurimùm oggerunt, tam expeditos esse convenit in iis, quæ nihil controversiæ habent, eadémque fideliâ ab Orthodoxis & heterodoxis Authoribus dealbari solent. *Ratio est 3.* Quia prædictæ materiæ nullatenus tangunt *jus Gentium*, quod hac altera operis nostri parte solummodò profitemur, sed spectant jus *merè civile*, cuivis Reipublicæ proprium, etsi statum publicum *suo modo* attingant: unde juri universali *naturæ & Gentium* neutiquam commiscendum esse duximus. *Ratio 4.* Quòd, ùt suprà jam innuimus, in memoratis materiis deficiat *scopus nobis propositus*, cùm à protestanticis Publicistis calamo *satis emendato*; imò & à laudatis suprà authoribus orthodoxis, limato judicio, multáque eruditione, tam *Salisburgi*, quàm *Friburgi Brisgoiæ*, jam luci publicæ communicatæ sint. Nos igitur, quæ *juris Gentium* propriè sunt, *de bello*, *pace*, & *fœderibus*, prosequemur.

TITULUS III.

Titulus 3.

De Bello, ejúsque causis, ac officiis exinde fluentibus.

De bello.

INSTRUCTIO I.

Instructio 1.

De origine, natura, licentia, ac conditionibus Belli.

De proprietatibus belli.

§. I.

§. 1.

De natura, & multiplicitate belli.

De essentia & divisione belli.

QUæritur I. *Quid sit bellum?*

R. I. Belli etymon incertum: * Probabiliùs id *Hugo Grotius* derivat à *Duello*, voce veteri, quasi initiô certamen fuerit inter duos; subin duas inter partes; & sicut antiqui non *bonus*, sed *duonus*, ita non bellum, sed *duellum* pronuntiârunt, ** canente *Horatio* (a):

Græcia Barbariâ lento commissa duello.

Belli definitio in genere & specie.

R. II. Bellum *in genere* ab eodem *Hugone* definitur *esse status per vim certantium, quà tales sunt* (b). Bellum justum *in specie* dici potest: *Status armatæ contentionis à potestate summa contra hostem publicum legitimè, ac pacis ergò, susceptus.*

In genere dicitur status.

Utraque definitio est regulis consona: ergo exacta. *Ant.* explicatur. *Bellum in genere dicitur 1. Status*, quia non denotat tantum actualem conflictum, seu oppugnationem &c. sed ipsam quoque machinationem hostilem: nam *Philone* teste (c), *hostes non soli existimantur, qui navali, aut terrestri prælio certant, sed & qui machinas admovent portubus, & mœnibus, etsi nondum pugnam incipiant.* Dicitur *status*, ut significet durationem: siquidem Authore *Servio, bellum est tempus omne, quo vel præparatur aliquid pugnæ necessarium, vel quo pugna geritur. Prælium autem dicitur conflictus ipse bellorum* (d).

Per vim certantium.

Dicitur 2. per vim certantium, ut excludantur forenses, aliæque ingeniorum contentiones absque violentia; cùm *Cicerone* authore duplex sit genus certandi, *alterum per disceptationem, alterum per vim* (e). Addi potest *per vim publicam*, ut excludantur duella, rixæ privatæ. *** Dicitur *quà talium*, hoc est, quatenùs inter se certant, seu actiones certamini convenientes, aut exercent, aut meditantur, ut excludantur actiones aliæ ad bellum non pertinentes. Plura omittuntur in definitione *belli in genere*, *dicente Grotio* (f): *Justitiam in definitionem non includo; quia hoc ipsum hic quærimus, sitne aliquod bellum justum, & quodnam bellum justum sit? Distingui autem debet id, quod quæritur, ab eo, de quo quæritur.*

Quà talium:

In specie dicitur status contentionis.

Alterum definitionem quod spectat, *dicitur 1. Status contentionis* ob rationem allatam.

Armatæ contra hostem publicum.

Dicitur 2. Armatæ contentionis, seu violentæ, sive in actu 1. sive 2. *contra hostem publicum*, ut excludatur bellum privatum merè analogum, duellum, rixæ, inimicitiæ privatorum.

Di-

---

* Aliis derivatur à *Belo*, primo gladii inventore, ùt aiunt: aliis promanat à *Græco* nomine Βέλος, quod *telum* significat, aliis idem est ac *bellum*, seu *bonum*; eò quòd pro fine respiciat pacem. *Prisciano* per antiphrasin dicitur *bellum*, quasi *minimè bellum*. *Festus* à *Belluis* adducit, utpote qui belluarum in morem mutuas in cædes exardescimus, & sic de aliis.

** Sic apud *Lucretium* sumitur *duellica proles* pro *bellica*: apud *Varronem Duellona* pro *Bellona*, ùt notat *Christianus Becmanus* de orig. *Lat.* Linguæ f. 283.

(a) L. 1. epist. 2. v. 7.

(b) De jure belli & pacis L. 1. c. 1. n. 2. f. m. 1. edit. *Amstelod.* a. 1651 author acatholicus inter prohibitos, qua parte tamen sanus, sæpè ab Orthodoxis citari solitus his in materiis. Idem animadvertendum de *Puffendorfio*.

(c) L. 11. de legibus special.

(d) Apud Grotium L. c. in Notis, unde Populus *Romanus sæpè præliis victus, bello nunquam.*

(e) L. 1. de offic.

*** Est autem rixa *contradictio verborum, orta plerumque ex ira & procedens usque ad verbera.*

(f) L. c.

A poteſtate ſumma legitimè ſuſceptus.

Dicitur 3. *A poteſtate ſumma*, ſeu ſubjecto legitimo, *legitimè*, ſeu ob cauſas legitimas. *Pacis* ergo, ſeu fine, intentione, modóque legitimo ſuſceptus, ut diſtinguatur *à rebellione*, * excurſione, deprædatione, omníque bello *injuſto*, quod *vel à perſona non legitima, vel ob cauſas non legitimas, vel modo, & intentione minùs legitima ſuſcipitur, geritúrque.*

℞. III. *Quæ opponi ſolent, inefficacia ſunt.*

Unde bellum non rectè definitur certatio.

Opponitur I. Bellum breviùs definiri poſſet cum *Cicerone certatio per vim*; vel ſaltem cum *Puffendorfio* enucleato (a): *ſtatus hominum de controverſo jure per vim certantium*: ergo diviſio *Grotii* abundat.

Cùm ſit ſtatus.

℞. N. A. Bellum dicit potiùs *ſtatum contentionis*, quàm actualem contentionem. Altera definitio non abſtrahit à Bello *juſto*, nec ſatis etiam exprimit bellum *juſtum*.

Non dicit duos exercitus

Opponitur II. Definitio *Grotii* convenit præliis, duellis, rixis, inimicitiis privatorum; omittit *duos exercitus requiſitos*, cùm dato etiam uno, *bellum non* ſit, *ſed militia* potiùs: ergo exacta dici non poteſt.

Requiſitos actu.

℞. Subintelligatur, vel addatur *vis publica*, non ſumus difficiles in loquendi modis. *Alterum Diſt.* omittit duos exercitus, ſemper *actu* requiſitos, & invicem commiſſos. C. A. Et nego ſuppoſitum, quòd hoc requiratur. Omittit exercitus parandos, vel paratos ad prælium N. A. & C.

Non exprimit poteſtatem ſummam, hoſtes extraneos.

Opponitur III. *Grotii* definitio neque exprimit *poteſtatem ſummam*, neque *extraneos*, qua & contra quos geratur bellum, oportet: ergo meliùs definiretur cum *Othone Friſingenſi* (b): quod *ex edicto ſuperioris poteſtatis geritur*, vel cum *Lipſio*: *Vis armata in Principem vel Populum alienum.*

Quia abſtrahit à bello juſto.

℞. Cur non exprimat *Majeſtatem, extraneos* &c. ratio eſt, ùt dictum, quia exptimit bellum *ſimpliciter*, abſtrahendo, an juſtum, an injuſtum ſit: & cur bellum dici non poſſit, quod V. G. moverent Imperii ſtatus in Cæſarem, ſtatus in ſtatum &c. an dicenda *ſeditio, rixa?* Si *ly certantium, quà talium*, non ſatis *extraneos* denotat, cùm propriè loquendo Subditi *certantes* dici non poſſint, reſpectu Principis, dicatur noſtra pace, quòd bellum ſit, *Status in vim publicam certantium, quà talium, neque ſubordinatorum.* Tam ſumus faciles in verbis.

Nec bellum juſtum per definitionee alias

Opponitur IV. Saltem bellum juſtum meliùs definiri poſſet cum *Cajetano* (c) *Reipublicæ invaſio*; cum *Elia Schrödero* (d), *publicorum armorum juſta contentio*; cum *Obrechto*, *juſta & prudenter indicta contentio*; cum *P. Seyboldt*, *Status pugnæ publicæ duorum exercituum, per vim certantium, ab iis, qui ſuperiores non recognoſcunt, indictæ*; cum *Hornio* (e), *publica duorum exercituum contrariorum, pacis retinendæ, vel conſervandæ ergò, à Magiſtratu indicta contentio*; cum *Althuſio* (f), *actio hoſtilis ad injuriam propulſandam, vel vindicandam, à Magiſtratu vi & armis contra hoſtes, pacis retinendæ, vel conſervandæ cauſâ, legitimè ſuſcepta, & adminiſtrata*: & ſic de aliis: ergo &c.

Meliùs exprimitur.

℞. N. A. *Ad Prob.* N. iterum A. 1. Quia non eſt *contentio*, ſed *ſtatus contentionis*. 2. Quia *indictio* non eſt eſſentialis bello, utpote *non ſemper* neceſſaria, ùt patet in bello defenſivo. 3. Quia poteſt à Magiſtratu fieri indictio debita, ſed *non juſta*, utpote ſiniſtro affectu ambitionis depravata. 4. Quia exercitus & actio hoſtilis non ſemper actu requiruntur, ùt dictum ſuprà.

Intentio recta requiritur.

Opponitur V. Ad bellum juſtum non eſt requiſita *intentio recta*, ſed ſufficit *cauſæ juſtitia*: ergo abundat ly *pacis ergò*, denotans intentionem legitimi finis. *Ant.* P. Non obſtante ſiniſtra intentione, odio, ambitione, cupidine vindictæ, opum &c. bellum manet juſtum, ſuppetente legitima cauſâ: &c. *Ant. P.* Sic actio à privato contra privatum ſuſcepta coram competenti Judice, juſta eſt, etſi ex odio, vel invidia ſit ſuſcepta, ſi modò jus agendi ſupponatur ex parte actoris: ergo à pari.

Saltem ad bellum juſtum latiùs ſumptum.

℞. 1. *Tr. totum*: ſi cui lubet, omittat illa verba, ut brevior ſit definitio.

℞. 2. N. A. Ad Prob. D. A. Bellum manet juſtum *juſtitiâ ſtrictè ſumptâ*, & prout denotat virtutem ſpecialem, C. A. Eſt juſtum *juſtitiâ latiùs ſumptâ*, & prout etiam denotat charitatem. N. A. & C. Id non difficulter dabimus contra *Zieglerum*, idem haud eſſe *in ordine ad obligationem reſtitutionis*, an quis contra juſtitiam, aut charitatem delinquat; ſiquidem ubi jus alterius rigoroſum, aut ſtrictè tale, non violatur,

* Seditio eſt *tumultus Populi concitati ad pugnam, vel inter ſe, vel in legitimum Magiſtratum.*
(a) Per *Kemmerichium*. c. 16. f. m. 279.
(b) L. 3. c. 23. de rebus *Friderici* I.
(c) 2da. 2dæ. Q. 40. a. 1.
(d) Tom. Baſil. 5. in Juris bellici delineatione.
(e) In notis ad *Burgerſdickii* Ideam polit. f. m. 547.
(f) Politic. c. 29.

latur, neque vera committitur injuria, neque obligatio faciendæ restitutionis consurgit.

Divisio belli in justum, & injustum.

Quæritur II. *Quotuplex Bellum?*

℞. I. Rectè dividitur 1. in *justum* & *injustum*. Justi denominatio hìc non tam desumitur ex *forma*, seu solemnitate, quàm *ex causa justa;* sicutì *injustum* dicitur *ex causa injusta*, quâ Magistratus summus, vel Princeps ad bellandum impellitur.

In solemne & minùs solemne.

℞. II. Dividitur 2. à *Grotio* in *solemne*, & *minùs solemne*. (a) *Minùs solemne est*, quod caret ritibus solemnitatis, seu quod non est denuntiatum, vel geritur in privatos. *Solemne* ex jure Gentium, quod habet ritus solemnitatis, quos inter est 1. ut geratur utrinque à summa potestate. 2. ut geratur cum receptis ritibus inter Gentes; inter hos ritus principalis est *denuntiatio belli* requisita, *. 1. ut voluntate utriusque Magistratûs, non *privato usu*, latronum more, gerantur bella. 2. Ut parti alteri suppetat justum tempus, vel satisfactionis præstandæ, vel belli aleæ tentandæ. In bello *defensivo* laudabilis est, denuntiatio non necessaria; quia teste *Platone*, à *natura* indicitur. (b) Unde *Cicero*, (c) *nullum bellum esse justum* pronuntiat, *nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum antè sit, ac indictum.* In bello *offensivo* secundùm Legistas, (d) denuntiatio tam strictè est requisita, ut tantùm illi censeantur hostes, *qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decernimus: cæteri verò Latrones sint, aut prædones.* Hinc sicut ab his capti, juxta leges, (e) non fiunt capientium servi, ita nec capti in bello legitimè non indicto. (f) Supremo Principi indicto bello, censetur subditis quoque, sociisque indictum. Ritus sunt varii, nec à *jure Gentium*, sed Populorum institutis variis descendunt: apud *Græcos* Caduceus in usu fuit, apud *Romanos* hasta sanguinea, in hostium fines emissa, & sic de aliis: hodie consueti per Nuntios libelli publici, litteræ (: quas *Manifesta* vocant:) aut etiam tubicines, &c.

In offensivum & defensivum.

℞. III. Bellum dividitur 3tiò in *offensivum* & *defensivum*. Defensivum est, quo injustam invasionem, nostra sive jura sive bona defendendo, repellimus. Offensivum, quod & *aggressivum*, vel *vindicativum*, quo hostem sive juris vindicandi, sive damni reparandi causâ, ipsimet invadimus.

℞. IV. *Quæ opponi solent, nullius roboris sunt.*

Bellum justum est membrum dividens.

Opponitur I. Non datur bellum justum: ergo mala est prima divisio. ℞. N. A. ùt clarescet ex Quæsito subsequenti.

Nec bellum offensivum semper injustum

Opponitur II. Melior foret divisio in bellum *justum*, & *injustum*, subdivisio *belli justi in solemne*, & *minùs solemne, in offensivum*, & *defensivum*: ergo non tenet nostra divisio.

ùt habet communior.

℞. D. A. Melior foret juxta illos, qui bellum *minùs solemne*, ac *offensivum* semper putant esse injustum. N. A. Juxta illos, qui utrumque etiam justum esse posse existimant. C. A. & N. C. *Puffendorfius* bellum *minùs solemne ait speciem habere incursionis, aut latrocinii, si non sit denuntiatum: si à privato geratur, involvere crimen rebellionis, sitque indignum nomine belli* (g). Contrà *Grotius* bellum *minùs solemne justum* esse affirmat, *saltem negativè, quia modò justa subsit causa, jus Gentium non quidem assistat, sed nec resistat.* (h) Bellum *offensivum* omne *Hornius*, ùt *injustum* declarat, siquidem ex sententia *Hornii*, vindicando nostra contra vim injustam, hostem non *offendimus* eò quòd *offensio præsupponat voluntatem alicujus, sine justa causa lædendi*; secùs ait, non *offensio*, *sed defensio potiùs foret, & pœna*: sed alii aliter loquuntur, cúmque diversitas sit tantùm *in modo loquendi*, loquere, ùt placet.

Divisio Grotii in Bellum publicum, privatum & mixtum non probatur.

Opponitur III. Bellum insuper rectè cum *Grotio* divideretur in *publicum*, *privatum*, & *mixtum*, seu in illud, quòd à supremo in supremum, vel à privato in privatum, vel à privato in supremum, aut vice versa geritur: ergo nostra divisio non est adæquata. (i) *Ant.* P. à *Muelenio* (k) ubicunque est status *aliquorum per vim certantium*, ibi est bellum: atqui etiam inter privatos est talis status: ergo & bellum. Sed

℞.

(a) L. c. c. 3. n. 4. f. m. 46.
* Juristis *diffidatio*, *Clarigatio* dicitur.
(b) ùt refert *Ælianus* apud *Grotium* L. 3. c. 3. n. 6. f. m. 416.
(c) L. 1. de officiis.
(d) *Pomponius* in L. 118. ff. de V. S. *Ulpian.* in L. 24. ff. de captiv. & postlim.
(e) Cit. L. 24. & L. 14. §. 2. eod. tit.
(f) L. 21. § 1. D. 1.
(g) De jure Nat. & Gent. L. 8. c. 6. §. 9. f. m. 1212 edit: *Francof.* 1716. Unde colliges malè dividi bellum in *externum* & *internum* ab *Heumanno* in *Hostile*, ac *civile* à P. *Seybold*.
(h) L. c. c. 1. n. 4. f. m. 17.
(i) L. c. c. 3. n. 1. f. m. 48.
(k) Comment. ad cit. cap.

Quia bellum privatum est membrum analogum.

℞. N. A. Ad *Prob.* D. *Maj.* ubicunque est status aliquorum, per vim certantium, *Marte publico*, ibi est bellum. C. *Maj.* Certantium *quomodocunque*, etiam privatim: *subd.* ibi est bellum, *propriè* tale N. M. bellum *impropriè* tale. C. *Maj.* *Grotii* definitio vel sic intelligi debet, vel eidem addi per *vim publicam* &c. Quod autem bellum privatum, saltem in statu civili, sit tantummodò *impropriè* tale, colligitur 1. quòd effectus, qui bellum consequantur, non nisi bello publico congruant, ùt patefcet ex infrà dicendis. 2. Quia, si privati inter se certant, aut *rixa*, aut *duellum* est; ubi subditi contra Principem, *rebellio* dicitur; ubi Princeps subditos seditiosos compescit, *actus imperii*, seu *Justitiæ vindicativæ* censetur. 3. Quia ex communi sensu bellum vertitur inter hostes: atqui teste *Cicerone*, *hostis est, qui habet Rempublicam, Curiam, ærarium, consensum & concordiam Civium, & rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis ac fæderis.* Reliqui, etsi exercitus habeant, & milites, atque Imperatores se ferant, *non pro hostibus, sed pro latronibus & spartacis sunt habendi* (a). 4. Quia jus belli gerendi exigit, ut ex proprio judicio possit suscipi, quousque, & quamdiu visum fuerit: Civibus verò id solùm indultum est in periculo inevitabili, nec ulteriùs, quàm id fuerit depulsum. 5. Quia controversiæ bellicæ aliter, quàm pacto & pace vix terminantur: inter privatos autem nec pacto, nec pace opus est, sed authoritate superioris omnia complanantur, & ubi etiam Cives inter se, aut cum extraneis in concordiam redierunt, Magistratui integrum est, injuriam vindicare, quæ rixæ causam præbuit. Ita clariss. P. *Franciscus Schmier*, (b) ex *Puffendorfio*, *Becmanno*, *Zieglero*, *Pelzhofero*, & aliis.

§ 2.

Origo belli.

§. II.

De belli origine.

Quæritur III. Quænam origo belli?

Est originaliter à natura.

℞. I. *Bellum justum, tam defensivum, quàm offensivum, qualitercunque, & in se præcisè spectatum, originem trahit à natura, & est humano generi coævum.*

Tam defensivum.

P. *Assertum quò ad bellum defensivum.* Defensio sui, suorúmque justa, ùt necessarium est conservationis propriæ medium contra aggressorem iniquum, cuivis est insita à natura, uti suprà probavimus: atqui bellum defensivum in se præcisè spectatum, est tale medium: ergo *originaliter* est à natura. Nam quòd bellum sit *defensio publica*, nihil refert, cùm belligerantes Respublicæ, veluti personas particulares, *moraliter* induant, ac repræsentent.

Quàm offensivum.

P. *Assertum quò ad bellum offensivum.* Exigit natura, ne scelus maneat impunitum, estque rationis lumini conforme, se suáque posse defendere non solùm, dum actu fit invasio, sed & post illatam injuriam, bonáque erepta posse rursus sua repetere, atque recuperare: inde Oratorum Primas: *Natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opesque augeamus:* (c) ergo bellum, spectatum in se, & ùt est qualiscunque tandem vindicatio, est *originaliter* à Natura.

Spectatâ naturâ est juris negativi.

℞. II. *Utrumque bellum, per se loquendo, est juris merè concessivi, seu permissivi, sic ut quidem naturæ jure sit licitum, non tamen præceptum.*

Et bellum defensivum

P. *Assertum quò ad bellum defensivum.* Etsi conservatio sui &c. *quò ad substantiam* sit de jure naturæ *præceptivo*, utpote *exigita ab amore, sibi naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam, simpliciter necessario:* nihilominus conservatio sui &c. *quò ad modum*, seu in specie, per defensionem vitæ, bonorum violentam, cum occisione aggressoris injusti, &c. uti amori, sibi, & proximo naturaliter debito, non est *absolutè* difformis, ita nec est *absolutè* exigita, ùt conformis: ergo est de jure naturæ merè concessivo. *A. liquet:* nam etiam absque defensione vitæ, bonorum &c. salva manet substantialis felicitas, quò ad partem nobiliorem, seu animam; neque defensio est semper possibilis, vel de meliori bono, & absque naturali præcepto sufficit *potestas defensionis* ad prævertenda incommoda, ne scilicet natura sit exposita hominum injuriis, rapinis cum præjudicio Generis humani, ùt pluribus *de defensione privata* jam disseruimus. Et in hoc sensu intelligendus est *Romanorum* Orator: (d) *non modò justum, sed & necessarium est* (necessitate potestatis) *cùm vi vis illata defenditur.* Inde & *Ulpianus* scripsit (e), *vi armata vim repellere licere*; & *Cassius*, *id jus naturâ comparari: addit, apparet autem ex eo, arma armis repellere licere.*

Et offensivum.

P. *Assertum quò ad bellum offensivum.* Etsi punitio sceleris, vel vindicatio sui,

(a) Philipp. 4.
(b) Jurispr. publ. L. 4. c. 1. §. 4. f. m. 435.
(c) L. 3. de officiis.
(d) Pro Milone.
(e) L. Prætore. 1. § 27. ff. de vi & vi armata.

ſui, ſuorúmque bonorum *in ſe*, & in genere ſit de jure naturæ præceptivo, utpote *exigita ab amore ſibi naturaliter debito, & ad felicitatem naturæ rationali propriam ſimpliciter neceſſario*: nihiloſeciùs punitio hæc, ſeu vindicatio *quò ad modum*, & in *ſpecie* talis, ſeu armata non quidem eſt poſitivè repugnans, ſed nec eſt *determinatè* requiſita, & *abſolutè* conformis amori neceſſario: ergo eſt juris meriſſimè permiſſivi. *A. denuò patet*: nam læſi Principes, quamvìs ſupremi, *per ſe* loquendo, non tenentur neceſſariò ad arma proruere, ſed poſſent *abſolutè* aliud vindictæ genus excogitare; vel, ut etiam contingit, in cauſæ arbitros compromittere. Accedit, quòd abſque præcepto naturali, ſufficiat *poteſtas vindicationis*, naturæ jure *conceſſa* Genti in Gentem, poteſtate ſupremâ præditam, in ordine ad injuſtè ablata denuò vindicanda, ſic ut ſatìs præcludatur anſa hominibus pravis, impunè graſſandi in aliorum vitam, famam, corpus, & bona, atque hac ratione quies ſufficiens, inter Gentes ſperari poſſit. Secùs enim *ſi unusquisque noſtrúm*, ùt rectè animadvertit *Romanus* Orator, (a) *rapiat ad ſe commoda, aliorum* &c. *Societas hominum evertatur, neceſſe eſt*: Unde *Livius* (b) *juſtum bellum* pronuntiat, *quibus eſt neceſſarium, quibúsque nulla, niſi in armis ſpes.* Concordat D. *Iſidorus*, (c) dum inquit: *juſtum eſt bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis*, aut *propulſandorum hoſtium causâ.* Additum tamen in aſſerto, *per ſe loquendo, nam per accidens*, & ex pacto, ſeu obligatione ſpeciali, quæ incumbit Tutoribus, & Defenſoribus Reipublicæ, ejusmodi bellum defenſivum, ſeu offenſivum poſſet eſſe *de jure naturæ etiam præceptivo*, ùt patet.

℞. III. *Bellum non qualecunque, ſed publicum & ſolemne, ſpectatum præcipuè quò ad formam, ſeu modum uſu receptum, ſeu defenſivum ſeu offenſivum, eſt ſolummodò juris Gentium.*

Aſſertum patet 1. Ex conditionibus belli, quas inter 1. *denuntiatio, armorum conditio*, ne veneno infecta ſint; necis inferendæ *modus*, ne fiat veneno, ne fontes vitiarentur &c. quæ, *ob communem utilitatem*, ut ne cædes, aliàs ſat crebræ, ultra modum multiplicentur jure Gentium inductæ ſunt: ſiquidem juri naturæ perinde eſt, an hoſtis aperto, vel occulto *Marte*; venenô, an gladiô laceſſatur.

Patet 2. Ex effectibus belli, quos inter jus interficiendi quoscunque adverſæ partis, etiam fæminas, certis in circumſtantiis; jus redigendi captos in ſervitutem; jus direptionis &c. & quæcunque alia pro ſatisfactione injuriæ, quæ in jus naturale, *eodem modo*, neque cadunt, neque cadere poſſunt, ùt infrà ſuo loco declarabitur. Inde eſt, quòd *Livius* (d) expreſsè profeſſus ſit, *jure Gentium ita comparatum eſſe, ut arma armis propulſemus.*

Unde Bellum, ſaltem ſpectato jure eſt antiquius rerum diviſione.

℞. IV. *Neque obſtat* I. Quòd bella vix initium ſumere potuerint, antequam Gentes fuerint multiplicatæ, rerum communio deſierit, ac *meum & tuum, frigidum illud verbum, innumeraque gignens bella*, Authore D. *Chryſoſtomo* (e) invaluerit. Nam ℞. Tr. A. D. C. Ergo bellum non eſt Mundo coævum ſpectatum *in ſe*, ſeu *ſpectato jure bellandi*, ſuáque recuperandi, ſuppoſito, quòd quis contra violentiam humanam ſua aliter acquirere nequiviſſet. N. Non eſt mundo coævum, *ſpectato actu bellandi* ſubd. & *hoc defectu potentiæ* N. *defectu occaſionis*, multis poſt annis primùm exercitium ſuppeditantis. C. Bellum non eſt medium *abſolutè* neceſſarium, ſed *ex ſuppoſitione*: neque ad jus Naturæ requiritur, ut ſingula ejus capita *ſemper & ſtatim* redigantur in actum; ſed ſatis eſt, quando certis in circumſtantiis operationem ſuam exercent, ut præ cæteris apparet in materia furti, quæ locum non habet, niſi res diviſas præſupponamus.

Æquè grandævum, ac bellum privatum.

Neque obſtat II. Quòd *bellum privatum* authore *Grotio* (f) antiquius ſit, quàm publicum, adeóque illud juri Naturæ, hoc juri Gentium *ſimpliciter*, etiam *quò ad originem*, ſit adſcribendum. Nam

℞. 1. Antecedenter ad rerum diviſionem, vel homines quidam erant merè privati, hoc eſt, nulli familiæ adſcripti, nulliúsve poteſtati etiam domeſticæ ſubjecti; vel erant in familias congregati, ſibíque invicem ſuo modo ſubordinati: ergo utrique, quandocunque in corpore, vel bonis fuerant læſi, ſua vindicare, vel defendere poterant, illi bello *privato*, hi *publico*: ergo neutrum bellum antiquius. Quid enim vetat dicere bellum *publicum* familiarum

(a) L. c.
(b) Dec. 1. L. 9. c. 8.
(c) L. 8. Etymol. c. 1. Q. 8.
(d) L. 42.
(e) In orat. de S. *Philogonio.*
(f) L. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 1. n. 1.

liarum contra familias, cùm illarum regimen ad civile proximè accesserit?

℞. II. D. A Bellum privatum, authore *Grotio*, est antiquius publico *spectato jure*. N. A. Spectato forsan *effectu*. C. A. & N. C.

Origo belli injusti scaturit ex corruptione Naturæ.

Quæritur IV. Quænam origo belli injusti?

℞. I. *Origo belli injusti est humano Generi coæva, descenditque à corruptione naturæ lapsæ, à peccato, omnisque peccati ac inimicitiæ authore Dæmone.*

Assertum patet. Unde *D. Augustinus:* (a) *Quid culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut domentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, imparatus, atque implacabilis animus, feritas bellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt, quæ in bellis culpantur.* Rectè *Contzenius* noster (b): *Bella cum nate Mundo fuerunt, & bellantes decretoria dies inveniet, duobus fratribus angustus erat Mundus, iniquo Caino videbatur Abel fore beatior. Secuta sunt bella gigantum, & discordes in unum gurgitem cataclysmus inclusit. &c.* Post cataclysmum eodem authore, regnavit *Nemrodus* in campo *Sennaar*, oppressa natutali Gentium libertate, cui successit *Ninus*, quem primum volunt Scriptores (c), qui bello aliena Regna invaserit, sicque Monarchiam *Assyricam* fundârit. Per bella subin & erectæ & destructæ sunt cæteræ Monarchiæ, & Orbis Regna ad usque nostram ætatem, ut adeò mox è pomo Paradysi malè comesto, velut ex *Pandoræ* pixide, prima bella, cædes, vulnera, mortes, devastationes, pestes, maláque omnia in terras redundârint, & etiamnum redundent.

Armorum inventio debetur humano ingenio, in suas clades male perspicaci.

℞. II. Si *Lucretio* fides, pugnatum est initio manibus, unguibus, dentibus; subin fustibus, & lapidibus; demum omni genere armorum. Horum inventionem *Josephus Tubalcaino*; *Eusebius Moysi* armorum varietatem; *Plutarchus Archytæ Tarentino*, & *Eudoxo* perfectionem tribuit. *Plinius Ægyptios* inventores lanceæ asserit; *Lacedæmonios* machæræ & galeæ; *Medam Myssenum* thoracis & asciæ; *Epeum* arietis murarii; *Vegetius* fundam incolis *Majorcæ*; *Diodorus* arcus & sagittas *Apollini*; alii verò *Zetho*, alii *Perseo* adjudicant. Pulveris pyrii inventionem cuidam *pyrotechnico Germano*; tormentorum primum usum *Blondus*, & *Volaterranus Venetis* annô 1380. alii aliis longè maturiùs adscribunt. Inter quæ dubia illud sat certum, quòd in nulla arte sic insudârit, sic sese exhauserit humanum ingenium, quàm in inveniendis varii generis armis, instrumentis, & machinis, quibus humano Generi necem sive acceleret, sive multiplicet, audiátque ille ingeniosiot, qui in hominum strages crudelior tanto dedecore naturæ, quanto societatis humanæ, ad pacem ab Authore naturæ institutæ, præjudiciô, ac detrimentô.

§. III. §. 3.

De licentia belli.

Licentia belli.

Quæritur V. Quænam licentia belli in genere?

Bellum de se est licitum

℞. I. *Bellum ex natura sua, jure Naturæ, & Gentium, imò & Divino antiquo est licitum.* Ita contra *Manichaos*, qui bellum absolutè illicitum proclamabant. *

Jure Naturæ.

Assertum P. quò ad 1. membrum. Bellum ex natura sua descendit à *iure Naturæ*, fundatúrque in legitima sui defensione, qua instinctui naturali conforme est, vim vî repellere, sua recuperare, ùt patet ex dictis: ergo bellum est licitum *jure naturæ.*

Gentium

Assertum P. quò ad 2. membrum. Bellum *juri Gentium est conforme*, necessarium ad tuendam Rempublicam, repellendos hostes, reparanda damna, quô sine nec posset conservari justitia publica, & indemnitas statûs civilis: ergo *jure Gentium* licitum est bellum. A. patet ex *Hermogeniano* (d), dum ait: *Ex hoc jure Gentium* (scilicet quò ad formam) *introducta bella, discretæ Gentes, & Regna condita, dominia distincta.*

Et divino veteris testamenti.

Assertum P. quò ad 3. membrum. Ex una parte nulla lex prohibens belli per se prohibitiva, ostendi potest: ex altera parte tota veteris Testamenti Historia contrarium loquitur: ergo bellum *jure divino* antiquo est licitum. A. partim clarescet ex dicendis, partim pater ex Scriptura (e), ubi Deus leges generales & perpetuas de

modo

(a) L. 22. contra *Faustum*, uti perhibetur in c. 3. D. caus. 23. Q. 1.

(b) Polit. L. 10. c. 2. n. 2.

(c) S. *August.* L. 4. de civit. Dei, *Eusebius*, *Diodorus Siculus*, *Justinianus*, *Tobias*, *Pistor*, & alii.

* Unde reprehendebant *Moysem*, *Josue*, *Davidem*, cæterósque Testamenti veteris Patres, quòd bella gesserint, quos *S. August.* L. 22. contra *Faustum*, c. 74 confutat.

(d) L. suprà cit.

(e) Num. 10. Deuteron. 20.

modo gerendi belli Populo suo præscripserat: immò in *Deuteronomio* (a) fit mentio de libro *Bellorum Domini*, quæ haud dubiè probante Deo gesta sunt.

Ut patet ex Historia legis naturalis, & scriptæ.

Confirmatur assertum ex Historia. In lege Naturæ notum est bellum *Abrahami* partim defensivum, partim offensivum contra quatuor *Assyriæ*, seu *Persiæ* Regulos, & etiam probatum à *Melchisedecho*: *Laus sit Deo altissimo, qui tradidit hostes tuos in manum tuam* (b). In lege scripta celebre est bellum defensivum *Josue*, & *Moysis* contra *Amalecitas*, vim facientes, à Deo etiam probatum (c). Famosum bellum, finium tuendorum causâ, contra *Ammonitas*, injustos aggressores susceptum à *Jephte* dicente (d): *Non ego pecco in te* (nam defendebat, quod possederat) *sed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non justa.* Notum bellum *Davidis* adversùs *Hannonem*, Regem *Ammonitarum*, ob vindicandam injuriam publicam, Legatis suis illatam (e). Nota sunt bella *Gedeonis*, *Baruch*, *Samsonis*, *Samuelis*, *Saulis*, *Davidis*, *Machabæorum &c.* In hisce bellis plerumque non legitur speciale DEI mandatum, quale legitur de exscindendis septem Gentibus *Chanaan*: ergo *jure Naturæ*, vel *Gentium* illata sunt, idque *licitè*, nisi quis tot Patriarchas, Judices, Reges, Sacerdotes, quos inter *sanctissimi*, injustitiæ postulare velit, quod utique *Manichæo* phantaso dignum, quia insanum: vel si ostendatur speciale mandatum, fuêre licita jure antiquo Divino *positivè*: si non ostendatur speciale mandatum, saltem licita fuère jure antiquo Divino *negativè*, neque prohibita, sed permissa.

Neque est contrarium paci, societati, nisi ex parte iniquæ causæ.

Neque obstat 1. Quòd bellum sit contrarium Paci, à Natura intentæ; societati, & charitati naturali, neque belluis in suam sævientibus speciem: * ergo jure Naturæ illicitum. Nam. ℞. D. A. Est contrarium respectu partis, injustum bellum foventis C. A. foventis justum, seu defensivum, seu offensivum N. A. & D. C. ergo injustum est Naturæ jure illicitum. C.C. Justum N. C. Rectè animadvertit *Grotius*, quòd ratio, & natura societatis non omnem vim inhibeat, sed eam duntaxat, quæ societati repugnat, id est, quæ *jus alienum tollit*; cùm ipsa societas eò tendat, *ut suum cuique salvum sit communi ope, ac conspiratione.*

Quæ sola est cædium causa.

Neque obstat. 2. Quòd bellum sit causa multarum cædium, damnorum, felicitas indigna ex aliena infelicitate. Nam. ℞. ùt priùs. D. Est *causa* ex parte inferentis injuriam C. propulsantis N. Hac ex parte, ùt ait *S. Augustinus* (f) *non pax quæritur, ut bellum geratur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

Causâ justâ justitiæ publicæ suffragante

Neque obstat 3. Quòd etiam justam habens bellandi causam, abstinendo, possit impedire ejusmodi cædes, damna; ergo debet. Nam ℞. N. C. Quia simul impediret justitiam publicam; daretur occasio majoris mali; immunia redderentur furta, latrocinia &c.

Bellum de se etiam est licitum Christianis.

℞. II. *Bellum de se est etiam licitum jure Divino novo, seu Christiano.* Ita communis contra *Anabaptistas*, *Erasmum Roterodamum* (g), *Cornelium Agrippam* (h), & alios apud *C. Bellarminum* (i).

Quia lex nova hac ex parte nil derogat legi antiquæ vel naturali.

Assertum P. 1. Ex una parte nulla potest ostendi lex restrictiva, seu sublativa juris antiqui, ac naturalis: ex altera parte pro belli licentia etiam apud *Christianos* stat S. Scripturæ authoritas, Patrum testimonia, ratio, atque experientia: ergo bellum *de se Christianis* quoque est licitum.

Neque hæc licentia est difformis novo Testamento.

A. quò ad 1. partem patebit infrà. Quò ad 2. partis membrum primum P. S. Præcursor (k) militibus, consilium salutis petentibus: *quid faciemus & nos?* S. *Augustino* & *Angelico* interprete (l), *non jussit arma abjicere, militiæ sese subtrahere, sed contentos esse stipendiis, neminemque percutere.* Item *Christus* Centurioni dicenti (m): *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: vade, & vadit:* non man-

---

(a) cap. v.
(b) Genes. 14. v. 20.
(c) Exodi 17.
(d) Judic. 11. v. 27.
(e) Regum 2. c. 10.
* Belle *Juvenalis* Satyra 15.

Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera, quando Leoni
fortior eripuit vitam Leo?

(f) Ad *Bonifacium* epist. 207. aliàs 205.
(g) In annot. ad c. 3. & 22. *Lucæ.*
(h) L. de vanitate scientiarum c. 79.
(i) c. 14. de Laicis.
(k) *Lucæ* 3. v. 14.
(l) 2a. 2æ. Q. 40. ex D. *Augustino.*
(m) *Math.* 8. v. 9.

mandavit *deserere militiam*, sed potiùs laudavit fidem. Item *Cornelii* Centurionis eleemosynas remuneratus est dono fidei, neque *Petrus*, cùm faceret *Christianum*, abjicere baltheum jussit (a). Sic *Christus* imperavit dare *tributa Cæsari* (b), quibus aluntur milites; *ideò enim tributa præstatis*, inquit Apostolus (c), *Ministri enim sunt, in hoc ipsum servientes*, nimirum ut gladio puniant perturbatores publicæ pacis, id enim præmiserat: *non sine causa gladium portat, DEI enim Minister est vindex in iram.*

Immò conformis menti Patrum.

A. P. quò ad 2. partis membrum secundum. S. *Ambrosius* inquit (d): *Non militare delictum est, sed propter prædam militare, peccatum est.* S. *Augustinus* (e): *Noli putare, neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat.* Similia habent *SS. Chrysostomus*, *Bernardus*, *Gregorius M. Nazianzenus*, & *Turonensis* apud *Bellarminum* (f).

Rationi.

A. P. quò ad 2. partis membrum tertium. Licitum est homini privato vim injustam vi repellere, ùt suprà statuimus: ergo à fortiori id etiam licitum erit Principi vel Reipublicæ. Item licitum est Reipublicæ *Christianæ* tranquillitatem defendere, *ferro*, seu contra malefactores, putà hostes internos: ergo licitum quoque erit eandem defendere *bello* contra hostes externos. C. patet; quia unum æquè ac alterum est necessarium ad felicem statum Reipublicæ, unum æquè ac alterum, naturæ jure permissum &c. Unde *Contzenius* noster (g): *Si quis seriò omne bellum improbet, ego eum non hæreticum modò, sed Reipublicæ proditorem esse judico* &c. Item: *Nulla respublica perseverare potest, nisi quæ militarem artem excolit: nam, cùm magnâ cupiditate ad aliena rapienda ferantur homines, ubi obstaculum non vident, eò ruunt.* Hinc etiam *Molina* (h) bellum cæteroquin justum, sive defensivum, sive offensivum, *Christianis* non modò licitum, sed quandoque *melius pace, immò & graviter obligatorium* esse affirmat; quando scilicet, affulgente spe victoriæ, *absolutè* foret necessarium pro salute temporali, putà, si subditi externâ potentiâ graviter vexarentur, premerentur, & vix non opprimerentur. *Item pro salute Reipublicæ spirituali, putà conservatione fidei, *Christianæ* Religionis augmento, ac ipsomet hostium spirituali emolumento.

Subin necessitate suffulte.

Atque experientiæ.

A. P. quò ad 2. partis membrum quartum. Quia Deus sæpe bella justa adjuvat, non adjuturus, si bellum foret illicitum; nam mala permitti, non adjuvari à Deo possunt. Sic auxilio fuit *Constantino*; (i) *Theodosio* adjutores misit *SS. Joannem & Philippum*; (k) *Theodosio* juniori Angelos. (l) sic adjuvit per prodigia *Clodovæum* (m), *Honorium* (n) & innumeros alios. Sic post *Christi* ascensionem fuêre semper *Christiani* verè sancti, militiæ adscripti, etiam sub Principibus Ethnicis: nota est *Legio fulminatrix* sub M. *Aurelio*, prodigioso imbre celebris (o). Denique nota sunt bella *Caroli M. S. Ludovici* Regis *Galliæ*, & aliorum. Notæ integræ cohortes: S. *Mauritius* cum sua Legione *Thebæa*; noti *SS. Martini*, *Sebastiani*, *Alexandri*, *Theodori*, aliique sexcenti, Sanctorum fastis adscripti, quos bella gessisse, atque bellâsse, constat.

℞. III. *Quæ replicari solent, non stringunt.*

Textus Evangelii.

Replicant I. *Contra* 1. *partem probationis.* In Testamento novo sunt plures leges belli prohibitoriæ: ergo illicitum est saltem *Christianis*. A. P. *Christus* clamat: (p) *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe & alteram. Diligite inimicos vestros.* Acclamat Apostolus: (q) *Non vos defendentes charissimi, scriptum est enim, mihi vindicta* &c. & sic de aliis.

De consilio sæpe, ac ultione privata intelligendi.

℞. N. A. ad P. D. A. Et hæc ex mente Ecclesiæ, Patrum, atque interpretum, intelligenda semper de præcepto,

(a) Actorum 10.
(b) *Math.* 22. v. 21.
(c) Ad Rom. 13. v. 4. 5. & 6.
(d) Sermone 7.
(e) Epistola ad *Bonifacium* 207. aliàs 205.
(f) L. 3. de Laicis c. 14.
(g) L. 10. Polit. c. 3. §. 3 & 4. f. m. 744.
(h) Tract. 2. Disp. 99. col. m. 414.
* Clariss. P. *Schmier* Jurispr. publicæ univ. L. 4. c. 1. sect. 2. §. 1. n. 63. f. m. 242. insuper addit: *Potest contingere, ut bona ad coronam spectantia, antehac injustè ablata, facili manu recuperari possint: potest iterum accidere, ut immitis homo Civitatem, aut Provinciam perversis moribus, aut doctrinis pervertere, aut evertere satagat*, &c. Sed prior casus periculosæ est extensioni obnoxius; alter bello vix indigeret.
(i) *Euseb.* in vita & L. 9. Histor. c. 9.
(k) *Theodoret.* L. 5. Hist. c. 24.
(l) *Socrates* L. 7. c. 18.
(m) *Gregor.* Turon. L. 2. Hist. *Franc.* c. 30.
(n) *S. August.* L. 5. de Civit. Dei c. 23.
(o) *A. Christi* 176. apud *Tertullian.* apolog. c. 5.
(p) *Math.* 5. v. 39. & 44.
(q) Ad *Rom.* 12. v. 19.

cepto, ac ultione publica, pertinente ad justitiam vindicativam. N. A. Intelligenda sæpe de consilio tantùm, de vi, violentia, vel ultione privata C. A. & N. C. Primus textus, seclusa necessitate honoris Divini, consilium indicat, uti & ille: (a) *Auferenti tunicam, da illi & pallium.* Secundus & tertius de privata obligatione. Sic oraculum illud *Isaiæ* (b) *de Christianis: non levabit Gens contra Gentem gladium, nec ultra exercebuntur ad prælium* &c. vel de *Christi* tempore sub *Augusto*, vel de Regno *Christi*, ubi nemo hostis, intelligendum est.

SS. Canones. *Replicans II.* Bellum *Christianis* prohibitum est saltem per SS. Canones: per *quos* 1. injungitur gravis pœnitentia repetentibus militiam (c). 2. Declarantur *ùt implicantes sese diaboli laqueis.* (d) 3. Ut incapaces pœnitentiæ: (e) ergo &c.

De bello illicito sæpe per accidens. ℟. N. A. *Ad 1.* D. Repetentibus militiam cum periculo fidei. C. secus N. Canon ille agit de iis, qui ob confessionem fidei *Christianæ* privati fuerant cingulô militari à *Diocletiano* vel *Licinio*, & posteà cingulum repetebant, parati negare fidem. *Ad 2. & 3.* D. ùt implicantes se laqueis & incapaces pœnitentiæ *vitio proprio* C. Vitio militiæ: *subd.* per se N. per accidens, quatenus militia plerumque periculosa & cum morum corruptela conjuncta est. Hinc citati Canones tantùm agunt de iis, qui ob peccata, occasione militiæ facta, pœnitentiam egerant: ubi malitia non *ex se*, sed *per accidens* vitanda erat *ùt occasio proxima.*

Neque S. Joannes de testamento veteri solùm intelligendus. *Replicant III. Contra partis 2dæ membrum primum. Joannes* tantùm *Judæis* permisit bellum, ùt imperfectis: *Christus* aliter docuit. *Ita Anabaptistæ.* 2. *Joannes* ea dixit militibus, non ut bene, sed ut minùs malè viverent. Ita *Erasmus*, & eo teste *Theophylactus*; ergo non tenet probatio.

℟. N. utrumque. Quia sic Præcurior malè *Christo* præparâsset viam. 2. Quia priùs dixerat: *facite fructus dignos pœnitentiæ: omnis arbor non faciens fructum bonum, in ignem mittetur* &c. (f). Inde compuncti milites petierunt, quis esset fructus bonus, quem facere deberent; vel ergo *Joannes* eos decepit, vel possunt milites salvari, si servent, quod præcepit.

Theophylactus vel non est contrarius, ùt ostendit C. *Bellarminus*, vel si est contrarius, nititur contra torrentem.

Replicant IV. Cum eodem contra 2dæ partis membrum secundum. Juxta Patres bellum illicitum est *Christianis*: ergo &c *A. P. 1. Tertullianus*: (g) *Licebitne in gladio conversari, Domino pronuntiante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus? & prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniat? 2 dò.* Teste *Origene Christus* omnia bella sustulit (h). *3tiò.* S. *Hieronymus: Olim bellatoribus dicebatur: accinge gladium tuum* &c. *nunc Petro dicitur: converte gladium tuum in vaginam &c.* (i). *4tò.* S. *Ambrosius: O Domine, cur emere me gladium jubes, qui ferire me prohibes? Ideò fortasse Petro duos gladios offerenti, satis est, dicis, quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio* (k). *5tò.* S. *Augustinus: Non orare debemus, ut moriantur inimici, sed ut corrigantur.* (l) *Neque repugnant Patres.*

R. D. A. Juxta Patres bellum *per se* authoritate publica, causâque legitima gestum, est illicitum *per accidens*, seu respectu habito ad circumstantias C. A. & N. C. *Ad 1. Tertulliani* rationes præcipuæ, ibidem allatæ probant illicitum esse bellum *per accidens*, seu propter periculum Idololatriæ: *Excubabit pro templis, quibus renuntiavit* &c. plus si dicit, nimium dicit. *Ad 2. Origenes* non ait, Christum prohibuisse, sed sustulisse bella per pacem universalem; tempore nativitatis, ùt indicat contextus. *Ad 3. S. Hieronymus* tantummodò vult in lege veteri imperata fuisse bella, ùt necessaria ad subigendam terram promissionis; in nova non quidem prohibita, imperata tamen non esse, sed pacem potiùs ad acquirendum Regnum cœlorum. *Ad 4. S. Ambrosius* loquitur non de bello publico, sed privata ultione, vel de privata defensione ad perfectionem consilii non adhibenda, ùt clarè indicant verba. *Ad 5. S. Augustinus* reprehendit *Ritè lecti, & intellecti.*

odium

(a) *Matth.* 5. v. 40.
(b) c. 2. v. 4.
(c) Concil. *Nicæn.* can. 11.
(d) Can. *contrarium* de pœnit. dist. 5.
(e) Ead. Dist. can. *falsas.*
(f) Matth. 3. v. 8. & 10.
(g) L. de corona militis ultra medium.
(h) L. 2. contra *Celsum* paulò ante medium.
(i) Ad *Ageruchiam* de Monogamia.
(k) L. 10. in D. *Lucam*
(l) In Psalm. 37.

odium inimicorum, non bellum justum, ùt satis patet ex verbis ejus suprà allatis.

Neque ratio pacis;

Replicant V. Cum eodem contra 2. partis membrum tertium. Bellum opponitur paci, effectui Charitatis: ergo hoc ipso est malum, & effectus odii, vel vindictæ. 2. Arma *Christianorum* sunt *gladius verbi DEI*, *scutum fidei* &c. teste Apostolo (a).

Cùm bellum sit medium ad pacem.

℞. D. A. Opponitur paci, ut etiam sit medium ad pacem. C. A. secùs N. A. & D. C. Bellum injustum est malum. C. C. Justum N. C. Pacem debet habere *voluntas*, bellum *necessitas* (b). *Ad* 2. D. A. Arma belli spiritualis contra dæmones, de quibus ibi Apostolus. C. A. In alio sensu N. A. & D. C. Ergo Christianis ferro non pugnandum, sicut sit prohibitum. N. Sic ut non sit prohibitum. C. C.

Neque dicta S. Martini,

Replicant VI. *Cum eodem contra 2dæ partis membrum quartum. S. Martinus*, referente *Sulpitio*, Imperatori *Juliano* expressè dixit: *Donativum tuum militaturus accipiat: ego Christianus sum, mihi pugnare non licet*: ergo nil evincitur exemplis.

Non ritè adducta.

℞. N. A. Sic dixit: *Hactenus militavi tibi, nunc patere, ut militem Deo: Christi enim miles sum*, non tantùm fidei promissione, sed & vitæ monasticæ professione: unde *mihi pugnare non licet.* Colligitur ex ipso *Sulpitio*, videatur *Bellarminus* (c).

§. 4.

§. IV.

De Conditionibus belli.

Conditiones belli.

Quæritur VI. Quænam conditiones ad belli justitiam requisita?

1. Potestas summa.

℞. I. *Inter primas belli justi proprietates est summa potestas.* * *Ita Angelicus* cum communi (d).

Jure naturæ, Gentium, & ratione.

P. Assertum. Jus naturæ & Gentium ipsáque ratio evincit, bella *regulariter* geri non posse, nisi ab iis, & contra eos, qui Superiorem non agnoscunt: ergo necessaria est conditio potestatis summæ.

Nulli subordinato partes Judicis indulgente.

A. P. 1. Quia *ordo naturalis Mortalium paci accomodatus, D. Augustino* interprete, (e) *hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas, atque consilium penes Principes sit.* 2. Quia bella ex necessitate inducta, eóque solùm ex fine permissa sint, ut ii, qui Judicem non habent, jus atque justitiam consequi valeant. Unde illa constitutio *Valentiniani*, & *Valentis* (f); *Nulli prorsus, nobis insciis, atque inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* 3. quia bellum illaturus agit *Judicem in propria causa;* sibi administrat *justitiam, injuriæ vindicativam*: exponit *Rempublicam magno periculo*: atqui hæc omnia non competunt nisi potestati summæ. 4. Quia bellum illaturus alteri potestatis non summæ, sed subordinatæ, tenetur priùs experiri viam juris in foro contentioso, ibíque jus suum prosequi *medio ordinario, parato, atque pacifico*; nam actor sequitur forum rei: ergo contra subordinatos nequit mox bello procedere, ac uti *medio tam extraordinario, violento, atque periculoso*; cùm jure naturæ ac Gentium sit contestatum, ab armis esse abstinendum, agendúmque jure, cùm agi potest. Hinc est 1. quòd in omni, Superiorem recognoscente, bellum *injustum*, in Supremo *justum* præsumatur (g). Hinc est 2. Quòd bellum, defectu authoritatis illegitimum, non modò sit *contra charitatem*, sed etiam *contra justitiam*; etiamsi adsit legitima causa, eò quòd actus ille sit sine authoritate legitima, adeóque illegitimus, & inferens teneatur ad damnorum omnium restitutionem (h). Hinc est 3. quòd in pace publica, respectu Imperii, sit constitutum, ut nullus status alterum, ullo titulo, hostiliter lacessere valeat (i).

Regulariter; & extra casum denegatæ justitiæ.

Excipitur 1. Casus *denegatæ justitiæ*, seu quo supremus Princeps, respectui sui subordinati, ùt Judex conventus, negligeret administrare justitiam. Sic enim bellum inferri posset ipsi supremo Principi simul & subordinato. Unde S. *Augustinus* justa asserit bella,

quæ

(a) Ad Ephes. 6.
(b) Can. *noli* 23. Q. 1.
(c) L. cit. de Laicis c. 14 ad finem.
* Scilicet cujusvis Reipublicæ perfectæ, qualicunque forma regiminis utatur *Monarchica*, *Aristocratica*, vel *Democratica*.
(d) 2. 2. Q. 40. a. 1.
(e) Relatus in cap. *Quid culpatur* 4. caus. 2. Q. 1.
(f) Tit. c. *ut armorum usus.*
(g) *Knipschild* de Nobilit. L. 3. c. 13. n. 30.
(h) *Suarez* disput. 13. de charit. sect. 2. num. 6. Unde L. hostes ff. de captivis, & postliminiò reversis, & in L. hostes ff. de verb. signif. prædones, atque *latrunculi* appellantur, qui in Imperio, sine consensu & authoritate Imperatoris, bellum offensivum suscipiunt.
(i) Daß niemand hinführo den anderen, was Würden, Standes, oder Weesens er seye, um keinerley Ursach willen, wie die Nahmen haben möchten, den anderen befehden, betrügen, berauben, fahen, überziehen, belägeren &c. ord. pr. a. tit. 15. Videantur passim R. J. & imprimis confirmatio a. 1555. &c.

quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua Gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vindicare neglexerit, quòd à ſuis improbè factum eſt (a).

Poteſtatis delegatæ. *Excipitur* 2. Caſu, quo inferior utitur poteſtate *delegata*: nam ſic erit moraliter ſumma.

Præſcriptionis. *Excipitur* 3. Caſu, quo jus belli à ſubordinatis Statibus vel *conſuetudine*, vel *præſcriptione*, vel *pactione* eſt acquiſitum: nam belli poteſtas ab humano jure, ùt plurimum dependens, eſt communicabilis, hícque inferior *fictione juris* foret ſupremus.

Summæ neceſſitatis. *Excipitur* 4. Ab *Hugone Grotio* caſus ſummæ neceſſitatis, *quo ita præſens foret periculum, ut tempus non ferat eum consuli, qui ſupremâ præditus eſt poteſtate* (b). Hoc enim caſu, *per præſumptionem*, adeſſe cenſeretur delegata poteſtas *.

Ab Heizmanno excipitur etiam bellum defenſivum *Excipitur* 5. Ab *Heizmanno*: (c) Bellum defenſivum, æquè ac privata defenſio neceſſaria, naturæ jure cuivis permiſſum: addit tamen *cauſam belli defenſivi incontinenti ad Imperatorem* (reſpectu Imperii) *deferendam*. Sed hac de re infrà.

A Liebenthalio Schmalkaldicum. *Excipitur 6.* A *Liebenthalio Lutherano*, caſu quo Imperator, *ſui muneris immemor, moratoriâ, vel deluſoria procraſtinatione aliquem lactaret, tyrannidem exerceret* &c. (d) Adducto in exemplum fœdere, bellóque *Schmalkaldico* &c. quæ doctrina (veráne, an falſa ſit, dependet ab Imperii legibus, neque hìc quidquam decidimus) in principiis tamen proteſtanticis admodum periculoſa eſt Imperatoriæ authoritati, utì alibi diximus (e).

Altera conditio juſta cauſa, ut patet. ℞. II. *Inter conditiones belli legitimi eſt juſta cauſa. Aſſertum patet.* Nam ſupremus Princeps non eſt alieni Populi Judex, *niſi ratione delicti*, quod nullo ſuppetente Judice vindicare poteſt, ùt ſui Populi *defenſor*, atque *protector*: ergo alienum Populum bello punire nequit, niſi ratione gravis delicti, & ſuppetente cauſa juſtæ defenſionis, ſeu protectionis: ergo ubi vel nulla cauſa, vel non ſatìs juſta, vel omninò injuſta, licitè armis ſævire nequit. Unde

Eáque gravis, & certa, reſpectu Principis. *Colligitur* I. Non ſufficere cauſam levem, ſed requiri *gravem*; partim ut ne plus incommodi bellum afferat, quàm inde utilitas ſperetur; partim ut ne ob leve detrimentum ſuæ Gentis, alienæ graviſſimum inferatur damnum. Non ſufficere *dubiam*, ſed ſuo modo *certam* requiri, ſaltem reſpectu ſummi Principis. *Ratio eſt*: quia bellum eſt actus juſtitiæ punitivæ: atqui injuſtum eſt punire aliquem cauſâ necdum ſat liquidâ ac probatâ. Dictum *reſpectu Principis*: ** nam alia ratio militum, quibus parere neceſſum eſt, neque diſcutere juſſa, ſed *ùt juſta* præſumere incumbit, niſi de injuſtitia belli aliunde conſtaret: unde *Bonifacius* Papa (f): *Quòd quis mandata Judicis facit, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe.* Dictum, *quibus parere neceſſum eſt*: nam alia ratio eſt de iis, qui neque ſubditi, neque in ſtipendiis ordinarii, ſed ſponte propria aggregantur: his enim juſtitia belli vel nota, vel ſaltem ſuppoſita ſit, oportet. Siquidem C. *Bellarmino* Authore (g), *qui nihil cogitant, paratique ſunt militare, ſive bellum ſit juſtum, ſive non, modò ſtipendium habeant, in ſtatu damnationis verſantur.* Denique non ſufficit *cauſa merè ſuaſoria*, quæ juxta *Grotium* (h) movet *ſub ſola ratione utilis*, abſtrahendo, an ſimul juſtum ſit, quod utile creditur: hinc ad bellum, *propriè juſtum*, cauſa verè juſtificativa eſt habenda.

Unde bellum neutiquam temerè ſuſcipiendum. *Colligitur* II. *Bellum non temerè, ſed maturo conſiliô ſuſcipiendum.* Indagandum priùs, *ſitne juſta belli cauſa, an non? majúsne emolumentum ex bello juſto, quàm ex pace iniqua haberi poſſit?* Unde, Authore *Philippo Knipſchild* (i), *potiùs omnia priùs tentanda ſunt, omnis via juris, & occaſio belli declinandi captanda, antequàm in campum Martium deſcendatur: tunc enim* *venien-*

(a) Relatus c. Dominus 2. cauſ. 23. Q. 2.
(b) De Jure B. & P. L. 1. c. 3. n. 4. f. m. 46.
* An in caſu ſummæ utilitatis æquè præſumi poſſit ejuſmodi poteſtas, non æquè liquet.
(c) *Joa. Georg. Ingolſtadii.* Digeſt. Profeſſ. in conflictu Juridico A. 1679. c. 3. n. 7. f. m. 17.
(d) In colleg. Polit. Exercitat. 14. n. 12. & 13. f. m. 443.
(e) In Coll. Hiſt.
** *Suarezius, Molina* & alii exinde reſolvunt 1. Caſu quo alter Princeps foret in poſſeſſione regionis, competitor bellum movere non poſſet, niſi *certus* de ſuo jure, quia etiam hìc melior eſt conditio poſſidentis, etſi jus ſuum proſequi poſſet *via juris*. Item: caſu quo per mortem tertii vacaret regio, à neutro poſſeſſa, moveri bellum non poſſet, niſi ſecundùm *probabiliorem juris ſui ſententiam.* Quòd ſi utrinque foret *probabilitas æqualis*, res *arbitrio tertii*, aut *regionis diviſione* componenda foret. Item: caſu quo cauſa, quæ viſa eſt initiò juſta, pateret poſtmodùm eſſe injuſta, bellum præteritum, *ob bonam fidem*, foret juſtum, non item futurum. Ita illi.
(f) De R. J. in 6. Reg. 25. Videantur dicenda infra ſect. 8. §. 5. n. 7. & 8.
(g) L. 3. c. 15. de laicis f. m. 881.
(h L. 2. c. 1. §. 1. n. 1.
(i) De nobilit. L. 3. c. 13. n. 61.

veniendum ad arma, cùm locum apud adversarios justitia non invenit. Iis justum demum est bellum, quibus necessarium, & nulla nisi in armis relicta est spes; injustum, quibus non necessarium.

Quia medium nimis periculosum.

Ratio est quadruplex 1. Quia *medium est nimis periculosum:* nam anceps est belli alea, eventus incertus; *non enim in ejusdem est potestate, & initium & finis belli*, ut ex *Salustio* scribit *Lipsius*. Plerumque bella ex bellis seruntur, & bis in bello peccari nequit.

Reipublicæ præjudiciosum.

2. Quia est *medium Reipublicæ nimis præjudiciosum:* nam exhauriuntur æraria, subditi gravantur, cives spoliantur, militibus malè parta malè dilabuntur, vastitate & incendiis absumuntur necessaria, succedit malè suada paupertas, fames, inde pullulant deprædationes, latrocinia &c. & totius Reipublicæ desolatio.

Extraordinarium.

3. Quia *est medium extraordinarium, nimisque truculentum.* Siquidem injustum bellum *D. Augustino* (a) non *bellum est*, sed *latrocinium*. Rectè jam dudum *Seneca* (b): *Homicidia compescimus, & singulas cædes? Quid bella, nisi occisarum Gentium gloriosum scelus? non avaritia, non crudelitas modum novit,* &c. *Hæc insania quædam est ruentium in pejus sæculorum, quasi verò, quod leges damnant, id arma excusent; quod scelus in Republica est, in bello sit virtus?* * Immò bellum, etiam justum, est malorum omnium Ilias; nam teste *Contzenio* nostro (c): *Bellorum etiam justissimorum commune est malum, quòd in illis omnis disciplina jaceat, vitia invalescant, mores corrumpantur, & quæ in Republica bene constituta, consentur flagitia, in castris ludi sunt: silent inter arma leges, subditis licentia scelerum datur, homines trucidantur, insontes spoliantur* &c. Et quod maximè deplorandum, plura plerumque patiuntur boni quàm mali, & ipsa Religio in discrimen adducitur, cultus Divinus, & quidquid sacrum sanctùmque, non rarò per ausus sacrilegos profanatur. **

Conscientiæ Principis nimium onerosum.

4. Quia denique est *medium conscientiæ Principis nimium onerosum.* Optimè L. B. *Schönavius* (d): *Tot illi* (Principes) *tantorùmque malorum, scelerúmque rei sunt, quot, quantáque per injustitiam belli ultrò citróque patrantur. Ex eorum manibus repetet Divina Nemesis tot mille innocentes animas, quæ vel innocenter, vel prætnaturè obiêre, vel quas contagium militaris petulantiæ planè æternùm perdidit. Qui injustè bellum suscipit, universam belli injustitiam contrahit, seque reum facit omnium vastationum, usurpationum, cædium, impietatum, & quidquid dirum, Numinique adversum patrare solet effrænis belli furor.* Ita, hic illustris Statista (e).

Nihilominùs justa causa prognosticon bonisuccessûs sæpè; non semper, unde nulla est ulatio: vicit: ergo justâ nititur causâ.

Colligitur III. Etsi justa causa eodem Authore dicatur *Sydus prognosticon*, quò ad futurum belli eventum juxta illud *Lucani*: *Causa jubet Superos melior sperare secundos.* Etsi justa causa in Principe creet fiduciam, in Belliducibus fidem, ac promptitudinem, in milite alacritatem: etsi plerumque justæ causæ assistat Polus, sitque non nisi Pseudopoliticum illud: *quærendum belli exitum, non causam,* nihilosecius *sydus* istud *prognosticon* fixum non est; quia nullo DEI promisso infallibili suffultum; cùm ex judiciorum Divinorum inscrutabili abysso, nonnunquam bona causa succumbat, Deóque permittente mala causa triumphet. Exemplo esse possunt bella elapsi gemini sæculi, expeditiones sacræ contra *Turcas*, ubi cum *Jeremia* exclamatum non semel (f): *Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt.*

3. Conditio est recta intentio.

℞. III. *Inter conditiones belli legitimi est etiam recta intentio.*

Quia bellum non permissum, nisi ad pacem & bonum commune.

Patet assertum: nam bellum à natura indultum non est, nisi *ut necessarium medium*, vel ad recuperandam pacem, vel tranquillitatem publicam; vel ad exercendam justitiam, injurias vindicando, aut amissa recuperando: ergo *alio fine* susceptum, nec ordinatum ad commune bonum Reipublicæ, erit *inordinatum*, saltem charitati oppositum, & consequenter illicitum. Unde bellissimè *S. Augustinus* (g): *Pacem*, inquit, *habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace: non enim*

pax

(a) L. 4. de civit. DEI.

(b) Epist. 96.

* Quàm fuit crudelis gloria *Cæsaris*, etiam ante bellum civile, undecies centena nonaginta duo hominum millia à se occisa jactitantis? Item *Pompeii Minervæ* delubro inscribentis, à se semel vicies centena octoginta millia trucidata, fugata. An non gloriosior *Antonii Augusti* vox: *Honestiùs esse unum civem servari, quàm mille hostes occidi?* Videatur *Masenius* in utili curiosit.

(c) Vide dicenda infrà sect. 9. §. 1. ℞. 1.

** *Fabius*, everso *Tarento*, in Deos sævire noluit, dicens: *Relinquere se Tarentinis Deos iratos.*

(d) In arcanis status, L. 9. c. 4. n. 8. f. m. 86.

(e) Vide dicenda infra sect. 9. §. 1. ℞. 1.

(f) Cap. 12, v. 1.

(g) Epistol. ad Bonifac. 207. aliàs 205.

pax quæritur, ut bellum geratur; sed bellum geritur, ut pax acquiratur: esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis unitatem vincendo perducas. Immò & *Cicero* paganus: *sic bellum suscipiatur, ut nihil aliud, quàm pax quæsita videatur* (a). Ex his

Hæc tamen conditio non respicit justitiam, sed licentiam belli.

Colligitur I. Hanc conditionem differre à duplici priore 1. Quòd defectus illarum faciat bellum *injustum*; hujus verò *malum* solummodò. 2. Quòd illarum defectu peccetur contra *justitiam* simul & *Charitatem*; defectu hujus contra solam *charitatem*. 3. Quòd in priore casu inducatur *obligatio restitutionis*, in posteriore tantùmmodò *obligatio pænitentiæ* (b).

Oblatâ plenâ satisfactione, cessandum à bello, tam respectu justitiæ, quàm charitatis.

Colligitur II. Quòd habens justam causam, oblatâ plena satisfactione, sive ante, sive cœpto jam bello, teneatur cessare non modò *titulo charitatis*, ùt vult C. *Bellarminus* (c), sed etiam *titulo justitiæ*. Ita *Cajetanus* (d), *Molina* (e), & alii.

Quia bellum solius necessitatis.

De titulo charitatis patet, etsi omninò plena satisfactio non foret; quia bellum, ipso *Bellarmino* teste, gravissimum supplicium, quô non solùm nocentes, sed per accidens innocentes quoque plurimi involvuntur. *De titulo justitiæ* probabiliùs deducitur ex eo, quòd bellum sit *necessitatis*, non *voluntatis* (f), & istis in circumstantiis cesset justa causa bellandi, cùm cesset injuria hostis. Nec obstat, quòd Judex, spectatâ justitiâ, non tenetur mortem remittere reo, v. g. furi, etsi offerat satisfactionem: nam illa pœna cedit in emolumentum, hæc in præjudicium totius Reipublicæ, etiam innocentum, foretque medium nimis excessivum, *si præter plenam satisfactionem*, * pro irrogata injuria, tanta mala infligerentur, spiraretque vindictam potiùs, quàm justitiam vindicativam. *Spectatâ tamen justitiâ*, authores injuriæ, (nisi penè tota foret Respublica) ad capitale supplicium deposci possent ob bonum publicum, ut scelera plecterentur.

Deficiente vel unica conditione bellum illicitum.

Colligitur III. Quandocunque ex hisce tribus conditionibus vel omnes, vel una tantummodò deest, bellum *justum* non est: & quidem si desit prima, vel secunda, non solùm *charitati*, sed etiam *justitiæ* contrarium est *cum onere restitutionis*; si desit sola tertia, non est contrarium *justitiæ*, sed *charitati*, ùt ex C. *Bellarmino* notat *Pignatelli* (g), & suprà jam diximus.

Quarta conditio prævia diffidatio.

℟. IV. *Inter conditiones belli legitimi, saltem offensivi, regulariter non tam naturæ, quam Gentium jure, requisita est etiam diffidatio* ** *prævia, seu publica belli denuntiatio.*

Declaratur assertum 1. Dicitur inter conditiones belli, *saltem offensivi*: quia in bello *defensivo, ubi aut vis illata arcetur, aut ab eo, qui delinquit, pœna exposcitur, aut rei suæ manus injicitur*, uti habet *Grotius* (h), nulla requiritur denuntiatio, etsi *laudabilis* & *honesta* sit. *Ratio est*, quia, teste *Platone*, à natura indicitur.

Regulariter loquendo.

Dicitur regulariter: non enim requiritur denuntiatio, apud hostem perpetuum. 2. Apud Rebelles. 3. Banno proscriptos. 4. In ferendis auxiliis. 5. Induciis elapsis. 6. Si periculum sit in mora, per triplicem tamen conditionem qualificata: 1. Ut *certa* sit justa causa 2. Ut nulla supersit spes per denuntiationem obtinendæ satisfactionis. 3. Ut nulla alia restet via, quàm hoc modô obtinendi suum. Secùs reclamabit Naturæ jus, Judici nequaquam permittens, ut parti litiganti (hoc est sibi ipsi,) jus reddat cum tanto innocentium dispendio, Reipublicæ præjudicio &c.

Dicitur 3. Non tam jure Naturæ. Vel enim Respublica rem suam armis recuperare intendit? Et tunc, *spectato jure Naturæ*, poterit rei suæ *immediatè* manum injicere, præsertim cùm, præmissa indictione, difficiliùs rem suam obtinendam prospicit ex apparatu opponendo. Vel intendit debitum persequi? Et tunc, quando non est spes per interpellationem, quod suum est, consequendi, perspectâ alterius contumaciâ, *& considerato præcisè naturæ jure*, potest *absolutè* per vim armorum debitum evincere. Vel intendit injuriam ulcisci? Hoc casu ipsa natu-

ra

(a) L. 1. de offic.
(b) Vide dicenda infra sect. 9. §. 1. n. 2.
(c) L. 3. c. 15. de Laicis. f. m. 818.
(d) V. *Bellum.*
(e) Tom. 2. D. 103. n. 15.
(f) Can. *Noli existimare* 2. Q. 1.
* Per satisfactionem plenam intelligitur. 1. Si reddantur, quæ debita. 2. Si compensantur damna, cessatio lucri. 3. Expensæ in bellum factæ, æstimatis quoque periculis, laboribus &c. 4. Si compensetur injuria facta, dum res auferretur, solicitudo, molestia ob rei carentiam, quam ob causam Exod. 22. v. 4. 7. 9. fur *duplum* reddere cogitur.
(g) Consult. Canon. Tomo 9. Conclus. 68. n. 49. f. m. 159.
** Apud *Romanos* dicebatur *clarigeratio, quasi clara causa belli testatio*, uti habet *Livius*.
(h) L. 3. c. 3. n. 6.

ra bellum indicit, nisi satisfactio congrua offeratur. Immò si offensio atrox est, & irreparabilis, potest offensa Respublica bellum inferre, ut puniat hostem, quo casu denuò cessabit denuntiatio *spectato jure naturæ*, etsi, ùt diximus, semper *laudabilis* sit *& honesta*. *

Neque quis opponat. 1. Antecedenter ad omnem casum particularem, *simpliciter* ** expedit ad felicem statum humanæ societatis, esse illicita bella offensiva, *absque prævia denuntiatione*: ergo &c. A. patet: Quia sic via aperiretur ad ingentem perturbationem Reipublicæ humanæ, dum Gens nulla esse posset secura, nec improviso bello imparata, impeditáque alio bello, ab inimica Gente obrueretur; ansa præberetur ad gravissimos excessus, dum quacunque prætensione Gens Gentem inopinis armis invadere posset, ad emolumentum futuri belli sibi præripiendum; semita sterneretur ad innumeras fraudes, dolos, technas cum ingenti humanæ societatis præjudicio. Nam

℞. Præterquàm, quòd hoc principium dignoscendi juris à nobis non agnoscatur esse legitimum, negatur suppositum, *quòd Gens nulla posset esse secura*: nam facta injuria, nec remissa; interpellatio, ratione debiti frustrata; injusta detentio ditionis alienæ &c. *absolutam necessitatem* ejusmodi ceremoniæ satis supplent, & majorem securitatem *juri Gentium prævidendam* relinquunt. Unde negatur, *ejusmodi periculum per se, & communiter metuendum*, in quo lex naturæ fundari possit, ac debeat.

Neque quis urgeat 2. Repugnat *amori, cuivis naturaliter debito, & ad felicitatem societati humanæ propriam simpliciter requisito*, ne quis privato ausu, latronum in morem, improviso bello (quod simpliciter non indultum à natura, nisi causâ *gravissimæ necessitatis* (a)) Gentem alteram obruat, non solùm prævertendo tempus ad defensionem legitimam sese parandi, sed etiam eripiendo molliora media, satisfactione debita belli mala gravissima avertendi. Repugnat naturali amori, neglectis mollioribus mediis, & inopino armorum impetu se suósque periculosæ belli aleæ exponere, alienam ditionem malo omnium pessimo, nempe bello obruere, ex quo tot innocentûm cædes, rapinæ, devastationes, desolationes &c. Nam

℞. Rursus negando suppositum quòd *molliora media omitti* possint: nam si satisfactionis spes, unique jus naturæ prohibet, ne gravissimum belli medium adhiberi possit.

Assertum P. 2. ex Jure Gentium. Illud est juris Gentium, quod longævo Gentium usu inductum, ad Gentium, quà talium, publicam felicitatem: atqui communi Gentium usu, in morem inducto, ad bellum prærequisita est denuntiatio, ùt habent Authores, communiter (b), & quidem sic, ut omissâ diffidatione non bellum, sed *latrocinium*, & *prædatio* (c), *invasor* verò *proditor* esse dicatur (d); immò & in captivos quoque tanquam *latrones* animadverti possit (e). Quem morem denuntiationis præviæ à Gentibus etiam barbaris, præcipuè *Romanis* observatum produnt Historiæ (f), & etiamnum ab ipsis *Turcis* observari memorant Imperii recessus (g). Inde, non quidem jure Gentium, ùt rectè notat *Grotius* (h), sed institutis variorum Populorum profluxêre varii ritus diffidatio-

* Videri potest *Grotius* de J. B. & P. L. 3. c. 3. §. 6. ubi Glossator *Zieglerus* nobis non adversatur quò ad media lentora, quæ & ipsi tentanda, naturæ jure, requirimus.

** Nil enim obstat, quòd forsan *in casu aliquo particulari*, vel *per accidens* cessaret ratio, mox adducenda. Nam litteræ propterea non cessat lex naturæ, *fundata in periculo, quod per se, & communiter metuendum est*, uti patet ex alibi dictis, ac dicendis *de fornicatione, defensione honoris, Judice accipiente munera* &c.

(a) Can. suprà cit.

(b) *Reinck.* de regim. sæcul. L. Cl. 3. c. 4. n. 13. & 15. *Knipschild* L. 3. de Nobilit. c. 13. à n. 132. & eodem citante plurimi alii, quos vide.

(c) L. *hostes* 118. ff. de V. S. L. *hostes* 24. ff. de captiv. & postlim. c. 1. & 2. in fine caus. 23. Q. 2.

(d) *Baldus* in auth. *item nulla*. n. 2. c. de Episc. & cler. *Quid.* Pap. decis. 191. n. 5.

(e) *Besoldus* apud *Knipschild* l. c.

(f) Inde *feciales Romani à ferendo*, ùt quidam volunt, utpote *penes quos belli, pacisve ferendæ jus fuit.* Inde apud eosdem non trium modò dierum, quos requirit *Gilhausen* arbit. crim. Jud. c. 8. n. 2. sed 33. dierum datum est intervallum, ùt colligit ex *Livio Knipschild*. n. 141. ubi addit: *meritò improbari Cyri factum, quo Armeniæ Regi bellum simul intulit, & indixit, authore Xenophonte.* Item *Romanorum, qui tertium bellum Punicum momento indictum & illatum gesserunt, teste Apiano*: Unde & *Alexandro* objecit *Scythicus* Legatus: *Tu, qui gloriaris, te ad Latrones persequendos venire, omnium Gentium, quas adiisti, latro es. Lindenspürius ex Ranzovio.*

(g) R. A. zu Augspurg A. 1566. §. auf unser weiter 34. ibi: auch solchen vorgenommenen Haupt-Krieg nach seinen Brauch / offentlich publiciren / und außruffen lassen.

(h) De J. B. & P. L. 3. n. 8. f. m. 418.

dationum publicarum, quos referunt passim Historici Annales (a).

Denique requiritur modus legitimus.

℞. V. *Ad bellum denique, justum ex integro, requiritur etiam modus legitimus.* Hic autem consistit in eo, ut bellum ritè suscipiatur. 2. Ut ritè geratur. 3. Ut ritè finiatur * De primo constat ex dictis. De 2. & 3. constabit ex dicendis.

Quia bonum ex integra causa.

Ratio asserti est, quia bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Ex dictis hactenùs,

Plures conditiones ad tres primas facile reducibiles.

Colligitur 1. Ab aliis ad bellum suscipiendum requiri plures conditiones. *Sic Reginaldus* enumerat septem (b): 1. Ut adsit authoritas. 2. Justa causa. 3. Ut de ea legitimè constet. 4. Ut causa sit gravis. 5. Ut observetur juris forma, seu debitus modus belli indicendi, tentatis priùs omnibus ad obtinendam satisfactionem sine bello. 6. Ut bellum inferens habeat rectam intentionem. 7. Ut illi, qui bellum gerunt, non sint Personæ Ecclesiasticæ, quibus bella prohibentur. Sed hæ omnes, aliæque plures conditiones, ad triplicem illam, cum Angelico (c) à nobis assignatam, commodè reducuntur.

Arma sint legitima.

Colligitur 2. In bello gerendo requiri. 1. Ut arma sint legitima, veneno non infecta; ne hostis interficiatur veneno; ne fontes & aqua intoxicetur, quæ conditiones fluunt *ex jure Gentium propter exigentiam communis utilitatis*, ne pericula in bellis nimiùm augerentur &c. non verò *ex jure naturæ*, cujus parùm interest, veneno an gladio hostis tollatur, tolliustè si potest.

Clerus jure sacro remotus à bello.

Colligitur 3. Episcopos, Clericos, &c. jure sacro prohiberi bello, seu, *ut per se ipsos pugnent, ac propria manu* (d), utpote repugnante Ecclesiastici Statûs eminentiâ. Excipitur tamen necessitas extrema conservandæ vitæ propriæ, innocentis, Patriæ, & communis boni Ecclesiæ. Item possunt Episcopi *ob temporale dominium, & vi jurisdictionis* feudalis pugnare per alios, Duces constituendo &c. (e).

INSTRUCTIO II.

Instructio 2.

De justitia belli ratione religionis.

De justitia belli, ratione Religionis.

§. I.

§. 1.

De bello sacro in genere.

In genere.

Quæritur I. An, quando, & quomodò inter justas belli causas, sit habenda Religio, seu propugnanda, seu propaganda.

Licitum est bellum veræ religionis defensivum. 2. Principibus orthodoxis etiam obligatorium.

℞. I. *In genere. Licitum est bellum, merè defensivum, pro gloria DEI, seu ratione fidei, ac veræ religionis. 2. Immò orthodoxis Principibus, ex supremæ protectionis officio, obligatorium.* Ita *communis*, & *certa* etiam inter Acatholicos, paululùm defæcatiores. Ubi notandum, hìc Religionem non sumi utique *in abstracto*, prout dicit cultum Numinis merè spiritualem, sed *in concreto*, prout denotat homines, Religionis causâ vim sustinentes, & defensionis justæ capaces.

Assertum quò ad 1. partem P. Authoritas tam sacra, quam profana, Jus item naturale, Divinum, humanúmque ejusmodi belli licentiam adstruit: ergo est licitum.

A. P. 1. In sacris litteris legimus, (f) ab Apostolo Gentium, cùm propter Religionem *à Judæis* capitales sibi insidias strui intelligeret, per quemdam cognatum, opem tribuni fuisse imploratam: quod exemplum D. *Augustinus* Episcopis omnibus adeò in consequentiam trahendum esse, existimat, ut proditæ etiam Ecclesiæ incusari possint, quicunque Magistratûs opem invocare neglexerint (g). Sic scimus, laudatum fuisse Tribunum, quòd militari præsidiô *Paulum* munierit (h). Sic in S. Scriptura sæpe laudatos (i); immò etiam, anticipato elogiô, deprædicatos à *Daniele*, novimus *Machabæos*, quòd propter Religionem, contra sævientem *Antiochum*, se generosè defenderint: *Populus autem, sciens Deum, coronabitur* (k).

A. P.

(a) Inter varios ritus memorabilis fuit ille in bello *Smalcaldico*, de quo *Sleidanus*, & ex illo Jureconsulti *Dilingenses*. c. 3. Q. 17. n. 9. *Saxo & Landgravius epistolam, teli amento alligatam, per adolescentem tubicine comitatum Cæsari in castra miserunt, bellum et denuntiantes* (offensivum igitur potiùs, quàm defensivum agnoverint) *Cæsar epistolam non accepit, latores tamen incolumes à se dimisit.*

* Sic Principi curandum, ut bellum, etiam justissimum, quàm minimo fieri potest, suorum detrimento, sanguinisque profusione, & quidem brevi finiatur, ùt rectè observat illustris *Betzhoferus*: unde bene *Lucullus*: *se malle unum militem suum aut civem ex hostium manibus, quàm universas hostium fortunas sibi vindicare.*

(b) L. 21. c. 8. Sect. 1.

(c) 2da. 2dæ Q. 40 art 1.

(d) Can. 1. & seq. caus. 23. Q. 8.

(e) Arg. Can. fin. ne Cler. vel Monach. in 6.

(f) Act. 23.

(g) Relatus can. 2. caus. 23. Q. 8.

(h) Actor. 23.

(i) 1. *Machab.* 1. & 2.

(k) *Daniel* c. 12. v. 32.

Tot Cæsarum, Regum, Principum laudatissimis exemplis.

A. P. 2. Testes sunt omnis ævi historici Annales, ob ejusmodi heroicos conatus, meritis semper elogiis honoratos fuisse Reges, ac Principes. Sic laudantur *Armenii*, & *Constantinus* M. illi, quòd non minùs ac *Machabæi*, ratione abjectæ Idololatriæ furentem *Maximinum*; hic, quòd ptopter eandem causam sævientem *Licinium*, vi armatâ, represserit (a). Sic Imperatores *Germanici* ob infinitas, pro defensione *Christianæ* Religionis susceptas expeditiones, hoc sibi jus, ac nomen acquisiverunt, *ut Advocati*, & *Protectores* Ecclesiæ dicerentur (b). Sic in Recessibus quoque Imperii non semel occurrit hæc causa justissima, susceptis bellis præfixa: nempe *pro gloria DEI*, *& defensione veræ Religionis*. *

Et lege naturali quævis injusta à subditis repellenda.

A. P. 3. Quia omni jure licitum est, vi vim injustam repellere, etiam privatis: ergo à fortiori Principibus supremis, ac Magistratibus (c): *Non enim frustra gladium gerunt* (d): est autem vis injusta, quæ, *veræ Religionis causâ*, infertur hominibus.

Obligationem causante titulo advocatiæ;

Assertum etiam quò ad 2. partem P. 1. Reges, Principes, ac Magistratus non tantùm sunt constituti, ut eorum subditi vitam agant *tranquillam* in omni honestate, sed & *quietam in omni pietate* (e): sunt ex officio *Nutritii Ecclesiæ* (f), Religionem fovendo; sunt obligati Deo servire, & *quà homines*, & *quà Reges* (g), Ecclesiam defendendo. Sunt *Advocati*, & *Protectores* jurati, fidem atque Religionem etiam armis, cùm opus fuerit, propugnando (h): ergo bellum Religionis veræ defensivum est orthodoxis Principibus obligatorium.

P. 2. Qui non obsistit injuriæ, cùm debet, ac potest, est æquè in vitio, ac is, qui facit injuriam, ùt habet communis (i): atqui Magistratus vi officii debet, acceptóque in hunc finem gladio, potest obsistere injuriæ tuendo bonos: ergo si non obsistit, ejusdem vitii est, ac is, qui facit. *Officii;*

P. 3. A nonnullis, quos inter *Jacobus Pignatelli* (k), & alii. Imperatores Orientales, in temporalibus solummodò Ecclesiam destituentes, non defendendo illam à *Longobardicis* injuriis ac rapinis, amisère Imperium, translatâ in *Carolum* M. Cæsareâ dignitate, uti perhibent Authores (l): ergo à fortiori neglecti officii se reos facerent, destituentes Ecclesiam in spiritualibus, non defendendo viva Ecclesiæ membra, ac DEI templa ab improborum injuriis, & persecutionibus. *Ejusque neglecti pœnis, subsequi solitis.*

℞. II. *Quæ asserto nostro opponi solent, inefficacia sunt.* Nam

Opponitur I. Non est necessarium ut armis defendatur Religio vera: ergo non tenet assertum. A. P. 1 Quia in sua causa sat potens DEUS, ut Religionem defendat (m), consilia inimica confundat (n), & suorum injurias vindicet (o), 2. *Quia Christi Regnum non est de hoc Mundo* (p). *Defensio Religionis armata est necessaria.*

℞. *D. A.* Non est necessarium spectatâ omnipotentiâ DEI. C. A. Spectatâ voluntate, & sapientia DEI, quâ omnia per media naturalia ordinat, sibique subordinat Principes, suæ Ecclesiæ, ac Fidelium defensores N. A & C. *Ad 1.* N. C. *Ad 2.* D. A. Regnum *Christi* non est *de hoc Mundo*, hoc est, non consistit in dominio tem- *Saltem respectu sapientiæ DEI, omnia prudenter ordinantis.* *Et respectu Regni Christi visibilis.*

(a) *Euseb. Hist.* Eccles. L. 9. c. 8 & ult.
(b) Cap. *venerabilem*: vers. *nunquid*, *de* Elect. *Clem. Rom.* de jurejur.
* R. A. zu Regenspurg, A. 1532 §. und damit solchen 7. ibi: zuforderist GOtt dem Allmächtigen zu Ehren, und zu Handhabung unsers Christlichen Namens und Glaubens.
(c) L. 3. de J. & J. L. 45. §. 4. ad L. aquil.
(d) Ad *Rom.* 13. v 4.
(e) 1. Ad *Timoth* 2. v. 2.
(f) *Isaiæ* 49 v. 23.
(g) Psal. 2. v. 11. & 12.
(h) Can. *tibi domino*: D. 63. capitulat. c. 2. n. 6. & seq. In R. I. A. 1530. §. und nachdem aber. ibi: Als Römischer Kayser, und Obrister der H. Christlichen Kirchen. R. I A. 1529. tit wider die Widertäuffer §. 1. Obrister Vogt unsers Christlichen Glaubens R. I. A. 1541. §. Uber Churfürsten. 19. ibi: und uns als Advocaten und Schirmern der Christlichen Kirchen. Obligatio etiam armis defendendi constat ex R. I. *Ratisbonensi* A. 1532. §. und damit solcher 7. ibi: und zu Handhabung unsers Christlichen Glaubens. Eodem sensu Rex *Hispaniæ*, *Poloniæ*, *Galliæ fidei defensores* appellantur.
(i) Can. 12. caus. 23. Q. 8. item Can. 7. caus. 23. Q. 3. *Cicero* de officiis L. 1.
(k) Consult. Canon tom. 9 consultat. 68. n. 12. f m. 156.
(l) *Lupold.* de *Babenberg*, de translat. Im. c. 3. Q. 18. *Radulph.* de column. de translat. Imp. §. hoc itaque Pontifice, *Alberic.* Gentil, de jure belli L. 1. c. 23. & alii passim.
(m) *Matth.* 26 25.
(n) *Psal.* 2. & 33.
(o) 2. Reg. 9. 7.
(p) *Joan.* 18 v. 36.

temporali hujus Mundi, atque magnificentia, ratione cujus defendi possit, vel debeat. C. A. Non consistit in congregatione Fidelium, seu Ecclesia hujus Mundi visibili, quæ contra iniquos etiam armis defendi possit, vel debeat. N. A. & C.

Est permissa, non obstantibus contrariis in speciem mandatis & exemplis.

Opponitur II. Non est à *Christo* permissum, ut armis defendatur vera Religio: ergo necdum tenet assertum. *A. P. 1.* Quia *Christus Petro* vetuit, causam suam defendere gladiô: *Mitte gladium tuum in vaginam, quicunque enim sumpserint gladium, gladiô peribunt* (a): 2. Quia discipulos suos tantummodò fugere, non resistere voluit (b). 3. Nec aliud ipse fecit (c). 4. Nec Apostoli, nec Martyres, gaudentes pro *Christi* nomine contumeliam pati (d). 5. Teste *Lactantio* (e), *Christianorum* est, non repugnare, sed pati, & juxta illud *Davidis* (f): *velut oves occisionis reputari.*

Utpote intelligendis vel de defensione privata, vel de virtute patientiæ.

℞. *N. A. Ad 1. D.* Vetuit *Christus*, causam suam defendere gladio, authoritate privata contra voluntatem *Christi*, nec sine temeritate zeli indiscreti sumpto. C. Gladio sumpto authoritate publica, zelo discreto, pro Domo DEI. N. Unde de illis, non de his dictum est: *gladiô peribunt* (g). Ad instantias cæteras negatur paritas: quia ibi patientia fuit commendanda, salvo jure defensionis; Nam Christus, Apostoli, ac primitivæ Ecclesiæ Martyres, privati omnes erant, neque Magistratum aliquem *Christianum* habebant: nil ergo mirum, quòd persecutoribus ne ut sustinerent, neque Ministrorum, neque Magistratûs manum opponerent. Ad ultimum D. *Christianorum* est, non repugnare *modò illegitimô* C. *legitimô*, juri Gentium, Naturæ, & humano conformi subd. Sic ut sit *de præcepto* N. *De consilio* C. Lex Evangelica non abrogat Politicam *Christianam*, judicia, bella. Adde, quòd etiam armis defendentes Religionem, sat habeant, quod patiantur propter justitiam.

Est consulta, stante confidentiâ in DEO.

Opponitur III. Non est consultum, Religionem armis defendere: ergo &c. A. P. *Sic Judæis*, adversùs *Assyrios, Ægyptiacam* opem implorantibus respondit DEUS: *in DEO, non in humanis auxiliis esse confidendum* (h). 2. Sic non oportet DEI opem humanis curis antevertere, sed exspectare juxta illud *Isaiæ* (i): *In silentio, ac spe erit fortitudo vestra.*

Quæ præsidentia esse non debet.

℞. N. A. Ad. P. D. In Deo esse confidendum primariò confidentia *discretâ*, nec excludente humana media. C. præsidentiâ *indiscretâ*, & temerariâ, Deum veluti tentando. N. *Judæi* minùs *in Deo*, plùs in *Ægypti* auxiliis confidebant, unde meritò reprehensi. *Silentium* & *spem* non excludit, sed includit legitima defensio Religionis.

§. II.

§. 2.

De justitia belli religionis in specie respectu Infidelium.

Justitia belli religionis in specie respectu Infidelium.

Quæritur II. *Quidnam sentiendum in specie de causa justa belli, ratione religionis?*

Bellum Religionis licitum tam defensivum quàm offensivum, saltem contra Turcas.

℞. I. *In specie licitum est bellum Religionis defensivum contra Infideles quoscunque. 2. Immò & offensivum*, præcipuè contra *Turcas*, & alios, ditionum, quæ olim *Christianæ* fuerant, iniquos usurpatores.

Asserti prima pars est contra Lutherum, in *Turcas* pacificum, etsi bellorum cinitionem cont a summum Antistitem, in quem veluti *Turcam turcissimum* seditiosa tympana animare non horruit, notâ illâ militari tesserâ. *Qui habet aures audiendi audiat, & à bello turcico abstineat, donec Papæ nomen sub Cœlo valet* (k).

De defensivo constat à fortiori.

P. Licitum est bellum, Religionis veræ defensivum, *in gen:re* contra quoscunque: ergo à fortiori contra *Turcas*, *Christiani* nominis juratos hostes.

De offensivo.

Asserti 2. pars est contra Theodorum Bibliandrum, Hermannum Conringium, & nonnullos alios *Lutheri* Asseclas Protestantes. Prior sic habet (l): *Urbanus, seu potiùs turbo sævissimus, à spiritu malo, homicidiis gaudente impulsus, bellum pro recuperanda Judæa commovit.* Alter sic statuit (m): *In Turcam haud superesse Christia-*

(a) *Matth.* 26. v. 52.
(b) *Matth.* 10. 23.
(c) *Joan.* 8.
(d) Actor. 5. v. 41.
(e) L. 6. Divini Instit. c. 20. Q. 3. caus. 23.
(f) Psalm. 43. v. 22.
(g) *Corn. à Lapide* in *Matth.* c. 26. v. 52.
(h) Isaiæ 20. v. 6. Ezech. 29. v. 6. & 7.
(i) 30. v. 15.
(k) Tom 2. lat. Wit. in assert. Articuli 23.
(l) In Chronol. tab. 13.
(m) In Consilio Regi *Galliæ* dato tom. 1. in fin. f. m. 995. §. 1. *de fœdere amicitiæ cum Turcis & piratis Afris ineundo*

stianis jus belli, ob id, quod terram sanctam dominio suo teneat, veritati conveniens est. Sed abstrahendo à pactis, hanc thesin veritati nullatenùs convenire

Ex jure recuperationis legitimæ.

Patet 1. Ex eo, quòd uti rectè animadvertit *Molina* (a), *Turcæ* nullo jure occupaverint *Christiadum* terras, ac Regna; quòd etiamnum plura, ac plura occupare quotidie moliantur; quòd tot strages *in Christianos*, tantáque cum crudelitate exercuerint, gravissimásque injurias, ac ærumnas intulerint, & etiamnum inferre conentur; quòd, tanquam *jurati Christiani nominis hostes*, fidem ac Religionem nostram funditùs eversum eant, * *Christianos* omnes in servitutem, & ad *Mahometismi* impietatem redigere moliantur: ergo, *nisi obstent specialia pacta*, illis, *tanquam juratis hostibus*, bellum licitè inferendum.

Ex decretis Conciliorum, decretis Christianorum Principum.

Patet 2. Ex eo, quòd, ùt rectè notat C. *Bellarminus* (b), sumi Antistites, quos inter *Urbanus* II. *Paschalis* II. *Eugenius* III. aliíque plures, nec non generalia Concilia, ùt *Lateranense*, *Lugdunense*, *Viennense*, & alia, generale bellum sæpe sæpiùs *Turcis*, indixerint; quòd S. *Bernardus*, aliíque sancti viri concionibus publicis excitârint Populos ad hujusmodi bella, & sermones miraculis confirmârint, ùt ipsemet indicat S. *Bernardus* (c); quòd tot Imperatores, Reges, & Principes bella sacra susceperint: ergo ejusmodi bella, sive reparativa, sive vindicativa, sunt licita.

℞. II. *Replicæ opponi solitæ, nil evincunt.*

Unde licèt Turca sit flagellum Dei:

Opponit I. *Lutherus*. Bellum à *Turcis* illatum est virga; *Turcæ* sunt DEI flagella, quibus *Christianorum* castigantur scelera: atqui non licet repugnare flagellis Dei: ergo nec *Turcis*.

Sic est permissum, ut repellatur.

℞. 1. *retorq.* Etiam in veteri Testamento Reges Gentiles erant Dei flagella: ergo illicitum *Judæis* fuit resistere: ergo malè suscitati à Deo *Othonieles*, *Gedeones*, *Samsones* &c. ut contra ejusmodi flagella Populum defenderent; immò etiam fames, pestis, & morbi sunt flagella DEI: ergo illicitum ea propulsare.

℞. 2. *Tr. Maj.* N. *Min.* Non enim Deus permittit *Turcis* in nos sævire, ut evertamur, sed ut resistendo à sceleribus avertamur, & ad Deum in tempore afflictionis convertamur.

Neque DEI voluntas contraria ex sinistris eventibus rectè colligitur.

Opponit II. Idem. Non est DEI Voluntas, ut resistamus: ergo &c. A. P. *Experientiâ*, & tot eventibus bellorum funestis, quibus non modò nihil per expeditiones sacras profecimus, sed *Turcas* etiam effecimus potentiores: ergo signum est, quòd Deo displiceat ejusmodi bellum, cùm armis *Christiadum* non benedicat.

Quia secuti sæpe per accident., & ex aliis causis.

℞. N. A. Ad. P. D. A. Et eventus semper signant voluntatem Dei, quò ad belli justitiam, in se spectatam. N. A. Non semper signant, variis causis intervenientibus, & eventus prosperos evertentibus. C. A. & N. C. Exemplum evidens suppeditat S. Scriptura. Nonne bellum *Israelis*, contra *Benjamitas* legitimâ causâ, susceptum fuit, utpote gravissimi sceleris vindicativum? Nonne Dei voluntate? *Ascendite ad eos, & inite certamen.* Nonne approbante Deo, quia Ducem dante: *Judas sit Dux vester* (d)? Et tamen non semel victi sunt, fugatíque. Sic etsi plurimæ victoriæ de *Turcis* relatæ sint; etsi felicissimo eventu *Jerosolyma* recuperata, annis octoginta octo possessa, tandem *ob discordiam Christianorum*, res bonæ in malum pessimum delapsæ sunt, *Turca* non tam sua virtute, quàm nostrâ discordiâ prævalente. Et quia Acatholici scriptores tam sunt nugivenduli, ut molitiones contra *Turcas* Pontificibus, quasi *Romanum* Imperium enervare conantibus, maligno calamo imputent, dicamus longè veriùs *Lutherum* per suum schisma magnum fuisse, & esse fulcrum *Ottomannici* statûs: nam annô 1528. *Hungaria* periît, *Germanis*, à Rege *Hungariæ* in auxilium vocatis, *Luthero* potiùs, qui in *Turcas* erat pacificus, quàm bono *Europæ* publico patrocinantibus (e).

Neque persecutio Ecclesiæ simpliciter utilior.

Opponit III. Ecclesiæ utilior est persecutio, quàm tranquillitas: ergo potiùs orandum pro tribulatione, quàm pace (f). *Confirmatur.* Deus per *Jeremiam* (g) monuit *Judæos*, ut se subjicerent *Nabuchodonosori*, neque resisterent, nisi gravioribus pœnis multari vellent: ergo à pari.

Ut Exemplo esse possunt Judæi.

℞. D.

(a) Tract. 2. Disp. 99.

* R. A. Zu Regenspurg A. 1532. §. 6. Derhalben, ubi Cæsar Statibus ait: daß das Heil. Reich, und gemeine Christenheit keinen gehässeren und Blut-dürstigeren Feind, dan den Türcken, haben.

(b) L. 3. de Laicis. c. 16.

(c) L. 2. de consideratione ab init.

(d) Iudic. c. 20. v. 18.

(e) *Cochlæo* teste ad hunc annum.

(f) *Luther.* de matrimonio apud C. Bellarminum, L. 3. de Laicis c. 16. f. m. 187.

(g) *Jerem.* 27. v. 12.

Quia periculosa.

℞. D. A. Est utilior *semper*, & *absolutè* loquendo. N. A. Est utilior *suo modò*, si non sit periculosa, sique *Christiana* fortitudine sit exantlata. C. A. & D. C. ergo expetenda. N. C. ergo toleranda instante necessitate. C. C. Hinc monet *Christus*: *orate, ne intretis in tentationem*, & Apostolus nos jubet *orare pro Regibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus* (a). *Ad Confirmationem* D. A. Monuit, hoc est, peculiariter *Judæis* intimavit voluntatem suæ dispositionis, eos ob patrata scelera *Nabuchodonosoris* jugo subjicientis, Regnúmque *Judæ* in eum transferentis, sic ut illis jam non suppetierit jus, bello legitimo resistendi. C. A. Secùs. N. A. C. & parit.

Etsi Lutherus simpliciter probaverit bellum turcicum.

Opponit IV. *Benedictus Carpzovius* (b): fallit *Bellarminus*, dum ait, à *Luthero* bellum contra *Turcas* fuisse improbatum *simpliciter*: ergo &c. A. P. Sæpiùs probavit *simpliciter*, & improbavit solummodò *quò ad modum*, quando nempe *absque pœnitentia* suscipitur; quando *Bullis*, & *indulgentiis* nimiùm tribuitur &c. quando, indulgentiis impudentissimè venditis, substantia nostra devoratur. &c. (c).

Simul tamen improbavit simpliciter.

℞. N. A. Ad P. D. A. Sæpiùs probavit *simpliciter*, & pro sua *Prothea* indole *simpliciter* improbavit. C. Item tantùm improbavit *quò ad modum*, ex venenato odio suo erga summum Antistitem profectum. C. Aliômodô. N. A. & C. An non improbavit *simpliciter*, quando scripsit (d): *Oro cunctos pios Christianos, ne ullo modo sequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas: quandoquidem Turca decies prudentior, probiórque est, quàm sunt Principes nostri.* Item quando scripsit (e): *Pontificem & Pontificios esse multò pejores, & truculentiores Turcis, stultúmque esse pugnare pro pejoribus Turcis contra Turcas meliores.*

Jus belli non superesse Christianis, ratione terra sancta.

Opponit V. *Musæum* illud Protestanticum ambulans (f), *Hermannus Conringius*. Non est veritati *conveniens*, *Christianis* superesse jus belli *in Turcas*, respectu terræ sanctæ, quam suo jam dominio tenent: ergo bellum, *saltem offensivum*, contra *Turcas* illicitum.

Quia non nisi falsa persuasio Romanæ Curiæ.

A. P. 1. Quia communis persuasio hujus juris, & Authoritas *Romanæ Curiæ* nihil probant: illa enim persuasio non nititur, nisi arcanis scitis *Romanæ Curiæ*; hæc verò authoritas nullum alium habet scopum, hac in sententia, quàm *dilatationem Ecclesiasticæ potestatis*, & quidem cum eversione Imperii *Romano-Germanici*; *cùm manifestum sit, quòd abusa fuerit hac improvida Populi credulitate, Regibúsque immorigeris subducere robur fortium virorum, nec non infinitam generosi sanguinis vim profundere allaborârit.*

Sola Religione justum titulum nequaquam suppeditante.

2. Quia sola Religio *Christiana* non dat titulum occupandi terram sanctam, cùm *Christus* ipse *Regnum suum non fuisse de hoc Mundo* professus sit: ergo nec *Christiani* illius vindicandæ jus sibi tribuere poterunt.

Justâque possessione Turcis suffragante.

3. Quia cùm *Christiani* Occidentales, *Balduino* Duce, expeditionem susciperent, *Turcæ* jus in terram sanctam, multo jam tempore, quietè & possederunt, & pactionibus cum *Græcorum* Imperatoribus initis, nacti sunt (g). Ita hic *Turcicus* Apologeta, allegans etiam *Puffendorfium*, sibi similem Syndicum.

Arcana turcica sunt, à Christianis Politicis nullo suo honore excogitata.

℞. N. A. Ad P. N. A. Communis persuasio (abstrahendo à specialibus pactis) quò ad juratum *Christiani* nominis hostem, nititur *jure Naturæ*, quo licitum vindicare injuriam, & recuperare bona injustè erepta, ùt suprà diximus. Nititur *jure Divino*, quô infidelitatem, cum summa in Deum injuria inductam, licitum vindicare, verámque fidem rursus invehere. Nititur jure *Gentium*, quo licitum, hostis molimina prævenire, ne hostis in nostra damna intentus, nocere cùm semper velit, præoccupatus haud semper possit. Nititur jure *humano*, quo licitum, tot *Christianorum* myriades ex infami servitute eripere, & majora damna, juxta tot Conciliorum decreta, & *Christianissimorum* Regum ac Principum exempla, præcavere, ùt in probatione dictum.

Praxi Majorum, quam malè sugillant quidam degeneres Posteri.

Cæterùm *Romanæ Curiæ* arcana, tot sæculis incognita; tot superstitionum tenebris obvoluta; tot sapientissimis Imperatoribus, sanctissimis Regibus, & *Christianis* Principibus impenetrabilia; nec nisi per *Conringios*, *Puffendorfios*, hisque similes, *Luthericis* perspicillis gloriosè tandem detecta, quis non videat? quis non rideat?

Religione tot injuriis lacessitâ, sat juris dante contra juratum Christiani nominis hostem.

Ad 2. D. Sola Religio, *privativè sumpta*, non dat titulum juris. Tr. Religio tot contumeliis in *Christum*,

tot

a] 1. Ad *Timoth.* 2. v. 2.
(b) Discur. 23. apud *Arumæum* vol. 4. f. m. 313. b.
(c) L. de bello contra *Turcas*. item in assert. art. à *Leone* damnatorum art. 34. tom 2, lat.
(d) in Epist. contra duo mandata Imperialia.
(e) In assert. art. 34. cit.
(f) Ut eum appellavit *Melchior Schmidius* Tom. 2. Dissert. 1. de Repub. Germ. f. m. 6.
(g) T. 1. f. 995.

tot injuriis *in Christianos* lacessita; tot persecutionibus impetita ac irritata, non dat titulum juris &c. N. A. & C.

Neque iniqua usurpatione jus contrarium fundare valente.

Ad 3. Negatur illud jus, quòd, ejectis per vim tyrannicam *Christianis*, solummodò usurpatum, vi & dolis extortum, nullis concessionibus legitimè unquam firmatum fuit, cùm fidei veræ per nulla pacta, cum Infidelibus inita, renuntiari possit, quin illa, quàmprimùm fieri queat, denuò reducatur, unde Infidelium armis iniquè ejecta fuit. Et cur *Conringii* (a); *Puffendorfii*, similésque *Lutheri* asseclæ, toties negant, respectu patrimonii *Petrini*, nullis pactis, donationibus, juramentis, possessionibus temporis immemorialis quidpiam Imperii juribus per Cæsares derogari unquam potuisse, vel posse, quin etiamnum hodie armis recuperari possint, ac debeant (b)? Cur, inquam, quæ summis Pontificibus tam pertinaciter negant, *Turcis* tam liberaliter concedunt *Christiani* isti Politici? An glorioso hoc nomine, hac ex parte, sat digni? alii viderint.

Quæritur III. *Quid tenendum de bello Religionis, in specie offensivo circa Paganos?*

Sola Religio propaganda non est justa belli causa, respectu Infidelium.

℞. 1. *Sola Religio propaganda non est legitima causa belli Paganis inferendi, ratione infidelitatis.* 2. *Unde non directè, sed solummodo indirectè adduci possunt ad veram fidem.* Ita *Angelicus*, *Molina*, *Suarezius*, *Sotus*, *Perezius*, cum satis communi, contra *Hostiensem*, *Panormitanum*, *Antonium de Butrio*, aliósque citatos à *Covarruvia* (c), quorum tamen rationes minimè movent, ut cum Clarissimo *P. Schmier infidelitatem solam* inter dubias belli causas numeremus.

Quia deest jurisdictio.

P. Asserti pars prima. Ad bellum offensivum, legitimè inferendum *ratione delicti*, requiritur jurisdictio ordinaria, vel extraordinaria, *ratione injuriæ illatæ*: neutra ponitur adesse: ergo bellum inferri nequit. *Maj.* fundatur in jure Naturæ & Gentium, quô bella reguntur, quod jus non destruit lex gratiæ, sed potiùs perficit: ergo *Christianis* Principibus in eos, qui extra eorum, & Ecclesiæ jurisdictionem existunt, alius titulus inferendi belli non suppetit, quàm quem ratio naturalis, & jus Gentium dictat, eò quòd illi, qui extra jurisdictionem existunt, legibus positivis subjecti non sint. Unde S. *Paulus* (d): *Quid mihi de iis, qui foris* (id est, extra Ecclesiam) *sunt, judicare?* Siquidem *eos Deus judicabit.* Expressè *Angelicus* (e): *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in iis, qui nunquam fidem susceperunt.*

Unde non nisi indirectè adduci possunt ad veram fidem, juxta illud: Prædicate Evangelium.

P. Asserti pars secunda. Indirectè adducere ad veram fidem infideles, est per Apostolicos Viros Evangelium *Christi* prædicare, fidem unicè salvificam annuntiare, suadere, ac persuadere: atqui his competit hujusmodi jus *à Christo* expressè concessum in ordine ad prædicandum Evangelium *omni creaturæ* per totum Orbem: ergo & competit jus, Infideles, *indirectè saltem*, adducendi ad veram fidem. Ex his

Atque hoc intelligendum tam de aliis sceleribus, Infidelium, quàm de ipsa infidelitate.

Colligendum I. Quod dictum *de infidelitate*, intelligendum insuper de aliis sceleribus, etiam Naturæ legi repugnantibus, si modò non sint *injuriosa*, hoc est, si non cedant *in nostram*, *vel alterius Innocentis injuriam.*

Ratio primi est, quia par ratio de Infidelitate, Idolomannia, ac Sodomia, fornicatione, ebrietate &c. nam teste *Angelico* (f): *Infidelitas* (uti & alia ejusmodi scelera) *secundùm se ipsam non repugnat dominio; eò quòd dominium introductum sit de jure Gentium, quod est jus humanum: distinctio autem Fidelium, & infidelium est secundum jus Divinum, per quod non tollitur jus humanum*: unde juxta Apostolum etiam *Infidelibus obtemperandum* (g).

Si modò absit injuria innocentiæ.

Ratio secundi est: quia scelera, innocentibus injuriosa v. g. oppressio, persecutio, interfectio, antropophagia &c. *jure Naturæ* impedienda, docente *Molina* (h): *licitum est prohibere ejusmodi Infidelibus peccata, quæ in innocentium injuriam cedunt. Quòd si ab illis desistere noluerint, fas est, movere contra illos ea de causa bellum, juxta illud* (i): *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses: ergo quivis naturali jure defendere potest, innocentes à tyrannide, idque potissimùm ad Principes spectat.*

Colli-

(a) De finibus Imperii.
(b) Videantur Coll. Hist. Parte IX. per totum.
(c) In Relect. cap. *peccatum* de R. J. in 6. part. 2. §. 10. n. 8.
(d) 1. ad Corinth. 5. v. 12.
(e) 2a. 2æ. Q. 12. art. 2.
(f) 2. 2. Q. 10. art. 2. & 10.
(g) Ad Rom. 13.
(h) Tract. 2. Disp. 106. fol. m. 436.
(i) Proverb. 24. v. 11.

Licitum tamen est bellum respectu Infidelium, ad repellendam injuriam.

Colligendum II. Ex D. *Thoma* (a): *Christianis* Principibus esse licitum, ut bellum, si opus est, inferant Infidelibus, casu quo Infideles prædicationem Evangelii negarent, persecutione sufflaminarent, Prædicatores in suo jure impedirent, blasphemiis, & injuriis lacesserent, subditósque à vera fide suscipienda averterent. &c. *Ratio est*: quia injuria fit *Christi* Apostolis, & Ecclesiæ, ad quam repellendam & vindicandam bellum licitum est, partim jure supernaturali; quia facultas Dei est ad prædicandum Evangelium, juxta illud (b): *Euntes in mundum universum* &c. partim jure naturali; quia justa defensio Innocentûm. Atque hoc titulo *Hispani*, ac *Lusitani* in novo orbe plures Provincias justissimè occupârunt.

Sed non sine moderatione, Christianæ Religioni competente.

Colligendum III. Hac in Evangelicæ prædicationis defensione, injuriarum vindicatione, vitandos esse tres scopulos juxta *Pelzhoferum*; aliósque Politicos 1. Ne hic prætextus sit intempestivus, serviátque in destructionem potiùs, quàm ædificationem, si nempe Religionis defendendæ specie, legitimi Principes solio deturbentur, bona rapiantur, & terræ usurpentur, quæ omnia jure Naturæ & Gentium prohibita sunt. 2. Ne desit comes mansuetudo *Christiana*: vis enim ex Infidelibus facit simulatores Regum, non DEI cultores. 3. Ne sub hoc prætextu fiant abusus ad avaritiam, ambitionem.

℞. II. *Quæ opponi solent, inefficacia sunt.*

Unde Christus auferenda dixit Infidelibus Regna, sed à DEO.

Opponunt I. Infidelibus *ob infidelitatem* auferenda esse Regna, & in *Christianos* transferenda prædixit *Christus* (c): *auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti, facienti fructus ejus*: ergo potest inferri bellum. ℞. D. A. Auferenda à *Deo*. C. à *Christianis*. Subd. Revelante Deo. C. Secùs N. A. & D. C. ergo potest inferri bellum, ubi nulla jurisdictio. N. ubi est. Tr. C.

Nec Infideles ab Israelitis impugnati, nisi speciali mandato Dei.

Opponunt II. Constat ex SS. litteris, quòd ob Idololatriam plurimæ Gentes, ab *Israëlitis* sint extirpatæ: ergo licitum ejusmodi bellum. ℞. D. A. Sunt extirpatæ authoritate propria N. Divinâ, specialiter revelata. C. A. & N. C. Accedit, quòd illa Idololatria fuerit *mixta cum occisione innocentium, immolatione filiorum Dæmoniis.*

Unde proximi, non item Dei injuriæ, nisi à Deo vindicandæ.

Opponunt III. Juxta dicta, peccata proximo injuriosa, etiam bello vindicari possunt: ergo multò magis peccata contra naturam, Deo ùt authori Naturæ injuriosa vindicari poterunt, ℞. D. A. Et hoc ideò, quia naturalis charitas exigit, ut innocentûm impotentia, reprimendo tyrannidem, suppleatur. C. A. Si ipsimet sat se defendere valerent, uti valet Deus, dicens (d): *mihi vindicta, & ego retribuam*, N. A. & D. C. Ergo injuriæ Dei vindicari poterunt, Deo specialiter id mandante. C. C. secùs. N. C.

Hæretici item compelli possunt, quia subjecti, non Infideles.

Opponunt IV. Hæretici ob Apostasiam etiam armis compelli possunt ad veram fidem, teste *Angelico*, *Augustino* &c. ergo etiam Infideles ob Idololatriam. R. N. C. Disparitas petitur ex jurisdictione, quæ habetur in hæreticos, non autem in Infideles, ùt rectè explicat *D. Thomas* (e). Sed de hac re infrà.

Gregorius M. laudat non Infidelium, sed hæreticorum subactionem.

Opponunt V. *S. Gregorius M.* (f): summoperè laudat *Gennadium*, *Africæ* Exarchum, quòd bello Infideles lacesseret, ut apud eos, in potestatem redactos, posset prædicari, ac propagari fides *Christiana*: ergo habetur causa legitima. R. D. A. Laudat, quòd bello lacesserit Infideles. N. Hæreticos, Apostatas, & Infideles non quietè degentes, sed legis Evangelicæ prædicationem impedientes. C. A. & N. C.

Neque directa conversio, respectu Infidelium non subjectorum, est finis legitimus.

Opponunt VI. Quod fit ex fine legitimo, illegitimum esse nequit: sed bellum Infidelibus, ex fine conversionis, & dilatatione fidei *Christianæ*, illatum, fit ex fine legitimo: ergo illegitimum esse nequit. R. D. *Maj.* Quod fit ex fine legitimo, legitimis in circumstantiis, illegitimum esse nequit. C. *Maj.* Quod tantùm fit ex fine legitimo. N. *Maj.* Ejusmodi dilatationem fidei, armis evincendam ab Infidelibus, neque Principes, neque Pontifices, neque Patres *Christiani* unquam agnovère. Unde *Honorius*, & *Theodosius* (g): *Quòd Judæis, ac Paganis, quietè degentibus, nihilque tentantibus turbulentum, legibúsque contrarium, manus inferre, Religionis authoritate abusi non audeant.* Hinc *Alexander* II. Pontifex in illos tantùm Infideles justè pugnari, asserit, qui *Christianos* persequuntur, aut ex Urbibus, propriisque sedibus expellunt (h).

Quæritur IV. *Quid sentiendum de bello Religionis in specie circa subditos Infideles?*

℞. I.

(a) 2. 2. Q. 10. art. 8. & 10.
(b) Marci 16. v. 15.
(c) Math. 21. v. 43.
(d) Ad Rom. 12. v. 19.
(e) 2. 2. Q. 10. art. 8.
(f) L. 3. Registri epist. 73. allegatus in cap. si non ex fide. 49. caus. 23. Q. 4.
(g) L. *Christianis* 6. c. de Paganis.
(h) Cap. dispar. 11. caus. 23. Q. 8.

Neque Infideles subditi directè ad veram fidem compelli possunt:

℞. I. *Infideles subditi qualescunque, velut Saraceni, Judæi* &c. non *possunt vi & armis compelli ad veram fidem directè.* 2. *Possunt tamen indirectè.* 3. *Nisi obstent pacta, specialiter ipsis indulta.* Ita *S. Thomas, Ambrosius, Becanus, Barbosa, Suarezius,* & alii, quos citat & sequitur *P. Reiffenstuel* cum communi, ùt ait, tam Theologorum, quàm Canonistarum (a).

Ut habent jura clarissima.

P. Assertum quò ad 1. membrum. Si subditi Infideles possent vi & armis cogi *directè* ad veram fidem, tunc vel ad professionem ejusdem *internam*, vel *externam*; neutrum potest dici: *Min.* P. Non ad internam, nam hìc rectè applicatur, quod Protestantes toties malè trahunt ad actum externum: quòd in liberum arbitrium non detur dominium, nisi à Deo, quo tamen & ipse se abdicavit: atqui, ùt ait *Lactantius*, nihil tam voluntarium, quàm Religio, quæ si coacta, hoc ipso nulla est. Quia, juxta *Maximilianum II.* Imperatorem, non est major tyrannis, quam velle conscientiis dominari, dicente *Stephano Bathorio*, Rege *Poloniæ*, tria soli Deo esse reservata. 1. Ex nihilo aliquid facere. 2. Scire futura. 3. Imperare voluntati. Sed neque cogi possunt ad professionem veræ fidei externam *directè*, quia obstant clarissima jura & ratio: ergo &c.

A. P. 1. De *Judæis*: præcipit sacra Synodus, *neminem deinceps ad credendum vim inferri: cui enim vult, miseretur Deus, & quem vult, indurat* (b). Item (c): *Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad baptismum venire compellat.* Item: (d) *Ad fidem nullus est cogendus invitus.*

Non enim inviti salvandi.

A. P. 2. *Ratio* 1. innuitur per eosdem sacros Canones: *Non enim inviti salvandi sunt, sed volentes, ut sit integra forma Justitiæ: sicut enim propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratiâ Dei propria mentis conversione, homo quisque credendo salvatur* (e).

Nec religio reddenda armis exosa.

Ratio 2. est. Quòd talis coactio *directa* fidem *Christianam* exosam, & de tyrannide suspectam redderet, multáque alia mala secum traheret Quam rationem ipsâ Ecclesiæ praxi firmat *Laymannus* noster, dum ait: ad Dei honorem, suavémque Evangelii propagationem, utì & Ecclesiæ ædificationem, valde interest, ut *Christi* fides liberè suscipiatur, eòque constantiùs retineatur. Unde Rex *Navarræ* (f): *Non gladio, sed persuasione, ac vi doctrinæ, in cordibus hominum Religio plantatur, & honesto vitæ exemplô confirmatur.*

Ratio 3. est. Quia si Infideles subditi *directè* cogi possent, tunc vel per Principes Ecclesiasticos, vel Sæculares: neutrum potest dici. Non per Ecclesiasticos, quia in Infidelibus nulla suppetit Ecclesiastica jurisdictio, juxta illud *Pauli*: *Quid mihi de iis, qui foris sunt?* Non per sæculares; quia jurisdictio sæcularis *directè* solummodò ordinatur ad finem naturalem, non supernaturalem, seu ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, uti sunt fides, & baptisma, teste *Gonzalez* (g): vel si illis aliqua competit, tanquam custodibus legum Divinarum, non tamen competit *directa* coactio ad fidem, ob hanc ipsam specialem Juris Canonici prohibitionem, suprà indicatam.

Præterquàm, quòd in Infideles nulla suppetat jurisdictio.

Assertum. P. quò ad 2. membrum. *Indirecta* coactio nec Justitiæ, nec ulli alteri virtuti adversatur: ergo est medium licitum ad finem sanctum, quia ab ipso *Christo* per Evangelicum illud *compelle* (h) commendatum. A. patet partim communi Doctorum, exemplis laudatissimorum Cæsarum, Regum, & ipsius *S. Gregorii* M. qui varios modos licitos indirectæ hujus compulsionis suppeditat (i): V. G. Invitatione præmiorum, promissione privilegiorum, oblatione bonorum, promotione officiorum. 2. Relaxatione debitorum, remissione onerum, vectigalium ex parte, vel ex toto &c. 3. A pervicacibus rigorosâ exactione tributorum, vectigalium, onerum aliàs debitorum &c. 4. Negatione favorum, promotiones ad officia publica recusando, jus habitationis præcludendo, vel absolutè negando. 5. Tributa aliàs justa, & à Principe exigi permissa, atque aliunde debita imponendo, modò in his omnibus nil fiat contra pacta, bonam fidem, & moderationis limites non excedantur. 6. Inflictione pœnarum rigorosâ, quæ per alia delicta infligi de jure possunt, confiscatione bonorum, exilio &c. quæ pœnæ Fidelibus *gratiosè* remittuntur.

Cogi tamen possunt indirectè, ut patet constanti praxi.

Asser-

(a) In Jure Canon. Tom. 5. Tit. 6. de Judæis f. m. 215. & seq.
(b) Can. de *Judæis* 5. Dist 45.
(c) Can. sicut *Judæi* 9. h t.
(d) Can *ad fidem* 33 caus. 3. Q. 5.
(e) Cit. Can. de Jud.
(f) In litteris ad Nobiles *Aquitaniæ* apud *Diurtum* L. 6. Hist. Gall. f. 418.
(g) In Can. sicut *Judæi*. cit. n. 8.
(h) Lucæ 14.
(i) L. 4. Epist. 6.

Salvis tamen compactatis.

Assertum P. etiam quo ad 3. membrum. Ex communi DD. suffragente etiam legum authoritate (a), Infidelibus quoque est servanda fides. Accedit, quòd talis esset *directa*, & consequenter injusta coactio ad fidem, dum sine aliqua causa legitima privarentur habitatione, quæ eis etiam, ùt Infidelibus promissa est, sicque jure debita. Ubi tamen

Unde, etsi ratione solius infidelitatis expelli nequeant Infideles, possunt tamen, accedentibus aliis vitiis, statui publico perniciosis.

℞. II. *Animadvertendum esse 1.* Quòd *ratione solius Infidelitatis*, qua non obstante subditis Infidelibus data fuit protectio, pœnis coerceri, vel ejici nequeant. Nam si alia justa causa concurreret v. g. iniqua eorum conspiratio, in *Christianos* machinatio &c. vel si alia ratione inciperent esse scandalosi, perniciosi, aut periculosi Reipublicæ *Christianæ*, aut bono communi politico; aut si ob alia delicta mererentur ejectionem, punitionem, utique puniri, & etiam expelli possent.

Immò eorum ritus sic constringendi, ut ne offendiculo Religioni veræ esse possint.

℞. III. *Animadvertendum II.* Etsi Infideles semel recepti, sine causa ejici non valeant, possunt tamen, ac subinde debent eorum ritus, negotiationes, modúsque vivendi, legibus & pœnis ita constringi, ne quidquam moliri valeant vergens in Religionis *Christianæ* contemptum, periculum, aut Reipublicæ damnum. Ita communis, & praxi confirmata doctrina (b). *Ratio* est, quia aliàs nec Religioni, nec Reipublicæ sufficienter cautum foret, ob Infidelium, maximè verò *Judæorum* inveteratam malitiam erga *Christianam* Religionem.

Religio Christiana per se non solvit subjectionem Christianorum, respectu infidelium Dominorum.

℞. IV. *Animadvertendum III.* Etsi dominium Infidelium, si quod habent in *Christianos*, neutiquam tollatur per libertatem *Christianam juxta* illud (c): *Subjecti estote propter Deum sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus* &c. eò quòd per se non repugnet *Christiana* fide imbui, & Infidelibus subjici, ùt suprà ex *Angelico* diximus. Nihilosecius excipiendum 1. Si Infideles dominantes forent subjecti Principibus *Christianis*, tunc enim, *Laymanno* Authore (d), privari possent dominio in servos suos, si *Christiani* fiant. 2. Si illud dominium esset malè, & noviter obtentum super Fideles, expulsis *Christianis* Principibus, uti dictum de *Turcis*: nisi fortè per pacta sese subdiderint ipsi Fideles, gaudeántque ideò suis immunitatibus, protectione &c. 3. Si servi Infidelium paterentur periculum perversionis, tunc enim, eodem *Laymanno* Authore, à tali dominio per Ecclesiasticam potestatem absolvi possent: * sic enim *directè* exerceretur dominium in ipsos Fideles, *indirectè* & *per accidens* in Infideles, id quod hìc necessarium est ad finem supernaturalem, quæ jurisdictio Ecclesiæ omnem Infidelium potestatem exsuperat in rebus temporalibus, quatenus connexæ sunt cum spiritualibus. Ita ex *Angelico Laymannus* (e).

Neque dat jus ad cogendos Infideles, quia extraneos, respectu veræ Ecclesiæ.

℞. *Animadvertendum* IV. Etsi certum sit, Infideles lege Divina & naturali teneri ad suscipiendum fidem *Christianam*, sufficienter propositam, & etsi certum sit, Principes *Christianos*, tam Ecclesiasticos quàm sæculares, esse custodes, ac vindices legis Divinæ, sic ut possint ad earum observantiam cogere subditos, non tamen cogere hoc ipso possunt Infideles; non subditos, *defectu jurisdictionis*, uti dictum: nam sicut ex defectu jurisdictionis Rex *Hispaniæ* nequit vindicare delicta *Gallorum* qualiacunque, nec eos bello adigere ad observantiam legis Divinæ; ita à pari.

Unde Canones quidam intelligendi de coactione solummodò indirecta.

℞. *Animadvertendum V.* Canones nonnulli, qui *videntur adstruere* ejusmodi coactionem respectu Infidelium v. g. *impositione onerum* (f), *confiscatione bonorum*, exilio &c. (g) *aliisque pœnis hæreticorum propriis* (h), exponendi sunt *de coactione indirecta*, sic ut illa onera, vel aliàs debita, vel pœnæ ob alia delicta infligendæ intelligantur. *Ratio* expositionis, non ita planæ, sunt alii Canones, clarè contrarium statuentes, atque adeò necessaria textuum conciliatio.

Variàque exempla de relapsis aliisque criminibus exponenda.

℞. *Animadvertendum VI.* Varia exempla Regum, ac Principum v. g. *Sisebuthi Gothorum* Regis, qui *Judæos in Hispania*, baptismum recusantes, turpiter decalvari, flagellis cædi, & eorum bonis fisco addictis, exilio puniri jussit;

(a) Arg. L. *sicut* 5. c. de oblig. & act. arg. L. *nullus* 14. c. h. t.
(b) Arg. L. *Judæi commun.* L. *nullus* 14. c. h. t. cum concordant.
(c) 1 Petri 2. v. 13.
(d) Theol. moral. L. 2. Q. 1. c. 17. n. 6.
* Quod ipsum alibi confirmat ex doctrina Angelici 2. 2. Q. 10. art. 10. communiter, ùt ait recepta, *Ecclesiæ scilicet potestatem esse, DEI authoritate sibi concessam, subditos Infidelium, ad fidem Christi conversos, illorum jurisdictione eximere, si ita ad Dei honorem conveniens, aut necessarium esse videatur.* Tr. 9. L. 4. c. 8. f. m. 386.
(e) L. cit.
(f) Can. *Jam verò*, 4. caus. 23. Q. 6.
(g) L. fin cod *de Paganis.*
(h) L. *Cælicolarum* c. *de Judæis.*

ſit; *Ferdinandi*, Regis Catholici, qui *Judæos* ac *Saracenos*, baptizari tenuentes, ex omni *Hispania* exterminavit &c. Ejusmodi, inquam, exempla, à Doctoribus etiam laudata, intelligenda ſunt vel *de relapſu in Infidelitatem*, vel *de Infidelitate ut conjuncta cum aliis criminibus ejusmodi pœnas promeritis.* Nam primo caſu licita etiam eſt *directa coactio* teſte *Laymanno* (a): nam qui ſemel fidem Catholicam ſunt profeſſi, etſi coactè ejus jurisdictioni ſeſe ſubdidère, adeóque in caſu relapſûs vel directè cogi, vel propter renitentiam exilio mulctari poſſunt juxta illud (b): *oportet, ut fidem, quam etiam vi vel neceſſitate coacti ſuſceperunt, tenere cogantur.* Atque hoc à fortiori intelligendum de illis, *qui ut Chriſtiani nati, ac educati, rurſus ad Judaiſmum, Infidelitatem, vel etiam hæreſin Apoſtatárunt Laymanno* teſte. Quò ad caſum 2. patet ex dictis ſuprà animadvertendo 1.

§. 3.

§. III.

De Juſtitia belli religionis contra ſubditos hæreticos.

Juſtitia belli religionis reſpectu ſubditorum hæreticorum.

Quæritur V. Quid tenendum ratione belli ex cauſa Religionis in ſpecie circa hæreticos ſubditos.

Hæretici ſubditi, abſolutè loquendo, ad deſertam fidem compelli poſſunt.

℞. I. *Hæreticos ſubditos* (loquendo in genere *) *vi & armis abſolutè edomari, & ad deſertam fidem Catholicam etiam directè compelli poſſe, eſt communis, & vera SS. Patrum, Doctorum, ac Politicorum ſententia. 2. Etiam ab Acatholicorum ſanions parte praxique roborata. 3. Immò non rarò eſt obligatio reprimendi ejusmodi Novatores, maximè hæreſiarchas. 4. Etiam non ſubditi, uno alteróve caſu, per Reges & Principes debellari poſſunt. 5. Etſi molliora media quandoque ſint magis opportuna, ac præhabenda.* Hæc aſſerta inter ideas Papiſticas, *non ferendas*, rejicient *Vitriarii*, aliíque multi ex Proteſtanticis Autonomiſtis. Sed his nihil obſtantibus

Ut habet communis, omni jure ſuffragante.

Aſſerti veritas P. quò ad 1, authoritate *Angelici* expreſſa, cùm dicit (c): *Alii verò Infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut hæretici, & quicunque Apoſtatæ: & tales etiam ſunt corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiſerunt, & teneant, quod ſemel ſuſceperunt.* Patet item ex iis, quæ alibi diximus de mediis conſervandæ Religionis. ** Quæ omnia ampliùs confirmat *P. Reiffenſtuel* (d) ex Jure Canonico (e), civili (f), Divino (g), ratione morali ob ſcandalum & periculum perverſionis; Politicâ, ob bonum commune pacis, ac publicæ tranquillitatis (h), quæ ibi fuſiùs legi poſſunt.

Immò ſubinde obligatio reprimendi hæreticos, maximè hæreſiarchas, ob periculum Reipublicæ.

Aſſerti veritas quò ad 2. itidem patet ex alibi dictis (i): *Quò ad 3.* patet in caſu, quo, per ſuppreſſionem opportunam turbulenti ejusmodi Novatoris, reſtingui incendium, majores turbæ præcaveri, bellúmque evitari facilè poſſet, demonſtrante experientiâ, non alium eſſe expeditiorem hæreſes & tumultus coërcendi modum, quàm hæreſiarcharum ſuppreſſionem. Patet item in caſu, quo ſubditi non modò à vera fide deficerent, alióſque ſecum in perniciem traherent, ſed etiam hac ratione diſſenſionem in regno ſuſcitarent, tranquillitatem publicam turbarent, Catholicos bonis, juribusque, ac poſſeſſionibus avitis ſpoliarent &c. nec alius coërcendi modus ampliùs ſuppeteret, niſi bellum. Sic legimus *Moyſen*, parte Populi in Idololatriam prolapſâ, ultrici bello triginta millia hominum interemiſſe.

Etiam non ſubditi uno, alteróve caſu ſunt debellandi.

Aſſerti veritas quò ad 4. declaratur duplici caſu. Si Rex, vel ſubditi unius regni deficerent à fide Catholica, & conarentur ſubditos vicini regni in eandem defectionem pertrahere, poſſet vicinus Rex etiam bello ſe, ſuóſque defendere, illatámque injuriam vindicare. Si in regno quopiam forent multi hæretici, Eccleſiæ pacem turbantes, poſſet ſummus Antiſtes, *tanquam univerſalis omnium Paſtor*, potenti alicui, ſive Regi, ſive Principi, hanc ſpartam injungere, ut illos etiam vi, & armis comprimeret. Primus caſus nititur jure legitimæ defenſionis ac vindicationis. Alter legitimo titulo jurisdictionis pontificiæ *in omnes Chriſti fideles*, qui per baptiſmum, tanquam januam, ſemel ingreſſi Eccleſiam, etſi ſint hæretici, ſeu rebelles ac inobedientes: ſicut ſubditi in politicis

(a) L. 2. tract. 1. c. 17. n. 9.
(b) C. de *Judæis* 5. diſt. 45.
* Hoc eſt, abſtrahendo à ſpecialibus pactis, & maximè ab Imperii Proteſtantibus, de quibus alibi, ob rationes in Imperio ſpeciales.
(c) 2. 2. Q. 10 art. 8.
** In Collegiis Hiſtor. P. VII Q. 9. Sectione 7. f. 650.
(d) Jur. Can. L. 5. tit. 7. de hæret.
(e) C. *excommunicamus* 13. §. *moneantur*. h. t. C. *ad abolendam*. 9. §. *ſtatuimus* h. t.
(f) L. *omnes* 9. C. h. t. L. *Manichæus* 5. C. h. t. item authent. Si vero c. eod.
(g) S. *Joan.* epiſt. 2. S. *Paulus* ad *Titum*. c. 3. v. 10
(h) S. *Ambroſius* 3. offic. *vix firma poſſunt eſſe pacis jura, inter quos eſt fidei bellum.*
(i) In Coll. Hiſtor. L. c.

ticis non cessant esse subditi per hoc, quòd sint rebelles, adeóque per se, vel per alios, à legitimo Principe debellari, ac ad obedientiam reduci possunt. Sic legimus à *Gregorio* M. animatum *Exarchum Africæ*, ut *Donatistas* bello compesceret. *Asserti veritas quò ad 5.* alibi (a) declarata est.

℞. II. *Exceptiones adversariorum nullæ sunt.*

Unde falsum est, quòd hæresis fundare nequeat justam belli causam.

Excipiunt I. 'Autonomici quidam Apologetæ': hæresis non fundat justam belli causam: ergo puniri nequit armis. A. P. Vel enim spectatur hæresis ùt peccatum *simpliciter*; vel ùt peccatum turbans pacem Ecclesiæ, vel etiam Reipublicæ. Jam sic: ùt merè peccatum spectat forum merè internum; ùt turbans pacem Ecclesiæ, ab Ecclesiastico tantùm foro pœnâ spirituali, non à Magistratu pœnâ corporali, seu bello puniri potest; ùt turbans pacem Reipublicæ, fundat quidem justam belli causam, sed negatur suppositum, quòd hæretici turbent pacem politicam.

Cùm turbet semper, per se loquendo, pacem Ecclesiasticam, & etiam politicam,

℞. N. A. Ad P. *Negatur 1.* Quòd hæresis, *ùt turbans pacem Ecclesiæ*, siquidem pœnæ spirituales nihil proficiant, etiam sæculari brachio advocato, justè coerceri non valeat. *Negatur 2.* Quòd hæresis, *per se loquendo*, non turbet utramque pacem. Ecclesiasticam quidem *immediatè*, politicam *mediatè & consecutivè*. *Ratio est 1.* Quia, turbata pace Ecclesiæ, quæ consistit in unitate fidei juxta illud (b): *unus Dominus, una fides, unum baptisma*, per se loquendo pax Reipublicæ durare nequit; nam ubi animorum dissensio, sequi solet Regni divisio, & desolatio, constanti omnium sæculorum experientiâ id attestante: quas turbas *Oriente* toto excitârunt *Ariani*? quas in *Græcia Macedoniani?* quas in *Africa Donatistæ*, & *Circumcelliones?* quas in Imperio *Romano-Germanico* Iconomachi, *Albigenses?* quas in *Bohemia Hussitæ*, in *Gallus Hugenotæ?* in *Germania Anabaptistæ, Zwingliani*, aliíque à turbis, bellisque civilibus famosi Novatores? Et quid mirum? Vix ulla unquam familia fuit, in qua Religionis dissensus pacem non perturbârit. Exemplo esse potest discordia inter *Isaac* & *Ismaëlem* in familia *Abrahæ*; inter *Jacob* & *Laban* in *Mesopotania* &c. quomodo ergo in Regno pax firma stabit, contranitente Religionis discordia? Vidit hoc jam olim *Julianus* Apostata, qui, pessumdaturus Religionem Catholicam, Autonomicam libertatem introduxit, *Ammiano* teste (c).

Ubi patet ex ipsa natura hæreseos.

Ratio est 2. ipsa natura hæreseos: Nam ubi hæresis, ibi superbia filia, neptis discordia. Et enim verò, si hæretici in Sacramentorum administratione à nobis dissideant; si templa, & monasteria nostra evertant; si Episcopis, & Clero illudunt; si ritus, & ceremonias contemnant; si sacrificia, jejunia, dies festos &c. execrentur &c. quomodo in rebus politicis pax & concordia facilè poterit perennare? Id propter consuetudinem, genium, & ingenium illorum est. Qui olim conjunctiores, quàm *Judæi*, ac *Israëlitæ*? Et tamen, ubi altare contra altare, templum contra templum erectum est, mox inexpiabilî dissidiô divisos legimus, atque dissociatos.

Bellum non quidem est medium Religionis reparandæ, vel propagandæ ordinarium.

Excipiunt II. Bellum non est legitimum medium Religionis, vel reparandæ, vel propagandæ. A. P. *à Philippo Knipschild* 1. Communi, ùt ait (d), sententiâ Jureconsultorum, Politicorum, & Theologorum. 2. Quia Religio est juris Divini *verbis*, non *verberibus constituenda* Authore *Lactantio* (e); *docendo*, & *ducendo*, *non jubendo*; *monendo*, *non minando*, *teste Lipsio* (f). Unde idem *Lactantius*; *Quis mihi imponat necessitatem vel credendi, quod nolim, vel non credendi, quod velim* (g)? 3. Quia Apostolis mandatum, *ut irent, non ut ferirent; docerent, non nocerent, nedum occiderent*, cùm *fictos* magis, quàm *veros Catholicos* efficiat coactio, *Augustino* teste. *

℞. Ejus-

(a) In Coll. Histor. L. cit.
(b) Ad Ephes. c. 4. v. 5.
(c) Apud Lipsium in L. contra Dialogistam de una Religione.
(d) De Nobilit. L. 3. c. 23. de Jure belli n. 82. & seq. f. m. 187.
(e) L. 5. Divinar. Institut. c. 20. & 21.
(f) 4. Politic. 4.
(g) L. c. c. 14.

* Has ideas hausit *Knipschildius* haud dubiè ex *Augustino Thuano*, qui autonomiæ, qualem prædicant Protestantes, dudum sese Patronum declaravit in præfat. Hist. ubi ait: *ingenuè dicam, bellum non esse legitimum modum tollendæ ex Ecclesia scissuræ.* Subjungit: *Henricum IV. hoc ipso, quòd Protestantibus in suo Regno quietam permiserit sedem, Rempublicam labantem gloriosè fulcisse.* Hinc à *Bernardo Betram*, acatholico scriptore, in discursu 25. vol. 1. *Arumæani* f. m. 239. dicitur *scriptor candidus, sincerus, testis omni exceptione major.* Addit ex eodem *Thuano* L. 16. consilium Parlamenti *Parisiensis*, Regem ab edicto de hæreticis puniendis revocaturi, quo scripserit: *Æquum videri, ut potiùs veteris Ecclesiæ vestigiis insistatur, quæ non ferrò & flammis, in Religione constituenda, ac propaganda, sed puriore doctrinâ, & honestate vitæ, antistitumque exemplis rem confecerit.*

Est tamen extraordinarum legitimus in circumstantiis.

℞. Ejusmodi procardica passim agglomerant Protestantici Authores neutiquam malè, nisi malè admodùm applicarent. Utique (quoties inculcanda hæc res est?) *nemo potest* cogi *directè* coactione interna; *cum Superior non possit conscientiam inferioris mutare, & animo vim inferre* (a), rectè dicente *Lipsio* (b): *Nulla vis, etiam externa, unquam faciet, ut velis, quæ nolis; sentias, quæ non sentis* &c. 2. Nemo ex iis, *qui foris sunt*, seu Infidelibus, in quos nulla jurisdictio, cogi potest *directè, coactione etiam externa*, ùt suprà ostensum est. 3. Rursus: Nemo etiam è subditis, seu hæreticis potest cogi *directè*, præcipuè bellô & armîs, *absque ultima necessitate*, si media molliora, ac *indirecta* sufficiant. 4. Denique: Neque *indirecta* coactio Infidelium, neque *directa*, vel *indirecta* hæreticorum debet esse *indiscreta*, neque potest excedere limites moderationis *Christianæ*: quæ omnia etiam orthodoxi Doctores illis Patrum & Sapientum testimoniis intellecta fatentur, & confirmata volunt. In eo tamen vehementer repugnant, quòd Autonomici Apologetæ ejusmodi apophtegmata trahant ad *vagam*, ac *illimitatam* licentiam credendi quodvis à quovis, jure naturali, humano, Divino, ab omni Imperio liberam, etiam quò ad Hæresiarchas, Hæreticos, Apostatas subditos, lumini, & Ecclesiæ rebelles; quæ doctrina non modò omni juri contraria, sed etiam scandalosa, nec tantùm Ecclesiastico, sed etiam politico statui perniciosa, id, quod in praxi ipsimet etiam Acatholici demonstrant. *Unde in forma.* D. A. Bellum non est legitimum medium Religionis vel reparandæ, vel propagandæ, per se loquendo, *de via ordinaria* C. A. Loquendo *per accidens*, & *de via extraordinaria*, mollioribus mediis omnibus frustratis. N. A. & C.

Ad 1. D. Est communis Jureconsultorum, Politicorum, & Theologorum *Orthodoxorum*. N. *Protestantium*. *Subd.* Omnium. N. Potiorum, veram doctrinam malè applicantium, & oppositum ipsa praxi demonstrantium. C. Assertum nostrum esse Imperatorum, Regúmque legibus conforme, exemplis omni sæculô firmatum, omni juri ac rationi consentaneum, constare potest ex alibi dictis. *

Ad 2. D. Et hæc intelligenda de coactione *directa interna*. C. *Externa*. *Subd.* Si fiat citra necessitatem, ultra moderationem &c. C. Eadem est distinctio ad 3.

Sic bellum non est modus legitimus tollendi schismatis, per se loquendo.

Excipiunt III. Bellum non est legitimus modus tollendi schismatis, seu hæreseos: ergo &c. *A. P. 1.* Ex *Bodino*, Princeps, subditos in suam Religionem pertracturus, vim amovere debet: Nam quò majora quis supplicia irrogabit, eò minùs proficiet: cùm ea sit hominibus insita vis, ac natura, ut ad aliquid assentiendum sponte duci velint, cogi nolint (c).

A. P. 2. Ex *Thuano*, qui in *aurea* suâ (: ùt eam vocat *Conringius* (d) :) epistola nuncupatoria hanc thesin, fusiore suadâ, videtur evincere allatis quibusdam dictis SS. Patrum, & exemplis, prætertim è S. *Augustino* petitis; maxime verò enumeratis Regnorum cladibus, infaustis successionibus, in *Gallia*, *Belgio*, *Germania* &c. ubi zelus armatus, exasperatis dissidentium animis, multa pessumdedit, quæ pax & indulgentia discreta servâsset, meliore utique, & Reipublicæ, & ipsius etiam Ecclesiæ Catholicæ emolumentô.

Est tamen loquendo per accidens.

℞. D. A. Bellum *per se*, & *de via ordinaria*, non est legitimus modus tollendi schismatis. C. A. Bellum *per accidens*, & *de via extraordinaria*, omnibus aliis mediis frustratis. N. A. & C.

Nil proficientibus mollioribus mediis.

Ad 1. D. Princeps vim amovere debet, quamdiu spes in mollioribus mediis. C. His elusis, contemptis &c. sic ut nullo modo possit, vel debeat adhibere putrido vulneri ferrum, ne tota inficiatur Respublica. N. A. & C. Si plus dicit *Bodinus*, loquitur, ùt Autonomista, cujus aphorismi contra veritatem Catholicam nil evincunt.

Neque plus evincentibus dictis quorumdam Patrum, atque exemplis, afferri solitis.

Ad 2. Est eadem distinctio. Plus si diceret *Thuanus*, Lyrâ Protestanticâ luderet, quod de homine catholicô, qualem se profitetur, tam leviter non præsumendum: ergo per textus & exempla SS. Patrum plus non dicit, quàm quod dicunt SS. Patres, hoc est, vim non necessariam, & immoderatiùs usurpatam, Evangelicæ prædicationi esse contrariam; zelum, non secundùm scientiam adhibitum, plus sæpe destruxisse, quàm ædificâsse: ergo plus non dicit, quàm quod infausti hinc inde eventus doceant, mansuetudinem *Christianam* rigori præhabendam, salva tamen Religionis incolumitate, quæ semper aphorismis me-

te

(a) *Bald.* in L. 2. in fin. c. de sent. è breviculo *Menoch*.
(b) De *Constant.* L. 2. c. 14.
* In Coll. Histor. l. cit.
(c) De Republ. L. 4. c. 7. f. 93. & 94.
(d) Tom. 4. f. m. 641. n. 132.

rè politicis præhabenda atque hæc omnia ipsissima sunt asserti nostri theoremata.

D. *Hipponensem* quod spectat, sicut scivit *Thuanus*, eum fuisse initiò alienum à severitate coactiva; ita sciverit, eum posteà mutâsse sententiam, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superatum exemplis, ùt refert *Angelicus* (a): *Legum enim terror* (verba sunt *S. Augustini*) *ita profuit, ut multi dicant gratias Domino, qui vincula nostra disrupit. De reliquo sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere acceptam est necessitatis. Et ideò hæretici sunt compellendi, ut fidem teneant. Dicit enim Augustinus ad Bonifacium Comitem: ubi est, quod isti clamare consueverunt, liberum esse credere, vel non credere, cui vim intulit? Agnoscant in Paulo priùs cogentem, & Christum posteà docentem.* Ita Angelicus. Ex quibus colligere est, quòd, nullo *Thuani* honore, Protestantici Glossatores ejus verba, quasi totidem Autonomiæ *aurea* testimonia, interpretentur. Infausti successus non semper arguunt causæ bellicæ injustitiam, sed sæpe malitiæ in refractariis subditis abundantiam. Illæ *Galliæ*, inferioris ac superioris *Germaniæ*, clades non tam ubique notant catholicorum Principum zelum, immoderatiùs adhibitum, ùt ajunt, quàm Protestantium pervicaciam, in suis erroribus obstinatam, molliora media turpiter eludentem; immò infandis cædibus, rapinis, sacrorum omnium profanatione, ludibriis, horrendis in Deum & Sanctos sacrilegiis, in Reges & Principes legitimos turbulentis ausibus arma inferentem potiùs, ac provocantem. Unde illa, quàm continuò aggerunt, tyrannica violentia reverà nil aliud fuerit, quam vìs illatæ necessaria justáque repulsio, & legitima jurium sacrorum, bonorum &c. contra seditiosa Novatorum molimina defensio, ac propugnatio.

Sed de his alibi plura, ubi similia, non nisi synopticè hic indicata, membratim enucleamus, ac demonstramus (b).

INSTRUCTIO III.

Instructio 3.

De justitia, & injustitia belli ratione Regionis.

De bello ratione Regionis.

§. I.

§ 1.

De justis & injustis belli causis.

Belli causæ.

Quæritur I. *Quænam sint causæ justæ, seu injustæ belli, ratione Regionis?*

℞. I. Justæ belli causæ *in genere* supponunt *gravem injuriam*, quam, sine periculo totius Reipublicæ, vindicare licitum. P. ex D. *Augustino* (c), qui dicit: *justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias*: unde alibi (d): *iniquitas partis adversæ justa bella ingerit.*

Justitia belli in genere fundatur in gravi injuria.

℞. II. Justæ belli causæ *in specie*, etsi multiplices sint, à *Burgersdickio* (e), *Puffendorfio* (f), & aliis rectè ad classem duplicem reducuntur. Ad classem priorem pertinet *defensio sui, suorum, Regionis, Reipublicæ* &c. Ad alteram spectat *vindicatio sui, suorum, Regionis, Reipublicæ*: illa facit *retinere sua*, hæc *sua recuperare*; illa *præsentem*, hæc *præteritam* propellit injuriam. Hinc rectè *Buddeus* ait (g): tunc demum *justè* bellari, si gens *ab alia lædatur*, vel *læsa fuerit*: si lædatur, & statim huic læsioni occurratur, vocatur *defensio*; si læsa fuerit, & restitutio damni non nisi armis obtineri queat, vocatur *illatæ injuriæ reparatio*. Nec malè *Grotius*, cùm dixit (h): quòd, quotuplex sit *injuria*, totuplex sit belli causa: hoc est, quot actionum forensium sint fontes, totidem sint belli: nam, *ubi Judices deficiunt* (ùt inter Gentes *supremas*) *incipit bellum*, utique *non nisi ex necessitate justitiæ, aliter non consequendæ*, incipiendum (i).

In specie causa est defensio, vel vindicatio justa.

℞. III. *In particulari, respectu justæ defensionis*; legitima belli causa est 1. adversùs subditos, vasallos &c. refractarios, rebelles, fœdifragos, fidem, obsequium, & justa tributa denegantes. Sic à *Joramo Israelitico* lacessitus *Mesa*, Rex *Moab*, ob negatum decies mille ovium tributum (k); sic rebellis *Absolon*, & *Seba* à *Davide* subactus (l).

In particulari, respectu defensionis, est subditorum rebellio.

2. Ad-

(a) 2. 2. Q. 10. art. 8. in Resp. ad 1. & 3.
(b) In Coll. Hist. l. c. & præcipuè P. IV. Q. 7. De altero Imperii morbo, seu de Autonomia, Item Q. 12. & seqq. de Protestanticis turbis ac bellis civilibus.
(c) Refertur cap. *Dominus*, caus. 23. Q. 2.
(d) L. 4. de civit. Dei c. 15.
(e) In idea doctr. Polit. c. 16. f. m. 148.
(f) De Jure N & G. L. 8. c. 1. §. 1. n. 1.
(g) Phil. pract. P. 3. c. 5. §. 4.
(h) De bello & pace L. 2. c. 1. §. 2. n. 1.
(i) Can. *Noli*, caus. 23. Q. 1.
(k) 4. Reg. 3.
(l) 2. Reg. 20.

Rebellium protectio.

2. Adversùs protectores rebellium, facinorosorum, ne justè puniri queant. Sic tribum *Benjamin* propè deletam scimus ob patrocinium *Gabaitarum* (a).

Hostilis irruptio.

3. Contra hostem, in ditiones nostras irruentem: nam, spectata defensione contra iniquos aggressores, *vis* & *jus* iisdem litteris exaratur. * Sic *David* juste repulit *Moabitas*, *Philistæos* &c. (b).

Æquitatis naturalis violatio.

4. Contra hostem, æqua & jure Gentium permissa *malè* prohibentem. Sic *Israelitæ* Regem *Sebon*, injuste & *hostiliter* transitum denegantem, debellârunt (c).

Facta hostibus opitulatio.

5. Contra eos, qui hostem, injusto bello impiicitum, suppetiis, & auxiliis roborant. Sic *David* Regis *Sobæ* auxiliates, probante Deo, subegit (d).

Confœderatorum injusta invasio.

6. Contra invasores, & hostes fœderatorum, sociorum, siquidem socios sine justa causa lacessant. Sic *Abraham* succurrit *Amorrhæo*, quocum fœdus pepigerat. Sic à *Romanis* Imperium potissima ex causa amplificatum, ejusque exemplum habemus in *Hircano Machabæo*, contra molimina *Aristobuli* in thronum à *Romanis* restituto.

Respectu vindicationis, recuperatio dominii.

Respectu justæ vindicationis legitima belli causa est 1. Recuperatio dominii, jurium, bonorum, Regionum &c. quæ injustè erepta seu detenta. Sic *David* pugnavit contra *Isbosethum*, *Saule* mortuo, Regnum usurpantem (e).

Reparatio famæ.

2. *Reparatio famæ*, ratione irrogatæ injuriæ publicæ. Sic *Moyses* vindicare jussus est à *Deo* injuriam, à *Madianitis* illatam. Sic (f) *David* ultus est ab *Hannone*, *Ammonitarum* Rege, irrogatam legatis suis contumeliam (g).

Amicorum liberatio.

3. *Vindicatio* amicorum innocentum ab hostili captivitate, injuria &c. Sic *Abraham* liberavit *Loth* à Regibus quatuor, *Sodomam* infestantibus (h).

Ultio ob denegatam justitiam.

4. *Ultio ob denegatam justitiam*, cùm Princeps personæ offendentis, facta prævia monitione, justitiam, & satisfactionem injustè denegat, dicente S. *Augustino*, justum esse bellum, quo ulciscimur injurias, si qua Gens, vel Civitas, quæ bellô petenda est, vindicare neglexit, quod à suis improbè factum est (i). Exemplo sunt suprà nominati *Benjamitæ*.

Dei jussio.

5. Addit S. *Augustinus* (k): *Etiam hoc genus belli sine dubitatione licitum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & novit, quid cuique fieri debeat:* & ex hoc capite *Israelitarum* bella in subjuganda *Chananitide* justificantur.

Jus suppeditante naturâ, & Gentium consensu.

Horum omnium ratio est, quòd Princeps in se, vel suis injustè læsus, *jure naturali* & *Gentium*, consequitur potestatem, se suáque defendendi, injuriámque reparandi, vel vindicandi, cùm alium Judicem, vel vindicem non habeat. Circa quam tamen, seu causarum, seu bellorum, justitiam non incongruè forsan ex *Molina* monent *Laymanni* (l): *Catholicis* Principibus quàm maximè animadvertendum esse, *utrùm occasione belli, quod secundùm se justum est, Ecclesiæ, & fidei Catholicæ incrementum, an verò detrimentum, passura sit: si enim*, inquiunt, *spes amplificandæ Ecclesiæ affulgeat, aggredi debet bellum justum, etsi alioquin intermitteret; sin autem periculum sit scandali, seu spiritualis ruinæ multorum, intermittere debet bellum, quod alioquin jure instituere posset.*

Injustitia belli in genere fundatur in levi tantùm injuria.

§. IV. *Injustitia causarum*, respectu belli, desumi potest *in genere* ex causis justis: *rectum enim obliqui est index*, ùt habet *Grotius* (m). Unde sicut justa causa *in genere* supponit gravem injuriam, quam sine periculo totius Reipublicæ vindicare licitum, ita è converso injusta bellandi causa est, *ubi* nul-

(a) Judic. 20.

* Multis disputat *Hugo Grotius*, an *jus præscriptionis*, quod inter Populos, superiorem, adeóquè & alium Legislatorem humanum non agnoscentes, possit esse belli legitimus titulus, ùt colligi videtur ex *Judic.* 11. ubi *Jephte* hoc jus prætendit contra Regem *Ammon*, dicens: *quarè tanto tempore nihil super hac repetitione tentâsti?* Sed *Jephte* non solum titulum *præscriptionis*, sed & *justæ acquisitionis* allegavit, nec allegavit titulum præscriptionis *merè legalis*, sed *jure Gentium receptæ*, quo sensu omnes stringit, ac obligat.

(b) In LL. Regum passim.
(c) Num. 21.
(d) C. 2. Reg. 8.
(e) 2. Reg. 2.
(f) Num. 25. v. 17.
(g) 2. Reg. 10.
(h) Genes. 14.
(i) In Can. *Dominus* 23. Q. 2.
(k) Ibid.
(l) L. 2. tract. 3. c. 12. n. 5.
(m) L. 2. c. 22. §. 4.

nulla, vel levis tantùm occurrit injuria, quæ sine pernicie totius civitatis reparari nequit.

In specie causa injusta est jus armorum.

℞. V. Injustæ belli causæ *in specie*, etsi & ipsæ multiplices sint, pariter tamen revocari possunt ad geminum titulum; primum suppeditat error Gentilium, dicitúrque *jus in armis*: alterum *Machiavelli* Schola pseudopolitica, vocatúrque *ratio statûs*, soli innixa utilitati.

Et ratio status.

Rectè S. *Augustinus* jus non *vi*, sed *ratione* constare affirmat, neque bellum causâ utiliratis, sed solius necessitatis, pacísque recuperandæ ergò, exercendum, asseverat. Hinc *Christianis* damnata regula, quam Tragœdus in *Hercule* ethnico: *jus omne in gladio.* Nec minùs reprobata est illa famosi cujusdam Ministrj gnome politica (a): *Si utilitatis ratio Principi pacem domi firmandam exigit, nihilominùs bellum apud Principes vicinos sustinebit, ut tutandis rebus occupati, Galliam missam faciant.*

In particulari, respectu juris armati, est dominandi libido, ambitio &c.

℞. VI. *In particulari, respectu juris armati, quod olim Galli Romanis opposuêre*, teste *Livio* (b), injusta belli causa est 1. *Sola dominandi libido, ambitio parandi nominis, proferendíque Imperii cupiditas.* Hoc titulo, in Gentilium fastis, famosi *Nemrodi*; *Nini* in *Assyria*: *Cyri* in *Asia*; *Lacedæmonii, Athenienses* in *Græcia*; *Alexandri Macedones* in *Persia*; maximè verò *Romani* in *Italia*, omnique *Europa*, qui licita sibi bella persuadebant ex ejusmodi titulis, & *solo jure armorum* Gentes, Regiones, atque Provincias sibi subjecerant. Sic *Græca* Natio distinguebat *duplex hominum genus*: *Servorum, qui nati ad parendum; Dominorum, qui nati ad imperandum*: & quia innato fastu, sese solos sapientes, & Dominos natos crediderant, cæteros tanquam barbaros, & ineptos, ut convenienter se regerent, *jure Naturæ* subigendos esse, censebant, ut adeò magnum quid se præstitisse arbitrati sint, quòd *Lydios, Sarmatas, Scythas, Indósque* in potestatem redegerint, & se, ut sapientes, stultorum Dominos constituerint.

Vindictæ cupiditas.

2. *Impotens ira*, atque *vindictæ cupiditas*; ejusmodi exempla exhibent *Cambyses, Xerxes* &c. in Historia antiqua.

Libertatis amor.

3. *Libertatis inconsultus amor*, in subordinatis Principibus, vasallis, subditis &c. Exempla ubique obvia in fastis historicis.

Denegatio matrimonii.

4. *Denegatio matrimonii*, propter quam *Darius Persarum* Rex, *Scytharum* Regi, quòd filiam suam eidem nuptui tradere nollet, bellum intulit, *Scythiam* cum septingentis hominum millibus ingressus, ut narrat *Justinus* (c).

Jus imperfectum.

5. *Jus imperfectum*, quod non fundat obligationem *justitiæ, saltem rigorosæ*, sed *minùs strictæ, in æquitate naturali fundatæ.* Siquidem, ùt rectè notant Authores, ubi jus rigorosum, fundans obligationem justitiæ, *propriè talis*, non subest, locum habere nequit *injuria* stricta, & propria, quæ unica, vel saltem principalis bellandi causa est. Ita nec privatus contra privatum in judicio potest actionem proponere, qui non ex jure stricto, sed *imperfecto* tantùm, quidpiam in alterius utilitatem aut facere, aut omittere tenetur juxta dicta titulo V. Unde bellum *Romanorum*, motum in Regem *Cypri*, tanquam ingratum, rectè inter injusta rejicit *Grotius*.

Respectu rationis status.

Quod spectat *rationem statûs*, utilitate sola fundatam, vi cujus, quæcunque commodum afferunt, licere putant Pseudopolitici, statuentes cum multis Regibus apud *Plutarchum* (d), duo nomina *pacis*, & *belli*, tanquam *nummos*, quibus non utuntur ad id, quod justum est, sed quod expedit, rationem statûs, inquam, quod spectat, illegitima causa est

Est metus vicinæ potentiæ.

Metus vicinæ potentiæ, nimiùm accrescentis, nisi certò constet, Principem, cautione de non offendendo insuperhabitâ, à vicino potentiore invadendum. Ita Theologi, & Juristæ communiter omnes, ipso *Grotio* in terminis adstipulante (e), *ut enim*, inquit, *justa sit defensio, necessariam esse oportet, qualis non est, nisi constet non tantùm de potentia, sed & de animo lædendi, & quidem ita constet, ut certum id sit, ea certitudine, quæ in materia morali locum habet.*

Ratio est 1. Quia quivis, quò ad justè parta, est in legitima possessione adversùs quemcunque: sic neque privatus privatum ob accrescentem fortunam justè aggredi potest. 2 Quia adversùs incertos metus, à Divina providentia, & à cautione innoxia, non à vi præsidium petendum est; etsi, bello aliunde justo, & hæc causa non imprudenter in consultationem venire possit, Authore *Grotio* (f). Immò, etsi fœderum usu de ferendis in omnem eventum auxiliis, quis licitè se præmunire, timendóque periculo

(a) Adducitur à *Pelzhofero* in arcanis Statûs L. 9. c. 3. n. 20. f. m. 41.
(b) Dec. 1. L. 5. c. 20.
(c) L. 2. c. 5.
(d) Referente Grotio L. 2. c. 22. §. 4. n. 5.
(e) L. c. §. 5.
(f) L. 2. c. 1. §. 17.

riculo præcavere possit, ùt vult *Boehmerus* (a), *Knichen* (b) & alii. *

Æquilibrium Europæ.

2. *Æquilibrium potentiæ inter vicinos*, vel ùt vocant, *Europæ*, associando arma illi parti, cujus fortuna periclitari videtur, ut bilanx potentiæ servetur ac conservetur.

Ratio est, quia fundamentum hujus æquilibrii consistit in prædicto metu, ne si quis Monarcha, vel Populus ad amplioris potentiæ sublimetur fastigium, minores Principes, aut Respublicæ pedetentim redigantur in ordinem, aut supprimantur: atqui hoc fundamentum est insufficiens, uti dictum.

Titulus in jure Gentium, vel Naturæ minùs fundatus.

3. *Titulus acquirendi dominium in Jure Naturæ, vel Gentium non fundatus*: talis est *fertilioris soli cupiditas*, quali *Xerxes*, cùm ficus *atticas* gustâsset, juravit, se terram illam occupaturum. Sic *Longobardos Italiæ*, amœnitate ac fertilitate sua, ad arma commovit. Idem scribit *Tacitus* de veteribus *Germanis* (c): *Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias libido, ac avaritia, mutandæque sedis amor, ut relictis paludibus, & solitudinibus suis, fœcundissimum hoc solum possiderent.* Eadem est ratio, si quis, *titulo inventionis*, sibi subjugare cuperet Provinciam, noviter quidem detectam, sed jam anteà ab incolis possessam: siquidem inventio non est modus acquirendi, nisi ea, quæ sunt nullius, ùt rectè notat *Molina* (d).

Titulus solummodò coloratus.

4. *Titulus coloratus quicunque*: rectè Illustrissimus *Pelzhoferus* (e): *Bella colorata prætextibus semper injusta sunt, quia supprimunt veras causas, quas injustas novêre: fucum præfigunt, quem plerumque vel tempus detegit, vel belli exitus ostendit.* Ejusmodi titulos, ab ipsa Religione mutuatos, bellis Protestanticis præfixos, suprà, & alibi probavimus. Tum concludit idem Author: *tam verum est, justitiam in bellis suscipiendis requiri, ut ii etiam, qui bellum ambitiosè aut avarè aliis inferunt, ac proinde injustum, idem prætextum tamen quærant honorificum, qui re ipsa longè abest.*

Bellum potest esse utrinque justum, saltem formaliter.

Ꝟ. VII. Ex hactenus dictis colligi, quòd *bellum, ex utraque parte, non possit esse justum materialiter*, seu consideratum *quò ad rem ipsam*, de qua bellatur; possit tamen, ex utraque parte, esse *justum formaliter*, seu spectatum *quò ad opinionem, & animum bellantis*. *Ratio prioris* est; quia res eadem spectare nequit *æqualiter* ad utrumque, nisi admittatur dominium duorum in solidum. *Ratio* posterioris petitur *ex ignorantia invincibili*, eò quòd hostium uterque possit esse in bona fide, opinarique, justam sibi competere belli causam: atqui actio *formaliter*, seu quò ad operantem *justa*, dependet ex ejus fide, conscientia, ac dictamine rationis. Tale bellum *Abulensis* censet illud fuisse *Israelitarum*, atque *Chananæorum*, eò quòd *Judæis* fuerit tam *materialiter*, quàm *formaliter* justum, ob specialem Numinis voluntatem, ipsis manifestatam: *Chananæorum* justum *formaliter ob invincibilem ignorantiam* hujus Divinæ jussionis, nisi eandem ex prodigiis, suisque peccatis sat forsan vincere potuissent.

§. II. *Oppositiones.*

§. 2. Oppositiones.

Quæritur II. *Quænam suprà dictis opponi possint, vel soleant?*

Injuria tantùm prævisa non fundat bellum justum.

Opponitur I. *Contra justas belli causas.* Justum est bellum ob injuriam necdum factam, prudenter tamen prævisam: ergo justitia causæ non supponit semper *injuriam* illatam, sed & inferendam.

Nisi consequenter ad cautionem injustè denegatam.

R. D. A. In hoc casu justum est bellum *antecedenter* ad petitam cautionem de non offendendo. N. A. *Consequenter* ad *injustè* denegatam ejusmodi cautionem. C. A. & N. suppositum, quòd, hac ipsa denegata justitiâ, non sit actu illata injuria.

Neque hostilis animus prævisus.

Dices. Hostilis animus, etsi solùm prævisus, v. g. in apparatu, aliisque indiciis &c. est justa bellandi causa. A. P. Nemo tenetur primum exspectare ictum, etiam in privata defensione, probante legum Authoritate (f), *melius esse occurrere in tempore, quàm post vulneratam causam remedium quærere*; testante item proverbiô, *me-*

liùs

(a) Introd. ad J. P. univers. part. spec. L. 2. c. 1. §. 9.
(b) Opor. Polit. L. 2. c. 4. sect. 6. th. 9. Q. 1.
* Quid sentiendum sit de illis verbis *Ant. Perezii*? J. P. f. m. 219. *Non est ferendum, quod Galli traduut, jure Gentium arma rectè sumi ad minuendam domûs Austriacæ potentiam, quòd sensim vicina corripiat, & nimiùm aucta nocere possit.* Hoc axioma docuisse *Hippolytum à lapide*, certum est, sed male: nam si aucta est domus *Austriaca*, legitimis fœderibus, & successionibus aucta esse supponitur.
(c) L. 4. Hist. c. 73.
(d) Tom. 1. Tr. 2. Disp. 105. n. ult.
(e) In A. 5. L. 9. c. 4. f. m. 24.
(f) L. 1. c. *quando liceat unicuique &c.* L. ult. in fine Cod. *in quibus causis restitutio in integrum necessaria non est.*

liùs esse prævenire, & accinente *Terentio*: *Dimidium amisit, qui primum exspectat ad ictum*: ergo à pari.

Nisi adsit certitudo moralis, & denegatio cautionis.

℞. D. A. Hostilis animus, *moraliter certò* prævisus, & denegatâ securitatis debitæ cautione *juste* præsumptus, est justa bellandi causa. C. A. Hostilis animus, solummodò præsumptus ex incertis indiciis, vel formidatus ex crescente potentia, N. A. & C. Ex quibus colligitur, neque justam fore bellandi causam, si vicinus in suis finibus arcem, aut munitionem exstrueret, nullis legibus vel pactis impeditus, etsi damnum aliquando præbere posset, utpote oppositis aliis mediis faciliùs præcavendum.

Injuriæ vindicatio est justa in parem;

Opponitur II. Nequit esse causa belli legitima *ultio sumenda de illata injuria*: ergo malè adductum exemplum *Davidis*. A. P. Ultio dicit pœnam, quæ requirit potestatem Superioris: atqui *inter æquales, bellum gerentes*, non datur potestas Superioris: ergo nec dari potest ultio, seu bellum pœnale.

Quia injuriantem facit inferiorem ratione delicti.

℞. N. A. *Ad P.* C. M. D. *Min.* Inter æquales non datur Superior, spectatâ vindicatione delicti, ratione cujus alter effectus est alteri subditus. N. In alia consideratione. C. *Min.* & N. C. Distinctio fundatur in doctrina *Suarezii* dicentis: *Sicut intra eandem Rempublicam, ut pax servetur, necessaria est legitima potestas ad puniendum delictum; ita in orbe, ut diversæ Respublicæ pacatè vivant, necessaria est potestas puniendi injurias publicas contra aliam: hæc autem potestas non est in aliquo Superiore, quia nullum habent, ut ponimus: ergo necess. est, ut sit in supremo Principe Reipublicæ læsæ, cui alius subdatur ratione delicti: unde hujusmodi bellum introductum est locò justi judicii vindicativi.*

Defensio propria contra vindicem justum ob periculum excessus in sumenda vindicta:

Opponitur III. Inter justas belli causas est etiam *defensio propria, à parte lædente suscepta contra vindicem, etsi justum*: ergo belli justitia non semper fundatur in injuria accepta. A. P. *Justam* causam præbet periculum, ne plus sumatur vindictæ, quàm fuerit acceptum injuriæ.

Tunc solummodò censetur justa, cùm periculum certum, & satisfactio injustè est recusata.

℞. N. A. Ad P. D. Periculum certum, & post oblatam satisfactionem condignam, & recusatam. C. Periculum solummodò incertum. N. Prætextus periculi jus nullum tribuit, ut neque metus reo, vel debitori, ne plus æquo puniatur, ad resistendum Magistratui. Sic *Ezechias*, ob ruptum fœdus, Regi *Syriæ* obtulit mulctam; hac acceptatâ, nihilominùs lacessitus vim vi repulit, Deo justæ causæ assistente (a). Sic *Pontius, Samnitum* Dux, postquam Legati, ad faciendam deditionem missi, infectâ pace rediêre, dixit, *Livio* teste (b): *Expiatum est, quidquid ex fœdere rupto irarum in nos Cœlestium fuit &c. Quid ultra ad placandos Deos, mitigandósque homines fieri potuit, quàm quod nos fecimus? adeóque justum est bellum, Samnites, quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.*

In casu, quo quis utrique bellanti esset fœderatus.

Opponitur IV. Ponatur casus, quo quis gemino Principi, mutuis bellis implicito, est fœderatus. Jam sic: Talis vi fœderis neutri *licite* posset succurrere: ergo fœdus non semper est *justa* belli causa. A. P. Utrique pari jure obstrictus, alterutrius defensione fieret alterutrius fœdifragus, neutri jus assistentiæ potiùs competente: ergo &c.

Præponderat justitia causæ, prioritas temporis, & specialitas pacti.

℞. N. A. Nam posset 1. succurrere justam foventi causam, cùm malæ causæ turpitudo, alterius pactô exclusa, videatur. 2. Posset succurrere fœderato tempore priori, in bello utrinque *formaliter justo*; nam prior tempore potior jure, ex communi regula juris. 3. Juxta *Grotium* (c) posset præferre pacta specialiora simplicibus, quia species derogat generi: juxta *Haizmannum* (d), etiam casu, quo specialiora pacta essent simplicibus posteriora, eò quòd priora non tam videantur illicita reddere posteriora, quàm posteriora, *per suam specialitatem*, interpretari priora, ac limitare.

Abrami bellum fundatum fuit

Opponitur V. Ad bellum sociale requiritur jus, quod haberi nequit, nisi ab illata sibi injuria, aut saltem à voluntate Socii, auxilia petentis: neutrum reperire est in *Abrami* bello, pro vindicatione *Lothi* susceptô: ergo non fuit in jure fundatum. *Min.* patet. *Maj.* Videtur colligi ex dictis; nam injuria, alteri facta, non tribuit cuivis jus ultionis, nec facit lædentem subditum, præterquam læso, nisi dicere velis, quemvis habere jus vindicandi injurias totius orbis.

In injuria mediata, implicite auxilia petentis, vel probabilius in fœdere cum Amorrhæo.

℞. D. *Maj.* Nisi ab illata sibi *immediatè*, vel *mediatè* injuria, aut saltem à voluntate socii *explicita*, vel *implicita*. C. *Maj.* Nisi ab illata sibi *immediatè* injuria, vel à voluntate semper ex-

(a) 4. Reg. 18 & 19.
(b) Dec. 1. L. 9. c. 1.
(c) L. 2. c. 25. n 4.
(d) In conflictu Jurid. *de Jure belli & pacis*, c 4. n. 16 f. m. 30.

explicita. N. *Maj.* Amicus afficitur injuriâ, quia *fictione juris*, & *Charitatis* transit in personam amati, & injuria eundem afficeret, si non succurreret injustè læso. Unde *Pythagoras* in amicitia volebat effici, *ut unus fiat ex pluribus* (a); *nec est amicus, qui amico non subvenit*, *Augustino* teste (b). Alterum membrum quod spectat, voluntas *Lothi* certè fuit implicita, probabiliùs explicita in præcedente pacto: immò *explicita* saltem respectu *Amorrhæi* fœderati, cui *directè*, *Lotho indirectè Abram* tulit auxilium. Neque sequitur, quòd quivis, vel saltem supremi Reges habeant jus vindicandi quasvis injurias, quia hoc confunderet ordinem, & jurisdictionum distinctionem, ùt rectè notat *Suarezius* (c).

Unde injuria mediata fundatur

Dices 1. Nec injuria *mediata*, nec voluntas *tantùm implicita* sufficit: ergo &c. A. P. Jus tertii non concernit alium, fœdere non conjunctum: ergo nullo jure alterius tricis potest se intromittere.

Saltem in fœdere amicitiæ, & charitatis;

℞. D. A. Non concernit *immediatè* alium, *nullo* fœdere conjunctum. C. Non concernit *mediate* alium, saltem amicitiæ fœdere conjunctum. N. A. & C. Etiam in causa privati, qui injustè læsus, defensio licita est per leges (d): ergo à fortiori in causa publica, ubi plurium innocentûm versatur periculum. Hanc conjunctionem ipsa natura inter mortales constituit: nam, *Seneca* reste (e). *homo in adjutorium mutuum generatus est, docétque*, juxta *Democritum*, *injuriâ oppressos pro viribus defendere.* Hinc rectè laudantur *Pipini*, *Caroli M.* qui ubi viderunt *Italiam*, summósque Pontifices injustè pressos, ac spoliatos, ingenti exercitu erexerunt innocentiam penè oppressam, cæsísque hostibus pacem restituerunt, ùt habet *Schiara* (f).

Quod non utrinque æqualiter ligat.

Dices 2. Amicitiæ fœdus, vel charitatis *Christianæ* titulus non est causa sufficiens: ergo nec justa. A. P. Hoc fœdus, & titulus *æqualiter* utrinque ligat: ergo dum concedit, ut assistam v. g. *Sempronio*, non indulget, ut *Titium* offendam. C. patet; nam cognatio, quam natura inter homines constituit, haud patitur, ut cum tertii detrimento alteri succurram.

Altero charitatis fœdus male rumpente,

℞. N. A. Ad P. D. A. *Æqualiter* ligat, quamdiu manet utrobique amicitia, C. si rupta sit *injusta* amici offensione, & charitatis læsione. N. Hæc ipsa est ratio, cur magis obliget innocenti amico, quàm nocenti succurrere, ùt patet in defensione privata, de qua suprà.

Neque universaliter obligat,

Dices 3. Ex dictis videtur sequi, ejusmodi bellum non modò licitum, sed & esse obligatorium, *saltem ex lege charitatis*: atqui hoc nimium. *Maj.* est conformis Scripturæ de amore proximi, sicut sui ipsius (g); est conformis SS. Canonibus, quibûs dicitur, quòd, *qui non repellit injuriam à socio, tam sit in vitio, quàm ille, qui facit* (h); ipso Deo detectum virium supplente, opémque spondente (i).

Quia restringitur charitate ordinata, primariò tendente in se ipsam.

℞. D. *Maj.* Videtur sequi esse obligatorium, sedulô periculô propriô, & salva charitate ordinata, quæ primariò tendit in se ipsam. C. Cum periculo proprio. N. Plus nec præcipit Scriptura, nec petunt Canones; unde ajunt, *qui potest ita obviare, & perturbare perversos, & non facit, nihil est aliud, quàm favere impietati eorum* (k). Illud Sapientis denotat eminentiam charitatis, cujus minor intensio vitium tamen non continet, adeóque dicit consilium, non præceptum.

Etsi negatus transitus regulariter non præbeat justam causam,

Opponitur VI. Negatus transitus vel est justa bellandi causa, vel non? neutrum potest dici.

℞. *Negatum transitum militarem,* * *etsi amicum, regulariter loquendo, non esse justam bellandi causam.*

Præbuit tamen contra Amorrhæos,

Dices 1. Ergo æquitati denegatæ suprà malè annumeratus est transitus,

(a) Apud *Tullium* L. 1. offic.
(b) Tr. 4. de Amic. c. 26.
(c) De charit. Disp. 13. sect. 4.
(d) L. *Isti quidem* 8. §. fin. ff. quod metûs caus. L. 1. §. *item divus* 4. ff. ad L. *Cornel.* de Sicar. L. *si quis in senectute* 7. ff. de furtis L. 2. & seq. ff. de liberali causa.
(e) De ira L. 1. c. 7.
(f) L. 1. Difficul. 27. n. 7.
(g) Levit. 19. *Matth* 22. *Marci* 12. *Luc.* 10. *Joan.* 3. *Prov.* 24. v. 11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.*
(h) C. *non inferenda*, caus. 23. Q. 3. accedente suffragio *Senecæ*: *Si justus es, non solùm non nocebis, sed etiam nocentes probibebis: nam nihil nocere, non est justitia, sed alieni tantùm abstinentia.*
(i) Prov. l. c. *Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddétque homini juxta opera sua.*
(k) Can. 8. Caus. 23. Q. 3. Accedit idem *Seneca*: *Succurram perituro, sed ut ipse non peream.*
* Nam alia ratio est de transitu advenarum, hospitum, mercatorum, peregrinantium, sedes item vacuas quærentium, ex justis causis, absente omni periculo, *ordinariè* loquendo, uti de imperfectis officiis P. I. Tit. V. instruct. 1. §. 1. diximus.

tus, ab *Amorrhæis* Regulis *Israëlitico* Populo denegatus. ℞. N. Illatum.

Quia bellisiter fuit Moysi negatus.

Dices 2. Iste transitus denegatus justô bellô fuit vindicatus à *Moyse*: ergo fuit legitima belli causa.

℞. D. A. Ille transitus *quomodocunque* negatus, *juste* bellô est vindicatus. N. A. Negatus *injustè*, quia *hostiliter*. C. A. & N. C. Negatus ille transitus, ùt aliqui volunt, vel fuit tantùm *occasio belli*, aliàs justi, utpote contra Reges, à Deo in dispersionem jam traditos, & detentores iniquos terræ, à supremo dominio jam priùs *Israëlitice* Populo consignatæ (a), vel quod verius, fuit transitus, *hostiliter* negatus, dicente Scriptura (b): *Egressus est obvius* (Rex *Edom*) *cum infinita multitudine, & manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum.* Item (c): *Qui* (Rex *Sehon*) *concedere noluit, ut transiret Israël per fines suos; quin potiùs exercitu congregato egressus est obviàm in desertum, & pugnavit contra eum &c.*

Unde innoxius transitus non contra jus Gentium negatur,

Dices 3. Amicus transitus, *quomodocunque negatus*, hoc ipso est *injustè* negatus: ergo nulla responsio. A. P. Est contra jus Naturæ, saltem imperfectum; immò & contra jus Gentium, quo distincta dominia, utique non *cum injuria* humanæ societatis, sed *ex æquitate*, adeóque cum reservatione communis utilitatis in concedendo *cuivis innoxio transitu*, qui S. *Augustino* interprete (d), *jure humanæ societatis æquissimo patere debet*, dictante natura, *quod uni non nocet, & alteri prodest*, haud esse denegandum.

Si sit militaris, & suppetat gravis causa, ut ordinariè suppetit.

℞. D. A. Amicus transitus *non militaris, quomodocunque negatus*, hoc ipso est *injustè* negatus, Tr. A. Transitus *militaris. Subd.* Nisi suppetat sat gravis causa illum denegandi. C. Si suppetat, uti *ordinarie* suppetit. N. A. & C. Ad P. D. Est contra jus naturæ imperfectum, vel etiam jus Gentium denegatio innoxii transitûs non militaris, Tr. Militaris. *Subd.* Nisi *regulariter loquendo* cesset ratio illa communis utilitatis. C. Si cesset. N. Ad jus naturæ, vel Gentium vix potest reduci id, quod Rebuspublicis nimis onerosum; quia *per se* loquendo, nimis periculosum. D. *Augustinum* quod spectat, loquitur ille de transitu, *Israëlitis* & *quò ad modum*, & *quò ad rem ipsam* malè negato, utpote quem potiùs *ùt peregrini* petebant ad occupandas sedes, trans *Jordanem* Dei donatione propriè suas, *Amorrhæis* futuri pacifici, nisi *aqua negantes*, eorum arma *per accidens* provocâssent.

Periculi quidem metus qualiscunque non obstat.

Dices 4. Si quid huic Societatis humanæ juri *de permittendo amico transitu, etiam militari*, obstaret, esset *periculi metus*: hic nihil obstat; nam ùt diximus suprà, metus non sufficit, neque unius metu jus alterius legitimè tollitur.

Obstat tamen justus,

℞. I. Cum *Gronovio* (e), quid si *Turca* peteret innoxium transitum à Cæsare per *Hungariam*, aliásque ejus terras ad oppugnandos etiam justè *Moscovitas*: an quisquam facilè diceret, petere illos jus, quod non tollatur Cæsaris metu; petere, quod juris naturæ, quódve nullo, etiam Religionis prætextu, negari possit?

Et regulariter satis fundatus,

℞. 2. D. *Maj.* Obstaret periculi metus, qualiscunque incertus. N. *Maj.* Metus, *regulariter loquendo*, satis fundatus, adeóque justus. C. *Maj.* Constat experientiâ, quot periculis ejusmodi transitus, etsi amici, *ordinariè* sint circumcincti. Quoties accidit id, quod legibus *Judicum* 18. *Videmus terram opulentam & uberem, nolite negligere, nolite cessare: eamus, & possideamus eam; nullus erit labor* &c. Quoties, renovatâ erinacei fabulâ, vel in subsidium vocati, vel amico sub titulo in fines admissi hospites armati, hospitio sensim expulere domesticos? Quoties territorium, quod transit miles amicus, commutatur in scenam belli, hoste, contra quem transitus indulgetur, vel eundem efflagitante; vel ne alteri concedatur, insistente; vel transeuntem hostem exspectante, aut invadente? Plura alia pericula silentio præterimus.

Unde si ponatur exclusio omnis periculi,

Dices 5. Hæc tantùm probant *noxium*, non verò *innoxium* transitum *justè* negandum: ergo denegatus innoxius manet justa belli causa. A P. Ponatur casus, quo petatur transitus *militaris* 1. *Amicus* in bello justo. 2. *Innoxius* cautione data de idemnitate non ducendo secum hostes, dando obsides, transmittendo copias divisas, immò inermes, procurando præsidia ratione periculi, providendo de subsidiis ratione damni. 3. *Securus*, nullo obstante fœdere, pacto neutralitatis ex parte concedentis, absente peri-

(a) Deuter. 2. v. 24. *Josue* 3. v. 10.
(b) Num. 20. v. 16.
(c) Num. 21. v. 23.
(d) Relatus in C. *Notandum* 23. Q. 8.
(e) In notis ad *Grotium* L. 2. c. 2. Q. 13.

periculo, ne bello implicetur Respublica. Jam sic: innoxius ejusmodi transitus negatus, esset *injustè* negatus: ergo esset legitima belli causa.

Ponitur transitus, speculativè potiùs, quàm practicè innoxius.

℟. D. A. Innoxius ejusmodi transitus, *reverà talis*, esset *injustè* negatus. Tr. Tantùm *speculativè talis*, vel solummodò *prætensus*. N. A. & D. C. Ergo foret legitima belli causa *per accidens*; & vel *speculativè* loquendo. *Tr.* *Ordinariè* loquendo, & *practicè*. N. C. Positæ cautelæ moraliter sunt impossibiles. Exemplo sit prima cautela, quæ supponit, peti transitum ab habentibus *bellum justum*: neque enim ista dijudicatio semper sat expedita, & temerarium foret, ultrò se duobus armatis velut arbitrum interponere, litémque veluti suam facere: unde transitu alterutri concesso, concedens vel ipse subjugari; vel quia alterius hostem se facit, bello implicari; vel ab utroque molestari; vel saltem commercio, antehac cum hoste florenti privari posset. 2. Cautio de transitu *inermi* est speculativa, quia probrosa militibus, quasi *manibus abscissis*, ùt de *Numantinis* in simili casu loquitur *Florus* (a). 3. Cautio de concedendis præsidiis sumptuosa nimiùm. 4. De præcavendis damnis practicè vix possibilis ob defectum disciplinæ, officialium neglectum, dum etiamnum hodie accidit *ordinariè*, quòd de sua ætate refert *Plinius* (b): *Quàm dissimilis nuper alterius Principis transitus, si tamen transitus ille, non populatio fuit, cùm abactus hospitum exerceret, omniáque dextra lævâque perusta, & attrita relinqueret, ac si eâdem viâ vel illi ipsi barbari, quos fugiebat, incederent.* Unde *Gronovius*: *Cautione utantur illi, qui aliter non possunt: at cui ad negandum vires sunt, memorem velim, nullo jure quemquam cogi, qui liber sit* (nisi forsan prorsus extraordinario casu, quo nullus suppeteret justus metus sive ab exercitu transeunte, sive ab illo, ad quem fit transitus) *ut invitus Dominum accipiat, aut, ubi Dominus, parem: qui enim armatum intra fines recipit, eum vel Dominum accipit, vel parem.* Ita ille. Insuper *transmisimus*, quòd talis transitus foret *injustè* negatus, quia in nostris principiis potiùs foret *iniquè* negatus, nec pareret, per se loquendo, formalem injuriam, sufficientem ad inferenda arma, nisi aliæ circumstantiæ accederent.

In casu necessitatis extremæ haud denegandus utique transitus, salvis cautelis.

Dices 6. In casu necessitatis urgentis jus communionis primævum reviviscit, quo licitum alienis uti rebus, ac si mansissent communes: ergo hoc casu transitus non nisi *injustè* negandus. A. patet *ratione*: nam necessitas in omnibus legibus positivis excepta est, utpote *quæ legem non habet, sed ipsa legem facit* (c). Patet *exemplis*: Sic vicinas ædes, in quibus ortum incendium, possum diruere, ad amovendum mearum *certum* periculum, non modò spectato jure positivo (d), sed etiam naturali.

Si tamen sit verè talis, nec ùt ordinariè fit, solummodò prætensa.

℟. D. A. In casu necessitatis *qualiscunque*, & *ordinariè* prætensæ. N. A. In casu necessitatis *veræ, extremæ*, & hoc ipso *extraordinariæ*. Subd. Salvâ tamen, quantum fieri potest, regionis indemnitate per adhibitas cautelas innoxii transitûs. C. alio modo. N. A. & C.

Præcipuè si suppetat alia via.

Unde *Colliges* 1. contra *Heinzmannum*, negatum transitum militarem multò minùs esse causam belli legitimam, si alia, etsi incommoda, suppetat ad transeundum viâ. Confirmat ista notabile exemplum S. Scripturæ (e), ubi, licèt Rex *Edom innoxium* prorsus transitum *Israelites* negârit, *Moses* tamen armis non vindicavit, sed *Israelitæ*, eo jubente, deflexerunt, & à *Cades* profecti ad montem *Hor* cum omnibus copiis pervenerunt.

Metus multitudinis nimiæ.

2. Contra *Grotium*, qui tenet, non posse negari transitum *ob metum multitudinis*, excepto tamen casu, quo instar hospitum, divisim, debitis cum præsidiis, cautelis, & absque præjudiciis aliis, transmitti possent.

Si occupandum propugnaculum in solo non hostili.

3. Contra alios, qui tenent, *occupationem loci alieni licitam*, in casu necessitatis & cum cautione occupantis, *nisi necessitas sit extrema, inevitabilis, solius custodiæ, salva Domini indemnitate, salvis bonis, juribus, in integrum restitutione* &c. Quæ omnia casum faciunt in praxi *moraliter* impossibilem.

Transvectio mercium negari nequit.

Opponitur VII. Cum *Grotio* (f). Saltem *transvectio mercium* per alienam provinciam, *ratione innoxiæ utilitatis ex commercio libero*, justè negari nequit: ergo, si quis illam negaret, negaret æquitati consona, & juxta nos præberet justam

(a) L. 2. c. 18.
(b) In Panegyr.
(c) Caus. 1. Q. 1. Can. *remissionem*. de consecrat.
(d) *Ulpian.* in L. *si alius*. ff. quod vi, aut clàm.
(e) Numer. 20. v. 14. *Quam ob rem divertit ab eo Israël, cùmque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor.*
(f) L. 2. c. 2. §. 13. n. 5.

ſtam bellandi cauſam. A. deducitur ex jure Gentium, ſeu *communi quadam*, quæ inter homines eſt, *affinitate*, & *conſuetudine*, vi cujus mutua quædam ſocietatis humanæ conſervandæ ratio exigit, ut homo homini utilis ſit in iis, quæ ſibi innoxia, adeóque *jure* impedire nequeat v. g. commercia libera, ſocietati humanæ proficua. A. P. Si *jure* eſſent impedibilia, tunc forſan ratione lucri cujuſdam ceſſantis: atqui hoc indebitum, adeóque pro damno non reputandum.

Si ſit verè innoxia, & ſine præjudicio propriæ ditionis;

℞. N. A. *Univerſaliter* ſumptum, vel D. Transvectio *verè innoxia* abſque iniquitate negari nequit. C. A. Transvectio *cum præjudicio quodam propriæ ditionis* conjuncta. N. A. & C. Tale præjudicium foret, ſi merces importarentur ad luxum; ſi commeatio nimia, adeóque civitati noxia, vel ob potentiam majorem ſuſpecta; ſi ejuſmodi mercium abundantia in territorio proprio; ſi ex his ipſis apud exteros intenta utilitas impedita &c. Diximus: *abſque iniquitate* negari nequit. Unde N. C. Quòd transvectio etiam *verè innoxia*, & *iniquè negata*, ſtatim fundare poſſit *juſtam* belli cauſam, quam non niſi in injuria, *rigoroſè* & *propriè* tali, fundandam diximus. Unde inter juſtas belli cauſas ſuprà poſuimus *æquitatis naturalis violationem injurioſam*, hoc eſt, cum injuria conjunctam. Aliud foret in circumſtantiis *extremæ neceſſitatis*, uti per ſe patet.

Accipienti utilis, neque danti moleſta.

Ad P. D. Et hæc procedunt de iis, quæ accipienti utilia, neque danti moleſta. C De aliis rebus. N. Sic utique *deteſtanda foret iniquitas*, uti titulo V. ex *Cicerone* (a) diximus, prohibere aquam ex profluente, negare ignem ab igne, viam erranti non monſtrare, res ſuperfluas potiùs corrumpere, vel deſtruere, quàm integras ad aliorum uſum relinquere &c. Unde *Ovidius*:

Quis vetet oppoſito lumen de lumine ſumi,
Quis prohibebit aquas? Uſus communis aquarum eſt.

Saltem ex lucro ceſſante.

Ad alteram P. D. *Min.* Atqui hoc lucrum *indebitum*, ſic tamen, ut neque ſit alteri debitum, vel ſaltem jus illi non ſuppetat, ejuſmodi lucro nos excludendi. C. ſic ut ſit alteri *debitum*. N. *Min.* & C. Sit, quòd ejuſmodi libera transvectione, neque damnô *propriè dictô*, neque *injuriâ* per interceptum ejuſmodi lucrum afficiamur, cur nobismetipſis proximi non ſimus, aut etiam jure lucrum hoc nobis potiùs reſervemus? Quid obſtat, quòd minùs noſtris civibus id lucri vendicemus, quod apud exteram Gentem nituntur præripere tranſeuntes.

Aut alia juſta cauſa.

Ex quibus colliges contra *Victoriam* (b) multò minùs *jure Gentium* fas eſſe cuivis peregrinari in alienas Regiones, & ibi degere ſine incolarum detrimento, appellere navigia, uti portubus, fluminibus, negotiari pro libitu, effodere aurum, piſcari margaritas &c. *Ratio* eſt: quia, poſt factam rerum diviſionem, datur dominium Reipublicæ proprium quò ad portus, flumina &c. ergo ejuſmodi rerum uſus liber, ac præjudicioſus prohiberi poteſt, ùt conſtat communi praxi, etſi ſimilia *de jure Gentium* dici poſſint hoc ſenſu, quòd quamdiu non prohibentur, cuivis extraneo illis uti fas ſit. Cæterùm, quò ad commercium, *abſente omni præjudicio Reipublicæ propriæ*, facilè contingere poteſt, ut reſpectu cauſæ, modi, vel alterius circumſtantiæ accedat injuria, *propriè talis*, & ſic *injuſtè* negata quandoque *juſto bello* titulum poſſit ſuppeditare.

Æquilibrium Europæ eſſe de jure Gentium, ratione conſervandæ tranquillitatis, ſic dictum à Lehmanno.

Opponitur VIII. *Contra belli cauſas injuſtas.* Æquilibrium *Europæ* eſt de *inſtitutione* ac *jure Gentium*: ergo ab illo deflectentes etiam juſto bello revocandi ad trutinam, iis, quorum intereſt, ad conferenda *proportionaliter* ſubſidia obligatis. A. P. Inſtitutô Gentium dominia eô modô diviſa ſunt, quô eſſe diviſa convenit ad conſervationem Gentium, earúmque externam tranquillitatem: ergo diviſa ſunt cum virium limitatione, ac proportione, ne quorumdam potentia in vicinorum damnum nimium augeatur, ſicque tranquillitas publica, Gentiúmque intenta conſervatio turbari, evertique poſſit; ergo diviſa ſunt cum æquilibrio. Ita *Joannes Jacobus Lehmannus* (c).

Ut eodem jure oppoſitum dici poſſit.

℞. 1. N. A. Ad P. *Retorq. Arg. Inſtitutô Gentium* eô modô diviſa ſunt Imperia, quô convenit &c. ergo hoc ipſo non ſunt diviſa cum æquilibrio. C. P. 1. Quia eſſet *iniquum*, quòd Regnum ex lege ſucceſſionis, juſto *marte*, vel alio titulo dilatatum, atque ditatum, hoc ipſo titulo minorum Gentium Diis id, quod accrevit, cedere, vel invaſionem hoſtilem deberet exſpectare. 2. Eſſet *iniquum*, civitatem parvam, *inſtitutô Gentium*, feliciorem eſſe

(a) 3. offic. apud *Puffendorf.*
(b) Apud *Molinam* Diſp. 105.
(c) In Trutina, ſeu bilance *Europæ* c. 2. §. 4. 27. & 29.

esse amplo Imperio, quòd illa accessionibus gauderet, hæc sola diminutione discerni posset. 3. Esset institutum *frustraneum*: nam ut Gentes, & terris dissitæ, & institutis, moribus, ac animis dissidentes conveniant, cujusvis facultates examinent, de bello communiter gerendo consentiant, & potentioris Regni eam faciant divisionem, quæ omnium placitis sit arrisura. 4. Esset remedium, *malo pejus*, magisque pacis publicæ eversivum, quovis finitimo, ob alterius fortunam justè crescentem, in bella proruente, *sibique vicinum non molestum*, *sola Regni* (dilatandi) *cupiditate armis lacessente*, id quod S. *Augustino* (a), *grande latrocinium*; *Lehmanno* jam æquum, jurique Gentium conforme facinus censeri deberet.

Præterquam quòd divisio Regnorum referenda sit ultimatò etiam ad Deum, inæqualitas patet ex quatuor Monarchiis.

℞. II. N. A. Ad P. Etsi dominiorum divisio, Regnorúmque distributio, ac institutio, ad institutum Gentium formaliter spectet, utì suprà ostendimus, *ultimatò* tamen ad ipsum quoque Deum referri debet, dicente S. *Augustino* (b): Quòd *Deus nec judicio, nec adjuterio deserat humanum Genus, ac quando voluit, & quantum voluit Romanis Imperium dederit.* Unde N. C. Oppositum constat ex quatuor Monarchiis, quæ & Gentium jure, & Divino consilio supra Gentes cæteras viribûs & potentiâ eminuêre, attestante S. Scriptura per *Danielem* in mystica statua, atque *Cyro* &c. Et quis credat, legem Gentium esse, ut Monarchiæ & Regna debeant esse commensa ad trutinam? Dispositionem de Regnis esse in arbitrio hominum, & ditiones, justô titulô acquisitas, solùm ideò justis possessoribus auferri posse, quòd virtutis suæ beneficio potioribus facultatibus abundent?

Justitia causæ, etsi moraliter certa, semper haberi non possit.

Opponitur IX. Justitia causæ, saltem *moraliter certa*, sæpe haberi nequit: ergo sufficiet quandoque opinativa, vel dubia: ergo à parte rei injusta, si modò pretiosis justitiæ prætextibus convestita.

Non tamen sufficit minùs probabilior, dubia &c. sed saltem requiritur valde probabilis, probabilior &c.

℞. Tr. A. D. C. Ergo sufficiet quandoque *valde probabilis*, vel *probabilior* respectu oppositæ, aut *dubia solummodò speculativè*. Tr. C. Sufficit *minùs probabilis* respectu oppositæ, vel *dubia practicè*. N. C. Ita *Schiara* (c), & alii. *Rationem dant* 1. Quia, teste Philosopho, in moralibus certitudo non semper haberi potest, ùt in mathematicis (d). 2. Quia etiam in causis privatis, quamtumvis momentosis, *secundùm probabiliorem*, suffragium ferre permissum est Judici. 3. Quia, *stante dubio speculativè*, haberi potest certitudo moralis de honestate actionis, ex reflexo dictamine opinionis probabilioris, ùt tradunt communiter Moralistæ.

Saltem tamen quibusdam casibus exceptis.

Excipit tamen *Molina*, *Castropalao*, & alii contra *Suarezium* (e), probabiliorem non sufficere, casu quo alter jam foret in possessione, v. g. Regionis; eò quòd hoc casu *conditio melior foret possidentis*, quæ in dubio fortissimam habet juris præsumptionem & assistentiam, etsi & alteri jus suum prosequi liceret, saltem viâ juris, sic ut si possessor eandem abnueret, injuriam faceret parti petenti, & hac ipsa de causa bellô invadi posset. 2. Casu, quo per mortem tertii vacaret Regio, a neutro possessa, bellum moveri posset juxta eosdem secundùm probabiliorem juris sui sententiam. 3. Casu, quo utrinque foret æqualis probabilitas, litem arbitrio tertii, aut Regionis divisione componendam, volunt. 4. Casu, quo causa, quæ visa initio justa, postmodum pateret fuisse injusta, bellum præteritum ob bonam fidem maneret justum, non item prosecutio belli, ùt tradunt iidem Authores. 5. In casu vindicandæ injuriæ, *juxta communem*, requiritur certitudo de illata injuria; quia, qui injuriam fecisse dicitur, est *in possessione*, & in criminalibus requiruntur probationes, *luce clariores*.

Neque bellum potest esse utrinque materialiter justum.

Opponitur X. Potest bellum utrinque esse etiam *materialiter* justum. A. P. Ponatur casus, quo *justè* bellans obsidet civitatem, aliter non expugnandam, nisi innocentûm, nocentibus v. g. *Turcis* mixtorum, cæde. Obsidens hoc casu potest innocuos expugnare, & cædere; obsessi innocentes sese defendere, & repugnare: ergo *utrinque* datur *causa justa*, utrinque bellum etiam *materialiter justum*.

Etiam in casu, quo obsessi innocentes nocentibus mixti.

℞. N. A. ad P. Ridet *Palao*, *Lessius* &c. Innocentes posse oppugnari, atque occidi, siquidem aliter nequeat urbs expugnari: quia *indirecta* occisio non est materialiter mala; neque sternantur *jure vindictæ*, sed *jure necessariæ defensionis* contra injustos. Juxta *Molinam*

(a) L. 4. de civit. Dei c. 6.
(b) L. 5. c. 21.
(c) Theol. bell. L. 1. Difficult. 2. n. 2.
(d) 1. Ethic. ad Nicomach.
(e) De charit. Disp. 13. *de Bello.*

nam (a), innocentes non haberent jus hostiliter repugnandi, sed solummodò fugiendi: immò metu adacti, & omni præclusâ fugâ in prima fronte expositi, arma potiùs vertere deberent in coactores injustos, quàm hostes justos: secùs enim, occisione justorum directâ, cooperarentur ad victoriam injustam, id quod est malum absolutum.

Et periculum mortis à tergo & fronte.

Dices 1. Ponatur casus, quo à tergo instaret per coactores mors certa, à fronte spes aliqua servandæ vitæ. Jam sic: saltem hoc casu *justum* aggredi hostem, vel aggredientem illata morte repellere liceret: ergo dictum bellum foret *utrinque justum.* A. P. Exemplo amentis, qui alterum invadens, cum inculpata vitæ tutela, occidi potest. Item exemplo viatoris in angiportu, qui sternendus ab equite, fugiente hostem, equitem præveniendo sternere, vitámque suam servare potest.

Cùm non foret bellum propriè dictum.

℞. 1. Tr. A. N. C. Quia licèt concederetur cum *Lessio* (b), inter privatos dari certamen, *utrinque justum*; immò & speciem quamdam belli, *utrinque justi*, quando nempe ex altera parte tantùm est *oppugnatio indirecta*, nunquam tamen bellum, *propriè* dictum, seu publica authoritate gestum, posset esse *utrinque justum*, cùm re ipsa nunquam uterque supremus Princeps *bellans*, sed tantùm unus habere possit à parte rei, justam bellandi causam.

Et innocentes cooperari non possent ad rationem victoriæ injustæ.

℞. 2. N. A. Quia *directa* justorum occisio, & cooperatio ad injustam victoriam sunt *simpliciter* malæ. Cum amente negatur paritas: nam amens, etsi & ipse non peccet, *directè* tamen aggrediendo alterum, infert injuriam, *saltem materialem*, nullo jure violento aggressui suppetente: unde inculpatæ locus defensioni. Contrà oppugnator propugnaculi justus non nisi *indirectam* vim innocuis infert, & in hisce circumstantiis necessariam, jure oppugnationi suffragante. In altero exemplo etsi transmittatur jus inculpatæ tutelæ per præventionem, quia vitæ propriæ defensio *directè* intenditur, denuò nulla est paritas: nam in nostro casu intervenit cooperatio ad injustam victoriam, innocuis ad hunc finem, etsi malè coactis, & quidem contra justos aggressores, tanquam ministros, authoritate publica ad expugnationem urbis statutos, adeóque bona fide officium exequentes, quæ circumstantiæ in altero casu non interveniunt.

Unde ex utraque parte collocarentur in fronte innocui.

Dices 2. Ponatur casus, quo in bello, ex utraque parte injusto, utrinque ante prima signa collocarentur innocentes: hoc casu pugna utrinque foret justa: ergo &c.

Neutra pars posset aggredi alteram.

℞. Quòd neutra pars ex metu mortis posset aggredi alteram: quòd si verò alterutra bellum auspicaretur, altera sese posset, tanquam contra injustos aggressores, defendere.

In casu Regni duobus legati, cum jure præventionis.

Dices 3. Ponatur casus, quòd Regio duobus sit legata in solidum, eô pactô, ut uterque dominium habeat, *dato jure præventionis*: hoc casu uterque habet plenum dominium: ergo bellum foret utrinque justum.

Non habetur difficultas dominii duorum in solidum.

℞. 1. Quæstio illa *de dominio duorum in solidum* huc nihil facit; cùm solummodò agat *de instanti alienationis rerum*, quo alienans rem suam vult translatam in alium; non verò agat de casu, quo duo, per contrarias allegatas causas, contendunt, rem esse suam, neutro alteri eandem cedere volente, ùt fit in bello.

Cùm ante præventionem neuter haberet dominium plenum, post præventionem alteruter.

℞. 2. D. A. Uterque haberet plenum dominium, totalitate objecti. Tr. Totalitate dominii. N. A. Immò, accedente jure cumulativo præventionis, ante præventionem neuter haberet plenum dominium, hoc ipso, quòd debeat pati præventionem ab altero, & neuter posset alterum obligare, ne præveniatur. Neque dicas, hoc provenire non ex defectu *juris realis*, sed solummodò *personalis* erga alterum: nam jus *ex donatione, re traditâ*, est *reale*; si necdum tradita foret, hoc ipso non sufficeret ad constituendum perfectum dominium. Sed ista, concertationis scholasticæ potiùs, quàm utilitatis publicæ ergo, ex Authorum mente dicta, sufficient.

INSTRUCTIO IV.

Instructio 4.

De effectibus belli.

De effectibus belli.

§. I.

§. 1.

Et inprimis respectu hostium.

Respectu hostium.

Quæritur I. *Quinam sit effectus belli primarius respectu hostium?*

Effectus respectu hostium primarius, jus occidendi hostem.

℞. I. Effectus alii sunt *respectu hostium*, alii *respectu subditorum*. Respectu hostium *primarius* effectus est, *jus occidendi hostem*: quia, concesso fine, concessa Judici necessaria media.

Hostis

(a) Tract. 5. Disp. 115.
(b) L. 2. c. 13. Dub. 3. n. 10.

Sed verum, & exceptis excipiendis. *Hostis* nomine complectuntur communiter authores non tantùm, qui actu in armis, sed qui intra fines hostiles, vel moralem cum hoste fovent connexionem, exceptis tamen *imbellibus*, quales infantes; *imbecillibus*, quales fœminæ, nisi & ipsæ pugnent; *inermibus*, quales Personæ sacræ; *utilibus in commune*, quales agricolæ, mercatores, & universaliter omnes, quorum vitæ genus abhorret ab armis. *Accedunt* 1. *Capti*, cùm, teste *Pyrrho* (a), pudor, & æqui respectus vetet, *capto vitam adimere*. 2. Vitam paciscentes armis depositis; quia, Authore *Sopatre*, moris est in bellis *servare supplices* (b). 3. Dedentes se Victoris discretioni: nam *trucidare deditos*, *sævum* pronuntiavit *Tacitus* (c), idque contra *jus belli* pugnare censuit *Livius* (d). 4. Ad bellum *coacti*, de belli justitia persuasi, saltem si jam sit parta victoria; quia, teste *Molina*, nulla hic culpa, mortis supplicio proportionata. 5. Innocentes *directè* nunquam interimendi, obstante jure Divino naturali.

Cui exceptioni non præjudicant exempla contraria, ℞. II. Exempla contraria apud *Grotium* (e) non probant *licentiam* ex jure quodam præceptivo, seu permissivo, sed *impunem tolerantiam*; fortè quòd noluerint Gentes hostili furori metas præscribere, quas in tanta nocendi proclivitate observare difficillimum foret, ne bellum ex bello nasceretur.

Jura prætensa, Neque quidpiam hic evincit *jus Talionis*, quod à natura non permissum in innocentes, etsi membra sint communitatis nocentis, utpote qui quò ad mortis pœnam succedanei non fiunt. 2. Nec *utilitas incutiendi terroris*, cui leviora suppetunt media, quàm sævitiæ in innocentes. 3. *Nec pertinacia in resistendo exhibita*, quæ potiùs laudanda etiam in hoste. *

Modus tollendi hostem illegitimus. ℞. III. Denique *quò ad modum tollendi hostem*, jure *Naturæ* & *Gentium*, vetita est immissio sicariorum, *corruptâ illorum fide*; ** immissio satellitum, qui veri hostes, licita est jure belli. *** Jure Gentium prohibitum est 1. Venenò hostem tollere, partim ne contra communem utilitatem multiplicentur belli pericula, aliunde sat copiosa; partim ne Regum vita, quâ Regnorum stat incolumitas, nimio discrimini, quia vix evitabili, esset exposita. 2. Eodem jure, saltem apud Gentes moratiores, vetitum armis uti venenô infectis, ne denuo multiplicentur pericula. 3. Vetitum denique fontes intoxicari, cùm facilè alio modo corrumpi possint, aut exsiccari.

Quæritur II. *Quinam sit effectus belli secundarius respectu hostium?* *Effectus secundarius,*

Jus in hostium bona. ℞. I. Effectus belli respectu hostium *secundarius* est *jus in res, & bona hostilia*. Deducitur ab argumento à majori ad minus, hoc est, à vita ad vitæ bona: hinc *Cicero*; *neque est contra naturam, spoliare eum, quem honestum est necare* (f). Adeòque

Fundatum in natura; ℞. II. *Jure Naturæ* licitum est in justo bello, arces diruere & urbes, erigere propugnacula, capere & rapere hostium arma, naves, bona, etiam innocentûm, in quantum id postulat *necessitas*, ac *utilitas bellica* in ordine ad comparandam victoriam, vel vires hostibus succidendas. *Ratio* est, quia, concesso fine, concessa etiam media.

Cum debitis tamen limitibus, Illicitum tamen 1. Ultra metas *necessitatis*, seu *utilitatis* res corrumpere, aut devastare; siquidem iniquum, nullo suo bono nocere alteri. 2. Innocentûm bona diripere, si satisfactio aliunde haberi possit: eò quòd ejusmodi bona, non nisi *pignoratitio nomine*, Reipublicæ sint obligata; aliud foret, si deliquisset communitas, cujus membra censentur, quo casu non modò spoliari, sed & in captivitatem abripi possent. 3. In bona deposita, seu non hostium, grassari: quia deficit belli titulus. 4. Plus bello occupare, quàm jure prætendi possit, casu quo injuria ab hoste illata, ob bonam fidem rei possessæ, sit solummodò *materialis*; *formalis* si foret, etiam expensæ, aliáque damna compen-

(a) Apud *Senecam*.
(b) Apud *Grotium* de J.B. & P.
(c) Annal. 12. 17.2.
(d) Apud *Textorem* in Synopsi c. 18. n. 18.
(e) L. suprà cit. jam sæpius.
* Hinc *Alexánder*, cùm quondam acriùs resistentes jussisset interfici, visus est *Indis* bellare *Latronum more*, unde malam famam veritus, victoriis posthàc clementiùs uti cœpit *Grotius* l. c. §. 16 n. 4. notans n. 5. multò minùs cædem fieri justam ex dolore propter acceptam cladem, sicut *Achillem*, *Æneam*, *Alexandrum* amicis suis sanguine captorum, aut sese dedentium parentâsse legimus.
** Hinc *Alexander Dario* emphaticè exprobravit apud *Curtium* L. 4. c. 1. *Impia bella suscipitis, & cùm habeatis arma, licitamini hostium capita.*
*** Unde *Scævolæ* responsio: *Hostis hostem occidere volui.* *Livius* Dec. 1. L. 2. c. 9.
(f) L. Officiorum.

pensari poterunt, *Molina* teste (a). *Ratio* petitur ex paritate cum judiciis privatis.

Jure Gentium ampliatum, saltem in bello justo,

R. III. *Jure Gentium* major est belli licentia, *dominio omnium, quæ hosti eripiuntur, in Victorem translatô*, siquidem ita sint in potestatem redacta, ut recuperationis spes hosti sit intercisa.* Quod tamen jus solùm obtinet in foro externo negata actione, seu repetendi jure: in foro interno res saltem immobiles, ultra debitam compensationem ereptæ, restitutioni obnoxiæ sunt, juxta *Molinam* (b), & alios, nisi *ratio securitatis*, quò ad occupata quædam castella, seu propugnacula, aliud ad tempus evinceret.

Non tamen injusto.

Illa ipsa dominii prærogativa tantùm obtinet in justo bello, non autem in injusto, etsi solemni, contrà quàm sentit *Vasquezius*, *Grotius*, & alii. *Ratio* est 1. Quia, ipso teste *Vasquio* (c), sententia hæc *communissima*. 2. Quia, jure naturæ & Gentium, jus nullum ad bellum sine justa causa: ergo nec ad effectum belli, seu dominium rerum. 3. Quia, juxta ipsum *Grotium*, in bello injusto, *etsi solemni*, actus injusti omnes, quò ad bona erepta, sunt restitutioni obnoxii, saltem in foro interno: ergo etiam in externo: cùm non appareat exceptio specialis. Unde

Unde nil deducitur ex Cajo indistinctè loquente.

Non obstat 1. Quòd ICtus *Cajus universaliter* decernat, *jure Gentium fieri capientium, quæ ex hostibus capiuntur* (d). Nam R. D. Decernit *universaliter*, hoc est, universalitate appellante bellum *justum*. C. Bellum *injustum*. N. *Ratio* restrictionis est, quòd jure Gentium reprobata sint bella injusta, adeóque titulum juris suppeditare non valeant. Hinc ipse *Grotius* (e) rectè notat, de illis, qui justas belli causas non curant, dici posse, quod à *Romanis* ICtis est proditum: *prædonem esse eum, qui rogatus de possidendi causa, nullam aliam affert, nisi quòd possideat.*

Nec ex dominio naturali.

Neque obstat 2. Quòd dominium *ex naturali possessione cœperit*, nec à modo executionis, etsi injusto, impediatur. Nam R. D. Cœpit quò ad bona vacantia. C. Quò ad *appropriata. Subd.* Sic ut non impediatur à possessione *naturali*. C. A *civili*. N. Hæc enim manet penes anteriorem possessorem, nisi animum retinendæ rei, injustè sibi ablatæ, deponat, vel transigat.

Aut paritate cum excessu injusto in bello justo.

Neque obstat 3. Quòd in bello justo excessus satisfactionis, etsi injustus, jure Gentium, legitimetur *quò ad forum externum*: quasi idem jus Gentium partis in bello, etsi injusto, titulum præberet, & *quò ad possessionem* assisteret R. N. C. *Et paritatem.* Bello justo erepta nituntur & legitimo titulo, & juris præsumptione, quòd, quæ erepta, sint satisfactioni debitæ congrua, licèt Victoris conscientiæ id relinquatur. Contrà bello ditati injusto, non modò titulò carent, sed & omnium Jurium, Gentiúmque in sese odium concitant; unde assistentiam juris merentur nullam.

Jus istud sese non extendit in loca, & bona sacra.

R. IV. *Jus in hostium bona, nullatenus tamen, saltem per se loquendô, sese extendit ad loca sacra, templa, altaria, neque in res sacras, bonáque Ecclesiastica.* Ita contra *Grotium*, aliósque maximè Protestantes.

Quia fatuum, DEO bellum inferre,

Firmatur assertum 1. Quia bellum non geritur contra DEUM, dicente *Polybio*: *Summæ stultitiæ signum esse, impiè in DEOS agere, cùm hominibus irascaris*: ergo nec contra ea. quæ DEI sunt. C. vel Ethnicos convicit, dum *Pyrrhi* spolium, *Proserpinæ* ereptum, *facinus fœdum, & in DEOS superbum*; dum *Philippi* bellum *nefarium furorem* appellant, *eò quòd ultra jus victoriæ in templa, aras, ac sepulchra sævierit*, ùt ipse *Grotius* refert (f).

Quia Ecclesia, quà talis, separatum corpus à Republica.

Firmatur 2. Quia ex alibi probatis, Ecclesia *quà talis*, non est pars Reipublicæ, bellum gerentis: ergo nefas erit, res & bona alieni corporis, bello non implicati, invadere, ac devastare. Unde idem *Polybius* apud *Grotium* allegatum: quæ *neque nobis ad bellum usui futura sunt, nec hostibus incommodatura, ea perditum ire, templa maximè, & quæ in eis, simulacra, & similia ornamenta, quis neget malæ mentis, & præ ira furibunde, esse opera?*

Quia sacra jure Divino & humano à profanatione immuma.

Firmatur 3. Non tantùm jure Ecclesiastico (g), sed etiam Divino (h), immò & ipsorum Gentilium, saltem magis moratorum, religione (i), loca sacra, Deóque dicata, profanari

(a) Tr. 2. Disp. 102 n. 6. & Disp. 117. n. 2.
* Unde Philosophus in Polit. *Lex velut pactum quoddam commune est, quo bello capta capientium fiunt.*
(b) L. c. n. 3. & 4.
(c) Illust. Controv Q. 1. c. 9. n, 14. & seq.
(d) L. 5. §. ult. ff. de acquir. rerum Dominio.
(e) L. 2 c. 02. §. 3.
(f) L. 13. c. 12. § 7. n. 2.
(g) Cap. *semel* 51. de R. I. in 6.
(h) Levit. cap. ult. v. 28.
(i) *Euripides* apud *Grotium* l. cit. n. 1. *Homo, quisquis urbes vastat, & Diis manibus sedes sacratas, templáque, haud rectè sapit: nam similis illum pestis excidii manet.*

ri ampliùs nequeunt. Immò & bona Ecclesiastica, cùm sint *patrimonium Christi* (a), & *res DEI*, ùt loquitur *Tridentinum* (b), diripi nefas est: ergo &c.

Unde Pomponii textus Gentilismo accommodatus.

Neque obstat 1. Textus ICti *Pomponii*, dicentis: *cùm loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt esse sacra* (c). Nam ℞. D. Desinunt esse Sacra, *in sensu Paganismi*, quo locutus *Pomponius* gentilis. C. *In sensu Christianismi*, ejúsque genuini. N. Gentilium superstitiosa persuasio erat, aras & fana urbium captarum à Diis esse deserta, adeóque & profanata; libertati verò pristinæ restituta, denuo à Diis esse revisa, atque adeò de novo sacrata, ùt colligitur ex *Virgilio*, *Livio* &c. (d).

Uti colligitur ex contextu.

Neque obstat 2. Quòd hic sensus gratìs tribuatur *Pomponio*. Nam ℞. N. Per contextum ipse *Pomponius* hunc sensum innuit, illicò addens: *quòd si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quædam postliminiò reversa, pristinæ status restitui templa* &c. nempe revertentibus Diis, non aliter, ùt ait, ac captivi ab hostibus liberi, sine alio juris adminiculo, libertati pristinæ restituuntur: atqui, in sensu *Christianismi*, non restituuntur profanata templa, neque redeunt ad statum pristinum, sed opus est *nova consecratione* (e).

Apud Christianos nullius roboris.

Neque obstat 3. Quòd lex universaliter teneat. Nam ℞. N. Stringere nequit, ubi deficit nervus, seu *ratio legis*.

Ipso Justiniano non jus, sed factum denotante.

Neque obstat 4. Quòd saltem *Justinianus*, Imperator *Christianus*, in alio sensu hoc juris scitum digestis suis inseruisse, credendus sit. Nam ℞. Utique in alio sensu inseruit, sed non in *Grotiano*, aut *Protestantico*, *omnimoda paritate* inter sacra & libertos, sed in hoc, quòd templa capta *desinant esse sacra*, non quidem *jure*, sed *facto*, eò quòd ordinario cursu sacrilegè diripiantur, ac profanentur. *Ratio responsionis est* 1. Quia *Justinianus* aliàs vel limites suæ potestatis excessisset, vel in textu ac contextu sibi ipsi repugnâsset. 2. Quia in aliis legibus ejusmodi molimina non ùt legitima, sed ùt sacrilega reprobavit (f).

Neque jus Gentium de bonis sacris quidquam disponit, quia altiore seu Divino jure exemptis.

Neque obstat 5. Quòd *jure Gentium* Victori tribuatur jus in sacra, cùm in rebus diripiendis, vastandísque non excipiat sacra, atque hæc publica sint, nec nisi ineptè extra humanum commercium ponantur. Nam ℞. N. *Ad* 1. *rationem* dico, quòd jus Gentium, sive merum, sive mixtum, nil in sacra tribuat Victori, quia Divino, humanóque jure exempta, hìc nihil obstante Gentilium vana persuasione, in Deorum abscessu fundata, quæ etiam in *Balthasare*, sacra vasa profanante, punita est. *Ad* 2. Contra aperta jura res sacras cum publicis confundi, quæ alibi proferimus. *

Protestanticis spoliis meritò ad sacrilegia relegatis.

Neque obstat 6. Quòd bona Ecclesiastica non sint nisi *abusivè sacra*; quòd *Israëlitici* etiam idola everterint: ergo & Protestantici superstitiosa vasa, simulacra, templa quondam *justè* diripuerunt, ac devastârunt &c. Sed ℞. Hæc adinata Protestantica à nobis alibi esse satìs profligata. **

Et aliquot casibus per accidens exceptis.

Additum in asserto, *per se loquendo*: Nam excipitur 1. Casus, quo Ecclesiastici sese bello immisceant contra decentiam statûs, ubi tamen salva sint bona Ecclesiæ juxta illud: *Delictum personæ non debet nocere Ecclesiæ* (g). 2. Casus, quo nocumentum *indirectè* tantùm, & *præter intentionem* inferretur, prout etiam innocentes occidi possent. 3. Casus, quo contra dispositionem Ecclesiasticam (h) templa essent *incastellata*, seu castri instar munita &c.

§. II.

§. 2.

De effectibus belli respectu vincentium, & devictorum.

Effectus respectu vincentium.

Quæritur III. Quinam sint effectus belli respectu vincentium?

Bona regulariter cedunt Principi.

℞. I. Bello justè, quæ justè sunt acquisita, spectatâ belli naturâ, primariò cedunt Principi, sic ut ab ejus voluntate dependeat, quidquid privatis circa

---

(a) Can. *cùm secundùm* 16. de Præbend. c. *Cùm ex eo* 34. de Præb. in 6.
(b) Sess. 25. de Reformat.
(c) L. *cùm loca*. ff. de Relig.
(d) *Virgilius* 2. *Æneid.*
Excessere omnes adytis, arisque relictis
Dii, quibus Imperium hoc steterat ...;
Immò *Romani*, ut certiùs id fieret, ex obsessis è se urbibus Deos solemni carmine evocabant, spondentes illis *Romæ* alias ædes, ùt refert *Livius* L. 5. & 21 ubi ex *Josepho* ineptè refert, per *Titum* obsessâ *Solyma*, auditam vocem, & ingentem motum excedentium Deorum &c.
(e) §. 10. Inst. de R. D.
(f) Tit. ad L. *Jul.* peculat. & de sacrileg.
* In Coll. Hist. P. VII. Q. 1. & 2. De Ecclesiastica potestate, & immunitate.
** Ibidem.
(g) Cap. Delictum 76. de R. J. in 6.
(h) Cap. *Sanctorum* 4. caus. 10. Q. 1.

circa excursiones licitum, & in deprædationibus proprium. Patet. Siquidem milites solummodò sunt instrumenta, & quod agunt, authoritate Principis agunt, sic ut omnes effectus in summum Imperium redundent.

Saltèm immobilia.

℞. II. *In specie immobilia* cedunt Principi, & jure Gentium, & etiam Imperiali (a), ad quæ pertinent tormenta bellica, & his similia. Excipitur casus, quo Princeps Principi, Populus Populo præstaret auxilium *æquè principaliter, junctisque viribus*, neque solummodò *per modum operam navantis*; nam jure Naturæ, qui sentit damna, & lucra sentiat, oportet.

Mobilia militis.

Mobilia jure Gentium, ùt habet *Grotius* (b), cedunt etiam Principi, saltem in actu belli publico; eò quòd milites non nomine proprio, sed ex homagio Principi militent. Jure tamen *Justinianæo* cedunt privatis, ut sint incitamenta alacritatis (c): quæ dispositio etiam jure Imperii est recepta (d). Multò magis in excursibus liberis sibi lucrantur milites, quia non publicam, sed suam sibi potiùs navare operam censentur.

Unde deprædatio urbium per se quidem licita, per accidens tamen illicita plerumque.

Unde licitum esse tenent Authores, (e) saltem *per se loquendo*, urbem integram in prædam dare militibus: quia bello justo habetur jus in hostium bona, maximè si id necessarium videatur ad bellum expediendum, militem animandum, hostem deterrendum &c. Si modò à ducibus præcaveantur flagitia, & illiciti excessus. Sed quia hoc difficillimum, ejusmodi licentia *per accidens* plerumque est peccaminosa; eò quòd *ordinariè* eandem cædes, cruciatus innocentium, stupra, adulteria, templorum profanationes, ob militum effrenatam licentiam, comitentur.

Effectus respectu devictorum. Jus,

Quæritur IV. Quinam sint effectus belli respectu devictorum?

℞. I. Effectus belli justi est jus in captivos, cùm dominio ex parte capientis, & servitute ex parte captivi, suo modo etiam cum jure in vitam, saltem abstrahendo à Christianismo.

In bello justo,

Dicitur I. Belli *justi*, quia in injusto sicut cessat jus capiendi penes Victorem, ita & obligatio manendi sub jugo penes captivum, sive consenserit in servitutem, sive non. Idem sentiendum in bello dubio, quia præsumptio stat pro libertate.

In captivos

Dicitur 2. In *Captivos*, immò & eorum descendentes, etsi innocuos.

Et suo modò in vitam,

Dicitur 3. *Suò modò in vitam*; siquidem illud *Caji*, *quòd apud omnes Gentes Dominis fuerit potestas vitæ, necisque in servos* (f), intelligendum vel de jure Gentium, *solùm permissivo*, quò ad impunitatem externam, cùm jus vitæ soli Deo sit reservatum; vel saltem restringendum est *ad jurisdictionem quandam domesticam*, cui *jus vitæ, & necis*, de jure naturæ, competere volunt nonnulli authores, *ea tamen moderatione* exercendam, quæ in causis publicis erga cives de jure est exercenda. Sed hanc potestatem patriam suprà jam rejecimus.

Quod oritur ex dominio victoris, & servitute victi.

Dicitur 4. *Cum dominio ex parte capientis, & servitute ex parte captivi.* Nam ratio introductæ servitutis, *quò ad captivos*, probabiliùs fuit refrenatio inferendæ mortis propositis tot servitiorum commodis: *quò ad descendentes nascituros* eadem est ratio, quòd nempe servos mallent, quàm occisis parentibus non nascituros. *Quò ad innocentes* causa est, quòd tota Respublica reputetur hostis quò ad effectum, ut adeò quantum attinet ad bona fortunæ, inter quæ est etiam libertas, tota puniri possit in suis membris. Interim servitus, *legitimè inducta*, est perpetua, ita ut servus fugere, séque in libertatem asserere nequeat, sed quamdiu ex justa causa non manumittitur, tamdiu Domino obedire teneatur, dicente Apostolo, (g) *Servi subditi estote Dominis, etiam dyscolis* &c.

Abstrahendo à Christianis, penes quos sublata servitus.

Dicitur 5. *Abstrahendo à Christianismo*: nam inter hos dudum sublata est servitus: 1. Ob libertatem à *Christo* nobis donatam: *captivam duxit captivitatem* (h). 2. Ob charitatem, qua ejusdem corporis, sub uno Capite *Christo*, membra, & fratres sumus (i). Hinc, ratione cessante, inter *Christianos* & *Turcas* manet servitus, etsi, ob ordinaria pericula fidei, vi directâ vel indirectâ *Christianis* extorquendæ, aliáve notabilia spiritûs detrimenta, fuga haud foret illicita, eò quòd, ùt rectè advertit *Molina*, obligatio *ex jure Gentium*, per

captivi-

(a) R. I. A. 1542. §. Wir haben &c.
(b) De J. B. l. 3. c. 6. n. 10.
(c) §. item ea. 17. Inst. de R. D. L. *si quid bello.* 28. ff. de captiv.
(d) R. I. A. 1570 art. 68. Was ein jeder in Schlachten, Stürmen, oder sonsten denen Feinden abgewinnet, soll einem jeden nach Kriegs-Recht, und Ordnung verbleiben &c.
(e) *Victoria, Sylvester, Molina*, & alii.
(f) L. 1. ff. *de his, qui sui, vel alieni juris.*
(g) 1. *Petri* 3. v. 18.
(h) Ad *Ephes.* 4. v. 8. ad *Galat.* 4. v. ult.
(i) *Matth.* 23. v. 8.

captivitatem contracta, non stringat conscientiam cum præjudicio animæ, & ruina spirituali. (a)

Imperium in victos:

§. II. *Ad eundem belli effectum reducitur imperium in victos, sed regulariter tantummodò civile, vel mediatum, & Religioni Catholicæ favorabile.*

Sed solum

Dicitur 1. Imperium *in victos*, quia *jure belli* sibi potest subjicere singulos: ergo & universos cum omnibus rebus, ac juribus.

Reductivè;

Dicitur 2. *reductivè*: nam casu, quo bellum non geritur ob regionem, jure immediato & absoluto propriam Principi, Imperium tantùm *conditionatè* ex bello consequitur, si nempe *satisfactio congrua haberi nequit.* Immò, *spectato saltem statu moderno*, etsi Rex ipse caperetur in bello, non illicò acquiritur Victori Imperium, ùt habet communior. *Ratio est*, 1. Quia *Christianis*, bellô captis, sua manet *libertas civilis* cum juribus annexis. 2. Quia à Rege captivo, *vi captivitatis*, non transfertur Imperium in victorem, sed usus solummodò impeditur. Quòd si ultro potestati victoris se subderet, patrimoniali regione excideret, quia alienabili; cùm populus sit in patrimonio Regis, ejúsque conditionem sequi censeatur, ac sortem. Cæteris ditionibus, non patrimonialibus nil præjudicii afferret, nisi populus vel assensu subditus, vel armis sit à victore subactus, eò quòd istæ non sint in absoluta ac summa Regis potestate, adeóque non alienabiles, ùt habet *Pelzhoferus* (b). Ex quibus fluit, Victori non esse jus in vitam Regis captivi, *saltem regulariter*: * rationem suppeditat idem illustris statista; eò quòd Majestas etiam in subjecto captivo maneat inviolabilis, nec Rex in Regem, par in parem ad instar subditi, delinquere, eodémque modo puniri possit: unde extrema fata infortunii Regii carcerem censet, atque captivitatem, ratione cujus plus prætendi non possit quàm lytrum, aut lytri locò conditiones, quæ & satisfaciant illatæ injuriæ, ac prospiciant futuræ securitati (c).

Plerumque tantùm civile;

Dicitur 3. *Civile.* Nam *servile* Imperium (*herili Turcarum* regimini, ùt quidam volunt, *proprium*) apud *Christianos*, sublatâ servitute per legem *Christianam*, pariformiter sublatum esse videtur; præcipuè cùm ex jure naturæ fluat quoque congrua ratio, qua constat, Imperia non ad lubitum Imperantium esse constituta, adeóque ex solo Victoris arbitrio, in despoticam, tyrannicámque subditorum oppressionem converti haud debere. Unde *Xenophon* refert de *Agesilao*: *quatcúnque Civitates in suam potestatem redegerat, immunes habuit ab his, quæ servi Dominis præstant, & ea tantummodò imperabat, in quibus liberi homines Rectoribus parent* (d).

Mediatum

Dicitur 4. *Mediatum*, quia, conformiter ad principia verè politica, videtur Imperium victis Regibus, aut Populis relinquendum, saltem impositô præsidiô, reservatô tributô, aut formâ regiminis immutatâ; siquidem ad sufficientem cautionem opus sit, exemplô Veterum, de quibus *Salustius*: *Majores nostri, religiosissimi mortales, nihil victis eripiebant, præter injuriæ licentiam* (e). Unde *Pelzhoferus* omnis belli justi duos cardines statuit, *ultionem injuriæ*, & *futuram securitatem*: adeóque sufficiunt conditiones, quæ & illatæ injuriæ satisfaciunt, & futuræ securitati prospiciunt, ùt dictum (f).

Catholicæ fidei favorabile.

Dicitur 5. *Religioni Catholicæ favorabile*: id quod ex ipsis principiis *Grotii* videtur fluere. Nam ait (g): *Indulgentiæ in Victore pars est avita Religionis usum victis, nisi persuasis, non eripere, sed tolerare, quia victis pergratum, & Victori innoxium. At si falsa foret apud victos Religio, ne vera opprimatur, rectè curabit Victor, exemplô Constantini, aliorúmque Francorum Regum.* Jam sic: Religio *verè avita*, & *unicè vera*, est sola catholica: ergo in locis, ubi viget, à Victore qualicunque victis relinquenda, & ubi non viget, quantùm quidem fieri potest, fovenda, & ne impediatur, vel opprimatur, victoris sæculari brachio præmunienda. A. habetur ex Imperii recessibus, ubi *Catholica* semper vocatur *in Imperio antiqua*, ad contradistinctionem Religionis *novæ Protestanticæ*, & *aliarum sectarum.* Quòd sit *unicè vera*, passim contra Novatores, Sectarios, Paganos, satìs

(a) Tr. 1 Disp. 37. n. 12,
(b) In Arcan. Status l. 9. c. ult. n. 31,
* Nam casu quo alterius sceptro insidias strueret, seditiones concitaret, in caput Regium conspiraret &c. idem Author non ùt Regem, sed latronem, censendum esse affirmat. Alii distinguunt ob erroris pericula, vindictas illicia &c. Ejusmodi causa ab *Italiæ* Juris Consultis quondam malè decisa est respectu *Conradini Suevi*, & *Friderici Austriaci*.
(c) l. c. n. 27. & 30.
(d) Apud *Grotium* L. 3. c. 8. §. 1. n. 2.
(e) In *Jugurtha* apud *Grot.* L. 3. c. 15. §. 1. & seq.
(f) L. c. n. 30. f. m. 190.
(g) L. 3. c. 15. n. 11,

tis probant, ſaltem non obſtinatis in ſuo errore, Polemici Scriptores. C. eſt deducta ex verbis *Grotii*, cui ſuffragatur *Pelzhoſerus*, dum ait, nihil tanti in mundo eſſe debere, cujus cauſâ vera Religio tolli, alterari, aut dividi poſſit. Religio ſiquidem, quia *circa Divina* verſatur, Divinum quid eſt, & veritati æternæ innititur: veritas autem, ſicut in ſe eſt immutabilis, & indiviſibilis; ita Religionem oportet eſſe *immutabilem*, *unam*, *indiviſam*, *perpetuam*. Hæc ille, & plura (a).

Jus poſtliminii hodie per lytrum, ſalvis Eccleſiaſticis.

R. III. Poſtliminium eſt *recuperatio prioris ſtatûs*. Fundatur hoc jus in reditu *ad limen*, ſeu fines proprios; aliud dicitur *à revertendo*, quando captivi revertuntur ad ſuos, ſive *de jure*, ſeu manumiſſione hoſtis; ſive *de facto* invitis hoſtibus ſe ſubducendo, uti accidit in bello injuſto: aliud nomen trahit à *recipiendo*; quando quis res ſuas ab hoſte recuperat, ſive *viâ juris* percompenſationem, ſeu ceſſionem &c, ſive *per viam facti*, id quod denuo fit in bello injuſto. Id animadvertendum, quod de ſingulis perſonis dictum eſt, idem & in populis ſeu civitatibus locum habere, ut, qui liberi anteà fuerint, recipiant libertatem, ſi fortè eas vis ſociorum, aut fortunatior caſus eximat hoſtili Imperio. Hodiernus poſtliminii uſus habetur *per redemptionem*, ſeu *lytrum*, cujus jus incertum, uti & quantitas, niſi quod illud legitimum adſtruat immemorialis Gentium conſuetudo, hanc verò perſonæ conditioni proportionatam, & ratio exigat, & etiam praxis demonſtret. A lytro tamen rectè Eccleſiaſtici eximuntur ab *Hertio*, de *Andlern*, *Schiara* (b), & aliis: quia *regulariter* nec occidi, nec bonis ſpoliari, nec ob ſtatûs eminentiam, ad vilem & probroſam ſervorum conditionem dejici poſſunt, ùt patet ex dictis ſuprà.

§. III.

§. 3.

Effectus reſpectu Subditorum.

De effectibus belli reſpectu ſubditorum?

Quæritur V. Quinam ſint effectus belli quò ad ſubditos?

Jus conſcribendi militis

R. I. Effectus belli juſti, Majeſtati reſervatus, *reſpectu ſubditorum*, eſt *jus militis conſcribendi*, luſtrandi, referendi in certos ordines, juramentum fidelitatis imponendi, quæ omnia conſectaria ſunt ex jure belli.

Intra proprium territorium.

R. II. *Non eſt licitum Principi, extra territorium proprium militem legere.* Patet: quia in alieno ſolo jus nullum, niſi ex privilegio, conſenſu, vel ſpeciali pacto ſit comparatum.

Et abſque coactione, ſaltem non Subditorum.

R. III. *Non ſubditus ad militiam cogi nequit.* Patet: quia fit conductio per contractum jure Naturæ liberum. Unde praxis contraria juſtitiæ repugnat.

Alius effectus eſt, jus ſequelæ.

R. IV. Alius effectus eſt *jus ſequelæ*, *quo ſubditi, in gravi neceſſitate Reipublicæ, ad juſtam defenſionem evocari, cogique poſſunt à poteſtate ſumma.* Patet ex juris hujus nomate *Germanico* Auſſbott; ex antiquitate ipſi bello coæva, fundataque in neceſſitate, omniúmque Nationum conſuetudine, hoc eſt, *in jure naturæ & Gentium.* Delectus evocandorum eſt *penes ſummam poteſtatem*, neque *regulariter* licitum, ſeſe pecuniâ liberare: quia obligatio magis *perſonam* quàm *patrimonium* afficit. Tenentur etiam ſubditi Principem extra territorium ſequi; quia ad finem, ſeu Reipublicæ ſalutem poteſt eſſe utile, immò quandoque neceſſarium, cujus rei determinatio ſpectat non ad ſubditos, ſed Imperantem.

Exigendorum ſumptuum pro milite alendo.

R. V. In bello juſto *miles Reipublicæ ſumptibus alendus eſt*: quia bello juſto, tanquam legitimo titulo, imponi ſubditis tributa poſſunt. In ſequela, ſi id neceſſitas poſtulet, ſuis etiam ſumptibus, ſeu pecuniâ jam antehac in commune ærarium collatâ, militare tenentur. Extra caſtra degenti militi habitatio concedenda à ſubditis, niſi domus publicæ reperiantur: quia habitatio eſt ſtipendii pars. Neque licitum ſubditis, *regulariter* ab hac obligatione per pecuniam ſeſe eximere: quia ex regula, in naturæ jure fundata, debitori non licet alium pro alio ſolvere, vel objectum principalis obligationis *adæratione*, ùt vocant, ſeu *redemptione pecuniariâ* immutare. Unde praxes Ducum induſtrialos, per ejusmodi exactiones* & inæquales hoſpitiorum aſſignationes, aliáque ſimilia, ad caſtrenſis *mammonæ* quæſtus improbos, relegandæ ſunt.

Jus Armandiæ.

R. VI. Alius effectus eſt *jus armorum* ſeu *armandiæ*, *ſummæ poteſtati competens*, quo armamentaria inſtrui, arma fabricari, tractaríque poſſunt à ſubditis, exercitiô apud bene moratas Reſpublicas conſuetô, & quàm maximè proficuo, ac neceſſario: unde curiæ *Venetæ* appenſa hæc bella epigraphe: *Felix civitas, quæ tempore pacis de bello cogitat.*

R. VII.

(a) In Arcan. ſtat. L. 7 c. 3. n. 12. & ſeq.

(b) Comment. de lytro ſect. 2. §. 17. Vol. 1. T. 1. ab *Andl.* Conſtit. Imper. V. *bellum* n. 23. *Schiara.* Theol. Belg. l. 5. diffic. 4. n. 18.

* Service Gelter &c.

Jus extruendi munimenta.

℞. VII. Alius denique belli *effectus*, *potestati summæ reservatus est*, *muniendi*, *vel exstruendi fortalitia*, *imponendi præsidia*, *& excubias imperandi*; quia sunt necessaria media ad finem licitum. Unde colligitur 1. Quòd, *secluso pacto*, vicinus non possit seu contrà excipere, seu præsumptionem æmulationis opponere: *Ratio est*, quia quod quisque facit in sua ditione, jure facere, nec cuiquam extraneo præjudicium inferre præsumitur, ni probetur, præsertim cùm munimento in finibus suis opposito ejusmodi periculo valeat præcavere. *Colligitur 2.* Quòd ad similes extructiones præstandæ à subditis sint expensæ, si impar sit ærarium publicum: nec privatorum ædes, prædia, arces hìc servandæ indemnes, modò necessitas, ac utilitas publica urgeat, cui cedit utique privata, & quod omnium causâ patitur unus, contributione omnium sit meritò resarciendum. *Colligitur 3.* Quòd extra casum ultimæ necessitatis Ecclesiæ nunquam licitè incastellentur, id prohibente Ecclesiastico jure, ob reverentiam summam DEO, sacrísque locis debitam &c.

Nulla subditus obligatio, belli justitiam examinandi;

℞. VIII. *Non tenentur subditi, præcisè * ad bellum evocati à Principe, belli justitiam examinare.* Ita *Molina* (a), allegans *Angelicum*, *Victoriam*, *Gabrielem*, *Sotum &c.* *Ratio est*: quia subditus imperii executor, non scrutator est: ergo judicium suum judicio Principis, pro quo stat præsumptio, potest accommodare. Unde *Seneca*: *Servus herilis imperii non censor est*, *sed minister*; secùs enim subordinatio debita, ad regimen Reipublicæ necessaria, sæpe sæpius turbaretur.

Nisi communi famâ sese injustitia proderet.

℞. IX. *Tenentur tamen subditi taliter evocati sese informare de belli justitia*, *casu quo rumor communis vel causæ insufficientiam*, *vel injustitiam promulgaret.* *Ratio est*, quia alias versarentur in ignorantia culpabili, & affectata, quacum nequit honestas operationis consistere. Unde *Grotius* causas belli justificas requirit tam claras, ut palàm ab Imperante exponi possint, & debeant.

In dubio stat præsumptio pro Principis æquitate;

℞. X. *Stante nihilominùs dubio*, *post factam inquisitionem*, *subditis bellare licitum.* *Ratio est*; quia in dubio stat præsumptio pro justitia: ergo deposito dubio speculativo possunt concludere *practicè*, bellum esse justum. Aliud foret, juxta Clariss. P. *Franciscum Schmier* (b), si probabilior appareat injustitia belli, sic ut præsumptio pro justitia, majori præsumptione vel suspenderetur, vel elideretur. Sed non videtur hæc ratio omninò convincens 1. Quia cùm hæc materia sit quidem de damno proximi, non tamen judicialis, ex probabilissimi principiis potest deponi dubium, ob consilium Principis; quódque in dubio Principi obediendum, eíque conformandum judicium; vel saltem quòd sic agendo ex dictamine reflexo non peccet. 2. Quia hoc suadet paritas cum Ministro justitiæ; qui latam sententiam justè exequitur, etiam stante ejusmodi dubio; cùm ad ipsum non pertineat rei discussio. 3. Quia, ùt observat *Suarezius*, hoc casu *tutiùs* est obedire Principi, ejusmodi inobedientiâ sæpe in præjudicium Principis, & turbationem publicam degenerante. In praxi, reor, haud magna est difficultas.

Etiam respectu non subditorum.

℞. XI. Juxta eundem Authorem, *quæ de subditis dicta sunt*, *applicanda quoque militibus conductitiis*, siquidem *ante bellum*, de quo dubitant, mercede conscripti sunt. *Ratio est*, quia hoc casu subditis æquiparantur: secùs si *primùm conscribendi* de bello dubitent; quia hoc casu necdum subjecti, præsumptionis argumento in favorem Principis faciente, juvari nequeunt, nisi forsan ex aliis probabilissimi principiis excusentur. Sed & ista distinctio, salvâ reverentiâ tanto Authori debitâ, non videtur sat efficax. 1. Quia non apparet, cur ejusmodi militiæ canditati non possint uti argumento præjudicii, vel saltem deponere dubium ex dictamine causæ, longè meliùs à concilio Principis libratæ, sícque bona fide nomen dare militiæ. 2. Quia favet consuetudo, qua extranei nomen dant, absque scrupulo de causa belli libranda, id quod in praxi vix foret possibile. Illud tamen utique non vocandum in dubium, quòd in dubio practico operari sit semper illicitum, quódque milites taliter comparati, ut insuperhabitâ justitiâ, aut injustitiâ belli, ad cujusvis obsequia sint paratissimi, si modò justum præbeatur stipendium, à gravi reatu haud excusabiles dici possint.

§. IV.

§. 4. Obligationes in bello.

De obligationibus in bello.

Quæritur VI. *Quænam sint obligationes in bello?*

℞. I.

* aliud foret, si ad consilium.

(a) Tom. 1. Tr. 2. Disp. 113. n. 3.

(b) Jurisprud. publ. univ. L. 4. c. 1. sect. 5. §. 2. n 420. f. m. 385.

Reſpectu ſummæ poteſtatis onus reddendæ Deo rationis, & reſtitutionis in bello injuſto.

℞. I. *Obligatio generalis, reſpectu injuſtè bellantis*, infert rationem Deo reddendam de cunctis cædibus, malis, rapiniſque, unà cum onere reſtitutionis damnorum omnium, quæ reſtitutione ſarciri poſſunt. Si tamen finis, ſeu intentio v. g. vindictæ &c. ſolùm foret iniqua, cauſa verò juſta in bello ſuſcepto, conſcientia gravaretur, ſed onus reſtitutionis ceſſaret, ùt dictum ſuprà. Ceſſat obligatio utraque, ſi bona fides excuſet Principem ob ignorantiam injuſtitiæ, quæ tamen, adhibito ſapientûm conſilio, diligentiáque diſcuſſioni tam grandis negotii proportionatâ, verè ſit invincibilis: vincibilis ſi foret, reſtitutioni eſſet obnoxia non tantùm reſpectu Principis, ſed & eorum, qui à conſiliis, & vel malitià, vel dolo, vel negligentià, ejuſmodi bello fuére cooperati, ùt rectè animadvertit *Molina*. A fortiori inferiores, putà duces, & milites, ſiquidem *reverà* ſint *bona fide bellantes*, à reſtitutione fiunt immunes. Quòd ſi, *durante bello*, injuſtitia belli ſe patefaciat, tenentur procurare dimiſſionem, ac ab actibus hoſtilitatis ceſſare: ſi, *bello finito*, innoteſcat injuſtitia belli, bona fide munitos non ſtringit obligatio reſtitutionis *quò ad conſumpta*, etſi maneat ex parte rei extantis, vel qua facti ſunt ditiores.

Stipendiorum ſolutio militi facienda.

℞. II Obligatio Principis in ſpecie, *reſpectu militum*, infert ſolutionem ſtipendii, quia intercedit contractus reciprocus, vi cujus milites operam addicunt ſuam etiam cum manifeſto vitæ periculo: unde obligationis neglectæ pediſſequa eſt *reſtitutio*, vel etiam compenſatio occulta, debitis cum circumſtantiis, reſpectu militum. Unde obligatio Principis, ejúſque hac in parte adminiſtrorum, ad omnia damna emergentia, ſive militibus, ſive aliis, à quibus extorta per egentem militem ſunt alimenta, & ſic de aliis.

Reſpectu militis, militare ſervitium,

℞. III. Obligatio militum, *reſpectu Principis*, ſe extendit ad omnia ſervitia militaria, etiam cum præviſo mortis periculo præſtanda. 2. Ut ſint contenti ſtipendiis, nec vi vel fraude plus ſibi vendicent juxta reſponſum Præcurſoris Dominici (a): *Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.*

Abſque præjudicio tertii præſtandum.

Unde quorumdam, ùt ajunt, Præfectorum rei annonariæ praxes, ſtipendia militis differendo, minuendo, defraudando, plures milites fingendo, plures portiones ſibi, vel aliis applicando &c. Item induſtriâ nonnullorum Ducum, tranſitus, hoſpitationes, aliáſque præſtationes communes multiplicando; immò & injuſtiſſimas vexas, pretio redimibiles, militum delectus, promotiones, pecuniis venales, proſtituendo &c. Item militum multorum cacoethes, plura per ſchedas hoſpitia aucupando, hoſpites, ruſticos vexando, plus in cibo, potúque exigendo &c. aliæque ſexcentæ fraudes ſunt meritò reſtitutionis obligationi obnoxiæ, & ad illicita militaris licentiæ ſpolia, juſtitiæ *Chriſtianæ* contraria, amandandæ. Sed hæc juſtitia nonnullis etiam Orthodoxis videtur chymerica, etſi in Evangelio expreſſa, à legum conditoribus præcepta, & vel ab ipſis Ethnicis obſervata. Ita *Vellejus* refert de *Sulla*: *Putares veniſſe in Italiam non belli vindicem, ſed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam, Apuliamque, cum ſingulari cura frugum, agrorum, urbium, hominumque perduxit in Campaniam* (b). De *Pompejo* ſcriptum reliquit *Cicero* (c): *Ejus legiones ſic in Aſiam perveniſſe, ut non modò tanti exercitûs, ſed nec veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dictus ſit.* De *Stilicone* narrat *Claudianus* (d):

Tanta quies, jurisque metus ſervator honeſti
Te moderante ſuit, nullis ut vinea furtis,
Aut ſeges ereptâ fraudaret meſſe colonum.

℞. IV. Obligatio, *reſpectu hoſtium inter ſe*, præſcribit 1. In bello incipiendo *juſtitiam*. Rectè *Salluſtius* (e): *Sapientes pacis cauſâ bellum gerunt.* 2. In modo belli gerendi requirit *moderationem*, quâ belli licentia, intra neceſſariæ defenſionis, vel licitæ recuperationis limites, coarctatur. Unde *Ariſtides* cupit *juſtum pœnarum modum* (f). Bellè D. *Auguſtinus*: *hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas: ſicut bellanti violentia redditur, ita victo miſericordia debetur, maximè, in quo pacis perturbatio non timetur* (g). Sed quàm paucos *Marcellos* numerat *Mavors*, de quo *Cicero*

Reſpectu hoſtium, juſtitia in bello.

Moderatio.

(a) *Lucæ* 3. v. 14.
(b) l. 2.
(c) Pro L. *Manilia.*
(d) L. 1.
(e) Orat. 1. ad Cæſarem.
(f) apud Grotium, l. 3. c. 11. §. 1.
(g) Epiſt. 1. ad Bonifacium.

ro (a): quòd *ædificiis Syracuſanis, ſacris, ac profanis, ita pepercerit, ac ſi ad defendenda, non expugnanda cum exercitu veniſſet.*

Sinceritas. 3. Eadem requirit *ſinceritatem*, ſeu veracitatem oppoſitam *dolo malo*, atque *mendacio*; non autem ſimulationi, inſidiis, & ſtratagematis licitis, ex eo capite, quia, cùm in bello juſto fas ſit hoſti nocere, fas quoque erit, occultando illi conſilia, efficere, ut decepti nocumentum patiantur, * dicente DEO ad *Joſue*: *Pone inſidias urbi poſt eam* (b). Unde S. *Auguſtinus*: *cùm juſtum bellum ſuſcipitur, ut vi apertâ quis pugnet, aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt* (c).

Fides. 4. Petit inſuper *fidelitatem* in promiſſionibus quàm exactiſſimè ſervandis. Hinc S. *Auguſtinus*: *Fides, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur* (d). Rationem dat S. *Ambroſius*, *quia nullum decorum eſſe poteſt, ſi violetur fides* (e).

Etiam de jure Naturæ: Unde non *Grotius* à *Puffendorfio*, ſed *Puffendorfius*, hac ex parte *Hobbeſianus*, per *Grotium* eſt reformandus, dum diſtinguit inter pacta (f), quæ tendunt ad pacem, ſeu ſtatum belli tollunt, & inter pacta, quæ *ſtatum belli relinquunt*, etſi aliquatenùs mitigent, ſic ut priora ſervanda, poſteriora, etſi *ſpontaneâ cultiorum Gentium conſuetudine*, ſervari ſolita, *jure tamen Naturæ* haud ſervanda aſſeveret. Nam

Cùm ſit inter homines obligationis capaces, *Contrà eſt* 1. *Violata fide nullum decorum eſſe poteſt*: ergo nec naturale. A. P. Hoſtes per hoc, quòd ſint hoſtes, non deſinunt eſſe homines, obligationis mutuæ capaces: ergo & juris naturalis ex promiſſo, vel pacto: ergo, violato hoc jure, neque decorum naturale eſſe poteſt.

Hoſtilitate partialiter ſublata, *Contrà eſt* 2. Ideò juxta *Puffendorfium* pacta, quæ ſtatum belli tollunt, ſunt firma *jure Naturæ*, quia non ſunt inter hoſtes: atqui etiam pacta, *quæ ſtatum belli relinquunt*, *quò ad comprehenſa in pactis*, non ſunt inter hoſtes, ſed hac ex parte mutuò conſentientes: ergo & iſta erunt firma.

Mutuóque conſenſu vim naturaliter ſtringente, *Contrà eſt* 3. Juxta *Puffendorfium* pacta, quæ relinquunt ſtatum belli, non ſunt firma *jure Naturæ*: ergo nec pacta ad pacem tendentia. C. P. ex eo, quòd validitas pactorum habeatur *formaliter* à mutuo conſenſu, non autem *à qualitate perſonarum* contrahentium.

Neque obſtat 1. Quòd hoſti vita: ergo à fortiori jura auferri queant. Nam ℞. Auferri queunt ſecluſa promiſſione, *& ſtante jure*, quod alioquin competit adverſùs hoſtem. C. C. Auferri queunt etiam *data fide*, qua renuntiatum eſt juri auferendi hoſtilia jura. N. C. Sic pactis cum hoſte induciis jus, quod in perſonas, & res hoſtiles anteà habebatur, ſaltem ad tempus remiſſum eſt. *Hinc reſtringitur jus erga hoſtem,*

Neque obſtat 2. Quòd ſtatus belli non agnoſcat alium agendi modum, niſi per vim. Nam ℞. D. A. Quò ad ea, quæ non excepta ſpeciali pacto, C. Quò ad excepta. N. *Modúsque agendi hoſtilis,*

Neque obſtat 3. Quòd hoſtibus, *quaſi in infinitum*, ſit licitum, ſibi invicem nocere. Nam ℞. N. A. Quia falſum ex dictis ſuprà. Vel D. Licitum eſt nocere, niſi ſtatus bellicus, mediante pacto, aliquatenùs immutetur, ſeu ùt ipſe *Puffendorfius* loquitur, *temperetur*, ſic ut nocendi licentia alioquin competens, reſtringatur. C. Si reſtringatur *ſecundùm quid*. N. *Illimitatus,*

5. Obligatio hoſtium ſeſe extendit inſuper *ad honeſtatem*, ne per ſtupra, adulteria, aliáve nefanda flagitia ſæviant in devictos. *Patet* jure naturali, ejuſmodi ſcelera ſemper prohibente, utì & Divino (g), ac jure Gentium, ſaltem meliorum, exclamante ad tale *Sicyoniorum* facinus *Æliano* (h): *Crudelia hæc, & ne ipſis quidem Barbaris probata.* Unde ſpectando quoque *ſolam injuriam*, alieno corpori illatam, armorum jure eò minùs excuſari poſſunt ejuſmodi ſcelera, quò minùs aut fœminæ in proſtitutionem ſui corporis conſentire, aut hoſtes in ſexum imbellem hoſtile quidpiam moliri poſſunt, juxta ea, quæ diximus ſuprà. *Honeſtas.*

6. Adſtringit etiam hoſtes ad *humanitatem*, per ſepulturam mortuis exhibendam, ſaltèm *ex jure Gentium*, & ſecluſâ pœnâ, vel jure quodam reciprocationis, dicente S. *Chryſoſtomo* (i). *Quòd ex lege mortuos nemo judicet hoſtes, irâ & contumeliâ in eorum corpora ſeſe non extendente.* *Humanitas.*

7. Ad-

(a) In *Verrem* 4.
* Varia ſtratagemata vide apud *Contzenium* L. 10, c. 38, 46, 47.
(b) *Joſue* c. 8. v. 3.
(c) Q. 10. ſuper lib. *Joſ.*
(d) In cap. *Noli.* caus. 23. Q. 1.
(e) L. 1. Officior.
(f) L. 8. de Jure Naturæ & Gent. c. 7. f. m. 1346. & ſeq.
(g) Deut. 21. v. 10 & ſeq.
(h) apud *Grotium* l. 3. c. 4. v. 19.
(i) Orat. de lege.

Decentia festis diebus debita.

7. Adstringit denique *ad observantiam Festorum*, saltem ex regulis decori, & nisi aliud *necessitas*, *utilitas*, *seu major commoditas* suadeat: unde lex illa canonica (a): *Si nulla urget necessitas, non solùm quadragesimali, sed omni tempore est prœliis abstinendum.* Sed hunc textum consuetudine abrogatum, notat *Panormitanus.*

Respectu partium neutrarum requiritur indemnitas.

℟. V. Obligatio hostium, *quò ad neutrales*, ùt vocant, exigit, ut illos servent indemnes, neque in ipsorum territoriis hostiles actus exerceant. Et licèt, juxta dicta, *summa necessitas* tribuat jus, v. g. præventionis, firmandi præsidio munimenti in alieno solo, id tamen intelligi debet de casu *necessitatis verè summæ*, *de sola custodia*, *salvis omnibus juribus tertii &c.* Hinc *Grotius* (b): *si custodia sufficiat, non sumendus usus; si usus, non sumendus abusus; si abusu sit opus, restituendum rei pretium.*

Neutrales obligantur ad æqualitatem erga utrumque bellantem.

℟. VI. Obligatio partium neutrarum petit, erga utrumque bellantem, *veram æqualitatem* in permittendo transitu, in commeatu præbendo, obsessis non sublevandis &c. id quod ad causam belli etsi dubiam extendit *Grotius* (c). In causa alterutrius injusta nulla inre adjuvandus bellator injustus, neque justus ullatenùs impediendus, eodem teste. Immò, interprete *Muelenio* (d), & justitia, & humanæ societatis conservatio, à qua propria cujusque salus dependet, videtur exigere, ut ejusmodi societaris perturbatores, tanquam in exitium humani Generis nati, junctis viribus (si fieri possit) debellentur, & justam causam foventes, quò ad fieri potest, adjuventur.

Transvectio mercium dependet à conditionibus neutralitatis.

Etsi verò ex requisita æqualitate fluat, res bello tantùm aptas, ùt arma, non posse ad alterutrius castra transferri, non tamen sequitur, quòd transferri nequeant res, nullum habentes bellicum usum, ùt vestes, odoramenta &c. Quòd si usum habeant intra & extra bellum, ùt commeatus, naves &c. attendendum, an alterutrius jura seu juventur, seu impediantur. Hodierno usu, præmisso fœdere, & consensu explicito neutralitaris conditiones ejusmodi exprimuntur, & periculo præcavetur.

§. V.

§ 5

De Repressaliis.

De Repressaliis.

Quæritur VII. Quid de Repressaliis sentiendum?

Repressaliæ.

℟. *Repressaliæ*, sic dictæ ab *Italica* voce *Ripresa*, sunt *species belli privati*, utpote quo vindicatur injuria privato à privato illata, neque malè dicuntur *jus, quo Magistratus sive se, sive suos, in casu denegatæ ab externis justitiæ, ab illata per eosdem injuria vindicat, redditque indemnes.* Explicatur descriptio.

Sunt jus consensu gentium inductum.

Dicitur 1. Quòd sint *jus*, non quidem *à Natura* inductum: quia, *spectato jure Naturæ*, neque Communitas, neque ullus privatus tenetur *ex alieno facto*, obligationibus, sive ex pacto, sive ex delicto, suos tantùm authores stringentibus. Apparet tamen, inductum esse *gentium consensu*, * sicut, Magistratu creditoribus exreris justitiam deneganre pro suis suorúmve debitis ipsa Communitas, seu singulorum civium bona obligata esse censeantur.

Ad inhibendam exteros damnificandi licentiam.

Ratio ejusmodi juris potuit esse 1. Inhibere vagam exteros damnificandi licentiam, vel Magistratu ad faciendam justitiam, vel subdirorum bonis ad satisfactionem præstandam obligatis, ídque titulo *conjunctionis in corpus civile*, quo sicut injuria, per extraneos uni illara, videtur tangere totam civitatem; ita visum est minimè iniquum, singulos, velut in subsidium, pro debiro civitatis esse obligatos. Neque obstare potest privati unius vel alrerius innocui damnum, quia cedit commodo publico, & Genribus cunctis communi: præterquàm quòd privatorum damna, in Communitate sæpius sint inevitabilia, suppetente insuper recursu ad Communitatem, à qua ejusmodi detrimenta privatis civibus resarcienda.

Bono publico prævalente.

Ratio esse potuit 2. Quia, sicuti justitiâ ab alia civitare nostris subditis denegatâ, justa suppetit belli causa, ita à fortiori Repressaliarum justa habetur ratio, per quas non infertur bellum toti civitati, sed unus tantùm, altérve civis, vel res solummodò violentiam patitur. Neque sequitur, repressalias bellô nocentiores, eò quòd in illis in-

nocen-

(a) C. *si nulla*, caus. 23. Q. 8.
(b) L. 2. c. 2. §. 10.
(c) L. 3. c. 17. n. 3.
(d) ad Grotium. cit. n. 3.

* *Puffendorf.* apud *Kemerichium* in elementis J. N. & G. c. 16. §. 10. n. 43. f. m. 287. existimat, *jus repressaliarum non jure gentium quodam voluntario, sed fundamento imputationis niti*: eò quòd factum Civitatis totius imputari quoque singulis possit, propter arctissimam unionem membrorum & corporis, ita factum singulorum toti Civitati &c.

nocentes, eorúmque bona offendantur *directè*, non autem in hoc: nam contrà est, quòd in bello innocentes tam in vita, quàm in bonis persæpe offendantur, in repressaliis verò vita non auferatur, & bona in modum pignoris solummodò detineantur. *

Quo Magistratus sive se, sive suos,

Dicitur 2. *Magistratus*, seu potestas summo instructa imperio; quia Respublica nocens non agnoscit in causa propria Judicem præter Deum, nec hostem alium, quàm parem. Unde repressaliæ differunt à pignorationibus *propriè* dictis, quòd hæ à quovis judice privato decerni, vel etiam *à privatis contra privatos*, authoritate propria, usurpari possint: neque obstare potest praxis, quondã in sic dicto manuario jure contraria, quia temporibus turbidis malè usurpata, eò quòd ex repressaliarum abusu non minùs, quàm ex bello, universa Respublica in discrimen adduci possit. Textus tam canonici, quàm civiles, qui repressalias reprobare videntur, intelligendi sunt de iis, quæ à privatis, *authoritate privata*, fiunt, aliisque conditionibus destitutæ sunt. **

In casu denegatæ justitiæ,

Dicitur 3. *In casu denegatæ justitiæ*. Unde requiritur 1. Ut adeatur Princeps, seu Judex alterius civitatis, ibíque *in forma juris legitima*, petatur cognitio causæ, & satisfactio, quia aliàs judicii forma negligeretur. 2. Ut justitia sit denegata, vel non concessâ actori audientiâ, vel saltem malitiosè protractâ, vel sententiâ quidem datâ, sed manifestè injustâ, ad quam *non subditus* cogi nequit, quia aliàs aliena jurisdictio usurparetur. 3. Ut non suppetat remedium aliud consequendi juris, v.g. per compensationem, appellationem; quia repressaliæ sunt medium *extraordinarium & violentum*. 4. Ut adeatur proprius Magistratus seu Princeps, isque & ipse frustra satisfactionem urserit: quia sic & ipse Princeps offenditur. 5. Ut idem Princeps facultatem ad repressalias dederit, quia hæc concessio ad solam pertinet potestatem summam.

Ab illata per eosdem injuria

Dicitur 4. *Ab illata injuria*, intellige *gravi*, & *debito liquido*, nam foret iniquum, injuriam levem, modò tam acerbô, & quadam specie belli, & debitum dubium compensatione e.r.a, etiam ab innocuis reparare.

Vindicat, redditque indemnes.

Dicitur 5. *Vindicat, redditque indemnes.* Nam vis repressaliarum alia est *quò ad personas*, & alia *quò ad res*. Personæ sunt soli subditi Reipublicæ nocentis; quia his tanquam membris imputabilis culpa. Unde excepti viatores, peregrini, Legati, Ecclesiastici, ob specialem constitutionem (a), ac privilegium immunitatis: vel saltem, ut loquuntur molliores Protestantici cum *Zieglero* (b), quòd, *commum Gentium consensu*, personis ad cultum Divinum destinatis, semper fuerit ea reverentia, ne in corpore aut bonis læderentur. Jure *Imperiali* (c) Principes & Status Imperii, *respectu sui*, jure *civili* excipiuntur etiam studiosi, euntes ad nundinas &c. (d) Non tamen fœminæ, vel innocentes; quia aliàs vis repressaliarum enervaretur. Quò ad personas concessa est *detentio* etiam *ob damnum datum in bonis*, si satisfactio in bonis haberi nequit: sed concessa est *sola detentio*, absque servitute, aut severiori tractatione, multò minùs mutilatione, vel occisione, etsi spes non affulgeat consequendæ justitiæ, quia non sunt hostes, sed potiùs obsides. *Res* jure repressaliarum occupanda sunt bona *ejusdem generis*, si fieri possit, *neque excedentia damnum illatum*; quia quod ultra æqualitatem eripitur, justum esse definit, & rapina vel furtum est. In bonis, sic occupatis, non tamen acquiritur ipso facto dominium, ut *Grotius* opinatur, sed *solùm jus pignoris*: quia ab occupatione bellica rectè dicitur diversa, eò quòd & repressaliarum finis sit alius, nempe ut occupatione rerum promoveatur negata vel male protracta iustitia: hac desperata acquiritur plenum dominium. Ubi notandum 1. Nocentes jure naturali ac Divino esse obligatos ad resarcienda damna, innocentibus illata. 2. Jus repressaliarum esse restringendum, utpote odiosum, & quia est *species belli*, quo publicis scandalis, atque incommodis, immò tumultibus quoque facilis semita aperitur.

IN-

* Unde Gregorius X. C. un. *de injuriis*. & *damno dato* in 6. cùm ait: *pignorationes, quas vulgaris executio repressalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves legibus, & æquitati naturali contrarias, civilis constitutione prohibitas*, asserit, locutus est, uti apperet ex contextu, de personis Ecclesiasticis, respectu particularis Civitatis, seu Reipublicæ, cujus legibus contrariantur, L. sicut 7. §. si quid ff. quod cujusque. Item L. nullum 4. Cod. de execut. Cod. ne uxor. Item ne filius: item ut nullus.

** Unde non desunt, qui verba *Gregorii* X. suprà allata, etiam de repressaliis, privatâ authoritate factis, interpretantur.

(a) C. un. de jurejur. & damno dato in 6.

(b) L. 1. de Jurib. Majest. c. 34. n. 20.

(c) R. I.A. 1570. §. 34. patétque ex praxi camerali.

(d) Nov. 134. c. 9. l. un. de Nundinis.

Inſtructio 5.

INSTRUCTIO V.

De ratione ſtatûs circa bellum.

De aularum Idolo, ſeu ratione Statûs circa bellum.

Ratio ſtatûs in genere circa bellum. Requiſita belli in vera ratione ſtatûs.

Quæritur I. Quænam circa bellum ſit vera falſáque ratio ſtatûs?

℞. I. Bellorum ratio, prout conſideratur *ſecundùm DEUM*, plerumque pro cauſa habet *peccata hominum*; prout conſideratur *ſecundùm homines*, cauſa ordinaria eſſe ſolet *ratio Statûs*, uti patet univerſali propè inductione bellorum. Hoc tamen diſcrimen eſt inter *Orthodoxam* & *pſeudo-politicam*, quòd illa ſectetur *veram*, hæc verò *falſam* rationem Statûs. *Vera* in Principe requirit intentionem puram, candorem realem, cauſáſque belli patentes, ad DEI gloriam principaliter directas, ſimpliciter neceſſarias ad bonum publicum, & ſine dolo juſtiſſimas.

In falſa.

Idolum ſtatûs ſeu *pſeudo-politica* non curat cauſas belli *juſtas habere*, ſed poſſe *prætendere* & *ad ſpeciem* propalare; curat veras diſſimulare, prætenſas artificioſè expingere, ùt exemplo eſſe poſſunt (: prout diſſerit *Ferdinandus Guilhelmus ab Efferen* (a):) Proteſtantes Imperii, ſæculò decimô ſextô, & ſeptimô, qui *ſub ſpecie Religionis, & juſtæ defenſionis pro libertate conſcientiæ*, Eccleſiaſtica ſpolia & retinere, & rapere belli jure conati ſunt. Rectè in hanc rem idè illuſtris Statiſta (b). Si dicant Novatores, ſe bella defenſiva pro religione ſua ſuſcipere, convincuntur contrariis actibus. Nam raró ob Religionem, ſæpiſſimè ob ſeditiones oppugnantur, & in facto aliena Regna, Provincias, Epiſcopatus hoſtiliter invadunt. Deinde conſtat ex generali Novatorum pronuntiato, quòd nullum ſit juſtius bellum, quàm quod contra Papam, & Papiſtas ſuſcipitur: ergo rectè infertur, iſtos vel maximè de bello offenſivo agitare conſilia. Hoc ſicut negare non poſſunt, ita fateantur oporter, quòd conſcientiæ & Religioni vim inferant, & ſibi contrarii libertatem impugnent. Ita ille. Forſan huc reſpexit Poeta, dum cecinit (c):

> Militiæ quondam partes, ac jura fuerunt,
> Tutari patriæ dulcia tecta ſuæ.
> A ſociis arcere minas, pepuliſſe tyrannos,
> Hoſtis & incurſus continuiſſe vagos.
> At nunc quid bello petitur? prædare;
> nec hoſtem,
> Sed ſocium, vitâ eſt exſpoliâſſe decus.

Requiſita cauſa à vera.

℞. II. Orthodoxa Politica inter juſtas belli cauſas numerat 1. Cauſam DEI, defenſionem Catholicæ Religionis, ſi vi vel fraude impugnetur, bonis ſpolietur, ad hæreſes impellatur. 2. *Defenſio Statûs*, vel licita ultio in vindicandis injuriis, violentiis, damnis, hoſtilitatibus &c. 3. Defenſio ſtatûs, vel licita ultio contra ſubditos ſeditioſos, conjuratos &c. Quibus cauſis adjungitur 1. *Circumſtantia neceſſitatis*, ut non ſuppetat juris ordo, & cuncta pacis conſilia ſint fruſtrata. Adjungitur 2. *Modus intentionis*, ſic ut bellum, ex juſtis cauſis ſuſceptum, geratur *juſtè*, & ad effectum pacis, & ad ſatisfactionem juſtitiæ.

Prætenſa à falſa: Defenſio,

℞. III. Idolum ſtatûs utitur *prætextu juſtitiæ publicæ*, & 1. Omne bellum defenſivum eſſe juſtum affirmat, quia defenſio eſt naturæ congenita. Sed ℞. D. Omne bellum defenſivum, *juſtâ cauſâ* ſuffultum. C. ſecùs, N. Alias Princeps injurius, fœdifragus &c. negata ſatisfactione ab altero laceſſitus, ſeſe juſtè defenderet, nec eum reſtitutionis obligatio teneret, quod falſum.

Salus Reipublicæ.

2. Docet juſtiſſimas eſſe bellorum cauſas, quæ pro ſalute Reipublicæ, hoc eſt, pro conſervatione, aut augmento ſtatûs ſuſcipiuntur; quia cùm ſalus Reipublicæ ſuprema lex ſit, nihil juſtius prætendi poſſit. Sed ℞. D. Salus Reipublicæ ſuprema eſt, *cum reſpectu* tamen *ad leges juſtitiæ*. C. Simpliciter, quomodocunque conſervanda, vel augenda, etiam *abſque reſpectu ad leges Divinas, atque humanas*. N. Si enim ex ejuſmodi ratione ſtatûs bellorum juſtitia æſtimanda foret, ſequeretur, vix ullum bellum unquam fuiſſe, vel fore injuſtum.

Incrementa.

3. Dogmatizat idem Idolum, conſervationem ſtatûs, & augmentum Reipublicæ cauſas eſſe merè politicas, à Religione penitus ſeparatas, ac independentes: ergo *Chriſtiano* Principi licitas. Sed ℞. T. A. D. C. Ergo licitæ ſunt *per media licita*. C. Per *media quæcunque*, & qualiacunque. N. C. Diſtinctionem exemplo declarat idem ab *Efferen*: ſi Rex *Chriſtianus* videat, Regem vicinum potentiorem fieri, exinde metuat, & idolum ſtatûs conſular,

(a) In Manuali Politico f. m. 795.
(b) loc. cit.
(c) apud Illuſtr. *Belzhoferum*.

lat, sanè aliud consilium non referet, quàm pacem *publicè* esse colendam, *secretiùs* verò agendum, ut plures illi hostes insurgant; ut auxilia dentur periclitantibus, & vires in diversa distrahantur, ne potentia ad justum metum excrescat. Et numquid hoc est pacis osculum fingere, & ipso facto hostilia omnia procurare; amicitiam jurare, & inimicis auxiliari, justitiæque leges, Deúmque contemnere?

Libertas. 4. Prætendit libertatem moralem esse justam belli causam, quia libertas, & vita hominis æquiparantur. Sed R. D. Est justa belli causa, ùt ab antiquo possessa, & defensa contra externum, nullo jure suffultum. C. Contra Magistratus legitimos. N. Aliàs enim omnibus populis, & subditis aperta foret rebellionis porta, quia si *justè* pro vita & libertate pugnatur, etiam *justè* Princeps deseritur.

Præcipuè Religionis. 5. Saltem libertatem Religionis justam esse belli causam proclamat: quia conscientiam, à Deo libertate donatam, Princeps nequit violenter compellere: si vim inferat, subditis defectionem & defensionem liberam esse pronuntiat. Sed R. D. Conscientia à DEO libertate donata est, sic ut *liberè* possit à fide, *unicè vera*, deficere. C. Ut possit *licitè*. N. Ad hanc enim, uti & ad filialem obedientiam Ecclesiæ veræ, DEUS hominem per severissimas leges Divinas & humanas, immò sub interminatione æterni supplicii adstringit. Et quomodò ejusmodi Pseudo-politici libertatem prætendunt, qui libertatem arbitrii cum *Calvino*, & *Luthero* negant, necessitántque voluntatem humanam ad bonum vel malum, DEúmque Authorem peccati faciunt? Sed numquid, hoc libertatis autonomicæ prætextu, defectiones suas à legitimis Principibus palliare contendunt? Rectè nominatus suprà ab *Efferen*: *Sic numquam seditiosis deerit occasio rebellandi; numquam securi erunt Reges; nunquam in pace vivet Respublica. Quæ mala ut maturè avertantur, flandum sanctis legibus: non admittendi, multò minùs tolerandi sunt ejusmodi Novatores.* Ita ille (a).

Religio. 6. Tandem bellum Religionis pro defensione veritatis Evangelicæ, & oppugnatione superstitionis idololatricæ, ac *Anti-Christianæ* contra Papam, atque Catholicos, utique licitum vociferatur *Lutherus*, Megalander ille politicus; immò magis licitum proclamat, quàm contra *Turcas*: *Papa enim*, ùt ait, *verus est Anti-Christus*, Catholici ejus sectatores; *Turca* verò à DEO in *flagellum Christianorum* vocatus est. Sed R. 1. Quid si quis regereret cum memorato *Guilielmo* ab *Efferen*: Novatores sine justa causa, immò per propudiosam calumniam Catholicos *Turcis* pejores, & majores hostes proclamant; ergo Catholici hos Novatores potiùs, quàm *Turcas* justissimè persequerentur. Sed absit: unde R. 2. D. Et hic prætextus, pro defensione Evangelicæ veritatis, est *vera* causa, quam habent *Novatores* ad bella Religionis. N. Est palliata, veris causis studiò dissimulatis. C.

Hic mos est Novatorum dudum decantatus, ùt rectè monet laudatus suprà Politicus, dum ita ait (b): *Ariani*, hæretici in orbe Catholico potentes, continuis bellis, *etiam offensivis*, afflixêre Catholicos. Si illi causam bellorum (ùt historiæ sonant) faciunt *zelum Religionis*, justè accusantur, quòd libertatem, quam profitebantur, violenter sustulerint. *Meliùs* ergo, & *veriùs* declarat ipse Imperator *Julianus* bellorum suorum in Catholicos causam, cùm dixit, *omnem principatum, & bona Catholicis adimenda esse, ut in Christi paupertate securiores vivere possint. Quo dictò, & factò*, inquit allegatus Author, *satis apertè ostendit, se non Religionem, sed statum Catholicorum ambivisse*. Idem fecerunt *Arianorum* Episcopi: suaserunt, & moverunt in Catholicos bella, non ut Religionem propagarent, sed *ut illorum Episcopatus, & Regiones occuparent*, quod inde clarum est, quia Religionem permiserunt, statum ademerunt. Tum pergit Author: *nostrò sæculò Lutherani in Germania, Calvinistæ in Gallia, Anglia, Belgio &c. maximos bellorum motus excitârunt*, & tam constanter Religionem pro causa *publicè* assumpserunt, ut vix sine gravi offensione aliud sentire, aut dicere licitum voluerint. Si tamen omnia istorum novatorum bella & fœdera verè considerentur, *religio prætextus*, seu *specimen exterius; status ambitio vera causa sunt*. Hoc patet ex professione fidei Protestanticæ, & ab eventu rerum, quia *neminem ob Religionem turbari, multò minùs bellò infestari volunt*. Eventus autem docuit, quòd in *Germania Lutherani* non Cæsaris Religionem, sed *Imperium oppugnarint*, atque novissimè correspondentes sub *Friderico Palatino totalem eversionem Domûs Austriacæ intenderint*, & sine discrimine Reli-

(a) l. c. m. 809.
(b) l. c. f. m. 796.

Religionis Regna & Provincias invaserint. *Ita in Gallia Hugonottæ Regnum tentárunt, in Anglia obtinuerunt, in Belgio excusserunt.* Omnes *ambitio regnandi*, paucos, aut nullos ad bellum movit *Religio.* Ita hic Author.

Requisita à vera in Ducibus fide,

℞. IV. *Christiana Politica* in Ducibus, præsertim supremis, requirit *pietatem in Deum*, sitam fundamentaliter in professione fidei, unicè veræ, seu Catholicæ. Ratio est 1. Quia hæc radix virtutum, quæ necessariæ Ducibus, putà *justitiæ*, *prudentiæ Christianæ* &c. 2. Quia est basis *solidæ fiduciæ*, quæ spem erigit rei bene gerendæ; facilitat populi auxilia, præcipuè verò Divina, sine quibus inanes sunt vires humanæ, & hostibus non nisi vanum terrorem incutiunt; notum est illud *Gustavi Adolphi de Tillio*: *Monachi illius vires non timeo, sed pietatem.*

Neglecta à falsa.

Neque obstat ratio status pseudopolitica, quòd fides non faciat Ducem, sed *experientia*, *fortitudo* &c. Nam ℞. Non facit quidem Ducem *propriè*; efficit tamen bonum, gratum, & confidentem DEO; sicut impietas & Ducem & exercitum DEO reddit exosum. Non quidem facit Ducem, sed tamen maximè considerabilis est in Duce hæc qualitas. Securior erit conjunctio fortitudinis cum pietate, quam cum atheismo Idoli, in quo nemo fortis, nisi impius & crudelis. Idem *proportionaliter*, & cæteris paribus sentiendum *de milite*: nam impius miles sibi & Reipublicæ est inutilis; in obligationibus, & juramentis instabilis, perfidus, ignavus, per vitia DEO exosus, & exercitui perniciosus.

Titulus 4.

TITULUS IV.

De Fœderibus.

De Fœderibus, eorúmque natura, ac proprietatibus.

Instructio I.

INSTRUCTIO I.

De Fœderum Origine, natura, ac proprietatibus. §. 1.

De Fœderum origine, naturâ, ac proprietatibus.

§. I.

Origo Fœderum.

Origo Fœderum.

Societati civili coæva.

QUæritur I. *Quæ Fœderum origo?*

℞. I. *Fœderum origo historica societati civili est contemporanea.* Assertum constat inductione. Sic, teste *Livio*, & *Dione*, omnes Gentes, cùm de Imperio certârunt, ante omnia socios suæ fortunæ quærebant: sic ipse Author Naturæ fœdus pepigerat cum *Noë* Posteris, productâ in reconciliationis testimonium cœlesti iride: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit in signum fœderis inter me, & inter terram; cumque Cœlum obduxero nubibus, recordabor fœderis mei* (a). Sic in statu legis Naturæ notum est fœdus *Abrami* cum *Escol*, & *Aner* (b), cum *Abimelecho* (c), & *Jacobi* cum *Labano* (d). In statu legis scriptæ vulgatum est fœdus Ducis *Josue* cum *Gabaonitis* (e), Regis *Davidis* cum Senioribus *Israel* (f), *Salamonis* cum *Hiram juxta sapientiam, quam dederat illi Deus* (g). *Joiadæ* cum Præfectis militum (h), ut nihil dicamus de exemplis profanæ historiæ, rectè animad-

(a) Genesis 9. v. 13. & 14.
(b) Gen. 14. v. 13.
(c) Gen. 21. v. 27.
(d) Gen 31. v. 44.
(e) c. 9. v. 15.
(f) Reg. 5. v. 3.
(g) 3. Reg. 5. v. 12.
(h) 4. Reg. 11. v. 4.

animadvertente illustri *Pelzhofero* (a): *Quòd nec Romulus, nec Cyrus, nec ipse, qui à Deo speciali curâ regebatur, Populus Israël, sine suppetiis sociorum creverit, aut suum Imperium stabiliverit.*

Origo fœderum remota ab ipsa natura.

℞. II. *Origo* fœderum *fundamentalis*, & *impropria* descendit *ex ipsa natura*, uti ad societatem humanam, ita & ad fœdera, veluti fortissima securitatis publicæ vincula, tutissimáque ejusdem societatis præsidia inclinante.

Ratio est 1. Quia non tantùm expedit societati humanæ habere domesticos, sed & socios vicinos, atque amicos. 2. Quia, si quæ familia est hoste suo debilior, sine fœderatorum auxilio resistere, sibíque consulere haud posset. Unde cum *Puffendorfius* nonnulli Recentiores *satis impropriè* loquuntur, dum fœdera ex Naturæ jure *formaliter* & *proximè* derivant. Nam etsi fœderum obligatio (id quod suprà jam indicavimus) sit juris naturalis, ipsa tamen *admissio*, seu *conventio*, nequaquam fluit ex Naturæ jure, *propriè tali*, sed merè *concessivo*. *Ratio est*: quia ejusmodi fœdera, etsi naturæ, societatíque humanæ *conformia*, ac æquitati naturali quàm maximè *consentanea* sint, siquidem *rationabiliter*, *debitóque modo* petantur, non tamen sunt *absoluta necessitatis*, sic ut exigantur *determinatè* ab amore, alteri naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *simpliciter* requisito. Cur enim Gens quælibet, *absolutè loquendô*, non possit sibi sola vivere, aliarúmque nationum fœdera recusare, saltem excepto casu *extremæ necessitatis*, qua Gens vicina, ad avertendum interitum, fœdus justum innocuúmque exposceret?

Formalis & proxima habetur à jure Gentium.

℞. III. Inde *origo* fœderum *formalis*, ac *propria* habetur *à jure Gentium*. *Ratio est 1.* Quia *utilitatis*, ac *necessitatis publicæ* causâ per Gentes inducta sunt fœdera, eò quòd expediat Reipublicæ vicinos habere socios, & contra hostem sibi sœderatos.

Ratio est 2. Quia Respublicæ ac Civitates pleræque ita sunt constitutæ, ut careant quibusdam etiam necessariis ad sui conservationem, ac incrementum, ut adeò aliarum Gentium subsidiis, per fœdera conquirendis, quàm maximè indigeant.

§. II. §. 2.

Essentia fœderum.

Essentia fœderis:

Quæritur II. *Quid nominis, reíque est fœdus?*

Pactio publica,

℞. I. *Fœdus* sic dictum à *fide*, * quæ fœderi interponitur: aliis etiam *Liga*, *societas*, *seu amicitia* dicitur: veriùs est *sponsio publica*, dupplicitérque accipi potest *formaliter* pro ipso actu, atque contractu, & *materialiter* pro ipsis articulis conventis.

Seu contractus pro publica utilitate.

℞. II. In ordine ad præsentem tractationem sumitur *pro contractu publico, publicæ amicitiæ, mutui auxilii, & commerciorum gratiâ à diversis Civitatibus mito.*

Definitio.

℞. III. *Fœdus* rectè definitur, esse *Conventio publica, à Personis summa potestate præditis legitimè inita communis commodi ergò.* P. *Conceptus.* Hæc definitio est clara, habet genus, & differentiam, convenit omni & soli: ergo est bona. *Ant.* declaratur. *Generice* dicitur *Conventio* inita, *specificè* conventio publica, ut excludat fœdera privata, seu contractus etiam Regum & Principum *circa negotia privata*, eò quòd authore *Hugone Grotio* (b), ejusmodi pactiones non nisi *jure Imperii* fieri queant. Dicitur inita *à personis summa potestate præditis*, hoc est, vi Majestatis; sive dein hæc potestas denotet Polyarchicum, sive Monarchicum regimen: siquidem teste Philosopho (c), jus ineundi fœdera refertur *ad jura Majestatis.* Adjungitur *legitimè* seu *justè* inita, ut excludantur fœdera simulata. Denique additur *communis commodi ergò*; nam utilitas publica fœderum finis est, trahitque secum sive auxilia mutua in sui mutuam conservationem, sive alia commoda in matrimoniis, commerciis &c.

§. III. §. 3.

Multiplicitas fœderum.

Fœderis divisio:

Quæritur III. *Quotuplex fœdus?*

In temporarium, & perpetuum.

℞. I. Aliud est *temporarium* pro certo negotio, expeditione &c. Aliud *perpetuum*, indefinitè sine termino initum. ** Perpetua fœdera *in ordine ad* pa-

(a) In arcanis statûs l. 5. c. 1. n. 2. f m. 297.

* Non à *fœde cædendis victimis*, ùt aliqui autumant, quæ in paciscendo crudeliter necabantur, cum pari imprecatione in partem, quæ à pacto resiliret &c.

(b) De Jure belli & pacis L. 2. c. 15. §. 1.

(c) L. 4. Polit. 14

** *Hebræis* dicta *fœdera Salis*, qui simbolum est incorruptionis: sic Num. 18. v. 19. legimus: *Pactum Salis est sempiternum coràm Domino tibi, ac filiis tuis.*

pacem sunt haud dubiè licita: *in ordine ad bellum*, pacis, ab Authore Naturæ præceptæ, *perpetuò* exclusivum, illicita videntur, nisi eo sensu accipiantur, quo, præstandis utrinque præstitis, paci locus aliquis,| conditione implicita, reservetur.

In æquale, & inæquale. ℞. II. Alia sunt fœdera *æqualia*, alia *inæqualia*. Illa ineuntur inter æquales dignitate, potentiâ, viribûs; vel saltem *æquali modo*, hoc est, inter inæquales quidem, sed æqualibus tamen legibus, jure pari, ut neuter prærogativâ honoris, potestatis, vel commodi fruatur. *Inæqualia* sunt, quæ ineuntur inter inæquales dignitate, potentiâ, viribûs, vel inter æquales quidem, sed tamen *diverso modo*, hoc est, inæquali conditione honoris, commodi, vel potestatis. Nam licèt neutra pars contrahentium renuntiet libertati suæ, ac juribus Majestatis; *debilior tamen potentioris Majestatem comiter observare tenetur*. Unde, his stantibus, nihilominùs fœderatus fœderatis non subjicitur, sed liber manet, rectè animadvertente *Proculo* ICto (a), ut proin longè aliud sit, *esse in alterius fide*, & *esse in alterius ditione*: hoc enim dominatum, illud patrocinium sonat; sicut ergo patrocinium privatum non tollit libertatem personalem, ita patrocinium publicum non tollit libertatem civilem, quæ summo Imperio implicata est.

In defensivum, offensivum, & mixtum. ℞. III. Fœdera ulteriùs dividuntur in *offensiva*, quæ ad bellum *offensivum*, seu vindicativum, seu recuperativum, seu punitivum, & *defensiva*, quæ ad bellum defensivum, ùt vulgò dici solet, ordinantur. Supponitur hìc, quòd bellum defensivum sit illud, *quod defensionis gratiâ ad vim, ex injuria illatam, propulsandam suscipitur*. Offensivum, *quò vis infertur ad injuriam vindicandam* &c. (b). Si simul sit offensivum fœdus, ac defensivum, appellari solet *mixtum* (c); ejusmodi fœdus, cùm supponat *justitiam belli tam offensivi, quàm defensivi*, invalidum non est, ùt vult *Ulricus Hueberus* (d). Sic enim non erit stipulatio ad quæcunque bella, ad quoscunque jure vel injuriâ affligendos, adeòque humano generi minùs consentanea.

In reale, personale, constitutivum, & perfectivum juris naturalis. ℞. IV. Addunt nonnulli fœdus *reale* & *personale*: illud, intuitu Reipublicæ initum, successores; hoc, intuitu paciscentis initum, solam illius obligat personam. Alii cum *Hugone Grotio* adjiciunt fœdera, *quæ constituunt jus naturale*, & *quæ eidem aliquid adjiciunt* (e). *Constitutiva*, vel potiùs *confirmativa juris naturalis*, *inutilia* non sunt, ùt vult *Puffendorfius*, quando id, quod jure naturali debetur, ad præcavendum corruptioni humanæ, in pactum deducitur, ut sic duplici obligatione *honestatis* & *fidelitatis* firmetur: sed & *proficua* sunt, si quæ jure naturali non satis determinata, per ejusmodi fœdera explicatiùs declarentur. Immò & *necessaria* esse possunt, saltem apud illas Gentes, quarum meminit *Grotius* (f), quæ malè persuasæ humanitatis officia, non nisi civibus, ex debito competere putant, in exteras verò licitum esse prædas agere, latrocinari, & nihil non hostile moliri, cùm hujusmodi officia, etiam jure naturæ debita, *necessariò* in pactum deducenda sunt.

§. IV. §. 4.

Fœderum materia, forma, ritus.

Quæritur IV. *Quæ fœderum materia, forma, & ritus?* *Fœderum materia.*

℞. I. *Materia* fœderum debent esse res honestæ, ac licitæ: siquidem facta improba in pacta deduci nequeunt. Communia fœderum objecta sunt Religio, matrimonia, commercia, auxilia, securitas, bella tam offensiva, quàm defensiva, pax, induciæ, aliaque negotia, & commoda, Reipublicæ statum concernentia.

℞. II. *Forma* Fœderum duplex est, *interna*, consistens in ipsa pactione & conventione, ejúsque sanciendæ ritu. *Externa* consistens in conscriptione & consignatione tabularum. *Forma.*

℞. III. *Ritus* pro varietate Gentium & temporum varii sunt, idem tamen intentum, ut constaret rei gravitas. In historiis legimus, quòd aliqui, proprii vel alieni sanguinis haustu, mutua fœdera firmârint, ùt *Catilina*: sic *Scythæ* infuso in grandem calicem vino commiscebant paciscentium sanguinem; sagittásque ac secures tingebant; denique diris se devoventes poculum evacuabant. Alii mactatis victimis fœdera firmabant, ùt *Romulus*, & *Tatius* apud *Maronem* (g); Additæ in *Ritus varii.*

(a) In L. *non dubito* 7. §. 1. ff. de captiv. & postlimin.
(b) P. *Jo. Bapt. Ebbrecht* c. 6. §. 2. n. 8.
(c) P. *Schmier* Jurispr. publ. L. 4. c. 3. n. 38.
(d) Apud Eundem l. c.
(e) L. suprà cit. c. 15. §. 5. n. 1.
(f) L. c. n. 2.
(g) L. 8. v. 639. & seq.

In fœdifragos execrationes: nota eſt Fecialis *Romani* formula: *Si per Populum fiat, quò minùs dictis legibúsque ſtetur, eum Jupiter ita feriat, ùt ego hunc porcum.* Unde parœmia: *ferire fœdus, Jovem lapidem jurare*; ſiquidem Fecialis ac cepro lapide dicere ſolebat: *ſi fidem ſervâſſo, tum me Dii adjuvent; ſin ſciens fefellero, tum ego, ſalvis omnibus cæteris in ſua Patria, ſuis legibus, ſuis Penatibus, ſa.ris, ſepulchris, ſolus exterminer, uti hic lapis,* quem ſimul è manu abjecit. Alii firmabant fœdera paludamento in manu colligato, ùt *Romani* apud *Carthaginenſes*; alii adhibito ſale & pane, ut demonſtrarent, tam neceſſariam eſſe fœderum obſervantiam, quàm panis ſalísque uſum, neque unquam corrumpendam fœderum fidem (a). Apud *Christianos* fœdera diviſione ſacræ Hoſtiæ fuiſſe aliquando firmata, ſunt, qui ſcribant de *Paſchale* II. & *Henrico* V. Imperatore: *Ludovico* item *Bavaro*, & *Friderico* pulchro *Auſtriaco*. Veriùs ſumpto devotè SS Sacramento, ſubſcriptione item & ſigillorum appenſione utriusque partis, & adiecto corporali, ùt vocant, ſacramento ad ſancta Evangelia hodie ſanciri fœdera, firmaríque ſolent.

§.5.

§. V.

Obligatio fœderum.

Fœderum obligatio Arctiſſima.

Quæritur V. *Quænam obligatio, ac firmitas fœderum?*

℞. I. Obligatio, mortalium nullo, cui rationis lumen vel modicum ſcintillat, inficiàs eunte, eſt *graviſſima*, in ordine *ad præſtanda ea omnia, quæ in articulis fœderis ſunt comprehenſa.* Nam firmantur 1. *Fide humana*, quâ nil in rerum natura ſacratius, cùm ſit unicum ſocietatis humanæ vinculum, cuius violationem tempus nullum, nulla prætenſa neceſſitas excuſat, rectè monente *Silio* vate:

> *Audite ô Gentes! non rumpite fœdera pacis,*
> *Et Regnis præferte fidem.*

Unde etiam Gentiles *Romani* violatores fœderum olim acerrimè ulti ſunt. *Metium*, Dictatorem *Albanorum*, quadrigis diſcerptum, non ſatis multâſſe ſibi viſi ſunt, niſi etiam *Albam* ſolo æquarent. *Vejentes* quoque à ſtirpe funditùs deletos; *Carthaginem* intra quatuordecim dies incendio abſumptam; *Campanos* miſerandum in morem aut cæſos, aut duriſſima ſervitute oppreſſos; *Corinthum* ac *Numantiam* exciſam, civésque omnes interemptos in faſtis hiſtoricis legimus, tantus apud Gentiles violati quondam fœderis horror fuit. Firmatur 2. Jurisjurandi religione, qua fiunt *juris Divini*, ut adeò ſacrilega fœderis violati perfidia ſecum plerumque trahat graviſſimam Numinis vindictam. Teſte *Thucydide*, etiam Gentilibus perſuaſum erat, *Deos eſſe fœderum arbitros*: inexpiabilis eſt religio fidem fallere; pœna fœdifragum ſequitur, ùt paſſim teſtantur hiſtorici annales. Certè *Saulis* poſteritas, ratione *Gabaonitici* fœderis, vindictam ſenſit, uti conſtat ex ſacris Paginis. Hinc etiam ſervanda fides publica, tam data, quàm jurata, Hæreticis, Infidelibus, in fœdere per ſe licito, & quod nec Religioni, nec bonis moribus adverſatur.

Firmitas, vel infirmitas potius.

℞. II. Quàm gravis eſt obligatio fœderum, tam levis, & ſæpe nulla eorum eſt firmitas. Hinc Illuſtris Statiſta *Pelzhoferus* (b): Olim, inquit, inexpiabile erat, fœdus frangere; nunc verò fide juratâ nihil fragilius, nulla fœderibus firmitudo, nulla ſincera ſocietas, nulla pactis conſtantia, & jurisjurandi vix ulla cura. Et quantumvìs (quemadmodùm diſſerit C. *Richelius* (c):) confœderationes Principum proſpera aliquando ſortiuntur principia, raròtamen optato exitu terminantur. Addit idem Author: ut vel hinc intelligamus, Principem fœderatorum promiſſis confiſum, non eſſe abſimilem mercatori, fortunas ſuas navigio lacero committenti: cùm experientia millies teſtatum fecerit, Principibus tot eſſe prætextus rerúmque commentitias cauſas reſtringendi fidem, ſolvendíque fœdera, ac negandi promiſſa, ut ſecuritatis nullus locus ſit, usque dum lubeat. Ita ille.

Cauſa fundamentalis, commodum privatum.

℞. III. Tam deplorabilis inſtabilitatis cauſa fundamentalis eſt illud pſeudo-politicorum principium: *Fœdera non niſi utilitate privata eſſe metienda, & tam diu obſervanda, quàm diu proficua:* Quaſi verò, ùt dudum animadvertit *Tullium*, utile eſſe poſſit, quod non honeſtum, & non potiùs utilitaris regula ex honeſtate, quàm honeſtatis ex utilitate ſit deſumenda (d). Unde illi fœderum ſcopuli, *ſpes amphores* per Adver-

(a) *Virg. Æneid.* 12.
(b) In arcanis ſtatûs L. 5. c. 9. f. m. 250.
(c) In Miniſt.
(d) D. ab *Andlern* V. Bündnuß n. 1. 2. & 16.

versariorum largitiones, promissa, affinitates, ac commoda lactatæ; * *diffidentiæ, metus*, Adversariorum artibus seminati inter fœderatos; ** *omnium non par utilitas*; *** *adversa fortuna* &c. quorum omnium famosa scylla & *interesse*, quod appellant *privatum*, de quo sic exclamat memoratus Statista (a): *O maledicta utilitas, quanta tu consilia distrahis? quantos interrumpis conatus? quot præcipitas negotia? quot negligis occasiones nunquam redituras? non mihi amplius utilitas eris, sed perditio rerum.* Addit (b): *Sic nempe vincit semper utilitas, rarò honestas. Nihil igitur* (ùt observat C. *Richelius*) *promius ad separandos Fœderatos, quàm commodum oblatum, cùm id solum Principum fœderibus substernatur, & subtractum afferat finem.* Inde apud eundem Authorem illud cujusdam Regis scitum politicum: *Reges non aliter inter se pacem ac fœdera facere, quàm cum hac tacita conditione, ut quod rebus suis utile est, semper amplectantur; & quod periculosum, cautè devitent.* Inde & illud axioma *Francisci*, *Urbinatum* Ducis, refert citatus Author: *Privatum hominem ob non servatum jusjurandum meritò quidem culpari, Principibus autem, Regni servandi causâ, licere contrahere, nec contracta implere; inire fœdera, & iis rursus ex suo commodo renuntiare.* **** Inde idem alibi sic concludit (c): *O raram per hæc tempora fidem!* ubi primùm fortuna titubat, mox corruit fides fœderum. Nemo vult calamitosorum esse socius, nemo egentium amicus, nemo cæterorum confœderatus. Quamprimùm quæstus imminuitur, aut commercia infringuntur, in partes seceditur, & confœderati deseruntur citra omnem datæ fidei synteresin. Ubi de Regno agitur, aut Regnantium commodis, nihil minùs pensitatur, quàm fides, mox nive citiùs solvitur, pennâ leviùs in aera rapitur, & infringitur, ùt levis canna. Quanta ejusmodi abrogatæ fidei, violatorum fœderum, circumventorúmque Principum, quæ hoc ultimo ævo in *Europa* nostra contigisse scimus, si liceret, referri possent. ***** Verùm sicut succumbit fides, ita veritas succumbere debet. *Fides*, ait *Tacitus*, *integra nunquam manet, ubi magis magnitudo quæstuum, quàm fœderum sanctitas spectatur.* Sed exolevit jam *attica fides*: oblitteratum *Rhadamanti jusjurandum*; *confractæ Jovis tabulæ*: desiit *dictum ac factum*. Divites sumus promissis tantùm, factis autem inopes. Ita ille.

§. VI. §. 6.

De fine fœderum.

Quæritur VI. *Quinam sint fœderum fines & effectus*? Fines fœderum:

℞. I. Fines fœderum ex tabulis sunt desumendi. Generalis *est conservatio certæ præstationis, auxilii ac officii mutui, adeoque salus paciscentium publica, sui, suorúmque defensio, securitas adversus hostes,* Universalis, commodum paciscentium.

Autho-

* Sic *Cyrus* Junior, à Fratris partibus, *Lacedæmonios* ad se ottraxit. *Viros si mitterent, peditibus equos, equitibus currus, possidentibus agrum daturum se vicos; vicos qui haberent, facturum se Dominos civitatum; omnibus auri argentique vim tantam, quæ ex numerantium tædio ponderari deberet.*

** Sic teste *Pelzhofero* l. c. dissoluto sæpe validissima fœdera contra *Turcas*, quæ si in vigore mansissent, actum jam fuisset de Imperio *Ottomannico*.

*** Inde æquilibrium *Europæ*; inde tot expeditiones contra *Turcas*, feliciter cœptæ, infeliciter terminatæ, maximè illa Regis *Hispani*, Reipublicæ *Venetæ* cum *Paulo* III. & *Pio* V. ùt habet idem Author l. c. f. m. 053.

(a) In Arcan. stat. L. 5. c. 9. f. m. 252.

(b) f. 253.

**** *Hippolythus* à Lapide Rat. Stat. P. 1. sect. 4. *Wenceslaum Meroschwam* dicere solitum, memorat: *Totus Mundus fuco utitur; cum vulpibus vulpinandum, pueri nucibus, viri juramentis fallendi sunt. Nec infame est violâsse jurisjurandi religionem: fecerunt hoc nostri Principes; nos chariores habebunt, si non modò pro eis belligeremus, sed etiam pejeremus. Dum crepundia vendunt Institores, simulant, mentiuntur, pro asse pejerant: & nos id non faciemus pro regnis & arcibus? Faciemus & quidem lubenter.* *Lehmannus* in Chron. Spir. L. 5 c. 60. refert, à *Leone* Pontifice objurgatum quondam *Octavianum Fregosum*, quòd contra fidem *Gallis* suppetias tulisset, atque *Octavianum*, respondisse in litteris: *Grave quidem mihi futurum, me hominibus, rationis status rudibus, purgare, quòd promissis non steterim. Ast quoniam mihi cum prudenti, ac præpotenti homine. Papa Romano res est, quémque non latet, Principi vitio, ac injustitiæ non dandum, si qua dilatandi Regni, aut evidentissimæ utilitatis gratiâ pactum non servet, nullus dubito, quin me facilè excusatum sis habiturus.*

(c) L. 1. c. 1. f. m. 000.

***** *Conring.* per suum Respondentem Tom. operum 4. f. m. 969. ex illaudata assuetudine calumniandi summos Antistites, in exemplum producit *Julium* II. dum ait: *Multi hodie sunt, qui cum Julio II. Pont. ex sua libidine, & propriis commodis, omnia contra æqualitatem dimetientes, omnia rata irrita habent, nec aliam ob causam se fœdera, nisi fallendi gratiâ inisse, ultrò jactant: certè utilitatis gratiâ fraudes & perfidiam admittunt, prudentiæ locò ponentes, pro moribus temporum alios decipere.* Sed quanta *Conringio* fides sit, præsertim in Pontificum historia, nemo non videt: unde circumstantiæ sublati fœderis cum *Ludovico* XII. *Galliarum* Rege, ex probatis Authoribus, petendæ sunt.

Authoritas apud exteros, incrementum status per emolumenta commerciorum &c. Inter fœderum fines particulares, vel si mavis, causas impulsivas, non rarò numerari meretur æmulatio, ùt patet in *Athenensibus*, & *Spartanis* respectu *Graciæ*; in *Carthaginensibus*, & *Romanis* respectu *Africæ* & *Europæ*. Subin impellit *metus* crescentis potentiæ in præjudicium æquilibrii, ùt patet in statibus *Europæ*. In expeditionibus sacris finis quoque fuit *Religio*, sed, ùt notat memoratus suprà *Pelzhoferus* (a): *Fœdera, quæ hodie ænea videmus in causa caducissimi Regni, infirma sunt in causa Christi; fatalitate morum nostrorum magis amamus collidi invicem, & cruore mutuo expleri, quàm Turcarum & infidelium exuviis nostra exornare trophæa.* Ita ille.

Effectus, obligatio. ℞. II. *Effectus* fœderum *proximus* est obligatio standi pactis. *Remotus* ipsa pactorum præstatio, & quæ ex illa fluunt, intenta Reipublicæ commoda. Obligatio, *regulariter loquendo*, incipit à momento præstiti consensûs mutui, non requisito instrumento ad complementum obligationis, nisi aliud expresè convenerit: credendum enim, juxta *Grotium* (b), scripturam adhiberi, ùt momentum contractûs, non ùt substantiæ ejus partem: *fiunt siquidem Scripturæ, ut, quod actum est, per eas faciliùs probari possit, & sine his valet, quod actum est, si habeat probationem*, ùt ait *Gajus* (c). Hodierno more, ubi per Legatos tractantur fœdera, obligatio vix incipere poterit, antequam articuli & scripti, & Principalibus exhibiti, ac consignati fuerint.

§. 7.

§. VII.

Fœderum interpretatio.

De interpretatione ac executione fœderum.

Quæritur VII. *Quid de fœderum interpretatione, ac executione?*

Modò stricta, modò lata. ℞. I. Juxta *Grotium* (d), in casu impotentiæ moralis, quando v. g. fœderato quis promisit auxilium, quamdiu promittens ipsemet domi periclitatur, suísque copiis opus habet, excusatur à sua obligatione: quilibet enim, sibi proximus, non sub alia conditione socii suppetias promisisse creditur, quàm si ipsemet non magis indigeat, ne dum alienum incendium restinguere cupit, ipsemet suis in ædibus comburatur. Hoc tamen eò minimè trahendum, ùt excusetur, qui duplices copias vel sustentare facilè possit, vel qui, ut socium auxilio fraudet, bello sese sua sponte involverit. 2. In aliis casibus fœdera *modò latam*, modò *strictam* exposcunt interpretationem. Sic *fœdus* belli *offensivum*, etsi odiosum, si tamen sit contra *Turcas*, vel alios alieni Imperii invasores, extendendum est non tantùm ad recuperanda amissa, sed etiam ad enervandam illorum potentiam, usque dum satisfaciant pro illatis damnis, & securitatem præstent de non offendendo in futurum. Contrà *defensivum fœdus*, etsi ex natura sua favorabile, si tamen initum sit conditionibus inæqualibus, aut sancitum cum *Turcis*, Barbaris &c. contra emolumentum Reipublicæ *Christianæ*, exitiosum evadit, ac restringendum est. 3. Cæterùm si verba sint dubia, ad verosimilem fœderatorum mentem confugiendum est. 4. Interpretatio *extensiva* de persona ad personam, vel de causa ad causam, in fœdere non expressam, locum non habet, nisi fuerit expressa saltem *ratio Generalis, unica*, & *adæquata*, ex qua non ambiguè constet, voluisse fœderatos, etiam in casu simili, conventionem suam procedere.

℞. II. Fœderis executio, seu actualis auxilii præstatio, ubi de tempore nihil expressum, probabiliùs non stringit ante admonitionem, seu intimationem à parte fœderata factam: nam etsi socius socio bellum habenti sit obligatus, armis aut pecuniis subvenire; quia tamen, ubi de tempore subveniendi nil conventum, incertus manet, quonam tempore vel loco fidem suam liberare debeat, non injustè exspectat, usque dum ab altero socio de tempore vel loco, quorsum & quando desiderata auxilia sint mittenda, admoneatur. *Fœderum executio.*

§. VIII.

§. 8.

De contrariis fœderum.

Fœderum contraria.

Quæritur VIII. *Quænam sint contraria fœderibus?*

℞. I. Contraria est *dissolutio*, quæ fit quàm maximè *per renuntiationem mutuam*, ubi nulla difficultas: siquidem *nil tam naturale est, quàm eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est* (e). *Renuntiatio non mutua* plus habet difficultatis. *Renuntiatio mutua, non mutua.*

(a) L. c. f. m. 215.
(b) In C. 4. de Pignor.
(c) L. 2. c. 16. §. 30.
(d) L. 2. c. 16. §. 27. n. 1.
(e) L. 35. ff. de R. J. in 6.

Pars II. U

tatis. Juxta *Textorem* (a) *fœdus personale* (siquidem nil aliud conventum sit) dissolvitur renuntiatione facta ab uno è sociis, saltem *in gravi causa*, qualis esset *cessatio finis*, seu *communis utilitatis*, puta, si emergentibus circumstantiis, socii longior confœderatio parùm vel nihil conduceret, renuntianti verò non modicum damnum afferret. *Ratio* est, quia socio liberum est à fœdere recessum facere, ubi non constat, quòd ad tempus determinatum aut in perpetuum, pars altera eum velit in fœdere persistere. 2. Contrà *fœdus reale fortius est personali, nec unius voluntate solubile. Ratio est*, quia censetur perpetuum, seu durans omni tempore, casu, & circumstantia; si enim, prætextu novæ causæ vel circumstantiæ, liceret à fœdere recessum facere, vix unquam perpetuitas fœderis haberetur. 3. Unde, *stante fœdere bellico, unus socius, altero invito vel ignorante, particularem pacem inire nequit*, * neque *potest vires, aut viros hosti submittere*, quia hæc tendunt in fœderis destructionem, ùt patet. 4. *Majori sociorum parte in dissolutionem fœderis consentiente, non ideò fœdus dissolvitur. Ratio* est, quia dum agitur de jure singulorum, cujus generis est dissolutio fœderis, major pars non præjudicat minori, sed valet potiùs regula, quòd in re communi melior sit conditio prohibentis. 5. *Conditione fœderis non impleta licitum est fœderi renuntiare*: patet ex cæteris conventionibus. Idem censetur, si fœderatus impediatur frui commodo *gravis momenti*, cujus intuitu fœdus initum est: siquidem cessante causa cessat effectus. 6. Teste *Grotio* (b), *concessum non est, fœderi ex parte renuntiare*, seu dempto uno alteróve articulo cætera servare, nisi specialiter ita conveniatur. *Ratio* est, quia contractus quilibet censetur individuus. 7. *Fœdus, unius renuntiatione illicitè factâ, solvitur in favorem alterius confœderati, non renuntiantis*, sic ut possit vel recedere, vel urgere fœdus & pœnam conventionalem, si qua fortè adjecta sit, exigere. Patet ex paritate cum aliis pactis; unde est trita parœmia: *Frangenti fidem fides frangatur eidem; cùm damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debeat, non aliis imputare.* (c). 8. *Fœdus solvitur, casu quo unus è sociis, necessitate quadam impeditus, illud observare non potest. Ratio* est; quia in confœderatione magìs ad opus, & auxilium actuale, quàm ad voluntatem respici solet. Potest etiam urgere fœdus, & impedimenti sublationem, non tamen exigere pœnam, in Transgressores adjectam, culpam excusante necessitate.

℟. II. Alterum contrarium est *lapsus temporis in fœdere præfixi*: hoc enim elapso per se exspirat, nec opus est aliqua renuntiatione. Idem sentiendum de tempore *tacitè* elapso, nempe, finito negotio, bello, cujus solius causâ est initum. *Lapsus temporis.*

℟. III. Tertium contrarium est *mors Fœderatorum sive naturalis, sive civilis.* *Mors fœderatorum.* Unde 1. Cessat fœdus personale per mortem naturalem, sic tamen, ut omnes Socii moriantur: siquidem etiam unus superstes auxilium conferre, & ad finem, cujus gratiâ fœdus coaluit, cooperari valet. ** Limitatur tamen in casu, quo mortuus esset Principalis, cujus nempe in fœdere præcipua opera & cura fuit (d). 2. In fœdere reali mors nihil aliud immutat; cùm ea de causa ad Successores porrigatur. 3. Cessat fœdus per mortem fœderatorum civilem, si status publicus immutetur v. g. subacto per hostem Regno: quia mutatur subjectum commune fœderis: ergo & ratio prioris statûs atque conditionis. Hoc tamen, *regulariter* loquendo, *** extendi nequit ad solam mutationem formæ Reipublicæ: *Ratio* est; quia status publicus, utut alteratus, manente eodem corpore, veteres obligationes retinet, cùm contractus principaliter cum corpore politico, cujuscunque formæ sit, conclusus esse præsumatur.

℟. IV. Quartum contrarium fœderis, est *fœderis non usus*: nam præsumitur cessare fœdus tacito fœderatorum assensu, casu quo fœderatus diu non præstitit præstanda, etsi potuisset, parte altera tacente. *Non usus.*

℟. V. Aliis contrariis violare fœdera, dolis nempe, donis, sexcentisque aliis machinis justorum fœderum solutionem procurare, sacrilegum est ac *Malæ verò artes non solvunt.*

(a) Synopsi Jur. Gent. c. 25. à n. 5.

* Hinc, ùt rectè notat *Textor* l. c. n. 10. quamvis suppetant hujus rei exempla, nihil inde concluditur, quia *potiùs ad factum, quàm ad jus referenda sunt.*

(b) L. 2 c. 15. §. 25. de J. B. & Pac.

(c) Ex c. 86. de R. J. in 6.

** Unde *Hadriano* VI. Pont. mortuo, à *Venetis*, & aliis confœderatis *Carolus* V. conventionalem pœnam exegit ob non servata ejus fœderis capita.

(d) Arg. L. *adeò*, in princ. ff. pro Soc.

*** Nam, si foret talis intentio contrahentium, ut nollent se sociare corpori, incommodâ sibi regiminis forma utenti, pactio non operaretur ultra mentem paciscentium. Sic *Hernici* apud *Halicarnass.* l. 5. *Roman.* Orig. negabant, *fœdus unquam sibi ullum intercessisse cum Populo Romano, quod autem sibi cum Tarquinio fuerit, finitum esse, Imperio ei adempto, & mortuo in exilio.*

ac infame. Patet ex jure Naturæ, Gentium, Divino, & humano.

§. IX.

§. 9.

De fœderum cautelis.

Cautelæ fœderum.

Modus seu cautela, in fœderibus adhiberi solita.

Quæritur IX. *Qualis sit modus ineundorum fœderum, seu quæ cautela adhiberi solita?*

In perpetuis. R. Cum *Pelzhofero* (a), *Wollero*, & aliis (b), perpetua fœdera non facilè esse ineunda, ob innumeros casus, qui emergere possunt.

In inæqualibus. 2. Fœderati potentiâ non debent esse *nimiùm impares. Non multò debiliores*, quia non multùm proderunt; *non multò potentiores*, ne nos opprimant, vel recepti semel repelli nequeant. Immò ne pro impensis subsidiis vel subjugationem, vel certè integrarum Provinciarum compensationem exposcant, rectè animadvertente *Tacito* (c), *nunquam satis fida potentia, ubi nimia.* * Verbô: debilioribus periculosa esse potentiorum non raró fœdera, docet Historia, eò quòd plerumque Dominos sentiamus, quos fœderatos assumpsimus. ** Unde ne *inæquali*, seu *clientelari*, ùt vocant, fœdere sensim servitus inducatur, præcavendum conditionibus, Majestatis & libertatis jura servantibus; curandum, ut brevi temporis spatio finiri, vel prorogari possint, ne munimenta militari potentiorum præsidio teneantur; *** & sic denique stringantur potentiores, *ut si nocere velint, non possint.* Neque tamen, *Conringio* teste (d), ejusmodi fœdera inutilia sunt, præcipuè ratione commerciorum, immò etiam ratione belli auxiliaris, si potentior ideò auxilium ferat, ne impotentior ab alio potentiore opprimatur.

In plenis. 3. Fœdera *plena*, ùt vocant, quibus integri status, Urbes, atque Provinciæ in unum veluti corpus coalescunt, periculosa sunt Principibus vicinis, immediatis fatalia, quia, sic aucta in immensum subditorum potentiâ, facilis transitus est ad statum libertatis. **** *Ejusmodi fœdus*, inquit memoratus Author, intendebat *Henricus IV. Borbonius cum omnibus Europæis Principibus, & Rebuspublicis (Exceptis Austriacis) pacisci, & sub nomine Reipublicæ Christianæ arbitrari in Europam universam, proscripta gente Austriaca* &c. Ita ille.

Consideranda multitudo. 4. Fœderati non sint nimis multi: quia nihil faciliùs quàm inter multos unum vel alterum, privati commodi studio, deficere: præsertim in fœdere bellico Respublicas brevì languescere, & delassari videas, inquit *Wollerus.*

Fortuna. 5. Fœderati non sint multùm debiliores: hinc *Aristoteles* suadet (e) socios potentes, *quorum societas nobis auxilio sit, non oneri*, vetat miseros, afflictos, quia non multùm proderunt; periclitantes, ne & ipsi cum illis periclitemur.

Ingenium. 6. Fœderati, juxta *Stagyritam* politicum, ***** non sint nimis à moribus, genio, & commodis nostris alieni, quia ubi morum & commodorum diversitas, rarum est vinculum. Ne jungamur Populis infidis, Principibus de labili pactorum observatione famosis.

Vicinia. 7. Fœderati, juxta Philosophum (f), non sint nimiùm dissiti; quia in casu necessitatis non speranda facilè auxilia prompta, & opportuna. ******

Regimen. 8. Fœderati potiùs eligendi, qui simili vivunt Regiminis politici formâ: nam sicut ex conjunctione morum, ita ex identitate regiminis fiducia ac amicitia; unde *Polybius* edixit, quòd *Regum & liberarum Civitatum res inter se, suapte naturâ, pugnare solent.*

Religio. 9. Fœderati potiùs eligendi ejusdem Religionis, præsertim in bello Religionis, commoda spectante: *quomodo enim*, inquit laudatus jam sæpiùs *Pelzhoferus, inter eos possunt esse jura pacis & socie-*

(a) L. c.

(b) In Q. 9. de Fœderib.

(c) L. 2. Hist. 92. 3.

* Testatur compositio Pacis *Westphalicæ.*

** Testes *Judæi* respectu *Romanorum*; *Angli* respectu *Saxonum.* Sic novimus, per fœdera debiliorum *Romanam* crevisse potentiam.

*** Id *Scoti*, cùm in *Anglorum* patrocinium venirent, Anno 1559. sagaciter observârunt.

(d) Tom. 4. de fœd. f. m. 971. n. 17.

**** De his inquit Illustr. *Pelzhof. Regius itaque sit ille canon: ut Principes non facilè permittant status diversorum Provinciarum sic coalescere. Quantum nunc facessit negotium omnibus Regnantibus Batavia? Quantum Helvetia? quantum olim fœderatæ Hanseaticæ Urbes! palàm est.*

(e) Ad *Nicomachum.*

***** In Rhet. ad *Alexandrum* c. 39. *Eos amicos comparare debemus, qui sint nobis moribus non dissimiles, & quibus eadem, quæ etiam nobis conducant, & quibus magnis in rebus communis nobiscum fortuna est.*

(f) In Rhet. c. ult.

****** Bellè *Itali*: L' aqua lontane non mai spigue il fuoco vicine.

societatis confœderatæ, inter quas est bellum fidei? Addit: *præsens tamen, & pragmatica Imperii sanctio, & ipsa consuetudo ostendit, nulli impedimento esse diversitatem Religionis in confœderationibus, quæ propter causam politicam contrahuntur.* Sed hoc de infrà expressiùs. In exemplum adducit Fœderatos *Helvetiæ* Cantones; fœderatos sæculi prioris Status in tricennali bello, quibus tamen, ait, *Religionem* serviisse *in prætextum, finem* fuisse usurpationem *alieni.* Ita ille: verène an falsò, sat alibi declaravimus. *

Causa justa, necessitas, & opportunitas.

10. Attendendum insuper ad *causæ justitiam*: quia injusta fœdera, qualia sunt subditorum adversùs Regnantem, Religionem, innocentiam &c. quæque apertam iniquitatem præseferunt, non possunt à Sociis exigere fidem, quæ nequit esse vinculum iniquitatis. Item ad *necessitatem*: hæc si non adsit, satiùs esse ducunt Politici, propriis viribus niti, quàm confœderationibus implicari. Rectè *Cominæus*, veteranus *Galliæ* Politicus: *Is, qui solus in potestate habet decem millia hominum, magis est metuendus, quàm decem confœderati, qui singuli senis millibus præsunt: Nam quia nulla his singularis authoritas, in multis disceptabunt, & antequam aliquid constituant, præterlabentur optimæ occasiones.* Et denique ad *opportunitatem*: siquidem expeditiùs esse volunt Statistæ, sese in libertate, neutrius partes amplectendo, continere, quàm suo & alieno periculo fœderari. Rectè *Martianus* Cæsar, *pacem & quietem* Reipublicæ pro scopo præfixit, dicens: *dum in pace licet vivere, non expedit arma assumere.*

Instructio 2.

INSTRUCTIO II.

De causa & licentia fœderum.

De Causa & licentia fœderum.

§. 1.

§. I.

De causis fœderum.

Causæ fœderum, seu capaces fœderum ordinandorum.

Quæritur I. Quænam causa fœderum? seu quinam fœderis ineundi potestatem habeant?

Fundamentalis ac impropria, Jus Naturæ; formalis jus Gentium.

℞. I. Causa *fundamentalis* ac *impropria*, ùt diximus, est *jus Naturæ*, quod ad ejusmodi fœdera, ùt Societati humanæ quàm maximè congrua, inclinat; causa *formalis*, & *propria* est jus Gentium, quod exigit has amicitiæ, & societatis, à natura nobis congenitæ, conjunctiones, quarum usum omnes Gentium annales & approbant, & attestantur.

Proxima & Fœderati.

℞. II. Causa *efficiens proxima*, & quidem *principalis* sunt ii, qui fœdus inire possunt, nempe Populi liberi, Principes, Nationum Regentes, quibus competit *summa potestas.* Unde jus fœderum pertinet vel ad Majestatem, vel ad libertatem, vel ad utramque; sic ut authoritas pangendi fœdera vel solis Principibus absolutis, nullúmque Superiorem agnoscentibus, vel ita liberis hominibus, qui nullius Superioris lege tenentur, competat *Pelzhofero* Authore (a). *Ratio est 1.* Quia finis fœderum principalis est *utilitas publica*, inter Gentes diversas medio specialis amicitiæ nexu obtinenda: ergo iis solis fas est contrahere fœdera, qui ex jure Majestatis jurare utilitatem publicam tenentur. 2. Quia jus belli & fœderum pari passu procedunt: ergo sicut illud, ita & hoc inter Majestatis jura connumeratur. 3. Quia, ùt rectè animadvertit *Pelzhoferus*, ex omni historia vetere, nova, Divina, humana, sacra, atque profana, planè constat, fœderum jus vel ad Majestatem, vel ad libertatem, vel ad utramque semper pertinuisse: ergo &c. *Ant.* patet in *Jacobo & Labane*; *Isaaco & Abimelecho*; in liberis *Græcorum* urbibus contra *Xerxem*; in *Judæis & Romanis*, & sic de aliis.

Statuum consensus dependet à legibus.

℞. III. *An etiam consilium, vel assensum Statuum requirere teneantur Regentes summi, dependet à Legibus, pactisque Regni.* Hunc E. G. respectu Imperii *Romano-Germanici*, requirendum esse defacto ab Ordinibus Imperii per Imperatorem, *quà talem, regulariter* loquendo, constat ex pace *Westphalica*, uti ex capitulatione *Carolina.* ** Dictum *regulariter*; nam si sit in mora periculum, ex eadem capitulatione authores limitant *ad consensum Electorum collegialem*, immò in extrema necessitate etiam ad plenitudinem Cæsareæ potestatis. ***

Ut patet ex Imperii juribus.

℞. IV. Imperii Statibus, ex antiquissimo libertatis jure, sæpiùs & præcipuè in Instrumento Pacis firmatæ, *liberum est ad pacem publicam conservandam, & ad sui suorúmque defensionem atque securitatem, & inter se, & cum exteris, sub modò, fœdera pangere.* Patet ex aurea Bulla,

* In Coll. Hist. Parte IV. & V.

(a) L. c. c. 4. n. 1. f. m. 46.

** Art. 8 §. *Gaudeant* Pacis *Westph.* capit. *Carol.* n. IV. Sollen und wollen wir keine Bündnuß mit ihnen machen / es geschehe dann solches mit der Chur-Fürsten, Fürsten, und Ständen Consens auf offenen Reichs-Tag

*** Oder zum wenigsten der sammentlichen Chur-Fürsten Vorwissen, Rath, und Einwilligung ꝛc. Wo wir aber deß Reichs wegen angegriffen wurden / mögen wir uns aller dem Reich unnachtheiliger Hülff gebrauchen.

Bulla, & Instrumento Pacis, ubi tamen *modus*, limitationibus debitis præscriptus, legitur, & 1. quidem, ut fiant *super Generali Pace Provinciarum: & pro sua cujusque conservatione, ac securitate.* 2. Ut fiant *absque præjudicio Imperatoris, Imperii, pacis publicæ, ac juramenti, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est.* 3. Ut fiant *cum reservatione declarationis Cæsareæ.* * Ejusmodi fœdus, *Mynsingero* teste, pepigit Episcopus *Herbipolensis, Bambergensis*, ac civitas *Norimbergensis* adversùs Marchionem *Albertum*, quod in Camera Imperiali diu discussum, & tandem ùt validum, licitúmque pleno judicio est declaratum. Siquidem non solùm legibus permittentibus ad sui suorúmque defensionem, sed etiam hortatu *Caroli* V. id contraxêre, qui mandârat Statibus circuli *Franconici*, ut fœdus inter se sancirent; in ordine ad repellendas violentias ac invasiones sibi irrogandas. Ex quibus

Colligitur 1. Cum Illustrissimo *Pelzhofero*, eorum fœdera, qui absoluti Principes non sunt, non esse *absoluta*, sed solummodò *respectiva*, utpote à Superiore pendentia, sive ex feudo, ligio, beneficio, sive ex pacto.

Colligitur 2. Cum eodem. Fœdera Imperii Statuum, *inter se vel cum Exteris contracta*, esse invalida, si officiant juribus Imperii, vel Imperatoris: quia fieri debent vi pacis *Westphalicæ, Dominis nominatim exceptis*, seu *salvo jure Imperatoris, atque Imperii*; immò, ùt *Wollerus* notat, id, etsi non expressum, de jure subintelligi oportet, ratione observantiæ Cæsari debitæ; cùm de jure beneficiario incumbat personam Domini in omni fœdere excipere juxta formulam fidelitatis relatam in tit. 6. & 7. Feud 2. Sic expressè Cæsarem exceptum legimus in actis publicis fœderis *Sueco-Brandenburgicis* (a), item in recessu inter Regem *Daniæ*, & civitatem *Hamburgensem* (b).

Colligitur 3. Cum *Godefredo Knichenio* (c), olim ab Imperii Statibus, dum adhuc sacris avitis addicti erant, exceptum quoque fuisse summum Pontificem, tanquam communem *Christianorum* omnium Parentem, ùt patet exemplis Domûs *Saxonicæ, Brandenburgicæ, Hassiacæ, Wurtembergicæ*, & *Helvetiorum*, quæ videre est apud citatum Authorem.

℟. V. Statibus mediatis, urbibus municipalibus, aliisque subditis, *quà talibus*, seu Majestate destitutis, *per se loquendò*, non competit pangere fœdera *propriè talia*. Fluit ex dictis. Asseritur; *Subditis quà talibus*; puta, *propriâ Authoritate*: nam *alienâ* utique contrahunt, prout Legati Regum sufficienti mandato instructi sunt. Asseritur *fœdera propriè talia*: nam si nonnunquam cives unius Reipublicæ cum civibus Exteris peculiarem amicitiam aut societatem contrahunt, v. g. propter commercia &c. non *fœderis*, sed *privatæ pactionis* nomine veniunt, *Besoldo* Authore (d). Asseritur, *per se loquendò*: nam *speciali* concessione, privilegio, aut præscriptione, salvâ Superioris personâ, sicuti jus pacis & belli, ita & fœderis acquiri potest. Illustrissimus *Pelzhoferus* (e) hîc quoque excipit privatorum fœdera *necessaria*, seu contracta *in casu necessitatis* in ordine ad vim injustam; auxiliis mutuis repellendam, quando nempe est in mora periculum, nec aliò recurrendi suppetit facultas. Addit, hæc *jure Naturæ ac Gentium* esse licita, maximè si accedat consensus Superioris, vel saltem in ejus perniciem non tendant, sed non tam *fœdera*, quàm *auxilia mutua* appellanda esse. Non refragamur, si ejusmodi circumstantiæ concurrant; siquidem defensio licita, ubi offensio illicita, & *jure Naturæ* vis vi repelli potest: immò *jure Gentium* non propriam modò, sed etiam alienam injuriam licitum est propulsare; cùm

Aliud est de Statibus Imperii mediatis.

depel-

* Aurea Bulla c. 15. *Illis confœderationibus, & ligis duntaxat exceptis, quas Principes & civitates, ac alii super generali pace Provinciarum atque terrarum inter se firmâsse noscuntur. Illas enim nostræ declarationi specialiter reservantes, in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum.* Instr. Pacis art. 8 §. Gaudeant &c. *Comprimis verò jus faciendi inter se, & cum Exteris, fœdera, pro sua cujusque conservatione ac securitate, singulis Statibus perpetuò liberum esse, ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, pacémque ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem, fiántque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio adstrictus est.* In quæ verba observat *Pelzhof.* c. 3. n. ult. f m. 107. Quibus verbis planè ipsis Statibus Imperii, contra alterum Imperii Statum, fœdus inire interdictum videri posset; tali enim casu, quia aliæ simultates inter Status evenire possunt, etsi pactum illud nec contra Imperatorem, nec contra Imperium foret, quia tamen tenderet contra pacem publicam, & Instrumentum Pacis, quorum vigore non licet bellum gerere adversùs Ordines Imperii, similia fœdera hac lege subsistere non valerent. Ità ille; nos judicium non interponimus.

(a) *Coloniæ* ad *Spream* 1. Decemb. A. 1673. Art. 22.

(b) Anno 1679. 1. *Nov.* Art. 1.

(c) Operis Polit. vol. 1. l. 2. P. 2. sect. 8. c. 10. Thesi 3.

(d) De Fœderum jure §. 1. n. 30.

(e) L. c. c. 4. n. 8.

depellenda injuria lex virtutis sit (a). Sed quia in prætextus ejusmodi faciles, pronique sunt privatorum animi, juris via tenenda est *Wollero* teste: *in casu illatæ vis aut necessitatis competit gravatis ad Imperatorem provocandi remedium.* Unde

Regulariter loquendo, requiritur Superiorum consensus, atque Authoritas ad legitima inferiorum fœdera.

§. VI. Cum *Carolo* IV. Imperatore (b), *regulariter* loquendo, inferiorum confœderationes, sine supremi Principis authoritate, conspirationes, & seditiones potiùs dicendæ sunt. Immò de jure præsumuntur omnes injustæ confœderationes, si adversùs Dominum, sive *directè*, sive *indirectè*, suscipiantur. Suffragatur experientia, quæ docet, ejusmodi associationes, sæpe sine legitima causa, plerúmque *prætextu magis*, quàm *ex lege veræ necessitatis*, suscipi, ac iniri. Neque enim, ùt observat *Schönavius* sæpe laudatus (c), ipsi facilè refractarii subditi *aperte* colluctantur adversùs suos Imperantes, sed *communiter* alios *colores* quærunt, & *prætextus* obvertunt, quibus cooperiant *spiritum malignum*: Audiamus (inquit) *Gallos* apud *Thuanum* (d): *Nunquam se de conjuratione in Regem, aut suos cogitâsse, & malle se millies mori, quàm ut quidquam tale in animum inducerent. Eo se consilio Meldas venisse, ut, quàm demissè possent, Regem supplices orarent, revocaret sententiam, instigantibus inimicis in ipsos, & omnes, qui de Religione emendanda protestantur, latam, contra quos solos, inimicos numinum suos, arma sumpserint.* Eadem, subjungit Author, protestatio fuit sub *Philippo II. Belgis*; eadem sub *Leopoldo I. Hungaris*; eadem sub *Ferdinando II. Bohemis*, qui tamen omnes, omnium Scriptorum calculô, factiosi fuêre, ac pacis publicæ turbatores. Ex quibus

Colligitur 1. Apud *Conringium* (e), excusari *Hanseaticum* fœdus, *quia tacito Majestatis consensu initum.* Forsan non ita stringit *Cocceji* ratio (f), qua id licitum fuisse pronuntiat, eò quòd *defensio, adeoque & pacta, meræ defensionis causâ inita, sint juris naturalis, & cuique permissa.* Meliùs *Pelzhoferus* (g) legitimum hoc fœdus fuisse affirmat; quia tanta duratione *vim legis, & specialis concessionis obtinuit ab Imperio, præcipuè cùm multi Reges & Principes Germani, Hanseaticis juncti, fidem legitimi fœderis faciant.*

Colligitur 2. Eundem *Coccejum* (h) Protestantico genio nimiùm indulgere; cùm ex *Goldasto, Lymnæo, Rumelino, Carpzovio, Stranchio,* & aliis, quos quidem allegat, rotundè pronuntiat *Fœdus Smalcaldicum de Anno 1530. & Unionem Evangelicorum de Anno 1610. quæ, vi expressi tenoris tabularum, tantùm conscientiæ tutandæ, & vis injustæ avertendæ causâ inita, Imperatore & Imperio expressè excepto,* * *atque adeò naturali, omnique prorsus jure indubiè licita fuisse.* Nam præterquàm quòd à vero abludat *quò ad vim injustam, conscientiam tutandam, Imperatorem & Imperium exceptum*, ùt alibi sat declaravimus **, alii longè aliter sentiunt. Opponamus huic Authori Authorem unicum, eúmque Perillustrem Politicum L. B. de *Schönau*, seu memoratum jam sæpiùs *Pelzhoferum*, qui ita disserit (i): Unio Protestantium omnium suffragio fuit reprobata, quia Imperatorem non excepit. Quocirca Elector *Saxoniæ* tantoperè ab illa semper abhorruit, & ne alii subscriberent, plurimis litteris est dehortatus. Idem judicium est de Triumviratu *Friderici Palatini*, Marchionis *Anspacensis*, & *Christiani Anhaltini*, qui susque deque *Europam*, contracto etiam cum *Turcis* fœdere, commovebant, ut Imperatoriam Majestatem vel planè convellerent, vel illi partem derogarent. Indecorum erat fœdus Principum *Silesiæ* cum refractariis *Bohemis*; notum autem planè nefandum cum *Friderico* prætenso Rege contra *Ferdinandum* II. Addit: Ipsum fœdus sacrum *Gallorum* contra *Hugonotas*, sub *Guisiis* Principibus cœptum, atque promotum, quia invito Rege, sinistræ interpretationi propius fuit apud *Sixtum* V. Pontificem, aliósque viros Reipublicæ peritos, adeò exosa Regibus, infesta paci publicæ, perniciosa Patriæ, suspecta prudentibus sunt illorum fœdera, quibus à Principe non accedit suffragium, vel Authoritas.

(a) Canon non inferenda 23. 43.
(b) A. B. C. 15. ubi hujuscemodi *confœderationes* initas, *prætextu parentelæ*, vel *alterius cujuscunque coloris, absque Authoritate Dominorum, sisque nominatim non exceptis*, vocat, *detestandas*, & *sacris legibus reprobatas, conspirationes, conventicula*, & *conjurationes*, eásque ex *certa scientia, tanquam corruptelam, irritat, damnat, reprobat*, & *ultra pœnas legales infamiâ notat.*
(c) In arcanis statûs l. 9. c. 7. n. 4. f. m. 37.
(d) L. 42.
(e) Tom. 4. f. m. 608. & 609.
(f) In J. P. prudentia c. 26. n. 21. f. m. 448.
(g) L. 5. c. ult. f. m. 328.
(h) L. c.
* Rectè monet *Pelzhof.* L. 5. cit. c. 2. n. 4. f. m. 203. *Neque proficit semper, etiamsi Princeps in ejusmodi unionibus excipiatur, quia in motibus turbulentis plebis furor non discernit exceptiones.*
** In Coll. Histor. P. IV. c. 15.
(i) L. c. c. 4. n. 7. f. m. 218.

ritas. Nempe *privatorum fœdera pro Principibus verbotenu, re contra Principes sunt.* Denique concludit: Et profectò priore ævo illa fœdera privatorum Imperii Ordinum cum Regibus exteris, quid aliud fuêre, quàm machinamenta adversùs Cæsarem,& Domum *Austriacam*, aut usurpandi quævis libido. & affectati Imperii reatus? ánne licere queat, ex quocunque prætextu Religionis, libertatis, reformandæ justitiæ, externorum armata auxilia (rectiùs *flagella*) in viscera Patriæ inducere, adversùs jura Regnorum, fidémque juratam insulrare suo legitimo Principi? Nulla id lex vetus vel nova, nulla ratio, nullum sapientum consilium unquam admisit, aut ratihabuit. *Nec ea fœdera sunt,sed iniquitatis vincula.* Ita hic Author.

Colligitur 3. Quàm inaniter scribant nonnulli Protestantici Authores, quos inter etiam *Fridericus Hortlederus* (a), *Carpsovius* (b) & alii, fœdus *Schmalcaldicum*, etsi contra Cæsarem fuerit cusum, nihilosecius fuisse *probum*, hoc est, *licitum*, *honestum*, *justum*, *pium*, *Christianum*, ac, ùt *Schmalcaldici* respondérant *Heldo*, *iis conditionibus initum*, *ut si opus*, *non Cæsari tantùm, sed etiam omnibus indifferenter exhiberi posset absque pudore.* * Assertum

Firmat 1. Authoritate JCtorum *Witembergensium*, & Theologorum *Lutheri*, *Philippi*, *Ambsdorfii* &c. Sed

℞. Theologorum Authoritas minùs movet, cùm initio hoc fœdus, *ùt illicitum*, ** subin reformati ab JCtis *Witenbergicis*, ùt *licitum* proclamàrint: *variantium autem Doctorum Authoritas nulla esse debet*, ùt loquitur *Albericus Gentilis* apud hunc ipsum Authorem. Movet tamen utraque Authoritas simul juncta, utpote tanta, quæ *licitam*, *honestam*, *justam* &c. edixit totius Ecclesiastici Ordinis extirpationem, avitæ fidei depravationem,hoc est, si ita loqui fas sit, Evangelii veteris reformationem.

Firmat 2. Quòd initum fuerit *pacis publicæ conservandæ gratiâ*, utì simili authoritate evincit ***, & præcipuè ex visceribus causæ, quæ fuit *Lutheri*, & *Luthericolarum* proscriptio: orta simultas *Spiræ* in Comitiis A. 1526. Decretum A. 1529. *Contra quod protestati impollutæ religionis ordines*, *Protestantium nomen celebre*, ùt ait, *acceperunt*. Decretum A. 1530. *Augustæ severum*, *antea in Imperio inauditum*, & ùt ait *sanguine scriptum* in ordine ad servanda ea,quæ de religione ibi statuta sunt. ****

℞. Hæc ratio, pro sua gravitate, stringit quàm maximè: siquidem talia fœdera, *hac ipsâ pacis publicæ conservandæ inscriptâ epigraphe*, jam pridem ùt *pia*, *justa*, & *licita* defenderunt *Arriani*, *Hussitæ*, *Anabaptistæ*, omnisque ætatis Novatores: talia Turbatores Reipublicæ, nullo non rempore, contra Magistratus legitimos propugnârunt, & propugnare, *ùt licita*, poterunt, præfixâ pacis publicæ hederâ, etsi in turbulentos ausus denique erumpant, prout fœdus *Schmalcaldicum* in cruentum contra Cæsarem bellum, *sed non nisi pacis publicæ causâ*, finaliter erupit. Tantæ molis erat gloriosum *Protestantici nominis* titulum sibi proprium facere, ac vindicare.

Firmat 3. Quòd initum fuerit *tuendarum constitutionum Imperialium gratiâ*.

℞. Qualium? An decreti *Wormatiensis* Anno 1521. An *Spirensis* Anno 1529. An *Augustani* illius (utì lamentantur) *severi*, *inauditi*, *sanguine scripti* Anno 1530. Enim verò hæc *validè impugnanda* asserit animosus Author. Immò addit fœdus *Schmalcaldicum* per pacificationem *Norimbergensem* Anno 1532. *Francofurtensem* Anno 1539. Recessum Imperii *Ratisbonensem* Anno 1541. *Spirensem* Anno 1544. *convaluisse*. Sed quomodò convaluit? An ullibi firmatum hoc fœdus, *faciens statum in Imperii Statu?* Pacem, atque concordiam, Catholicos inter & Protestantes, etiam suspensione actionum, Catholicis competentium, ad usque Concilium indultâ, per citatas constitutiones firmatam legimus; armata fœdera in præjudicium sancitæ ibidem concordiæ

(a) Apud *Arumæum* Vol. 1. Disc. 26. n. 18. & seq. f. m. 249.

(b) Apud eundem Vol 4. Disc. 43. de Capitul. Cæs. c. 6. n. 17. f. m. 331. ubi eadem iisdem terminis leguntur, ut vel hic illius, vel ille hujus campsor esse intelligatur.

* Cur ergo Cæsari *Carolo*, capita fœderis postulanti, ea communicare renuerunt, & quidem *immeritò*. uti judicat ipse *Conringius* cum suo Notatore *Gœbelio*? Tom. 2. *operum* f. m. 209.

** *Carpsovius* ait: Fœdus hoc *sanctissimum* ab illis dissuasum, *ne aulicorum quorumdam animos, jam tum ad bellum satis per se pronos, magis incendere velle viderentur*: ne Pontificiis vituperandi Neoevangelium, *ùt rumoris plenum*, ansam darent &c.

*** Consiliariis tamen *Witembergicis*, *Chytrais*, *Sleidanis* malè jungit *Surium* & *Natalem* Comitem; pejus dicit, hanc esse *unanimem* excepto *Quetta*, pessimè sibi mox quarta linea contradicit

**** §. 66. Und damit an dem allen in Handhabung oder Vollziehung kein Mangel erscheine, so haben wir unseren, und des Heil. Reichs Chur-Fürsten, Fürsten, und Ständen, und herwiderum Chur-Fürsten, Fürsten, und Stände, uns in Sachen unseren alten Christlichen Glauben und Religion betreffend, versprochen, und zugesagt, unsere Königreich, Land, und Leuth, auch Leib und Gut, aneinander treulich zu setzen.

diæ indulta non legimus, ut mirari quis posset Authoris hujus calamum sat præfidentem, quo fœdus *Schmalcaldicum* ex hisce Imperii constitutionibus propugnare non dubitat, queis ipsum fœdus è diametro repugnasse, nemini non potest non esse clarum, atque perspicuum.

Firmat 4. Quòd fœdus hoc initum non sit contra Cæsarem, *quà talem*; sed quà Pontificis *Vexilliferum*: unde disceptatio, inter *Saxonem* & Landgravium, orta sit: *Cæsarisne, an alio nomine sit affandus Cæsar in litteris belli Germanici denuntiatoriis* (a)? Sed

℞. Si sic philosophari volupe, quæ tandem Authoritas à Subditorum motibus erit salva? Quid dicerent hi Protestantici Sophistæ, si quis, æquè in Imperii leges injurius, diceret: Cæsarem solummodò, *quà Cæsarem*, obligari *Westphalicis* placitis, non quà Pontificis Clientem, Fideique Catholicæ Advocatum?

Firmat 5. Quòd fœdus illud fuerit solummodò defensivum, jure naturæ licitum. Sed

℞. Fuisse defensivum *secundùm dici*, non *secundùm esse*, illicò patuit ex eventu, bellique denuntiatoriis litteris, Cæsari *quà tali* transmissis, ipsâque confessione Fœderatorum, de qua *Conzenius* noster ita disserit (b): Verùm nec me opus est, bellorum (& à priori fœderum) culpam in adversarios conferre, nec decet Novatores ipsos negare, cùm confessi rei causa agenda non sit. *Ulricus Wirtenbergicus* Cæsaris misericordiam implorat, atque petit, *ut propter Christum sibi condonet*; neque in innocentia sua præsidium ponit, sed *quòd Cæsaris habeat exploratam clementiam, qua soleat in supplices uti, nimirum ejus rei non unum extare documentum, & quidem ante paucos annos, editum in quosdam ex ordine Principum, qui fortè non paulò majorem, quàm ipse causam offensionis ei præbuerit*. Legati ejus, *Sleidano* teste (c), retulêre, illum profiteri culpam palàm, & dolere vehementer ob admissum facinus. Venit & *Hallam Fridericus Palatinus, veniam petitum*. Paulò post veniunt ad Cæsarem Legati *Ulmenses, & cùm supplices facti culpam agnoscerent, ac deprecarentur, reconciliati fuerunt*. At *Memingenses*, *Bibracenses*, *Ravensburgis*, *Campodunenses*, *Isnenses* Legati, *partim suo errore, partim aliorum culpâ factum ajunt, quòd in Cæsarem deliquerint*. Quin & *Argentinenses*, & alii veniam petunt, quos Legati Cæsaris accusant *Ulmæ* A. 1547. *Non ipsos modò rebellâsse, verùm alios etiam, ut idem facerent, impulisse, & violatis legibus, atque jure omnia conturbâsse per Germaniam*. Ita *Conzenius* ex ipsomet *Sleidano*, actisque illius ævi publicis.

§. II. §. 2.

De qualitate fœderatorum.

Qualitas fœderum.

Quæritur II. *Quibuscum inire fœdera conducat? quibuscum liceat?* *Fœdera ineunda*

℞. I. Quibuscum conducat, colligitur satis superque ex quæsito LX. ubi egimus de modo cudendorum fœderum, & cautelis adhiberi solitis. *Cum cautelis debitis.*

℞. II. *Cùm Tyrannis, quà talibus*, hoc est, tacito vel expresso consensu Populi, potestatem summam legitimè non adeptis, *illicitum est contrahere fœdera*. Patet: quia jure naturæ & Gentium prohibemur, injustitiæ cooperari, vel injustum Regni usurpatorem adjuvando, ut possessionem retineat; vel justum Regem impediendo, quò minùs possessionem, injustè ereptam, recuperet. *Illicita cum Tyrannis, quà talibus.*

℞. III. *Illicitum est contrahere fœdera qualiacunque cum quibuscunque, in ordine ad bellum, patenter injustum*. Patet Doctorum consensu unanimi: quia malum cognitum, quale gravissimum est utique bellum injustum, nec perpetrare, nec ad illud cooperari, cuicunque potest esse permissum (d). *Cum gerentibus bellum patenter injustum.*

℞. IV. *Illicitum est Catholico Principi contrahere fœdera qualiacunque* cum infidelibus, vel quibuscunque *aliis fidei Catholicæ hostibus in directum & grave præjudicium nostræ Religionis*; v. g. pecuniis, armis, militibus, annonâ, aut alio modo Infidelibus, vel Acatholicis, vi fœderis, succurrendo, promittendo, aut præbendo auxilium ad bellum, quod pro dilatanda sua, & infirmanda, restringenda, vel extirpanda nostra vera Religione gerunt, aut agere intendunt contra Principes Catholicos, præsertim in offensivo, vel defensivo bello Religionis. *Fluit ex priore responso*: quia tale fœdus foret patenter injustum, utpote infidelitatis, aut erroris defensivum, offensivum veræ Religionis. * *Illicita cum præjudicio veræ Religionis.*

℞. V.

(a) *Sleidanus* Comment. c. 17.
(b) De Pace Germaniæ l. 2. de Pace vera c. 34. f. m. 323.
(c) Ad A. 1546. & 47.
(d) Videatur Tit. de Treuga & Pace.
* Hinc in Bulla Cœnæ §. 1. excommunicantur *ipso facto* omnes Fautores, & Defensores novorum dogmatum. §. 7. similiter fulminantur omnes, *qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christianorum hostes, inimicos, vel hæreticos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, instrumenta bellica &c.* nec

Qualiacumque contra quoscunque.

℟. V. *Illicitum est Catholico Principi inire fœdera, etiam defensiva, sive præbendo, sive petendo auxilia ab Infidelibus, vel aliis Ecclesiæ Catholicæ inimicis, contra alios, maximè Catholicos, in ordine ad bellum cæteroquin justum, cum certo tamen & gravi, etsi indirecto Religionis Catholicæ præjudicio connexum.* v. g. In bello pro recuperandis, vel conservandis bonis temporalibus, jure sibi vel fœderato debitis, attamen cum conditionibus explicitis, quæ Religioni Catholicæ sunt graviter præjudiciosæ; immò etsi non sint expressæ, si modò ex tali fœdere, seu bello prævideatur *grave damnum* rei Catholicæ, *præjudicium*, seu *scandalum*, *certò* secuturum. Responsi veritas certa est communi Catholicorum calculo. *Ratio est*, quia bellum, & consequenter fœdus, quantumvìs aliàs justum & licitum, hac tamen ratione fit injustum atque illicitum, cùm Religionis Catholicæ commune bonum, utpote spirituale, & à quo dependet animarum salus, semper præferendum sit bonis & commodis temporalibus, prout fatentur omnes, * *per vulgaria utriusque Juris*, ** & infrà fusiùs declarabitur.

An regulariter illicita sint fœdera fidelium cum Infidelibus, aliisque Religionis Catholicæ hostibus, contra Fideles, nobis esto problema.

℟. VI. *An quæcunque fœdera Fidelium cum Infidelibus, seu Religionis Catholicæ hostibus, contra Fideles, seu Catholicos, saltem regulariter & ordinariè loquendò, probabiliùs sint illicita, non est ita expeditum penes Authores.* 2. *Nos cuivis, hac ex parte, sua sensa relinquimus, contenti Authorum rationes in medium attulisse.*

Pars 1. satis constat ex eo, quòd multi RR. Politici ejusmodi fœdera, *regulariter licita*, propugnent: hos inter est *Hugo Grotius*, *Oldradus*, *Socinus*, *Albericus*, *Conringius*, & alii, præsertim ex Acatholicis. *** Contrà non desunt multi Scriptores, maximè ex Orthodoxis, qui *regulariter* (exceptis nempe quibusdam casibus non ordinariis) saltem *probabiliùs*, ùt illicita oppugnant. Inde fatetur ipse P. *Reiffenstuel* (a), *non deesse, qui negativam acerrimè defendant, docendo, absolutè & semper illicitum esse cum Infidelibus, ac Acatholicis inire fœdera, illósque juvare, & auxilia eorum invocare saltem contra Catholicos Principes; quia putant, nunquam fieri posse, quòd fœdus cum Infidelibus ineatur, vel auxilium eis præstetur, vel petatur ab iisdem, quin vel scandalum, vel præjudicium Ecclesiæ & Religionis directè aut indirectè sequatur.* Ita ille.

Authores posterioris sententiæ hæc fœdera illicita colligunt 1. ex Authoritate S. Scripturæ Testamenti veteris.

Authores posterioris sententiæ, hæc fœdera esse illicita *Probant* 1. *Authoritate S. Scripturæ*, ubi passim habetur, quòd DEUS similia fœdera graviter prohibuerit, atque puniverit. Sic enim legimus 1. (b) *Non inibis cum eis* (Infidelibus *Chananæis, Hevæis* &c.) *fœdus* &c. 2. *Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius* (puta *Chanaan*) *jungas amicitias, quæ tibi sint in ruinam* (c). Mox declaratio additur: *Ne ineas pactum cum hominibus illarum Regionum.* 3. *Percuties eas usque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum* (d). 4. *Asæ*, Regi *Judæ*, contra *Baasam*, Regem *Israël*, in auxilium evocanti *Benadad*, Regem *Syriæ* infidelem, per *Naaman* Prophetam dixit DEUS (e): *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcircò evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua.* 5. Similiter *Josaphato* Regi, cum impio *Achabo* fœdus ineunti, dixit DEUS (f): *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcirco iram Domini merebaris.* 6. Idem repetitur (g), cùm fœdus iniisset cum *Ochozia*, Rege *Israel*: *quòd habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.* 7. Sic *Amasiam*, Regem *Judæ*, contra *Idumæos* pugnaturum, sumptis centum millium robustorum suppetiis ex *Israëlitis* Apostatis, jubente DEO est dehortatus Propheta (h): *O Rex! ne ingrediatur tecum exercitus Israël, nec enim est Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim.* Et ut confunderet Politicorum principia.

nec non illos, qui, per se vel alios, de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, nec non hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant &c.

* *Castro Palao* de Charit. tr. 6. Disp. 5. punct. 3. n. 18. & punct. 6. n. 20. *Suarez* Disp. 3. de Charit. sect. 4. n. 14. *Sporer* tr. 5. in Decal. c. 2. sect. 2. n. 108. dicens, id esse omninò certum. *Molina*, *Bonacina*, *Victor*, *Marchantius*, *Coninck*, & alii, quos citat, & sequitur P. *Anaclet. Reiffenstuel* in Jure Canon. L. 5. Decret. Tit. 7. de Hæret. n. 160. f. m. 259.

** Bulla Cœnæ suprà cit. can. *quòd olim.* 32. &c. *ad liberandum.* 17. de *Judæis*, & *Saracenis.* Clement. 1. §. porrò. De jurejur. & l. 2. c. *quæ res exspectari non deb.* cum concordantiis.

*** *Grot.* l. c. *Oldrad.* consil. 71. *Socin.* Consil. 20. *Albericus* in l. 1. c. *unde vi.* l. 3. ff. de vi. *Conring.* Tom. 4. f. m. 970. *Puffendorfius Kemerichii* enucleatus c. 27. n. 3. f. m. 295.

(a) In Jure Canon. l. 5. tit. 7. §. 4. n. 185. f. m. 262.

(b) Exodi 23. in fine.

(c) Ibid.

(d) Deuteron. 7. v. 2. idem repetitur Judic. 2. v. 2.

(e) 2. Paralip. c. 16. v. 7.

(f) Ibid c. 19. v. 20.

(g) Ibid. c. 20. v. 37.

(h) Ibid. c. 25. v. 7.

pia, addidit: *quòd ſi putas in robore exercitûs bella conſiſtere, ſuperari te faciet DEUS ab hoſtibus, DEI quippe eſt & adjuvare, & in fugam convertere.* &c. Paruit *Amaſias* ſancto conſilio, abjectíſque Infidelium auxiliis, ſpretáque jacturâ centum talentorum, quæ jam expenderat, cum ſolo fideli Populo victor contra *Idumæos* evaſit. 8. Similes reprehenſiones leguntur apud *Iſaiam* (a), *Oſeam* (b), & alibi, quibus DEUS ejusmodi fœdera reprobavit, *Judæóſque* ac *Iſraelitas*, ad *Ægyptios* pro ſuppetiis confugientes, ſeveriſſimè caſtigavit.

Et novi. In Teſtamento novo celebrem adſtruunt duplicem locum apud D. *Paulum*, ubi commercium cum Infidelibus ſic interdicit (c): *Nolite jugum ducere cum Infidelibus* (per fœdera vos conſociando, conſilia, auxilia, præcipuè contra fideles, & in eorum perniciem communicando) *quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Item (d): *Audet aliquis veſtrûm habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non ſanctos?* quales utique, in cauſis belli, eſſe nequeunt veræ fidei hoſtes, *ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum? ſed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud Infideles* (e)?

Sed replicant Authores ſententiæ oppoſitæ 1. Ejusmodi generales textus eſſe potiùs monita, & prudentiæ *Chriſtianæ* conſilia, quàm præcepta. Sed *reponunt* Authores poſterioris ſententiæ in ſenſu ſuæ concluſionis, ubi, *regulariter loquendo*, concurrit fidelium ſcandalum, vel Eccleſiæ præjudicium, utique contineri præcepta in illis textibus, neque ſola conſilia.

Replicant priores 2. Verba illa: *Nolite jugum ducere*, teſte *Cornelio à Lapide* (f), tantùm velle, *ut ne in iis, quæ pertinent ad Religionem*, nempe conjugiis, templis, vel conviviis, aliíſque commerciis, ùt per ſe impiis, injuſtis, vel ſaltem periculoſis ac ſcandaloſis, Fideles participent: præcipuè *Corinthii*, quibus grave acciderat, in tanta *Chriſtianorum* paucitate, conjugiis, & commerciis Infidelium abſtinere; è quibus non rectè ducitur applicatio ad fœdera armorum, aſſumpta ad juſtam Fidelium vindictam, aliáſque cauſas juſtas &c. Sed

Reponunt poſteriores, quòd idem *Cornelius* expreſſè dicat in hæc verba: *Nolite jugum ducere* &c. hoc eſt, *participationem, & commercium habere.* In illa: *quæ pars Fideli* &c. quaſi diceret: *nulla communicatio, nulla participatio vobis ſit* &c. ergo à fortiori nulla participatio fœderis, ubi, *regulariter loquendo*, longè majora pericula, præjudicia &c.

Iidem Authores probant *aſſertum II. Authoritate ſummorum Pontificum, Patrum, atque Doctorum.* *Joannes* VIII. fœdus quorumdam *Italiæ* Principum, temporalis commodi ergo initum cum *Saracenis*, graviſſimè eſt deteſtatus, *tanquam impium ſcelus, & ſocietatem initam ad perditionem animarum* (g). Addidit: *iterum atque iterum exhortamur, ut Chriſtiani nominis viri Paganorum fœdera fugiant, & ſolum in DEUM, non in Diaboli membra, quæ ſunt vaſa iræ, ſpem ſuam ponere diſcant* (h). Demum ab ipſa Fidelium communione ſeparationem renitentibus eſt comminatus (i). Similes conatus legimus à *Clemente* VII. & VIII. Item à *Pio* V. inſumptos, reſpectu *Henrici* IV. *Franciſci* I. Regum *Galliæ* (k). Sic *Alexander* III. ſanxit: *Excommunicentur, qui cum eis* (puta *Judæis*, *Saracenis*) *præſumpſerint habitare* (l): ergo multò minùs confœderari. Idem ſtatutum eſt circa *Chriſtianos*, Infidelium Auxiliatores (m). Similia ſtatuit *Clemens* III. diſertè prohibens mercimonia, conſilia, vel alia ſubſidia, qui ſunt ordinarii fœderum fructus (n): quæ omnia annis ſingulis confirmantur in *Bulla Cœnæ.* Accedunt SS. Patres. Ita S. *Chryſoſtomus* fœdus *Joſaphati* cum *Achabo* examinans, inquit: *Vides, quia nec dare potuit auxilium inimicis DEI, nec ab eis accipere: quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis DEI, docet nos ſupradicta hiſtoria de Aſa; quoniam nec dare, inſtruit nos hæc hiſtoria de Joſaphat* &c. (o). S. *Gregorius Nazianzenus* ſimilia ſcripſit Cæſari, vi fœderis, libertatem Autonomicam

Authoritate item ſummorum Pontificum, Patrum, atque Doctorum.

(a) c. 30. v. 2.
(b) c. 12. v. 1.
(c) 2. *ad Corinth.* 6. v. 14. & 15.
(d) Ibid. v. 1.
(e) v. 5.
(f) In hunc locum.
(g) Epiſt. 35. 46. C. *Oſſat.* vid. C. *Baron.* ad A. Chri. 881.
(h) Epiſt. 38.
(i) Epiſt. 40. & 292.
(k) apud P. *Reiffenſt.* l. c.
(l) cap. *Judæi*, 5. de *Judæis* & *Saracenis*.
(m) cap. ſeq. 6. d. t.
(n) cap. *ſignificavit.* 11. & c. *quod olim.* 12. d. t.
(o) Homil. 2. in *Matth.*

cam illius temporis hæreticis indulgenti (a). Similia S. *Gregorius Theoderico*, & *Theodeberto* Regibus *Francorum* (b), & sic de aliis. Accedunt Authores plurimi, quos inter clarissimus P. *Franc. Schmier*, *Laymannus*, *Suarez*, *Palao*, *Bonacina*, *Majolus*, *Besoldus*, *Pignatelli*, aliíque suprà allati, quos allegat & sequitur P. *Reiffenstuel*, *cum communissima*, ùt ait, *ac certa aliorum* (c).

Ex Historia, & effectibus infaustis.

Iidem Authores probant *Assertum* III. *Ex Historia*, *& ab effectu pessimo ejusmodi fœdera plerumque consequi solito*. De *Ochozia*, *Josaphato*, *Asa*, *Amasia* testatur Sacra historia. Hæc ipsa de *Juda Machabæo* memorat, quòd vix fœdus contraxerit cum *Romanis*, eo ipso anno, & propemodùm mense ceciderit cum Fratribus, erectámque à se Rempublicam hoc fœdere ad ultimatum interitum disposuerit. Idem fatum expertus est *Jonathas*, *Judæ* frater, eo ipso tempore, quo renovârat hoc fœdus. Sic *Eudoxiam Augustam*; sic *Bonifacium* Comitem *Wandalorum*, *Arianorum* contracto fœdere, mox periisse miserè legimus (d). *Palæologi*, Imperatores *Græci* in Oriente, inter sese discordes, facto cum *Turcis* fœdere, infinita damna intulère rei Catholicæ, totúmque Orientale Imperium pessumdederunt. De *Francisco* I. *Galliæ* Rege multa scribunt ipsimet Authores *Galli*, *Guisius* Cardinalis, *Franciscus Balearius* (e), Episcopus *Metensis*, & alii, quæ alibi lecta, quàm hic commemorata malumus. Exempla plura non addimus, quia in Historicis passim obvia, & præ cæteris legenda apud *Jacobum Pignatelli* (f).

Immò & ratione. Præjudicio Religionis regulariter sequente.

Iidem Authores probant assertum IV. *ratione*. Datô, quòd ejusmodi fœdus cæteroquin justum in causa, modóque saltem explicito, utpote excludente conditiones, Religioni Catholicæ derogatorias; imò justum etiam modo implicito, seu excludente prævisionem *moraliter certam*, secuturi inde gravis præjudicii vel scandali, respectu Orthodoxorum: Dato, inquiunt, nihilosecciùs *per se*, & *ordinariè* ejusmodi præjudicium seu scandalum grave *directè* vel *indirectè* sequitur: ergo ejusmodi fœdera, *per se* & *absolutè loquendo*, probabiliùs sunt Orthodoxis illicita.

Consequentiam fundant in *jure Divino*, atque *humano*, utì constare volunt ex dictis; immò *respectu Infidelium* etiam *in jure Naturæ*, ùt advertit Clariss. P. *Schmier* (g): nam etsi distinctio, Fideles inter ac Infideles, fluat ex Jure Divino, prout notat *Angelicus* (h), *quò ad mysteria* scilicet *à DEO revelata*, tamen *quò ad principia*, *lumine Naturæ cognita*, fundatur quoque in jure Naturæ: ipsa naturâ discrimen dictante inter veros DEI cultores, atque Atheos, vel Idololatras, quatenùs uni tantùm DEO, quò ad cultum, venerationem, ac Religionem, suffragatur: ergo, quidquid vero DEI unius cultui & Religioni adversatur, adversatur Naturæ, adeóque effectus, ex fœdere cum Infidelibus morali certitudine fluentes, adeò turpiter inficere, ac afficere asserunt ejusmodi fœdus, ut ab ipsamet Natura reprobetur (i). Hinc *Fulco Rhemensis* Archi-Episcopus sic quondam *Carolum* simplicem, cujus posteritas Regno postmodùm excidit, allocutus fertur: *Quis non expavescat, vos Inimicorum DEI amicitiam velle, ac in cladem Christiani nominis pagana arma, & fœdera suscipere detestanda: nihil enim distat, utrum se quis Paganis societ, an abnegato DEO Idola colat* (k).

Cùm natura fœderis & Infidelium, ac Acatholicorum Genius id, per se loquendo, postulat.

Ant. Probant 1. *Ex ipsa natura fœderis, ac Infidelium, aliorúmque Ecclesiæ hostium genio atque ingenio.* Fœdera Fidelium cum Infidelibus, cæterísque veræ fidei inimicis contra Fideles seu Catholicos, *eo fine* utique contrahuntur, ut obtrito aut oppugnato hoste fideli ipse aut ejus Provinciæ victorum potestati subdantur: ergo Infideles, aliíque Orthodoxiæ hostes, ex innata erga Catholicos, vel potiùs Religionem Catholicam aversione, aut radicato, & prorsus implacabili odio, nil intermittent, quò minùs *directè*, vel saltem *indirectè*, & ubi minimè prævidetur, Religioni veræ præjudicent, suas sectas promoveant, ac dilatent, séque augeant, atque potentiores efficiant: immò nil intermittent, quò minùs Religioni Catholicæ noceant, veram fidem, templa, sacra vasa profanan-

(a) Orat. 46.
(b) L. 7. Epist. 10.
(c) L. c. f. m. 262. n. 188.
(d) *Paulus* Diacon. L. 4. Hist. Miscell. *Procop.* l. 1. de bello *Vandal.*
(e) In Commentar. Rer. *Gallicar.* l. 22. n. 3.
(f) Tom. 9. Consult. 185. per totum, maximè à n. 52. usque ad 78.
(g) J. P. L. 4. c. 3. sect. 2. §. 2. n. 94.
(h) 2a. 2æ. Q. 10.
(i) *Ziegler* de jure Majest. L. 1. c. 38. §. 6.
(k) *Frodo* L. 4. Histor. *Rhemens.* c. 6. apud *Grotium* l. 2. c. 15. §. 11. n. 3.

fanando, cultum Divinum ſupprimendo, fideles in ſervitutem abripiendo, & ad veram fidem deſerendam *directè* vel ſaltem indirectè cogendo.

Ubi teſtis eſt experientia.

Ant. Probant 2. Tam recens quam multiplici experientiâ, quâ nimis quàm certò conſtare affirmant, quòd ferè nullum fœdus Catholicorum Principum cum Infidelibus, aliisque Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus, initum fuerit, nec auxilium eorum invocatum, vel eisdem præſtitum, ſaltem contra Catholicos Principes fuerit, abſque gravi aliquo Eccleſiæ, ac Religionis veræ damno, atque præjudicio. Exempla hanc in rem plura affert memoratus ſuprà *Jacobus Pignatelli* (a), quæ Lectorum conſiderationi relinquimus. His non obſtantibus

Licita tamen fœdera cum Infidelibus, & Eccleſiæ hoſtibus in illis caſibus, in quibus bellum apertè juſtum, & omni Religionis veræ præjudicio eſt præcautum.

R. VII. *Satìs convenit inter Authores, licitum eſſe inire fœdera Catholico Principi cum Infidelibus, ſeu hoſtibus Eccleſiæ, in bello apertè juſto, & cum morali certitudine ſecluſi omnis periculi, ſcandili, præjudicii, vel damni, in Religionem Catholicam emerſuri.* Ejusmodi Caſus E. g. forent 1. Si fœdera eſſent merè commercialia, quo ſenſu non tam *fœdera*, quàm *conventiones* dici debent. * 2. Si contra alios Infideles, vel Acatholicos juſto bello coërcendos. ** 3. Si etiam forent contra Catholicos, modò circumſtantiæ, rebus fidei derogatoriæ, *certò* excluſæ forent. *** 4. Si adeſſent conditiones Eccleſiæ utiles. **** 5. Si ad avertendum majus Eccleſiæ, vel Religionis Catholicæ malum id foret neceſſarium. *****

Quia ejusmodi fœdera non ex ſua natura, ſed regulariter propter connexum periculum ſunt illicita.

P. Aſſertum. Fœdera cum Infidelibus, aliisque Eccleſiæ hoſtibus inita, ſunt conventiones *per ſe*, & *ex ſua natura* non illicitæ, ſed tantùm ratione periculi, præjudicii, damni, vel ſcandali *plerumque* connexi, & in Eccleſiam, Religionémque Catholicam redundantis: ergo ſi iſta *moraliter certò* abſint, vitioſa non fient præciſè per Infideles, aliósve Acatholicos, utpote qui eorum jurium, quæ fluunt ex lege naturæ, vel gentium, neutiquam ſunt incapaces.

Ant. Videtur declarari in caſu aggreſſoris injuſti vel quò ad bona, vel quò ad vitam, quem Catholicus, etiam invocato Infideli, vel Acatholico, poteſt repellere: ergo à pari; *ſiquidem abſit grave Eccleſiæ ſcandalum, damnum vel præjudicium.*

Ubi exemplo eſſe poteſt fœdus Abrahami cum Regulis infidelibus,

Confirmatur 1. Sic in Teſtamento veteri legimus, quòd *Abraham* fœdus percuſſerit cum *Aner* & *Eſcol* Gentilibus (b); *Salomon* cum *Hiram* Ethnico his verbis: *Dedit quoque Dominus ſapientiam Salomoni, ſicut locutus eſt ei, & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percuſſerunt ambo fœdus* (c).

Confirmatur 2. Inſignî locô *Tertulliani*, qui ita diſſerit: *quamdiu intra Iſraelem erat ſacramentum, meritò in ſolos fratres miſericordiam mandabat: at ubi Chriſto Gentes dedit hæreditatem, & poſſeſſionem terminos terræ, & cœpit expungi, quod dictum eſt Oſeæ: Non Populus meus populus meus, & non miſericordiam conſecuta, miſericordiam conſecuta, Natio ſcilicet. Exinde Chriſtus in omnem legem fraternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miſeratione, ſicut in vocatione.*

§. III. §3.

De utriusque partis dubiis.

Replica adverſariorum.

Quæritur III. *Quidnam contra prioris quæſiti reſolutiones replicare Adverſarii ſoleant?*

Oppo-

(a) Tom. 9. conſultat. 185.

* Unde C. *Oſſatus* Pontifici improbanti, quòd Rex *Galliæ* Legatos *Hollandicos* ſuſcepiſſet, reſpondiſſe fertur: *Et tu ſancte Pater Legatos Perſiæ ſuſcepiſti*, innuens quædam adiaphora eſſe, quæ non ſtatum Religionis, ſed viciniam concernunt. *Pelzhof.* l. c. f. m. 237.

** P. *Reiffenſt.* l. c. n. 214. f. m. 266. ait, *Sturmium* l. de adminiſtr. belli *Turcici* p. 3. ſuaderé Cæſari Catholico, ut perpetuum fœdus habeat cum *Moſco*, & *Perſarum* Rege contra *Solymannum*. Sic P. *Engl de Treuga & Pace* teſtatur ex communi DD. licere Principi Catholico invocare pro auxilio Infideles vel Acatholicos, contra alios Infideles, vel Acatholicos, puta, ſi id fiat ſine præjudicio Eccleſiæ, & ſufficienter præcaveatur ſcandalis, quæ conditio ſemper ſubintelligitur.

*** P. *Reiffenſt.* l. c. n. 172. f. m. 060. exemplum affert: ſiquis Acatholicos contra alium Catholicum Principem, injuſtè illos aggredientem, præciſè juvaret ad hoc, ut ab injuſta aggreſſione defenſi in ſuis per publicam & validam pacem ſibi acquiſitis bonis manuteneantur, non verò, ut novaà Catholicis, cum Religionis præjudicio, acquirant. Idem n. 016. Si Princeps Catholicus in bello juſto Acatholicorum copias ex fœdere acciperet in modica vel tali quantitate, ut ſuo exercitu, notabiliter eas excedente, diſciplinam exactè ſervare, ac præcavere poſſet, ne quod præjudicium, damnum, ſcandalum, templorum, aliorúmque locorum ſacrorum &c. injuſtas itidem ſpoliationes, aliáſque violentias in Eccleſiam Catholicam proveniret: ſed hic caſus foret ſat extraordinarius.

**** Idem à n. 211. exemplum adducit, Si Rex *Galliæ* in bello juſto juvaret *Anglos* contra *Hollandos*, ea conditione, ut *Angli* in *Hibernia* iterum admittant Sacerdotes Catholicos, iiſque has vel illas Eccleſias reſtituant.

***** v. g. Si quis Monarcha integrum regnum cedere cogeretur Acatholicis, quia viribus deficeretur, niſi in aliqua Urbe, vel Regione Religionis Acatholicæ exercitium indulgeret &c.

(b) Genes. 14 v. 13.

(c) 3. Reg. 5. v. 12.

Authoritas S. Scriptura non tantùm damnat fœdera Fidelium cum Infidelibus contra Fideles

Opponunt I. Plures textus, ac rationes, suprà adductæ, tantummodò pugnant *contra Infideles*, hoc est, *Paganos, Turcas Saracenos*, aliósque *Christiani* nominis juratos hostes, non *contra Christianos*, etsi Catholici nominis inimicos, *Romanæque* Ecclesiæ osores: ergo illos malè conjunximus.

Confirmatur. Saltem Imperii Protestantes, etsi nec ipsi Catholici nominis sint amici, his Ecclesiæ hostibus, seu *Hæreticis* (: quales infamari in Imperio per specialia pacta publica non debent:) sunt accensendi: ergo fuissent meritò excipiendi.

Sed ob rationis paritatem cum quibuscunque Ecclesiæ hostibus.

℞. N. A. vel D. Plures textus tantummodò pugnant contra Infideles *explicitè*, sic tamen, ut contra alios Religionis Catholicæ hostes, etsi nomine *Christianos*, simul pugnent *implicitè*. C. A. Sic ut contra alios Religionis Catholicæ hostes non simul pugnent *implicitè* N. A. & C. *Implicitè* contra omnes & singulos pugnant, quatenùs, *ob identitatem rationis adductæ*, ad omnes extendi legitimè possunt, ac etiam debent. Immò *Angelicus*, *Chrysostomus*, *Ambrosius*, & *Augustinus** veræ Catholicæ fidei hostes, etsi in *Christum* credant, & eatenus *Christianos* se nominent (quales sunt utique omnes alieni à fide Catholica) *suo modo* perniciosiores esse affirmant ipsis Paganis. *Rationem assignant* 1. quòd partim *ex destinata malitia* veram Religionem oppugnent; Pagani utcunque *ex ignorantia*: partim quòd ex pessimis plerumque causis, malitia scilicet, odio, vindicta, libidine &c. errores inducant; cùm econtrà *Paganismus* è minùs culpabili quadam cœcitate videatur provenire. *Rationem assignant* 2. Quòd *ordinariè*, ex eorum conversatione, quæ *Christiani* nominis similitudine minùs horrida, ac ad fallendum, sub specie veritatis, est magìs accomoda, longè majus scandalum ac perversionis periculum enasci amet, quàm è societate Gentilium, quorum vel nomine, ne dicam apertè scelesto dogmate cohorrescimus. Rem istam plurium sæculorum experientia, etiam *Germaniæ* nostræ haud incognita, fat hucusque palpabilem reddidit: hinc illæ prohibitiones in Jure Divino, Canonico, & Civili, hinc illæ SS. Patrum exhortationes, Pontificum comminationes, præsertim in *Bulla Cœnæ*, ubi de Infidelibus, ac Hæreticis pariformiter esse dispositum novimus (a). Id tamen cum D. *Volleren* facilè quis indulgebit, prohibitiones ejusmodi, *primariò* & *principaliter*, tangere fœdera Fidelium cum Infidelibus, quibus annexa plerumque Fidelium abductio in servitutem, aliáque, quæ magis funestos effectus secum trahere consueverunt.

Quales an haberi debeant Protestantes Imperii, dependet à facto.

ad Confirmat. ℞. de Protestantibus, in Imperium admissis, haud est necessè ad scopum propositum, ut quidpiam peculiariter definiamus. Assertum procedit *in genere de Infidelibus, ac Ecclesiæ Catholicæ hostibus, è quorum fœdere directum, vel indirectum scandalum, præjudicium, vel detrimentum grave redundare solet in Religionem Catholicam.* Quòd si tales sese probarent Imperii Protestantes sicuti ipsimet, ipso facto, sese hostes Ecclesiæ facerent; ita Catholicorum quoque fœdere indignos se demonstrarent: secùs si agant, sicuti *ipso facto* ab Ecclesiæ hostibus se distinguunt; ita ab asserto se eximunt, id quod ad asserti, saltem prout suprà positum est, veritatem satis.

Et licèt similia fœdera non semper reprobet positivè sacer Textus.

Opponunt II. In sacris Paginis occurrunt etiam fœdera Fidelium cum Infidelibus, contra Fideles inita, absque ulla improbationis nota apposita: ergo ex sacris paginis nil efficaciter probatur. Colligitur ex fœdere *Achazi* Regis *Juda*, in auxilium vocantis Regem *Assyriorum Teglat-Phalassar* contra Regem *Syriæ* & *Israel* (b). Item ex fœdere *Davidis*, *à Saule* ad *Achim* Regem *Philistæorum* transeuntis (c).

Reprobat tamen negativè.

℞. D. A. Occurrunt absque nota reprobationis *positiva*. C. A. Etiam absque nota reprobationis *negativa*. N. A. & C. Reprobatio *negativa* colligitur satis ex eo, quòd non probentur, & in aliis similium fœderum exemplis, *positivè* improbatis, reprobentur. Immò etiam fœdus *Achazi* non obscurè rejectum dignoscitur ex ipso loco citato, ubi legimus (d): *Non fecit (Achaz) quod*

erat

* *Angelicus* 2. 2. Q. 10. art. 6. S. *Chrysostomus* ait c. 2. in *Matth*. *Hæreticos Gentilibus pejores esse, nemo dubitat: Gentiles enim per ignorantiam blasphemant: Hæretici autem scientes laniant veritatem.* S. *Augustinus* l. 21. c. 25. de Civit DEI. *Est & à sana fide devium, Hæreticorum, qui à Catholica Ecclesia* (: in quam saltem per Baptismum intraverunt:) *exeunt, meliorem esse causam, quàm Paganorum, qui nunquam fuerunt Catholici, cùm pejor utique sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator ejus effectus, quàm ille, qui non deseruit, quod nunquam tenuit.* S. *Ambrosius* l. 3. de fide diserte ait. *Hæreticos esse detestabiliores ipsis Judæis, qui carnem Christi crucifixerunt.*

(a) Videri potest P. *Reiffenstuel* l. 5. Decretal. tit. 7. §. 4. à n. 142. item n. 159.

(b) 4. Reg. 16. 7. & seq.

(c) 1. Reg. 27. & 28.

(d) l. cit. v. 18.

erat placitum in conspectu Domini DEI sui &c. *Davidis* transitum quod spectat, hic in asyli potiùs quærendi, quàm fœderis contra *Saulem* jungendi causâ, factus esse, colligitur ex illis *Davidis* verbis: (a) *Nónne meliùs est, ut fugiam, & salver in terra Philistinorum, ut desperet Saul, cessétque me quærere in cunctis finibus Israël: ergo fugiam manus ejus.* Neque pugnavit contra *Judæos*, sed simulando ejusmodi pugnam, persecutus est alios infideles, nempe *Amalecitas*, (b) ut meritò se reddiderit suspectum *Philistæis*, nec ad prælium contra *Saulem* admissus sit. (c)

Neque nimium probat S. Scriptura.

Opponunt III. Authoritas, è sacris paginis adducta, probat nimium: ergo nihil. A. P. Probat, quòd nullum prorsus quacunque in re fœdus, nulla communio, pacificatio nulla, nulla tractatio etiam circa commercia, & ad utilitatem publicam ordinata iniri possit cum Infidelibus, vel Ecclesiæ hostibus: sed hoc est nimium, quia contra communem sensum DD. praximque Principibus Catholicis suetam; immò contra ipsa S. Scripturæ exempla, ubi *Abrahamum* cum *Anere*, *Salomonem* cum *Hiramo*, circa commercia, & ligna cedrina, aliáque iniisse fœdera legimus: ergo &c.

Quia tantum respectu Chananitarum universaliter reprobat omne fœdus.

℞. N. A. Ad *Prob.* N. vel D. *Maj.* Probant, quòd nullum omninò fœdus, qualecunque demum, iniri possit cum septem gentibus *Chanaan*, specialiter ad exterminium, DEI sententiâ, destinatis. C. *Maj.* Quòd nullum omnino fœdus, etiam commercii, vel pro utilitate publica, absque detrimento tamen fidei, iniri possit cum Infidelibus N. *Maj. Min.* & C. Illud de *Ammonitis*, & *Moabitis*: (d) *Non facies cum eis pacem, nec quæras ex eis bona cunctis diebus vitæ tuæ*, fuit speciale; nam mox additur de *Ægyptiis*; (e) *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.*

Non autem omnino, contra quoscunque etiam Infideles.

Opponunt IV. Ex allatis Scripturæ exemplis, ac testimoniis, insuper sequitur, quòd etiam fœdera Fidelium *cum Infidelibus quibuscunque, etsi contra ipsos Infideles inita*, forent illicita: hoc rursus est nimium: ergo &c. *Maj.* tenet; nam omne fœdus prohibetur *in genere*; & *Josaphato* exprobratur fœdus cum *Ochozia*, etsi commercii tantùm: Item fœdus cum *Achabo*, etsi contra *Ramoth-Galaaditas*; item *Asæ* fœdus cum *Syro*; etsi contra *Baasan* Regem *Israël* Idololatram.

P. etiam *Min*, quòd hoc sit nimium. Nam 1. sic reprobum fuisset etiam fœdus *Abrahami* cum *Escol*, & *Aner*, *Amorrhæis* Infidelibus, contra *Assyrios* Dynastas, ùt vult cum *Josepho Abulensis* (f). 2. Reprobum fuisset fœdus *Machabæorum* cum *Romanis*. 3. D. *Gregorii*, & *Leonis* I. quod ille, efflagitante necessitate, iniit cum *Longobardis*; hic cum *Hunnis* (g) 4. Neque satis teneret illud D. *Pauli* consilium: (h) *si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes.*

Idque semper, & pro omni casu.

℞. D. *Maj.* sequitur, quòd etiam fœdera fidelium *cum Infidelibus quibuscunque, etsi contra ipsos Infideles inita*, forent illicita *semper* in & *pro omni casu*. N. *Maj.* forent illicita *sæpe*, utpote circumstantiis vitiantibus sæpe conjuncta. C. *Maj.* & D. *Min.* hoc rursus est nimium, si forent illicita *semper*, & *pro omni casu*. Tr. *Min.* si *quandoque* N. *Min.* & C. Circumstantiæ, ejusmodi fœdera non raro vitiantes, sunt 1. Populi vel Principis vitia, ob quæ specialiter est DEO exosus, ùt *Ochozias* Rex *Israel*. 2. Nimia in tali fœdere fiducia, neglecto DEO, utì factum ab *Asa*; nam comminatio DEI expresè tendit in diffidentiam: *Quòd habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in DEO tuo* &c. 3. Scandalum ob legem prohibentem omne comercium cum Idololatris. 4. Ecclesiæ præjudicium vel detrimentum, uti factum in *Achabo*. 5. Perversionis periculum, quod in Gente *Judaica*, experientiâ teste, erat præsentissimum.

Ad Prob. Min. ℞. Fœdus *Abrahami* cum *Aner*, *Escol* fuerat licitum, quia non tam erat contra Infideles, quàm pro fideli *Loth* contra aggressores injustos, & quidem cum emolumento veræ Religionis; siquidem testis est *Dionysius Carthusianus* (i) quòd *Abraham, ex quo inter Infideles demorabatur, potuerit in licitis & honestis cum illis contrahere fœdus, præsertim quatenus hac occasione eos traheret ad cultum unius DEI*, qui casus, sicuti est extraordinarius, ita censetur meritò exceptus.

Ad 2. Machabæorum fœdus cum *Romanis* relatum, probatum non legimus in Scriptura; immò ingratum DEO monstrârunt subita paciscentium fata; per-

(a) l. c. v. 1.
(b) l. c. v. 7.
(c) l. c. c. 29. v. 9. & seq.
(d) Deuteron. 23. v. 6.
(e) Ibid. v. 7.
(f) In hunc locum Genes. 14. v. 13.
(g) *Joan Sprengerus* in Syntag. Juris Publ. Q. 8. f. m. 129.
(h) Acta Apostol. c. 12.
(i) In Genesis c. 14. v. 13.

perniciosum quoque Reipublicæ fuisse, demonstravit eventus, ut suprà jam diximus.

Ad 3. D. Gregorii, Leonis &c. non tam fuêre fœdera, quàm tutelaria pacta ad avertenda majora Fidelium mala, sarta tecta & Ecclesiæ bona &c. conservanda.

Ad 4. Aliud est *habere pacem, si fieri potest*, cum Infidelibus, aliisque Ecclesiæ hostibus in veræ Religionis commodum; aliud est, inire fœdera cum Infidelibus, maximè contra Fideles, cum periculo vel præjudicio Ecclesiæ de quo casu memoratorum Authorum procedit conclusio.

Etsi fœdera fidelium cum infidelibus Israelitis tantùm per accidens, ob Idolomaniæ periculum, fuissent prohibita.

Opponunt V. Fœdera, cum Infidelibus inita, de quibus suprà, *non absolutè in se*, sed tantùm *per accidens*, à DEO sunt reprobata, scilicet *quò ad modum, animum, circumstantias* &c. & præcipuè *ob perversionis periculum, Judaeorum* indole ad Idolomaniam adeò proclivi, ut etiam confringi serpens æneus, imaginésque omnes prohiberi debuerint, ne ad cultum Idololatricum prolaberentur: ergo apud *Christianos* sunt licita. C. P. Apud *Christianos* hæ circumstantiæ cessant; siquidem Fidelium fœdera cum Infidelibus, vel Ecclesiæ hostibus, *plerúmque* fiunt ex necessitate temporum, locorúmque occasione, sine perversionis ullo periculo, scandalo, seu Ecclesiæ præjudicio: ergo &c.

Hæc tamen ratio non cessaret penes Christianos maximè in fœderibus cum Heterodoxis.

℟. Hæc replica tangit Authores, suprà allatos in asserto 6. qui Tr. A. N. C. Nam ajunt, quòd sicuti in veteri Testamento DEUS per Prophetas clamaverit: *Non inibis cum eis fœdus* &c. ita in novo moneat per Apostolum Gentium: *Nolite jugum ducere cum Infidelibus* &c. Ad P. D. A. Apud *Christianos* hæ circumstantiæ cessant præcipuè circa fœdera cum heterodoxis, *ordinariè* & *regulariter* loquendo. N. A. Cessant & cessare possunt *quandoque*, Tr. A. & N. C. & suppositum, quòd loquantur de casibus; in quibus periculis & præjudiciis satis præcautum est. Unde Authores illi non quærunt: *An fidelis fœderatus Infideli, excusari per circumstantias possit?* sed indagant *in genere*, seu in thesi: *an regulariter loquendo, sint licita Fidelium fœdera cum Infidelibus, maximè contra Fideles?* Nos, uti suprà diximus, hac ex parte judicium nostrum non interponimus.

Etsi Princeps Catholicus non intendat præjudicia Religionis directè,

Opponunt VI. Dato, quòd *regulariter loquendo*, sequatur aliquod scandalum, vel præjudicium veræ Religionis &c. id tamen Princeps Catholicus non intendit, nec vult; immò detestatur: ergo fœdus illicitum, & in vitium ei verti nequit. *A. patet*: siquidem status à Religione; Respublica ab Ecclesia Politicis quàm maximè est distincta: sic per ejusmodi fœdera Princeps intendit *Regionem*, non *Religionem*, neque suppetias fert *infidelitati* aut *errori* fœderato, sed *Statui*, non adversus *Ecclesiam*, sed *Rempublicam*: ergo præjudicia Religionis non Principi, temporalem scopum intuenti, sed Ecclesiæ hostibus in vitium verti debent.

Intendit tamen regulariter loquendo indirectè juxta allegatos suprà Authores.

Reddunt iidem Authores. D. A. Princeps Catholicus ejusmodi Religionis detrimenta nec intendit *directè, explicitè*, & *positivè*. Tr. A. Nec intendit, nec vult *indirectè, implicitè*, ac *interpretativè*. N. A. & C. Dicunt: *Transeat*: nam etsi Princeps *directè, positivè*, & *explicitè* pro fœderis scopo intendat *emolumentum sui status*, non verò *detrimenta Religionis*, quæ potius aversatur, nihilominùs, quia hæc sunt illius pedissequa, *regulariter loquendo*, nil obstante illa mentis præcisione, vel etiam expressa voluntatis declaratione, quâ emolumenta statûs à damnis Ecclesiæ separat, hæc & illa *directè* illum operari affirmant, ut adeò utrorumque Author non immeritò haberi possit. Ita venator (inquiunt) qui feram *directè* intendit, non damnum coloni, cujus tamen segetes proterit canibus suis; immò etsi hoc aversetur, nihilosecius damni censetur Author. Inde juxta Patronos hujus sententiæ, etsi ejusmodi intentio animum Principis excuset *ab odio Religionis*, quod Ecclesiæ hostibus proprium; non tamen conscientiam liberat à peccato, cujus reum se facit, etsi *indirectè* solummodò Catholicæ noceat Religioni: atqui ex Doctoris *Angelici* (a), & horum Theologorum mente, hoc ipso, quòd Princeps connexionem hanc boni politici cum detrimento Ecclesiæ videat, certóque prævideat, se prohibere non posse, quin similia consecutura sint Ecclesiæ mala, si Infideles, aliósque Ecclesiæ obtrectatores imploret, fœderéque qualicunque sibi associet, opémque promittat, hæc omnia *indirectè* vult, adeóque horum omnium reum esse censent, uti ex iisdem Theologis, variisque exemplis declarat memoratus suprà *Pignatellius* (b).

Et etsi non indirectè physicè.

Opponunt VII. Princeps nec *indirectè* intendit ejusmodi mala Religionis, quia nec *per se*, nec *semper*, seu *ordinariè* connexa cum simili fœdere, sed tantùm *per accidens* sequuntur, & *casu*: ergo Princeps nec *indirectè* reus agi potest. C. fundata est in Doctore *Angelico*, & unani-

(a) 2. 2. Q. 20. art. 5. & Q. 73. art. 8.
(b) Tom. 9. Consultat. 85. à n. 129. usque ad 136.

nanimi Theologorum. *Aliquando*, inquit, *accidens alicujus effectus conjungitur rei aut in paucioribus, & rarò: & tunc agens dum intendit effectum, per se, non oportet, quòd aliquando intendat effectum per accidens; aliquando verò hujusmodi accidens concomitatur effectum principaliter, intentum semper, vel ut in pluribus; & tunc accidens non separatur ab intentione agentis. Si ergo bono, quod voluntas intendit, adjungitur aliquod malum, ut in paucioribus, potest excusari à peccato, sicuti si aliquis incidens lignum in sylva, per quam rarò transit homo, projiciens lignum, interficiat hominem. Sed si semper, vel ut in pluribus adjungatur malum bono, quod per se intendit, non excusatur à peccato, licèt illud malum non per se intendat* (a).

Saltem indirectè, moraliter, ac interpretativè.

Redent iidem. N. A. Cujus suppositum in probatione 4. jam impugnârunt. Vel D. A. Princeps ejusmodi mala nec intendit *indirectè, physicè*, seu *ratione connaturalis cujusdam connexionis* inter fœdus, & detrimenta Ecclesiæ. C. A. Nec intendit *indirectè, moraliter*, ac *interpretativè*, seu quatenus certò prævidet, vel prævidere potest ac debet, nec tamen præcavet, sic ut *in æstimatione hominum* illi fiant verè imputabilia. N. A. & C. Sicuti venator (inquiunt) feram trajecturus, animadverso periculo, ne simul viatorem trajiciat, si nihilominùs exoneret sclopetum, eúmque trajiciat, etsi expressè nolit hominis necem, *moraliter* est Author necis. Sicuti Navarchus prævidens se deserente clavum, navim perituram, si tamen deserat, author naufragii reputatur; ita in casu præsenti, in quo prævisionis defectum difficulter obtendi posse affirmant, *ordinariâ experientiâ sat luculenter patente*, ut prævideri saltem facilè potuisset, ac debuisset. Hinc alio loco Doctor *Angelicus*: (b) *Eventus sequens aut est præcogitatus aut non: si est præcogitatus, manifestum est, quòd addit ad bonitatem vel malitiam: Cùm enim aliquis cogitans, quòd ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus magìs inordinata. Si autem eventus sequens non sit præcogitatus, tunc distinguendum est: quia si per se sequitur ex tali actu, & ut in pluribus, secundùm hoc eventus sequens addit ad bonitatem, vel malitiam actûs. Manifestum est enim, meliorem actum esse, ex quo possunt plura bona sequi; & pejorem, ex quo nata sunt plura mala sequi. Si verò per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus sequens non addit ad bonitatem vel malitiam actûs: non enim datur judicium de re aliqua secundùm illud, quod est per accidens, sed solùm secundùm illud, quod est per se.*

Et quidem imputabiliter.

Opponunt iidem VII. Ejusmodi præjudicia Religionis nec *interpretativè*, seu *indirectè moraliter* sunt imputabilia Catholico Principi. P. Ejusmodi præjudicia, etsi *forsan* prævisa, non sunt tamen *certò* prævisa, nec etiam prævidenda *imputabiliter*, respectu talis fœderis: Nam ejusmodi præjudicia neque *per se*, seu *naturali* quadam consecutione fluunt è fœdere, neque etiam connexione, aut influxu *morali*; siquidem *ex sola libera alienæ voluntatis malitia* promanant, sic ut Catholicus Princeps ea merè merissimè permittat, immò reprobet, etsi *justas ob causas* impedire haud teneatur. Jam sic. Nemo, ex communi Theologorum, tenetur ab actione *per se licita*, & consequenter à fœdere *per se licito* abstinere propter mala, quæ inde *aliena voluntate* consequuntur, quando *justam aliquam causam* habet illud faciendi: atqui talis Princeps *justam habet causam* sanciendi fœderis cum Infidelibus, vel Ecclesiæ hostibus *per se licitis*: ergo non tenetur abstinere propter mala, non nisi *aliena voluntate* inde consecutura. *Maj.* tenet à similium casuum recepta inductione. Sic qui necessitate pressus, à fœneratore usuram petit, usurariæ iniquitatis non fit reus. Sic mulier moderato cultu *ex causa* prodiens, non fit *moraliter* impudicæ voluntatis causa, qua sese ab alio appetendum prævidet. Sic Respublica non tenetur cædis innocentum, quos tyranno, alioquin exitium sibi minitanti, exponit, licèt prævideat, eos injustè ad necem esse rapiendos. Sic bellum publicum, ex causa defensionis, ab omnibus licitum esse reputatur, etiam cum prævisa plurium occisione, & damno innocentibus inferendo, & sic de aliis.

Min. P. Afferendo aliquas causas quàm maximè naturales: siquidem nihil magìs naturale, & Principi, tanquam Reipublicæ Capiti, magìs obligatorium, quàm e. g. *procurare incolumitatem, securitatem, ac incrementa proprii status; impedire, ac refringere alieni status emolumenta, vires, atque crescentem potentiam*, & si quæ alia parerga suppeditat politica supellex.

Saltem loquendo regulariter.

Redent Patroni rigidioris sententiæ. N. A. quòd nempe ejusmodi præjudicia Religionis nec *indirectè* sint imputabilia, saltem loquendo *regulariter*, qua limitatione suam posuêre conclusionem. Unde colligi, ajunt, fallaciam triplicem subjunctæ probationis Nam 1. *per se* videntur illis fluere ejusmodi mala ex tali fœdere, quia *ordinariè* fluunt

(a) Q. 1. rt 3. ad 15.
(b) 1. 2. Q. 20. art. 5.

unt teste experientiâ : atqui teste *Angelico per se censetur sequi, si ne in pluribus adjungitur malum bono per se intento : nec excusatur à peccato, licèt malum illud per se non intendat.* 2. Ajunt, Illa mala manere *moraliter* seu *interpretativè* imputabilia Principi Orthodoxo, eò quòd prævideantur *regulariter* sequi, ex aliena quidem malitia, sed tamen *in præjudicium tertii, jure inviti*, puta Orthodoxæ Ecclesiæ, cujus bonum omnibus aliis privatis & temporalibus præferendum & cujus malum præ cæteris omnibus impediendum. Unde 3. Negant, ejusmodi causas boni merè politici esse in ejusmodi circumstantiis *justas* : siquidem apud Orthodoxos contestata est veritas, *bona omnia Religioni, veræque Ecclesiæ esse subordinanda.* Inde S. *Augustinus : omnis usus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena*, hoc est in Regno temporali : *in cælesti autem civitate*, hoc est, in Ecclesia, ubi terrenæ Civitati mixta est, *ad fructum pacis æternæ* (a). Idem alibi, *pertinet*, inquit, *ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt* (b). Sic *Leo* Pontifex *Leoni* Imperatori : (c) *Debet Imperator incunctanter advertere, Regiam potestatem sibi non solùm ad Mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Causam addit S. *Ambrosius* : (d) *cùm enim omnes homines, qui in ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus Terrarum, atque Principibus, tum ipsi Omnipotenti DEO, & sacræ fidei militatis.*

In forma Transmittunt. *Maj.* Quòd nemo teneatur abstinere ab actione *per se* licita, quando justa suppetit causa : sed N. *Min.* ejúsque suppositum, quòd nempe ejusmodi fœdus in sensu prohibito *per se sit licitum* ; item quòd *justa sint causæ* hisce in circumstantiis, quæ in probatione *Minoris* allatæ sunt. Unde ad Prob. *Maj. quòad primum & secundum exemplum* negatur ab illis paritas, quia non agitur de præjudicio tertii, *meritò inviti. Quò ad tertium & quartum* agitur quidem de præjudicio tertii, sed *non meritò inviti*, quia sicut bonum privatum bono communi est postponendum, sic malum civis malo Reipublicæ est præhabendum ; adeóque & damnum temporale Regis vel Regni, præ detrimento spirituali Ecclesiæ, est eligendum, ac subeundum.

Opponunt iidem IX. Saltem *in casibus necessitatis* non possunt non esse licita ejusmodi fœdera : ergo necdum satisfacit rigidior hac ex parte conclusio. A. P. *Necessitas non habet legem, & ipsa sibi facit legem* (e). Sic in casu necessitatis, circa apparatum bellicum, multa licent, aliàs improbanda ; nam dicitur : *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (f) : ergo saltem in casibus necessitatis ejusmodi fœdera esse illicita nequeunt. *Nec juxta eosdem excusat necessitas quæcunque.*

Redent iidem authores rigidioris sententiæ. D. A. Non possunt non esse licita ejusmodi fœdera, saltem in casu necessitatis *qualiscunque & ordinariè* loquendo *prætensæ*. N. A. in casu necessitatis *vera*, & quidem *summa Subd.* Si non repugnent Juri Divino, sintque contra cultum Divinum, & in perniciem Religionis Catholicæ. C. A. Secus N. A. & C. ut licita sint ejusmodi fœdera secundùm textus allatos, requiritur ex horum Authorum mente non *qualiscunque*, sed *absoluta* necessitas, & quæ non sit graviter præjudiciosa Religioni, ùt habet unanimis Doctorum, * juxta quos quivis Princeps, *jure naturali & Divino*, obligatur, ut bonum commune Religionis, fidei, & Ecclesiæ cuivis bono temporali præponat, consequenter ad hoc conservandum vel obtinendum, in grave præjudicium illius nihil attentet. Hinc casum in oppositione positum non esse *ordinarium* asserunt, adeóque non contra suam thesin ; siquidem ad *absolutam*, eámque *veram necessitatem* requiri dicunt sequentes circumstantias. 1. Ut hostis aggressor sit notoriè injustus. 2. In causa non tantùm dubiè, sed certò iniqua. 3. Absque affectûs inordinati præcipitantia, cognita ùt tali. 4. Sic ut nullius alterius auxilii, vel hostis aliter repellendi adminiculum suppetat. 5. Neque plus damni timendum foret à fœderato infideli, quàm hoste fideli. 6. Denique ea conditione, qua fœderati infidelis vires sic refrœnari possent, ut ultra necessariam opem provehi non valeret in damna Religionis Catholicæ ; *Sed vera & summa, ita tamen, ut sit salva Religio.*

(a) L. 19. de Civit. DEI. c. 14.
(b) Tract. 11. in *Joann.*
(c) Epist. 75.
(d) Epist. ad *Valentin.*
(e) Ad Can. *remissionem* 39. Caus. 1. Q. 1. vers. *sed notandum.*
(f) In Cap. 4 de R. J.
* *Suarez, Layman, Palao, Sotus, Coninck, Medina*, & alii citati apud P. *Reiffenst.* l. 5. Decretal. Tit. 7. n. 70. & m. 160.

licæ; secùs enim repugnaret juri Divino, cujus observandi major necessitas, quàm quæcunque humana excogitabilis esse posset: major quippe necessitas legem DEI servare, quàm hominem conservare; satiúsque est perire hominem, quàm DEI honorem *Augustino* testante: *Satiùs est mori, quàm idolothytis vesci* (a).

Neque licitum vim vi repellere quomodocunque.

Opponunt iidem X. *Vim vi repellere*, cunctis legibus est permissum; eò quòd defensio sui, suorum bonorum, ac jurium, sit naturalis juris: sic deprehensus in sylva à prædone *Christiano* licitè invocaret Ethnicum prætereuntem. Hinc D. *Augustinus* (b): *Lex dat potestatem vel viatori, ut latronem, ne ab eo occidatur, occidat* &c. Sic, teste Ven. *Bedâ* (c), jus defensionis sui, suorúmque jurium, ad quemcunque *gravis necessitatis* casum, ubi quis se ipsum, & sua magis, quàm alterum servare potest, extenditur: ergo etiam *in casu necessariæ defensionis* licita erunt ejusmodi fœdera cum Infidelibus etiam contra Fideles.

Sed tantùm legitimis mediis.

Rdent Patroni rigidioris sententiæ. *Vim vi repellere* cunctis legibus est permissum, sic tamen ut adhibitis priùs legitimis mediis, ejusmodi defensio *liciti* & *honesti* terminos non transcendat. C. A. *Indiscriminatim.* N. A. & C. ergo etiam *in casu necessariæ defensionis* erunt licita ejusmodi fœdera, nisi bonum Religionis præponderet huic defensioni. C. C. *Indistinctè* erunt licita. N. C. Alias enim licitum quoque foret Magos; immò dæmones invocare, quod *per se* est impium, ac detestandum. * In casu posito, ajunt, latam esse disparitatem, quia cessant rationes & pericula Religionis. Sic S. *Paulus* Infidelem Tribunum; immò & Cæsarem appellavit contra injustas *Judæorum* insidias; adeóque hæc invocatio absque Religionis, propriáque pernicie spirituali, solùm ùt injustus aggressor deterreatur, est licita: immò etsi prædo occideretur, nullum detrimentum inferretur veræ Religioni, cùm legitimæ defensionis ergo caderet nocens, ut servaretur innocens.

Neque ideò deterioris conditionis sunt Catholici Principes.

Opponunt iidem IX. Ex hisce principiis sequeretur, Catholicos Principes esse deterioris conditionis, quàm ipsos Infideles, & alios à fide Catholica alienos: atqui hoc admitti tam facilè nequit: ergo neque id, unde hoc sequitur. *Maj.* Ostenditur. Ponatur casus, quo Princeps Catholicus inferior viribus, ab alio Principe Orthodoxo vel gravi injuriâ læsus, vel suis bonis, ac ditionibus injustè spoliatus, satisfactionem justam, suorúmque recuperationem debitam, aliter habere non posset, nisi invocatis in auxilium Infidelibus, aliísve Ecclesiæ hostibus, & quidem cum conditionibus Ecclesiæ, *directè* vel *indirectè* derogatoriis. *Jam sic*: Ejusmodi Princeps, juxta Authorum memoratorum principia, in auxilium invocare non posset Infideles, aliósve Ecclesiæ hostes, sed cogeretur injuriam pati, & ditionum suarum jacturam, etsi injustissimam, tolerare: atqui hoc est *nimis difficile.* 2. Est *Contra praxin.* 3. *Non est æquum*, eò quòd quis satisfactionem justam, quocunque modô, etiam à Fideli possit licitè extorquere. 4. *Nec est consultum*: sic enim viribus debiliores nec justè possessa *securè* retinere, nec injustè ablata possent ampliùs recuperare: cùm potentiores Catholici eos pro libitu suis privare, & instigante commodo privato, vindictâ, ambitione, hoc ipso sæpiùs privarent, quòd scirent, adversarium resistendo imparem, nec etiam habilem ad Infideles, aliósve cum Religionis scandalo, vel præjudicio in auxilium advocandos.

Confirmant iidem. Ejusmodi auxilia invocanti, positis in circumstantiis, nihil culpæ, ex damnis Ecclesiæ secutis, est imputabile. P. Omnis culpa redundat in denegatorem justæ satisfactionis, & injustam usurpationem alienæ ditionis, utpote causam causæ, adeóque & causam causati, ergo nil culpæ est ejusmodi fœderato imputabile.

Cùm casus sit extraordinarius, suppetántque legitima media.

Rdent Patroni rigidioris sententiæ. N. *Maj.* Quam *in sensu Catholico* utique falsam esse affirmant, nisi quis admittere mavelit, Orthodoxos deterioris esse conditionis, quàm Ethnicos, utpote, qui *legem Dei* non tantùm bonis temporalibus, sed ipsi quoque vitæ debent præponere, obligantúrque *sic transire per temporalia, ut non amittant æterna.* Sed neque tenere eandem *Majorem* asserunt *in sensu politico.* Unde ad P. N. *suppositum*, quòd hic casus sit *ordinarius*, à Catholico Principe præsumendus, adeóque extra thesin esse affirmant.

(a) Can. *Sicut* 8. caus. 32. Q. 4.
(b) L. 1. de libero arbitr.
(c) Relatus in cap. 4. ff. de R. J.
* Huc pertinet illud apophtegma pseudo-politicum, quod proferre non horruit *Moluccius* apud *Knichenium* Polit. l. 2. p. 2. sect. 2. c. 10. *Contra suum hostem è quovis ligno sagittas facere licet, & me quod attinet, si fieri posset, ut omnes Inferni diabolos in necem hostis, meam procurantis, advocare possem, lubents id animo facerem.*

mant. Unde D. *Maj.* Deberet injuriam pati, bonis excidere &c. si nullum aliud suppeteret remedium licitum recuperandi sua. C. *Maj.* Secus. N. *Maj.* Nam, ajunt, si, uti contingere potest inter Catholicos Principes, pars utraque sibi attribueret causam belli, *formaliter* justam, suppetere ordinaria media per *transactiones*, *compromissiones* in Reges arbitros, Sedem Apostolicam, ejúsque judicium ac æquitatem, cujus casûs exempla plura suppeditari asserunt à fastis historicis: Ad *Minoris* membrum primum dicunt, difficultatem *in casu extraordinario, nec suspicabili*, non esse nimiam. *Ad 2.* Neque ad praxin reductam, aut facilè reducendam. *Ad 3.* Satisfactionem extorquendam affirmant, non *quocunque*, etiam *illicito*, modo, sed *legitimo*,. etiam *Christianis* legibus conformi. *Ad 4.* Inconsultum haud esse posse asseverant, quod in consultationem prudenter assumi nequit, quia non *suspicabile*. Unde in ejusmodi casu, *prorsus extraordinario*, Principi Catholico ab ethnicis Principibus veri tegiminis scita mutuanda esse, affirmant. *Omnia*, inquit *Valerius Maximus* (a), *post Religionem ponenda, semper nostra (Romana) civitas duxit, etiam in quibus summæ Majestatis conspici decus voluit. Quapropter non dubitaverunt Imperia sacris servire, existimantia, sic se humanarum rerum regimen habitura, si Divinæ potentiæ benè atque constanter fuissent famulata.* * Hinc & *Sinesius* ad Imperantes (b): *Pietas primum substernat fulcrum, cui firmiter insistat simulacrum Regni*: & S. *Leo Theodosio* Cæsari (c): *Tunc est optimus Regni vestri status, quando sempiterna, & incommutabili Trinitati, unius DEI confessione, servitur.*

Secus saltem modus foret culpabilis. *Ad Confirmat.* N. A. Ad P. D. A. Omnis culpa redundat tantùm in denegatotem justæ satisfactionis, nisi *per accidens* assumatur modus bellandi illicitus. C. A. Si assumantur illicita media, & tendentia in detrimentum grave Religionis Catholicæ. N. A. & D. C. Ergo nil culpæ ejusmodi fœderato Catholico est imputabile, *quò ad causam*, & originem belli. C. C. *Quò ad modum.* N. C. Hanc consecutionem nullam esse dicunt: *Sum injustè læsus in honore, fortunis* &c. *ergo reparationem persequi licitum quocunque modo; possum me vindicare illicitis medüs* &c. Sed potiùs valet: *Sum injustè læsus: ergo, viâ legitimâ, mediisque licitis quibuscunque, reparationem persequi mihi permissum.*

Atque ejusmodi fœderibus *Opponunt iidem* XII. Ejusmodi fœdera nec *jure Naturæ*, nec *jure Divino*, nec *jure humano*, nec ex ipsa *praxi* satìs probantur illicita, Deòque exosa: ergo non stringunt à rigidioris sententiæ Patronis initio positæ probationes.

Neque patrocinatur jus Naturale, *A. P. 1.* Jus *Naturale*, omnibus hominibus commune, nullum *quò ad Religionem* discrimen facit; immò jubet, pacta etiam Infidelibus, alíisque Ecclesiæ hostibus servari.

Neque Divinum. 2. Juris *Divini* violator nequit præsumi Patriarcha *Jacob*, fœderatus *Labano*, Idolorum Cultori (d).

Neque humanum. 3. *Ulpianus* refert, quòd Imperatores censuerint *ignoscendum ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit* (e): ergo etiam ei ignoscendum esse *de jure* præluniitur, qui ad se redimendum Infideles, aliósque quoscunque in auxilium advocat.

Neque praxis. 4. Ejusmodi fœdera Catholicorum Principum cum Infidelibus, maximè verò cum Orthodoxæ Ecclesiæ inimicis. & quidem non sine gravi veræ Religionis præjudicio, non modò remotioribus, sed etiam ptoximioribus sæculis inita legimus contra Catholicos, ** quin tamen sinistro eventu DEO fuisse exosa, vel contrahentium studio, minùs Catholico, illicita quis facilè dixerit: ergo &c.

Nam juris naturalis est, Dei veri cultui nullatenùs præjudicare. *Ꝗdent Patroni rigidioris sententiæ.* N. A. *Ad P. 1.* Iterum N. A. Siquidem, ùt in probationibus memorârunt, *juris naturalis* est, DEUM verum colere, ejus cultum tueri, eò quòd in se contineat intrinsecam honestatem.

Con-

(a) L. 1. de Relig. c. 1. n. 9. f. m. 10. edit. Regiæ Paris.

* Interpretatio sub litt. b. sic habet: *quapropter Imperatores non dubitaverunt servire rebus Divinis, existimantes, se futuros Rectores humanarum rerum, si famulati ipsi fuissent bene & constanter Divino Numini.*

(b) Orat. de Regno.

(c) Epist. 7.

(d) Genes. 31.

(e) L. 1. in fine ff. *de bonis eorum* &c.

** Sic Imperatores legimus confœderatos cum *Gothis*, *Hunnis*, *Vandalis*, *Alanis* &c. *Aurilius Hispan.* Rex pro inito fœdere solvit *Saracenis* & *Mauris* 100. Catholicas Virgines. *Ramirus*, Rex *Aragoniæ*, ope *Maurorum* oppugnavit fratrem *Garsiam*, Regem *Navarræ*. Eorundem auxilio usus est *Sancius*, Rex *Castiliæ*, contra Regem *Aragoniæ*; *Hispani* contra Regem *Legionis*. Videatur liber Il Catholico di stato: *Mariana* l. 6. c. 7. item l. 9. c. 1. & 7. apud *Conring.* legimus Tom. 4. f. m. 971. *Nec Fridericus II. Imp. dubitavit Saracenorum armis adversus vim Paparum sese defendere, frustrò illis ringentibus* &c. De elapso sæculo an quædam exempla suppeditent Historici Annales, non disquirimus.

Contrà repugnat *juri Naturæ*, falsorum Numinum cultum promovere, verum impugnare, ejúsque cultores persecutionibus exagitare.

Neque Divino juri præjudicavit Jacob per fœdus cum Labano.

Ad 2. Inter adductum fœdus negant paritatem, utpote quod non fuit contra Fideles, à quo *ordinariè* oriri solet veræ Religionis præjudicium, ac detrimentum.

Nec de humano jure quid oppositum sensit Ulpianus.

Ad 3. Ab *Ulpiano* plus non affirmari, ajunt, quàm quòd ignoscendum sit corrumpenti Adversarium suum in causa sanguinis capitali: nec actum licitum ab illo asseri, censent, sed illicitum potiùs, quia commiseratione & venia dignum, quæ supponit delictum.

Exempla si suppeterent, forent de facto, non de jure.

Ad 4. Reponunt, quòd si ejusmodi fœderum exempla, *cum Religionis veræ præjudicio* contracta, suppetant, ea procedant *de facto*, non *de jure*; neque huc pertineant, ubi thesin *genericam*, non particularia fœdera à se disquiri, affirmant. Cæterùm, ajunt, sicut *infelix eventus* non est *semper* indicium illiciti, DEóque exosi fœderis, nisi quis fœdera sacra, ad recuperandam *Palæstinam* non semel inita, reprobare velit: ita nec *felix eventus semper* est legitimum signum liciti, DEóque probati fœderis; cùm è diversis causis, tam DEO cognitis, quàm homini sæpe incognitis, possint profluere, quibus omnibus probationem à se positam, *de ordinario rerum cursu*, neutiquam infirmari, asseverant.

Milites, arma &c. ab infidelibus peti possunt.

Opponunt iidem XIII. Possunt Fideles conducere Milites infideles, & alienos à fide Catholica, ad sui, suarúmque rerum defensionem, etiam contra hostem fidelem: ergo etiam fœdus contrahere, & in auxilium invocare Principem infidelem. A. videtur certum: nam possunt Fideles advocare Infidelium elephantos, camelos, equos &c. Ergo etiam homines; immò possunt uti Infidelium armis, bombardis &c. ergo etiam manibus. C. P. Ideò possunt advocare militem infidelem, quia contra injustum invasorem justa est omnis defensio: ergo propter ipsam hanc rationem possunt etiam advocare Principem infidelem.

Quia præcavetur Religioni.

Redent iidem Tr. A. N. C. & paritatem. Disparitatem assignant, quia in priore casu Principes fideles militem sibi mancipatum habent sub potestate, copiisque fidelibus sic circumseptum, ut nisi ipsimet velint, Religioni nullam possint inferre perniciem. Sic equi, arma &c. in illorum manu sunt, nec quidquam nocere possunt Religioni: contrarium fieri in fœderibus asseverant. Ad P. alteram N, A. Quòd *ideò* licitum sit advocare militem infidelem, quia omnis defensio, *modo quocunque*, est licita, eò quòd nimiùm probet, ùt colligi posse, ajunt ex dictis suprà.

Commodare quoque eis possunt auxilia.

Opponunt iidem XIV. Fideles per fœdera se obligare possunt ad ferendum auxilium Infidelibus: ergo etiam Fideles pari jure Infidelium auxilium implorare possunt. A. P. *Can. Julianus* 94. (a) sic legimus: *Julianus Imperator, quamvis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cùm dicebat: Producite aciem, obediebant.* Sic *David* sua servitia bellica addixit *Achi* Infideli (b).

Sed non contra Fideles.

Redent iidem D. A. Possunt Infidelibus se obligare contra Fideles. N. A. Contra Infideles. Tr. A. Hinc textum citatum non esse legitimè adductum, ajunt, eò quòd ita habeat: *Producite aciem pro defensione Republicæ*, & mox subjungitur: *cùm autem diceret eis: producite arma in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem Cœli.* Exemplum *Davidis* non stringit: nam illa obsequia fuêre solummodò simulata, uti dictum. Nec etiam exprimit sacer textus, an *David* licitè vel illicitè egerit, consequenter *ex facto* nihil probari pro licentia posset.

Neque dolis uti licet.

Opponunt iidem XV. Dolo & insidiis licet uti in hostem: ergo etiam auxiliis Infidelium fœderatis. *A. P. 1. Saul usque ad civitatem Amalec tetendit insidias in torrente.* (c) 2. Nil ad justitiam interest, utrum apertâ pugnâ, vel insidiis quis vincat, ùt habent jura (d).

Sed stratagematis in bello justo.

Redent iidem D. A. Licet uti stratagematis (siquidem absit perfidia) in bello justo. C. A. In bello injusto, adversùs *Christianos* gerendo, de quo loquimur. N. A. & C. *Saulem* à DEO missum affirmant ad delendum *Amalec*, & in bello justo, de quo etiam intelligendum esse, alterum textum, contendunt.

Potest que Infidelibus in justa causa præberi auxilium.

Opponunt iidem XVI. Ponatur casus, quo *Turca* contra fœdifragum Regem orthodoxum arma justa sumat, seque defendat. *Jam sic*: justè bellantibus potest justè assisti per fœdera: atqui in ejusmodi casu justum est *Turcarum* bellum: ergo illis potest assisti etiam à Fidelibus, consequenter ad mutuum auxilium confœderari contra Fideles.

Redent

(a) Cauf. 11. Q. 3.
(b) 1. Reg. c. 28.
(c) 1. Reg. 15. v. 5.
(d) Can. Dominus 2.

Sed salva Religionis incolumitate.

Reddent iidem D. *Maj.* Potest justè assisti cum detrimento Ecclesiæ, veræque Religionis. N. *Maj.* absque detrimento Tr. *Maj.* Sicut ejusmodi casum *utique extraordinarium* asserunt, sic etiam *extra thesin* esse, affirmant. In tali tamen fœdere observandas dicunt tres circumstantias, ut evaderet licitum. 1. Ut nunquam *Christianorum* Religio in templis, cultu &c. detrimentum pateretur. 2. Ut in hostes *Christianos*, ultra necessitatem, non sæviretur. 3. Ut nulli captivi in servitutem abstraherentur, sed fœderato fideli, pro certo lytro, restituendi forent.

DEUS utitur infidelibus, non ut fœderatis.

Opponunt iidem XVII. & *ultimò*. Ipse DEUS, cujus actio nostra est institutio, ad castigandos sibi perfidos filios, utitur *Turcis*, Barbaris, aliisque Ecclesiæ hostibus: immò ipsis Dœmonibus, etsi ipsi non deessent mille alia media: ergo & Principi Orthodoxo ad justam vindictam, vel defensionis legitimæ causam; infidelium fœdere uti licet.

Sed instrumentis in bonum Ecclesiæ.

Reddent D. A. Utitur tanquam fœderatis, & in detrimentum veræ Religionis, idquod in sua thesi supponi affirmant. N. A. Utitur tanquam instrumentis, flagellis, & virgis, ut eos postmodùm projiciat in ignem, ut emendemur, & Religionis splendor, ablata rubigine, magìs elucescat. C. A. & N. C.

COROLLARIA.

Hinc arma, conjunctis potiùs viribus, in Christiani nominis hostes convertenda.

Quæri posset I. Quid acatholici sentiant de illo, quod *Hugo Grotius*, Author acatholicus, & nostræ sententiæ minùs addictus, veluti pro coronide statuit: (a) *Illud hìc addam, cùm omnes Christiani unius corporis membra sint, quæ jubentur, alia aliorum dolores, ac mala persentiscere, sicut id ad singulos pertinet, ita & ad Populos, quà Populi sunt, & ad Reges, quà Reges, pertinere. Neque enim pro se quisque tantùm, sed & pro mandata sibi potestate servire Christo debet. Hæc autem præstare Reges & populi non possunt, grassante armis hoste impio,* * *nisi alii aliis auxilio sint, quod commodè fieri nequit, nisi fœdus eo nomine ineatur: quod fœdus jam olim initum fuit, & Princeps ejus creatus, consensu communi, Romanus Imperator. Debent ergo Christiani omnes, ad causam hanc communem, pro virium modo, viros, aut pecunias conferre, quod quò minùs faciant, non video, quomodo possint excusari, nisi si qui bello inevitabili, aut non dissimili modo, domi distineantur.*

Quàm amicitiæ fœdera, cum præjudicio rei Catholicæ, cum iisdem ineunda, ut contendunt nonnulli Pseudo-politici nostri temporis.

Quæri posset II. Quid politici sentiant de consilio *Hermanni Contingii*, Authoris Protestantici (cui veluti publici juris oraculo *Delphico* utrumque genu incurvant sui) quod priore sæculo cuidam Monarchæ dedit, *in ordine ad maris mediterranei vindicandum dominium*, ubi inter alia sic loquitur (b): *Fœdus amicitiæ cum Machometanis iniri, fas non esse scio, creditum olim sic satìs longo tempore fuisse: non arbitror autem opus, quantum illa quidem sententia à vero aberret, ut ego hic demonstrem: quoniam pridem & talia, & longè alia fœdera cum Turcis pacisci Christianis mos fuit, spretis adversantium inanibus vocnlis. Possem cæteroquin fœderum ejusmodi licentiam ostendere,* ** *rationibus quàm multis & exemplis, omni exceptione majoribus.* Item: *Hoc igitur ratum sit, atque constitutum, fas esse cum Turca, pyratisque Africanis amicitiæ fœdus pangere* &c. *atque ut firmior sit hæc amicitia, fortassis haud abs re fuerit, Joannitici Ordinis equitibus non permittere Turcam infestandi licentiam* &c. *Non urgebo nunc, si velit pacatò Turca cum Christianis vivere, piraticam illam Melitensem non minùs esse iniquam, atque est illa altera Africana.* *** *Et sic de aliis.*

TITU-

(a) De Jure belli & pacis l. 2. c. 15. §. 12. f. m. 249. *Amstelodam.* A. 1651.

* Ad hæc verba interpres legendum suadet *Marianam* l. 30. *Parutam* l. 4. *Pizzarum* l. 7. & 12.

(b) Tom. 1. operum in fine fol. m. 994. §. 1. de fœdere amicitiæ cum *Turca*, & Piratis *Afris* ineundo.

** Quam licentiam in citata paraphrasi meritò limitat, cùm ait: *Fateor tamen ex jure revelationis, immò ipso jure naturali hypothetico, quod Religionem præsupponit, fœdera cum Achristianis jungi non posse, si in exitium, aut detrimentum Christianæ Religionis vergerent, aut si periculum esset, nostras, aliorúmque conscientias inde viliari, aut etiam propagationem Religionis Christianæ, tanquam majus bonum morale, per illa fœdera impediri* &c.

*** In memoratis notis addit: *Puto, juramentum illud, quo se adstringunt, quòd in Turcam hostilem animum nunquam velint deponere, ESSE VINCULUM INIQUITATIS.*

Titulus 5.

TITULUS V.

De jure Pacis.

De jure Pacis.

Instructio 1.

INSTRUCTIO I.

De natura, subjecto, & objecto Pacis.

De natura, subjecto, & objecto Pacis.

§. 1.

§. I.

Quæritur I. Quid pax? quotuplex? & quænam ejus origo?

Essentia Pacis in sensu latissimo.

℞. I. Pax sic dicta *à pactione*, ùt notat *Ulpianus* (a) *in sensu latissimo* dicitur D. *Augustino tranquillitas ordinis* (b): unde si creatura Deo servatis mandatis; si cupiditates rationi modò debitô subordinentur; si cum Proximo servetur concordia, nullam cuipiam inferendo injuriam, oritur *pax cum Deo, secum ipso, & Proximo.*

Latiore.

Pax *latiùs* sumpta dicit generalem quamdam concordiam, ortam ex naturali inter homines cognatione, cujus intuitu homo homini, & gens genti obstringitur ad communia humanitatis officia, inter quæ primum, *amicum omnibus esse, inimicum nulli, ac de cætero ab omni violentia abstinere.* Sic dicimur habere pacem cum omnibus, etiam ignotis, quo etiam sensu *Pax sine bello* esse potest.

Strictiore.

Pax *strictiùs* sumpta, & *relativè ad bellum*, dicit *novam amicitiam inter eos, qui hostiliter invicem commissi erant, postliminiò reductam*, quo sensu est *instauratio pacis*, éstque scopus propositæ quæstionis, ubi pax præcisè consideratur *ut medium finiendi belli*, vel potiùs ipsemet belli finis, dicente Philosopho (c): *Finis belli pax est, ac ideò bellum geritur, ut in pace denuo degatur.*

Strictissimè.

Pax *strictissimè* sumpta considerari potest in *fieri*, seu *causaliter*, & *in facto esse*, seu *effectivè*. Priore modo rectè definitur à P. *Roberto König*, quòd sit *transactio publica de bello, in totum, & pro semper tollendo inter hostes legitimè conclusa.* In posteriore sumpta *prostatu* bene dicitur à Clar. P. *Francisco Schmier*, quòd sit *publica & perpetua quies ab armis inter eos, qui hostes erant, conventa.* Unde

Colligitur 1. Minùs satisfacere definitiones, à Politicis afferri solitas, uti illa Card. *Mantica*: cui pax est *inviolabilis concordia*; *Brunemani*: cui dicitur *compositio belli ordinata*; *Grotii*: cui describitur ùt *actus civitatis pro toto, & partibus*, eò quòd minùs exacta in iis sit differentia, & sic de aliis passim obviis. — Definitiones minùs exactæ.

Colligitur 2. Ad pacem, *strictissimè sumptam*, requiri 1. Ut paciscentes habeat personas *publicas*, statúmque *publicum* concernat; secus enim non distingueretur à transactionibus privatis. 2. Ut *præcesserit bellum*, sicque pax latiùs sumpta, seu omnibus communis, excludatur. 3. Ut intendatur *perpetuitas*, etsi *per accidens* non sequatur sicque discriminetur à treuga, induciis, & armistitiis. — Conditiones requisitæ.

℞. II. Pax sumpta in sensu saltem *strictiore* dividi potest 1. *in publicam & privatam*, quâ vel bonum publicum, vel privatum includitur. 2. *In perpetuam & temporalem*, qua Reipublicæ vel pro semper, vel ad tempus præstatur securitas; hæc rursus dividitur in *treugam, inducias &c.* 3. *In universalem*, qua bellum tollitur *ex toto*, & omnibus controversiis, ac ubique finis imponitur; & *particularem*, qua controversia tollitur *ex parte*, uno in loco, bello aliis in locis remanente. Quòd si tamen Rex quispiam v. g. *Lusitanus* pacem concluderet in *Indiis*, bello in *Europa* etiamnum perdurante, posset divisio reduci ad pacem etiam *strictissimè sumptam*, quia respectu Orientis esset *sublativa belli ex toto, & pro semper*, saltem *æquivalenter*. — Divisio pacis latiùs sumptæ.

Pax sumpta in sensu *strictissimo* dividi potest *ratione materiæ*, v. g. in *profanam* & *religiosam*, religione non denotante quidem fidem, *indivisibiliter* unam, & unicè veram, neque ulli transactioni obnoxiam; sed denotante usum illius — Strictissimè acceptæ.

(a) L. 1. ff. de Pactis.
(b) L. 19. de Civit. Dei c. 13.
(c) L. 10. Ethic. c. 7.

lius externum, ac exercitium; siquidem *per extremam necessitatem validè*, alijsque ex requisitis *legitimè* conclusa sit. Exemplum afferunt *Molanus*, *Tannerus*, & JCti *Dilingenses* in Pace Religiosa, de qua viderint alii. Ex quibus

Colligitur 1. Divisionem pacis *per conventionem*, & *per meram armorum desistentiam* esse analogam: quia pax *sine conventione* non tam est pax, quàm simulacrum pacis, eò quòd sine pactione nulla sit obligatio ponendi arma, & minùs pax dici possit, quàm induciæ, ubi teste *Gellio bellum manet, pugna cessat.*

Colligitur 2. Triplicem divisionem *respectu pacis* latiùs sumptæ, esse quidem legitimam, non verò respectu pacis sumptæ in sensu rigoroso, ùt liquet ex definitione superiore.

Origo pacis in sensu latiore à jure natura.

℞. III. *Pax, absolutè* spectata *in se, ac in sensu latiore* suprà posito, originem debet *juri natura*; immò est de jure naturæ *praceptivo*: nam *est exigita, ùt conformis amori, cuivis naturaliter debito, & ad felicitatem, natura rationali propriam, absolutè necessario.* Siquidem cognatio, quam inter homines natura constituit, neque inviolata servari; nec charitas proximo debita, custodiri integra; nec societas, quæ ex inclinatione naturali coaluit, firma persistere posset, nisi pax, ceu unicum cognationis fundamentum, charitatis præcipuum vinculum, & societatis solidissima basis, vel introduceretur, vel introducta foveretur. Unde primævus, & naturalis hominum status, status pacis non belli fuit; unde consequitur, pacem à natura imperari, ut, ubi viget, conservetur; ubi rupta, denuo reparetur. Inde est, cur *Savedra* præcipuum Regis officium esse dixerit, de pace cogitare: *electi enim à populis fuêre, ut eorum prudentiâ tranquillitas publica, & pax illæsa conservetur, eáque subditi tutò, & feliciter gaudere possint* (a).

In sensu strictiore à jure Gentium.

Pax in sensu *strictiore*, seu *relativè* ad bellum considerata, est *Juris Gentium. Ratio est 1.* Quia sicut bellum, quò ad suos effectus, à jure Gentium magnam partem progreditur, ita & pax quò ad effectus præcipuos sistendi hostiles conatus, abolendi rapinas, cædes, captivitatem &c. Siquidem *contrariorum est eadem disciplina; ratio, seu sententia. 2.* Quia omnium Gentium approbatione in hoc sensu recepta, & ad nostra usque tempora propagata est. Unde qui pacis conditiones infringunt, jus Gentium violare noscuntur.

§. II.

§. 2.

De subjecto pacis.

Quæritur II. Quodnam subjectum pacis, seu quænam personæ contrahentes?

Quod est summa potestas, nomine proprio.

℞. 1. Uti belli, ita jus pacis est *majestaticum*, & *jure proprio* residet *penes summos Imperantes*: hoc est, in statu monarchico penes Regem, *si modò non habeat jus impeditum*; in *Aristocratico*, vel *Democratico* penes majorem partem optimatum, vel civium: nam de hac votorum pluralitate *Livius* (b) *ubi semel decretum fuerit, omnibus id, etiam quibus antè displicuerit, pro bono atque utili fœdere defendendum. Ratio* juxta *Grotium* est, quia *rei suæ quisque est moderator*: ergo rei summæ, & universos tangentis, nonnisi summus, summáque præditus potestate.

Nisi jus sit impeditum ætate, amentiâ.

Excipitur 1. Si jus Regis sit impeditum immaturitate ætatis, amentiâ &c. Nam talis incapax est obligationis *privatæ*: ergo multò magìs *publicæ*. Unde ab administratore inita stringit Regem, uti liquet ex paritate cum pupillo, & quidem à *fortiori* ob bonum publicum. Exemplum præbet pax *Monasteriensis*, inter *Ferdinandum* III. Cæsarem, & *Ludovicum* XIV. etiamnum decennem, conclusa. Casu quo Regi adulto, vel magìs habili pax conclusa, vel præjudiciosa displiceat, probabiliùs non datur *restitutio in integrum*; quia non expedit bonum pacis, quæ magno consilio conclusa jure præsumitur, rescissionis periculis, prætextibúsque exponere, neque bellô resuscitatô, ob leve lucrum, gravius longè damnum Regno accersere. Hodie moris est, in casibus minorennitatis Regiæ, pacem Regni Procerum consensu firmare, & rescissionibus præcavere, uti in pace *Olivensi*, ratione Regis *Sueciæ*, tunc minorennis, fuisse præcautum legimus (c).

Vel captivitate potestatis Regiæ ablativâ, non autem merè impeditivâ.

Excipitur 2. Si Rex per captivitatem amitteret Regnum, non autem si merè impediatur ab administratione Regni, sive deìn illud hæreditarium sit, sive electivum. Ratio est 1. Quia, ùt dictum suprà, jure *Christiano* captivis in bello sua manet libertas civilis, cum juribus annexis: ergo Regi à fortiori. *2.* Quia manet Rex: ergo non competit seu subditis, seu etiam aliis per pacis conditiones, velut leges, eidem præscribere. *3.* Quia jus habet ad necessaria media pro se ipso, è captivitate liberando: atqui tale ordinariè est jus sanciendæ pacis. *4.* Quia conditiones, à Rege captivo initæ, in ordine

(a) In Corona *Gothica* c. 3. apud Clariss. P. *Schmier*, quem hac in quæstione presslìus sequimur, quia cæteris & magis succinctum, & magis nervosum.
(b) Apud *Grotium* l. 3. c. 20. n. 4.
(c) Art. 34.

dine ad liberationem sui, sunt validæ: non enim injustus est metus, sed proveniens à custodia justa, jure Gentium permissâ: ergo & validæ erunt pacis conditiones, ad eundem finem ordinatæ. Neque

Unde clausula, addi solita tantùm respectu securitatis, solummodò spectat executionem.

Obstat 1. Clausula, Regi captivo addi solita de sufficienti cautione, vel promissis, ante liberationem explendis. Nam

℞. Ejusmodi clausulâ non indicari defectum juris, sed securitatem executionis. Neque

Nec perditur jus, sed tantùm impeditur exercitium juris ordinarium.

Obstat 2. ùt judicat *Textor*, (a) à Rege captivo *universè* sic perdi jus administrandi Regni, ut *pro eo statu* nil possit disponere: sic *Franciscus* I. Rex *Galliæ*, noluit ullam sui, *tanquam mortui per captivitatem*, rationem haberi in *Galliis*. Sic *Delphinus* cum Proceribus *Galliæ* abnuebat pacem cum illis conditionibus facere, quas eorum captivus in *Anglia* Rex accipiebat, *Polydoro* teste. (b) Nam

℞. D. Et rectè judicat hic author, si putet jus administrandi Regni sic perdi, ut *nec in actu primo*, *nec in actu secundo*, Rex captivus possit quidquam disponere. N. Si putet *in actu secundo*, seu *quò ad exercitium* nil posse disponere: *subd.* In administratione Regni ordinaria ex defectu præsentiæ. C. In sancienda pace. N. In priore tantùm sensu se *velut civiliter mortuum* declarâsse *Franciscum* I. patet ex sancita per captivum pace; etsi postmodùm ex alio capite, nempe prætensa *lege Salica speciali*, nullam esse voluerit. *Delphini* exceptio vel innixa fuit specialibus pactis, vel intelligenda *de facto*, quod nullum juri fert præjudicium. Neque

Nullo Regni præjudicio.

Obstat 3. Quòd, teste *Grotio* (c) saltem in Regno electivo, non sit credibile, delatum esse Regi Imperium, *etiam à non libero exercendum*, vel cum potestate sanciendæ pacis, in negotio propriæ liberationis, Regno præjudiciosa, nimiæque alienationi obnoxia. Sed

℞. D. Non est credibile, delatum esse Imperium, *etiam à non libero exercendum*, in quantum permittit captivitas. N. In quantum impedit. C. Ordinaria tantùm administratio, & quidem *per accidens*, impeditur. Neque potestas illa est Regno præjudiciosa, quia in regimine electivo ejusmodi alienationibus, per specialia Procerum pacta, sat præcavetur.

Vel exilio, servituti obnoxio.

Excipitur 3. Si Rex sit exul, vivàtque obnoxius servituti, ùt patet: non item, si suorum seditione, vel hostium impetu injustè sit in exilium pulsus, nec à quoquam in servitutem redactus. Quia jus sanciendæ pacis manet Regi captivo: ergo & exuli.

Jus pacis etiam inferiori potest competere per viam privilegii, præscriptionis &c.

Excipitur 4. Si quis inferior Principe summo ex legitima concessione, privilegio, aut præscriptione jus belli acquisivisset: huic enim & jus pacis competeret, ne absurda bellorum æternitas conficiatur. Unde juramentum de pace, cum hostibus nunquam incunda, foret invalidum, quia *vinculum iniquitatis*, adeóque nullam produceret obligationem.

Jus pacis plerumque delegari solet

℞. II. *Jus contrahendæ pacis est delegabile*: patet ex facto. *Immò sæpe expedit; sæpe necessariò est delegatum*: non enim in statu polyarchico citra maximam difficultatem optimates, vel cives omnes ad eundem locum confluerent: neque in Monarchico vel ceremoniæ, vel expensæ, semper permittunt Regum personalem congressum; immò minùs conducibilem suadet infelix sæpe eventus. *

Instructis speciali, & sufficienti mandato.

Olim *Fecialibus*, hodie *Legatis* delegari solet compositio pacis, quos tamen instructos esse oportet *mandato speciali*, atque *sufficienti*, quo pacem *plenè* possit concludere, etsi ante conclusionem finalem, ac obligatoriam, ratishabitio Principalium plerumque expeti soleat. Unde

Unde generale cum libera non censetur sufficiens.

Colligitur 1. Mandatum generale cum libera, vi cujus delegatus agere cuncta potest, quæ Principalis, si adesset, non sufficit, ut ad pacem, concludendam *cum effectu*, admitti possit. *Ratio est*: quia etsi mandato speciali æquivaleat *in favorabilibus*, non tamen æquivalet *in præjudiciosis*, quæ in generali tantùm mandato, & quò ad negotium publicum, támque arduum, comprehensa esse haud præsumuntur. Ex quibus

Neque belli-Duces, etsi summi, sine speciali mandato sunt habiles ad faciendam pacem.

Colligitur 2. Supremo Belli-Duci fas non esse pacem pangere *sine mandato specifico*, qualemcunque de cætero habeat potestatem: nam belli gerendi potestas delegata teste *Grotio*, non includit potestatem belli finiendi, & de causis, ac consequentibus transigendi, quam sæpe togatæ, quàm sagatæ

(a) In synopsi juris Gentium c. 20. n. 17.
(b) L. 19.
(c) L. 3. c. 20. n. 3.
* V. G. *Ludovici* XI. Regis *Galliæ*, & *Henrici* Regis *Castiliæ*, Reginæque *Aragonicæ*. Item *Friderici* III. Cæsaris. & *Caroli* VIII. Regis *Galliæ*. Rursus *Eduardi* Regis *Angliæ*, & *Caroli* Sororii ejusdem. Insuper *Caroli Burgundi*, & Comitis *Palatini* ad *Rhenum*. Demum *Sigismundi Austriaci*, & *Caroli Burgundi*, & sic de aliis.

gatæ Palladis Ministri utiliùs administrant: Unde etiam ex amplissima potestate præsumi nequit, uti exemplo esse potest Dictator *Papyrius*, qui maxima cæteroquin potestate instructus, *Samnites*, pacem petentes, ad Senatum ire jussit, ùt narrat *Livius* (a).

Mediatorum usus, fundatus in componenda facilius pace.

℞. III. Ad pacem adhiberi plerumque solent *Mediatores*, seu pacis *conciliatores*, sic dicti, quòd quasi *medii* inter bellantes, authoritate sua, & ope pacificam transactionem *concilient*. Consuetudinis hujus inveteratæ ratio est, *facilior modus componendæ pacis, terminandique belli*, hostibus plerumque in causæ suæ prætextus, belliqve prætensiones nimium obstinatis, nisi per neutras partes, æquis rationibus, atque conditionibus, inclinentur. Hinc

Quo fine cessante, cessat mediatio.

Colligitur 1. Quòd utraque parte, ab armis ultrò cessante, cesset mediatio, quia cessat mediationis finis.

Cujus acceptatio non obligat jure Gentium.

Colligitur 2. Quòd utrâque parte, in armis stante, non appareat, bellantes *jure Gentium* esse obligatos ad recipiendos Mediatores, quos offerunt vicini Principes, ùt videtur innuere *Puffendorfius* (b). *Ratio est 1.* Quia potest alterutri parti affulgere spes propinqua victoriæ, quam acceptata mediatione haud obligatur sufflaminare. 2. Quia potest obstare præjudicium dignitatis, emolumenti proprii &c. Mediatoribus nonnunquam ferventiùs proprium, quàm alienum negotium promoventibus. Unde

Præcipuè ratione Mediatoris, alterutri parti addicti.

Colligitur 3. Multò minùs adesse obligationem acceptandi Mediatoris, qui alterutri parti specialiter est conjunctus. Nam etiam in judiciis privatis, etsi cœptis, recusari possunt suspecti arbitri, satiùsque est, initiò illos repellere, quàm post factas propositiones cum dispendio sumptuum repudiare. Hinc *inhumanitas summa*, quam prætendit *Puffendorfius*, in repellendis *tam sancti propositi* promotoribus, per speciales rationes excusari, ac *humanitati* potest restitui.

Aut Legati ab eo destinati.

Colligitur 4. Quòd licitum sit, missos à Mediatoribus Legatos ad conciliandam pacem recusare, & alios in eorum vices postulare, si de partium studio sint suspecti. Patet à fortiori, cùm ipsi Mediatores recusari possint.

Etsi pars illa, cujus interest, pacem possit suadere, & recusatam armato fœdere procurare.

Colligitur 5. Quòd licitum sit, uni vel pluribus, quorum præcipuè interest sopiri bellum, conditiones æquas bellantibus offerre, eo pacto, ut qui pacem detrectaret, deinceps hostiliter more tractetur. *Ratio est*, quia hi in aliena causa neque arbitros, neque Judices sese constituunt, sed utuntur libertate naturali, arma jungendo cum illa parte, cui videtur esse illata injuria, in ipsos forsan Mediatores cum tempore redundatura. Hinc patet animus, pacis honestis conditionibus promovendis studiosûs, & æquitatis observantissimus, non priùs descendendo ad bellum, quàm post amica pacis media ab altero repudiata.

Mediatorum officium est mere suasivum.

Colligitur 6. Mediatorum *officium* esse *mere amicabile*, *suasivum*, citra ullam potestatem coactivam, nisi partes dissidentes eorum placitis ultrò se subjecissent. *Cunctatio nimia* redderet mediationem suspectam, vel de propensiore in partem alterutram studio, vel de emolumenti proprii quæsito commodo. Quòd si Mediatorum consilia forent rejecta, tenentur bellantes rejectionis causas declarare, ut Mediatorum honori præcaveatur.

§. III.

§ 3.

De objecto pacis.

Quæritur III. Quodnam objectum pacis, & quid de illo sentiendum?

Seu articulis pacificationis in genere.

℞. I. Objectum pacis *in genere* sunt *capita*, seu *articuli* à paciscentibus utrinque conventi. Juxta *Knichenium* debent 1. congruere *æquitati*, & *honestati*. * 2. Debent exprimi *claris*, *propriisque verbis*. ** 3. Debent confici idiomate utrique parti noto. 4. Debent utrinque subscribi, ac subsignari.

In specie de Amnistia.

℞. II. Objectum pacis *in specie* sunt 1. Articuli concernentes *amnistiam*, vi cujus spondetur *perpetua oblivio omnium*, quæ *durante bello* commissæ, *hostilitatum*, *injuriarum*, *immutuarum* &c. Ejus formulam suppeditat pax *Monasteriensis* §. 2. *Sit utrinque perpetua oblivio eorum, quæ ab initio horum motuum quocunque loco, modóve, ab una vel altera parte, ultrò citróque hostiliter facta sunt* &c. *Ratio est*: quia pax firma esse nequit, nisi facta reconciliatione ex integro: unde quod Majestati hìc gravius videri posset, tranquillitate publica compensatur dicente *Tacito* (c): *Fas esse, ut etiam*

(a) Dec. 1. l. 8. c. 29.

(b) L. 5. de J. & N. & G. c. 23. n. 7. f. m. 787.

* Quæ controversi olim orta sit circa Bullam *Innocentii X. Zelo domûs Dei* &c, quam præ cæteris oppugnavit *Conringius*? Videantur Coll. Histor.

** Quæ quondam controversia orta sit circa verba Pacis *Westphalicæ*, quibus cessa *supremo Galliæ* Regis *dominio* est tota *Alsatia*? Vide coll. Hist. Parte 2. q. 20.

(c) L. 1. annal. c. 10. n. 4.

etiam privatæ offensiones utilitatibus publicis remittantur. Hinc

Ejus origo ab usu Gentium communi.

Colligitur 1. Amnistiæ *Originem* deduci ab antiquissimo, communique Gentium usu. Unde teste ab *Andlern* (a), vix reperibilis unquam transactio pacis, Amnistiæ oblita: immò etsi omissam verbis, *tacitè* tamen imbibitam, & de paciscentium mente rectè præsumptam Authores statuunt (b). *Ratio est*, quia est præcipuum tranquillitatis remedium, quo obtegitur, quidquid aliter tolli nequit, & sine quo pax firma consistere nunquam potest. Sic legimus de *Thrasibulo*, quòd *Athenis*, à triginta Tyrannorum sævitia liberatis, omni modô caverit, ne rerum præteritarum mentio fieret, qua ratione concussum, labentémque Reipublicæ statum flori pristino restituerit.

Effectus varii.

Colligitur 2. Amnistiæ *effectus* esse varios. Nam eodem Authore ab *Andlern* (c), Amnistia 1. Ex hostibus facit amicos, ex bello pacem, ex turbis efficit quietem, pro vi reddit justitiæ ordinem. 2. Resuscitat vindicationem bonorum, irritat exhæreditationes, renuntiationes, exclusiones, & quascunque dispositiones factas ob belli diversitatem. 3. Ob Amnistiam non nu nerantur tempora ad præscriptionis, aut usucapionis inducenda præjudicia; sententiæ vim rei judicatæ non assequuntur. 4. Per Amnistiam redit commerciorum libertas, reviviscunt jura, exspirant bellorum onera, vectigalia &c. desinunt repressaliæ, cateráque austera cogendi remedia.

Cum restrictione ad tempus & causas belli.

Colligitur 3. Hæc non extendenda esse ad ea, quæ ante bellum, & extra belli causas acciderant: sic feudum per feloniæ crimen, ante bellum à Vasallo bellante amissum, per Amnistiam, cum directo Domino pactam, nullatenùs recuperatur. Sed neque præjudicat Amnistia rei vindicationi, & actionibus aliis, quæ non vindictæ, sed rei, damnive sunt persecutoriæ. Sic legimus *Syllanos* interfectores, etsi præscriptionis pœnâ solutos, in jus vocatos à *Catone Uticensi*, repetitámque fuisse proditionis, ac parricidii scelere acquisitam pecuniam (d).

Restitutio Dominis facienda, & ...xta pacis ...a.la.

§. III. Objectum pacis *in specie* 2. sunt *Capita*, quæ concernunt *restitutionem* personarum, rerum, jurium, dignitatum, bonorum &c. durante bello occupatorum. Hæc *restitutio* fit pristinis Dominis, seu Principi, seu subditis: nam pacificantes & sibi & suis pactione publica videntur prospexisse, nisi forsan intercessisset permutatio, cessio, vel retentio locô debitæ satisfactionis, solutionis &c. *Quæ* & *quomodo* restituenda, dependet à voluntate paciscentium: neque hìc obtinet *jus postliminii*, nisi expressum; nam alia ratio est de superatis bello, alia de captis suo fato, ùt habet *Grotius* (e). Unde

A qua exempta res non extantes, & legitimè alienatæ.

Colligitur 1. Restitutioni probabiliùs non subjacere *res ampliùs non extantes, aut legitimè titulô alienatas*: quia, absque speciali mentione, paciscentes de his aut non cogitâsse, aut jus alteri quæsitum auferre haud voluisse, præsumuntur, ùt vult *Ebberthus* (f). Idem sentiendum *de fructibus, ac reditibus*, qui ex rebus, aut juribus interceptis *jam percepti* sunt: quia percepti sunt jure dominii, & sunt alterius naturæ, ùt habet *Hermes* (g). Neque restitutio, etsi ejus causa sit favorabilis, est latioris interpretationis, sed potiùs talis, quæ quàm minimè detrahit alteri, & quod bona fide factum, in suo statu relinquit, ùt vult *Gudelinus* (h).

A Principe cedi possunt subditorum bona, etiam citra eorum consensum, in casu pacis aliter non obtinendæ.

Colligitur 2. Pacis *causâ* posse hostibus cedi à Principe *subditorum bona* (abstrahendo à specialibus pactis, Regnique legibus) non modò *cum consensu*, eò quòd ablatis carere, quàm ulterioribus belli periculis exponi malint, id quod manifestum: sed etiam *sine consensu*, immò *cum dissensu*, etiam bello non occupata, siquidem pax aliter obtineri non possit. *Ratio est*: quia bona privatorum sic subsunt *eminenti* summæ potestatis dominio, ut ex causa necessitatis, seu utilitatis publicæ etiam invitis auferri valeant. 2. Quia, *jure naturæ*, & *Gentium consensu*, videtur constitutum, ut privata publicis, pretiosa pretiosioribus anteponantur. 3. Quia in ejusmodi casu derogatur regulis juris communis: nam etsi justum sit, quemque sua tenere, justius tamen est, ex earundem legum placitis res suas quibusdam adimi, quàm ut eo omisso tranquillitas

(a) In corpore constitut. Imperii v. *Amnistia* n. 2.
(b) *Vitriar.* in *Grotium.* l. 3. c. 18. Q. 7. *Gudelinus* de Jure Pacis c. 3.
(c) L. c. n. 6.
(d) *Plutarchus* in vita *Catonis.*
(e) L. 3. c. 9. n. 4. hinc L. 18. in pr. ff. de captiv. & postlim. explicat per L. 20. & 28. ff. hoc Tit.
(f) de Pace c. 5. § 1. n. 54.
(g) Fascic. J. P. c. 18. n. 149.
(h) L. c. c. 5.

litas totius Populi impediatur; siquidem justitia æstimanda venit *ex omnibus circumstantiis*, ut habet *Tryphoninus* (a). Dictum: *Subditorum bona*, nam quid de rebus Ecclesiasticis sentiendum, alibi ex Jureconsultis *Dilingensibus* declaravimus (b).

Et coronæ competentia jam occupata.

Colligitur 3. Pacis *causâ* posse hostibus cedi ditiones occupatas, vel transcribi non occupatas à Principe, si sint *in Regno patrimoniali*, vel *proprietatis jure* ab illo *possessa*. Patet; posito, quòd nullum obstet speciale pactum. In Regno *non patrimoniali*, etiam ditiones, & bona *coronæ competentia*, siquidem ab hoste *sint occupata*, cedi possunt à Principe, quia non tam alienantur, quàm alienata jure belli, in hostis dominio, relinquuntur. Quòd si tamen recuperandi spes, neque pacem necessitas urgeat, recuperanda sunt; quia Princeps, vi Regii muneris, tenetur commissa sibi servare, & amissa recuperare.

Immò & non occupata etiam citra expressum consensum subditorum, in casu necessitatis, periculi in mora &c.

III. *Coronæ bona & ditiones, non occupatæ ab hoste, in casu manifestæ utilitatis, vel publicæ necessitatis*, saltem ex parte, probabiliùs alienari possunt à Principe citra expressum consensum Ordinum, nisi specialibus pactis sit reservatus. *Ratio* affertur à *Textore*, *Hottomanno*, *Hermete* (c), & aliis, quia, licèt Princeps Dominus non sit, competit eidem tamen facultas plena administrandi Rempublicam, meliore modo quo potest, è duobus malis eligendo minus, cùm ejusmodi potestatem, *in tali casu*, à Populo, vel Statibus concessam esse, meritò præsumi possit.

Abstrahendo à specialibus pactis.

Dictum, nisi specialibus pactis consensus Ordinum foret reservatus; hoc enim casu aut deesset potestas, aut forma ad alienationis valorem requisita. Excipit tamen Clariss. D. *Stapfius* (d) casum, quo res moram non ferret, ut Populus consuli posset. Rationem addit, quòd verosimile non sit, voluisse Populum summos Imperantes ad petendum assensum adstringere, ubi nequidem tempus suppetit, eum petendi. Neque

Quia præsumitur consensus saltem tacitus, ratione boni publici.

Obstat 1. *Defectus plenæ proprietatis*, ut habet *Grotius*, cùm ait (e), potestas *plena*, tacitusque populi consensus, etiam in casu necessitatis, præsumi nequit: ergo &c. A. P. Potestatis ejusmodi usus bona in manus hostiles, Populum in alienum Imperium, vel servitutem detruderet: ergo cederet in Regni perniciem: ergo concessio præsumi nequit. Sed

℞. N. *Suppos.* Non enim dicimus, in Regno non patrimoniali adesse posse *plenam proprietatem*, sed *plenam administrationem* ex consensu tacito; si nulla reservatio extet. Unde N. A. Ad P. D. Detruderet omnem Populum. N. A. Partem Populi in ordine ad bonum publicum, & conservationem totius. C. A. & D. C. Ergo cederet in perniciem Regni *absolutè*. N. C. *Respectivè*, quatenus perditur aliquid, ne amittatur totum. C. C. Neque

Quod & suffi cit.

Obstat 2. Quòd ejusmodi bona magis sint in patrimonio Populi, quàm Regis. Nam ℞. C. A. D. C. Ergo alienari à Rege nequeunt absque consensu saltem Populi tacito. C. C. Absque expresso. N. C. Neque

Saltem ad partem Imperii alienandam à Principe.

Obstat 3. Quòd in alienatione bonorum, dignitati Regiæ competentium, plerumque agatur de Imperio simul: atqui hoc *sine expresso Populi consensu* inalienabile. Sed ℞. Tr. *Maj.* D. *Min.* Est inalienabile *ex toto*. C. *Quò ad aliquam partem* ad salutem totius. N. Neque

Et in casu publicæ necessitatis.

Obstat 4. Quòd Imperium *etiam ex parte sit* inalienabile, absque consensu illius partis, etsi adsit expressus Populi consensus: ergo à fortiori, si adsit solummodò tacitus. A. P. *Grotius* (f): Quia in corpore civili, quod voluntate contractum est, jus in partes ex primæva voluntate sit desumendum; atqui tale desumi nequit, quò fas sit corpori partem abscindere, & alteri in ditionem dare. Sed

℞. N. A. *Ad Prob.* D. *Min.* Atqui tale desumi nequit in casu necessitatis, vel utilitatis publicæ. N. *Min.* Extra hunc casum. Tr. *Min.* Dicitur: *transeat*, quia hac de re expressiùs alibi.* Neque hic displicet moderamen, à *Puffendorfio* allatum, cùm scripsit (g): Quòd si Rex *in casu necessitatis* alienasset Provinciam *renitentem*, deberet quidem ex ea deducere sua præsidia, nec impedire, quò minùs victor ejus possessionem apprehendat, *cogere tamen*

illam

(a) L. *bona fides* ff. depos. *Hæc demum justitia est, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ulla majori justitiæ parte.*
(b) Videantur Coll. Hist. P. VIII. Q. 1.
(c) *Textor*. Syn. cit. c. 26. n. 25. *Hotlom.* apud *Hermetem*.
(d) De Majest. c. 5. §. 59.
(e) L. 3. c. 20. n. 5. *Mulen, Vitriarius* ad *Grotium*.
(f) L. 1. c. 3. n. 13.
* Videantur disputata in Coll. Hist. P. III. Item P. VIII.
(g) De jure Nat. & Gent. L. 8. c. 5. §. 9.

illam haud posset ad ejusmodi subjectionem, neque Regi obligata foret, ut si propriis viribus confideret, se occupare volenti non resisteret, aut peculiarem deinceps civitatem constitueret.

Compensatio fieri in pecuniis, vel rebus.

℞. IV. *Objectum pacis in specie sunt 3. Articuli de satisfactione & compensatione pro impensis, damnisque bellicis. Justitia* patet ex præjudiciis, innumerisque exemplis, quæ iniquitatis insimulare temerarium foret. *Modus* vel fit per pecunias, vel alias res, tormenta bellica, castra, urbes, & integras ditiones, ùt patet plùs, quàm satis, vel ex sola pace *Westphalica. Obligatio* provenit ex transactione: unde cessat, si nulla compensationis facta sit specifica mentio. Ex hoc

Damna data à Principe remitti possunt ob dominium eminens.

Colligitur 1. Posse damna subditis illata remitti à Principe, si pax aliter fieri non possit. *Patet* ex dominio *eminenti* in Subditorum bona pro bono totius Reipublicæ: si commodè pax iniri posset absque hoc medio, ex officio tenetur Princeps subditorum indemnitati prospicere, nî cæteroquin ipsemet onus satisfactionis sibi imponere velit, ùt ait *Molina.*

Nulla obligatione communitatis, quò ad damna privatis resarcienda.

Colligitur 2. Communitati nullam esse obligationem *ad compensanda privatorum damna*, durante bello illata; siquidem illata sint *nullo Reipublicæ commodo*, v. g. si hostis erupisset in villas, ædes ædificâsset, incendisset &c. *Ratio est*, quam *universaliter* quidem adhibet *Fernandus Vasquius* (a), rectiùs tamen restringere videtur Clariss. P. *Schmier* (b) ad ejusmodi circumstantias: quod nempe privatis, citra spem compensationis, ferendum sit, quod belli jure censetur factum, initáque pace *per Amnistiam*, ipso Gentium jure, videtur esse remissum. Accedit, quòd, cùm civitas nullum senserit commodum, æquiùs sit, ut damnum privati, ceu alium casum fortuitum, sustineant *Zieglero* Authore. (c). Quò spectat, si damnum privatis quodammodò sit imputabile, v.g. destructio ædium in suburbiis, prope muros &c. quæ erectæ in præjudicium Urbis, & contra leges *Arcadii*, & *Honorii* statuentium, *ut ædes exstruantur, mœnibus sic cohærentes, ut ex iis insidias vicinitas reformidet* (d). Nam quod quis ex sua culpa damnum sentit, sentire non intelligitur.

Nisi facta forent publico Reipublicæ commodo.

Quòd si tamen damna privatis illata forent *publico communitatis commodo*, v. g. si ædes destrui, fundum subrui patiantur, ne hosti perfugium præstent, tenet Authorum longè communior (e), compensationem civitati incumbere. Idem sentit *Puffendorfius* de subditorum bonis, pacis conciliandæ causâ in hostes translatis (f).

Ratio est 1, Communis regula, ex paritate, & argumento Legis *Rhodiæ* desumpta, qua dicit JCtus, *æquissimum esse, ut commune detrimentum fiat, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut suas salvas haberent* (g), quam legem in toto orbe *Romano*, & ab omnibus Populis, propter summam æquitatem, receptam esse, testatur *Gudelinus* (h).

Ratio est 2. Ex paritate incendii, ubi, si domus vicina, ne ignis ad eam perveniat, destruatur, vicinorum contributione reparandum est damnum ex legum placitis. (i) Neque

Obstat 1. Quòd casus fortuitus, cujusvis major, quàm ut eidem resisti possit, subdito non sit præstandus. Nam ℞. D. Non est præstandus à Principe, vel alio quovis particulari. C. à Communitate, quam spectat, cùm sit casus communis. N. Neque

Obstat 2. Quòd Respublica belli damna, quia jure data, non recognoscat. Nam ℞. Jure data respectu hostis, C. Respectu subditi. N. Damna, quæ societatis causâ contingunt, ex æquitate quadam naturali communia esse debent (k).

Colligitur 3. Casu, quo communitati non suppetit *de præsenti*, unde damnum ex causa publica susceptum resarciat, necessum esse, ut refusio fiat *tempore futuro*, quo adest copia, & facultas, prout arguunt Authores (l).

INSTRUCTIO II.

Instructio 2.

De obligatione, ac dissolutione pacis.

De effectibus & contractis pacis.

§. I.

§. 1.

Quæritur I. Quinam sint effectus pacis?

Obligatio servandi pacem.

℞. I. Effectus primarius est *obligatio ser-*

(a) Illustr. Controv. L. 2. c. 4. n. 12.
(b) Jurispr. univ. L. 4. c. 2. sect. 3. n. 129.
(c) De Jure Majest. l. 1. c. 40. §. 5
(d) L. *ædificia* 14. c. de oper. publ.
(e) *Hermes* L. c. n. 144. *Gudel.* c. 7. ab *Andlern* const. Imp. v. Fried. n. 7.
(f) De J. N L. 8 c. 8. §. 3.
(g) L. 1, & 2. ff. ad legem *Rhodiam* de jactu.
(h) L. c.
(i) L. *si quis* 49. §. 1. ff. ad L. aquil.
(k) L. *cum duobus* §. *quidam.* ff. pro socio.
(l) Textor l. c. c. 20. §. 28. *Grotius* L. 3. c. 20. n. 7. *Horn.* de fide pacta c. 2. §. 3. n. 34.

ſervandi pacta, ſive inita ſint cum juſto, vel cum injuſto bellatore. *Ratio eſt*, quòd obligatio non proveniat *ex juſtitia belli*, ſed *ex natura pacti*; & jure naturæ ac Gentium obligantis *in rebus cæteroquin licitis & honeſtis*. Unde oritur obligatio juſtitiæ, etiam hoſtibus ſervanda, ob datæ fidei ſanctimoniam, atque religionem. Ex his

Afficiens primariò paciſcentes, ſecundariò ſubditos.

Deducitur 1. Quòd hæc obligatio *primariò* ſtringat paciſcentes, ſeu Principes ſuprema poteſtate, jus belli paciſque complexâ, præditos: *ſecundariò* ſubditos, utpote in quos derivatur obligatio, ex aliis quoque contractibus, *Civitatis nomine*, & *bona fide* contractis à Principe. Immò reſpectu ſubditorum pax obtinere ſolet *vim legis* ad normam aliorum contractuum, quos hoc modo contrahunt Principes, ut habet *Gudelinus* (a).

Extenſivè etiam paciſcentium ſucceſſores.

Per extenſionem legitimam hæc obligatio etiam tranſit ad ſucceſſores non tantùm in Regno ſucceſſivo, ſed etiam electivo. *Ratio eſt 1.* Quia pax involvit *perpetuitatem*. *2.* Quia obligatio non tantùm eſt *perſonalis*, ſed etiam *realis*, Principibus non tam *nomine proprio*, quàm *Reipublicæ* paciſcentibus: ergo, adinſtar aliorum contractuum, *dignitatis nomine* initorum, obligatio non ſoli perſonæ paciſcenti, quæ moritur, eſt connexa; ſed eſt *tranſitoria* in omnes *dignitatis Regiæ*, quæ ſemper durat, ſucceſſores (b).

Incipit in puncto mutuæ acceptationis ſaltem abſolutæ.

Deducitur 2. Quòd *obligatio* pacis, abſolutè initæ, ſtringat à tempore pacificationis mutuò acceptatæ: inita *conditionatè*, vel cum *reſtrictione* ad certam diem, refertur ad terminum purificatæ conditionis & temporis. Patet ex paritate aliorum contractuum (c).

Per ratihabitionem.

Ut pacificatio intelligatur eſſe *mutuò acceptata, ſtylo ordinario*, requiritur *ratihabitio Principalium*. Patet ex praxi Gentium antiqua: ſic, teſte *Livio*, (d) *Scipio Africanus*, etſi plena poteſtate præditus, initam cum *Carthaginenſibus* pacem, Senatui *Romano* ſpecialiter approbandam ſubmiſit. Item ex praxi moderna, ùt pax *Weſtphalica*, *Carlowvizenſis*, *Ryſwicenſis*, *Raſtadio-Baadenſis*, *Paſſarowicenſis* &c. teſtatur. *Ratio* à priori eſt: quia *ordinariè* pax concluditur per Legatos, de quibus conſtare nequit Principibus, an non tranſgreſſi ſint limites *mandati*. Neque

Neceſſariam ſaltem quò ad acceſſoria pacis.

Obſtat, quòd Legati, *abſque ſpeciali mandato*, non admittantur ad negotia pacis: ergo jam habetur *pleniſſima* poteſtas. Nam ℞. D. C. Habetur pleniſſima quò ad pacem, in ſubſtantia concludendam. C. C. Quò ad omnia & ſingula capitula, à Legatis poſtmodùm concluſa. N. C. Saltem dubium eſſe poteſt Principibus, an hæc in ſpecie ſint demandata.

Per ſubſcriptionem, & ſubſignationem, ſaltem regulariter.

Deducitur 3. Quòd ad plenum pacis effectum, & robur, etiam *ſubſcriptio* & *ſubſignatio* requiratur, ſaltem *regulariter*. Fluit ex ratificatione: Hæc enim compleri ſolet per ſubſcriptionem & ſubſignationem. Dictum *regulariter*: quia ratihabitio etiam *ipſo facto*, ſeu *obſervantia actuali* colligitur, ſiquidem non ſit in articulis, obſervanti meriſſimè commodis, ſed oneroſis, ùt rectè animadvertit *Textor* (e).

Per promulgationem reſpectu ſubditorum.

Deducitur 4. Obligatio *reſpectu ſubditorum* opus habet aliqua promulgatione, ſeu publicatione. *Patet*, quia pacificatio ſubditos ſtringit *per modum legis*.

Accedere ſolet Garantia.

Deducitur 5. Paci firmiùs roborandæ accedere plerumque ſolet *Garantia*, ſeu *aſſecuratio*, vel *ſponſio particularis*, qua pacis obſervantia præmunitur verbô, ſcriptô, aut factô, datis ſcilicet obſidibus, urbibus, Caſtellis &c. Per hanc non additur paci *obligatio nova*, ſed *antiqua*, quæ provenit ex pacto, *noviter* roboratur: etſi enim juramentum accedat, ſuperaddens *obligationem religionis*, hoc ſolummodò *intenſiùs* obligat, non autem *ad aliud* & ad *plus*, quàm ipſe actus, cui opponitur, ùt habet communis. Quòd ſi tamen plures ex una, alteráve parte, forent pacis conſortes, ex garantia conſurgeret obligatio nova: ſi nempe ad armatam reſiſtentiam contra quoſcunque pacis violatores, ad quam alioquin non tenerentur, ſe obligarent. Caſu quo tertius aliquis, aliíve (ùt ſolet) ſponſores pacis intervenirent, reſpectu horum oriretur obligatio, partem injuſtè reſilientem compellendi ad executionem, etiam armis, ſi prævia monita nil efficerent; etſi *ſtricto jure* hæc neceſſaria non videantur, cùm officium mutuo partium conſenſu firmatum, immediatè exequi valeant Mediatores. Ceſſat tamen horum officium, ſi partes, mutuo conſenſu ab uno, vel pluribus punctis recederent, ùt per ſe eſt manifeſtum.

Effectus pacis eſt etiam executio, ubi perſonæ exequentes ſunt paciſcentes, vel denominatæ.

℞. II. Effectus pacis alter eſt *executio*. Circa quam

Con-

(a) L. c. c. 10.
(b) *Hermes* L. c. c. 12. n. 153. *Becman, Eyben, Gudelinus, Bombra* cit. apud P. *Schmier* L. c. §. m. 316.
(c) L. 14. ff. de R. J.
(d) Dec. 3 L. 10. c. 18.
(e) In Syntag. Juris Gent. c. 81. n. 6.

Considerantur 1. *Personæ exequentes*, quæ si sint determinatæ in pacis articulis, iis competit jus executionis, etiam armatæ in renitentes: si non determinatæ, executio ipsismet partibus incumbit. In *casu moræ* præmittenda monita, ne bello vix finito procedatur ad novum; si legationes nil proficiunt; manu forti quærendum, quod amicabili dextera non acquirendum.

Res & facta executioni mandanda juxta normam præscriptam.

Considerantur 2. *Res, aut facta executioni mandanda.* *Res* consistunt vel in traditione pecuniarum, aliarúmque rerum mobilium, aut immobilium, castrorum, urbium, Provinciarum &c, vel in remissione, aut cessione jurium ad ejusmodi res sive exigendas, sive possidendas. Ad *facta* pertinent demolitiones munimentorum, abductiones copiarum, deductiones præsidiorum, exauthorationes militum, captivorum extraditiones, si quid in pacis articulis de his comprehensum fuerit. Rariùs redduntur transfugæ: quia *jure belli* recipere licitum, qui mutant partes: sed deprehensi extra tale servitium, plecti possunt, ùt militaris sacramenti violatores: non item milites exauthorati: etsi castra hostilia secuti, quia generali amnistia fruuntur.

Salvo jure tertii.

In cessionibus tam rerum, quàm facti semper subintelligitur clausula: *salvo jure tertii*, ratione pignoris, feudi juris &c. quod illi competit in regiones extraditas, quia repugnat æquitati naturali, alteri per alterum iniquam inferri conditionem, aut invito jus suum auferri. *

Ordo executionis vel ex conventione, vel naturali dictamine.

Consideratur 3. *Ordo in executione servandus* juxta normam, in pace expressam; si nil præscriptum, procedendum est juxta naturæ dictamina: ubi par causa, executio facienda simul, si simultanea esse nequit; vel ubi impar conditio, majoris momenti res levioribus anteponendæ, de quibus *Grotius*: *Plus favoris habent pactiones, quæ de hominibus sunt, quàm de rebus, & inter eas, quæ de rebus, hæ, quæ de agris, plùs quàm de rebus mobilibus: & quæ de his, quæ penes publicum sunt, plùs quàm quæ penes privatos: & inter eas, quæ penes privatos, plùs illæ, quæ reddere jubent, lucrativo titulo possessa, quàm oneroso, ùt quæ emptionibus, quàm quæ dotibus tenentur* (a).

Executionis obstacula per exceptionem.

Considerantur 4. *obstacula, executionem pacis morantia.* Casu quo opponatur *exceptio*, cujus causa tempore pacificationis jam erat cognita, executioni nil obstat: quia opponentis culpæ est imputandum, quòd defensionis suæ remedia protelârit. Nec æquum foret, publicam pacis causam ex novo prætextu morari, aut articulum liquidum per illiquidam oppositionem retundere. Quòd si causa exceptionis *primùm detecta liquida*, aut absque longiori indagine *demonstrabilis* foret, admittenda videtur exceptio, & executio differenda: si tamen foret *illiquida*, executio in rebus perspicuis prosequenda potiùs est, & *cum cautione indemnitatis*, quàm prolixiori dimicatione de rebus dubiis suspendenda.

Et mora non semper admittenda, nisi in casu impossibilitatis.

Casu quo ex alterutra parte, *etiam ad breve tempus*, executio retardaretur; probabiliùs non esset *locus purgandæ moræ*, nisi improvisa forsan necessitas intervenisset. Unde paritas non tenet cum rebus aliis, ubi modicum tempus, etiam ex arbitrio Judicis determinandum, admittunt Jureconsulti, quia ùt *Puffendorfius* animadvertit, (b) in hoc negotio sæpe breve tempus ad magnas rerum conversiones valere potest: hinc facilis occasio foret, resiliendi à pactis, & alteri parti integrum non foret, exercitum suum, tot sumptibus alendum, dimittere, quia conditionibus pacis necdum expletis. Cæterùm sponsionis factæ impossibilitas *excusat*. Patet; nam sufficienter quivis excusatur, qui in potestate non habuit, suam ut posset liberare fidem.

Effectus tertius est pacis interpretatio.

§. III. Tertius effectus è pace profluens est *interpretatio*, si quidem necessitas postulet. *Interpretatio* quatenus agitur *de valore pacis*, & favorabilis, & latior: quia ab illo dependet securitas, & utilitas publica. Quatenus spectat *obligationem* inter paciscentes vel *extendendam*, vel *restringendam*; est *stricti juris*, ùt habetur ex paritate aliarum transactionum, sibique imputare debent, qui apertiùs non locuti: unde pars altera multiplicem sensum in suum commodum jure trahere potuit, dicente Philosopho; *ubi utilitatis amicitia est, ibi ejus, qui accipit, utilitas ejus, quod debetur, mensura est.* Atque hinc

Competens paciscentibus.

Colligitur 1. Quòd *interpretatio authentica sit penes pacificantes.* Patet: siquidem ad eos, quos obligatio ex pacto naturali constringit, propriè pertinet verba, tanquam animi sui signa, explicare secundùm regulas æquitatis.

Quò ad articulos utrique parti communes,

Colligitur 2. Hæc intelligenda esse de iis: quæ *communia* utrique parti: quæ *specialia* uni, ejúsque Reipublicæ propria, quò ad interpretationem *privati-*

vè

* An per pacem *Westphalicam*, vel *Neomagensem* vasalli cessi triplicis Episcopatûs, *Tullensis*, *Metensis*, *Virdunensis*, rectè à *Gallia* per Reunionum Cameras Imperio erepti sint? Eruditi disputant in utramque partem. Vide Coll. Hist. P. 2. Q. 20.

(a) L. 3. c. 20. n. 21.

(b) De J. N. L. 8. c. 8. §. 4.

vè ad Principem ſpectant: nam talis articulus reſpectu Reipublicæ, induit naturam legis, legis autem interpres eſt Princeps.

Vel etiam arbitris delectis.

Colligitur 3. Conveniens eſſe ad ſinceriorem pacis interpretationem, ut paciſcentes per Legatos inſtituant controverſi capitis tractationem amicabilem, adductis utrinque fundamentis verba declarando, genuinum ſenſum eruendo &c. Immò utilius eſt, denominare arbitros, qui remotô partium ſtudiô, juxta prudentiæ regulas, dubietatem omnem componant.

§. 2.

§. II.

De iis, quæ paci contraria.

Quæritur II. *Quænam ſint paci contraria?*

Ruptura quò ad eſſentiam pacis.

R. I. Ea omnia, quæ vel pacem violant, & novam bellandi cauſam ſubminiſtrant. Solvitur autem pax triplici plerumque modô.

Inferendo arma citra novam cauſam.

1. *Faciendô contra id, quod omni paci ineſt*, ſic cenſetur pax rupta, cùm ab alterutro paciſcentium vis bellica, citra novam cauſam, infertur: *Ratio* eſt, quia pax *eſſentialiter* eſt ſtatûs tranquillitas: ergo dicit ceſſationem ab armis. Unde violator pacis, beneficio pacis indignus, non modò armis repelli, ſed & offendi poteſt intra limites juſti belli. Siquidem omnis conventio (Matrimoniali excepta) violata ex una parte, ſolvitur quoque ex altera, locúmque habet, quòd *frangenti fidem fides frangatur eidem*, cùm fruſtrà ſibi fidem ſervari poſtulat, qui fidem ſervare recuſat.

Toti vel parti, paciſcenti vel ſocio in pace comprehenſo.

Tenet aſſertum, ſive toti communitati, ſive aliquibus tantùm vis inferatur, quia pax inita pro civitate includit cives: ſive ipſimet paciſcenti, ſive ſociis, in pace comprehenſis, fiat injuria, eò quòd pactum pacis commune. Quæ ratio ceſſat circa ſocios non comprehenſos, ùt patet: ſicut & circa affines; cùm multùm differat vinculum affinitatis à vinculo pactæ fidei, quod non afficit, niſi nominatos, aut *moraliter* connexos, puta cives.

Niſi fieret tantùm ab aliquibus ſubditis, abſque Principis culpa.

Excipitur 1. Caſus, quo illata foret injuria tantùm à ſubditis, non niſi aliquibus, & quidem *injuſſu publico*. Quia malè proſpectum foret civitati, ſi privatorum maleficio jura communia infringi poſſent. Aliud foret, ſi civitas vel violentiam ſuorum ſciviſſet, nec impediiſſet, nec vindicâſſet, etſi potuiſſet; eò quòd ejuſmodi conniventia mandato æquiparetur, ùt rectè notat *Grotius*. Juxta hunc authorem idem ſentiendum, caſu quo ſubditi non quidem per ſe arma moverent, ſed aliis bellum gerentibus militarent: cùm & hoc delictum adſcribitur Civitati, ſi ſciverit, & impedire ſuos neglexerit. *

Vel unus tantùm è ſociis hoſtiliter ageret.

Excipitur 2. Caſus, quo unus è ſociis, ſuo nomine, compaciſcentem alterum adoriretur. Hìc enim *pacem univerſaliter eſſe ruptam*, nemo facilè dicet: quia nemini alterius delictum nocere, aut jus pacis quæſitum eripere, aut transactio, omnium conſenſu facta, unius arbitrio diſſolvi debet, niſi inter paciſcentes fuiſſet aliter conventum. Tunc enim, ùt ſuprà diximus, *ob pactum commune* cùm violaretur pax reſpectu unius, hoc ipſo violaretur quoque reſpectu alterius.

Diſſolvitur pax per contraventionem in re gravi.

Rumpitur pax II. faciendô contra id, quod in pace expreſſè ſtipulatum, ſive quis faciat, quod prohibitum; ſive omittat, quod promiſſum, *ſi tamen ſit in re majoris momenti*: nam ſi levis cauſa mox rumperet pacem, hoc ipſo licitum faceret bellum, quod nemo dixerit. Unde cùm *Grotius* dicit, pacis articulos eſſe individuos, nec minorem eſſe obligationem ſervandæ fidei in cauſa momentoſa, quàm alia, id forſan *de ſummo jure*, non autem *de æquitate*, maximè *Chriſtiana*, intelligendum.

Niſi excuſet impoſſibilitas, quæ tamen à debito abſolvit.

Excuſat tamen *impoſſibilitas* nullâ culpâ, ſed neceſſitate quadam, aut caſu interveniente, etſi *à debito non abſolvat*: nam reſtant alteri parti remedia indemnitatis, vel facta æſtimatione, vel nova pactione ſibi procurandæ.

Rumpitur pax violata amicitiæ lege, in pactis ſpecialiter expreſſâ.

Diſſolvitur Pax III. faciendô contra id, quod ex pacis natura neceſſariò intelligendum: ut ſi quis *contra amicitiæ legem*, in pace *ſpecialiter expreſſam*, ſpargeret atroces minas, fortalitia extrueret in confiniis, inſolitas copias conſcriberet, hoſtilem animum ex indiciis ſatis certis proderet &c. Quia pacis natura obligat paciſcentes *ſtrictè jure* ad deponendam inimicitiam, & peculiaria amicitiæ munia exhibenda.

Dubia tamen in meliorem partem exponenda.

Ubi tamen ex amicitiæ legibus non præſumenda ſtatim eſt inimicitia, niſi de animo maligno apertè conſtet; nec quævis amicitiæ & humanitatis exigenda officia, quaſi debita *rigoroſo jure*: quod enim alterius humanitati eſt relictum, non parit actionem in foro humano, adeóque nec ſuppeditat juſtam bellandi cauſam. Ex his

De-

* An laudabile ſit Nationi *Germanicæ*, quòd nullum ferè bellum ſit inter *Chriſtianos*, in quo non ex utraque parte pugnent *Germani*? Immò quòd contra propriam patriam externis non rarò hoſtibus militent, idque inter privilegia libertatis *Germanicæ* numerent?

Ruptura non nisi nocenti præjudiciosa.

Deducitur 1. Rupturam pacis quamcunque non nisi rumpenti esse præjudiciosam: hinc obligatio ex ejus parte non solvitur, nil potente patrocinari perfidiâ; adeóque jus, ex pace quæsitum, innocenti est integrum, potéstque urgere observantiam, non obstante, quòd ipse nolit implere promissa, quia jam alterius iniquitate soluta. *

Nil obstantibus clausulis paci insertis.

Deducitur 2. Etsi foret paci inserta clausula: *per contraventionem quamlibet rupente pacto, vel rato semper manente pacto,* innocens posset vel urgere pacem, vel ab ea recedere, utrâque clausula in innocentis favorem, & nocentis incommodum intelligenda: uti colligere est ex privatis transactionibus, jure *Romano* exponendis.

Adjectum juramentum non contraveniendi de causis præteritis intelligendum.

Deducitur 3. Si adjectum paci foret juramentum *de non contraveniendo*, illud sese porrigeret solùm *ad causam de præterito*; non enim causa de futuro expressè adjici potest, quia nec prævidenda, nec præcavenda. Quòd si tamen foret adjecta clausula de causis futuris, nulla foret, quia dolum futurum remittendo, ansámque delinquendi præbendo, obligationem efficacem producere nequit.

Inter contraria pacis est nova injuria.

℞. II. *Inter contraria pacis est nova bellandi causa, pacem subsecuta*, puta *nova injuria post pacem illata*. *Ratio est*, quia pars læsa non spopondit cessationem ab armis, nisi sub hypothesi, qua cuncta maneant in statu antiquo, nec novus titulus novum hostilem inducat. Unde

Qua propriè tamen pacem non rumpit.

Colligitur 1. Si nova sit causa, pax *propriè loquendo* non censetur esse rupta, nisi *specialiter amicitia pactis inserta sit*, adeóque pars læsa instaurare poterit bellum, sed nova denuntiatione, cùm novum sit bellum.

Rumpit tamen antiqua.

Colligitur 2. Si causa foret antiqua, pax rupta censetur, & pars læsa absque denuntiatione instaurare bellum poterit, quia continuatum: pars offendens pœnam fractæ pacis incurret, si quæ foret apposita.

Pœna fractæ pacis à nocente debita.

Colligitur 3. Hanc pœnam conventionalem non contrahi ab offendente, si offensus ad arma proruerct. Quia non *absolutè* debetur, sed in eventum, quo offensus pacem ruptam urgeret, & in satisfactionem pœnæ solutionem expostularet. Atque

Toties quoties, etiam ad hæredes & Fidejussores transfusa.

Hoc in casu debetur, & probabiliùs *toties quoties* pax violatur: quia etsi in pœnalibus pars mitior sit assumenda, hîc tamen præsumitur strictior ex paciscentium mente, ad violationem pacis, *efficaciùs* & *pro semper* cohibendam. Atque hæc pœna etiam exigi potest ab offendentis hæredibus, quia præsentant defunctum non solùm *in civilibus*, sed etiam *pœnalibus*, casu quo pœna non debetur *ex sola culpa*, sed etiam *ex conventione*: atqui obligatio ex conventione nata, non solùm personas principales, sed & successores universales stringit: immò ligat & *fidejussores*, quia adhibiti sunt pro majori pacis robore, & majori paciscentium securitate.

Inter pacis contraria est dolus substantialis.

℞. III. *Inter pacis contraria est etiam causa pacem concomitans, vel antecedens*, quo nomine præ cæteris venit *dolus* ac *metus*. *Dolus substantialis*, qui rei substantiam afficit, sicut omnes contractus, ita & pacificationem invalidat. Patet ex defectu consensûs. *Accidentalis*, sive concomitans sit, sive præcedens, sicuti cætera pacta probabiliùs non infirmat *de jure naturæ* vel *positivo*, ita nec pacificationem annullat: non enim deficit consensus *quò ad substantiam*. Deceptus tamen sibi obligatum habet decipientem ad præstandam indemnitatem, seu restitutionem in integrum, *quia jus habuit, cùm ne deciperetur, tum ne cogeretur: illud ex natura contractûs; hoc ex naturali libertate*, ùt notat *Grotius* (a).

Metus gravis.

Metus gravis, ab extrinseco injustè illatus à causa libera, *de jure naturæ*, juxta satis communem, non invalidat pactum, seu contractum *in genere*; immò nec *jure positivo* ** quamvis rescissioni reddat obnoxium, ùt hìc supponimus. Unde

Non quidem justè incussus.

Resolvitur IV. de pacto pacis in specie. Pacem *bello justo extortam*, tam in foro interno, quàm externo esse validam, ac irrescindibilem: quia metus non est *injustus*, habetúrque paritas in contractibus aliis. Idem sentiendum in prudenti dubio, an pax sit justo, vel injusto bello extorta: nam sicut causa dubia est insufficiens ad bellum gerendum; ita etiam est insufficiens ad bellum, rescissâ pace, denuò instaurandum. Idem tenendum de pace, injusto quidem bello extorta, sed cessante metu *liberè* confirmata: nam actus, etsi ponatur invalidus, remissa injuriâ, convalescit,

Sed injustè: quo casu nil lucratur inferens metum, saltem in foro interno.

Resolvitur V. Observantiam pacis, *injusto bello* extortæ, etsi juramento firmatæ, non posse urgeri, vel extorqueri, neque pactas ditiones posse vi exigi,

---

* Siquidem non promissa, nisi sub conditione ejusmodi pactis imbibita, ùt habet S. Pont. in C. *pervenit* 3. de jurejur. *Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento, vel fidei obligatione interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat, eum conditioni minimè paruisse.*

(a) L. 2. c. 17. n. 17.

** *Matrimoniali* exceptò, ob specialem juris Ecclesiastici exceptionem.

exigi, vel retineri *ab inferente* metum injustum, *saltem salva pietate & conscientiâ.* Patet: quia injuria, pacto intrinseca, est inauferibilis, nisi remissione, vel juris renuntiatione *per novum, eúmque liberum consensum.*

Juxta Puffendorfium neque in externo.

Dictum: *saltem salva conscientiâ:* nam juxta *Puffendorfium*, & plures alios, * pacta, dolo, metúve injusto extorta, sunt etiam *naturæ jure* invalida. *Ratio* est apud *Puffendorfium:* ** quòd jure naturæ firmari nequeant, quæ æquitati naturali contraria: atqui talia sunt pacta, *per injuriam* extorta. 2. Quòd, quæ per injuriam extorta sunt, jure exigi nequeant, vel retineri à metum inferente: ergo nec jure debent præstari à metum passo: *nam nihil debeo*, inquit, *si nemo jure à me quid poscere valeat.* 3. Quòd lex naturalis, vetans alteri metum incutere, eadem quoque ex isto metu jus accipere, lucrúmque facere prohibeat. Sed

Et licit ejusmodi pax sit valida.

Resolvitur VI. Cum longè communiore, pacem, injusto bello extortam, v. g. ad avertendum periculum majoris mali, vel *certò*, vel *valde probabiliter* prævisi, *regulariter loquendò*, *** esse & *jure naturæ*, & *positivo* validam *utroque tamen jure* rescissioni obnoxiam, sic ut, per metûs oppositi exceptionem quis sua retinere, vel repetere posset, etiam armatô auxiliô, si aliter consequi jus suum nequit.

Jure Naturæ.

Ratio est 1. quò ad 1. de jure naturali; quia ad nullum contractum, *jure Naturæ*, plus requiritur, quàm *justus titulus*, qui, dolo, vi, vel metu non obstante, haberi potest per consensum *absolutè voluntarium:* siquidem, ùt constat, voluntarietatem metus quidem diminuit, non tamen tollit. Accedit, quòd non invalidetur *ex defectu libertatis*: aliàs quoque irritaret metus ex causa necessaria, v. g. morbo, peste, naufragio incussus, quod nemo dicit. Non *propter injuriam*; aliàs contractus matrimonialis, *dolo non substantiali obtentus v. g.* fictis divitiis, esset irritus *jure naturæ*, pactum, leviore metu extortum, esset *jure Naturæ* nullum, cùm & metus levis sit quædam injuria, & de jure naturæ obliget eum, qui intulit, ex delicto, ad satisfactionem, & restitutionem, ùt habet *Covarruvias* cum aliis. Unde patet responsio ad *Puffendorfii* rationem 1. Nam jus non oritur ex pacto *quà injurioso*, seu ex injuria, per injustum gravem metum ab altero incussa: sed ex pacto *quà voluntariè inito*, seu ex consensu alterius saltem *voluntariè* præstito. Unde D. jure naturæ firmari nequeunt, quæ æquitati naturali ita contraria, ut nullam ampliùs rescissionem admittant. C. si admittant. N. *Ad 2.* responsio opponitur *ex metu levi*, & quod probaret nimiùm. Ad 3. D. Lex naturalis vetans metum incutere, vetat quoque ex isto metu acquirere *jus absolutum.* C. *Conditionatum*, nisi rescindatur. N.

Et positivo.

Ratio est 2. quò ad 2. de jure positivo. Legum authoritas, quibus adstruitur valor ejusmodi contractuum, sed cum exceptione (a), & restitutione in integrum: ergo supponuntur non ipso jure invalidi, sed rescindibiles (b).

Est tamen rescindibilis non tantùm jure humano,

Ratio est 3. quò ad 3. de rescissione per Judicem, patet ex hac ipsa legum authoritate. De Principibus summis, qui Judicem non agnoscunt, vel casu quo etiam cuidam privato legitima potestas aut nollet indulgere rescissionem, aut cùm etiam non posset, eò quòd metus non fuisset satìs probatus, jus rescissionis *naturæ* jure indultũ esse.

Sed etiam naturali, casu quo deficiat humanum.

Colligitur ex fundamentali juris naturalis dignoscendi principio: nam *rescindibilitas*, hisce in circumstantiis, est medium *exigitum ab amore, sibi ipsi naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter requisito:* secus enim *natura deficeret in necessariis*: ergo est naturæ jure præscriptum. Unde ipsa *rescissio*, cùm *nec positivè repugnet*, nec etiam *positivè exigita sit* ab amore hoc, sibi naturaliter debito, rectè inter naturæ jure concessa, ac licita refertur.

Quia aliàs natura deficeret in necessariis,

Ant. firmatur 1. Quia supremi Principes, & alii metum passi, denegatâ justitiâ, destituerentur omnî mediô, quo sibi possent consulere, coactíque forent in statu perpetuo violentiæ, citra spem redemptionis, permanere.

Et æquis,

2 Quia rescissio pacti, dolô, metúve injusto excussi, per leges positivas privatis indulta, fundatur *in æqui-*

tate

* Quos inter *Sotus*, *Molina*, *Bartolus*, cum Abbate C. *Abbas.* 2. *De his, quæ vi, metúve.* n. 7.

** De Jure N. & G. L. 3. c. 6. §. 10. f. m. 383 & seq.

*** Nam excipitur promissio dotis; quævis alia promissio, ab incarcerato extorta; absolutio à censuris &c. LL. citatas vide apud P. *Schmier* Jurisprud. Can. civil. L. 3. Tr. 3. c. 1. sect. 7. f. m. 625.

(a) C. *Abbas.* 2. de his, quæ vi &c. n. 7. item c. *ad audientiam* h. t. Q. *non interest* 5 l. ult. Cod. h. t. item L. *ait prætor.* 1. L. *metum autem.* 9. §. 3. & 4. ff. *quod metus causâ.*

(b) Instit. de except. ubi ait Imperator: *si metu coactus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palàm est, jure civili te obligatum esse; & actio, qua intenditur dare te oportere, efficax est: sed iniquum est, te condemnari; ideòque datur tibi exceptio, quod metûs causâ.* Facit huc textus L. *si mulier* 21. §. 5. ff. quod metûs causâ.

tate naturali, utì colligitur à lege simili, de qua *Ulpianus*(a): *hoc edictum Prætor, naturalem æquitatem secutus, proposuit*: ergo deficiente viâ juris, suffragabitur jus naturale, non deficiens in necessariis.

In occulta compensatione permissis.

3. Quia, jure naturæ & Gentium, ob similes circumstantias, *per se loquendo* licita est compensatio occulta: ergo & reparatio damni per reicissionem pacti injustè extorti, etiam armis, si aliter reparari nequit.

Societati humanæ proficuis.

4. Quia supposito, quòd etiam status civilis sit *munus Naturæ*, seu rationis naturalis ad eum inclinantis, etiam Naturæ conforme est, maximè in statu Naturæ lapsæ, ut sit superioritas, ejúsque salva persistat Authoritas, ut ne cuivis improbo alterum impune violare, juráque pervertere liceat, juxta illud Sapientis (b): *Ubi non est Gubernator, Populus corruet*; ergo etiam juri Naturæ conforme est, ut salva maneant jura gubernantis, & in casu *injustæ læsionis* sint reparabilia.

Principi summo, ne sit deterior subditis, summè conformibus.

5. Quia aliàs Princeps summus, hoc ipso, quia summus, esset deterioris conditionis quovis privato, cui competeret via juris saltem positivi: Principi nec positivi, nec naturalis.

Ad præcavenda Reipublicæ præjudicia indispensabiliter requisitis.

6. Quia aliàs daretur ansa potentioribus, quovis prætextu opprimendi Principes inferiores, eò quòd cernerent occupatas Regiones, jura, bona &c. bello injusto occupata per pacem violentam, & nullo jure rescindibilem, in foro externo sua esse.

Et bono publico admodum consentaneis.

7. Quia ex norma legum (c), summus Princeps Judex esse potest in causa propria, sic ut graviter læsus *per pactum privatum* queat illud declarare inefficax, seque ipsum restituere: ergo à fortiori, si graviter læsus sit *per pactum publicum*, præsumi poterit ejusmodi jus à natura indultum, * cum læsio sit longè gravior, & societati humanæ perniciosior, etsi ex æquanimitate rectè hactenus consueverint Principes causas proprias in arbitros transferre, utì constat ex comitibus *Palatinis* respectu Cæsarum.

Quæ dispositio juris naturæ procedit in quavis læsione gravi, ac injusta.

Resolvitur VII. Quòd hoc assertum sese extendat ad quamvis læsionem *gravem*, pace *injustè* extortâ illatam Principi, v. g. injusta direptione civitatis, alienatione Provinciæ, renuntiatione extorta jurium suorum, aut subditorum quò ad commercia, navigationes maritimas & similia. *Ratio* est, quia eædem rationes stringunt: unde in casu læsionis, manifestè injustæ, præmonito injusto lædente, si dissentiret, licitum foret pacta rescindere, & jus suum in armis quærere.

Non modò quò ad Exteros, sed etiam subditos rebelles.

2. Quòd sese extendat ad læsionem, non modò ab Exteris, sed etiam à rebellibus subditis, iniquè extortâ pace, illatam Principi. Patet ex allatis rationibus, quæ æquè utrinque pugnant. Neque enim Princeps in pacto cum subditis, iisque perduellibus, deterioris conditionis esse potest, quàm sit cum Exteris.

Etsi pacta pacis forent jurata.

3. Quòd sese extendat etiam ad ejusmodi pacem, juramentô firmatam: quia, teste *Laymanno* (d) Magistratus laicus, vel Princeps *saltem indirectè* relaxare potest juramentum subditorum in materia sibi subjecta, supplendo vicem ejus, cui juratum est, & qui remittere deberet: ergo etiam Princeps, si deficeret Ecclesiastica potestas, rescisso pacto, & juramentum sibi relaxare, vel potiùs ejus inefficaciam declarare posset, nisi deterioris eum esse conditionis quis admittere velit, quàm quemvis privatum.

Unde obligatio, quæ datur in inferente metum injustum,

Resolvitur VIII. *Quòd rationes, quas hisce opponere solent varii Authores, non videntur efficaces.* Nam 1. si dicant, à natura satis consultum esse indemnitati Principum, quòd vim injustè inferens, sit obligatus *jure naturæ*, ad rescissionem injustæ pacis, & restitutionem damnorum. Nam

Non est sufficiens ad Principum indemnitatem,

℞. N. A. Hæc enim obligatio conscientiæ videtur esse medium inefficax: quia qui, injustè bellandô & pacem iniquam extorquendô, non habuit remorsum, multò minùs habebit paci validæ insistendo, & malè parta retinendo.

Nec irrescindibilitas foret efficax medium.

2. Si dicant cum *Grotio* (e), quòd intersit humanæ societatis, ut finis & modus bellis, adeò frequentibus, imponi possit, adeóque, *jure naturæ & Gentium*, pax, etsi metu injusto extorta, non modò *valida*, sed etiam *firma*, ac *irrescindibilis* esse debeat, eò quòd aliàs nemo facilè contraheret cum Principe, præcipuè ex rebellibus subditis.

℞. C.

(a) L. 1. pr. ff. de pact.
(b) Proverb. 11. 4. 14.
(c) Can. 10. dist. 96. Can. 30. cauf. 23. Q. 4. c. 6. de Maj. & obed. c. 12. & 13. de Jud. L. 3. ff. de his, quæ in testam. delentur, L. 41. ff. de lætea. instit.
* An in hoc sensu sumendum sit illud *Ludovici* XIII. pronuntiatum, quo teste *Grammondo* L. 2. Hist. Gall edixit: *justam appellationem à Rege, in vinculis posito, ad Regem liberum esse?*
(d) L. 4. Tr. 3. c. 11. n. 7.
(e) L. 3. c. 19. n. 11.

Ad finienda bella.

℟. C. A. D. C. *Firma*, & *irrescindibilis* esse debet, siquidem ad hunc finem hoc sit considerabile medium. C. C. si non sit. N. C. In principiis *Grotii*, quod quis bello, etsi injusto, si modò solemni occupat, ejus acquirit dominium *jure Gentium*, quò ad forum externum: ergo & pace violenta defraudatus, nil obstante irrescindibilitate, solemni bello recuperare poterit dominium, iniquè amissum, eò meliore titulo, quòd in foro interno dominium nunquam amiserit, & in externo etiam jus ad rem retinuerit. Unde hæc irrescindibilitas pacis vix bella impediet juxta illud *Didaci Savedræ: fieri plerumque amat, ubi aut coacta pax initur, aut quæ fama adversa est, illam pauco tempore durare.* Ad rationem additam dico, rescindibilitatem in pactis privatis non obstare, quò minùs extorqueantur ejusmodi contractus, etsi appareat, fraudem, metúmve in Judicio facilè detegendum: ergo à pari ad pacta publica, respectu rebellium subditorum.

Nec tamen valor pacis esset frustraneus.

3. Si dicant, quòd juxta nos valor violentæ pacis, sed rescindibilis, non haberet ullum effectum,

℟. N. Si enim, extorta cum pace, mox rei pactæ extraditio fieret, injustè paciscens acquireret dominium, etsi rescissa pace vindicatio rei competeret injustè læso.

Adstruitúrque conformiùs juri naturali, & positivo.

4. Si dicant cum *Glettelio* (a), pacta illa, seu pacificationes, quæ, inter summos Principes initæ, *ex defectu Superioris* rescissionem effugiunt, meliùs dici *ipso naturæ jure invalidas*, siquidem dolô, vel metu injustô extortæ sint: nam id evincerent illæ ipsæ rationes, quas pro rescindibilitate attulimus; nec est paritas cum pactis privatorum, quæ per Superiorem rescindi possunt. Nam

℟. Non admodùm nobis displicere Authoris hujus sententiam, quia *re ipsa* congruentem cum nostra, etsi *in modo* minùs concordet. Nostrum tamen *modum* præferimus, quia magìs conformem *juris naturalis* indoli, alios actus non infirmanti, ubi eadem habentur requisita, quæ hìc inveniuntur. Præferimus item, quia magìs conformem juris positivi, in naturæ jure fundati, principiis, quibus ejusmodi actus non redduntur invalidi, sed tantùm rescissioni obnoxii.

5. Si dicant, actus, metu extortos, esse etiam *jure positivo* nullos, ùt patet ex variis legibus, quæ vel annullant ejusmodi actus (b), vel metum passo tribuunt actionem realem (c), vel metum vi illatæ æquiparant (d).

Neque ex legibus probari potest actus, metu extortos, jure positivo invalidos.

℟. *Quò ad 1.* Venditio in allegata lege non decernitur nulla *in se*, sed *in effectu, eò quòd Provinciæ Prætor suam interponere authoritatem jubeatur.* Item: occupatio illa hæreditatis non declaratur *nulla* ob metum, sed ob simulationem, qua *fallens* adire se tantùm fingit. *Ad 2.* Metum passo tribuitur *actio realis*, non ob dominium *reale* ex nullitate actûs, sed ob dominium *fictum*, prætore fingente, contractum cum traditione nunquam fuisse celebratum, atque adeò rem in bonis ejus permansisse.

Ad 3. Nulla est paritas: nam vis, de qua loquitur lex allegata * tollit *simpliciter* voluntarium, cùm inferatur potentiis externis, & actibus imperatis; metus non tollit *simpliciter*, quia infertur potentiæ volitivæ, & actibus elicitis, unde solùm minuit voluntarium, eò quòd voluntas eligat minùs malum præ majori. Textus, quo dicitur, *nihil consensui tam esse contrarium, quàm vim, & metum*, intelligendus non de consensu *voluntario*, qui per metum non tollitur, sufficitque ad actum, *jure naturæ* validum; sed intelligendus de consensu *spontaneo*, ac omnimodè *libero*, qui uti nec spectato jure positivo, ita nec spectato jure naturæ ad valorem actùs necessarius est, uti constat ex dictis.

Juramentum additum

6. Si dicas cum *Dilingensibus* (e), saltem pacta pacis, injusto metu extorta, accedente juramento, esse *sine ullo relaxationis remedio* servanda 1. ùt ex SS. Canonibus, & communi Doctorum tradit Abbas: *juramentum obligare, etsi turpitudinem contineat, se tenentem ex parte recipientis, non autem jurantis.* 2. Quia Princeps, non habens Superiorem, dispensare secum nequit in juramento. 3. Quia nostra sententia cederet in apertam humanæ societatis, ac fœderum publicorum eversionem, cùm pars quælibet facilè causari posset, vim injustam sibi fuisse

(a) De Pactis c. ult. §. 1. n. 14.
(b) L. *Si Pater* 1. c. *de rescind. vendit.* & l. *quia in aliena* 6. §. ult in fin. ff. de A. & O. H.
(c) L. *Metum autem.* 9. §. 4. & 6. ff. *quod metûs causâ.*
(d) L. *nihil* 116. in pr. ff. de R. J.
* Nam aliud foret de vi, non cogente ad actum externum, sed relinquente voluntarium, prout eandem metui suprà conjunximus. Videantur dicta Tit. 3. §. 2. Q. VI.
(e) In compos. *Pacis* c. 2. Q. 29. à n. 54. f. m. 152.

fuisse illatam, adeóque fœdus à se rescindi posse.

Addit quidem obligationem religionis, relaxatam tamen per SS. Canones.

℟. D. Ejusmodi pacta *jurata* omni rescissione servanda sunt, spectatô *titulô justitiæ*. N. Spectatô *titulô religionis*. *Subd.* Nisi relaxentur, vel relaxata sint per sacros Canones. C. si sint. N. Ita *Angelicus* (a): In juramento, quod quis coactus facit, est duplex obligatio: una, quâ obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem: *quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur.* Alia autem obligatio est, quâ quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit. Et talis obligatio *non tollitur in foro conscientiæ*, quia magìs debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare. Potest tamen in judicio repetere, quod solvit, * vel Prælato denuntiare, non obstante, quod contrarium juravit, *quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum;* esset enim contra *justitiam publicam*. *Romani autem Pontifices ab ejusmodi juramentis homines absolverunt*, ** non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes. Ita *Angelicus*.

Unde etsi obliget per se,

Ad 1. D. Juramentum obligat *per se*, & *regulariter*. C. In nostro casu, redacto ad merum statum Naturæ. *Subd.* nisi relaxetur, vel si mavelis, declaretur hìc & nunc esse nullum ab ipso Principe, hìc summam potestatem, neque ullum Superiorem, etiam Ecclesiasticum habente. C. secùs. N. Quòd summo Pontifici ad commune bonum censetur concessum, & tali Principi, in statum Naturæ redacto, concessum esse desumitur.

Per accidens tamen, & indirectè à Principe est sibi ipsi relaxabile.

Ad 2. D. Princeps laicus non potest dispensare, vel sibi relaxare juramentum *per se* loquendô *directè*, & *propriè*. C. *per accidens*, & casu, quo nec relaxatum foret, aut relaxari posset, *hìc & nunc à potestate Ecclesiastica*, *subd.* Non potest relaxare *directè*, & *propriè* dispensando, vel absolvendo, Tr. saltem *indirectè*, & *impropriè* inefficaciam ejus pro istis circumstantiis declarando. N.

Nullo humanæ societatis præjudicio.

Ad 3. Retorquetur argumentum. Sententia opposita cederet in apertam humanæ societatis perniciem, ansam dando potentioribus ad opprimendos minùs potentes; ad eripiendas per violentam pacem ditiones &c. Regentes faceret subditis miseriores; rebellibus præberet illicia ad excutiendum jugum, ad seditiones, ad turbas Reipublicæ perniciosas, ad pacta iniquissima extorquenda, quò tam facilè non prolaberentur, si scirent ejusmodi concordata à Principe rescindenda, & annullanda.

℟. 2. D. Nostra sententia cederet in humanæ societatis perniciem, si ob *quemvis* metum, *quovis injusto bello*, & *pacto, qualitercunque injuste* extorta, foret rescindibilis pax. C. si ob metum solummodo *gravem*, bello *manifestè* injusto, pactisque non tantùm per injustitiam *dubiam*, vel *probabilem*, sed *certam*, extortis, & omni alia molliore præclusâ viâ, foret rescindibilis pax. N.

INSTRUCTIO III.

Instructio 3.

De accessoriis pacis.

De accessoriis pacis.

§. I.

§. I.

Quæritur I. Quænam sint accessoria ad pacem?

Obsides.

℟. I. Inter accessoria ad pacem sunt 1. *Obsides*, per quos intelliguntur *personæ, è numero civium, alteri parti in securitatem fidei publicæ eo fine traditæ, ut quamdiu fides liberata non fuerit, ibidem persistant, vel in casum fractæ fidei, arbitrio partis læsæ, quantum jus naturæ, & Gentium permittit, relicti habeantur.* Ita *Hertzius* (b).

Subditi, etiam coactioni obnoxii,

Dicitur 1. E numero civium, vel subditorum, in quibus non requiritur consensus, legíque solent per sortem, ut querelis ansa præcidatur, nisi adsint, qui sponte se offerant. In non subditis requiritur *consensus liber*, utì & in vasallis: quia reverentia, & obsequium debitum ad hoc usque onus se non extendit.

Quibus fuga illicita.

Dicitur 2. Eo fine &c. Siquidem obsidibus non videtur licitum fugere, etsi de fuga non capessenda expresse nil memoret facta conventio. *Ratio* est, quia data fides est *saltem implicitè*, & *ex necessaria consequentia* stipulatæ securitatis. Unde non tenet, quod dicit

(a) 2. 2. Q. 89. a. 7. ad 3.

* *Debitores* 6. *de jurejur.* *Debitores* ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si verò de ipsorum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum. Et cùm usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi. Vid. c. 1. h. t.

** C. *Verùm* 15. h. t. antecessores nostri tales (coactos metu) à juramenti nexibus absolverunt. Caeterùm ut agatur consultiùs, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expresse dicatur, ut juramenta non servent, sed si ea non attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi.

(b) De fide pacta c. 2. §. 4. n. 50.

cit *Grotius*: à civitate obsides non obligari, sed tantùm permitti custodiæ, arbitrio partis alterius firmandæ, quia sic frustraretur finis intentus, puta *certitudo de credito*. An in casu vacillantis fidei penes civitatem, obses sibi fugâ prospicere possit, dubium est: quò ad forum internum non videtur magna adeò difficultas.

In casu fractæ fidei nec morte, nec servitute puniendi.

Dicitur 3. Arbitrio partis læsæ &c. Non enim jure naturæ, vel Gentium est permissum *occidere obsides*, eò quòd Civitati potestas nulla in vitam innocentum, ut ad mortem extradi possint. Nec permissum, obsides *redigere in servitutem*, sed solummodò *corporalem eorum libertatem per custodiam* (etsi liberaliorem) *affligere*. *Ratio* est: quia Civitas non videtur aliter eos vel oppignorâsse, vel etiam oppignorare potuisse: unde facta contraria firmare jus nullum queunt.

Quia sunt innocentes.

Neque quis dicat 1. Obsides tradi eo fine, ut excipiant pœnas violatæ pacis. Nam ℞det *Puffendorfius*, esse contra finem pœnæ, innocuos plectere: atqui delictum non fuit, quòd, citra consensum in suorum perfidiam, non recusârint sese opponere, ut illorum locò affligi possent.

Etsi indirecte tractari possint ùt hostes.

Neque quis dicat 2. Quòd, fracta pace, jus belli denuo habeat læsus: ergo, sicuti cum Civitate cives, licèt ad violandam fidem peculiariter nihil contulerint, ita & obsides tractari possunt ùt hostes, adeóque occidi. Nam ℞det idem *Puffendorfius*. D. C. Ergo & obsides *quà obsides*, & *directè* possunt tractari ùt hostes. N. obsides, *quà membra* nocentis civitatis, & *indirectè*, *subd.* possunt tractari ùt hostes etiam illata morte. N. Alio modo. C. Suprà diximus, quòd innocentes *directè*, & ex sola vindictæ libidine, nullo jure occidi queant. Ex his

Sublevandi sunt ex æquitate aliis substitutis

Infertur 1. Æquum esse, ut in longiore mora obsides subleventur ab aliis noviter substitutis, & siquid extraordinarii oneris sustinerent, quantum fieri potest, compensetur.

Exsoluta fide restituendi illico

Infertur 2. Obsides, exsolutâ fide, *illico* restituendos, quia eorum obligatio odiosa. Quòd si tamen *ex alia causa* adhuc retinerentur, non tam retinerentur *ùt obsides*, quàm cives communitatis obligatæ, vel obæratæ, *jure repressaliæ* suffragante.

Obses locò personæ, hac mortuâ, liberatur.

Infertur 3. Quòd, siquidem obses datus sit *non ratione causæ*, sed *locò personæ*, hac mortuâ etiam obligatio moriatur ac cesset.

Fidejussores, Principes.

℞. *II. Inter accessoria ad pacem* solent nonnunquam esse *fidejussores*, sic dicti, quòd alienam obligationem in suam fidem recipiant, munere non rarò *Mediatoribus pacis* competente. Fidejussio involvit fœdus implicitum assistendi illi, qui contra pacta invaditur, gaudétque *ex natura sua beneficio ordinis*, quia obligatio fidejussoria tantùm succedit obligationi principalis debitoris, cui hic vel non vult, vel non valet satisfacere. Immò gaudet etiam *beneficio divisionis*, si plures conjunctim pro uno in solidum sese obstrinxerint.

... locò, obligantur ad ... satisfactionem de suo.

Pignora.

℞. *III.* Inter accessoria ad pacem sunt etiam *pignora*, quibus id cum obsidibus commune, quòd & hæc retineri queant *ob aliam causam*; nisi huic retentioni per pacta pacis sit specialiter præcautum. Proprium habent, quòd pactio de iis sumatur laxiùs: neque enim conditio æqualiter est odiosa: nam res natæ sunt, ut teneantur: non item homines teste *Grotio*.

In quibus jus reluendi, non tamen res pignorata solo pignoratitio titulo, præscribi nequit.

Colliges: Jus reluendi pignoris præscribi posse juxta Clarissimum P. *Schmier* (a), quatenus ex contractu pignoratitio, tanquam *jus personale*, resultat: Rem ipsam pignoratam, ejúsque dominium, quod habet debitor, præscribi non posse, etsi contradicat creditor, & debitor acquiescat: hæc enim effectum solummodo sortiuntur in rebus incorporalibus, non corporalibus. *Ratio est*, quia creditor pignus alieno nomine retinet, *non sibi, sed debitori*, nec possessionis sibi causam mutare potest. Unde nil suffragatur diuturnum silentium debitoris, rem suam non repetentis, quia, hoc non obstante, solus creditori manet pignoratitius titulus, ad præscriptionem idoneus; licèt per immemorialem possessionem bonæ fidei oriatur magna juris præsumptio, meliorem titulum, quàm pignoratitium, supervenisse.

Salvus conductus latioris interpretationis.

℞. *IV.* Inter accessoria ad pacem refertur *salvus conductus*, alio nomine *commeatus*, qui *in genere* dicit justum & perfectum ab omni hostilitate præsidium immunitatis: *in specie* litteras fidei publicæ, quêis de pace tractantibus, aliisve, tam in via quàm termino, præstatur plena securitas: Hæc securitas non competit legatis *per se*, & *jure Gentium*, nisi ejusmodi tesserâ instructis, ùt habet *Herzius*. Salvus conductus, cùm sit privilegii instar, quod neque tertio noxium, neque danti admodùm grave, est laxæ interpretationis, *salva tamen verborum proprietate*, *conditionibus* *, præcipuè si ul-

trò

(a) Jurispr. can. Civ. l. 1. Tr. 1. c. 4. à n. 285.

* Quas in arrepta clancularia fuga non servavêre *Hussus*, & *Hieronymus Pragensis* in Concilio *Constantiensi*, uti alibi probatmus. Videantur Coll. Histor.

trò sit oblatus, vel etiam vergat ad publicam pacis utilitatem. Hinc

Extenditur à militibus ad Duces. *Infertur 1.* Quòd commeatus, datus militibus, rectè extendatur ad Duces, sicut à Clericis ad Episcopum: quia verbi proprietas largiorem hanc significationem non respuit.

A Patre ad filium, conjugem &c. *Infertur 2.* Quòd concessus Patri bene extendatur ad filium; immò & conjugem: quia tanquam persona individua communicat in privilegiis Mariti. Accedit, quòd longior mora penes Legatos *jus commorationis* quoddam importet, & benigniori interpretationi det locum, *ne eis matrimonio carendum sit.*

A Domino ad famulitium necessarium. *Infertur 3.* Quòd concessus Domino bene extendatur ad famulitium, ratione necessitatis, & etiam decori *moraliter* connexum, immò & ad adscititios comites, mox in principio itineris electos, *ut tales*. Nam aliud foret, si essent & ipsi Legati, vel personæ, quarum causa magis esset odiosa, quàm ipsius, cui prospicitur per salvum conductum, quales essent transfugæ, piratæ &c.

A facultate veniendi ad facultatem redeundi. *Infertur 4.* Quòd facultas veniendi rectè extendatur ad facultatem abeundi, non quidem vi verbi, sed ut absurdum vitetur inutilis beneficii. Contrà facultas abeundi non comprehendit facultatem redeundi, hæc enim sunt diversa, & ultra verborum tenorem; unde etiam cursores ultrò, citróque ablegare, absque speciali expressione, vix erit tutum, non enim præsumitur quis concessisse, quod multas fallendi occasiones suppeditare solet: immò facultas concessa uni, non censetur concessa alteri delegando, excepto tamen pacis negotio, ùt existimat *Hertius*, quia nì cogat ratio, extra verba exspatiari illicitum.

A personis ad necessaria bona. *Infertur 5.* Quòd salvus conductus concessus personis rectè extendatur ad res & bona, quæ vel necessaria ad iter, vel congrua ad dignitatem personæ: quia finis respectu mediorum mensura est in moralibus; unde merces, & bona alia à *Grotio* excluduntur.

Salvâ semper justitiâ. *Infertur 6.* Quòd salvus conductus, cùm debeat esse *justus*, dari non soleat, nisi *salvâ justitiâ, & adversus violentiam injustam*, seu *quæ de facto contra jus infertur*: & ejusmodi commeatum *Husso*, ac *Pragensi* datum legimus, quo non obstante, ob suam in hæresi obstinaciam, & puniri potuerunt, & puniti sunt. (*)

Infertur 7. Quòd salvus conductus effectum sortiatur tam intra, quàm extra territorium concedentis, quia datur contra jus belli, quod per se territorio non includitur, ùt habet *Grotius*. *Effectum habet, etiam extra territorium concedentis.*

Infertur 8. Jus commeandi, cùm beneficium sit Principis summi, non exspirare morte concedentis, etsi inserta sit clausula, *donec revocavero*: quia voluntas per mortem non censetur revocata jure *Romano* (a), neque opus sit novo volendi actu. Aliud foret in clausula: *quamdiu voluero*, *vel arbitrium nostrum*, sic enim exspiraret per mortem. Nec vis commeatûs per Legati mortem extinguitur, quia securitas vivis data, mortuis obesse nequit. *Non exspirat per ejus mortem.*

§. II. § 2.

Quæritur II. Quænam materiæ paci connexæ, atque affines? *De materiis paci cognatis.*

R. I. *Induciæ*, alio nomine *armistitium*, vel etiam *Treuga*, sunt *conventio*, *per quam manente bello hostiles actus intermittuntur ad certum tempus*. *Paulus*, JCtus addit *breve*, & *præsens tempus*, quod *regulariter* loquendo, & manente in armis utrinque exercitu, verissimum: quia tamen pax *per se* debet esse perpetua, & inducias longissimas viginti & plurium annorum referant fasti historici, ** ly *breve* ad divisionem potiùs reservamus. Unde *induciæ* breves sunt, quæ paucorum dierum, vel mensium intervallo certi negotii, colloquii instituendi, permutandorum captivorum aut mortuorum sepeliendorum gratiâ concluduntur. *Longæ* sunt, quæ sublato utrinque apparatu bellico, ad plures annos extenduntur, & alio nomine *pax temporalis* nuncupatur. *Induciæ.*

Potestas concedendi *breves* inducias est etiam penes Duces, quia administrationi militari hæc quietis imago inesse creditur, ùt habet *Grotius* (b); Potestas concedendi *longiores* est pénes solos Principes summos, non autem Duces, etsi primarios, nisi ex mandato vel consensu Principum, quia participant naturam pacis, ùt notat *Textor* (c). Ex his *Concedendi potestas.*

Deducitur 1. Quòd induciarum effectus immediatus sit *obligatio stricta*, quæ facta conventione ligat *primario* pa- *Effectus obligatio stricta etiam respectu Subditorum.*

* Vid. Coll. Hist.

(a) L. 4. ff. de manumiss. vind.

** Sic Augustiss. *Leopoldus* in pacificatione *Carlowiziensi* annorum 25. *Carolus VI.* in *Passarowicensi*, 24 annorum inducias pepigère.

(b) L. 3. c. 22. n. 8.

(c) Synops. Jur. Gent. c. 19. n. 4. & 5.

paciscentes, ùt patet ex natura pacti: *secundariò* subditos, sive dein *per modum contractûs publici*, mox post conclusas inducias, ùt vult idem *Textor* (a); vel *per modum legis* post factam promulgationem, ùt vult *Grotius* (b); sive *modo utroque*, quod ad superiùs dicta conformius, parùm refert: nam in effectu nil variatur, siquidem subditi, quamvìs illicò, & absque promulgatione obligati per modum contractûs, si tamen sint ignari contractûs, in casu contraventionis neque ad pœnam, neque ad resarcitionem damni tenebuntur, nisi quatenus ex captis & lucris bellicis facti fuerint ditiores. Neque

Saltem post acceptam notitiam.

Inferas cum *Textore*: ergo ante notitiam publicam, seu intermedio tempore, actus hostiles erunt permissi, nec ulla consurget obligatio: hoc est absurdum. Nam ℞. D. Illatum. Erunt permissi actus hostiles respectu Subditorum, qui sciunt. N. Respectu eorum, qui ignorant. *Subd.* Sic tamen, ut Principes contrahentes, Subditorum locò, tam ad pœnam, quàm ad totalem damni resarcitionem teneantur, rebus etiam extantibus restitutioni subjectis. C. Secùs. N. Illatum.

Item obligatio inclusivè termini ad quem.

Deducitur 2. Obligationem, quò ad temporis initium, & finem, esse *latioris interpretationis*: quia, *saltem regulariter*, est in favorem publicum, cùm ex utraque parte parcatur sanguini humano. Unde *dies* intelligendi bona fide pro naturalibus, seu viginti quatuor horarum: *terminus ad quem*, in induciis expressus v. g. per decem dies, mensem unum &c. rectè extenditur ad ipsam diem decimam, & ultimam mensis: nam terminus est pars rei, quia *ultimum cujusque*, ùt ait Philosophus: immò suffragatur usus communis: sic si quis dixerit, ut intra diem mortis ejus aliquid fiat, ipse quoque dies mortis computatur ex lege (c). Quòd si *terminus ad quem* determinatè exprimi nequit, v. g. ob negotii, pro cujus tractatione ineundæ induciæ, moram incertam, is desumi debet à tempore finiti, vel abrupti negotii.

Et à quo.

Terminum à quo quod spectat, non est dies, pactas inducias subsequens, ùt contendit *Grotius* (d), sed à momento perfectæ conventionis fluens, ùt rectè hac ex parte *Puffendorfius* statuit (e). Dixi: à momento *perfectæ conventionis*, quæ includit momentum *ratihabitionis*, siquidem foret necessaria, utpote quæ jure Gentium non retrahitur ad tempus rei gestæ, sed per assensum probatæ. *Ratio est* 1. Quia sicut *terminus ad quem* longè naturalius est pars rei, ita *terminus à quo*. 2. Quia terminus à quo est desumendus ab initio obligationis: atqui initium obligationis, tanquam effectus, mox oritur positâ illius causâ, nî suspendatur per speciale pactum: ergo &c. Neque

Unde Ly à die hic est particula conjunctiva.

Obstat ratio Grotii, qua dicit, quòd propositio *ab hac*, vel *illa die* sit *discretiva* à cæteris diebus, non *conjunctiva*: ergo à qua die mensura temporis sumitur, illa dies intra mensuram temporis non est. Nam ℞. D. A. Et particula à vel *ab* semper est *discretiva* unius ab altero N. A. Aliquoties etiam *initialis*. C. A. & N. C. Quid notius illa expressione *à capite ad calcem. ab ovo ad malum*?

Effectus mediatus est cessatio ab hostilitate, saltem pacta.

Deducitur 3. Quòd induciarum, saltem longiorum, effectus *mediatus* sit *cessatio ab omni actu hostili, sive in personas, sive in res*: nam quidquid per vim fit adversùs hostem, id omne, durantibus induciis fit contra jus Gentium, ùt in sermone ad milites quondam dixit *Æmilius* apud *Livium*. Hinc etiam prohibiti sunt actus *dolosi*, quia hostiles nec in bello, nisi per licentiam bellicam permissi, juxta dicta alibi. Induciarum breviorum effectus plerumque restrictus est *ad limites & expressiones factæ conventionis*: unde *regulariter* non includit cessationem adeò illimitatam ab omni hostilitate. Sic induciæ, obsessis urbibus concessæ, tantùm præsidiariis prosunt, non autem impediunt, quò minùs submissa intercipiantur auxilia, & sic de aliis. Neque vetant induciæ, quin occupari possint loca, *verè derelicta*, hoc est, ab hoste, extra districtum posito, planè vacua, nisi fortè recesseris ob necessariorum penuriam, uti excipit *Vitriarius* (f).

Cessant induciæ lapsu termini, ruptura, consensu mutuo.

Deducitur 4. Cessant induciæ vel lapsu termini, vel mutua partium consensione, vel alterutrius rupturâ, ubi parti innocenti est liberum, vel pœnam exigere, vel induciarum continuationem petere, vel ad arma redire. Privatorum factis, nisi publica authoritate quocunque tandem modo suffultis, induciæ non rumpuntur, & rumpentes puniuntur. Lapso termino non opus est nova denuntiatione, nisi forsan in longioribus induciis, per quas apparatus bellicus planè est dissolutus,

(a) L. c. à n. 17.
(b) L. c. c. 21. n. 5.
(c) L. *si quis* ff 133. de verb. sig.
(d) L. c. c. 21. n. 4.
(e) L. 8 c 7 § 8.
(f) Ad Grotium. cit. Q. 10.

lutus, ubi si minùs erit necessaria, saltem erit decora denuntiario iterata.

Deducitur 5. Contra *Mynsingerum*, etiam in induciis tenere solemne illud: *frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Quia æquitatis & æqualitatis ratio concedit, ut, unâ parte violante fidem, altera à se præstitam impunè non servet.

Arbitrium seu compromissum.

℞. II. Inter materias paci affines est etiam *arbitrium*, seu *compromissum*; quo bellantes communi voto unum vel plures arbitros eligunt ad controversias belli dirimendas: & siquidem eligunt ad dirimendas *suasivè* solùm, *Mediatores* potiùs dicendi sunt; si ad dirimendas *decisivè*, sunt *Arbitri*, propriè tales. Inde

Per modum sententiæ judicialis, vel meræ decisionis.

Colligitur 1. Quòd officium Arbitri propriè talis, & electi ùt *Judicis sit*, *judicare secundùm leges*, electi ùt *decisoris* sit pronuntiare *ex humanitate & æquitate.* Nam teste Philosopho (a), arbiter id, quod *æquum est*, *respicit*; *Judex legem*: imò arbiter ejus rei causâ lectus est, ut valeret æquitas. In dubio præsumitur concessa potestas stricta, seu regulis Judicis adstricta, quia minùs periculosa, & magis exclusiva læsionis.

Regulæ observandæ.

Colligitur 2. Regulas Arbitro sequendas, esse leges civiles, seu communes, seu litigantibus proprias: si nullis subjecti sint legibus, normam dabit jus naturale, & Gentium. &c.

Appellatio intercisa,

Colligitur 3. Quòd laudo, seu sententiâ, per Arbitrum pronuntiatâ, à compromittentibus standum sit, seu æqua, seu iniqua sit; quia aliàs arbitro novus arbiter, & huic alius denuo in infinitum surrogari posset, quod utique absurdum: hinc rectissimè *Plinius*: *summum quisque causa suæ Judicem facit, quemcunque eligit* (b).

Saltem regulariter.

Excipitur 1. Si duo arbitri forent electi, eorúmque vota dissentirent, in quo casu causa utique deferenda ad tertium, uti elapso sæculo exemplum præbuit causa *Aurelianensis.* *

Excipitur 2. Casus *aperta fraudis*, qua arbiter seu donis corruptus, seu iniquo pacto cum una parte colluderet; nam qui *apertè* ad alterutram sese partem applicat, arbitrum agere de jure nequit.

Excipitur 3. Casus, quo subditi compromittunt in causis privatis: nam teste *Grotio* (c), in ejusmodi arbitros lex civilis statuere potest, & aliquando statuit, ut ab iis provocare licitum fuerit. Sed hæc ratio cessat inter Principes summos; non enim his est potestas superior, quæ promissi vinculum aut impediat, aut solvat.

Deditio absoluta, & limitata.

℞. III. Inter materias, paci cognatas, est etiam *deditio*, qua pars una bellantium, viribus fracta, seu alia de causa resistendo impar, se vel sua hostis arbitrio permittit; si permittit libero, & mero hostis arbitrio, dicitur *absoluta*, ** si adjectis capitulationibus, est *conditionata.* *** Ex his

Illa tribuit jus absolutum, non tamen in vitam, saltem spectata æquitate quadam naturali.

Infertur 1. Quòd *deditio absoluta* victori jus tribuat *universale* quò ad personas, res, & bona; immò, spectato jure Gentium *permissivo*, & *quò ad forum externum*, etiam quò ad vitam & libertatem: non enim, ùt habet *Textor* (d), ex eo, quòd captivi sint interfecti, audita unquam querela est, quasi jus Gentium esset violatum. Sed, ùt alibi diximus, sublatâ inter *Christianos* servitute, & naturali æquitate jus in vitam deditorum negante, nisi in eos, qui suo mortem facinore meriti, ùt rectè animadvertit *Grotius* (e), *Victori, quantum securitas patitur, ad clementiam & liberalitatem, propendere semper honestum est: interdum pro circumstantiis etiam ex morum regula necessarium.* Inde *Didacus Savedra*: *non minùs urbanitate, quàm viribus sæpe hostes vinci compertum esse*, edixit (f). Exemplo est magnus *Macedo*, qui Matrem & conjugem *Darii* hostis sic excepit, *ut ex pristinæ fortunæ magnificentia, præter fiduciam, illis defuerit nihil* (g). Hinc *Darius*: *Dii patrii primùm mihi stabilite Regnum; deinde, si de me jam transactum est, precor, nequis Asiæ Rex sit, quàm iste tam justus hostis, tam beneficus victor* (h).

Infer-

(a) Rhetor. 1. c. 19.

(b) In Præfat. Hist. Natur.

* Orta A. 1685. post mortem *Caroli Palatini*, inter *Philippum Wilhelmum*, *Neoburgicum* Successorem, & *Charolottam*, *Ducissam Aurelianensem*, defuncti sororem unicam, & germanam *ob bona allodialia*: in pace *Ryswicensi* A. 1697. delata est ad Cæsarem, & Regem *Galliæ*, tanquam arbitros; his discordantibus ad summum Pontificem *Innocentium* XI. à quo in favorem *Neoburgici* decisa est: *quia in feudo regali, & patrimonio fiscali, seu publico, tanquam Dux, non quidem hæreditario, sanguinis tamen, & Regni, ac Ducatus jure successit.*

(c) L. 3. c. 20. n. 46.

** Auf Gnad / und Ungnad: unde adjectæ hæ phrases, *hostis clementiæ*, *fidei* (quæ hîc sumitur *pro probitate*) *sapientiæ*, *moderationi* &c. inter parerga superflua reputantur.

*** Auf Accord.

(d) Synopsi cit. c. 28. n. 18.

(e) L. c. n. 50.

(f) Coronæ Goth. c. 5.

(g) *Curtius* L. 4. c. 10.

(h) L. cit. n. 51.

Hæc restrictio ad pacta.

Deferetur 2. Quòd *dedito conditionatè* victori plus juris non tribuat, quàm in capitulatione expressum: *hac enim*, ùt habet *Grotius*, *aut singulis consulunt paciscentes, ut quibus vita salva, aut corporum libertas, aut quædam bona excipiuntur, aut etiam Universitati quædam jura reservantur.*

Sors certis in circumstantiis non illicita.

℞. IV. Paci insuper affinis est *sors*, qua, *tanquam fortuito medio*, controversiæ summos inter Imperantes terminantur. Usus sortis promiscuus sanè illicitus, præsertim si armorum jure sat certus affulgeat felix belli eventus. Quia Principi est obligatio major, quàm ut omittere possit eas rationes, quæ ad sui & suorum tutelam sunt maximè naturales. In causa belli dubia, eventúque nimis incerto, videtur esse licitus usus, *ut incerto periculo evadatur certum*: immò licèt Princeps rei, qua de agitur, non dominus, sed administrator solummodò sit, præstabit incertitudini sortis committere, quàm animas, & corpora, unà cum rebus, in tot & tanta támque certa belli discrimina præcipitare.

Singulare certamen.

℞. V. Ad pacem denuo reducitur *singulare certamen*, quo duo, vel plures ex utraque bellantium parte congrediuntur ea lege, ut victoria sit penes illam partem, cujus selecti pugiles extitêre Victores. Hoc, Gentium jure, saltem externo, permissum esse patet ex *Ænea*, & *Turno*; *Menelao*, & *Paride*, binis utrinquè *Ætolis* & *Eleis*; trinis *Horatiis Romanis*, & *Curiatiis Albanis*; totidem *Lacedæmoniis*, & *Argivis* &c.

Licitum.

Absolutè licitum, etiam in foro interno suadetur 1. Exemplo *Davidis*, & aliorum Principum *Christianorum*, communique Canonistarum calculo. 2. *Ratione*: nam bellum plurium militum, ex justa causa & authoritate publica susceptum, est licitum: ergo etiam bellum duorum, eâdem authoritate susceptum; immò magis, quàm illud, cùm hìc solummodò unius, vel alterius vita, non multorum, nec innocentum salus in discrimen conjiciatur. Quòd si

Pro publico Reipublicæ commodo.

Dicas cum Grotio (a): Quòd peccet, qui vitam leviter sorti per Duellum committit, eóque, tanquam testimonio bonæ causæ, aut judicii Divini instrumento utitur. ℞. Non peccat, qui vitam ancipiti fortunæ per bellum committit, ac prodigit pro bono publico; qui justitiam causæ, ex futuro, & incerto belli exitu, quærit: ergo à pari. *Si replices cum eodem*: In bello justo innocentum periclitantium causam duello ancipiti non exponendam, sed *totis viribus* defendendam. ℞. D. Si moraliter certa sit victoriæ spes. C. si dubia; immò resistentiæ modica spes. N. si

Exceptâ causâ Religionis.

Inferas: Ergo etiam causam Religionis ejusmodi certamini committendam. R. N. illatum. Disparitas est, quia causa Religionis est causa DEI, pro cujus tuitione cuncta humanæ potentiæ media apprehendi, vires omnes exeri, sanguis & vita consecrari debent. 2. Quia certa victoriæ spes in Divina providentia hìc ponenda, quæ nunquam deest, cùm crux pro labaro, causa DEI pro armis est, ùt exemplô suô satis demonstravit *Constantinus* M. Ex his

Victoriâ certâ bellum impediente, vel dirimente.

Colligitur 1. Quòd in dubio, utra pars ex duellantibus vicerit, res maneat antiquo loco suspensa. Cæterùm, ùt rectè *Puffendorfius* arguit (b), *si inter duos pugnaretur, ille victor erit, qui adversarium occiderit, aut ita debilitaverit, & oppresserit, ut victum se ipse fateatur. Ubi plures pugnant, illa pars victrix erit, quæ adversarios occiderit, aut fugatos ita debilitârit, ut resistere ampliùs nequeant.* Et paulò post: *Qui locô cessit post conflictum, in dubio magis est, ut fugisse credatur.*

Authoritate summæ potestatis.

Colligitur 2. Consensum ad ejusmodi singulare certamen requisitum dependere ab iis, quorum authoritate bellum geritur, vel pax concluditur. *Ratio est*, quia, qui bellum aut pacem inire valet, etiam media paci æquivalentia eligere potest.

§. III.

De Aulicorum Idolo, seu Ratione Status.

Quæritur III. *Quænam circa pacem sit vera, falsáque ratio status?*

Axiomata Christiana 1. Pax maximè facienda.

℞. I. Axiomata *Christianæ* Politicæ sunt 1. *pax maximè facienda*: Quia tanta est ejus *necessitas*, ut nulla societas sine illa diu possit subsistere; quia tanta *utilitas* & *jucunditas*, ut communibus Populorum votis, tanquam fundamentum humanæ vitæ, semper sit exopta.

Interna non negligenda.

2. *Pax interna neutiquam negligenda*: Quia basis solidæ felicitatis, etiam temporalis. Consistit autem in tranquillitate mentis, per adversa & prospera dispositioni Divinæ semper conformis. Obtinetur, & conservatur per fidem unicè veram, per conscientiam puram, *Christianam* patientiam, & charitatem.

Externa promovenda.

3. *Pax externa, & publica præ cæteris Principi promovenda*: Quia in illa consistit securitas, & salus Reipublicæ promovetur per regulas æquitatis naturalis; per regimen secundùm justitiam; per legum Divinarum, & humanarum custodiam, secundùm consuetudines avitas justè Rempublicam gubernando; virtutibus præmia, vitiis pœnas

(a) L. 3, c. 20, n. 43.
(b) De J. N. & G, l. 8. c. 8, §. 5.

nas decernendô; Exteros ad bella non provocandô; hostilitatis causas præscindendô; sub Divina protectione privato bono publicum præferendo &c. Unde nascuntur hujus pacis publicæ fructus, pietas, Religio; surgunt Regum palatia; crescit ærarium; ditescunt Regna; ornantur civitates; mercatura floret: sub hac oliva quiescit Populus; securè lætatur agricola: confidit extraneus; non insultat Miles: & omnes sine timore domi, forísque quietè vivunt, suísque negotiis attendunt.

Vera, justa, & honesta procuranda.

4. *Pax vera, justa, & honesta à Principe procuranda:* Vera est, quæ doli nescia, in veritate fundata, & primariò *Christianæ* pietati innixa est; quâ justè cum Deo, & hominibus ambulamus. Hanc *Christianis* reliquit *Christus*, dedítque; non, quomodò Mundus dat, sed in veritate: *sine hac pace Christi omnis corruit humana prudentia, & quæ Politicis solida & vera videtur, vacua est, & inanis*, ùt rectè animadvertit Illustris *Statista Guihelmus* ab *Efferen* (a). Pax *justa & honesta* est, quæ ad gloriam Dei directa, justis & honestis conditionibus, sic inter Reges componitur, ut utrinque regalis dignitas conservetur. *Hæc*, ùt inquit memoratus Politicus, *propria est Regum Christianorum, qui jure charitatis & justitiæ nihil iniquum, infame nihil admittunt.*

Axiomata pseudo-politica. Pax bello postponenda.

℞. II. Axiomata pseudo-politica sunt 1. *Pax bello postponenda ob commodum Principis, vel status.* Sed naturæ vox clamat, non pace bellum, sed bellô quærendam pacem.

Interna non curanda.

2. *Pax interna impertinens ad scita politica*, sed reponit ab *Efferen*: *cùm pax interna reale fundamentum sit solidæ felicitatis temporalis, & æternæ, ego illam Principi Christiano super omnia pacis externæ desideria commendo, & sine hac pace interna nihil illi securum promitto. Non est pax impiis, sed justus in pace vivit.* Ita ille.

Externa humanis tantùm firmanda præsidiis.

3. *Pax constans humanis solùm firmanda præsidiis*, puta concordatis, juramentis, sigillis publicis, aliísque firmissimis humanæ securitatis vinculis. Sed uti hæc præsidia nequaquam sunt negligenda, errant tamen à vero pseudo-politici, qui per rationem status DEUM à suis consiliis excludunt, quia, ùt notat laudatus Statista: *nisi Dominus custodierit domum pacis & consilii, in vanum laborant, qui ædificant eam.*

Callidè fucanda.

4. *Pax non rarò calliditate effingenda ad speciem, ut securiùs lædat.* Sed hæc pax, non pax, sed larva pacis est, utique indigna, quæ vel nominetur inter *Christianos*. Nam fundatur in secretis *Idoli status*, & eò majoris prudentiæ argumentum habetur, quo subtiliùs à Politicis obnubilatur.

Quibuscumque tandem mediis procuranda.

5. *Pax in necessitate est procuranda quibuscunque tandem mediis*, non attenta Religione, *justitiâ, sive injustas, sive justas conditiones pars subacta indulgeat, & victoriosa extorqueat.* Sed hæc pax Gentilibus propria, qui DEUM nullum agnoscunt præter *Idolum status. Christiani* verò Reges, nec victi, ejusmodi pacem acceptare, nec Victores talem vel ipsis Gentilibus imperare possunt; immò extrema quævis potiùs eligere tenentur, quàm à DEO declinare, & devictorum salutem prostituere.

Media conservandæ pacis, & impedimenta vera.

℞. III. Media conservandæ pacis *verè politica* sunt 1. Mutuus amor Principem inter & subditos; hic enim habetur pro vinculo pacis. 2. Observantia legum & pactorum, quia illæ ad pacem Reipublicæ conditæ; hæc inita ad hunc finem. 3. Fidelitas & obedientia à subditis Principi debita. Impedimenta sunt 1. *Peccata Populi*; hæc enim provocant Divinam justitiam ad vindictam, & ipsum Authorem veræ pacis offendunt. Sic legimus, *translata à Deo Regna à gente ad gentem propter injustitias.* 2. *Vitium Principis*, sive consistat in neglectu veræ Religionis, vitáque scandalosa, sive in malo regimine, pacem violando; ex ambitione terminos proferendo, Ministris impiis indulgendo, justitiam non administrando; violenter dominando; privilegia & libertatem adimendo, oneribus subditos opprimendo &c. 3. Error populi, 4. Violentia Exterorum.

Pseudo-politica.

℞. IV. Ratio status pseudo-politica *docet 1. ad absolutum Imperium esse necessarium rigorem, atque severitatem*, ut omnes subditi intelligant, in manu Regis vitam suam consistere. Sed soli Deo competit Imperium absolutum, Regibus non nisi subordinatum, & Legibus tam Divinis, quàm humanis limitatum. *Docet 2.* Nunquam satis securum esse Regnum, nisi è medio sublatis iis, quibus vel bene merita suffragantur, vel Populus favet, vel qui, ob boni publici studium, Regibus quandoque intercedunt, consiliísque suis minùs blandiuntur. Sed hoc est stigma tyrannicum, & characteristica barbaræ crudelitatis. *Docet 3.* Conversiones Imperiorum, Regúmque felicitatem dependere à fortuna, politicísque prudentiæ humanæ consiliis. Sed hoc *Idolum status* non nisi Athei adorant; *Christiani* Divinam Providentiam, humana omnia ex altissimis consiliis moderantem, & ad Populi sui, seu Ecclesiæ veræ regimen dirigentem, suspiciunt, ac venerantur.

ELEN-

(a) In Manuali Politico f. m. 877.

ELENCHUS POSITIONUM, QUÆ CONTINENTUR IN INSTITUTIONUM JURIS UNIVERSALIS, NATURÆ ET GENTIUM, PARTE II.

DE JURE GENTIUM.

I. STatus hominis *adventitius* est is, qui homini *supervenit* ex facto aliquo, *seu proprio seu alieno*, libertatis congenitæ *restrictivo*. II. Dicitúrque esse *conditio hominis, in certis circumstantiis per factum, seu proprium seu alienum, constituti*, quæ conditio eundem ad distincta quædam officia, indéque manantia jura determinat. fol. 2. III. Inde fluit, quòd status hic sit *quædam societas*, nascatúrque *ex consensu duorum vel plurium, in eundem finem ac media, fini huic obtinendo necessaria, conspirantium*. IV. Hæc porro societas potest esse *una* vel *multiplex*: societas *simplex*, seu *prima* est status conjugalis, familiæ, herilis; *composita* est Civitas, vel etiam Respublica. f. 2.

II. Status conjugalis, ordine & dignitate *primus*, spectato præcisè jure naturæ, *in genere* dicitur *societas simplex personarum diversi sexûs, sobolis ritè procreandæ, educandæque causâ inita*. f. 2. II. Est institutus à DEO, *ùt authore naturæ*, adeóque *naturali jure* est quàm maximè licitus ac permissus. III. Est etiam *naturali jure* præceptus, non quidem hominibus singulis, sed tamen universitati hominum. f. 3.

III. Status conjugalis, *spectato jure Divino*, à Mundi primordiis notavit vinculum *perpetuum*, atque *indissolubile* respectu omnium hominum, sic ut contractus *temporarius*, per se loquendo, haud esse potuerit *verè matrimonialis*, seu *validus* seu *licitus*. f. 3.

IV. *Spectato jure naturæ* matrimonii contractum ex sua natura esse *perpetuum*, atque *indissolubilem*, sententia est *valde probabilis*, adstruitúrque satis communiter ab Authoribus orthodoxis. f. 3.

V. *Spectato præcisè jure naturæ*, matrimonii contractum non *necessariò* esse *omnino perpetuum*, atque, *indissolubilem*, videtur esse sententia *haud minùs probabilis*, adstruitúrque satis magna authoritate Theologorum atque Canonistarum. f. 4.

VI. *Spectato statu naturæ*, perpetuitas contractûs matrimonialis est naturæ rationali admodùm *consentanea*. II. *Abstrahendo à statu merè conjugali in se*, respectu multiplicis Reipublicæ inter Gentes, contractus matrimonialis videtur *Gentium jure* perpetuus, nec dissolubilis, *saltem privata authoritate*. f. 6. III. Immò Societas conjugalis, *spectata in se, & secundùm statum merè naturalem*, nititur contractu, *non qualicunque*, quavis causâ per mutuum consensum solubili; *sed speciali*, notante vinculum absolute sufficiens, & commensuratum matrimonii *fini primario*, generationis nempe & educationis, proli debitæ, ac simpliciter necessariæ. f. 6.

VII. Vinculum tamen perpetuum & insolubile, naturæ jure requisitum, *ex ratione merè naturali*, sufficienter probari vix potest. II. Nec etiam sat refutari sententia negans. III. Id quod tamen in nullum ce-

dit ſtatûs conjugalis perpetui præjudicium. f. 6.

VIII. *Spectato jure Divino*; à Mundi primordiis, ſtatus conjugalis, reſpectu omnium hominum, etiam Gentilium, notavit *vinculum duorum*, excluſivum omnis polygamiæ, ſeu licitæ, ſeu validæ. f. 7.

IX. *Spectato jure naturæ*, eſt ſententia *valde probabilis*, adſtruitúrque communiore authoritate, polyginiam eſſe jure naturæ prohibitam. f. 7.

X. *Spectato jure naturæ*, polyginiam haud eſſe, vel fuiſſe illicitam, videtur eſſe ſententia, *minor* quidem *authoritate*, *ratione tamen non inferior*. f. 8.

XI. Polyandriam ſimultaneam, naturæ jure eſſe prohibitam, *& matrimonii fini abſolutè repugnantem*, eſt ſententia *ſatis certa*, & Authorum, etiam Proteſtantium, unanimi calculo conteſtata. f. 10.

XII. In noſtris principiis *monogamia* eſt *Divino jure* præcepta. II. Eſt matrimonii naturæ, & propagationi humanæ quàm maximè *conſentanea*. III. Adeóque polyginia *ſaltem juri Gentium* eſt adverſa. IV. Quòd tamen *in ſe præciſè ſpectata* naturæ jure ſit *abſolutè* prohibita, *ſufficienter* probari vix poteſt. V. Et licèt admittatur naturæ jure permiſſa, per hoc tamen matrimonii monogamiæ *nullum ſit præjudicium*, prout nonnulli immeritò ſibi & aliis perſuaſum volunt. VI. Polyandria tamen non tantùm jure *Divino*, & *Gentium*, ſed etiam *naturali* abſolutè prohibita eſt. f. 11.

XIII. *Quò ad matrimonii gradus*, ſingularis eſt opinio *Thomaſii* proteſtantici, qui matrimonium *in primo gradu*, Patris nempe cum filia, Matris cum filio, validum licitúmque, *hoc præciſè ſpectato jure*, affirmat, etſi alibi *utcunque* recantet. f. 12.

XIV. Etſi pleræque rationes, contra *Thomaſii* theſin à quibusdam allatæ, non adeò ſint efficaces. II. Sententia tamen affirmans, matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, *etiam naturæ jure* eſſe invalidum; *ex ratione intrinſeca* eſt *probabilior*. III. *Ex ratione extrinſeca* verò eſt *abſolutè* tenenda, ac adſtruenda. IV. Sic ut replicæ, afferri ſolitæ, in oppoſitum nil evincant. f. 13. 14.

XV. In primo gradu lineæ rectæ matrimonium eſt etiam *jure Divino poſitivo*, primævo & univerſali, utì & *jure Gentium*, ac *poſitivo humano* abſolutè prohibitum. f. 15.

XVI. Quò ad cæteros gradus conſanguinitatis, *ſpectato jure naturæ*, nullus, *præter primum lineæ rectæ*, matrimonium reddere videtur *invalidum*. II. Unde nec primum gradum lineæ collateralis, *fratres inter ac ſorores*, impedimentis, *naturæ jure prohibitis*, accenſendum, *ſufficienter* probari poteſt. f. 16. III. Etſi non deſint, qui partem oppoſitam, *non tamen ſat efficaciter*, tueantur. f. 16.

XVII. *Abſolutè loquendo* nullus gradus, ſeu conſanguinitatis ſeu affinitatis, *in Levitico prohibitus*, præter primum lineæ rectæ, *ſpectato præciſè naturæ jure*, conjugium videtur reddere ſeu *invalidum*, ſeu *illicitum*. II. Replicis oppoſitum haud evincentibus. f. 17.

XVIII. Quò ad alia impedimenta, *ſpectato jure naturæ*, dirimentia matrimonium, inter Moraliſtas convenit I. *In genere*, quòd jure naturali & Gentium impedimenta conſtitui poſſint, & de facto aliqua conſtituta ſint. II. *In ſpecie*; inter impedimenta matrimonii, naturæ jure dirimentia, eſt *impotentia perpetua*, *error ſubſtantialis*, *polyandria*, & *conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ*. f. 18.

XIX. Moraliſtæ proteſtantici, *inter cauſas matrimonium dirimentes*, etiam *jure Divino poſitivo*, & *inter fideles*, malè adſtruunt *crimen*, quale foret *adulterium*, *malitioſa deſertio*, *debiti negatio pertinax*, *morum intolerabilitas* &c. f. 18. II. Etſi, *an ſpectato præciſè jure naturæ*, ejusmodi cauſæ conjugii vinculum ſolvant, tam facilè determinari neque poſſit, neque etiam debeat. f. 19.

XX. Vis ac metus, *ſpectato præciſè naturæ jure*, non eſt impedimentum dirimens matrimonii, utì multi, præſertim ex Moraliſtis proteſtanticis, affirmant. f. 19. II. Affinitas, nullo gradu, ſeu lineæ rectæ ſeu obliquæ, matrimonio obeſt *ſpectato jure naturæ*. f. 19.

XXI. Inter jura atque officia ſocietatis conjugalis eſt I. *Fides conjugii*: unde rectè damnata eſt ab *Innocentio* XI. hæc propoſitio: *copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium*. f. 20. II. Eſt *uſus conjugii legitimus*: unde naturæ jure, *ſaltem leviter*, prohibitus eſt uſus conjugii *ſolius cauſâ voluptatis*. f. 21. III. Eſt *cohabitatio mutua*, fini conjugali *debita* ac *neceſſaria* ex dictis. f. 21. IV. Eſt *obligatio reddendi debiti*, quoties *debito modo*, & *rationabiliter* petitur, & ſic de cæteris obligationibus atque officiis. l. c.

XXII. *Spectato naturæ jure*, etiam abſtrahendo à ſtatu naturæ lapſæ, inter conjuges non eſt *perfecta* æqualitas, ſed *vi ſtatûs conjugalis* marito, per ſe loquendo, competit aliqua poteſtas, & ſuperioritas, *ſaltem directiva*. f. 22.

XXIII. Poteſtas mariti *coactiva*, reſpectu conjugis, deſcendit *remotè* ex jure Divino poſitivo, & jure Gentium; *proximè* ex pacto. f. 23. II. Hæc tamen

men

tamen potestas non est *despotica*, nec *herilis*, nec *absoluta*; sed *domestica*, ad societatis conjugalis & familiæ terminos restricta. f. 23.

XXIV. De societate conjugali, *spectato naturæ jure*, non pauci sunt errores Moralistarum protestantium, *Grotii*, *Bœcleri*, *Vitriarii*, *Ziegleri* &c. *Puffendorfii*, ejúsque sequacium, *Weberi*, *Kemmerichii*, *Thomasii*, *Fleischeri*, *Lyseri*, *Friderici Ludovici*, *Wernheri*, *Heineccii*, *Henrici Khœleri* &c. &c. f. 24. & seqq.

XXV. Status familiæ alius est *completus*, alius *incompletus*: familia completa est *conjunctio inter Parentes*, *liberos*, *& servos*; incompleta est *societas inter Parentes & liberos*, *ob communem inter se utilitatem contracta*. f. 27. II. Status familiæ paternæ *Hubero* est *Societas plurium personarum*, *quæ unius potestate*, *per ipsam naturam*, *educationis causâ*, *sociata sunt*. f. 27.

XXVI. Origo familiæ paternæ, *per naturalem connexionem*, fluit ex statu conjugali. II. Huic competens potestas est *jus Parentum in liberos*, *quo actiones ipsorum ad vitam*, *honestè & feliciter transigendam*, *diriguntur*. f. 27. III. Origo hujus patriæ potestatis probabiliùs deducitur *ab educatione prolis*, quæ *Thomasio* dicitur *sobolis à prima infantia ad maturitatem tam corporis quàm animi perductio*. f. 27. IV. Qua in re varius est error *Hobbesii*, *Hornii*, *Hennigis*, *Puffendorfii*, *Grotii*, aliorúmque Moralistarum protestantium. f. 28.

XXVII. Potestas patria, seu Familiæ regimen, *spectato jure naturæ*, non est penes solam Matrem, ùt vult *Hobbesius*; sed penes Parentes *simpliciter*. II. Exercitium hujus potestatis, modúsque regiminis dependet *à pacto*, etsi hoc deficiente, *principaliter* potestas absoluta competat Patrifamilias. f. 29.

XXVIII. Potestatis patriæ mensura *in genere* desumenda est ex *fine educationis*, *atque familiæ*; *in specie* accommodanda est ætati triplici liberorum. f. 30. II. Potestas tamen *correctionis* non se extendit ad jus vitæ & necis *ratione delicti*, utì frustra contendit *Puffendorfius*, atque *Thomasius* cum aliis nonnullis. f. 30. III. Inter officia Parentum, *spectato naturæ* jure, præcipuè est *alimentatio quò ad corpus*, & *institutio quò ad animam*: liberorum verò est *filialis observantia*, *gratitudo* &c. f. 31.

XXIX. Status herilis rectè dicitur esse *societas inæqualis inter Dominum & servum*, *eo fine instituta*, *ut hic in ejus commodum debita servitia præstet*. II. Servitus alia est *pactitia* seu *famulitium*; alia *legalis*, *coacta*, seu *mancipatus*. III. Conditio tamen servilis malè tribuitur naturæ. IV. Etsi servitus *pactitia*, seu famulitium, originem *remotam* habeat ex inæqualitate conditionis humanæ; *proximam* ex pacto spontaneo, adeóque *ex institutione humana*. f. 32. V. Servitus *legalis*, seu mancipatus, originem *occasionalem* trahit à bello; *causalem* ab arbitrio Victoris, victíque consensu coacto; *formalem* à jure Gentium. f. 33. VI. Nil obstantibus quorumdam replicis. f. 33.

XXX. Officia, quæ fluunt *ex statu herili*, quò ad *mercenarios*, præcipuè sunt desumenda *ex pacto*. II. In quo præsumi nequit jus vendendi invitum, jus vitæ & necis *ratione delicti*, utì vult cum *Hertio Heineccius*; vel potestas puniendi *indefinita*, utì statuit *Thomasius*. III. Quò ad *obnoxios* officia deducenda *ex jure Gentium*, saltem apud Infideles, quod potestatem tribuit etiam in vitam, *impunitate saltem extrinseca*. IV. *Dominorum est*, imperia pactis & viribus commensurare, servos non ùt jumenta, sed homines tractare &c. *Servorum est*, justè & justa præcipienti obtemperare, fidelitatem servare, secus castigationem patienter ferre, & sic de aliis. f. 34.

XXXI. Civitas spectata *in genere* est *quodvis corpus politicum*, *in sua specie perfectum*, *& civilis beatitatis causâ in commune regimen coadunatum*. II. Ejus origo *minùs propriè* tribuitur juri naturæ. f. 35. III. *Puffendorfius*, pro causa Civitatis *remota*, minùs bene assignat *metum proborum*. f. 36. IV. *Kemmerichius* haud satìs apposìtè *metum pravorum*. f. 37.

XXXII. Civitatis origo verior *fundamentaliter* fluit à jure naturæ, *merè negative*, seu impropriè tali; *occasionaliter* ab amore plenioris sufficientiæ, majorísque securitatis; *efficienter* à pacto libero, seu jure humano; *materialiter* à cœtu hominum, confluentium in unum corpus morale politicum; *formaliter* ab imperio summo. f. 37. II. Unde civitas *in specie* rectè appellatur *societas plurium perfecta*, *consensu mutuo per summum imperium coadunata*, *in ordine ad beatitudinem civilem*. f. 38.

XXXIII. Est erronea quorundã thesis, quæ affirmat beatitudinem civilem consistere *in sola felicitate extrinseca hujus vitæ*, absque necessario respectu *ad intrinsecam*, consistentem in virtute, ac honestate morum, in ordine ad finem ultimum, vitæ alterius consequendum. f. 38. II. Unde gravis est *Puffendorfii* error, ejúsque sequacium, Politicorum. l. c. III. Inter proprietates Civitatis est *absoluta sufficientia*, *potestas summa*, *inæqualitas membrorum*, *stabilita*. &c. Modus quandoque est *violentus*, quandoque *voluntarius*, non raró *fortuitus*, habetúrque plerumque ex pacto tacito vel expresso quò ad consociationem,

debitámque subordinationem pro certa regiminis forma &c. Dissolutio civitatis habetur *ratione materiæ* dissolutâ penitus consociatione, aut *ratione formæ* sublato summo imperio &c. f. 40.

XXXIV. Civitas non malè dividitur *in regularem*, atque *irregularem*; sub illa continetur, cui forma *Monarchica*, *Aristocratica*, vel *Democratica*, vel *mixta*; ad hanc spectant omnes civitates *beriles*, *patrimoniales*, *informes*, *systematicæ* &c. f. 41. II. Status civitatis *mixtus*, seu ex duplici, seu ex triplici forma regulari temperatus, non est chymericus, ùt vult *Bodinus* contra communiorem Politicorum. f. 43.

XXXV. Inter regulares Civitatum formas simplices excellit Monarchia. f. 45. II. Omnium tamen Civitatum, seu Rerumpublicarum forma, optima est forma *mixta*, quæ ex Monarchia & Aristocratia est temperata, ubi nimirum & regia viget potestas, & Ordinum valet Authoritas, *saltem spectata naturæ humanæ fragilitate*. f. 47.

XXXVI. Regnum electivum, *per se loquendo*, præstantius est successivo, maximè si electioni *aliqua successio* adjungatur. f. 48. II. Licèt sint Authores, qui pro *externo* Principe, in Regnum adsciscendo suffragium ferant, nihilominùs magis videtur conducere Reipublicæ, *domesticum* eligere Principem. f. 50.

XXXVII. Duplicis generis sunt præsidia Reipublicæ; *animata*, uti *cives* & *milites*; *inanimata*, uti *munitiones* & *arma*. f. 51. II. Expedit in Regno, *saltem vicinis hostibus ubique cincto*, plura esse munimenta. f. 51. III. In illis tamen Provinciis, *quæ ab hostili incursu admodùm remotæ sunt, amicisque terris circumdatæ*, plerumque sunt inutiles plures munitiones, etsi *aliquæ* meritò commendentur. f. 52.

XXXVIII. Reipublicæ *animata* præsidia bene statuuntur in *consilio Gubernantium*, *cultu justitiæ*, *civium concordia* & *probitate*. f. 54. II. Regnorum mutationes malè aliqui adscripserunt cum *Platone* criticis quibusdam annorum numeris; pejùs alii retulêre in casus fortuitos, vel in Astrorum influxus; aut in fatum inevitabile. f. 54. III. Veriùs refetuntur in duplicem causam, *externam*, seu *Providentiam Numinis*, & *conatus hostium*; & *in internam*, quæ juxta *Aristotelem* est *fallacia*, *violentia*, aliáque *delicta civium*. f. 56.

XXXIX. Dominium rerum *causale*, seu *in genere*, & abstrahendo ab effectu, quem parit ad alios, denotat *facultatem utendi rebus in commodum proprium ex beneplacito proprio*. II. Ejus origo *fundamentalis* est Deus Creator; & quò ad usum hujus dominii, *ad vitam simpliciter necessarium*, fluit à jure naturæ *positivo*; quò ad *usum commodum*, à jure naturæ *negativo*. f. 57. III. Creaturarum, *etiam animalium*, usus, si modò sit *rationabilis*, homini ab Authore Deo est *absolutè* concessus. f. 58.

XL. Dominium rerum *formale*, seu *in specie*, & prout effectum parit in ordine ad alios homines, est *jus de re corporali liberè disponendi eámque vindicandi*. f. 58. II. Atque hoc dominium fundatur in quadam rerum seu *appropriatione*, seu *divisione*, quam factam esse negari nequit, *etsi Author, modus, & tempus majorem auguriis fidem non videatur expetere*. f. 58.

XLI. Per primævam rerum communionem rectè notatur *quædam facultas utendi rebus creatis, communis omnibus in ordine ad easdem sibi privatim appropriandas*. f. 59. II. Quæ, etsi diu durare haud potuerit, malè tamen negatur *simpliciter* à *Ziegleris*, *Strauchius*, ac *Bœcleris*. f. 59.

XLII. Uti primæva rerum *communio*: ita & earundem *divisio* est juris naturalis *merè negativi*. II. Unde *origo* dominii proprietatis *remota* non habetur à jure naturæ, *nisi impropriè tali*; *proxima* per occupationem, vel etiam divisionem, *jure Gentium* firmatam. f. 60. III. Sicut opponi solita Jus haud evincant. f. 60.

XLIII. Inter *conditiones*, ad rerum proprietatem requisitas est 1. Ut *immediatè* vel *mediatè* usum præbere possint. 2. ut usum non præbeant *omnibus sufficientem* citra dissidii periculum. 3. Ut *apprehensioni* & *custodiæ hominum* aliquatenus obnoxiæ sint. f. 61. II. Unde fluit, quòd, etiam post introducta dominia, non cessaverit penitus *omnis rerum communio*, cùm salvâ pace Generis humani, res aliquæ *potuerint*, aliæ *debuerint* esse communes, hoc est, spectata proprietate *nullius*. f. 62.

XLIV. *Oceanus* seu mare rectè dividitur in *internum*, *externum*, atque *vastum*. f. 62. II. Mare *internum* dominii ac proprietatis esse capax, *naturæ jure permissivo*, & *Gentium positivo*, est sententia *communiter* recepta. f. 62. III. Etiam *mare externum*, eodem jure, dominii ac proprietatis est capax ex satis *communi* Authorum. f. 62.

XLV. Etiam *vastus* Oceanus, *in se spectatus*, dominii ac proprietatis non videtur esse incapax *absolutè*. II. Licèt incapax sit *per accidens*, saltem respectu unius Gentis, vel etiam plurium. III. Hoc tamen non obstante, Oceani libertas, *usúsque innoxius*, fun-

fundatur partim *in primæva communione*, partim *in lege humanitatis naturali*, ac *Gentium positiva*. f. 63.

XLVI. *Commercii* nomine intelligitur *mutua inter homines, mediante permutatione, aut emptione ac venditione, earum rerum communicatio, quibus mutuò egent*. f. 65. II. Hujus communicationis *origo occasionalis* fuit rerum *divisio*, & dominiorum *introductio*. l. c. III. Commercii *origo remota* & *fundamentalis* non habetur à jure naturæ, *nisi impropriè tali*, seu *merè concessivo*. IV. *Proxima* & *formalis* fluit à solo *jure Gentium*. f. 65.

XLVII. *Jure Gentium* inducta est commercii libertas *non qualiscunque*, sed *societatis humanæ fini accommoda*, hoc est, mutuæ Gentium necessitati, atque utilitati intenta. II. Quod jus, etsi *absolutè* mutabile sit, mutabile tamen non est *pro cujusvis Gentis arbitrio*. III. Neque *propriè* mutatum est hactenus, uti *minùs propriè* cum *Batynio* asserunt nonnulli, etsi *mutatis circumstantiis* restrictionem variam *materialiter* subierit. IV. Unde, *manentibus antiquis circumstantiis* etiamnum in primo robore perseverat. f. 66.

XLVIII. Gens Genti *jure* prohibere nequit, ne ad exteras Gentes *liberas*, hoc est, *prohibenti nullo jure subjectas*, per *vastum* Oceanum navigatum eat, & cum iis commercia colat. f. 68. II. An transvectio mercium in liberas ditiones *per territorium alienum*, seu terrestre seu maritimum, sit *jure Gentium* libera, non est adeò expeditum. f. 69.

XLIX. *Modi acquirendi* dividuntur in *originarios* & *derivativos*. f. 70. II. Inter *originarios* est, Gentium jure, *divisio*; est etiam *occupatio*. l. c. III. Hanc *Hobbesiani formaliter*, & *immediatè*, ex naturæ jure, minùs tamen bene, derivant. f. 70. IV. Alii cum *Hertio* & *Kemmerichio* eandem æquè impertinenter fundant *in facultate, quam à DEO concessam munit socialitas*. f. 70. V. Limatiùs loquuntur illi, qui ad originariam acquisitionem proprietatis, atque dominii humani, *institutum Gentium* requirunt, pacto *tacito*, vel *expresso* fundatum. f. 71. VI. Quod institutum, *sed absque pacto*, nos quoque adstruimus. l. c.

L. *Occupatio* dicitur *apprehensio rei cum animo eam habendi ut suam*. II. Res inventæ, *quæ nullius sunt*, jure Gentium, fiunt *primò occupantis*. f. 71. III. Idem *suo modo* tenendum etiam de thesauris, *abstrahendo tamen à speciali dispositione juris civilis*. l. c.

LI. Venatio, *etsi sit juris naturalis permissivi*, reservari tamen Principi, etiam in territoriis subditorum, *absolutè* potest *speciali jure, justis suffulto titulis & causis*. f. 71. II. Juri tamen *naturæ* & *Gentium*, respectu dominii in feram captam, haud derogat, *per se loquendo*, jus humanum, eò quòd opponat *legem solummodò pœnalem*. f. 72. III. Inde *dicta*, minimè *probata*, sententia est Recentium quorundam, qua statuunt, feras, aves &c. esse *in dominio proprietatis* Principum. l. c. IV. Illi non satìs æqui, qui nostram thesin, *etsi communissimam*, ineptis nimiùm censuris appetere non verentur. f. 72.

LII. Modi acquirendi dominii, quos *derivativos* appellant, alii sunt *de facto*; alii *de lege*. f. 73. II. In illis comprehenduntur *contractus* & *pacta*; in istis *successio* ab intestato, *usucapio*, atque *præscriptio*. l. c. III. Modi transferendi dominii *in facto*, seu voluntate humana fundati, *regulariter loquendo*, non profluunt *à jure naturæ*, nisi merè *negativo*. f. 74. IV. *Remotè*, & *in genere*, habentur *à jure Gentium*. l. c. V. *Proximè*, & *in specie*, oriuntur *à jure civili*, tam quò ad substantiam, quàm quò ad formam. l. c. VI. Etsi obligatio illarum sit juris naturalis, *propriè talis*, seu *positivi*. l. c.

LIII. Circa contractus & pacta, *spectato jure naturæ*, requiritur *mutuus consensus, capacitas* &c. f. 75. II. Unde ejusmodi defectus eosdem invalidat, uti & materia de se mala, error, dolus *circa substantiam*. l. c. III. An pacta, *vi seu metu, absolutè gravi & injusto extorta*, sint jure naturæ invalida, declarabitur infrà. l. c. IV. An pacta de facto turpi, *siquidem impleta jam sint*, sint valida naturæ jure, pariántque obligationem solvendi pretii, alii inter Orthodoxos affirmant, alii negant. f. 76. V. Nos sententiæ negativæ, tanquam magìs accommodæ *ad finem à natura intentum*, suffragium addimus. f. 76.

LIV. Modus transferendi dominii *per legem* alius est *mortis causâ*, qualis *successio ab intestato*, & suo modo etiam *testamentaria voluntas*; alius est *inter vivos*, qualis quoque est *usucapio*, ac *præscriptio*. f. 77. II. Translatio dominii per successionem ab intestato nil participat *de positivo jure naturæ*; sed, loquendo *simpliciter*, habetur *à jure Gentium*; *quò ad modum* fluit *à jure civili*. f. c. III. Translatio dominii per ultimam voluntatem neque *in se*, neque *quò ad valorem*, & *efficaciam*, fluit *à jure Naturæ*, vel *Gentium*, nisi *merè negativo*. f. 78. IV. Unde, quæ nonnulli in oppositum movent, inefficacia sunt. f. c.

LV. Titulus *usucapionis* atque *præscriptionis*, quò ad præsentem formam *in specie*, est *juris merè civilis*. f. 81. II. *In genere*, seu quò ad originem, & substan-

ſtantiam, non eſt *juris naturalis*, niſi merè *negativi*. l. c. III. Idem titulus, *quò ad originem & ſubſtantiam* ſpectatus, probabiliùs eſt *juris Gentium*. l. c. IV, Nil in oppoſitum evincentibus replicis. ſ. 82.

LVI. Ditiones & Regna ſunt *abſolutè* alienabilia. & quidem variis titulis. ſ. 87. II. Unde ſundamenta, quibus nonnulli, cum *Ferdinando Vaſquio*, alienationem Regnorum cum populis ſubjectis *abſolutè* rejiciunt, non videntur ſat ſolida. l. c.

LVII. Majeſtas *Stagyritæ* eſt *ſumma in Civitatibus poteſtas*. ſ. 89. II. Inter ejus proprietates etiam eſt, *per ſe* loquendo, *carentia Superioris in terris*, cui an deroget *fiduciarius nexus*, non adeò eſt expeditum. l. c. III. Illud ſat conteſtatum, *obligationem clientelarem*, ſeu *jus protectionis* nil officere poteſtati ſummæ. ſ. 90. IV. Etiam proprietas quò ad *perpetuitatem*, ac *indiviſibilitatem jurium omnium* ſuam patitur exceptionem. ſ. c. V. Variè dividitur poteſtas ſumma, etſi *Lymnæi* diviſionem in *realem*, & *perſonalem*, ùt analogam, plerique rejicianr. l. c.

LVIII. Majeſtatis origo *prima* eſt à DEO. ſ. 91. II. Origo *proxima* in ſe, & ùt notat, *in genere, facultatem moralem gubernandi Rempublicam*, habetur itidem *immediatè* à DEO. l. c. III. *Relative* ſpectata, ſeu quatenus *in ſpecie* reſidet penes unum, vel plures, etſi non deſint, qui *immediatè* derivant à DEO, eſt tamen communior, quòd in Communitate ſit *immediatè* à DEO, & *hac mediante* in uno, vel pluribus ſ. 91. IV. Modus tamen aliquis exercendæ poteſtatis, *indeterminatè ſumptus*, eſt à jure Narutæ. ſ. 93. V. Modum acquirendæ poteſtatis ſummæ non ſemper eſſe à DEO; neque omnem uſum ejusdem poteſtatis, eſt certum de fide. ſ. c. VI. Senſa *Natalis Alexandri* de origine poteſtatis ſummæ nequaquam ſunt evidentia, ùt quidem vendirat; Proteſtantium verò Moraliſtarum quorumdam ſunt *abſolutè* falſa. l. c.

LIX. Subjectum Majeſtatis *remotum* eſt Communitas; *proximum* eſt perſona *phyſica*, vel *moralis*, hoc eſt unus vel plures. ſ. 94. II. Majeſtatis capax eſt omnis homo, quem natura, ſpecialis lex, aut conſuetudo non repellit. ſ. 95. III. Objectum Majeſtatis *primarium* ſunt ſubditi: *propriè* tales; *ſecundarium* eſt territorium. l. c. IV. Jura ſummæ poteſtatis ſunt varia, alia *majora*, ſeu regalia intrinſeca; alia *minora* ſeu regalia extrinſeca: utraque tamen reſpiciunt, *tanquam finem*, internam & externam Reipublicæ ſecuritatem, atque tranquillitatem. ſ. 95. V, Inde fluunt jura pacis, bellorum, fœderum &c. Item jus ſacrorum, non tamen *proteſtanticum*, ſed *catholicum*, in conſervanda & deſendenda religione, unicè vera, comprehenſum. ſ. 96.

LX. Bellum *in genere* rectè dicitur *Hugoni Grotio* eſſe *ſtatus per vim certantium, quà tales ſunt*. II. *In ſpecie* bellum juſtum eſt *ſtatus armatæ contentionis, à Poteſtate ſumma contra hoſtem publicum legitimè, ac pacis ergo, ſuſceptus*. ſ. 98. III, Conſequenter bellum *injuſtum* erit *ſtatus armatæ contentionis, qui vel à perſona non legitima, vel ob cauſas non legitimas, vel modo, & intentione minùs legitima ſuſceptus eſt*. ſ. 99.

LXI. Rectè dividitur bellum in *juſtum* & *injuſtum*, II. In *ſolenne* & *minùs ſolemne*. III. In *offenſivum*, & *defenſivum*. IV. Analoga eſt diviſio belli *in publicum*, *privatum* & *mixtum*. ſ. 100.

LXII. Bellum *juſtum*, tam *defenſivum*, quàm *offenſivum*, *qualitercunque* & *in ſe præciſe ſpectatum*, originem trahit à Natura, & eſt humano Generi *coæva*. ſ. 101. II. Utrumque bellum, *per ſe loquendo*, eſt juris naturæ ſolummodò *conceſſivi*, ſeu *permiſſivi*, ſic ut quidem naturæ jure ſit *licitum*, non tamen *præceptum*. l. c. III. Bellum non *qualecunque*, ſed *publicum* & *ſolemne*, ſpectatum præcipuè *quò ad formam*, ſeu *modum* uſu receptum, ſeu defenſivum ſeu offenſivum, eſt ſolummodò *juris Gentium*. ſ. 102. IV. Origo belli *injuſti* eſt humano Generi *coæva*, deſcenditque à corruptione naturæ lapſæ, à peccato, omniſque peccari ac inimicitiæ authore dæmone. ſ. 103.

LXIII. Bellum, *ex natura ſua*, jure *naturæ*, & *Gentium*, immò & *Divino antiquo* eſt licitum, contrà quàm errore hæretico aſſerant *Manichæi*. ſ. 103. II. Bellum *de ſe* eſt etiam licitum jure *Divino novo*, ſeu *Chriſtiano*, contrà quàm per inſignem hæreſin docuerint *Anabaptiſtæ*. ſ. 104.

LXIV. Inter primas *belli juſti* proprietates eſt *ſumma poteſtas*. ſ. 107. II. *Juſta cauſa*, eáque non *levis*, ſed *gravis*; non *dubia*, ſed *certa* reſpectu Principis: unde bellum non temerè, ſed maturo conſilio ſuſcipiendum. ſ. 108. III. Nihilominùs *juſta cauſa*, etſi *ſæpe* prognoſticon boni ſucceſſûs ſit, non tamen *ſemper eſt*: hinc nulla eſt illatio: *vicit: ergo juſtam cauſam habuit*. ſ. 109. IV. Inter conditiones belli legirimi eſt inſuper *recta intentio*. l. c. V. Deficiente una, vel altera conditione bellum eſt *injuſtum*; deficiente tertia eſt *illicitum*. ſ. 110.

LXV. Oblatâ *plena* ſatisfactione ceſſandum illicò eſt à bello non modò titulo *charitatis*, ſed etiam *juſtitiæ*. ſ. 110.

f. 110. II. Inter conditiones belli legitimi, *saltem offensivi*, regulariter non tam *naturæ*, quam *Gentium* jure, requisita est etiam *diffidatio prævia*, seu publica belli denuntiatio. f. 110. III. Denique ad bellum, justum *ex integro*, requiritur etiam *modus legitimus*. f. 112.

LXVI. *In genere* licitum est bellum, *merè defensivum*, pro gloria DEI, seu ratione fidei ac veræ religionis. II. Immò orthodoxis Principibus, *ex supremæ protectionis officio*, est obligatorium. f. 112. III. Oppositus quorumdam sensus nullo nititur solido fundamento. f. 113.

LXVII. *In specie* licitum est bellum, religionis *defensivum*, contra Infideles quoscunque. II. Immò & *offensivum*, præcipuè contra *Turcas*, & alios, ditionum, quæ olim *Christianæ* fuerant, iniquos usurpatores. f. 114. III. Unde *Lutheri*, *Conringii*, *Puffendorfii*, aliorúmque apologiæ *Muselmannicæ* inanes sunt. f. 115.

LXVIII. *Sola* Religio *propaganda* non est legitima causa belli, Paganis inferendi, *ratione infidelitatis*. II. Unde non *directè*, sed solummodò *indirectè* adduci possunt ad veram fidem. f. 117. III. Atque hoc intelligendum est etiam de aliis sceleribus Infidelium, si modò non cedant *in nostram vel alterius innocentis injuriam*. l. c. IV. Unde licitum semper bellum ad repellendam eorum injuriam, si modò gerantur *cum moderatione*, *Religioni Christianæ competente*. f. 118. V. Quæ videntur adversari his thesibus, fundo earent. l. c.

LXIX. Infideles subditi *qualescunque*, velut *Saraceni*, *Judæi* &c. non possunt vi & armis compelli ad veram fidem *directè*. II. Possunt tamen *indirectè*. III. Nisi obstent pacta, specialiter ipsis indulta. f. 119.

LXX. Hæreticos subditos (loquendo *in genere*, & abstrahendo *à specialibus pactis*) vi & armis *absolutè* edomari, & ad desertam fidem catholicam, etiam *directè*, compelli posse, est communis & vera SS. Patrum, Doctorum, ac Politicorum sententia. II. Etiam ab Acatholicorum saniore parte, praxique roborata. III. Immò non rarò est obligatio reprimendi ejusmodi Novatores, maximè hæresiarchas. IV. Etiam non subditi, uno alteróve casu, per Reges & Principes debellari possunt. V. Etsi molliora media quandoque sint magis opportuna, ac præhabenda. f. 121. VI. Unde autonomisticæ replicæ prorsus inanes sunt. f. 122.

LXXI. Justæ belli causæ, *ratione Regionis*, supponunt *in genere*, gravem injuriam, quam sine periculo totius Reipublicæ vindicare licitum. II. *In specie* ad classem duplicem reducuntur: ad primam spectat *defensio sui, suorum, Regionis, Reipublicæ* &c. III. Ad secundam spectat *vindicatio sui*, *suorum, Regionis, Reipublicæ* &c. f. 124.

LXXII. *In particulari*, *respectu justæ defensionis*, legitima belli causa est subditorum rebellio, eorundem protectio, hostilis incursus, æquitatis naturalis violatio injuriosa, facta hostibus opitulatio, confœderatorum injusta invasio. f. 124. II. *Respectu justæ vindicationis* legitima causa est recuperatio dominii, bonorum &c. quæ injustè erepta, reparatio famæ, Innocentum liberatio, ultio ob denegatam justitiam, Dei jussio &c. f. 125.

LXXIII. Injustæ belli causæ, *in genere*, fundantur in *levi* tantùm injuria. II. *In specie* revocantur ad geminum titulum: 1. est *jus in armis*; alter *ratio status*, *soli innixa utilitati*. f. 126.

LXXIV. *In particulari*, *respectu juris armati*, injusta belli causa est, sola dominandi libido, ambitio parandi nominis, proferendíque imperii cupido, vindictæ cupiditas, libertatis amor, denegatio matrimonii, jus imperfectum, quod non fundat obligationem justitiæ, saltem rigorosæ. f. 126. II. *Ex ratione status pseudopolitica*, injustam belli causam notat metus vicinæ potentiæ, nimiùm accrescentis, æquilibrium potentiæ inter vicinos, titulus omnis acquirendi dominii, in jure naturæ vel Gentium non fundatus, vel quicunque coloratus. f. 126.

LXXV. Potest bellum *ex utraque parte* esse justum *formaliter*, non tamen *materialiter*. f. 127. & 133. II. Injuria, vel hostilis animus, *solummodò prævisus*, non præbet justam belli causam, nisi *consequenter* ad cautionem, injustè negatam. f. 127. III. Præbet tamen injuria, etsi solummodò *meditata*. f. 128.

LXXVI. Negatus transitus militaris, *etsi innoxius*, regulariter loquendo, non suppeditat justam bellandi causam. f. 129. II. Mercium tamen transvectio, *siquidem foret verè innoxia*, & *absque præjudicio propriæ ditionis*, saltem non nisi *iniquè* negari posset. f. 131. III. *Jacobi Lehmanni* phantasma est, sic dictum æquilibrium *Europæ* esse *de jure Gentium*, ratione conservandæ publicæ tranquillitatis. f. 132. IV. Quamvis justitia causæ, *moraliter certa*, haberi forsan haud semper posset, nunquam tamen sufficit *minùs probabilis*, seu *dubia*. f. 133.

LXXVII. *Effectus* belli, respectu hostium, *primarius* est jus occidendi hostem, sed *verum*, *exceptis excipiendis*, *modóque legitimo*. f. 134. II. *Secundarius* est jus in bona hostilia, sed tamen

cum

cum limitibus debitis, etsi jure Gentium, *per bellum justum*, etiam dominium omnium, quæ hosti eripiuntur, transeat ad Victorem. f. 135. III. Jus tamen in hostium bona, *per se loquendo*, nullatenus sese extendit ad loca sacra, templa, altaria, neque in res sacras, bonáque Ecclesiastica uti malè cum *Grotio* venditant Protestantici Moralistæ. f. 136.

LXXVIII. *Effectus belli justi*, respectu Vincentium est, quòd justè acquisita, spectatâ belli naturâ, *primariò* cedant Principi, sic ut ab ejus voluntate dependeat, quidquid privatis circa excursiones licitum, & in deprædationibus proprium. f. 137. II. Effectus belli justi, *respectu devictorum*, est jus in captivos, cum dominio ex parte capientis, & servitute ex parte captivi, *suo modo* etiam cum jure in vitam, saltem *abstrahendo à Christianismo*. f. 138. III. Ad eundem belli effectum reducitur imperium in victos, sed *regulariter* tantummodò civile, vel mediatum, & religioni catholicæ favorabile. f. 139. IV. Ex eodem fonte fluit *jus postliminii*, hodie per lytrum, salvis tamen Ecclesiasticis. f. 140.

LXXIX. Effectus belli justi, *respectu subditorum*, est jus conscribendi militis, sed non nisi intra territorium proprium, & absque coactione saltem non subditorum. f. 140. II. Est itidem jus sequelæ, exigendorum sumptuum pro milite alendo, jus armandiæ, & extruendi munimenta. l. c.

LXXX. Non tenentur subditi, præcisè ad bellum evocati à Principe, belli justitiam examinare. f. 141. II. Tenentur tamen se informare de belli justitia, casu quo rumor communis vel causæ insufficientiam, vel injustitiam promulgaret. l. c. III. Stante nihilominùs dubio, post factam inquisitionem, subditis bellare licitum. l. c. IV. Idem proportionaliter dicendum de militibus conductitiis. l. c.

LXXXI. Obligatio *generalis*, *respectu injustè bellantis*, est onus reddendæ DEO rationis, & restitutionis omnium damnorum. f. 142. II. Obligatio Principis *in specie, respectu militum*, est solutio stipendii. l. c. III. Obligatio militum *respectu Principis*, est militare servitium. l. c. IV. Obligatio, *respectu hostium inter se*, est justitia, moderatio, veracitas, fides in pactis, *etiam spectato jure naturæ*, contra quàm *Puffendorfius* asserat; item honestas, humanitas in mortuos saltem *de jure Gentium*. &c. l. c. V. Obligatio hostium, *quò ad neutrales*, indemnitas; neutralium, *quò ad hostes*, æqualitas erga partem utramque. f. 144.

LXXXII. Repressaliæ rectè dicuntur *jus, quo Magistratus sive se, sive suos, in casu denegatæ ab externis justitiæ, ab illata per eundem injuria vindicat, redditque indemnes*. f. 144. II. Fluit probabiliùs à *jure Gentium* ad inhibendam exteros damnificandi licentiam. l. c. III. *Ratio Statûs* orthodoxa, ac vera in bellis nititur *causis legitimis*; pseudo-politica, ac falsa, *causis merissimè prætensis*, ac *palliatis*, non rarò *apertè illegitimis*. f. 146.

LXXXIII. Fœderum *origo historica* est Societati civili contemporanea. f. 148. II. *Origo fundamentalis*, & *impropria* descendit, ex ipsa natura. f. 149. III. *Origo formalis* ac *propria* habetur à jure Gentium. l. c.

LXXXIV. Fœdus, sic dictum *à fide*, hic sumitur *pro contractu publico, publicæ amicitiæ, mutui auxilii, & commerciorum gratiâ à diversis Civitatibus inito*. f. 149. II. Rectè definitur esse *conventio publica, à Personis, summâ potestate præditis, legitimè inita communis commodi ergò*. l. c. III. Fœdus bene dividitur, in *temporarium, perpetuum, æquale inæquale, defensivum offensivum* & *mixtum* &c. f. 150.

LXXXV. *Materia Fœderum* debent esse res honestæ ac licitæ; *forma interna* est conventio, *externa* consistit in tabulis, ritibúsque variis pro Nationum varietate. f. 150. II. *Obligatio* fœderum est *strictissima* tam jure naturali, quàm positivo. f. 151. III. Fœderum pestis est illud axioma pseudo-politicum: *fœdera non nisi privatâ utilitate metienda sunt, & tam diu observanda, quàm diu manent proficua*. l. c.

LXXXVI. *Finis* fœderum *in genere* est consecutio certæ præstationis, auxilii ac officii mutui, adeóque salus paciscentium publica, sui, suorúmque defensio, securitas; incrementum status per emolumenta commerciorum &c. *Fines particulares* ex tabulis desumendi. f. 152. II. *Effectus proximus* est obligatio standi pactis; *remotus* ipsa pactorum præstatio, & inde fluentia Reipublicæ emolumenta. f. 153. III. *Interpretatio fœderum* dependet à tabularum tenore, Fœderatorum mente, aliísque circumstantiis. l. c. IV. *Contraria fœderum* sunt renuntiatio mutua, lapsus termini, mors fœderatorum, non usus &c

LXXXVII. *Causa* fœderum *impropria* est jus Naturæ; *propria* jus Gentium; *efficiens proxima* fœderati, summâ præditi potestate. f. 156. II. An requisitus sit statuum assensus dependet à legibus, pactísque Regni. l. c. III. Eorum fœdera, qui *absoluti Principes* non sunt, dicuntur solummodò *respectiva*, ac *limitata*. f. 157. IV. Subditis, *quà talibus, per se loquendo*, non competit pangere fœdera, *propriè talia*. l. c.

V. Im-

V. Immò, *regulariter* inferiorum confœderationes, *sine supremi Principis authoritate*, conspirationes potiùs sunt, & de jure præsumuntur injustæ. f. 158. VI. Quam in classem rectè refertur fœdus *Schmalkaldicum* anni 1530. unióque protestantica anni 1610. ut adeò *Coccejii, Carpsovii*, cum *Goldastis, Lymnæis* &c. illa non nisi *inaniter* inter fœdera *pia, honesta, Christiana*, & *omni jure licita* numerent. f. 158.

LXXXVIII. Illicitum est contrahere fœdera cum Tyrannis. *quà talibus*, f. 160. II. Item illicitum contrahere fœdera *qualiacunque* cum *quibuscunque* in ordinem ad bellum, patenter injustum. l. c. III. Illicitum insuper est catholico Principi contrahere fœdera, qualiacunque cum Infidelibus, vel quibuscunque aliis fidei catholicæ hostibus *in directum & grave præjudicium nostræ religionis*. f. c.

LXXXIX. Illicitum est catholico Principi inire fœdera, etiam defensiva, sive præbendo, sive petendo auxilia ab Infidelibus, vel aliis catholicæ Ecclesiæ inimicis, contra alios, maximè Catholicos, in ordine ad bellum, cæteroquin justum, cum certo tamen & gravi, *etsi indirecto*, Religionis catholicæ præjudicio connexum. f. 161. II. An quæcunque fœdera fidelium cum Infidelibus, seu Religionis Catholicæ hostibus, contra fideles, seu Catholicos, *saltem regulariter & ordinariè loquendo, probabiliùs* sint illicita, non est ita expeditum inter Authores. l. c. III. Nos cuivis, hac ex parte, sua sensa relinquimus, contenti, Authorum rationes in medium attulisse. l. c.

XC. Sat tamen convenit inter Authores, licitum esse, inire fœdera catholico Principi cum Infidelibus, seu hostibus Ecclesiæ, in bello apertè justo, & *cum Morali certitudine* seclusi omnis periculi, scandali, præiudicii, vel damni, in religione Catholicâ emersuri. f. 164. II. Id *à fortiori* intelligendum, quò ad fœdera, *merè commercialia*. f. 166. III. An Protestantes Imperii, *inter Ecclesiæ catholicæ hostes*, se quoque comprehensos velint, pendet ab eorum facto, & placito. f. 165. IV. Impia est doctrina *Conringii* protestantici de licentia fœderum cum *Turcis* pyratísque *Africanis, in ordine ad maris mediterranei occupandum dominium*. f. 173.

XCI. Pax, *sumpta, relativè ad bellum*, rectè dicitur *transactio publica de bello, in totum & pro semper tollendo, inter hostes legitimè conclusa*. f. 174. II. In facto esse, est *publica & perpetua quies ab armis, inter eos qui hostes erant, conventa*. l. c. III. Dividitur, ratione materiæ in *religiosam* ac *profanam*. l. c. IV. Ejus origo habetur *à jure Gentium*. f. 175.

XCII. *Subjectum pacis* sunt summi Imperantes. f. 175. II. Jus tamen paciscendi est *delegabile*. f. 176. II. Immò sæpe expedit, sæpe necessariò est delegatum. l. c. III. Objectum pacis *in genere*, sunt articuli conventi; *in specie* est amnistia, cujus origo deducitur *ab usu Gentium*. f. 177. IV. Est itidem restitutio facienda, vel etiam cessio ditionum *pacis causâ*. f. 178. V. Denique est compensatio pro impensis, damnísque bellicis. f. 180.

XCIII. Effectus pacis *primarius* est obligatio servandi pacta. f. 181. II. *Secundarius* est executio. f. 182. III. Effectus *tertius* est interpretatio, quæ à Paciscentibus si fiat, habetur *authentica*. f. 182.

XCIV. Inter *contraria pacis* est violatio conventionis *quò ad articulos essentiales*; contraventio in re *majoris momenti*; dissolutio amicitiæ, *specialiter* stipulatæ; nova item injuria, *post pacem* illata. f. 183. II. Ruptura pacis non nisi rumpenti est præjudiciosa. f. 184.

XCV. Inter *pacis contraria est* etiam dolus, sed non nisi *substantialis*. f. 184. II. Vis tamen & metus *gravis*, à causa libera *justè incussus*, uti nec pacta, ita nec pacem, *bello justo extortam*, invalidat, spectato non tantùm *jure positivo*, sed etiam *naturali*. f. 184.

XCVI. Etiam vis & metus *gravis*, etsi *injustè incussus*, neque pacta, neque pacem, *injusto bello extortam*, *regulariter* loquendo, invalidat, seu *spectato jure positivo*, seu *naturali*. f. 185. II. Utroque tamen jure relinquit pacta, & ejusmodi pacem, *rescissioni* obnoxiam. l. c. III. Sed & inferens talem vim ac metum, nequit, *in foro conscientiæ*, exigere observantiam seu pactorum, seu pacis extortæ, etsi juramento firmatæ. f. 184.

XCVII. Hæc dispositio juris naturalis *de rescindibilitate* pactorum, quæ quidem *valida*, etsi vi, vel metu *gravi injustè* extorta, extendit sese ad quamvis læsionem gravem, *pace injustè extortâ illatam*. f. 186. II Non modò quò ad exteros, sed etiam subditos, injustè tumultuantes, quamvis pacta forent juramento firmata. l. c. III. Quæ pro invaliditate ejusmodi pactorum, *spectato jure naturæ*, varii Authores, maximè *Puffendorfii* afferunt, doctrinam oppositam non elidunt. f. 186.

XCVIII. Inter *accessoria* pacis sunt *obsides*, qui tamen, in casu violatæ pacis, *nec naturæ nec Gentium jure*, occidi possunt. f. 188. II. Sunt itidem *Fidei jussores, pignora, salvus conductus*, qui dari non solet nisi *salvâ justitia*, & *adversus violentiam solummodò injustam*. f. 189.

XCIX. Inter materias, *paci connexas*, sunt *induciæ*, seu *armistitium*, quod est *conventio, per quam, manente bello, hostiles actus intermittuntur ad certum tempus.* f. 190. II. Est item *arbitrium*, seu *compromissum*; quo bellantes ad controversias belli dirimendas eligunt *Arbitros*; quandoque ad componendas solummodò *Mediatores*. f. 192. III. Est denique *deditio* unius partis, seu *absoluta*, seu *conditionata*. f. 192. IV. Est etiam *sors*, cujus tamen usus promiscuus est illicitus; & denique *singulare certamen*, quòd non tantùm *Gentium jure externo*, sed etiam *interno* videtur licitum, *exceptâ saltem causâ Religionis*. f. 192.

C. Inter axiomata, *verè politica*, est, quòd pax maximi sit facienda; quòd interna non negligenda; quòd externa promovenda; vera, justa & honesta sit promovenda. f. 193. II. Inter *pseudo-politica* est, quòd pax bello sit postponenda; callidè fucanda; & quibuscunque tandem mediis procuranda &c. f. 194.

Potiora menda emendanda.

Uffiani	*lege*	Ulpiani	f. 5.	
Quia	-	Qui	f. 5.	
i uti	-	uti	f. 11.	in notis.
solita	-	solida	f. 12.	
quà tales	-	qui tales	f. 13.	
Instruct: §.	-	Instruct: V. §.	f. 14.	
Experientiâ	-	Experientia	f. 16.	
puncto	-	in hoc puncto	f. 18.	
utroque viro	-	utroque vivo	f. 18.	in not.
permissæ	-	permissa	f. 19.	
nec excedatur	-	ne excedatur	f. 21.	
prohibere	-	prohiberi	f. 26.	
tum	-	tam	f. 27.	
Idem	-	Item	f. 29.	
liberos	-	ut liberos	f. 32.	
obnoxia	-	obnoxios	f. 34.	in marg.
Probare	-	probari	f. 35.	
obsciffione	-	abscissione	f. 36.	
separari	-	servari	f. 39.	
quæ nostro tempore præ oculis habemus	-	*deleantur.*	f. 51.	

cedere	-	cederet	f. 58.	
proprie	-	propriam	f. 60.	
probatur	-	haud probatur	f. 61.	
futurum	-	futuram	f. 71.	in not.
Da	-	De	f. 73.	
Solius pacti	-	vi solius pacti	f. 77.	
quarum	-	quorum	f. 79.	
& confirmata	-	sed confirmata	f. 81.	
quàm antecessores	-	quà antecessores	f. 90.	
commendet	-	commendat	f. 94.	
supprimantur	-	reprimantur	f. 96.	
gratiosa	-	Jus in legibus dispensandis per privilegia gratiosa.	f. 97.	
propter	-	præter	f. 122.	
minùs probabilior	-	minùs probabilis	f. 133.	in marg.
Condictoribus	-	Conditoribus	f. 142.	
parocemia	-	parœmia	f. 151.	
omni rescissione	-	sine omni rescissione	f. 188.	

INSTI-

INSTITUTIONUM
JURIS UNIVERSALIS
NATURÆ ET GENTIUM
EPITOME,
SEU
ELEMENTA
JURIS NATURÆ ET GENTIUM,
EX INSTITUTIONUM PARTE GEMINA
EXTRACTA,
ET IN COMMODIOREM USUM
ACADEMICI STUDII, SUCCINCTIS
POSITIONIBUS PROPOSITA.

PROLEGOMENA,

SEU

EXEGESIS HISTORICA

De Origine & progressu Juris Universalis, NATURÆ ET GENTIUM.

§. I.

De Origine Juris universalis, Naturæ & Gentium, ejúsque Constitutivis & distinctivis.

Origo juris in genere.

L*Eucotheus. Quæ origo juris in genere?*

Melander. I. Jus, sic dictum *à jubendo*, uti *à jure* justum, *à justo* justitia, vel denotat *jurisdictionem*, vel *legem*: hæc si indita est à Natura, dicitur *naturalis*: *positiva*, siquidem sit ex Imperantium arbitrio posita: unde à Legislatore vel appellatur *Divina*, vel *humana*, *Communis Gentibus* vel *particularis*, *publica* vel *privata*, *civilis* vel *Ecclesiastica*.

II. Hujus qualiscunque jurisdictionis ac legis origo *immediata*, vel saltem mediata, est Deus: *non enim est potestas nisi à Deo. Instructionis I. §. I.*

In specie Juris universalis.

Leucotheus. Quæ in specie origo & natura Juris universalis?

Melander. I. *Origo* est naturali jure posterior; nam jus publicum est Superadditum naturali. Utriusque tamen disciplina non nisi *successivè* exculta est. Jus universale, *est facultas interpretandi & applicandi leges pro bono publico*: pressiùs dicitur *prudentia habitus, per se dirigens actiones publicas ad salutem publicam, in suo genere consummatam.*

II. Differt à Jurisprudentia particulari *per modum tendendi universalem*: pro *subjecto* respicit Imperantes, & subditos, *quà tales*, seu *in ordine ad Rempublicam. Inst. Jur. Nat. & Gent, Epitome.*

III. Pro objecto materiali habet *actiones publicas*; pro formali *justitiam publicam*; pro objecto attributionis *actiones justas* in ordine *ad bonum publicum*; pro effectu *obligationem universalem*; pro fine mediato *salutem* seu *felicitatem publicam*; pro ultimato *felicitatem totius Reipublicæ* in vita altera *consummatam. Instructionis. I. §. 2.*

Ejus constitutiva & distinctiva.

Leucotheus. Quæ constitutiva, & distinctiva Jurisprudentiæ universalis?

Melander. I. Jurisprudentia publica distinguitur *à ratione status*, quæ tendit *ad particularia*; *à Politica*, quæ *pro fine* primario respicit *utilitatem*, proceditque modo *suasivo* potiùs, quàm *obligatorio*: ab *Ethica*, quæ spectat *honestatem quà talem*; *a Theologia morali*, quæ dirigitur primariò *ad forum internum.*

II. Ut *constitutiva propriè* talia, complectitur jus Naturæ & Gentium; *ut reductivè* talia, *& suo modo*, etiam jus positivum, Divinum, & humanum.

III. Inter *adjumenta* numerat testimonia Patrum, Sophorum, Prudentum, Theologorum, Jurisperitorum. *Instructionis I. §. 3.*

Constitutiva & distincti-

Leucotheus. Quæ constitutiva & distinctiva Jurisprudentiæ naturalis?

adJurisprudentiæ naturalis.

Melander. I. Inter constitutiva *intrinseca, & propriè talia*, non tantùm numerat *principia*, quæ dirigunt *officia hominis ad hominem vel civitatem*; sed etiam illa, quæ dirigunt officia *hominis ad Deum*, ùt Authorem Naturæ *in ordine ad felicitatem, naturæ rationali propriam, ac completam. Ratio* est: quia hæc disciplina ex fine *primario*, & *intrinseco*, docere debet non tantùm homini, sed & Deo *jus suum* tribuere.

II. Unde hæc Jurisprudentia sicut *in objecto materiali*, actionibus puta moralibus, ita *& in principiis directivis*, puta rationis dictaminibus, participat de Theologia naturali, ac Philosophia morali: differt tamen *in objecto formali*, cùm hæc respiciat actiones, *ùt justas formaliter*; illa, *ut pias* potiùs, *ac honestas*.

III. Adeóque *Puffendorfius* cum suis disciplinam juris Naturæ, ab ejusmodi principiis sequestrando ex toto, eam non nisi *mancam* tradidit, ac *imperfectam. Ratio est*: quia vel rescidit, vel supposuit, ex Theologia naturali ac Ethica, primaria juris naturalis officia, actiones puta internas, Authori Naturæ ex rigorosa justitia debitas.

IV. Inter *adjumenta* Jurisprudentiæ naturalis rectè ab orthodoxis hinc inde adsciscitur *jus positivum, & Theologia moralis*, partim ad jus Naturæ accommodatiùs declarandum; partim ad tradendum utiliùs pro usu Scholastico præcipuè orthodoxo.

V. Quæ disciplinæ, etsi quàm maximè sint distinctæ à Jurisprudentia naturali, ùt patet, *Puffendorfius* tamen in assignanda diversitate est *dupliciter* erroneus: nam Jurisprudentiæ naturalis *objectum* restringit ad actiones solummodò *externas*; *finem* verò ad felicitatem, non nisi *vitæ hujus ambitu conclusam*, sic ut abstrahat *à justitia vera*, & *felicitate completa*, errore duplici, immò multiplici, utì videbimus per decursum.

VI. Unde idem Author in censurandis hac ex parte Authoribus aliis impertinens, videtur ipsemet potiùs censurandus. *Instructionis I. §. 4.*

§. II.   §. 2.

De triplici statu Naturæ integræ, puræ, & lapsæ.

Leucotheus. Quinam progressus juris Naturæ? *Progressus Juris Naturæ.*

Melander. Cùm jus Naturæ sit cum ipsis hominibus ortum, atque in prima statim creatione illorum cordibus inscriptum, ipsa tamen disciplina juris naturæ non nisi sensim exculta, successivam traxit originem. Unde distinguenda sunt tempora *ante & post* hominis lapsum; immò non inutiliter secundùm triplicem statum *Naturæ integræ, puræ, & lapsæ* proprietates ac progressiones variæ expenduntur.

Leucotheus. Quid memorabile de statu Naturæ integræ? *Memorabilia de statu naturæ integræ.*

Melander. Memorabile I. Quòd *Adamus* à solo Deo creatus sit in statu, *conformiter ad Creatoris finem perfecto*, spectatis tam corporis, quàm animæ dotibus naturalibus, immò & supernaturalibus, quibus accessit specialis providentia Dei cum immunitate ab omni errore, rebellione concupiscentiæ, passibilitate, ac morte. Atque hic donorum omnium cumulus *originalis justitiæ* nomine exprimi solet.

Memorabile II. Quòd in statu Naturæ integræ fuisset propagatio humani Generis. Colligitur ex illo Genesis: *multiplicamini*; quod dictum ante peccatum conformiter ad bonum Naturæ humanæ. Sed hoc præceptum erat *accommodum*, statu virginitatis *simpliciter* non excluso: etsi, an melior tunc fuisset statu matrimonii, sit incertum.

Memorabile III. Quòd in illo statu fuisset Societas, saltem domestica, per familias disparatas. *Ratio* est: quia hæc resultat naturaliter ex procreatione liberorum. Et licet pro illo statu hæc fuisset satìs perfecta, atque sufficiens, probabiliùs tamen fuisset Societas quoque civilis, ac publica multiplex. *Ratio* est: quia per se conveniens est naturæ, *dominio* gubernationis *solùm directivo* illi statui haud repugnante; & quia hæc sola est perfecta, *ac totiùs sufficientiæ complementum.*

Memorabile IV. Quòd probabiliùs fuisset ibi conservata bonorum communio, divisione non nisi ad vitandas rixas inductâ, etsi divisio in immobilibus non fuisset illicita, in mobilibus etiam *suo modô* necessaria.

Memorabile V. Quòd ibi fuisset vita, potissimam partem contempla-

tiva

tiva Dei & operum ejus, utpote non instantibus corporis curis, etsi cultura terræ moderata accessisset.

Memorabile VI. Quòd, *Adamo* etiam innocente, potuissent peccare Posteri, adeóque excidere illa felicitate, subjicíque modernæ sorti, etsi *ob specialem protectionem* veniale peccatum, ante mortale, non fuisset commissum, utì habet communior. *Instructionis II.* §. *1.*

Observanda ex statu Naturæ puræ.

Leucotheus. Quæ specialiter observanda de statu Naturæ puræ?

Melander. Observandum I. Quòd concipiatur & absque peccato originali, & absque ordinatione ad supernaturalem beatitudinem: etsi talis status nunquam extiterit, *possibilis* tamen fuit, nulla obstante implicantiâ; immò Catholicorum communi contra impossibilitatis *Bajanæ* sequelas erroneas suffragante.

Observandum II. Quòd Naturæ puræ non potuisset à Creatore Deo præfigi *pro fine* felicitas, *hujus vitæ conclusa terminis*, quia immortali animæ improportionata. Illa insuper beatitudo, *merè naturalis*, debuisset esse naturalibus mediis, viribúsque *obtinibilis*, sic ut homo, *saltem loquendo simpliciter*, potuisset habere propositum *efficax*, *ac absolutum* servandi totam legem Naturæ, *etiam diu*, & *per omnem vitam*, potentiâ morali; si minùs *proximâ* & *absolutâ*, ùt multi volunt, saltem *remotâ* & *conditionatâ*, *si nempe homo faceret, quod est in se. Ratio* est: quia natura humana aliàs fuisset malè constituta in ordine ad suum finem, defectu redundante in Creatorem.

Observandum III. Quòd Naturæ puræ fuisset præfixa pro fine beatitudo *merissimè naturalis*, consistens in cognitione Dei abstractiva, ejúsque amore satìs perfecto, & *proportionaliter* satiativo.

Observandum IV. Quòd homo in illo statu fuisset *rectus*, etsi conditus à Deo cum concupiscentia luctante, utpote naturæ conformi, nec nisi inefficaciter ad peccatum sollicitante. Unde concupiscentia *realiter*, & ùt Imperfectio merè negativa, esse potuisset causa pudoris.

Observandum V. Quòd peccati remedium in illo statu potuisset esse *condonatio gratuita*; virtutis verò præmium sufficiens *beatitudo illa naturalis*, etsi soli animæ impensa, corporum resurrectione naturaliter indebitâ, ac impossibili.

Observandum VI. Quòd propagatio humani Generis, & vitæ civilis ratio fuisset non absimilis nostræ, peccato haud dubiè etiam in illo statu jurisdictionis coactivæ remedia exigente. *Instructionis II.* §. *2.*

De statu Naturæ lapsæ.

Leucotheus. Quid de statu Naturæ lapsæ?

Melander. I. Status Naturæ lapsæ, hoc est, *spoliatæ justitiâ originali*, notat peccatum originale, puta, *peccatum Adami moraliter nostrum*, habetúrque per illud ipsum peccatum præteritum, per alligationem nostrarum voluntatum, atque negationem remissionis.

II. Dari hoc peccatum in omnibus *Adæ* Posteris, *exceptâ Immaculatâ*, est de fide. Per alligationem verò fuit nobis *moraliter voluntarium*, & *imputabile*, quæ alligatio sicut fuit *possibilis*, uti patet in humanis, Tutore, Legato &c. ita *antecedenter ad omnem eventum fuit conveniens*, ne præmium æternum, absque omni consensu & merito, obtruderetur velut invitis; immò & fuit *optabilis Generi humano*, utpote *Adamo* suis Posteris longè perfectiore. Hæc demum alligatio constitit *in pacto cum Adamo*, *tanquam Capite morali Posterorum*, adeóque non transfusione quadam *physica*, sed *merè morali*, peccatum hoc infecit Genus humanum.

III. Peccati Originalis pœnæ fuère multiplices, queîs Natura non modò spoliata est donis gratuitis, sed & vulnerata in naturalibus, sic tamen, ut pleræque fuerint accidentales, hoc est, tales, quæ etiam dari potuissent absque peccato. Unde vulnera non indicant corruptionem naturæ *physicam*, sed *moralem*; adeóque juxta multos natura lapsa non est facta debilior, spectando vires, puræ naturæ debitas, etsi non pauciores, *quò ad extossum concupiscentiæ rebellis*, oppositum tueantur.

IV. Gentilibus, quibùs absque culpa est incognita *vera* & *unicè salvifica* Religio, siquidem servent Naturæ legem, ùt *absolutè* possunt, non est præcisa salutis spes. *Ratio* est: quia *facientibus*, *quod est in se*, Deus non deerit, subministrando necessaria media consequendæ veræ religionis, utì exemplis innumeris, ex utroque Testamento petitis, demonstrant passim Authores, rectè dicente *Sancto Augustino*: *Salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera, veracitérque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit* (a).

V. Ge-

(a) De temp. Christ. Relig. idem de prædest. c. 9.

V. Genuina notitia de hoc triplici Naturæ ſtatu eſt *ſcitu digna*, & *utilis* ob plurimos errores, quos inde malè deducunt heterodoxi Authores, quos inter *Pelagiani*, *Semipelagiani*, *Lutherus*, *Calvinus*, *Bajus*, *Janſenius*, &c. immò quos & noſtra ætate derivant proteſtantici Moraliſtæ juris Naturæ, quales *Puffendorfius*, *Guilielmus de Muelem*, *Thomaſius*, & alii. *Inſtructionis II.* §. 3.

§. 3.

§. III.

De ſtatu hominum antediluviano.

De ſtatu Naturæ antediluviano.

Leucotheus. Quanta fuit propagatio humani Generis antediluviana?

Propagatio humani generis.

Melander. Videtur humanum Genus fuiſſe tam copioſum, ac nunc: immò copioſius ſorſan, & conſequenter incolæ antediluviani, per quatuor Orbis partes, fuère diffuſi. *Ratio* petitur ex diuturnitate temporis, minimùm ad ſedecim ſæcula extenſi. 2. Ex longævitate vitæ, ab antediluvianis ad octo, vel novem ſæcula, plerumque extenſæ. 3. Ex lata initio lege: *multiplicamini* &c. 4. Ex primævæ ætatis flore, ac robore. *Inſtructionis III.* §. 1.

Progenies memorabiles.

Leucotheus. Quot progenies memorabiles?

Melander. Tres. Prima & primaria deſcendens ex *Adamo* per *Seth*, unde orta *civitas cæleſtis*, & ſic dicti *filii Dei* ratione probitatis. *Altera* deſcendens *ab Adamo per Cainum*, ex qua famoſa *civitas terrena*, ſeu ſic *dicti filii hominum* ratione improbitatis. *Tertia* mixta, quæ originem traxit ex ſceleratis connubiis *filiorum Dei* cum *filiabus hominum*: unde orta gigantea ſoboles. *Inſtructionis III.* §. 1.

Vivendi forma.

Leucotheus. Qualis politica vivendi forma?

Melander. Probabiliùs incoluère, ferè ad noſtri temporis normam, pagos, caſtella, & urbes, adeóque videntur habuiſſe Monarchias, aliáſque regiminis ſpecies, non minùs perfectas, quàm ſint præſentes. Colligitur ex urbe *Henochia*; ex indole minimè barda, ſed ſub magiſterio Protoparentis cultiſſima; ex pari neceſſitate diviſionis reſpectu bonorum, defenſionis, vitæque commodiùs ſuſtentandæ. *Inſtructionis III.* §. 2.

Commercia.

Leucotheus. Quæ commercii conditio?

Melander. I. Linguam quod ſpectât, uſi omnes ſic dictâ poſtmodùm *hebraâ*, etſi per dialectos multas diviſâ, ut ægrè ſe intelligerent unæ & aliæ ex illis Gentibus. Colligitur ex Authorum communi, & paritate cum linguis matricibus, per dialectos variatis.

II. Nec illis defuit mercatura, etiam nautica, conditis jam initio inſulis, indoli nequaquam ſtupidæ procul dubio perviis.

III. Nec caruère artibus mechanicis, uti nec liberalibus diſciplinis, quarum aliquos inventores vel ipſe memorat Sacer Codex. *Inſtructionis III.* §. 2.

Leucotheus. Quæ ratio victûs? Victus

Melander. Non conſtat, occiſionem animalium, ſive aquatilium, ſive volatilium, ſive terreſtrium, à Deo antediluvianis fuiſſe prohibitam. Patet ex illo *dominamini piſcibus maris* &c. ex ſacrificio *Abelis*, & ex eo, quòd aliàs, multiplicata ſeptendecim Sæculis animalia, & aqua & terra vix capere potuiſſet.

II. Nec etiam conſtat, eſum ejuſmodi animalium illo ævo fuiſſe prohibitum: ſiquidem conceſſio *expreſſa* poſt diluvium non evertit implicitam: *dominamini* &c. ante diluvium.

III. Probabiliùs tamen *Sethiani* quidam Nepotes, immò & alii, vel ſemper, vel plerumque ab eſu carnium abſtinuere, non quidem præcepti ergò, ſed aliis de cauſis V. G. ſeverioris *diſciplinæ*, *ob nauſeam* &c. *Inſtructionis III.* §. 2.

Leucotheus. Quæ illius ævi religio? Religio

Melander. In Naturæ legibus conſtitit *tam primarius* de Deo, ùt ultimo fine, bonorum præmiatore, malorum vindice, *ſaltem in altera vita*, colendo non modò per *cultum internum*; ſed & *externum* &c. quàm *ſecundarius* de recto creaturarum uſu, vitæ inſtitutione *ſecundum normam honeſti*, *decori*, *& juſti*. &c. His acceſsère *leges quædam divinæ*, revelatis nixæ myſteriis, de modo ſpeciali colendi Numinis per fidem, & ſpem in *Meſſiam*, tanquam remedium *peccati originalis*; immò accedente charitate etiam *actualis*; de præmiis & pænis immortalis animæ æternis &c. & ſic de aliis. *Inſtructionis III.* §. 3.

Leucotheus. Quæ ratio morum? Mores.

Melander. In *Sethi* linea magnoperè laudata, ùt patet in *Enos*, *Henoch*, *Lamech*, & *Noe* &c. Contrà in *Caini* progenie ſummoperè vituperata ob infanda ſcelera, præcipuè luxuriam,

tyran-

tyrannidem &c. non tamen idololatriam, de qua nullibi mentionem facit S. Scriptura. *Instructionis III. §. 3.*

Salus — *Leucothens. An intereuntes diluvio damnati omnes?*

Melander. Probabiliùs *ex Caini* progenie fuêre quidam prædestinati, nonnulli etiam *ex Sethi* progenie reprobi, adeóque ex utraque linea plures, diluvio intereuntes, salvati sunt. *Ratio* est: quia illa verba: *omnis caro corruperat viam*, nisi accommodè intellecta, corruptum facerent ipsum *Mathusalem* &c. éstque incredibile, & *Sethianos* & *Cainitas* per tot Sæcula conspirasse *in unam speciem*, seu bonam, seu malam, operationum liberarum. *Instructionis III. §. 3.*

§. IV.

§. 4. *De statu hominum postdiluviano.*

De statu Naturæ postdiluviano.

Leucothens. Quæ religionis norma apud Noachidas, ad usque legem scriptam?

Religio. *Melander.* Eadem, quæ antediluviana utpote *per traductionem* etiam communicata *Noëmi* Posteris, præterquam quòd accesserit speciale Dei pactum cum *Abrahamo* per signum fidei determinatum *in circumcisione.* *Instructionis IV. §. 1.*

Mores. *Leucothens. Quæ morum ratio?*

Melander. Denuò diversa, *Noëmi* progenie, per *Semum* benedictâ, pietatem in *Abrahami* posteros; per *Chamum* verò maledictâ, impietatem *in Nemrodi* nepotes proseminante.

II. Corruptelam auxit idololatricæ impietatis contagio, authore, ut ajunt, *Nemrodo*; occasionem dante linguarum confusione; eandem promovente causâ multiplici, *ambitione, insane suorum amore, subditorum adulationi*, atque *timore, imaginum arte, Dæmonum fraude* &c.

III. *In Semo* tamen familia, propemodùm sola, unius verique Numinis cultus, & conservatus est, & per *Abrahamum* propagatus in Posteros. *Instructionis IV. §. 1.*

Noachidarum præcepta. *Leucothens. Quid Noachidarum præcepta in ordine ad disciplinam juris Naturæ ac Gentium?*

Melander. I. Sunt juris Naturæ scita, omnibus observanda, quæ *ex Hebræorum* disciplina *Seldenus*, Moralista *Anglicus*, redegit in numerum septenarium, ad quem adstrictos *ab Hebrais* fuisse etiam proselytos domicilii affirmat.

II. Ex his septenis deduxit alia Naturæ capita, minùs principalia, quæ suasa proselytis, non imperata, asseverat.

III. Sed hæc juris naturalis disciplina, ex *Hebraicis* fontibus *à Seldeno* hausta, *est imperfecta* ac *incerta*, quia certo principio destituta, *Noachidarum* nempe & *Hebræorum fictis*. *Est manca*, solum adstruens cultum Numinis negativum, *adeóque curiositati magis, quàm usui est accommoda.* *Instructionis IV. §. 2.*

Linguarum divisio. *Leucothens. Quid de lingua, ejúsque Babelica confusione?*

Melander. I. Cùm nulla homini insita sit à Natura, originaria *Adamo* infusa fuit *Hebræa*, si spectetur Authoritas, quod tamen spectata ratione admodùm est incertum.

II. Confusio facta est per oblivionem subitam idiomatis primævi, speciebus aliis inditis, sic tamen ut divisio in septuaginta duas linguas falso nixa sit fundamento; unde linguarum numerus incertus. Sat tamen certum, supetesse ex illis quasdam matrices, dialectis tamen variis magis magísque corruptas.

III. *Germanica* mansit diutiùs pura; subin fuit idiomate latino corrupta, sed *à Carolo* Magno, *Maximiliano* I. priorisque sæculi studiis politior reddita, hodierno tamen quodlibetico genio audit *miscellanea*, & quàm maximè depravata. *Instructionis IV. §. 3.*

Origo Nationum. *Leucothens. Quæ Nationum Origo inter Noachidas.*

Melander. Incerta, quia sæpe non nisi onomasticis conjecturis innixa. Illud certum, *Noëmo* velut protoparenti, ejus filiis *Semo, Japheto*, & *Chamo*, tanquam Patriarchis, Nationes suam debere originem. Sic *Semi* posteritas, in varias divisa Gentes, per quinque filios; *Chami* per quatuor, *Japheti* per septem. *Instructionis IV. §. 4.*

Dominiorum. *Leucothens. Quæ origo dominiorum?*

Melander. I. Debetur ista terrarum divisioni, quæ facta circa ortum *Phalegi* A. M. 1787. effectui data est post *Babelicam* confusionem. A. M. 1931. Diluvii 275.

II. *Ratio* & *modus divisionis* est satis *incertus*, aliis *Noëmi* determinationem, aliis primam occupationem, vel etiam sortitionem assignantibus. Probabiliore calculo *Semo* obtigit *Asia*, *Japheto Europa*, *Chamo Africa*; otiore ex parte, quæ tamen divisio cum tempore mutata in multis.

III. *Author divisionis primæ* allegatur *Noëmus*, impellente causâ multitudinis dividendæ, dissensionis evitandæ, & culturæ terrarum procurandæ.

IV. Etsi

IV. Etsi rerum primæva communio fuerit Naturæ conformior, utpote supponens statum naturæ rectæ; hoc tamen mutato *justa*, *congrua*, & *melior* fuit divisio, ùt patet ex dictis causis: unde eandem quidam *juri Natura*, alii juri *Gentium* tribuunt. *Instructionis IV.* §. 5.

Imperiorum.

Leucotheus. Quæ origo Imperiorum?

Melander. I. Imperia, inter *Christianos* præcipuè, abolenda, *Anabaptisticus* error; *vi tyrannicâ* esse coalita, *Bodini* ineptia est. Nam constat Populorum consensu plurima surrexisse. Inde, abstrahendo *à modo obtinendi Imperii*, *& per se loquendo*, vera origo debetur Deo; initia prima jam antediluvianis temporibus, etsi perfectior species non nisi post diluvium invaluerit, præcipuè in quatuor præcipuis Orbis Monarchiis.

II. Monarcha primus non *Adamus*, non *Cainus*, ùt volunt aliqui, sed, sumendo Monarcham *simpliciter*, primus fuit *Nemrodus*; sumendo *specialiter*, quò ad excellentiam, fuit *Nabuchodonosor* M. *Instructionis IV.* §. 6.

§. 5.

De statu ante Christum natum.

§. V.

De cultura Juris Naturæ & Gentium in statu legis antiquæ.

Connexio juris naturalis cum Divino.

Leucotheus. An quædam connexio juris Naturæ cum lege veteri?

Melander. I. Est, teste ipso *Puffendorfio*, ejúsque enucleatore *Kemmerichio* (a). Nam etsi jus Naturæ quàm maximè sit distinctum à jure Divino positivo, utpote revelato, illustratur tamen, & declaratur per jus divinum. Ita Decalogus, quid aliud est, quàm mera confirmatio legum naturalium? * Aliud est de præceptis ceremonialibus & judicialibus, traditionibus item, soli propriis Synagogæ.

II. Unde religio naturalis, quò ad præcipua capita, quòd nempe *sit Deus*; quòd *unus*; quòd *providus*, *puniens malos*, & *præmians bonos*, non modò per legem, seu religionem revelatam, est confirmata, (b) sed & explicata, articulisque pluribus extensa, ac illustrata (c). *Instructionis V.* §. 1.

Conditio apud Philosophos veteres.

Leucotheus. Quæ conditio disciplinæ juris naturalis tunc apud Sophos Gentiles?

Melander. I. Admodùm imperfecta: nam etsi convenirent in officio hominis generico, *seu operatione ad finem*, in ipso tamen fine, hoc est, *hominis felicitate* plurimùm dissentiebant.

II. Hanc *Stoici* statuebant in bonis animi; *Epicurei* in bonis corporis; *Peripatetici* in utrisque. Unde systema triplex erroneum, quò vel corporis animique bona *propter virtutem*; vel virtutem *propter hæc bona*; vel utraque *propter se* appetenda ultimatò docebant. *Instructionis V.* §. 2.

Disciplinæ erronea origo.

Leucotheus. Quæ causa disciplinæ juris adeò præpostera?

Melander I. Aberratio à *fine*, seu *genuina hominis felicitate*. Nam caducam stabili prætulère, non respiciendo ultimum fruitionis divinæ, saltem naturalis; negligendo *medium* ad finem, nempe vitam, Naturæ rationali conformem; non curando *vera* honesti, decori, justíque *principia*; sistendo in mediis, seu creaturis, veluti fine, & principia spuria, ex carne ac sensibus deducta, præpostere assumendo. *Instructionis V.* §. 3.

Applicatio ad probandum jus naturale.

Leucotheus. An ex Gentilium Sophorum dictis nullum fluat argumentum pro eruendo Naturæ jure?

Melander. I. *Immediatè* nullum, quia ex principiis intrinsecis eruendum. Unde nec est *sufficiens* unius, alteriusve pronuntiatum de actûs honestate, seu inhonestate, utpote ex adscititia forsan doctrina desumptum.

II. *Consensio* tamen non malè à *Grotio* admittitur pro argumento, *saltem extrinseco*, eruendi quandoque juris Naturæ. Unde à fortiori Nationum *unanimis*, in materia morum, seu actuum inhonestate, vel honestate, legitimum est argumentum. *Instructionis V.* §. 4.

Corruptela morum ante Christum natum.

Leucotheus. Quæ morum corruptela in statu ante Adventum Christi?

Melander. Magna, etiam in Populo Dei electo, ex Gentium assuetudine, uti demonstrant tot Prophetarum querelæ, ac minæ; defectio Tribuum ad idolomanniam; tot pœnæ & servitutes, ipsiúsque sceptri ablatio à *Juda*.

II. *Major* apud Gentiles Sophos, qui licèt professi doctrinam, utcunque sanam, & Naturæ legibus apud non nullos satìs conformem, hanc tamen

§. 6.

De statu post Christum natum. Habitudo legis novæ ad jus Naturæ.

(a) *Puffendorf.* in specimine juris contr. c. 1. de discipl. Jur. Nat. f. m. 168. *Kemmerich.* c. 4. prælim. f. m. 18.

* Si modò sub die Sabbathi intelligas cultum Dei externum *in genere*.

(b) Exodi 3. vers. 14. *Ego sum, qui sum.* Deut. 6. v. 4. *Deus unus est.* Sapient. 6. v. 8 *Æqualiter est illi cura de omnibus.*

(c) Quòd sit *infinitè bonus*, Psal. 134. *Immutabilis.* Num. 23. *Æternus* Psal. 89. *Omniscius.* 1. Reg. 8. *Omnipotens.* Gen. 17.

tamen obfuſcârunt depravati animi nebulis, neque vitam, ac mores ad illius normam conformârunt, *dati in ſenſum reprobum, eò quod cognoverint Deum, nec tamen ùt Deum glorificârint.*

III. *Maxima* in cætera hominum illuvie, Mundo per novum ſcelerum cataclismum propè demerſo. *Inſtructionis V. §. 5.*

§. 6.

§. VI.

De ſtatu poſt Chriſtum natum. Habitudo legis novæ ad jus Naturæ.

De ulteriore cultura juris Naturæ & Gentium in ſtatu Legis novæ.

Leucotheus. Quæ habitudo legis Evangelicæ ad diſciplinam juris Naturæ?

Melander. I. *Admodùm commoda:* nam juri naturæ attulit ſplendoris plurimum, cùm idololatricis tenebris prope extinctum non modò reparavit, ſed & ad nativum ſplendorem evexit. Ita *Puffendorfius*, (a) patetque vel ex ſola lege fundamentali: *Diliges Deum, & proximum, ſic ut quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

II. In multis, etiam id emendando, magìs perfecit, ac ad Evangelicæ perfectionis culmen elevavit: patet ex illo apud *Mathæum* (b): *audiſtis, quia dictum antiquis* &c. *Inſtructionis VI. §. 1.*

Patrum ſtudia reſpectu juris Naturæ.

Leucotheus. Quid Patrum ſtudia contulêre ad culturam Jurisprudentiæ naturalis?

Melander. I. Si Proteſtanticis Cenſoribus fides eſt, locârunt operam *non mutilam*, ſed tamen *imperfectam*, utpote juris naturalis cum *Chriſtiana* Ethica, ac morali Theologia *confuſivam.* Ita *Puffendorfius*, (c) *Kemmerichius, Buddeus* &c. *Grotius*, (d) cum notatore *Zieglero*, Patribus non nihil defert, ſed iis tantùm, qui *propriùs ad primæ puritatis tempora acceſsère*; ſequentibus adſcribit diſciplinam juris corruptam, quia *dominatui Pontificio*, ùt nugatur, *magis accommodatam.*

II. Sed veriùs, Patres non quidem *directè & unicè*, quod tunc haud neceſſarium; *concomitanter tamen*, & *indirectè*, quod tunc opportunum, diſciplinam juris Naturæ & Gentium plurimùm illuſtrârunt. *Ratio* eſt: quia illos oportebat eſſe intentos, ut doctrinâ morali non tam facerent *homines*, quàm ex hominibus *Chriſtianos*: hinc jus Naturæ tractârunt *cum debita ſubordinatione* ad jus Divinum, ſeu Evangelicam legem, illud per hanc *elevando, non confundendo*, uti in *Ambroſii* & *Auguſtini* libris moralibus videre eſt (e). *Inſtructionis VII. § 2.*

Scholaſticorum.

Leucotheus. Quid Scholaſticorum placita ad diſciplinam juris Naturæ?

Melander. I. Si eisdem Ideiſtis proteſtanticis credimus, eandem penitus obſcurârunt. *Rationem aſſignant.* 1. Quia ab Scholaſticis neglecta *Stoicorum & Platonicorum*, placita, cultáque eſt *Ariſtotelis* diſciplina. 2. Quia *Ariſtotelica pædia* ſpinoſa, & tribulis obſita, in ſcholas inducta. 3. Quia ab iisdem Jurisprudentia naturalis cum morali Theologia inſcitè fuit confuſa. Inde *Puffendorfii reformatio in ſequeſtranda* juris naturalis *diſciplina*, & everrendo Scholaſticorum ſyllogiſtico pulvere, non ſine cenſuris etiam in ſuos, ideis Theologicis ùt ait, infatuatos, magno utique, ſi credere fas eſt, nominis ſui elogio: *hic vir, hic eſt* &c.

II. Juxta hos ipſos *Catones* diſciplinæ juris Naturæ, omnium maximè pernicioſa fuêre *Jeſuitarum* dogmata. *Ratio* eſt: quòd hi doctrinam moralem magìs magisque depravârint, utì patet *ex probabiliſmo, peccato philoſophico*, ſimilibúsque commentis.

III. Sed hæ cenſuræ non niſi propriam Criticorum hujusmodi ſeu *inſcitiam*, ſeu *malignitatem* coarguunt. *Ratio* eſt: 1. Quia diſciplina *Ariſtotelica* meritò cæteris fuit antepoſita, utì patet ex Orthodoxorum communi, ipſo *Buddeo*, (f), & *Grotio* adſtipulante (g). 2. Quia pædia ſyllogiſtica, proteſtanticos fucos exoſa, non niſi Dialecticæ imperitis eſt ſpinoſa. 3. Quia confuſio illa cum Theologia morali merè imaginaria, & potiùs ſubordinatio juris naturalis ad jus Divinum dicenda eſt.

IV. Hinc Theologi orthodoxi, etſi *non ſeorſim, ac privativè*, quod minùs neceſſarium; *concomitanter* tamen coluêre ſemper diſciplinam Juris Naturæ, quódque magis proficuum, doctrinæ morum *Chriſtianæ* ſubordinârunt. Patet ipſa inſpectione, & confeſſione propria *Velthemii, Conringii*, (h) & alio-

(a) In ſpicileg. juris controv. c. 1. De diſcipl. Juris Nat. n. 2. f. m. 169.
(b) c. 5 v. 38.
(c) L. c.
(d) In Proleg. §. 51. De Jure belli & pacis.
(e) *Ambroſius* in libro *de officiis*: *Auguſtinus* in libro *de civitate Dei.*
(f) In hiſt. Juris Nat. f. m. 83.
(g) In præfat. cit.
(h) Tomo operum 4. de Repub. Hiſp. f. m. 77. & 78.

& aliorum ex Protestanticis. *Instructionis VI. §. 3.*

Juris civilis, atque Canonici consonantia cum jure Naturæ.

Leucotheus. An disciplinæ juris Naturæ adjumento est jus Canonicum, ac civile?

Melander. Quò ad jus civile annuunt protestantici Moralistæ: quò ad Canonicum refragantur, eòque *ingentem* juri Naturæ *affusam esse caliginem* clamant cum *Puffendorfio. Ratio* plana est: quia jure Canonico *non nisi ad quæstum, & Sacerdotum potentiam* omnia detorquentur.

II. Sed veriùs utroque jure Jurisprudentiæ naturali multum lucis, declarationis, ac claritatis affunditur. *Patet* ex officiis erga DEUM, seipsum, ac proximum passim inibi illustratis, ut adeò ingens illa caligo non nisi in *Puffendorfiani* cerebri latibulis horreat. *Instructionis VI. §. 4.*

§. 7.

§. VII.

De reformatione juris Naturæ protestantica.

De Gloriosis Protestantium studiis in reformanda disciplina juris Naturæ & Gentium.

Sensus Acatholicorum.

Leucotheus. Quid utilitatis publicæ in excolendo jure Naturæ, & Gentium suis studiis tribuunt protestantici Moralistæ?

Melander. I. Reformationem gloriosam hujus disciplinæ tribuunt *in genere, cum Buddeo, reformationi litterariæ universali* ævo protestantico, & quidem instauratore primo *Hugone Grotio, viro incomparabili,* quem subin, unà cum jure naturali, illustriorem dedêre Scholiastæ plures.

II. Nec *Seldenus*, nec *Hobbesius*, sua laude fraudandi sunt, *quò ad disciplinæ hujus culturam,* si *Puffendorfio* credimus.

III. Sed supereminet omnes *Puffendorfius*, hujus Philosophiæ moralis famosus *reformator*, magnâ nominis sui gloriâ, si fides penes ipsummet, suósque fautores.

IV. Hujus vestigia pressêre Commentatores non pauci, quos inter facilè celeberrimus *Christianus Thomasius*, qui solus tulit punctum, *Laurentio Fleischero* encomiaste, etsi usque hodie novi semper *Puffendorfiani* connotatores pedissequi in partem gloriosi laboris veniant, ac succedant. *Instructionis VII. §. 1.*

Judicium Catholicorum de sic dicta reformatione Lutherica.

Leucotheus. Quæ Catholicorum judicia de hisce Protestantium judiciis?

Melander. I. Reformationem rei litterariæ protestanticam quod spectat, *hæc considerata in se, & abstrahendo ab Authoribus, memoratis suprà*, adeò nihil contribuit ad disciplinam juris Naturæ, & Gentium *seu renovandam, seu illustrandam*, ut eandem *sua principiis* potiùs *fœdâris*, penitúsque *corruperit. Ratio* est: quia per sua principia corrupit *officia hominis erga DEUM*, ea in unius verbuli, nempe *fides*, epitomen contrahendo: corrupit *officia hominis erga se ipsum*, absolvendo eundem à præceptis, libertate arbitrii, bonis operibus, laxando habenas cupiditatibus, &c. *Item erga proximum, atque Rempublicam*, solvendo vincula Societatis humanæ, puta, leges non modò humanas, sed & naturales, quò ad obligationem in conscientia &c. uti patet ex ipsis Imperii recessibus, & Augustissimorum testimoniis publicis, *ut adeò vana sit Buddei jactantia, quæ reformationis prætensæ tempora, sicut omni litteraturæ, ita juri Naturæ præsertim, ac Gentium, auspicatissima gloriatur.*

II. Etsi Moralistæ protestantici, posteriores Reformatore suo, ea saltem ex parte sint minùs anomali, quòd non æquè proterant omnem potestatem, *saltem politicam*, neque conculcent leges seu naturales, seu humanas, sæpe tamen plurimùm olent *Lutherum*, non rarò pessimè sapiunt *Lutheri* coævum Pseudo-politicum *Florentinum*. Fidem facere potest vel solus *Conringius*, novus *Machiavelli* illustrator, & si Superis placet, emendator; eandem firmabunt plura *Puffendorfii, Thomasii* & aliorum apophthegmata, uti videbimus per decursum. *Instructionis VII. §. 2.*

Crisis eorundem de Hugone Grotio.

Leucotheus. Quæ Orthodoxorum crisis in specie de Hugone Grotio?

Melander. I. *Hugo Grotius* sicut erat *ingenio acutus*, ita de disciplina juris Naturæ & Gentium *in multis est benè meritus*, nec Protestantium elogiis *indignus*: immò *dignior respectivè* ipsomet *Puffendorfio, ac Thomasio. Ratio* est: quia etiam Orthodoxis *est primus*, qui juri Naturæ & Gentium, magis excolendo, & in disciplinæ ordinem redigendo, manus admovit, minùs digressus à Patribus, & Scholasticis Catholicis, quod non in *Grotio* sed in se potiùs culpare debuissent *Puffendorfii*, ac *Thomasii*.

II. Nihilominùs ejus *liber de jure belli & pacis* est *admodùm defectuosus*, & *erroribus*, etiam *heterodoxis*, *respersus*, adeóque meritò *inter libros*, Orthodoxis prohibitos, *recensitus*. Patet ex ipso *Puffendorfio, Kemmerichio, Fleischero* protestanticis, qui *Arminianos* errores, multáque *neglecta, leviterque tractata*, culpant, Orthodoxis etiam errores protestanticos meritò proscribentibus. *Immò Conringii & Boecleri* errores plurimos, & etiam justo plures, *in Grotio* carpunt, præsertim illum, *quòd in gratiam Pontificis non nulla mitius, quàm debuisset, statuerit. Instructionis VII. §. 3.*

Leu-

De Thoma Hobbesio. *Leucotheus. Quid Orthodoxi de Thoma Hobbesio Anglo?*

Melander. Est Author *pestilens* in moralibus, atque politicis, cujus partus *de Cive, ac Leviathane*, inter *Machiavellicos abortus* meritò sunt relati, atque proscripti. Patet ipsismet Protestantibus heterodoxiâ nimiâ offensis, qua reproduxit hypothesin *Epicuream*, despoticismo cuidam *Machiavellico* superinstructam, ut adeò, nullo suo honore, *Puffendorfius* cum non nullis eidem, inter protestanticos doctrinæ moralis reformatores, qualemcunque locum induiserit. *Instructionis VII.* §. 4.

De Samuele Puffendorfio. *Leucotheus, Quid de Samuele Puffendorfio, ejusque famoso partu de jure Naturæ, ac Gentium, officiis item hominis, ac Civis?*

Melander. I. *Puffendorfius*, *quâ ad systema disciplinæ dogmaticæ*, utroque libro comprehensæ, suis encomiis non est indignus. *Ratio* est: quia *hac ex parte*, est dogmatista, *respectivè* primus, in assumpta methodo etiam ipsomet *Grotio* magis accommodus. Immò nec displicet in scopo tractandi Jus naturæ, utpote *sequestratum* à cæteris, vitato tamen duplici ejusdem errore, *quo per excessum* sequestravit ipsam religionem naturalem; *& per defectum* non subjunxit jus positivum, etsi illa sit *fundamentum*; hoc *adjumentum* disciplinæ juris Naturæ, *modo debito* tractandæ.

II. Idem in multis *est ingeniosus, eruditus,* & *explicando Naturæ juri* perquàm *accommodus*, in non paucis est *veritati consonus*, & etiam Orthodoxis *haud illaudatus*. Patet inspectione operis, ejusdem allegatione etiam ab Orthodoxis, & patebit per decursum.

III. Idem à suis Antagonistis protestanticis nonnunquam *immeritò* est reprehensus, & abstrahendo à stylo satyrico, à semetipso, *saltem hinc inde*, contra suos *non inefficaciter* defensus; *sic Albertus* ex statu integritatis non satis feliciter impugnavit *Puffendorfianam* hypothesin, solis principiis, ratione cognitis, superinstructam, & sic de aliis, uti patebit ex dicendis.

IV. Nihilominùs hic Author in suo systemate *est admodùm defectuosus*. 1. *Quò ad modum* eruendi juris naturalis *minimè demonstrativum*, ùt animadvertit *Wernerus* protestanticus. 2. *Quò ad modum tractandæ* hujus disciplinæ, neglectis ferè officiis ad Deum, soli foro externo accommodatæ, uti notat *Leibnitius* Acatholicus. 3. *Quò ad objectum solummodo inadæquatum*, non nisi actionibus externis terminatum, uti idem *Leibnitius* reprehendit. 4. *Quò ad finem, solummodò insufficientem, & in-* *complectum* felicitatis, scilicet non nisi terminis hujus vitæ conclusæ, uti idem Censor meritò culpat. 5. *Denique quò ad principium Socialitatis minimè adæquatum*, sed in officiis ad Deum præcipuè mancum, ac imperfectum, ùt rectè *Kemmerichius* enucleator in suo *Puffendorfio* arguit, ac castigat.

V. Ejusdem partus est *protestanticè corruptus*, & ideis, *in fide erroneis*, malignè *censpersus*. *Patet*: nam in utroque opere de jure Naturæ tradit hanc disciplinam, protritâ omni tam Patrum, quàm Scholasticorum Authoritate, eorúmque methodum, *ut Aristotelicè* pedanticam, explodit; Catholica dogmata, *præcipuè de Primatu summi Pontificis, de potestatis sacræ & profanæ divisione* &c. velut *Christianæ* religionis primævæ *assumenta* humana, Jurisprudentiæ naturalis principiis incommoda, rejicit.

VI. Idem est Juventuti Catholicæ *periculosus*, *perniciosus*, *meritòque inter libros prohibitos rejectus*. *Ratio* est: *quia per sua principia*, uti alibi, ita & in disciplina juris naturæ, eò semper collimat, ut *sub specioso palpo majoris habilitatis ad statum civilem*, obtrudat *Protestantismum*; labefactet verò, ac subruat *Catholicismum*. *Instructionis VII.* §. 5.

De Christiano Thomasio. *Leucotheus. Quale tandem Orthodoxis judicium de Christiano Thomasio?*

Melander. I. *Thomasius* in statera catholica, quò ad pleraque ejusdem est cum *Puffendorfio* ponderis, pretiique politici. *Ratio* est: quia suomet suffragio non agit nisi *Puffendorfii* paraphrasten, sedulúmque amanuensem quò ad errores in fundamento juris naturalis, in modo, despoticóque contemptu omnis Authoritatis Scholasticæ orthodoxæ.

II. Idem, quò ad non pauca, est pretiî etiam minoris, utpote *Puffendorfii*, Commentator magis anomalus, pluribúsque erroribus auctus, ac ampliatus. *Patet* ex pluribus scitis erroneis V. G. De jure Naturæ non requisitum esse cultum Dei externum; non prohibitam fornicationem, incestum, in linea etiam directa; polygamiam, etiam virilem, falsiloquium aliquando licitum, immò præceptum &c.

III. Unde *Fleischeri* elogia, *in Thomasium* tam liberaliter congesta, ad auxeses protestanticas meritò referuntur. Compilavit hic Author *secundas Thomasii curas* in academicam methodum, queîs Jurisprudentiam Divinam dum melioribus fundamentis emendare annisus est *Thomasius*, eandem penitus corrupit, uti ex *Fleischeri* excerptis planè paradoxis

Inst. Jur. Nat. & Gent. Epitome.

xis erit colligere per decursum. *Instructionis VII. §. 6.*

Jurisprudentiæ universalis, ac naturalis utilitas, atque necessitas hoc nostro ævo apud Catholicos.

Leucotheus. An non ergo & utile & necessarium, ut hæc disciplina Juris naturæ, & Gentium, à nævis protestanticis expurgata, Academico studio, præsertim catholico, accommodetur?

Melander. Magna est utilitas, & necessitas.

I. Ob insignem usum Jurisprudentiæ universalis, ac naturalis, ad scopum juridicum, quô per principia *universalia* etiam negotia Gentium dirigi; *per naturalia* etiam Regnorum, & summorum Principum, controversiæ decidi possunt.

II. Ob Lucubrationum hac ex parte penes Catholicos magnam admodùm raritatem; contrà apud Acatholicos copiam exundantem, utilitate longè majorem.

III. Ob retundendam & reformandam Moralistarum protestantium, periculosam æquè ac perniciosam Juventuti Academicæ, pravitatem, *ut ne protestantica falsitas sit sine vindice, & catholica veritas sine Patrono. Instructionis VII. §. 6.*

Institutiones

INSTITUTIONUM

Juris universalis.

JURIS UNIVERSALIS, NATURÆ ET GENTIUM

Pars I.

PARS I.

De jure Naturæ.

DE JURE NATURÆ.

Titulus 1.

TITULUS I.

De principiis moralitatis.

De principiis & fine juris naturæ circa moralitatem actuum humanorum.

§. 1.

§ I.

De essentia actûs humani.

De principiis Constitutivis,

Seu

De natura, & proprietatibus actûs humani in Genere.

Quid & quotuplex?

L*Eucotheus. Quid actus humanus & quotuplex?*

Melander. Actus humanus *est motio quomodocunque ab homine posita, libera,* non *libera*: unde illa propriè *actus humanus*; hæc potiùs *actus hominis* appellatur.

Arbitrium liberum.

Leucotheus. Quid arbitrium liberum, & qualis ejusdem proprietas?

Melander. Arbitrium liberum est *facultas rationis & voluntatis*: unde omne liberum voluntarium, sed non vicissim. Proprietas duplex *est voluntarietas, & libertas.*

Voluntarium.

Leucotheus. Quid voluntarium & quotuplex?

Melander. Voluntarium *est, quod procedit ab intrinseco ex cognitione finis*: conditione ejusmodi deficiente dicitur *involuntarium.* Voluntarium est præcipuè quadruplex: *formale, & objectivum. 2. Purum & mixtum*, seu involuntarium *secundùm quid. 3.* Voluntarium voluntate *propria & aliena. 4. Expressum & interpretativum* &c. *Instructionis I.* §. 1.

Respectu voluntarii vis & metus.

Leucotheus. Quomodò vis, seu metus se habet cum voluntario?

Melander. Nec tollit voluntarietatem actûs imperantis, nec imperati *simpliciter*; unde si actui imperato coexistit volitio inefficax, odio habens actum hunc imperatum, dici potest involuntarius *secundum quid.* Res patet in exemplo mercatoris, qui metu vitæ amittendæ projicit merces in mare tumultuosum. *Instructionis I.* §. 2.

Leucotheus. An concupiscentia evertit voluntarium? Concupiscentia.

Melander. Nisi sit *eversiva mentis*, non evertit *simpliciter*, etsi possit evertere libertatem, casu quo quis ex ira præcipiti non apprehendat motiva retrahentia à vindicta. Quandoque tamen causat involuntarium *secundùm quid*, si actus v. g. suscipiendæ periculosæ expeditionis conjunctus sit cum repugnantia: etsi plerumque intensiùs augeat voluntarium, uti patet experientiâ. *Instructionis I.* §. 3.

Leucotheus. An & quomodò ignorantia se se habeat ad voluntarium? Ignorantia.

Melander. Antecedens facit actum non voluntarium; immò quia, si abesset, actus non poneretur, eundem facit *positivè* involuntarium, uti patet in

filio trajiciente patrem, inculpabiliter existimante feram. *Concomitans* nec causat *positivè* voluntarium, quia nil volitum, nisi quod cognitum; nec etiam involuntarium *positivè*, quia etsi abesset, actus nihilosecius poneretur, uti supponitur. *Consequens* ignorantia causat voluntariom *saltem indirectè*, quia objectum facit cognitum saltem in causa, nempe in *ignorantia vincibili*, vel *affectata*. *Instructionis I. §. 4.*

Libertas quid, & quotuplex.

Leucotheus. Quid & quotuplex est libertas?

Melander. Libertas *est immunitas*, seu à coactione, seu à necessitate, hæcque dicitur *libertas indifferentiæ*, qua *potentia, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere*, sic ut sit libertas quò *ad exercitium*, seu *contradictionis*; vel qua *potest agere hoc aut illud*, sic ut *sit libertas quò ad speciem* seu *contrarietatis*. Atque hic conceptus est *evidens* communi omnium sensu. Quòd detur libertas indifferentiæ, etiam in statu naturæ lapsæ, *demonstrativè* paret partim communi instinctu; partim ex eo, quòd aliàs omnes leges essent frustraneæ, Deus tyrannus, & Author omnis peccati. *Instructionis I. §. 5.*

Qualis in actu interno imperato.

Leucotheus. Qualis libertas competit actui interno imperato?

Melander. Libertas immediata actûs *imperati* non tollitur per actum imperantem *solummodò inefficacem*, quia tantùm allicit, sed neque tollitur *per efficacem distinctum* pro diverso instanti, quia actus imperatus pro altero instanti saltem posset omitti. Tolleretur tamen, si ponatur uterque actus in eodem instanti, sic ut imperans foret *naturâ prior*, quia sic potentia redderetur proximè impedita ad omissionem actûs imperati, uti patet consideranti. *Instructionis I. §. 5.*

§. 2.

§. II.

De moralitate actuum.

De principiis constitutivis actûs moralis in specie, seu de moralitate, ac imputabilitate actuum humanorum.

Actus moralis quid & quotuplex?

Leucotheus. Quid actus moralis, & quotuplex?

Melander. Actus moralis, in strictiore sensu, *est operatio libera voluntatis cum advertentia rationis elicita, ad aliquam regulam primam, ac universalem*: unde *moralitas* est forma denominans actum moralem, qui duplex, pluribus etiam triplex est: *honestus, inhonestus, indifferens*, hoc est, *conformis*, vel *difformis* primæ regulæ, aut saltem *indifferens*, vel etiam conformis regulæ, saltem permittenti.

Constitutiva moralitatis.

Leucotheus. Quæ moralitatis constitutiva?

Melander. Libertas indifferentiæ, & advertentia rationis ad primam regulam honestatis, si sit actus *extrinsecus*; si *intrinseca*, involvit insuper *ipsam entitatem* actus. *Ratio* est: quia his positis habetur, uno complexi membro non posito non habetur. *Universaliter* non est actui *essentialis*: quia gratis adstruitur *universaliter* ejusmodi respectus essentialis ad actum primum proximum, & ad advertentiam ad legem. Moralitas primariò convenit actibus voluntatis; *secundariò* etiam aliis. *Instructionis II. §. 1.*

Ratio refundende moralitatis in actum internum.

Leucotheus. Quomodò moralitas refunditur in actum internum?

Melander. Moralitas, seu honestas vel inhonestas refundi potest in actum ex *objecto, fine, & circumstantiis*. *Ratio* est: quia ex recepto proverbio in moralibus: *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*. Specialis tamen honestas non refunditur ex *objecto, fine*, vel *circumstantiis*, nisi *directè & formaliter*, saltem *confusè*, attingatur. *Ratio* est: quia aliàs honestas se haberet solummodò *per modum motivi neglecti*. Inhonestas tamen refunditur, etsi solùm *indirectè, materialiter*, vel *interpretativè*, intendatur. *Ratio* est: quia malum ex quolibet defectu.

Et externum.

Leucotheus. Quomodò moralitatem participat actus externus?

Melander. Moralitas formalis actûs externi provenit ab actu interno: quia huic, non illi, convenit conformitas & difformitas *propriè talis* cum prima regula. Unde actus externus *per se, & formaliter* loquendo, non auget bonitatem, vel malitiam actûs interni in ordine ad majus meritum, seu demeritum; quia *tota ratio* honestatis, vel inhonestatis desumitur ex *moralitate* seu *libertate* ac *advertentia*. Augere tamen solet *per accidens*, propter *multiplicationem, extensionem, & intensionem* internorum actuum concurrentem. Unde actus externi & præmiantur, & puniuntur in foro humano *propter præsumptionem internorum*, & quòd externi potiùs *noceant*, vel *prosint* bono Reipublicæ. *Instructionis II. §. 2.*

Actus moralis indifferens.

Leucotheus. Potéstne dari actus moralis indifferens?

Melander. Potest dari *in specie*, seu talis, qui *secundum objectum materiale*, nec est præceptus, nec prohibitus, sed purè permissus qualis est V. G. *Ambulatio*. 2. Potest etiam dari *in individuo*; *saltem per accidens*, qualis foret calefactio, quin referatur ad finem *positivè* honestum vel quòd quis non

judi-

judicet dari talem obligationem, vel quòd ex inculpabili ignorantia ad illam non attendat. 3. An possit dari *per se*, non est adeò liquidum. Multi negant, quia videtur dedecere naturam rationalem *actus*, *non directus ad finem positivè honestum*. Non pauciores affirmant: quia nulla apparet implicantia; immò videtur suffragari potiùs *persuasio communis*. Unde negativa potior *Authoritate*, & *de Consilio*; affirmativa potior *ratione*, & tuta *in praxi*. *Instructionis II.* §. 3.

Imputabilitas actuum quid, & qualis?

Leucotheus. Quid imputabilitas actuum moralium, & quotuplex?

Melander. Imputabilitas est proprietas *formaliter consecutiva* actûs moralis, éstque ratio, cur agens haberi possit pro Authore, seu *physico*, seu *morali*, eique tribui effectus, præmium, vel pœna. 2. Generalis regula est, quòd *imputabilitas* sit *tanta*, *quanta* actionum *moralitas*, hoc est, *advertentia*, *& libertas*. 3. Unde *in particulari* inimputabiles sunt actiones, quatenus procedunt *ex errore*, *vel ignorantia invincibili*, seu facti, seu juris: quia *deficit advertentia*. Actiones itidem *involuntariæ*; vel etiam voluntariæ, *sed non liberæ ob vim*, *metum*, *præcipitem concupiscentiam* saltem respectu meriti vel demeriti, etsi forsan imputari possent in foro externo, *quia deficit libertas*. 3. *Imputabiles* sunt actiones liberæ etiam *in aliena* voluntate, *siquidem sit moraliter propria*. 4. Liberæ etiam *indirectæ*, seu in causa, *per se* tam positivè, quàm negativè se extendentes ad effectum prævisum, siquidem impediri posset, ac deberet. 5. *Imputabiles* denique sunt, quarum voluntas causa est etiam *interpretativa*, aut *virtualis*, *per se*, vel *per alium*, *physica*, vel *moralis*, influens *per cooperationem qualemcunque liberam* juxta notos versiculos:

Jussio, Consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

§. 3.

§. III.

Principia intrinseca actuum moralium.

De principiis intrinsecis,
Seu
Effectivis, & impulsivis actionum moralium.

Effectiva.

Leucotheus. Quænam actionum humanarum principia intrinseca effectiva?

Intellectus.

Melander. Primum *est intellectus*, qui est potentia animæ rationalis, quæ objecta, per species proposita, apprehendit, & *vel immediate* enuntiando, vel *mediatè* discurrendo dijudicat, an naturæ suæ convenientia, vel disconvenientia sint. Etsi hæc facultas non sit *formaliter libera*, est tamen *radix libertatis*, eò quòd proponat motiva tam allicientia, quam abstrahentia ad actum. Pro objecto attingit *verum*, media cognoscendi sunt species, & habitus; si versetur circa universalia dicitur *Pufendorfio* Intellectus *Theoreticus*; si circa particularia, eidem *practicus* appellatur.

II. Alterum principium *effectivum* est *voluntas*, quæ rectè dicitur facultas, qua homo vel appetit *bonum*, vel aversatur *malum*, ab intellectu propositum. Hæc potentia est *formaliter libera*, habétque actus *elicitos*, ac *imperatos*; dicitur *cæca*, quia ad operandum moveri debet ab intellectu: *Cum nil sit volitum, nisi præcognitum*. *Instructionis III.* §. 1. *Voluntas.*

Leucotheus. Quænam principia intrinseca impellentia respectu actionum moralium? *Principia impulsiva.*

Melander. Inprimis *sensus internus*, per quem denotatur *potentia animæ cognoscitiva materialis*. Alterum principium est *appetitus sensitivus*, seu potentia animæ, quæ dependenter à sensu interno bonum sensibus propositum prosequitur, vel malum fugit. Alius est *irascibilis*, alius *concupiscibilis*: utriusque actus appellantur *passiones*, & hujus quidem sex: *odium*, *amor*, *desiderium*, *gaudium*, *dolor*, *& fuga*; illius verò quinque, nempe *ira*, *spes*, *desperatio*, *audacia*, *timor*. Hæ potentiæ materiales etsi valdè inclinent intellectum & voluntatem, causentúrque sic dictam luctam, hominem inferiorem inter, & superiorem, tamen non tollunt *per se* libertatem indifferentiæ, súntque *in se* prorsus indifferentes, hoc est, *nec bonæ*, *nec malæ moraliter*, etsi plerumque *ratione objecti*, *vel modi* ad malum inclinent. Et ex his animi propensionibus variis, sicut varia oriuntur temperamenta, ita & magna surgit animorum, morúmque varietas. *Instructionis III*, §. 2.

Sensus internus, & appetitus tam irascibilis quam concupiscibilis.

§. IV. §. 4.

Principia extrinseca moralitatis.

De principiis extrinsecis
Seu
Directivis actionum moralium.

Leucotheus. Quidnam regula prima moralitatis? *Regula prima objectiva quid?*

Melander. Regula in genere est quasi *mensura*, ad quam exploratur, an aliquid sit *rectum*, seu *obliquum*. *Regula* prima in specie, *objectiva*, ac *universalis* respectu actuum moralium, qua de hìc agitur, est *ratio primaria*, *& objectiva*,

jectiva, in quam conscientia universaliter tendit, judicando actum esse illi conformem, & hoc ipso *rectum*, seu *honestum*; vel *difformem*, & hoc ipso *obliquum* seu *inhonestum*.

Videtur rectè constitui in natura rationali, quà tali.

Leucotheus. In quo consistit regula prima objectiva moralitatis?

Melander. I. Juxta Authores non exigui nominis *in natura rationali quà tali. Ratio est*, quòd quædam sint à Deo prohibita, *quia mala* V. G. *odium Dei*, *mendacium* &c. Contrà quædam præcepta, *quia bona*, *V. G. cultus Dei*, *honor Parentum* &c. Ergo *antecedenter* ad legem Dei, *seu intrinsecè* mala, vel bona sunt: atqui alia ratio esse nequit, nisi quòd sint difformia vel conformia rationi, quà tali: ergo regula prima est natura rationalis, quà talis.

Quod tamen potior negat.

II. Sed negativam tenet Authorum potior. *Ratio* est: quia natura rationalis, *quà talis*, est & ipsa regulata, non primò regulans; multò minùs regulans *efficaciter*, *indefectibiliter*, & *universaliter*, quæ tamen sunt requisita essentialia regulæ respectu actionum moralium. Unde

Negando intrinsecè mala saltem moraliter.

III. Dicuntur quædam prohibita, *quia mala*, non moraliter, sed *physicè*, nempe ratione *contrarietatis physica* cum fine, à creatore intento, quæ non nisi *radix* est malitiæ moralis, uti & illa *antecedens difformitas* cum natura rationali, *quà tali*, *est* ratio mere *fundamentalis*, & regula quædam *secundaria*, non verò *prima*, *efficaciter* & *universaliter* obligare apta. *Instructionis IV.* §. 1.

Adstruitur probabilius lex Dei.

IV. Sententia verior adstruit pro regula prima & objectiva actionum moralium *legem aeternam Dei. Ratio est*: quia huic soli conveniunt proprietates *regulantis primò*, & quidem cum virtute obligandi *suprema*, *universali*, *summè æstimabili*, ac *efficaci* ubique & semper.

Consistens partim in dictamine, tanquam applicatione, partim in voluntate Divina, tanquam normâ.

V. *Lex Divina*, ùt obligans præcipiendo, vel prohibendo, si spectetur *in homine*, tanquam regulato, notat *ipsum dictamen rationis*, *applicans* legem objectivam. Si spectetur, ùt est *in Deo*, saltem *principaliter* consistit *in actu voluntatis* dicente Angelico: *ipsa Dei voluntas est prima regula, qua regulantur omnes naturales voluntates* (a). *Instructionis IV.* §. 2.

Regula formalis.

Leucotheus. Quodnam alterum principium directivum, seu regula proxima formalis actionum moralium?

Est conscientia.

Melander. I. *Conscientia*, quæ *in genere* nihil est aliud, quàm *ratio humana*: unde *dictamen conscientiæ* profluit, quo ratio nobis dictat, quid licitum sit, quid illicitum. *Conscientia* dicitur *regula proxima & formalis* actionum moralium, quia *est intentionalis applicatio regulæ objectivæ*.

II. Conscientia, regulans moralitatem, *necessariò* exigit *dictamen ultimum practicum* de honestate vel licentia actionis; etsi *non necessariò* id requirat ad inhonestatem actionis. *Ratio est*: quia sine dictamine practico ageret quis cum dubio practico: ergo *inhonestè*: utpote *non ex fide*, hoc est, non ex judicio prævio honestatis, adeóque cum periculo committendæ inhonestatis, quod sufficit ut actus esse nequeat honestus, & jam positivè sit inhonestus. *Instructionis V.* §. 1.

Regula pro conscientia certa.

Leucotheus. Quæ regula pro conscientia certa?

Melander. I. Non requiritur necessariò & universaliter dictamen practicum, *metaphysicè evidens aut certum* de honestate actûs. Hujus enim necessitas nec authoritate, nec ratione probari potest. Unde sufficit *certum moraliter*, quia tali nixus sat intelligitur operari *ex fide*, ac *sine prudenti* formidine.

II. Neque requiritur certum *strictè moraliter*, seu exclusivum formidinis etiam *possibilis*; sed sufficit certum moraliter, *latiùs tale*, seu exclusivum formidinis *actualis*. *Ratio* est, quia sic satìs intelligitur quis operari *ex fide*, uti patet in rudibus.

III. Non tamen sufficit dictamen *merè probabile*, seu conjunctum cum prudenti formidine; quia talis ageret inhonestè, saltem *virtualiter* contemnendo legem, séque exponendo periculo committendæ inhonestatis.

IV. Inde *probabilitas directa* eatenus servit ad honestè agendum, quatenus potest fundare *conscientiam*, *moraliter certam* per dictamen ultimum reflexum, *excludendo actualem formidinem*. Patet: si quis V. G. judicet moraliter certum, quòd liceat sequi sententiam verè probabilem, relictâ etiam probabiliore & minùs tuta. *Instructionis V.* §. 2.

Pro probabili.

Leucotheus. Quæ norma conscientiæ probabilis?

Melander. I. Licitum est in operando sequi sententiam *probabilissimam*, aut *probabiliorem*; immò etiam *æquè* vel *quasi æquè probabilem*, *minùs tutam*, *relictâ oppositâ tutiore*. *Ratio est*: quia absoluta obligatio, *in omnibus*, & *ubique* sequendi tutiora, foret juris naturalis, ac universalis, nec tamen à plu-

(a) 1. 2. Q. 104. a. 1. ad 2.

pluribus agnita ; foret difficillima, afferret plus incommodi, quàm commodi, etſi efficaciter ab Adverſariis haud probetur.

II. An licitum ſit in operando ſequi etiam ſententiam *minus tutam, licet notabiliter minùs probabilem*, inter Moraliſtas orthodoxos controvertitur. Difficultatis cardo reſolvitur ultimatò in judicium prudentum, quod videtur hanc opinionem facere in praxi tutam. *Inſtructionis V. §. 3.*

Pro dubia ac erronea. *Leucotheus. Quæ obſervanda circa conſcientiam dubiam atque erroneam?*

Melander. I. Regula : *quòd melior ſit conditio poſſidentis*, valet etiam in materia conſcientiæ : quia etiam in hac homo habet *jus certum* poſſeſſionis *quò ad ſuam libertatem*; lex verò jus dubium obligationis.

II. Stante dubio, *ſtrictè practico*, ſemper tutius eligendum : non neceſſariò autem ſtante *merè ſpeculativo*. Ibi enim agendum *ex fide*; hìc benignius præferendum.

III. Conſcientia, *invincibiliter* erronea, obligat ad id, quod dictat eſſe faciendum : quia tenetur quis agere *ex fide*, ſeu juxta dictamen conſcientiæ.

IV. Ad actum inhoneſtum ex ignorantia vincibili, prærequiritur advertentia quædam ſaltem ad periculum inhoneſtè agendi. *Patet*: quia nil volitum, quod nullo modo præcognitum. Sufficit tamen *ſuſpicio*, vel *prudens formido*, quæ ſtimulet ad veritatem magis indagandam. *Ratio* eſt : quia malum ex quolibet defectu. *Inſtructionis V. §. 4.*

§. 5.

§. V.

De fine actionum moralium.

Finis actionum moralium in Genere. *Leucotheus. Quid & quotuplex eſt finis actionum moralium?*

Melander. Omnis creatura, maximè verò rationalis, per ſuas actiones intendit *finem*. Finis autem nil aliud eſt, teſte Philoſopho, quàm *ultimum agendarum rerum, quod appetitur propter ſe, & propter ipſum cætera*, quæ dicuntur *media ad finem*, quia ſuſcepta propter conſecutionem finis.

II. Porrò *varii* ſunt rerum *fines*; hos inter præcipui, finis *immediatus*, & *mediatus*, *ſubordinatus*, *ac ultimus*. Ille ordinatur ulteriùs; ad hunc cætera omnia ordinantur. *Inſtructionis V. §. 1.*

In ſpecie. *Leucotheus. Quis in ſpecie finis eſt actionum moralium?*

Melander. Bonum, ſeu *verum* ſeu *apparens*. Nemo enim intendens malum, *quà malum*, operatur. Finis *particularis, & immediatus eſt illud bonum*, quod quis intendit per actionem V. G. *divitiæ, honores*, &c. *finis totalis* & *mediatus* actionum omnium eſt, *ut agenti undequaque bene ſit*, dicitúrque felicitas *completa*. Hinc

I. Homo, deliberatè operans, *neceſſariò* per actiones morales intendit *aliquod bonum*, tanquam finem, *ſaltem negative ultimum*. Quia in aliquo bono debet neceſſariò ſiſtere, ſi minùs *poſitivè*, ſaltem *negativè*, hoc eſt, de ulteriore fine non cogitando : ſecùs daretur in finibus proceſſus in infinitum.

II. Non tamen intendit ſemper *finem ſimpliciter ultimum*, uti patet in ſceleratis, qui operantur contra finem *ſimpliciter, & ex merito ultimum*, ſeu *felicitatem veram*, atque *completam*. Etſi ſemper agant *propter rationem*, puta, propter conſecutionem alicujus boni, ultimo fini ſaltem *genericè* congruam.

III. Homo tenetur lege naturali per ſuos actus, *ſaltem abſolutè loquendo*, tendere ad finem *ſimpliciter* ultimum. Quia aliàs perverteret ordinem, rebus creatis ab Authore Naturæ præſcriptum.

IV. Finis verò ultimus Creaturæ rationalis *eſt felicitas perfecta*, ſeu *beatitudo* ſaltem *naturalis*. Quia hæc ſola eſt, ad quam ex naturali inſtinctu fertur, & cætera omnia ordinat.

V. Finis rerum omnium ultimus eſt *Deus*. Nam ſicut à Deo omnia ſunt, tanquam *à primo principio*; ita ad Deum, *tanquam finem ultimum*, omnia tendant, neceſſe eſt : pari ſiquidem neceſſitate *Omega* eſt, qua *Alpha*.

VI. Officium hominis in hoc Univerſo eſt agere ad ſuum finem, *reverà ultimum*; *in ſpecie* eſt, quoque agere ad finem ſui ſtatûs, ſic tamen, ut hunc finem ad ultimum referat. *Inſtructionis V. §. 1.*

Leucotheus. Quid de beatitudine naturali ſpecialiter ſciendum in ordine ad actiones humanas morales? *Beatitudo naturalis.*

Melander. I. Datur *aliqua* beatitudo objectiva creaturæ rationalis, éſtque ſaltem poſſibilis *merè naturalis*. Prius patet univerſali hominum conſenſu, & naturæ inſtinctu. Poſterius fluit ex eo, quòd nulla ſit implicantia ſtatûs, meriſſimè naturalis.

II. Hæc nequit conſiſtere *in una aliqua creatura*; immò neque *omnium collectione*. Prioris ratio eſt, quia beatitudo debet eſſe *ſatiativa*. Poſterioris, quia collectio omnium, dicit eſſentialem dependentiam ab Ente, omnibus *perfectiore, magisque appetibili*.

III. Unde beatitudo nequit conſiſtere *in bonis fortunæ* quia extrinſecis. Nec *in bonis corporis*, quia nobiliore homi-

hominis parte, seu animâ, inferioribus. Nec in *bonis animi*, quia neque *puris*, neque *satiativis*.

IV. Unde *beatitudo* hominis *objectiva* nequit esse alia, *nisi solus Deus*: quia huic soli competunt omnes conditiones, ad beatitudinem hominis objectivam requisitæ.

V. *Beatitudo formalis* creaturæ rationalis, *seu actualis possessio & fruitio Dei satiativa*, consistit in cognitione & amore Dei, *statui suo proportionato*. Quia per solam cognitionem & amorem homo potest frui Deo *perfectè*, *delectabiliter & satiativè*. Unde respectu statûs, *merè naturalis*, etsi cognitio foret solummodò *abstractiva*, nihilominùs foret satiativa *saltem respectivè*; sicuti & haberetur collectio omnium bonorum, *naturaliter obtinibilium*. *Instructionis V, §. 2.*

Principia, lumine Naturæ nota, circa Deum.

Leucotheus. An & quomodò Deus, ut est norma actionum humanarum, lumine naturæ notus, ac cognoscibilis?

Melander. I. Est principium, *lumine naturæ notum*, hoc Universum non esse *à casu*. Res patet oculari consideratione.

II. Æquè *lumine naturæ* notum est, dari aliquod Numen, *sub ratione Entis primi* atque *supremi*, seu *Authoris* hujus Mundi, ac *Gubernatoris*. Uti constat ex Naturæ instinctu, sensu, ac consensu Nationum communi, ac universali.

III. Denuò est principium, *lumine naturæ notum*, *dari* aliquod Numen *sub ratione Legislatoris supremi*, *Entis justi* ac *providi*, quod mala puniat, bona præmiet, atque remuneretur. *Ratio est*; quia hæc veritas est *fundamentum omnis honestatis*, & *medium indispensabiliter necessarium ad finem*, & vitam ad rationis leges instituendam; ergo debet esse lumine naturæ nota; secus Natura deficeret in necessariis.

IV. Etsi non sit principium, *lumine Naturæ notum*, qualis sit Deus, *evidenter*, tamen ab *homine*, *rationis compote*, & *cujus cor per scelera non obscuratum*, erui potest, non esse *nisi unicum Deum*. *Ratio est*: quia si plures, nec erunt perfectè *summi*, nec perfectè *liberi*: utrumque absurdum. *Instructionis V. §. 3.*

Principia lumine naturæ nota circa beatitudinem.

Leucotheus. An & quomodò alterius vitæ felicitas, seu beatitudo, ut est finis actionum moralium, est lumine naturæ nota, aut cognoscibilis?

Melander. I. Est principium, *lumine Naturæ notum*, felicitatem, *vitæ hujus terminis conclusam*, non posse esse finem *sufficientem*, & *adæquatum* actionum moralium, seu in particulari, seu in communi respectu totius Societatis humanæ. *Ratio est*; Quia hæc ipsa felicitas hujus vitæ sæpe contemni debet ob honestatem; nec esset *sufficiens præmium* pro lege *universaliter*, & *semper* obligante ad honestè operandum, cùm sæpe honestissimos videamus per omnem vitam infelicissimos; scelestissimos contrà felicissimos.

II. Est principium *lumine naturæ notum*, animam rationalem, *non esse mortalem cum corpore*, sed manere superstitem *saltem ad pœnam vel præmium*. *Patet*: Quia aliàs sæpe virtus maneret absque præmio, vitium absque pœna cum præjudicio Legislatoris supremi; immò deficeret Natura in mediis, ad honestatem vitæ indispensabiliter requisitis.

III. Etsi positiva & naturalis immortalitas *animæ in se non sit ipso lumine naturæ nota*; *nec ratione intrinseca tam manifestè* demonstrabilis, est tamen *ex ratione extrinseca* cuivis, rationis compoti, *evidenter innegabilis*. *Ratio est*: quia *ratio physica* afferri solita quod anima post mortem nequeat deficere *ratione finis*, seu *operationum*, intellectum haud rapit. *Ratio verò extrinseca* de communi omnium Nationum sensu, atque consensu, negari haud possit.

IV. Etsi beatitudo alterius vitæ sit inter prima principia, *naturæ lumine cognita*, *quò ad existentiam*, seu *quòd sit*; non tamen est taliter cognita, *quò ad essentiam*, seu *qualis sit*, nisi sub prædicato *generico felicitatis perfectæ*, ac *quietantis*. *Patet*: Hæc enim notitia est sufficiens medium ad finem, & vitam honestè instituendam; ad efficaciam legum naturalium, Dei justitiam, ac Providentiam &c. & major, citra revelationem, ex ipso naturæ lumine, saltem evidenter, deduci nequit. *Instructionis V, §. 3.*

Ignorantia respectu Dei & juris Naturæ.

Leucotheus. An & quomodo in homine, plenæ rationis compote, dari possit ignorantia invincibilis Dei, jurisque naturalis?

Melander. I. Non est possibilis in homine, *plenæ rationis compote*, etiam ad breve tempus *invincibilis ignorantia Dei*, *saltem sub prædicato confuso, & convertibili potestatis efficaciter* obligantis, Entis *superioris*, Legislatoris *potentis mala punire*, & *præmiare bona*. *Ratio est*: quia hæc veritas est *fundamentum omnis honestatis*, & *medium indispensabiliter necessarium ad finem*, in quo nequit hominem destituere Natura. 2. Est tamen possibilis ignorantia invincibilis aliquo tempore, sub aliis prædicatis V. G. *Deitatis*, *Entis à se*, *unius*, *infiniti* &c, utpote quæ non nisi per discursus sunt eruenda.

II. Neque est possibilis in homine plenæ rationis compote etiam ad breve tempus, invincibilis ignoran-

tia

tia juris naturalis *quò ad prima principia, aut alia, cum primis evidenter connexa. Ratio est* suprà jam allegata, patétque experientià universali, cùm nullus hucusque ignorârit, *bonum esse faciendum; malum vitandum; Deum colendum; Parentes honorandos.* &c.

III. *Possibilis est, & frequenter datur ignorantia invincibilis circa alia, jure naturæ seu prohibita, seu præcepta. Ratio est:* quia Doctores de obligationibus juris naturalis frequenter docent opposita, adeóque pars alterutra, *ob ignorantiam merè vincibilem*, peccaret; immò peccâssent plures Sancti, operando bonâ fide contra obligationes Naturæ; peccarent omnes, qui operarentur secundùm sententias minùs tutas, lege Naturæ prohibitas, si Adversariis credimus; nec rarò daretur necessitas peccandi inevitabilis, quæ omnia sunt satis absurda. Unde Authoritas Antiquorum vel probaret nimiùm, hoc est, nec possibilem esse ignorantiam invincibilem *juris divini*; vel exponenda est de ignorantia merè vincibili; quo sensu nostræ thesi haud adversatur. *Instructionis V.* §. 3.

Errores protestantici. *Leucotheus. Quibus alogiis de fine actionum moralium exerrant protestantici Moralistæ?*

Melander. I. *Puffendorfius* cum suis, *spectato statu merissimè naturali*, pro fine actionum moralium *ultimato, & adæquato* adstruit *non nisi felicitatem, hujus vitæ terminis conclusam. Patet* obiter inspicienti illius scripta *de jure Naturæ & Gentium*, uti & *de officio hominis, ac civis.*

II. Sed hoc adstruit *errore*, etiam à suis Theosophis rectissimè *culpato*, quos inter *Leibnitius*, dum ait, *scientiam* juris naturalis *pulcherrimam, magna sui parte, à Puffendorfio multatam, pluráque hujus vitæ officia ab eodem sublata.* Nec nisi frivolè fucatur hic error, quasi alterius vitæ sortes solummodò *ex fide* sint cognitæ; quasi ex justitia Dei incerta sint merè *probabiles* &c. Similia enim, sicut de alterius vitæ præmio vel pœna, *merè naturali*, dici haud possunt; ita ad felicitatem æternam & supernaturalem *à Puffendorfio, non nisi per saltum, inanemque prætextum confusionis inter discretas scientias*, transferuntur.

III. Id ipsum adstruit errore *juris naturalis eversivo, periculoso, atque pernicioso. Ratio est*: quia hac ratione juris naturalis *efficacia* enervatur, deficiente præmio, quod *sufficienter* allicere possit ad bonum, & deficiente pœnâ, quæ *universaliter* absterrere possit à malo.

IV. Quòd & ipsa religio, *quatenus concernit disciplinam juris Naturæ*, sit intra vitæ hujus terminata sphæram, æqualis *Puffendorfii* error est, *malè* assertus, *pejùs defensus, impertinenter* denuò argumentum transferendo à religione naturali ad supernaturalem, salutísque æternæ operatoriam. Et quia hæc thesis æquè est sublativa præmii ac pœnæ sufficientis, ac necessariæ ad obligationem juris Naturæ *universalem, efficacem*, atque *indefectibilem*, æquè ac prior est *juris naturalis eversiva, periculosa, atque perniciosa.*

V. Denique ejusdem *Puffendorfii* error est, quo disciplinam juris Naturæ *præcipuè* externis, actionibus non internis, foro externo, non interno accommodandam esse, affirmat. Et quia hæc thesis jus naturæ mutilat *quò ad officia erga Deum, hominem ipsum*; immò & enervat *quò ad proximum*, sub inani prætextu, quasi interna spectarent solummodò Ethicam; quia est *eversiva jurisjurandi, inductiva corruptelæ in moribus*, planè *paraloga*, ac philosophiæ sanæ *dedecorosa*, eandem *Leibnitius* rectè probat juri naturali æquè *præjudiciosam, periculosam*, atque *perniciosam. Instructionis V.* §. 4.

TITULUS II.

De lege Naturæ, & Gentium, déque principio ejusdem cognoscendæ.

§. 1.

De statu hominum naturali.

§. I.

De statu hominum naturali.

L*eucotheus. Quid status hominum præcipuè naturalis?*

Inst. Jur. Nat. & Gent. Epitome.

Natura status in genere. *Melander.* I *Status* hominum *in genere morali* notat *certam* hominum *qualitatem*, seu conditionem moralem, per quam actiones liberæ legum adminiculo limitantur. Porro status

 hic

hic moralis, vel est *connatus*, vel est mediante *facto, proprio aut alieno, adscitus*; ille vocatur *naturalis*, cujus actiones limitantur solius naturæ lege; iste dicitur *adventitius*, libertatis congenitæ restrictivus, & secundùm status indolem legibus limitatus, qualis est *servitus, cælibatus, conditio conjugalis* &c.

Naturalis in specie.

II. *Status* hominum *naturalis*, in specie, est *conditio hominum, inter se æqualium, neque alterius, quàm Creatoris arbitrio, legibùsque subjectorum*. Unde colligitur prima hujus statûs proprietas, nempe *æqualitas* V. G. inter summos Imperantes. Altera *est libertas*, seu *facultas* agendi omnia suô arbitriô, independens ab omni subjectione, præterquàm quæ debita Creatori, ejúsque legibus libertatis nativæ *perfectivus* potiùs, quàm *restrictivis*. *Instructio. I.*

Non est penitùs exlex.

Leucotheus. An naturali hominis statui, ratione congenitæ libertatis, non potiùs congruat, ut penitus sit exlex?

Melander. I. Non congruit. 1. Quia ejúsmodi libertas non foret *moraliter humana*, quia potiùs cæca vago impetu, quàm oculata per actus procedentes *ex cognitione finis*. 2. Quia foret rationi *inconveniens*, cujus est actiones suas exigere ad quamdam regulam, seu *legem*. 3. Quia foret *perniciosa*, in tanta naturæ lapsæ corruptione. *Ibidem.*

Dari nequit in genere.

Leucotheus. An absolutè detur, vel etiam dari possit status hominum naturalis?

Melander. I. *In genere*, seu respectu totius Generis humani, nunquam extitit, existit, aut existere potest in moderna Creatoris Providentia: nam nunquam extitit, existit, aut existere potest extra societatem, saltem conjugalem, & absque mutua dependentia.

Etsi detur in particulari.

II. *In particulari* tamen, seu respectu singulorum dari potest, & datur, utì patet in summis Imperantibus, *quà talibus*, omni potestate humana liberis; item in solitariis plurimis, sibi solis viventibus. Unde natura gratìs dicitur tantoperè corrupta, ut *per absolutam necessitatem* indigeat imperio civili. Neque homo est animal *necessariò* semper *sociatum*; neque societas conjugalis, propagato humano Genere, absolutè in singulis necessaria est, aut præcepta. *Ibidem.*

Status naturalis non est status belli

Leucotheus. Quænam proprietas statûs naturalis?

Melander. I. Absurda est sententia *Hobbesii*, qua adstruit *statum belli*. *Ratio est*: quia falsum, quòd status naturæ lapsæ tantopere sit depravatus, ut cogat omnes sese continuò defendere, & armare contra omnes; secùs enim foret nimiùm defectuosus, neque *homo creari potuisset, ùt nunc nascitur*, quod est *Bajanum*. Accedit, quòd status belli non sit naturæ connaturalis, sed violentus, & rationi adversus.

Sed pacis.

II. Unde in ordine ad alios homines est potiùs *status pacis*. 1. Quia ad pacem inclinat ipsa similis naturæ cognatio. 2. Pacem urgent ingenita rationis dictamina: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. 3. Et ipsa nocendi facultas, ob pericula, & præjudicia propria, suadet aliorum læsione abstinere. Accedit, quòd *jus omnium contra omnes*, ùt habet *Hobbes.* in terminis chymæricum sit, ac nullum.

Puffendorfii error hac in materia.

Leucotheus. Quod circa statum hominis naturalem, potissimum sphalma Puffendorfii?

Melander. Imbecillitas, & insufficientia naturæ humanæ in statu naturæ lapsæ tantopere exaggerata, ad stabiliendum socialitatis suæ principium, ut à *Bajano* errore difficulter sit absolvendus. *Instructio I.*

§. II. §. 2.

De essentia juris naturæ, ejúsque proprietatibus.

Existentia juris naturæ.

Leucotheus. Datúrne jus naturæ?

Melander. Datur, utì contra *Carneadem patet*. 1. Communi hominum sensu. 2. Ratione recta, agnoscente legem ex conscientiæ synteresi. 3. Ex statu hominum diviso, & etiam societate, seu naturali, seu hypothetica, sine naturæ jure haud conservanda. *Instructio II. §. 1.*

Nomen.

Leucotheus. Quid nominis jus naturæ?

Melander. *Jus naturale* respicit hominem, ùt *creaturam rationalem*, à qua nomen sortitur, tanquam proprietas, à *radice* natùræ rationalis promanans. Sumi solet *impropriè pro quavis inclinatione naturali*; *metaphoricè pro instinctu naturæ*; *minùs strictè pro potestate* aliquid agendi, vel omittendi, ex concessione naturæ; *propriè* pro *lege*, seu *norma* actionum humanarum, quæ insidet menti ad discernendum honestum à turpi. *Ibidem.*

Ejus essentia non rectè explicatur per naturam rationalem.

Leucotheus. An jus naturæ cum Vasquio rectè statuitur in ipsa natura rationali?

Melander. Non. *Ratio est.* 1. Quia nititur *falso supposito*, quòd natura rationalis sit *norma moralitatis*. 2. Quia nititur *falso fundamento*, quòd *honestas*, vel *inhonestas formalis* actionum sit intrinseca, & essentialis actibus. 3. Quia natura *in se* nec præcipit, nec dirigit, aliumve legis effectum producit. 4. Quia etsi sit radix honestatis, non tamen ideò est lex. *Ibidem.*

ben-

Nec per rationis dictamen.

Leucotheus. An meliùs explicetur cum Grotio dicente, quòd sit dictamen rectæ rationis circa ea, quæ homini agenda, vel omittenda sunt?

Melander. I. *Videtur multis, quòd sic.* 1. Quia suffragatur S. Scriptura dicens: legem naturæ *scriptam in corde* esse *lumen signatum super nos &c.* 2. Quia suffragatur authoritas Patrum, & Theologorum. 3. Quia suffragatur ratio: nam lex naturæ debet esse *homini intrinseca*, quod intelligitur per solum dictamen; quia plura objecta, abstrahendo à lege Dei, *intrinsecè* mala, vel bona, uti *mendacium, honor Parentum &c.* quia dictamini conveniunt effectus legis, atque proprietates.

II. Sed verior est *negativa* sententia. 1. Quia lex constitui debet *actu* & *authoritate Superioris*: tale quid non est dictamen. 2. Quia lex debet esse *præceptiva & obligatoria*: dictamen non præcipit, sed indicat præceptionem &c. 3. Quia lex debet esse *indefectibilis*: dictamen est *defectibile*, uti ipsa natura.

III. Rationes adversariorum solummodo evincunt, dictamen esse *legis applicationem, & promulgationem.* Nam 1. lex est scripta *in corde virtualiter* per dictamen, *tanquam legis conditionem essentialem.* 2. Patres locuti non sunt *in rigore scholastico*, vocantes *legem naturæ* etiam *conscientiam, naturam rationalem, intelligentiam &c.* Theologi sunt locuti *ex falso supposito de intrinseca* actuum honestate, abstrahendo etiam à lege Divina. 3. Lex *est sufficienter* intrinseca secundùm promulgationem, & *ùt se tenet ex parte hominis*: unde de tota legislatione intrinseca negatur suppositum, uti & de *intrinsece* malis, bonisque *formaliter*, quæ per dictamen (abstrahendo ab ordinatione divina) indicantur non nisi *radicaliter* mala vel bona. Denique dictamen non parit effectus legis *ut quod*, sicut obliget *per se*; sed tantùm *ùt quo*, tanquam *applicatio legis*; neque est *superius præceptivum* propriè *in se*, sed tantùm *in alio*, seu ùt inditum à Deo, sumptúmque *reduplicativè ad legem* Dei superadditam. *Ibidem.*

Veriùs definitur per ordinationem Divinæ sapientiæ.

Leucotheus. Quænam vera juris naturalis essentia, ac definitio?

Melander. I. *Rectè definitur esse, ordinatio Divinæ sapientiæ, per dictamen syntereseos naturæ rationali manifestata, præcipiens rectæ rationi consentanea, & prohibens dissentanea.* Annectunt alii de jure naturali, *impropriè tali: vel etiam permittens indifferentia. Per Ordinationem Divinam significatur primariò* Divina voluntas obligans; *per naturam rationalem* subjectum, quod est *omnis & solus homo*; *per dictamen synteresios*, quod est judicium practicum habitûs primorum principiorum moralium, indicatur *applicatio legis*; *per* ly *præcipiens &c.* jus naturale duplex, cui *reductivè* accensetur *jus permissivum.*

II. Hæc definitio est *satis exacta*, & cæteris *melior*. 1. Quia congruit regulis. 2. Quia tribuit Deo, ùt authori naturæ, legislationem *immediatam, propriam & indefectibilem.*

III. Nec movent opponi solita: nam 1mò. lex naturalis hoc modo non est extra naturam *adæquatè, sed primariò & formaliter est* quidem in Deo; *secundariò* tamen, *& virtualiter*, tanquam signum manifestativum, est in homine *per dictamen.* 2. Distinguitur à lege Divina positiva, non tantùm *quò ad modum manifestationis per verbum internum*, sed etiam quoad causam *efficientem*, quæ est Author naturæ; quò ad *causam materialem*, quæ in se fundat *radicalem* saltem malitiam, aut bonitatem; quò ad *finalem*, quæ est *felicitas* naturæ rationalis, & sic de aliis. *Instructio II. §. 1.*

Divisio juris naturalis.

Leucotheus. Quænam genuina divisio juris naturalis?

Melander. I. *Analoga est* in jus *primarium*, quod etiam commune brutis; *& secundarium*, quod soli homini proprium.

II. *Satis recepta* est in jus *absolutum*, quod obligat *immediatè, uti* colere Deum, non mentiri; & *in conditionatum*, quod obligat *mediante* suppositione, seu conditione qualicunqne, uti rerum proprietas supposita divisione; pacta mediante contractu &c. Quia tamen jus naturale, semper idem *in se*, & absolutè loquendo, *invariabile*, hæc divisio *universaliter* non est probata.

III. *Legitima est* divisio juris Naturæ in *affirmativum*, cujus objectum est positio actûs, qui præcipitur; & *in negativum*, cujus objectum est negatio actûs, qui prohibetur. *Impropriè* addi solet jus *concessivum* vel *permissivum*, cujus objectum est actus indifferens, nec *positivè* præceptus, nec *positivè* prohibitus, qualis est libertas homini *concessa*, & servitus *permissa.*

IV. *Thomasius* non nisi inaniter Scholasticos sugillat, qui dicunt, præcepta affirmativa obligare *semper*, sed non *pro semper* v. g. *colere Parentes data occasione*; negativa obligare *semper pro semper* v. g. *non mentiri &c.* Quia communis Doctorum lingua præferenda hesterno *Thomasio. Instructio II. §. 2.*

Objectum juris naturalis.

Leucotheus. Quale objectum juris naturalis?

Melander. I. *Materiale* est omne, quod convenit naturæ rationali, ut præcipiatur; & omne, quod eidem disconvenit, ut prohibeatur ab Authore naturæ. Unde versatur 1. circa principia morum generalia *immediata: quod tibi non vis fieri &c. Deus colendus.* 2. Circa *particularia*, ex primis *evidenter* deducta, eò quòd tendant ad eundem finem, puta *felicitatem naturæ rationali propriam.*

II. Objectum *formale consistit in conformitate* principiorum *cum lege Dei, tanquam norma universali*, per quam naturæ congrua, vel dissona fiunt *formaliter honesta* vel *inhonesta*, *justa* vel *injusta &c.* Dictamen, ùt est promulgatio legis Divinæ, *& constitutivum essentiale* juris naturalis, *quò ad vim obligandi, completam*, nonnullis dicitur *forma* legis naturalis *extrinseca. Instructio II. §. 2. Q. 8.*

Proprietates juris naturalis.

Leucotheus. Quænam proprietates juris naturalis?

Melander. I. *Unitas* quò ad finem felicitatis, naturæ rationali propriæ. 2. *Uniformitas*: nam eadem est *in omnibus, & ubique* 3. *Universalitas* quò ad obligationem, omnibus communem. 4. *Evidentia* quò ad principia, saltem *prima*, sicut *invincibiliter* ignorari possit *ex toto.* 5. *Excellentia*, eò quòd sit fons, & norma cæterarum legum: *Instructio II. §. 3. Q. 9.*

Immutabilitas.

Leucotheus. An & quomodo juri naturæ competit proprietas immutabilitatis?

Melander. I. *Jus naturale, propriè tale, mutationis veræ est incapax, adeóque absolutè loquendo immutabile. Dicitur 1. Propriè tale:* unde *jus permissivum est* mutabile, superveniente necessitate, uti patet *in primæva libertate, rerúmque communione, homini concessa. Dicitur 2.* Mutationis *veræ* incapax, seu quæ *directè* afficiat ipsam legem, ejúsque obligationem, manentibus iisdem circumstantiis. Unde non negatur mutabilitas *impropria*; quæ afficit solam materiam, mutatis circumstantiis, à lege, ejúsque obligatione exemptam. Talis mutatio intercedit *in furto*, Domino consentiente &c. ubi non mutatur lex, sed materia per mutatam circumstantiam eximitur à lege. *Dicitur 3. Absolutè* immutabile, hoc est, nec per absolutam Dei potentiam. *Ratio* est: quia jus naturæ, *quo ad constitutiva intrinseca*, supposità naturâ rationali, est necessaria, sic ut delinere nunquam possit evadendo *noxia, irrationalis. vel injusta. Quò ad potestatem extrinsecam* Divinam æquè est immutabile, utpote quæ sicuti mutare nequit rerum essentias, ita nec proprietates, seu veritates, ex essentiis necessariò deductas. Multò minùs est mutabile per potestatem humanam, quia Divinæ subordinatam.

II. Ex hisce fluit, *quòd sit certò falsa & absurda Okami, & aliorum sententia, qua mutabilitatem legum naturalium, universalem, eámque propriè talem admittunt. Ratio est:* quia etsi Deo sit liberum, hominem creare; & etsi mala, vel bona sint sola prohibitione . vel præceptione Dei *formaliter* talia; supposito tamen homine, Deo liberum non est, ejusmodi mala non prohibere, vel bona non præcipere, eò quòd sint *materialiter* talia, ut adeò ejusmodi mutatio redundaret in præjudicium Authoris naturæ, quod absurdum, & certò falsum.

III. *Etsi jus naturale sit absolutè incapax mutationis propriæ, est tamen capax mutationis impropriæ tam potestate Divina, quàm etiam humana. Ratio est. 1.* Quia casu, quo materia subjecta est potestati Dei, *ùt absoluti Domini*, non aliter obligat lex naturæ, nisi hac conditione *imbibita, nisi Deus, ùt absolutus Dominus, viâ extraordinariâ aliter disponat.* Sic disposuit aliter in occisione *Isaaci* materiam eximendo, ne esset *occisio absque legitima authoritate.* Atque hæc mutatio malè à nonnullis dicitur *dispensatio*, quia non est *exemptio subditi ab obligatione legis, facta per legislatorem*: sed est potiùs *mutatio materiæ*, ne ampliùs sit sub obligatione legis; neque fit *à legislatore* sed ab *absoluto Domino.* Sed hæc mutatio non procedit in iis, quæ fundant malitiam materialem; hæc enim non sunt subjecta potestati Divinæ, eò quòd hæc mutando se ipsum faceret defectuosum, quòd implicat. *Ratio est 2.* Quia casu, quo materia est subjecta potestati humanæ, parisormiter lex non inducit obligationem *absolutam*, sed *merè conditionatam*, seu pendentem à certa conditione, quæ ab homine est auferibilis. Sic ab obligatione eximitur *materia voti* per Superiorem, quia in voto hæc intellecta conditio. *nisi Superior id justa de causa relaxet. Instructio II. §. 3. Q. 10.*

Mutatio nunquam facta per abrogationem vel dispensationem.

Leucotheus. An ergo jus naturæ nunquam mutatum per abrogationem vel dispensationem?

Melander. I. Nunquam fuit mutatum mutatione *intrinseca & propriè tali.* Nam lex de reddendo deposito, debito &c. *intrinsecè* non mutatur accedente v. g. *detrimento Reipublicæ, periculo mortis*, afficiente materiam legis: quia pro tali circumstantia, *nec lex, nec obligatio* unquam fuit propter conditionem imbibitam: *si rationabiliter petatur &c.*

II. Nec unquam fuit mutatum *dispensatione, vel abrogatione Divina propriè tali*: sic Deus cum *Osee non dispensavit in sexto: fac tibi filios fornicationum*; nec in septimo cum *Hebræis*, spoliantibus *Ægyptum*: non enim, ùt *Legislator*, eos *exemit* à lege; sed *exemit materiam*, ne esset sub lege, translato dominio, ne esse posset *abusus corporis* alieni, vel *ablatio rei alienæ.* &c.

III. Nec unquam fuit mutatum *dispensatione*, vel *abrogatione* humana, *propriè tali.* Sic in matrimonio *rato* non intervenit dispensatio Ecclesiastica, eò quòd habeatur ex contractu, non *simpliciter* obligante, sed *cum restrictione intrinseca*, ni rescindatur à potestate legitima: unde matrimonium ratum *sub ratione indissolubilitatis absoluta*,

de

de jure naturali nunquam fuit. *Instructio II. §. 3. Q. 11.*

Juris naturalis interpretatio, vel etiam epickia.

Leucotheus. An jus naturale saltem capax interpretationis, vel etiam epickiæ?

Melander. I. *Est capax interpretationis etiam humanæ.* Patet 1. *inductione*: sic præceptum: *non occides*, indiget interpretatione, qua restringitur *ad authoritatem privatam*, *& modum aggressionis.* 2. Patet *ratione*: quia lex naturalis, *quo ad aliqua saltem præcepta*, est admodum remota à primis principiis, adeóque non satis nota: ergo indiga interpretationis, utique humanæ; cùm recursus immediatus ad Deum, naturæ authorem, haberi non possit.

II. *Non tamen est capax epickiæ, propriè dictæ, seu Divinæ, seu humanæ.* Nam *epickia* propriè dicta, *est emendatio legis, qua casum in lege comprehensum, ex benigna præsumptione à lege, & legislatoris mente excipimus*: atqui talis emendatio dari nequit in præceptis naturalibus 1. Quia sunt principia vel deductiones evidentes, necessariæ, adeóque inemendabiles. 2. Quia, accedentibus circumstantiis, sub quibus obligârunt nunquam, sicuti non mutantur, ita per exceptionem nec emendantur. Sic mutilatio proprii corporis est prohibita jure naturæ, sed non nisi *noxia* corpori humano: ergo, accedente circumstantia conservandæ vitæ, *mutatur* materia legis, non *emendatur* lex per epickiam. *Instructio II. §. 3. Q. 12.*

Effectus legis naturæ.

Leucotheus. Quisnam effectus legis naturæ?

Melander. I. Effectus *primarius* est obligatio in conscientia sub pœna hujus vel saltem alterius vitæ. Quia jus naturale est regula honestatis. *Secundarius est*, quòd actus, contra legem positus, quandoque fit etiam *irritus*: uti patet in contractu ex dolo, qui versatur circa rei substantiam. Non tamen *semper*, uti patet ex contractu matrimoniali post votum castitatis simplex, qui quidem *illicitus*, sed tamen *validus*.

II. Quoties actus jure naturali est prohibitus *ob defectum potestatis*, vel *voluntatis*, aut *ob incapacitatem materiæ*, aut denique *ob turpitudinem perpetuam, ac in ipso effectu durantem*, toties est *illicitus* simul & *irritus*. *Ratio est*: quia primo triplici casu deficit *principium substantiale* ad valorem actûs necessarium; in quarto ipse valor repugnat juri naturæ. Unde *invalidum est* matrimonium alterum viva conjuge; initum ex errore substantiali, vel cum impotentia, vel inter Patrem & filiam extra casum ultimæ necessitatis. Extra hos casus, actus, etsi illicitus, est tamen jure naturæ validus; quia concurrunt requisita ad substantiam actûs; sic validum est matrimonium contractum cum voto simplici castitatis, venditio ultra justum pretium &c. *Instructio II. §. 4. Q. 13.*

§. III.

§ 3.

De principio dignoscendi juris naturalis.

De objecto juris naturæ regulativo, seu fundamentali principio dignoscendi juris naturalis.

Status quæstionis.

Leucotheus. Quis status quæstionis?

Melander. Non quæritur, *quale* sit objectum juris naturæ, sed *quale sit principium ejus* dignoscendi. Hic in re *cardo difficultatis*: Quia jus naturæ quidem congenitum; sed in multis minimè clarum. *Dari* tale principium, constat partim ex *principiato*, seu ipso jure naturæ; partim *ex intellectu*, variis principiis moralibus instructo, etsi, quale sit *fundamentale*, satis sit controversum. *Instructio III. §. 1. Q. 1.*

Leucotheus. Quid & quale est hoc principium?

Qualitas hujus principii.

Melander. I. *Per hoc principium* intelligitur *propositio generalis, immediatè nota in se, & sic fundata in natura humana, ut ex ea, veluti radice, omnia & sola juris naturalis capita, vel ultro fluant; vel facilè deducantur.* Unde non est principium *essendi* juris naturæ; seu *causa*, quam constat esse *ordinationem* Divinam; sed est principium *cognoscendi* hujus juris. Discrimen inter *normam* actionum humanarum, seu ordinationem Divinam, & *principium* juris naturalis est, quòd illa sit *principium obligationis*, hoc verò *medium probandi*.

II. *Proprietates* hujus principii sunt: 1. Ut sit *primum*; secus non foret *principium*. 2. Sit *unicum*; secus foret *incertum*; quia non determinatum. 3. Sit *naturæ intrinsecum*? secus non foret radix *immediata*, & *propria*. 4. Sit *verum*; nam falsum, vel fictum inutile. 5. Sit *evidens*, & cuivis notum *in se*, seu *secundum se*, aliàs non foret ad captum cujusvis, etsi jus naturæ debeat cognoscere quivis, etiam Gentilis. 6. Sit *proprium*, hoc est, soli cognoscendo juri accomodum; secùs confunderet jus naturæ cum positivo, seu humano, seu Divino. 7. Sit *adæquatum*; hoc est, *omni* cognoscendo juri accomodum; secus enim foret imperfectum, ac mancum. *Instructio III. §. 1. Q. 2.*

Ejusdem Sphæra quò ad objecta dignoscenda

Leucotheus. Quænam illa officia sola & omnia, è memorato principio dignoscenda, ut verè proprium ac adæquatum dici possit?

Melander. I. Supponendum, quòd quidem *omne*, seu rationi conforme, seu difforme sit objectum *naturæ rationalis*; non tamen *juris naturalis*: hoc enim non versatur circa ea, quæ quomodocunque: sed solùm circa ea, quæ *simpliciter* sunt conformia, vel difformia

ta-

rationi, hoc est, quæ ad felicitatem *naturæ rationali propriam*, siquidem *salva* manere velit, tam sunt requisita, ut fundent *necessitatem in natura*, vi cujus non possunt non esse *prohibita*, *præcepta*, vel saltem *permissa*. 2. Porrò *felicitas*, naturæ rationali propria, *integraliter* consistit in bonis tam externis, quàm internis; *formaliter* in conjunctione cum Deo per *cognitionem, & amorem* naturalem. 3. Hinc, cùm hujusmodi objectis, seu naturæ legibus respondeant triplicis generis officia, erga Deum, nos ipsos, & alios, hæc *omnia*, & *sola* à fundamentali principio deducenda sunt.

II. Exinde fluit. 1. Officia *qualiacunque*, erga Deum, seipsum, & proximum, *in mera virtute fundata*, esse extra sphæram naturalis juris; ea verò *sola* & *omnia*, quæ fundantur *in naturæ debito necessario*, atque obligatione *indispensabili*, esse *propria* naturalis Jurisptudentiæ, utpote participantia *rationem justitiæ*, seu *objectum formale* hujus disciplinæ. 2. Quænam autem officia fundentur in naturæ *necessario debito*; immò & ipsa *exigentia* natutæ, éique respondens *obligatio*, seu *debitum necessarium*, desumendum est *ex fine*, seu felicitate, naturæ rationali propria: quæ enim officia tam *necessariò exigit* natuta, ut iis neglectis detrimentum pateretur ejus felicitas, sic ut foret malè constituta, illa sunt *absolutè debita*, seu monstrant naturæ *exigentiam* absolutam, éique respondens *debitum necessarium*. 3. Porrò hoc debitum fundat jus *strictum* in officiis *perfectis* erga Deum, & proximum, qualia, *coactioni quoque* subjecta, sunt *Deum colere, jus suum cuique tribuere, neminem lædere* &c. sic ut contraveniens his officiis dicatur *formaliter injustus*. In officiis erga se ipsum fundat jus *minùs strictum*, sic ut ea negligens dicatur *injurius*, vel *inhonestus*. In officiis, erga proximum *imperfectis*, qualia *coactionis expertia*, & absque ullo incommodo præstari possunt, uti sunt *petenti monstrare viam, sitienti permittere haustum frigidæ* &c. fundant *æquitatem naturalem*, sic ut horum *incurius* rectè dicatur *iniquus*. 4. Et in hoc sensu admittimus *principia honesti*, quæ dirigant officia *respectu sui*; *principia justi, & decori*, quæ dirigant officia *perfecta*, & *imperfecta* respectu proximi, & etiam ipsius Dei. Sed hæc principia *nisi fundata* sumantur *in natura necessario debito*, ad disciplinas alias, à Jurisprudentia naturali distinctas, ablegamus. *Instructio III. §. 1. Q. 2.*

Conceptus hujus principii.

Leucotheus. Quisnam conceptus principii fundamentalis, memoratis proprietatibus conformis?

Melander. I. Videtur ita enuntiandus: *fac, vel omitte ea, quæ ex amore Deo, tibi, & proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam necessario, facienda, vel omittenda sunt.* Ex hoc principio lex universa naturæ pendet, dignoscitur, ac à lege positiva sequestratur. Inde

II. *Inferes* 1. Illud *omne*, & *solum*, seu graviter seu leviter est *jure naturæ prohibitum*, quod graviter, seu leviter *repugnat amori, Deo, tibi vel proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessario.*

III. *Illud omne*, & *solum*, seu graviter seu leviter est *naturæ jure prohibitum*, quod strictè, vel minùs strictè *exigitur ab amore, Deo, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessario.*

IV. Illud *omne*, & *solum* est *jure naturæ licitum, concessum, seu permissum*, quod nec absolutè repugnat, nec *absolute* exigitur *ab amore, Deo, tibi, vel proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessario. Instructio III. §. 1. Q. 4.*

Leucotheus. Quæ declaratio conceptûs? — *Declaratio conceptus.*

Melander. I. *Dicitur* 1. Ex *amore*, qui — *Ex amore,*
cùm sit cuivis insitus à natura, sat notus est *experimentaliter*. Illud patet, hìc non intelligi *amorem sensitivum*, sed *rationalem*, qui noscitur esse *affectio animi, qua quis sibi, vel alteri bona cupit, ea procurando, & mala opposita amovendo, sic ut in boni præsentia, malique absentia, veluti felicitate desiderata quiescat, & delectetur.*

Dicitur 2. *Ex amore erga Deum, se ipsum, & proximum*: tot enim sunt entia, quibus amoris quædam officia ab homine ex naturæ lumine, præstari fas est. — *Deo, sibi, & proximo*

Dicitur 3. *Ex amore naturaliter debito*, hoc est, in natura rationali, ejúsque exigentia *fundato*, sic ut non sit amor quidam ethicus *meræ devotionis, beneficentiæ*, seu *humanitatis*, vel etiam *amicitiæ*, qualem admittere videtur *Heineccius*: sed *amor*, naturali Jurisprudentiæ *proprius*, hoc est, *amor justitiæ* tam *rigorosæ*, quàm *minùs rigorosæ*, prout notat æquitatem, in naturæ debito fundatam, utpote cujus objectum formale est *honestas illa*, quæ apparet in tribuendo cuivis bono naturaliter debito. — *Naturaliter debito.*

Dicitur 4. *Ex amore necessario* &c. non quidem necessitate *potentiæ ad actum*; sed necessitate *medii ad finem*, ut illicò pateat, qualis sit *amor ille naturaliter debitus*: nam is solummodò est *naturaliter debitus*, qui ad finem, naturæ rationali præfixum, *felicitatem* scilicet, *naturæ rationali propriam*, est *strictè*, vel minùs *strictè necessarius*. Talis autem erit ex dictis supra, si eo servato manet — *Quia necessario.*

net ſalvas eo neglecto ex parte deficit illa felicitas, ſic ut neglectis amoris officiis ſeu *perfectè*, ſeu *imperfectè*, natura redderetur *poſitivè*, vel *negativè* infelix, atque defectuoſa.

Ad felicitatem, naturæ rationali propriam. *Dicitur 5. Ad felicitatem, naturæ rationali propriam:* hanc *ipſa experientia* ſitam eſſe docet *in fruitione boni, in cujus homini undequaque bene eſt*, ſeu *in pace, & tranquillitate vitæ totaliter quietante.* Erit *totaliter* quietans, ſi quis fruatur pace cum Deo, ſecum ipſo, & proximo; fruetur, *quantum in ſe eſt*, ſi amore *juſtitiæ, ſeu naturalis æquitatis* cuique debitum reddat, hoc eſt, ſi rationem *Deo*, corpus *rationi*, ſubordinet, proximóque tam *perfectè*, quàm *imperfectè* debita officia impendat. Etſi autem hæc *adæquata* felicitas ſit *naturæ rationali propria*, loquendo *ſimpliciter*, non tamen eſt propria *eodem modo*: ſic *pax cum proximo*, ùt notat commoda tranquillæ vitæ externa; *pax ſecum ipſo* ùt ſupponit bona fortunæ, & corporis extrinſeca, inſufficientia mediorum pro ſuſtentanda vita, in ſanitate corporis &c. Immò & *pax ſecum ipſo*, ùt notat bona animi interna in multiplici habitu virtutum naturalium, ſunt finis à natura intentus, ſed *ſecundariò*; ſunt felicitas, naturæ rationali propria, ſed tantùm *integralis*, nec abſolutè *neceſſaria*, nec *ſufficiens*, quia illa merè *extrinſeca, auferibilis*, ſaltem per mortem, ac animæ ſpirituali *improportionata*; hæc intrinſeca quidem, ſed tamen nec *pura*, nec *ſatiativa*, uti titulo primo fuſiùs declaratum. Intenditur ergo utraque à natura, ſed *integraliter, & ſecundariò*, ſeu *cum debita ſubordinatione ad felicitatem formalem*, ſeu *ſubſtantialem*, & *primariò* intentam, conſiſtentem in conjunctione cum Deo per cognitionem congruam, & amorem, quæ ſola *neceſſaria, ſatiativa, inauferibilis*, in hac vita ſic inchoanda, ut in altera ſit complenda, efficiátque felicitatem hominis *completam, & conſummatam. Inſtructio III. §. 1. Q. 4.*

Probatio conceptûs. *Leucotheus. Quibus rationum momentis ſtabilitur hic conceptus?*

Melander. I. Quia illi conveniunt proprietates, ad legitimum principium ſuprà requiſitæ: nam eſt principium *primum*, ſiquidem amor eſt medium, quod *per ſe & immediatè* fundat felicitatem, naturæ rationali propriam, eidem pro fine præfixam, à qua felicitate, ſeu fine hoc medium eſt ſuô modô *indiſtinctum*: cæteræ leges, quales V. G. ſunt, *non blaſphemabis, non furtum facies* &c. *immediatè* fundant amorem, *mediante amore* felicitatem: ergo amor eſt principium, quod non ex alio, & ex quo alia: ergo *primum*. 2. Eſt *unum* in amore, & *ſimplex*, etſi reſpiciat objectum *triplex*, quod tamen per *ſubordinationem* coadunatum. 3. Eſt *naturæ intrinſecum*, uti patet. 4. Eſt *verum*, uti probabit applicatio. 5. Eſt *notum in ſe*, ac *evidens*: nam *felicitatem ut finem*, cuivis etiam rudi prodit naturalis inſtinctus; *amorem, ut medium*, manifeſtant prima principia: *quod tibi non vis fieri, &c. Evidentia* concluſionum, ſeu legum naturalium cum *hoc principio* clareſcet ex applicatione, etſi evidentia minor eluceſcat ex *mediatis*, quæ tamen ſufficiat ad intellectum, ritè diſpoſitum, convincendum. 6 Eſt *proprium*: nam adſtruit amorem *neceſſarium*, in naturæ debito fundatum, adeóque diſtinctivum ab amore qualicunque, fundante leges poſitivas, vel etiam virtutes. 7. Eſt *adæquatum*: non enim aſſignabile præceptum, quod ſub illo *tanquam communi axiomate*, non ſit comprehenſum.

II. Quia amor eſt *fundamentum* finis, à natura intenti, nempe felicitatis, naturæ rationali propriæ: ergo etiam eſt *fundamentum* mediorum, quæ intenta ad finem: atqui hæc ſunt leges naturales, *propter convenientiam ad finem* in hoc ipſo amoris principio fundatæ. Neque ſequitur, quòd finis ſit *utilitas* qualiſcunque, à ſingulis, vel ſaltem à toto humano Genere abdicabilis: nam eſt felicitas, à Creatore in finem præfixa, & præcepta, adeóque fundans obligationem juris tam internam, quàm externam.

III. Quia amor ſupernaturalis eſt *principium fundamentale* omnium legum Divinarum, dicente *Chriſto*: *Diliges Deum ex toto corde, & proximum, ſicut te ipſum: in his duobus præceptis univerſa lex pendet*: (a) dicente *Apoſtolo*: *amor eſt plenitudo legis* &c. *non adulterabis, non occides, non furaberis* &c. *& ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuum ſicut te ipſum* (b) ergo amor naturalis eſt etiam *principium fundamentale* legum naturalium. Sequela videtur tenere *propter identitatem rationis*. 2. Quòd jus naturale contineatur in Divino poſitivo, à quo partim firmatur, partim perficitur. *Inſtructio III. §. 1. Q. 5.*

Leucotheus. Qua ratione per ipſam applicationem magis firmatur noſtrum principium? *Applicatio conceptûs.*

Melander. I. Applicatio, *quò ad ſingula juris naturæ capita* dabitur per decurſum.

II. *Inter præcepta negativa eſt gravis* prohibitio *idolomaniæ, mutilationis propria,*

(a) Matt. 22. 40.
(b) Rom. 13. 9.

pria, *furti* &c. quia repugnant amori, Deo, ſibi, & proximo naturaliter debito, hoc eſt, ad pacem cum Deo, ſecum ipſo, & proximo conſervandam, in qua ſita felicitas, naturæ rationali propria, *ſimpliciter* neceſſario, ac requiſito. Inter eadem eſt prohibitio levior *mendacii*, *detractionis* &c. in leviore materia: nam & iſta repugnent amori, proximo naturaliter debito: quia tamen conjunctionem mutuam ſolummodo laxant, non tamen penitus diſſolvunt, repugnant amori, *minùs ſtrictè* debito, hoc eſt, ad felicitatem naturæ rationali propriam, non *ſimpliciter*, ſed minùs *ſtrictè* requiſito.

III. *Inter præcepta affirmativa* eſt gravis obligatio *colendi Deum*, *refrenandi cupiditates*, *proximo præſtandi officia in extrema neceſſitate* &c. Quia hæc *exiguntur* ab amore, non *qualicunque*, ſed Deo, ſibi, & proximo *naturaliter* debito, hoc eſt, ad pacem, ac felicitatem, naturæ rationali propriam, *ſimpliciter* neceſſario. Inter eadem eſt obligatio etſi *levior*, proximo exhibendi officia amoris, quæ *ſine incommodo proprio* exhiberi poſſunt, qualia ſunt *digito monſtrare viam erranti*, *petenti dare conſilium*, *ſitienti permittere aquæ hauſtum*, &c. Quia & hæc ſunt conformia amori, non qualicunque *humanitatis*, ſed *æquitatis*, in naturali obligatione fundatæ, & licèt hic amor *abſolutè* neceſſarius non ſit ad felicitatem, naturæ rationali *ſimpliciter* propriam, eſt tamen neceſſarius *minùs ſtrictè*, cùm ſine ejusmodi debito natura rationalis, non ſatìs rationabiliter, & bene conſtituta foret.

IV. *Inter indifferentia*, ſeu naturæ jure *conceſſa*, atque *permiſſa*, eſt bonorum *diviſio*, & *ſervitus*, juſto bello inducta: nam neutra *abſolutè* concordat, vel repugnat *amori*, ad felicitatem, homini propriam, *ſimpliciter neceſſario*: nam, abſque medio diviſionis *determinatæ*, ſervari poterat communis pax, atque felicitas; & ipſa *ſervitus*, ſuppoſito delicto, optabilior homini eſt, quàm mors, à victore hoſti licitè inferenda. *Inſtructio III.* §. 1. *Q.* 6.

Confirmatio conceptûs negativa per ſolutionem replicarum.

Leucotheus. Quomodo hoc ipſum principium ſtabilitur argumento petito è ſolutis replicis?

Melander. Oppoſitiones adverſariorum nihil evincunt: ergo ſalvum manet principium. Nam

I. Conceptus eſt ſatìs *clarus*, ſaltem *negativè*, eò quòd *clarior* proferri nequeat, *debitis proprietatibus* instructus. Et licet ſuccinctiùs ſorſan exprimi poſſet, nihil refert, modò ſervetur ſubſtantia *amoris debiti*, *quia neceſſariò requiſiti*.

II. Multa ſunt *conformia*, vel *difformia* amori, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſario, utì *clandeſtinum matrimonium*, quod eſt difforme amori proximi, ad felicitatem publicam requiſito propter innumera incommoda, quin tamen ſit naturæ jure prohibitum: at non ſunt conformia, vel difformia amori, ad felicitatem *ſimpliciter neceſſario*; hæc enim *abſolutè* haberi poteſt, & habita fuit, non obſtante matrimonio clandeſtino: *unde major illa felicitas* eſt extra ſphæram *juris naturæ*, ut ne præceptis naturæ nimiis homines obruerentur.

III. Sunt aliqua, naturæ jure prohibita V. G. *vindicatio ſui privata*; *occiſio Tyranni propriâ authoritate*; *mendacium*, *conſervandæ Reipublicæ gratiâ proferendum*, &c. etſi ſint *conformia amori*, in ordine ad felicitatem propriam, vel publicam neceſſario: at ſunt conformia ſolùm *per accidens*, & *in caſu particulari*; *per ſe*, & *ſpectata felicitate communi*, ſunt difformia amori, ſaluti Reipublicæ naturaliter debito, & *ſimpliciter* requiſito. Nam, quò ad dictas inſtantias, licentia *in caſu particulari*, propter naturæ corruptionem, vergeret in communem perniciem, ut adeò naturæ jure meritò ſit adempta.

IV. Sunt aliqua, jure naturæ præcepta, *utì ſolutio æris alieni* &c. quæ non videntur fundari *in amore*, utpote virtute, coactionis experte: at fundantur tamen in amore, non quidem qualicunque, ſed juſtitiæ, qui capax eſt obligationis externæ, utì patet in præceptis decalogi: *non furaberis* &c. etſi *Chriſtus* ipſe ea fundaverit *in amore*, dicens: *in hoc univerſa lex pendet.*

V. *Amor* in ordine ad felicitatem, naturæ rationali *adæquatè* propriam, cuivis ex debito exhibendus, eſt fundamentum ſufficiens ad obtinendum hunc finem *per ſe*; etſi *per accidens* & ex alieno delicto, non obtineatur felicitas *ſecundaria*, & *integralis*: obtinetur tamen ſemper *felicitas ſubſtantialis*, conſiſtens *in pace cum Deo* per cognitionem, & amorem, ſaltem poſt fata beantem. Hæc enim *independens*, *inauferibilis*, non *ſubordinata*: contrà *integralis* privata ſubordinanda eſt felicitati publicæ, publica felicitati ſubſtantiali, quæ *finis primarius*, naturæ rationali à Creatore præfixus: unde ſi tyrannus minitaretur excidium toti Reipublicæ, vel ſi per dæmones immineret interitus toti Societati humanæ, *ni Deus admitteret*, excidium ferendum foret.

VI.

VI. *Amor*, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſarius, non intendit quidem felicitatem *merè privatam*, & *abſque debita ſubordinatione*; intendit tamen felicitatem, toti Generi humano, ſeu omni homini, non tantùm *collectivè*, ſed & *diſtributivè* propriam, ac communem. Unde licèt *occiſio ſui ipſius, fornicatio interna, mollities, blaſphemia immediatè* repugnent amori Deo, ſibique naturaliter debito, hoc eſt, ad pacem cum Deo, & ſecum ipſo conſervandam, ſimpliciter neceſſario; *mediatè* tamen repugnant quoque amori proximis debito, quatenus hæc mala redundant quoque in ipſam Societatem humanam, ejúsque felicitati *indirectè* adverſantur. *Inſtructio III.* §. 2. *Q.* 7.

Confirmatio conceptûs negativa per rejectionem aliorum principiorum.

Leucotheus. Quomodo hoc ipſum principium roboratur omnium validiſſimè argumento altero negativo per rejectionem aliorum principiorum?

Melander. Hoc modo: nequit afferri in medium principium juris naturalis dignoſcendi *exactius*, & proprietatibus requiſitis *conformius*: ergo hoc cæteris præferendum. *Inſtructio III.* §. 2. *Q.* 8.

De principio convenientiæ, & homine hypothetico.

Leucotheus. Quid ſentiendum de principio convenientiæ, vel diſconvenientiæ in ordine ad felicem ſtatum naturæ humanæ?

Melander. I. Statuit pro fine *bonum univerſale totius naturæ humanæ*; pro principio *convenientiam*, ſic ut illud ſit *præceptum*, vel *prohibitum* jure naturæ, *quod ad felicem ſtatum naturæ humanæ ſimpliciter expedit eſſe præceptum, vel prohibitum, licitum, vel illicitum.* Quia autem redit quæſtio, *unde* quivis dignoſcat, quidnam *ſimpliciter expediat*, vel *non*? alteram jungunt regulam: *id omne ſimpliciter expedit, vel non expedit, in cujus licentiam, vel prohibitionem homines conſenſiſſent, ſi ante omnem caſum particularem, ab Authore requiſiti, ſuffragium tuliſſent.* Probant ſuum Principium 1. Authoritate magna ex Theologis, & Jureconſultis orthodoxis. 2. Ex applicatione ad ſingula, quæ non fallit.

II. *Non ſatisfacit hoc principium*: quia caret *proprietatibus requiſitis.* Nam 1. non eſt *notum* ſecundùm ſe: nam redit quæſtio, unde? cui reſpondetur per judicium hominis hypothetici. 2. Non eſt *unicum.* 3. Nec omni ex parte *verum*, utpote nixum judicio hominis *ficti*, ac *hypothetici.* 4. Nec *intrinſecum* ſecundùm alteram regulam. 5. Nec denique ſatis *proprium*, ac *adæquatum*: ſi enim per felicem ſtatum naturæ humanæ intelligant *felicitatem* merè *integralem* (uti videntur intelligere) homo obligatus ad ſe, ſuáque conſecranda pro ſalute communi; ipſa communitas obligata ad ſe conſecrandam pro cultu, uni Creatori debitô, careret fine, ſeu *felicitate*, adeóque *jure naturæ* obligari haud poſſet, quod certò falſum.

III. Neque ſatisfacit explicatio *Balthaſaris Wernheri*, qua *convenientiam*, vel *diſconvenientiam* declarat, ut, ſi quid *omitteretur*, vel *fieret ab omnibus, humano Generi pereundum eſſet*, illud dicat *naturæ jure* præceptum, hoc verò prohibitum; quod verò ita comparatum non eſt, inter *indifferentia* numeret. *Rationem* petit. 1. Ex *æqualitate naturæ* in omnibus, unde quod uni licitum, omnibus licitum, & contrà. 2. Ex fine naturæ præfixo, conſervatione naturæ, & communi ſalute. Sed hoc principium non eſt *ſufficiens*; nam ſiſtit in conſervatione, & ſalute mere externa, & temporali, ſeu fine naturæ *inadæquato*, *minúsque principali.* 2. Non eſt *proprium*, & *adæquatum*: nam ſequeretur, *agriculturam* naturæ jure præceptam; *cælibatum* verò prohibitum, & ſic de aliis. *Inſtructio III.* §. 2. *Q.* 8. & 9.

De principio ſocialitatis ſenſu Acatholicorum.

Leucotheus. Quomodo intelligendum principium ſocialitatis, Puffendorfio, ejúsque ſequacibus tantopere deprædicatum?

Melander. I. *Puffendorfius* pro fundamento ſtatuit hoc axioma: *cuivis homini; quantum in ſe eſt, colendam eſſe ſocietatem*: unde deduxit, quæ ad iſtam ſocialitatem *neceſſariò, & in univerſum* faciunt, jure naturæ *præcepta*; quæ eandem turbant, naturali jure eſſe *prohibita. Breviter, Thomaſius. fac ea, quæ neceſſariò conveniunt cum vita hominis ſociali, & quæ eidem repugnant, omitte. Rationem* afferunt 1. *A priori.* Quia homo eſt animal tam ſui conſervandi *ſtudioſum*, quàm *impotens* ſine ſimilium ope; tam *idoneum* ad promovenda mutua commoda, quam ad impedienda *malitioſum*; adeóque *ſalvus* eſſe ſi velit, ſocialitatem colat, neceſſum eſt. 2. Quia ipſa natura hominem *ad ſocialitatem* inſtruxit, ùt patet in loquela, *ſoli homini* ad communicationem mutuam indita, in appetitu iraſcibili, & concupiſcibili, aliisque potentiis, quæ forent cuncta fruſtranea, niſi *ad ſocietatem* homo natus eſſet. 3. *A poſteriori.* Quia hoc principium *evidens*, cùm *in ſenſus* incurrat; eſt intrinſecum, utpote è dictamine rationis depromptum; eſt *adæquatum*, & *ſufficiens*, cùm officia erga Deum & ſemetipſum, *ſaltem indirectè*, ex hoc principio profluant.

II. *Sed non convincunt hæ rationes.* Nam 1. Illa hominis impotentia, à *Puffendorfio* in ſocialitatis gratiam tantopere exaggerata, etſi inducat *magnam*, & quamdam *indeterminatam* neceſſitatem colen-

colendæ cujusdam societatis, saltem *coniugalis pro toto genere humano*; non tamen inducit necessitatem *absolutam* incolendæ societatis *pro singulis*, uti patet ex vita plurimorum solitaria, qui felicitatem *substantialem*, sitam in pace cum Deo; immò & pacem secum ipso faciliùs consequentur.

2. Sermonis capacitas, naturæ dispositio, & ad societatem inclinatio tantùm evincit aliquam societatem, nempe *conjugalem*, esse absolutè *necessarium, & necessariò* colendam à Genere humano, non autem communem quamdam, *nisi ad melius esse*.

3. Proprietates genuini principii non tralucent ex socialitate, uti illicò apparebit. *Instructio 3. §. 2. Q. 10. & 11.*

Sensus Catholicorum.

Leucotheus. Quid absolutè tenendum de socialitatis principio?

Melander. I. *Est principium proprietatibus debitis destitutum, adeóque illegitimum.* Nam 1. Non est *principium primum*, quia *inclinatio* illa naturæ ad vitam socialem in ordine ad obtinenda exinde commoda, fluit tanquam effectus ex amore, sibi naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturæ humanæ propriam, sitámque *partialiter* in conservatione sui & propagatione speciei, simpliciter necessario: unde deducimus socialem vitam, saltem conjugalem, seu societatem familiæ esse de jure naturæ præceptivo, sed indeterminato, puta non quidem singulos, sed humanam speciem obligante.

2. Non est *principium adequatum*, quia fatente ipso *Puffendorffio*, haud aptum ad eruenda, *saltem directè*, officia hominis erga Deum, & semetipsum. Unde illa sequestratio inepta horum officiorum ad Theologiam naturalem, moralem, vel ethicam, quam *Puffendorfiani*, veluti socialitatis asylon, toties inclamant. Immo nec est *adequatum* & *sufficiens* respectu officiorum erga alios, quia respicit solam felicitatem *externam*, & vitæ hujus terminis conclusam, non *substantialem*, etiam ultra fata suo modo extensam; non *sufficientem*, quia *auferibilem*; non *adæquatam*, quia *partialem*, & minùs *principalem*, ùt sæpe jam demonstratum.

3. Non est *principium proprium*, quia non in *absoluta necessitate fundatum*: unde est, quòd *Puffendorfius* jus gentium, cum naturæ jure confundere sit coactus.

4. Non est *principium verum*, ut ne dicam *evidenter notum*: nam nititur non uno principio *certò falso*. Supponit enim *hominem in societate*, extra quam jus Naturæ *aliu* non fuerit, nec esse possit, id quod *in Adamo* certò falsum. Supponit hominem, adeò in miserias *projectum & miserabilem*, ut extra societatem nullatenus possit sibi esse sufficiens, id quod in anachoretica vita certò falsum. Supponit finem adæquatum juris naturæ esse felicitatem *mere externam*, & quidem *solis hujus vitæ terminis conclusam*, id quod denuò certò falsum, uti constat ex dictis. Supponit jus naturæ *ad interna* non trahendum, sed *ad usum fori præcipuè humani* esse aptandum; unde principium redditur *in præcipua parte juris* naturæ mancum, inutile, atque defectuosum.

II. *Est principium, spectatis suis suppositis, etiam reprobum, adeòque nullatenus cognoscendo naturæ juri accommodum. Patet 1.* Quia evertit vitam solitariam omnem, veluti naturæ juri *directè* oppositam. 2. Quia leges naturæ exigit ad finem, nequaquam *sufficientem*, solius nempe societatis humanæ commodum *merè temporale*, felicitatem *externam*, neglectâ primariâ, *& substantiali*. 3. Quia negligit *interna*, & extra juris naturæ sphæram amandat, in quibus tamen *honesti principia* præcipuè fundantur.

III. Est *principium ab hac censura per Thomasium & alios, nequidquam vindicatum.*

Nam 1. Internorum cura, & officia erga Deum *malè*, quia nonnisi socialitatis defendendæ causâ, ablegantur ad Ethicam, & Theologiam moralem, utpote quæ, *in quantum fundantur in naturæ debito absoluto*, sunt jurisprudentiæ naturali propriissimè propria. Hinc disciplina juris naturalis, ùt tradita à *Puffendorfio*, sine his officiis dimidiata, truncata & imperfecta est.

2. Neque confunditur à nobis *lex naturæ* cum *norma virtutis*, ethicæ propria: nam lex naturæ, etsi intendat *bonum commune*, intendit tamen *commune* non tantùm in sensu *collectivo*, sed etiam *distributivo*: unde convenit etiam singulis, & præcipiendo interna, non intendit bonum *unius* vel *aliquorum*, sed *omnium* distributivè, quibus natura rationalis communis est, id quod sufficit *ad rationem legis*, distinctæ à præcepto, vel etiam virtute, ad finem solummodo *particularem* ordinata.

3. Lex naturæ est *ad alios*, sed inter alios non est solus proximus, seu societas humana, sed etiam Deus, immo homo ipse, ùt depositarius Creatoris, *fictione juris* à se distinctus. Eadem sortitur effectum *inter homines* solâ obligatione interna *per se* loquendo: *per accidens* nec *lex pœnalis* externa ab hominibus superaddita, sortitur semper effectum, id quod non requiritur.

4. Actiones à virtute, seu amore qualicunque profectæ, dicuntur *bona*, profectæ ab amore justitiæ, seu

fun-

fundatæ in naturæ debito necessario, dicuntur etiam *justæ*, & spectant ad jus naturæ. *Instructio* III. §. 2. Q. 12.

De aliis aliorum Authorum principiis. *Leucotheus. Quæ alia principia memoratu digniora?*

Melander. I. *Joannes Heineccius* & ipse adstruxit *principium amoris*, quod tamen per triplicem amorem *justitiæ humanitatis, & beneficentiæ* non satis *proprium* reddidit. Cæterùm inter protestanticos Moralistas videtur esse *Primipilus*.

II. *Clarissimus P. Böckhn* pro principio nuper attulit axioma triplex. *Unionem cum Deo, dilectionem sui ipsius, & socialitatem cum proximo*: sed hoc principium priore magis confusum, in socialitate etiam *est defectuosum*.

III. Sunt Theologi, qui assignant pro principio *convenientiam, vel disconvenientiam cum sanctitate divina*. Sed quis non videt defectum *claritatis, atque proprietatis*?

IV. Sunt cum *Henningio*, qui pro principio præceptorum *decalogum* adstruunt. At decalogus non est principium *à priori*, à quo desumas naturæ jura, sed ratio *à posteriori*, quæ leges, e principio deductas, promulgat.

V. Alii cum *Henrico Kemmerichio felicitatem societatis humanæ* pro principio statuunt, sic ut internam per principia *honesti*, externam cum proximo per principia *decori*; publicam cum societate humana per principia *justi* declarent. Sed hæc omnia neque satis *simplicia* & *determinata*, *nec soli* juri naturæ *propria*, nec respectu felicitatis *substantialis* satis *adæquata*, vel primo intuitu apparent. Adhuc inaniùs in hoc felicitatis principio (quod tamen *finem* rectiùs dicerent) arguntur *Henrici, Kœleri, Laurentii, Fleischeri* & alii, quos memoratu minùs dignos judicamus. *Instructio* II. §. 2. Q. 13. & 19.

§. 4.

§. IV.

De jure gentium. ### *De jure Gentium, ejúsque essentia, proprietatibus, & objectis,*

Ejus existentia. *Leucotheus. Daturne jus Gentium?*

Melander. I. *Datur*, uti convincit *authoritas communis*, & ipsa ratio monstrat, societate à Gentibus inita esse necessariam normam, secundùm quam in negotiis publicis ritè instituatur societas.

II. Inde negatur suppositum, quòd necessaria sit convocatio gentium ad consensum *expressum*, cùm sufficiat *tacitus*, uniformi usu sat declaratus. Neque refert, quòd jus istud sæpe negligatur à Gentibus: nam non observantia probat solummodo *abusum juris existentis*, non *defectum existentiæ*. *Instructio IV.* §. 1. Q. 1.

Leucotheus. An jus gentium à jure naturæ specie distinctum? *Distinctio specifica à jure naturali.*

Melander. I. Sunt cum *Hobbesio*, *Pufsendorfio, & Thomasio*, qui jus naturæ & Gentium non *specie*, sed *subjectis*; non *re*, sed *sola denominatione*, & quò ad *applicationem extrinsecam* distinctum volunt, sic ut, si spectetur jus illud in negotiis singulorum hominum, *jus naturæ*; si in negotiis Gentium, *jus gentium* appellare consueverint.

II. *Rationes afferunt*. 1. Quia jus civile nòn distinguit, *jus naturæ* non semel vocans *jus gentium*. 2. Quia, teste *Seneca & Cicerone* societas inter gentes est *juris naturæ*: ergo & leges, velut necessaria media. 3. Quia securitas Gentium exigit jus *immutabile*. 4. Quia pro jure distincto *consensus* gentium *expressus* gratis; *tacitus* frustra, & sine sufficienti fundamento adstruitur. 5. Quia si adstruitur *pactum*, illud obligat jure naturæ; si *usus* & *consuetudo*, nequit assignari superior, à quo probetur. 6. Quia, quæ dicuntur juris gentium, veriùs adscribuntur juri naturæ.

III. *Sed rationes istæ identitatem specificam utriusque juris minimè evincunt.*

Nam. 1. Jus civile, distinctionis incurium, jus utrumque *evidenter* confudit, loquendo *in sensu latiore*, & ex *falso* Antiquorum *supposito*, quod jus naturæ sit etiam *animalibus commune*, etsi alibi se correxerit, *jus gentium* vocando id *quod usu exigente, & humanis necessitatibus sibi gentes constituerunt*. 2. Societas inter gentes non est à jure naturæ *præceptivo* seu *formaliter*; sed à solo *concessivo*, & merè *originaliter*, tanquam principio, ad societatem sibi congruam inclinante: unde & leges pro Gentibus non sunt media, ad felicitatem, naturæ humanæ propriam, *simpliciter*, sed solùm *ad esse meliùs necessaria*. 3. Securitas gentium non petit immutabilitatem absolutam in legibus Gentium; secùs & securitas civium eandem peteret pro legibus positivis, quod nimium. 4. Sicut pactum, vel consensus *expressus* non requiritur, ita *tacita* signa clara sunt *judicium gentium* ad istud provocantium; violationem improbantium; pœnas de transgressoribus sumentium; *necessitas quò ad meliùs esse, seu utilitas summa*, teste Imperatore, qui *exigentibus humanis necessitatibus* jus gentium inductum affirmat; *usus* & *consuetudo*, saltem penes gentes moratiores, quæ solæ gentium nomen merentur. 5. Qui jus gentium *ex consuetudine* derivant, Superiorem assignant *Deum*, ùt *gentium societatisque humanæ gubernatorem supremum*. 6. Objecta juris gentium trahi nequeunt ad jus naturæ, quod *ex communi*

muni Authorum tantummodo ſe extendit ad objecta *abſolutæ neceſſitatis*, ſeu ad ea, quæ *ſimpliciter in ſe, ac determinatè* exiguntur ab amore, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, neceſſario. *Ratio eſt*, quia ſi & illa capita, quæ ſunt *neceſſitatis ſolummodo moralis qualiscunque, vel etiam utilitatis*, ad jus naturæ reducas, præcepta naturæ multiplices, oportet in infinitum, confundésque cum jure poſitivo, quod & ipſum pro fine habet *felicitatem ſocietatis humanæ*, ejúſque commodis, ac utilitati intentum eſt. Unde diverſa ſunt eſſe *conforme naturæ*, & eſſe præceptum *à natura*, cùm multa *naturæ conformia*, ſint juris arbitrarii & humani. Atque ideo, etſi objecta juris gentium ſint naturæ conformia, quia tamen non ſunt *neceſſariò debita*, ſed vel quò ad modum vel quò ad *determinationem* arbitraria, male à *Puffendorfio* ad *jus naturæ* revocantur, *Inſtructio IV. §. 1. Q. 2.*

E[i]que multiplex. *Leucotheus. Unde probatur, & in quo conſiſtit differentia ſpecifica juris gentium à jure naturæ?*

Melander. Differentia eſt multiplex, & P. 1. *Ex fine.* Nam *jus gentium* reſpicit utilitatem ſocietatis humanæ *merè externam*, fundatam *in neceſſitate* quadam *morali*, ſeu *ad melius eſſe* in ordine ad communicationem mutuam formando gentes, *ut ſociales: jus naturæ* pro fine *primario* reſpicit *felicitatem internam*, eámque *ſubſtantialiter propriam*, ſitam in cognitione, & amore Creatoris, etiam ultra ſata extenſam formando hominem *in ordine ad Deum & ſemetipſum*; ſecundariò reſpicit felicitatem hominis externam, *integraliter propriam*, formando hominem in ordine ad *proximum* ſeu ad *bonum publicum, in neceſſitate non qualicunque, ſed abſoluta fundatum.*

P. 2. *Ex objectis.* Jus Gentium reſpicit *objecta* arbitraria, in ordine ad majora ſocietatis humanæ commoda, qualia objecta ſunt *immunitas Legatorum, jus commerciorum &c.* Contrà jus naturæ reſpicit objecta, in *abſoluta neceſſitate* fundata, in ordine ad felicitatem, naturæ rationali ſimpliciter debitam. Illius objecta fluunt *ex gentium opinione*; hujus *ex evidentia naturali*, utì teſtis eſt *Cicero.*

P. 3. *Ex conſtitutivis intrinſecis*: Jus Gentium eſt jus *non ſcriptum*, pactione vel conſuetudine introductum; contrà jus naturæ eſt jus *ſcriptum* in corde, absque hominum voluntate ſancitum.

P. 4. *Ex ſubiectis*: nam *jure Gentium* non obligantur omnino omnes, ut jure naturæ. *Ex cauſa* & imprimis *efficiente*: nam illius eſt voluntas gentium; hujus eſt Deus, ex *impulſiva*; illius enim eſt felicitas ſocietati humanæ *congrua*; hujus naturæ rationali *abſolutè* debita & *neceſſaria.*

P. 5. *Ex proprietatibus*: ſiquidem jus gentium abſolutè *mutabile*: jus naturæ *immutabile*: illud *univerſale plerisque*, ſic ut alicubi ſine errore poſſit non obſervari; hoc *univerſale omnibus*, ſic ut non niſi per errorem poſſit non obſervari. Illud *abſolutè* poteſt malum permittere, non item iſtud.

II. *Aliæ differentiæ, jus naturæ inter & gentium, quas paſſim aſſerunt Authores, ſunt incongruæ, nec attendendæ. 1. Veterum jureconſultorum*, qui jus naturæ dixerunt, *omnibus animalibus commune*; jus gentium *naturali ratione inter homines conſtitutum*: quia eſt diviſio *nimis æquivoca* reſpectu animalium.

2. *Soti*, qui jus naturæ vel *ſine*, vel *facili ratiocinio notum*; jus Gentium *non niſi cum ratiocinio*, vel etiam *difficiliore* per plures illationes deductum, affirmat: quia eſt diviſio *inſufficiens*, cùm ratiocinium etiam per plures illationes, à natura petitas, non repugnet naturæ juri.

3. *Eorum*, qui concluſiones, è naturæ principiis *immediatè & abſolutè* fluentes, juri naturæ; ex *ſuppoſitione quadam* ſocietatis humanæ, & *mediatè* deductas, juri Gentium tribuunt, quia hæc differentia denuò inſufficiens, cùm & concluſiones, *mediante quadam ſuppoſitione deductæ* ex naturæ principiis, ex communi Authorum cenſeantur eſſe juris naturæ, utì juſtitia contractuum ſuppoſitâ rerum diviſione, præcepta ſerviendi Dominis, ſuppoſitâ Republica &c.

4. *Vaſquii*, qui jus naturæ ait eſſe *præceptivum*, vel *prohibitivum*: jus Gentium *conceſſivum* vel *permiſſivum*: at & hæc differentia eſt *inſufficiens*, quia & jus Gentium eſt poſitivè *præceptivum*, & *prohibitivum*; jus verò naturæ etiam *conceſſivum, & permiſſivum*, utì infra claſceſcet.

III. *Etſi jus Gentium ſpecificè differat à jure naturæ, in aliquibus tamen convenit, habétque ſpecialem cum jure naturali propinquitatem. Patet 1.* Quia utrumque eſt *aliquo modo* commune omnium Gentium. 2. Utrumque reſpicit *ſuo modo* felicitatem publicam ſocietatis humanæ *pro fine*, nititúrque *convenientia* cum *ratione.* 3. Utrumque propter hanc *convenientiam cum ratione* eodem ferè modo ortum eſt cum Genere humano.

IV. *Jus Gentium inſuper ſpecificè differt à jure civili. Patet 1.* Quòd civile ſit *ſcriptum*, jus Gentium *non ſcriptum. 2.* Illud ſit à Legiſlatore humano, hoc à conſuetudine Gentium. 3. Illud reſpiciat pro fundamento privatas civium

vium, hoc Gentium publicas necessitates. *Instruct. IV. §. 1. Q. 3.*

Origo juris Gentium. *Leucotheus. Quæ origo juris Gentium?*

Melander. I. *Causalis est satis explorata.* Nam fluit 1. Ab indole naturæ humanæ sociali. 2. *A principio amoris*, cuivis etiam extraneo naturaliter debiti; quia necessarii saltem minùs strictè ad felicitatem respectivam. 3. *Ab exigentia humanæ necessitatis*, utilitate communi & publica id suadente; cùm Gens nulla *ex toto* sibi sufficiat ad multa commoda, mutuámque tranquillitatem conservandam.

II. *Origo formalis est satis incerta.* Nam 1. Juxta nonnullos habetur ex usu, & consuetudine, Gentibus consensum, Deo, ùt rerumpublicarum authore, obligationem legislativam addente. 2. Juxta alios habetur ex pacto *expresso*, vel saltem *tacito* inter Gentes finitimas, aliis propter insignem utilitatem, seu per *imitationem*, seu per *consensum* accedentibus, ut adeò accedente communi usu in conventiones publicas, ex justitia obligatorias, transirent, quas à Gentium consensu *jus Gentium* appellamus. *Instruct. IV. §. 1. Q. 4.*

Essentia. *Leucotheus. Quæ essentia juris Gentium?*

Melander. I. Multis definitur, *esse conventio tacita, qua Gentes, ùt tales, obligatione mutua consociantur in ordine ad ea, quæ ad communem ipsarum felicitatem pertinent.* Nam 1. Per *conventionem tacitam* indicant *formam intrinsecam*, sicque distinguunt à jure naturæ, quod habet *formam legis, propriè dictæ.*

2. Per *obligationem mutuam* innuunt *effectum* juris Gentium, nempe *obligationem rigorosam justitiæ*, immediatè ortam ex Gentium pactione; & sic denuò distinguunt à jure Naturæ, quod obligationem parit *strictè legalem.*

3. Per *gentes, quà tales*, significant *subjectum* juris Gentium, quod complectitur homines, ùt membra totius Generis humani, in diversos Populos divisi, etsi non *omnes* omnino Gentes, sed *potiores* solùm appellet.

4. Per *communem, felicitatem* declarant *finem* juris Gentium, discretum à jure civili, quod non nisi *particularem unius Reipublicæ* intendit.

5. Denique *pro forma extrinseca* promulgationem, consistentem *in constanti usu*, & *consuetudine* Gentium, assignant.

II. *Aliis dicitur esse, ordinatio rationis, diuturnis Gentium moribus, ad communem utilitatem Gentium, quà talium, constituta, & summi humanarum Politiarum Principis consensu roborata.* Nam

1. Per *ordinationem rationis* indicant *genus univocum* cum jure naturali, atque civili, sic ùt jus Gentium *propriam juris legalis speciem* esse affirment. Insuper indicant jus Gentium non *ex usu qualitercunque arbitrario*, sed *in ratione fundato*, esse inductum.

2. Per ordinationem, *diuturnis Gentium moribus* constitutum, innuunt, constitutivum juris Gentium *formale* non esse *pactionem*, sed ipsum *usum*, ac *consuetudinem*, ex qua, *velut tacita consensûs mutui possessione*, introducta est hujusmodi ordinatio inter Gentes.

3. Per ordinationem, *supremi humanarum politiarum Principis consensu roboratam*, significant potestatem legislativam non esse à *Gentium collectione* more aristocratico, cùm singulæ sese judicent *liberas*, ac *independentes*, habito quoque respectu ad alias Gentes; sed haberi à Deo, *non tanquam Authore naturæ*, sed *societatis humanæ*, & *supremo Rerumpublicarum Principe.* Rationem assignant, quòd, *supposita societate humana*, non potuerit non velle Deus, *tanquam supremus humanarum politiarum Princeps*, & *primus Institutor*, ut Gentes habeant aliquam regulam, actionum, illis quà talibus competentium, directivam, & à Deo, tanquam societatis humanæ auspice, profectam, quæ vel ideò *veram juris legalis* speciem indueret, & *jus Gentium* proprie dici posset.

III. *Etsi utraque definitio sit satis commoda, nos tamen posteriorem, ùt minùs incommodam, in sensu tamen debito, præhabemus.* Nam 1. Utraque definitio est satis *discretiva* juris Gentium ab aliis speciebus. 2. Definitio prior id habet *incommodi*, quòd, jus Gentium explicans *per pactionem*, non adstruat *obligationem legalem*, nisi *concomitanter* tantùm mutuatam, & quidem *à jure naturæ*; non adstruit obligationem *universalem* constitutionis, sed *particularem* pacti, extensam in solos consentientes; nec adstruit *usum*, nisi pro forma promulgationis extrinseca; etsi ad hunc, *veluti constitutivum*, Authores communiter provocent. Contrà definitio posterior, jus Gentium explicans *per consuetudinem*, adstruit quidem obligationem legalem, sed à Deo, ùt Authore societatis humanæ *solùm remoto*, de qua *speciali legislatione* nullum uspiam vestigium; adstruit jus Gentium aliquo modò *Divinum* &c. Unde

IV. *Jus Gentium* dicimus, esse *ordinationem rationis, longævo Gentium usu, Deique, ut societatis humanæ Gubernatoris immediati, consensu inductam ad Gentium, quà talium, publicam felicitatem.* Hæc definitio vitat *priora* incommoda, adstruendo obligationem *legalem*, *universalem* consuetudinis, obligantis omnes, majore parte consentiente, facitque *usum longævum* hujus juris constitutivum: vitat

tat itidem *poſteriora* incommoda, obligationem *legalem* deſumendo à Deo, ut *Gubernatore ſupremo* & *immediato* ſocietatis humanæ, quatenus Gentes, etiam *collectim* ſpectatæ, ſuperiorem humanum non agnoſcunt, adſtruendo ſatis clara veſtigia *hujus ſpecialis obligationis legislativæ* in ratione Divinæ Providentiæ, atque ſocietatis humanæ, ſic meliùs regendæ, & commodiùs conſervandæ. Unde negatur ſuppoſitum, quòd jus Gentium debeat eſſe *merè humanum*, ſi modò ſit *verè poſitivum*, & à jure naturali, Divinóque *ſatis diſtinctum*, quod ſit tam quò ad *finem*, ùt patet; quàm quò ad authorem, cùm Deus juris naturalis & Divini ſit Author *immediatus*, & *abſolutus*; juris Gentium *mediatus*, quatenus, ùt Gubernator, non obligat *abſolutè*, ſed *mediante* ſolummodo *Gentium conſenſu, per diuturnos mores declarato.*

V. *Jus Gentium, etſi ſatis diſtinguatur, multam tamen habet affinitatem cum jure conſuetudinario.* Prius patet ex *diverſo Authore*, *fine*, & *ſubjecto*; poſterius *ex modo* inducendi per uſum, & ex *obligatione*, utrinque *legali*. *Inſtruct. IV. §. 1. Q. 5.*

Diviſio. *Leucotheus. Quæ diviſio juris Gentium?*

Melander. I. *Exoleta* eſt diviſio *in primævum*, quod naturali ratione conſtitutum; & *ſecundarium*, quod neceſſitate exigente, uſúque introductum, dicunt: quia juris naturalis, & Gentium eſt *confuſiva*.

II. *Nulla* eſt diviſio *in commune*, quo pleraſque, & in *proprium*, quo duas, treſve Gentes uti, exiſtimant: quia juris Gentium, & civilis eſt confuſiva.

III. *Legitima* eſt diviſio juris Gentium in *affirmativum*, quo quid præcipitur; & in *negativum*, quo aliquid prohibetur. *Reductivè* dividi ſolet etiam in *permiſſivum*, quod tolerat actum, ſi malus non ſit; ſed ſi malus, impunitatem ſaltem extrinſecam concedit. *Inſtruct. IV. §. 2. Q. 6.*

Materia. *Leucotheus. Quale, & quotuplex eſt objectum juris Gentium?*

Melander. I. In *genere* eſt omne id, quod *ex fine ſuo* tendit ad convenientem communicationem, & emolumentum Gentium, quà talium.

II. *In ſpecie* ad jus Gentium revocatur. 1. *Primæva rerum diviſio*: quia, etſi natura pro ſtatu multiplicati Generis humani exegerit *aliquod* medium pro evitandis incommodis, non tam exegit *hoc determinatè medium diviſionis*. 2. *Ipſa Gentium*, & *Regnorum diviſio* in fieri ſaltem *reductivè*; in conſervari *formaliter* eſt juris Gentium propter eandem rationem, cùm *abſolutè loquendo* non implicâſſet, Orbem coire in *univerſalem quamdam Rempublicam*; vel certè tanta Gentium & Regnorum diſcretio *neceſſaria* minimè fuiſſet. 3. *Commerciorum libera facultas* eſt juris Gentium, quia *ſimpliciter* haud neceſſaria, cùm quævis Reſpublica *abſolute*, etſi *minus commodè*, *per ſe* ſubſiſtere poſſit. 4. *Bellum juſtum*, ſaltem ùt *publicum*, & *ſolemne*, eſt juris Gentium, cùm neque *conditiones* de prævia indictione, neque *effectus* belli publici naturæ juri rectè adſcribi queant. 5. *Repreſſaliæ* ad jus Gentium ſpectant, eò quòd, *mero naturæ jure*, ex facto alieno nemò teneatur, niſi qui bonorum ſucceſſor eſt. 6. *Servitus* ex jure Gentium deſcendit, quia videbatur communis eſſe utilitatis, juſto bello devictos ſervituti potiùs deſtinare, quàm morti. 7. *Legatorum admiſſio*, & *immunitas* non eſt juris naturæ, ſeu ſpectet *commerciorum*, ſeu *pacis* negotia publica: nam ad illa non eſt medium neceſſarium *abſolutè*: cur enim, *abſolutè loquendo*, non poſſit Gens aliqua ſibi ſoli vivere, & aliarum commercia recuſare? Ad iſta non eſt medium neceſſarium *determinatè*, cùm plura media, inter quæ & ipſum bellum, ad pacem reducendam ſuppetant. 8. *Pax*, conſiderata relativè ad bellum, & in ſuis effectibus, ac circùmſtantiis, eſt juris Gentium. *Patet* à paritate cum bello: cùm contrariorum eadem ſit diſciplina, ratio, ſeu ſententia, ùt habet axioma commune: Neque enim *ratio paciſcendi*, *oblivio malorum*, *reſtitutio bonorum* &c. niſi ex diſpoſitione Gentium, in ordine ad communem utilitatem profluere poterant. 9. *Fœdera* ſunt juris Gentium: quia licèt eorumdem *admiſſio*, ſi ritè pètantur, ſit *conformis naturæ*, & *magnæ æquitatis*, non tamen eſt *neceſſitatis abſolutæ*: quia, ſicut *abſolutè loquendo* Gens quævis poteſt ſibi ſoli vivere, ita & aliarum fœdera recuſare. 10. Denique ad jus Gentium revocatur *jus tranſitûs*, ſeu *commigrandi*, quando non eſt juſta ratio excludendi peregrinos, & advenas. *Ratio* eſt: quia hæc facultas eſt cunctis Gentibus, & valde commoda, nec minùs utilis. Hoc non obſtante jus iſtud etiam juri naturæ, *ſaltem imperfectè*, infrà meritò tribuemus. Huc ſpectat *jus ſepulturæ*, etiam reſpectu *hoſtium*; jus præſcriptionis, de quibus ſuo loco expreſſiùs. *Inſtructio IV. §. 2. Q. 7.*

Leu-

Effectus. *Leucotheus. Quinam effectus juris Gentium?*

Melander. I. *Obligatio legalis*, qua Gentes communibus sancitis morem gerere tenentur. *Patet* ex ipso communi sensu Gentium, seu *provocantium* ad jus istud, seu *exprobrantium* crimen enorme, si videant violari hanc legem, quam putant *sanctissimam*. Unde obligatio hæc se extendit in ipsa orbis summa Capita, *propter authoritatem Dei*, societatem humanam supremo dominio gubernantis, & *propter finem*, seu emolumentum commune, cujus intuitu *per consensum Gentium* immediate oborta est.

II. *Interpretatio juris Gentium petitur ex Scriptoribus probatis. Mutatio*, seu ex *toto*, seu ex *parte*, fieri nequit, nisi assensu omnium Gentium, vel saltem majoris partis. Res patet in consuetudine civili, & ex eo, quòd obligatio communis, cum præjudicio Nationum, à peculiari gente excuti haud possit. Exemplum *de servitute* nil obest, quia jus Gentium hac ex parte propriè non mutatum, ùt est facultas Gentibus communis: non enim *respectu Gentium* est sublata, sed ejus solummodo usus inter *Christianos* cessat sine ullo præjudicio; immò cum emolumento cæterarum Gentium.

III. Quòd autem jus Gentium *absolutè* mutabile sit, patet, quia est species juris arbitrarii, & positivi; & etsi fluat *ex ratione*, non tamen fluit *per deductionem necessariam*, ac *evidentem*. Immò etsi à Deo firmetur, non tamen approbatio hæc Divina est independens, sed fundatur *in præsupposita gentium voluntate*, adeóque hac mediante & ipsa mutari potest. *Instructio IV. §. 2. Q. 8.*

Protestantium symptomata. *Leucotheus. Quæ Protestantium Moralistarum hac in parte symptomata?*

Melander. De *jure naturæ*, ejúsque cognoscendi *genuino principio*; item de jure Gentium cum naturali *confusione Puffendorfii, Thomasii*, & aliorum opiniones, minùs congruas, suprà jam vidimus. Cæteris magis ineptiit *Laurentius Heisterus*, qui præcepta naturalia, felici metamorphosi, transfiguravit *in mera Dei consilia*, & *monita paterna*; qui legem naturæ definivit esse *dictamen rationis tranquillæ*, & complecti ea tantùm *præcepta moralia*, quæ fluunt ex regulis *justi*, hoc est, ne turbetur externa societas; officia cætera, quæ fluunt ex regulis *honesti*, & *decori*, pertinere ad ethicam, & sic de aliis nugis, quarum pretium unicum in eo est, ut ignorentur. *Instructio IV. §. 2. Q. 10.*

Titulus 3.

TITULUS III.

Officia hominis erga Deum.

De Officiis hominis erga Deum.

§. 1.

§. I.

De religione naturali.

De religione naturali.

LEucotheus. *Quid & quotuplex officium hominis?*

Officii natura, & divisio in genere. *Melander.* I. *Officium hominis*, pro statu naturali *in genere*, est, *actiones suas dirigere ad felicitatem, naturæ rationali propriam, seu tendere ad consecutionem hujus finis.*

II. *Officium in specie* est *actio hominis, ex debito legibus conformanda*: unde fundatur *in obligatione*, ac lege, sic ut ex juribus fluant officia, non jura ex officiis.

III. Cúmque legis naturalis finis sit *felicitas* dependens ab objecto triplici, *Deo*, *semetipso*, *ac proximo*; triplex oritur officii genus, sic ut alia sint *respectu* Dei, alia *respectu sui ipsius*, alia *respectu proximi*. *Instruct. I. §. 1. Q. 1.*

In specie erga Deum. *Leucotheus. Quid & quotuplex officium hominis erga Deum?*

Melander, I. *Est actio, ex debito conformanda legi naturæ, præcipienti religionem erga Deum, in quantum naturalis ratio eam consequi potest.*

II. Porrò hæc religio, cùm habeat duas partes, *notitiam Dei*, *ejúsque cultum*, pariter notat officium duplex, primum *de Deo rectè sentire*; alterum *modo debito eundem colere*.

III. Hoc officium duplex pariter nititur duplici fundamento: *ess*[e] *naturali* nempe *dependentiâ* hominis à Deo, tanquam *Creaturæ*, *Conservatoris*, ac *Guberna-*

natore, ex quo fluit amor debitus, velut *principium* cæterorum officiorum. Item Dei perfectionibus cæteris, præcipuè *providentiâ*, atque *justitiâ*, ex quibus fluit, Deum amore, cultúque esse dignissimum. *Instruct. I. §. 1. Q. 2.*

Officia Theoretica erga DEUM.

Leucotheus. Quid de Dei notitia observandum?

Melander. I. Quòd ad jus naturæ partim sit *præsupposita*, partim sub eo *comprehensa*. Illa est homini insita, consistitque *in primis principiis*, lumine naturæ notis, quale est dari *aliquod Numen* sub ratione *entis primi*, *supremi*, *justi*, ac *providi*, mala scientis, & punientis, bona verò præmiantis. 2. Animam *non esse mortalem* cum corpore, adeóque esse post fata superstitem, saltem in ordine ad pœnam, vel præmium, adeóque felicitatem, hujus vitæ termino conclusam, non esse finem naturæ rationalis *sufficientem*, & *adæquatum* &c. Notitia amplior, sed tamen *vulgaris*, *& ratiocinio facili habenda*, cadit sub jus naturæ, dicitque actum voluntatis, saltem sumpta *reduplicativè*, seu *ut obtinenda obviis mediis*.

II. *Unde utraque hæc notitia propriè spectat ad disciplinam jurisprudentiæ naturalis, contrà quàm acatholici Moralistæ passim statuunt.* Nam *etsi prior sit* præsupposita *ad jus naturæ*, nihilosecius propria est *jurisprudentiæ* non aliter, ac principia logica, etsi præsupposita ad syllogismum, Dialecticæ tamen propria affirmantur. Accedit, quòd principia hæc præsupposita sint quidem Theologiæ naturali propria, ùt dirigunt actiones *ex motivo religionis*; alio tamen modo sint quoque propria *jurisprudentiæ naturalis*, prout nempe dirigunt actiones *ex motivo justitiæ*. De notitia posteriore, seu *vulgari*, constat, cùm propriè cadat sub jus naturæ, ejus acquisitionem imperantis.

III. Errat igitur *Puffendorfius* cum *Webero*, *Kemmerichio*, & aliis, qui hanc utramque notitiam Theologiæ naturali *directè*, *indirectè* solummodo naturali Jurisprudentiæ tribuunt; errat *Fridericus Ludovici*, qui è foro Theologico *mutuandam* affirmat; errat *Thomasius*, qui omnem religionem naturalem *ad figmenta* relegat. *Instruct. I. §. 1. Q. 3.*

Modus, quo jus naturæ versatur circa hac officia Theoretica.

Leucotheus. Qua ratione jus naturæ versatur circa hanc de Deo notitiam?

Melander. I. Circa *notitiam præsuppositam*, & è primis principiis fluentem, versatur *negativè*, prohibendo *Atheismum*, & *Epicureismum*, amoris, Deo naturaliter debiti, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, absolutè necessarii, penitus eversivum. Unde *Hobbesius* graviter hallucinatus, dum Atheos *imprudentiæ* quidem, non autem *injustitiæ*, arguendos dixit.

II. *Circa notitiam vulgarem* jus naturæ versatur *positivè* præcipiendo applicationem ejus acquirendæ *vulgarem*, seu tantam, quanta *ad verum de Deo sensum* necessaria, & *obviis medus* haberi potest. *Ratio est*, quia ejusmodi applicatio est exigita ab amore, ad conjunctionem cum Creatore *simpliciter* necessario, quia incompossibili cum tanta injuria, quæ induceret *ignorantiam*, *errorémque* de Deo *vincibilem*.

III. Hæc notitia vulgaris se extendit ad ea objecta, *quæ ab homine, plenâ rationis compote, sine ignorantia, vel errore vincibili, diu nesciri haud possunt*. Ejusmodi sunt sensus *de unitate Dei; de ejus excellentia super omnia creata; de ejus perfectione pura, ac summa* &c. Unde patet Idolomaniam esse *inexcusabilem*.

IV. *Notitia de Dei essentia, ac attributis, magis exacta, etsi ratione merè naturali non sit superior, est tamen extra sphæram jurisprudentiæ naturalis, & theologiæ naturali privativè est propria.* Ad hanc refertur sensus de perfectione Dei *in omni genere infinita; de immensitate, immutabilitate, æternitate*, aliisque abstrusioribus attributis. *Instruct. I. §. 1. Q. 4.*

Officia practica erga Deum.

Leucotheus. Quid de cultu Dei observandum?

Melander. I. Quòd sit *cogniti Numinis veneratio, certis naturæ legibus definita.* Hic autem cultus est *duplex*, internus, qui dicitur *veneratio mentis Deo devota, internis solùm actibus concepta*; & externus, qui est *veneratio, externis quoque signis exhibita*.

II. Hujus utriusque cultûs *principium fundamentale* est amor. *Ratio est.* 1. Quia *immediatè* fluit ex primis principiis de Deo, ùt *Ente primo, supremo*, tanquam ex objecto proprio; cætera verò officia ex amore, tanquam scaturigine, oriantur. *Ratio est.* 2. Quia amor *immediatè* disponit ad finem, seu felicitatem homini propriam, putà, *ad conjunctionem cum Deo*; cætera verò media ex amore, tanquam radice, eruantur. *Instructio I. §. 2. Q. 5.*

Præcepta affirmativa in genere de obligatione tendendi ad finem proprium.

Leucotheus. Quidnam circa officia erga Deum, in genere, naturæ jure præceptum?

Melander. I. Præceptum, ut homo tendat per suos actus *ad finem*, sibi à Creatore præfixum, *felicitatem* nempe *suæ naturæ propriam*.

II. Præceptum, ut tendat per suos actus, *saltem absolutè loquendo*, ad suum

ſuum finem, *ſimpliciter ultimum*, hoc eſt, ad conjunctionem cum Deo, naturæ proportionatam, mediante cognitione & amore congruo obtinendam. Secùs enim ageret *inordinatè*, quia contra ordinem, rebus creatis propoſitum ab authore naturæ.

III. Finis hic *ultimus* eſt ſola felicitas, habita ex officiis hominis erga Deum, quæ ſola *ſubſtantialis*, & à natura *ultimatò intenta*. Quia ſola animæ rationali *propria*, *interna*, *obtinibilis* ſemper, *independens*, *immpedibilis* per malitiam hominum, & etiam per mortem *inauferibilis*, abſolutè *ſatiativa*, ſaltem poſt fata, modo naturæ ſtatui proportionato. *Inſtructio. I. §. 2. Q. 6.*

Præcepta affirmativa in ſpecie, de cultu Dei interno.

Leucotheus. Quidnam circa officia erga Deum, & in ſpecie de cultu interno naturæ jure præceptum?

Melander. I. Cultûs *interni* officia conſiſtunt in actibus, *notitiæ primæ* & *vulgari acquiſitæ*, de multiplici Dei perfectione; reſpondentibus. Unde *officium fundamentale* eſt actus amoris erga Creatorem, & quidem *ſuper omnia*, ſic ut includat propoſitum abſolutum, & efficax ſervandi totam legem naturæ, qui amor, ſicuti ſpectato ſolo naturæ ſtatu poſſibilis eſt, *ſaltem loquendo ſimpliciter*; ita & præceptus eſſe cognoſcitur.

II. Ex amore, *velut radice*, fluunt officia honoris, & reverentiæ *per laudationem*; ſpei *per invocationem*; gratitudinis *per gratiarum actionem*; timoris, obedientiæ *per obſervantiam* legum naturalium &c. &c.

III. Ejusmodi officia eſſe naturæ jure præcepta, *patet*: quia ſunt *exigita ab amore*, in ordine ad felicitatem, homini propriam, *abſolutè neceſſario*: ſiquidem hæc felicitas, ſeu conjunctio debita cum Creatore, ſine ejuſmodi officiis cultûs interni, ſubſiſtere nequaquam poſſet. Et licet Deus reſpectu ſui non egeat noſtro cultu *abſolutè*; ſuppoſitâ tamen hominis productione, non poteſt non exigere ſui cultum, quia non poteſt non producere hominem in bonum ſui, cùm omnis alius finis foret Deo indignus. *Inſtruct. I. §. 2. Q. 7.*

Præcepta affirmativa in ſpecie de cultu externo.

Leucotheus. Quidnam circa officia erga Deum, & in ſpecie de cultu externo, naturæ jure præceptum?

Melander. I. Cultus Dei externus, interni index, *ut ſignis naturalibus eſt expreſſus*, dicitur *communis*, & conſiſtit in actionibus externis, interna officia repræſentantibus, qualia ſunt obſequia debiti amoris, faciendo generaliter ea, quæ per *rationis lumen* facienda dictat Creator. In ſpecie conſiſtit in officio laudis, invocationis, gratiarum actionis, debitæ ſubjectionis, fugiendo & impediendo ea, quæ à Deo vetita nobis ratio promulgat.

II. Atque ejusmodi officia ſunt *juris naturæ*, quia *exigita ab amore*, in ordine ad pacem, cum Deo habendam, *ſimpliciter neceſſario*. Nam *reſpectu hominis*, amor Dei exigit cultum, homini, *quà tali*, ſeu quà materiali compoſito *competentem*; *reſpectu Dei* exigit cultum, Deo, quà Creatori & conſervatori *totius hominis*, tam quò ad animam, quàm quò ad corpus, *congruum* ac *debitum*; *reſpectu proximi* exigit cultum ejus educationi, inſtructioni, ac in converſatione fidei faciendæ *idoneum*: atqui talis non eſt ſolus cultus *internus*, & *occultus*, quia *incompletus*, & *inſufficiens*: ergo.

III. Unde *erronea* ſunt, quæ hac ex parte ſcripſit *Thomaſius* cum ſuis: quòd ſcilicet *ratio*, *ſibi relicta*, nil deprehendat reſpectu Dei, unde inferat, *Deum externè coli velle*, eò quòd Deus externo cultu haud egeat: nam neque eget interno, & tamen hunc, *ex ſola ratione*, *deprehendis Thomaſius*. 2. Quòd ratio nil deprehendat reſpectu hominis, eò quòd Deo ſat cognitus ſit cultus internus: nam cultûs externi ratio adæquata non eſt ſola manifeſtatio interni, ùt vidimus. 3. Quòd nil deprehendat *reſpectu humanæ ſocietatis*, eò quòd, omiſſo cultu externo, nequaquam lædatur: nam vel maximè læditur, ſi deſit fundamentum viſibile omnis obligationis, ac firmitatis. 4. Quòd cultus Dei externus ſit *ex rebus licitis*, ac *indifferentibus*; quòd religio naturalis ſit figmentum, & ſic de aliis, quæ omnia, ex ratiunculis adeò frivolis deducta, ultrò corruunt.

IV. Cultus Dei *externus ſpecialis*, ſeu ùt ritibus certis *ſpecificè* determinatus, eſt juris Divini, poſitivi, vel humani. *Patet*: quia habetur vel *ex revelatione*, vel *ex hominum inſtitutione*. Unde ritus Deum *colendi per ſacrificia*; *ſtatus hominum* ad cultum Dei *ſpecialiter* deputatus, & ſimilia, etſi rationi ſint admodum conformia, & in iis omnes pene Gentes ſemper convenerint, non videntur tamen eſſe *de jure naturali ſimpliciter præceptivo*, ſed *ſolo poſitivo*; quia ſunt media ad finem determinatè haud requiſita. *Inſtruct. I. §. 2. Q. 8.*

Præcepta negativa circa Deum.

Leucotheus. Quænam, circa officia erga Deum, præcepta juris naturæ negativa?

Melander. I. *In genere* prohibitum eſt, *quidquid notitiæ Dei, cultuique præcepto*

cepto oppositum est: illi error & ignorantia omnis vincibilis; huic omnis Dei irreverentia, atque impietas adversatur.

II. In specie prohibitus est, præter *atheismum, polytheismum, omnis speciei idolomania*; omnis divinatio, magia, vana observantia, maleficium omne, & irreligiositas in temerariis juramentis, perjuriis, blasphemiis &c. *Ratio est*: quia hæc & similia directè *repugnant amori*, Deo naturaliter debito, seu ad pacem, cum Deo habendam, *simpliciter* requisito, ùt patet. *Instruct. I. §. 2. Q. 9.*

Protestanticè hac ex parte anomalia.

Leucotheus, Quinam, hac in materia, magis notabiles Puffendorfii aliorùmque errores?

Melander. I. *Erroneus* est *Puffendorfius* cum suis, quòd religionem omnem vel simpliciter sequestrârit, vel saltem non nisi indirectè à naturæ jure attingi contenderit, id quod ex ipsismet ejus principiis demonstrari potest. Nam, ipsomet teste *Puffendorfio*, religio est fundamentum omnis obligationis, & firmissimum vinculum societatis humanæ, quo sine finis, seu felicitas, etiam externa, nullatenus obtineri, & conservari posset: ergo Jurisprudentiæ est propriissimè propria, nec solùm *indirectè* attingenda.

II. Idem cum suis *erroneus est*, quòd religionem naturalem, *prout nempe pertinet ad jus naturæ*, intra sphæram hujus vitæ terminandam asserat, uti denuò ex ipsismet ejus principiis est demonstrabile. Nam, si religio naturalis hujus vitæ termino concludatur, *abstrahendo ab omni religione revelata, ex sola ratione, & ad captum cujusvis*, nequit demonstrari pœna, vel præmium, vitæ alteri, qualicunque tandem, reservatum: ergo nequit demonstrari obligatio juris naturalis *sat efficax*, & *indefectibilis*; adeóque religio naturalis esset *insufficiens*, & *enerve vinculum humanæ societatis*: atqui juxta *Puffendorfium* est *vinculum firmissimum*, & cuivis *ex sola ratione* juris naturalis efficacia debet esse demonstrabilis: ergo religio naturalis hujus vitæ termino concludi nequit. Neque replicet *Puffendorfius, pœnam*, vel *præmium æternum* supponi ex religione revelata: nam sic confundit religionem naturalem cum revelata *insigni errore*, quem ipse nunquam non scholasticis oggerit. *Instruct. I. §. 2. Q. 10.*

§. 2.

§. II.

De habitu religionis naturalis ad Christianam.

De habitu religionis naturalis ad Christianam.

Leucotheus. Quis status quæstionis, & hæc cur, & quomodo tractanda?

Melander. I. Controversia est, an ex religione *naturali* à Protestantibus rectè formari argumentum possit ad religionem *Christianam*, sic ut *divisio potestatis sacræ, atque profanæ* (quam *ex jure Divino* Catholici adstruunt) solidè impugnari, & hierarchia Ecclesiastica, *saltem indirectè*, velut *figmentum papisticum*, explodi queat? *Status controversiæ.*

II. Controversiæ momentum, hac nostra ætate, *præcipuum* est: quia est de articulo catholicæ fidei, per Protestantium studia maximè impugnato, nempe de *hierarchica potestate*, quæ Ecclesiæ catholicæ *Palladium*; hæc enim, si sarta tecta sit, ultro ruit sectæ protestanticæ *Ilion*, quod sibi, in profanatione omnis Ecclesiastici Ordinis, cum *Luthero* ædificârunt à Majorum avita fide degeneres Posteri. Inde *Puffendorfius*, postquam dixisset, *hanc quæstionem esse è præcipuis, eò quòd in illa Pontificii, veluti causæ suæ arcem, collocent*, addit: *sed & maximopere tum rei Christianæ, tum & tranquillitatis publicæ interesse, accuratè definiri, quousque se extendat potestas Ecclesiastica, quam sibi Sacerdotum ordo vindicat, & quantum juris circa sacra Imperantibus competat. Horum enim fines*, inquit, *nisi ritè regantur, non possunt non ingentes abusus, turbæ, oppressiones, in Ecclesia juxta ac Republica, provenire.*

III. Tractandæ controversiæ *methodum* ipsi sternunt protestantici Moralistæ, quos inter hac ex parte *primipilus Puffendorfius* in aureo (uti *Pfaffius* ait) libello *de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem*, ubi *per jus naturæ* grassatur in potestatem hierarchicam Ecclesiæ *Romanæ*, eámque in Juventutis academicæ animis, *indirecto juris naturalis conamine*, subruere adlaborat. *Instructio. II. §. 1. Q. 1.*

Leucotheus. Quæ fundamentalis origo hujus corruptelæ de potestate sacrorum profanata, indéque orta multiplici forma Ecclesiæ protestanticæ? *Origo fundamentalis profanatæ potestatis sacræ, indéque nata Ecclesiæ systematicæ, sub forma multiplici, penes Protestantes.*

Melander. I. Origo fuit *Lutheri* corruptela, qua statuit. 1. Solam fidem esse necessariam ad salutem. 2. Legem nullam esse inter *Christianos*, adeóque & potestatem Ecclesiastici ordinis legislativam esse merissimè commentitiam. 3. Inter *Christianos* esse perfectam æqualitatem, adeóque omnes per baptismum æqualem fieri sacerdotes, sola vocatione ad obeundum officium requisita. 4. Fictitium esse S. Ordinis sacramentum. 5. Potestatem clavium cuivis *Christiano* esse propriam. 6. Omnem hierarchiam Ecclesiasticam esse explodendam.

II. Ex hisce principiis posteritas protestantica *systematicam* sibi effinxit *Ecclesiam*, eámque pro cujusvis arbitrio

trio *protheam*, ac *multiformem*. Si *Lutheri* phantaſus obtinuiſſet, Eccleſiæ forma *democratica* foret, vel *anarchica* potiùs, ferè ùt *in ſtatu naturali* religio, quò ad ritus, fuiſſet ad placitum cujusvis.

III. *Mathæus Pfaffius* cum *Thomaſiis*, *Henningibus*, *Gundlingiis*, aliisque, ad cudendum Eccleſiæ proteſtanticæ ſyſtema, *ſupponit*. 1. Eccleſiam non eſſe ſtatum, jurisdictione, ſeu imperio quodam inſtructum; ſed *collegium, naturalis libertatis* jure conflatum, ad cultum Dei publicum exercendum, cujus pactiones *leges Eccleſiaſticas* appellat, omni civili imperio exemptas.

Supponit 2. Inde enaſci *jus ſacrorum duplex*: *Majeſtaticum*, profluens à *ſummo imperio*, quale ſit *ſuprema inſpectio* in Eccleſiaſticum Collegium pro conſervanda quiete publica. Item *poteſtas ſumma* in determinando cultu publico, conferendis privilegiis, diſponendis beneficiis, diſpenſandis matrimoniis, & quidquid jurisdictionem externam olet. Alterum *jus* dicitur *Collegiale*, nullatenus tangens *conſcientiæ libertatem omnimodam*, ſed *directionem Eccleſiaſticam ſolummodo exteriorem*, quale eſt *jus conſtituendi* Miniſtros Eccleſiæ, *adminiſtrandi* bona Eccleſiaſtica, *componendi lites per amicabiles conventiones*, *ordinandi diſciplinam externam pœnitentiaiem jejuniorum*, *feriarum indictionem*, & à *cœtu ſeparationem*, *alienam tamen à vi externa*.

Supponit 3. Hæc jura, *ex naturali jure*, Collegio Eccleſiaſtico competentia, eſſe *delegabilia* certis perſonis, quæ dici poſſint *Eccleſia repræſentativa*: & quia Imperantes ſummi, *ratione ſacerdotii communis*, ad hæc jura habiles ſunt, ea communiter transferri in Principes, quòd directioni huic externæ *mox civilem manum affundere* poſſint. Hanc porrò adminiſtrationem ſupponit *irrevocabilem*, plerumque ſubdelegatam à Principe Doctorum conſeſſui, quod *Conſiſtorium* vocitetur.

Supponit. 4. Sicuti jura hæc Collegialia ſint in Principem translata non *abſolutè*, ſed ſolùm *limitatè*; ita eidem non competere aliam facultatem, *per ſe* vel *ſuos*, in decidendis controverſiis fidei, quàm *merè hiſtoricam*, non verò *judicialem*. Ex quibus

Colligit. 1. Jurisdictionem *internam*, Deo tribui ſolitam, eſſe *merè ſuaſivam*, nullatenus *coactivam*, nullo inter Doctores & auditores diſcrimine, niſi *chariſmatum*, & miniſterii obeundi ratione; jurisdictionem *externam*, ſeu *quovis modo coactivam*, Magiſtratui ſæculari, velut propriam, eſſe tribuendam.

Colligit. 2. Subjectionem in ſpiritualibus eſſe prorſus nullam, quovis in Judicem, *quo ad credenda*, ſibi ſufficiente.

IV. Alii aliam ex ideis *Lutheri* erroneis procudunt Eccleſiam ſyſtematicam: ſic *Thomas Hobbes*, & *Hoctinus* affirmant, civitatem *Chriſtianam* eſſe Eccleſiam, ex quo principio omnia Eccleſiæ jura ad Principem transferunt, eique determinationem omnium fidei articulorum, excepto illo, *Chriſtum eſſe Meſſiam*, attribuunt. Eodem teſte *Pfaffio* alicubi *in Anglia* obtinet forma *Epiſcopalis*, quæ forma publica, præcipua & Regis ſit, ubi Epiſcopi Presbyteris, à ſe ordinatis, ſupereminent, ſic tamen, ut jura Collegialia pauciora ipſi, præcipua Rex exerceat Alibi, ait, vigere formam *Presbyterialem*, ubi nullus Superintendens, qua forma omnes Eccleſias *Calvinianas*, atque etiam *Lutheranas in Belgio*, dirigi aſſerit. Alibi *mixtam* præpollere affirmat, ex forma *Epiſcopali & Presbyteriali*, qua forma pleraſque Imperii noſtri Eccleſias *Lutheranas* gaudere, aſſeverat &c. Ex quibus demum non malè concluditur, Eccleſiaſtici regiminis formam penes Proteſtantes eſſe *anonymam*, vel potiùs *innominatam* atque *innominabilem*, ut *Puffendorfius* hanc quæſtionem etiam *ad inſipidas* releget. *Inſtruct. II. §. 1. Q. 2. & 3.*

Leucotheus. Quale jus ſacrorum, ex ſyſtematicis hiſce Eccleſiaſtici Collegii formis, ſibi exſculpunt proteſtantici Hierophantæ? *Jus ſacrorum profanis Principibus aſſertum.*

Melander. I. *Jus ſacrum*, ùt dicit *poteſtatem ordinis*, *eſt facultas moralis exercendi ea, quæ ad cultum Dei, ſanctificationem, & inſtructionem fidelium ordinata ſunt*: ùt dicit *poteſtatem juriſdictionis*, *eſt facultas exercendi ea, quæ ad defenſionem, ac proviſionem Eccleſiarum, uti & directionem religionis, ſtatúsque Eccleſiaſtici pertinent.*

II. *Poteſtas ordinis* penes Proteſtantes collata per baptiſmum cuivis fidelium, quia pleriſque abolitis Sacramentis, principaliter reducitur ad ſolum miniſterium verbi Divini, & nil ferè aliud eſt *in actu ſecundo*, niſi *deputatio facta à cœtu, vel Principe*. Unde hæc poteſtas etſi æquè poſſit competere Principi ordinariè deſpicitur, velut miniſterium, ejusmodi dignitati ſummæ minùs conveniens, & potiùs dedecoroſum.

III. Poteſtas Jurisdictionis, *quò ad jura ſacra Collegialia* eſt penes Principem *per delegationem*; *quò ad jura Majeſtatica* eſt penes eundem *per proprietatem naturalem*, poteſtati ſummæ annexam. Vi hujus Patronatûs, ùt aiunt, regii, ei competit *jus protectionis*, *proviſionis*, & *directionis*, hoc eſt, jus ordinandi res Eccleſiæ, conſtituendi leges, convocan-

di synodos, mutandi Ministros, erigendi judicia Ecclesiastica, disponendi de bonis, judicandi de causis Ecclesiasticis, & dispensandi in matrimonialibus: verbo, faciendi *liberè, & absque provocatione*, quidquid priùs per jura *Papalia & Episcopalia* disponebatur circa Ecclesias, & Clerum, quò ad externam directionem.

IV. Titulus hujusmodi potestatis sacræ initio fundabatur in illo brocardico absoluto, *cujus est regio, illius est religio*. Sed postmodum, ùt autonomicæ conscientiæ libertati magis consulerent, *ex naturali jure* religionem dixêre ab omni Imperio liberam, jurisdictionem *in interna* nullam, *in externa* partim Ecclesiæ Collegio, partim Principi propriam, *suffragante jure naturæ*, & indole summæ potestatis, ùt habet *Puffendorfius*. Juxta plerosque tamen protestanticos JCtos jus sacrum, etiam reformandæ religionis, per pacem *Westphalicam* Protestantibus est transmissum *ex titulo superioritatis territorialis*, seu ùt fundatum in illo procardico absoluto, *cujus est regio* &c. etsi revera per pacem *Westphalicam* jus sacrum Protestantibus non *ex*, sed *cum territorii jure* cessum sit, postquam in titulum prætenderunt *usum*, à tempore dissidii penes suos inductum, quem tamen Status Catholici *abusum* rectiùs dicere potuissent. *Instructio II. §. 1. Q. 4.*

Specialiter à Puffendorfio. *Leucotheus. Quænam circa jus sacrorum specialia Puffendorfii phantasmata?*

Melander. I. Religionem internam extra omne imperium collocat *jure naturalis libertatis prorsus absoluto, & independente*: unde & autonomiam omnimodam subditis relinquendam, nec absque labe tyrannidis constringendam esse affirmat. Qua in re, & à suorum mente devium, *Westphalicæ* paci oppositum, Imperantibus summis præjudiciosum, & tranquillitati publicæ injurium sese probat, etsi alias ad Reipublicæ & Imperantium commoda, ipsam ordinare, & subordinare religionem extrinsecam, haud vereatur.

II. Potestatem ordinis *in actu secundo, seu actuale docendi munus* à conditione cujuslibet *Christiani distinctum* esse, affirmat, utpote fundatum in *peculiari vocatione, ac aptitudine*, quæ non quidem *ex naturali aliqua repugnantia, sed ex muneris quadam incompossibilitate morali*, Principibus competere nequeat.

III. Potestatem Jurisdictionis externæ omnem, partim *ex indole imperii summi*, partim *ex delatione Ecclesiæ*, in Principes devolvit. Inde eisdem attribuit jus defendendæ, & sustentandæ Ecclesiæ; jus generalis inspectionis, ne *per assumenta papistica* temeretur religio pura, in Imperantium, & Reipublicæ præjudicium; jus convocandi synodos, abrogandi, & constituendi Ecclesiasticas leges, *decori Ecclesiæ externo* accommodas; inspiciendi, & ordinandi Ecclesiasticam disciplinam, discolos puniendo, & excommunicando; jus destituendi, & constituendi, non tamen invitis obtrudendi Ministros Ecclesiæ; jus tolerandi diversas sectas; jus reformandi errores, & abusus in religione, *siquidem Reipublicæ perniciosi sint*; secùs, etsi fundamenta fidei *directè* vel *indirectè* convellant, jus reformandi nullum Principi esse, affirmat, *si modò præstentur ea, quæ ex natura Imperii civilis exigi possunt*. *Instructio II. §. 1. Q. 5.*

Leucotheus. Quæ fundamenta in genere hujus systematicæ religionis, quæ sibi Ecclesiam, per modum Collegii profano-sacri, efformant protestantici Heroplastæ? *Systematis commentitii momenta in genere, ex natura jure malè desumpta.*

Melander. Prima cæmenta, ut vidimus, *ex naturali jure* eruderant.

Nam I. Religionem *internam* omni humana potestate exemptam, *ex naturali libertate*, determinant, quæ libertas per legem Evangelicam *elevata* quidem, *alterata* tamen non fit.

II. Potestatem Ordinis, utì naturæ jure omnibus communem, ita per baptismum *Christianis* cunctis communicatam, affirmant, *per se* loquendo *nullâ intercedente naturali repugnantia*, ùt habet *Puffendorfius*, etsi *per accidens ratione incompossibilitatis cum munere regio*, Principes à sparta *ministerii*, docendique munere excludantur, vel potiùs id dedignentur, & per deputationem in alios transferant.

III. Potestatem jurisdictionis Ecclesiasticæ suppositâ Republicâ, *ex naturali jure* summi Imperii, Principibus tribuunt, quod jus naturale tantùm abest, ut lex gratiæ alterârit, ut potiùs perfecerit, ac confirmârit. *Instruct. II. §. 2. Q. 6.*

Leucotheus. Quæ fundamenta in specie pro religione interna, quasi naturæ jure ab omni imperio libera, juxta protestanticos Moralistas? *In specie de religione interna, quasi jure naturæ ab omni imperio libera.*

Melander. Si *Puffendorfium* audimus. *Ratio est*. I. Quia cultus religionis cuivis personalis, per alium *non est operabilis*; adeóque religio cuivis est libera, & à quovis ex ratione, vel Verbo Dei, liberè determinanda. Sed ex hoc tantùm sequitur, quòd sit libera, quò ad *acceptationem*, non quò ad acceptatæ *retentionem* vel *dispositionem*. Item quòd sit liberè determinanda ex ratione *legibus conformi*, & Verbo Dei *verè tali*; non autem ex ratione *qualitercunque*, vel ex Verbo Dei juxta sensum cujusvis privatum.

Ra-

De pote... Ordinis ... iure ... profana

Ratio eſt. II. Quia mens coactionis externæ eſt incapax. Sed ℞. quòd ſit incapax coactionis quidem *directæ*, non tamen *indirectæ*. Inde ipſe *Lutherus: indirecta poteſtate mens, non cogitur ad credendum, ſed perverſa ſolummodo doctrina imbibetur.*

Ratio eſt. III. Quia Religio eſt *independens* ab omni ſtatu civili, extra quem data eſt, dari poteſt, ac debet. Sed ℞. Quòd ſit independens quidem quoad *profeſſionem* ac *exercitium* non tamen quò ad *directionem* & *conſervationem.*

Ratio eſt IV. Quia autonomica religionis libertas Reipublicæ non eſt adverſa, *niſi ad ſpeciem.* Sed ℞. Hanc libertatem eſſe *directè oppoſitam tranquillitati Reipublicæ Chriſtianæ, legi naturæ, & ſcriptæ contrariam, verum Diaboli inventum, indifferentiſmi matrem, Atheiſmi aviam,* alibi ſat demonſtratum. (a) *Inſtruct. II. §. 2. Q. 7.*

De poteſtate Ordinis, naturæ jure profanata.

Leucotheus. Quæ momenta in ſpecie de poteſtate Ordinis, quam ex jure naturæ profanant, & Principibus laicis adjudicant proteſtantici Moraliſtæ?

Melander. Præter fundamenta, quæ Catholicis ſcandaloſa, *in baptiſmali ſacerdotio, Sacramentorum, & ſacrificii abolitione* ſuprà poſuit *Lutherus*, *Aſſerunt* I. In lege naturæ poteſtas ſacra, & profana fuit conjuncta, ut in *Melchiſedecho:* ergo à pari; cùm gratia non deſtruat naturam. Sed ℞. Quòd fuerit quidem conjuncta vi juris humani, non tamen vi juris naturæ. Unde paritas, quæ à lege naturæ ad legem gratiæ nulla eſt, utpote in qua poteſtas ſacra eſt *ordinis altioris.*

Aſſerunt II. *Etiam in ſtatu naturæ homo* habuit finem ſupernaturalem: ergo competiît Principi, vel ſaltem communitati poteſtas proportionata, non merè naturalis. ſed ordinis altioris. Sed ℞. N. C. Quia ſuffecit poteſtas naturalis, ad præcepta ſupernaturalia *mediante gratiâ* obſervanda, & ſic ad finem ſupernaturalem obtinendum.

Aſſerunt III. Communitati *Chriſtianæ* quà tali competit *ex ipſa natura* ejusmodi Eccleſiaſtica poteſtas: ergo erit delegabilis Principi. Sed ℞. Quòd quidem competeret, niſi *Chriſtus* inſtitutione Divina elevare voluiſſet hanc poteſtatem ſupra naturam, facta autem elevatione nequaquam competat.

Aſſerunt IV. Principes dicuntur regnare *gratia Dei*, ùt *Vicarii Numinis*; vituperantur à Deo ob ſacra neglecta, ob promota laudantur: ergo competit illis poteſtas ſacra. Sed ℞. N. C. Quia hæc tantùm probant poteſtatem politicam, vel ſacram quidem, ſed non niſi advocatiæ. *Inſtruct. II. §. 2. Q. 8.*

De poteſtate jurisdictionis Eccleſiaſticæ, eodem naturæ jure in laicos translata.

Leucotheus. Quæ rationes in ſpecie de poteſtate jurisdictionis ſacræ, quam ex naturæ jure profanant iidem authores?

Melander. Rationes deſumunt ex *indole imperii ſummi*, quaſi inde, ſuppoſitâ civitate, naturali jure in Principes flueret poteſtas ſacra. Nam

Arguunt I. Principi *naturæ jure* competit poteſtas neceſſaria ad finem publicæ tranquillitatis: ergo *ſumma*, ſeu incluſiva poteſtatis etiam ſacræ, & excluſiva alterius æquè ſummæ. Sed ℞. Quòd competat ſumma *in genere quidem politico*, non tamen ſacro. Nam Poteſtas duplex, *in genere diverſo*, non eſt præjudicioſa fini tranquillitatis publicæ, ſaltem *per ſe*, hoc eſt, ſervata debita ſubordinatione.

Arguunt II. Repugnant primis politicæ ſanioris principiis, *in eodem regno* duo Reges *independentes*: cùm faciant *ſtatum in ſtatu.* Sed ℞. Quòd quidem repugnent, ſi ſint ejusdem ordinis, & poteſtatis, non tamen ſi ſint diverſæ, ſic ut hæ certos habeat limites, & neutra egredi ſuos, atque invadere valeat alienos.

Arguunt III. Principis poteſtas ſe extendere debet ad ea omnia, quæ quietem, & concordiam publicam concernunt, adeóque & ad religionem. Sed ℞. Quòd ſe extendere debeat ad religionem *jure protectionis, & defenſionis*, mediante brachio ſæculari, non tamen *jure regiminis. Inſtruct. II. §. 2. Q. 9.*

Catholicorum hac in controverſia ſenſus.

Leucotheus. Quis hac in re ſenſus orthodoxus, & qualis juxta Catholicos habitus religionis naturalis ad Chriſtianam?

Melander. I. *Habitus religionis naturalis ad Chriſtianam eſt ſuo modo diſpoſitivus. Ratio eſt*, quia cùm Naturæ vires ſint *inſufficientes* ad opus ſalutare, nec fides cadat ſub meritum, id ſolùm efficere poteſt natura, ut per notitiam naturalem de Deo, ejúsque cultum in ſervandis naturalibus legibus, faciat, *quantum eſt in ſe*, ſicque ſe *diſponat*, ne Deus deneget gratiam, qua certò perveniat ad religionem *Chriſtianam.*

II. *Jus ſacrorum, ſeu poteſtas ſacra nullatenus competit poteſtati politicæ ex natura rei, ſeu vi ſtatûs naturalis, ut ex lege naturæ inaniter ſupponunt cum Puffendorfio proteſtantici Moraliſtæ.*

Aſſertum conſtat. 1. Ex Proteſtantium quisquiliis jam rejectis. 2. Ex eo, quòd poteſtas Eccleſiaſtica, & ſæcularis differat *ex fine*, illâ ſupernaturalem, hac naturalem reſpiciente. 3. *Ex origine*, quam habet illa à Deo, ùt *authore gratiæ*; hæc itidem à Deo, ſed ùt *ab au-*

ctore

(a) In Coll. Hiſt.

thore naturæ. 4. *Ex objectis*, potestate Ecclesiastica se extendente *ad spiritualia*, putà principia fidei, gratias, censuras &c. sæculari se extendente *ad temporalia*. 5. *Ex universalitate*, qua potestas sacra eadem esse debet *respectu totius Generis humani*, adeóque Moderatoris unius, ut ne, multiplicatis Capitibus, diversæ circa viam salutis ferri queant sententiæ, quæ ratio cessat in potestate sæculari. 6. *Ex necessitate*, cui non satis esset prospectum, si penes eosdem Principes esset tam sacra, quàm politica potestas, utroque munere non satis bene compossibili. 7. Denique *ex absurdis*, quæ sequerentur, quòd nempe potestas circa sacra, si juris foret naturalis, competiisset etiam Principibus ethnicis respectu religionis *Christianæ*. &c.

III. *Jus sacrorum, seu potestas sacra, neque competit potestati politicæ ex jure humano, quod ex Collegiali Ecclesiæ delegatione Protestantes derivant. Ratio* est, quia jus humanum qualecunque, seu Gentium, seu Collegiale communitatis, fundaretur, & originem traheret *à solo jure naturali*: atqui hoc non attingit potestatem sacram, ùt dictum. Unde frustra prætenditur, plura laica Ecclesiarum particularium capita uniri in unico capite totius Ecclesiæ universalis, nempe in *Christo*: nam non sufficit unitas qualiscunque, & qualicunque in capite, sed *vera* in capite *visibili*, quale requiritur ad corpus mysticum, & unum Regnum spirituale, in suo genere perfectum. Neque sufficeret subordinatio capitum particularium ad concilium Regale Principum, quia si singuli supremi ante Concilium, quis Concilium congregaret? Quis in Concilio alteri sententiam suam postponeret, ubi ejusmodi regiminis aristocratici, respectu Ecclesiæ, vel leve vestigium in Scriptura? *Instruct. II. §. 2. Q. 10.*

§. 3.

§. III.

De habitu religionis Judaicæ ad Christianam, & Christianæ ad vitam civilem.

Habitudo religionis Judaicæ ad Christianam, juxta Protestantes in ordine ad profanandam potestatem sacram.

Leucotheus. Quæ convenientia Religionis Judaicæ ac Christianæ adstruitur in systemate protestantico in ordine ad potestatem sacram, Imperantibus laicis asserendam?

Melander. I. Juxta *Puffendorfium* religio *Judaica* fuit, *Divino jure*, statui politico innexa, sic ut *potestas ordinis* fuerit penes tribum *Leviticam*; *potestas jurisdictionis* manserit penes Reges, adeóque non sit formatus *status in statu*: ergo, infert, idem dicendum esse de religione *Christiana*, etsi de cætero multiplex intercedat disparitas. Nam religionem *Judaicam* fuisse propriam, asserit, non nisi uni populo *Hebræo*, *Christianam* omnibus; illam habuisse sacrificia, hanc habere nullum; ibi sacerdotium fuisse personis certis peculiare, hic esse commune omnibus; ibi cultum publicum uni loco affixum, hic nulli. &c.

II. In eadem sensa abit *Henniges* cum Protestanticis cæteris, aitque, potestatem sacrorum *Judaicis* Regibus semper fuisse propriam, etsi post captivitatem *Babylonicam* sacri ordinis potentia creverit, sic ut omne imperium, etiam in sacra, ad se pertraxerit. *Instruct. III. §. 1. Q. 1.*

Leucotheus. Quæ momenta ex Testamento veteri prætendunt Protestantici pro vindicanda Principibus laicis potestate circa sacra? *Momenta prætensa.*

Melander. I. Quòd in lege antiqua fuerit præcepta obedientia Regibus etiam paganis, ùt *Angelis* Dei, *unctis Domini* &c. sed hoc nil refert: nam hæc spectârat tantummodo *temporalia*, non *sacra*.

II. Quòd in veteri Testamento potestas sacra fuerit profanæ subinconnexa ùt in *Moyse*, *Heli* &c. sed hoc probat viam solummodo *extraordinariam*, non *ordinariam*. Immò probat, sacram nunquam fuisse à merè profanis exercitam.

III. Quòd Rex *Asa* subverterit *excelsa*, *lucósque* succiderit; quòd *Ezechias* confregerit *æneum serpentem* &c. At hæc non probant conjunctionem Imperii & sacerdotii, sed *jus protectionis*, ac *zelum* sacrorum, in amovendis scandalis publicis, etiam Regibus proprium.

IV. Quòd Rex *Josaphat miserit* Principes, & Levitas *ad docendum populum*; quòd *constituerit* sacerdotes ad exercenda judicia *in causis Domini* &c. At hoc intelligendum de missione, & constitutione impropriè tali, *per designationem etiam* Regibus competentem; non de propriè tali *per collationem potestatis sacræ*, atque *judiciariæ*, uti colligitur ex alio loco Paralipomenon, (a) ubi expressè declaratur, ea, quæ *pertinent ad Deum*, non ad Regis, sed Pontificis imperium esse referendum.

V. Quòd Rex *Salomon* deposuerit summum sacerdotem *Abiathar*, exilióque multârit &c. sed hoc nil evincit: nam vel factum est jure naturali *in causa perduellionis*, pertinente ad pacem,

(a) 2. c. 19. v. 11.

pacem publicam; vel jure Divino *extraordinario*, quo *Salomon* implevit oraculum illud de Domo *Heli* exterminanda, uti innuit Scriptura, ejectioni *Abiatharis* subjungens causam, *ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo*; vel, quod probabilius, *Salomon* non tam exercuit potestatem *directam* deponendo Pontificem, quàm *indirectam*, eundem separando *ab usu muneris*, solique *Sadoc* id relinquendo, Regem ad hoc cogente causâ publicâ, ne quid turbarum, post *Adoniæ* mortem, in Reipublicæ perniciem *Abiathar Jerosolymis* moliretur.

VI. Quòd *Salomon* ædificârit templum, oblatisque victimis dedicârit; quòd *David* congregârit sacerdotes, arcam reduxerit; quòd *Osias* librum Legis prælegerit, fœdus cum Deo percusserit &c. At hæc omnia *jurisdictionem* in sacris haud probant, sed *specialem* Regum *devotionem*, ac *pietatem*, *fidelitatem* quoque ac *protectionem*, curando, ut errores, & superstitiones contra veram, & ab Ecclesia approbatam doctrinam, vel ingressum non habeant, vel ubi inventi fuerint, expellantur.

VII. Quòd, uti in lege antiqua, ita & in nova *potestas ministerialis* competat sacerdotio; *Jurisdictionalis* verò Regibus &c. Sed hoc asserere nequeunt Protestantes: nam in eorum principiis, quæ *ratione baptismi* omnibus æquè sacerdotium tribuunt, Principibus æquè competeret potestas ministerialis, ut adeò à lege antiqua ad novam ab illis nulla paritas duci queat. *Instruct. III.* §. 1. *Q.* 2. *&* 3.

Sensus hac in re catholicus. *Leucotheus. Quis de habitudine religionis Judaicæ ad Christianam sensus penes Orthodoxos?*

Melander. I. Etsi transmitteretur, competiisse in veteri Testamento quamdam Regibus potestatem circa sacra, nulla foret argumentatio ad Testamentum novum. *Ratio est*: quia potestas sacra in lege nova est *ordinis altioris*: non enim *Mosaico* Pontifici dictum legimus: *tibi dabo claves Regni Cælorum*; & *quodcunque solveris, vel ligaveris*. &c. Neque: *pasce oves*, sic ut potestas quædam *summa*, ac *independens*, eidem collata, jure inferri possit.

II. *Jus sacrorum, seu potestas sacra non competit potestati politicæ jure Divino antiquo, uti ex lege scripta veteris Testamenti male arguunt protestantici Authores. Ratio est.* 1. Quia argumenta, suprà allata, nulla sunt. 2. Quia, *quò ad potestatem strictiùs sumptam*, prout denotat cultum Divinum, sacrificia, & ceremonias &c. res patet in *Saule*, ratione oblati sacrificii per *Samuelem* increpito; in *Ozia*, ratione incensi leprâ percusso. Quò ad potestatem latiùs sumptam, ùt spectat Jurisdictionem sacram, leges, judicia &c. res patet variis Legis antiquæ testimoniis, queîs legimus: *Amarias Sacerdos in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* (a) Item: *cùm controversia fuerit, stabunt sacerdotes in judiciis meis, & judicabunt.* (b) &c. *Instruct. III.* §. 1. *Q.* 4.

Habitudo religionis Christianæ ad vitam civilem juxta Protestantes. *Leucotheus. Quænam habitudo religionis Christianæ ad vitam civilem secundum principia Protestantium?*

Melander. I. Religio *Christiana*, in eorum sensu, non facit statum peculiarem, seu Rempublicàm, jure Divino distinctam à civili, potestate propriâ, ac independente administrandam; sed merum efficit in statu civili Collegium, libertate Fidelium naturali coalitum, & quò ad jurisdictionem externam potestati civili penitus subjectum.

II. Inde deducunt, habitudinem religionis *Christianæ* in principiis catholicis, esse minùs accommodatam ad vitam civilem, eò quòd formet *statum in statu*: contrà, in principiis Protestanticis, esse accommodatissimam, eò quòd non formet nisi merum Collegium, potestati Imperantium summæ, quò ad externa, penitus subordinatum. *Instruct. III.* §. 2. *Q.* 5.

Rationes prætensæ. *Leucotheus. Quibus momentis religionis statum à statu civili eliminare conantur Protestantici symmystæ?*

Melander. I. *Ratio est*, authore *Puffendorfio*: (c) quia *Christus* in fundanda Ecclesia haud sese gessit ùt *fundator statûs*, seu cœtûs, potestate aliqua externa sibi propria, ac independente præditi V. G. *Moysis* instar assumendo personam Ducis, populum colligendo, territorium sibi quærendo, magistratus instituendo, pœnas irrogando, tributa imponendo &c. sed potiùs directè opposita præstando &c. Accedit: quòd nec Apostolos miserit ad imperandum, unum omnibus præficiendo, certam Regiam deligendo &c. sed ad docendum, ab ambitione dehortando, in omnem terram dispergendo &c. At hæc omnis phraseologia impertinens est, cùm tan-

(a) 2. Paralip. c. 19. 11.
(b) Ezechiel, c. 44. 24. Item Deutero. 17. 12. 17.
(c) Lib. de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem à §. 12. & 46. *Inst. Jur. Nat. & Gent. Epitome.*

tantùm probet, *Christum* & Apostolos non fundâsse statum aliquem *mundanum*, & *secularem*, non verò *Ecclesiasticum*, & *spiritualem*.

II. *Ratio est*: quia, *præter munus docendi*, potestas nulla Apostolis data à *Christo* sive *directa* præcipiendo, dirigendo, vel in refragantes animadvertendo; sive *indirecta*, doctrinæ subtractione Fideles ad subjectionis obsequia compellendo, cùm ipsa *potestas clavium* non jurisdictionem, sed *doctrinam Evangelii* indicet, cui credentibus *per fidem* remittantur; non credentibus *per infidelitatem* retineantur peccata. Accedit, quòd neque per verbulum *petræ* quidquam jurisdictionis, *Petro* collatæ, erui possit, cùm per hanc nil nisi *Evangelium* intelligi debeat. Sed hæc omnia, quàm sint hæretica, vel ipse abusus sacræ Scripturæ demonstrat, protestanticè nugatorius.

III. *Ratio est*: quia quidquam *imperii*, vel *potestatis externæ*, neque inferri potest *ex Regno Christi*, quod est Regnum veritatis *merè internum*; neque *ex notione Ecclesiæ*, quæ nil est, nisi *cœtus liberè coëuntium*, absque jurisdictione; neque ex ejus *structura*, quæ est absque mutua conventione, subjectione, vel subordinatione unius cœtûs ad alium; nec denique ex cujusdam *Judicis*, in controversiis *fidei infallibilis*, *necessitate*, cùm infallibilitas probari non possit; necessitas verò suppleri queat, litibus per amicabilem compositionem determinandis. Sed quàm hæc miserabilis pseudologia cariosis nitatur fulcris, per confutatas hæreses dudum dirutis, clarescit. 1. Quòd Regnum *Christi* debeat esse visibile, quia *civitas posita supra montem*. 2. Quòd Ecclesiæ jurisdictio sat probetur per potestatem *ligandi*, *solvendi*, *regendi*, *præcipiendi*, *discolos à se abscindendi* &c. 3. Quòd mutua conventio ab ipsomet *Puffendorfio* adstruatur *per pacta Collegialia*; subjectio declaretur per Apostolum dicentem: *Episcopos à Spiritu Sancto positos, regere Ecclesiam Dei*; subordinatio Ecclesiarum, & regimen universale demonstretur à S. Paginis, ubi Ecclesia vocatur *corpus Christi*, *sponsa*, *unum ovile*, ut appareat esse *unica*; ubi dicitur *Regnum*, *arca*, *navis*, *exercitus*, ut per conjunctionem membrorum cum capite appareat esse *una*. 4. Quòd Judicis infallibilitas innuatur illo *Christi*, *Paulique* oraculo, quo Ecclesia dicta est *columna*, & *firmamentum veritatis*, *contra quod portæ inferi non prævaluturæ sint*; necessitas demonstretur per confusionem religionis protestanticæ, in sectas non tot, quin plures, *defectu Judicis*, miserabiliter divisæ. *Instruct. III. §. 2. Q. 6. 7. & 8.*

Leucotheus. Quibus aliis nugamentis jus sacrorum profanare, & potestati laicæ vindicare laborant protestantici Moralistæ? Alia nugamenta.

Melander. I. *Fucus est*, quòd religio catholica, *formans statum in statu*, deroget imperio Principum summo contra S. Scripturæ scita, quibus *absque discrimine* inculcatur obedientia: *omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit &c.* Immò quibus declaratur Ecclesiæ nil imperii competere, dicente *Christo*: *Regnum suum non esse de hoc Mundo.* &c. Accedit, quòd ejusmodi *status in statu* non possit non vergere in præjudicium civilis vitæ, publicæque tranquillitatis. Sed quàm inaniter hæc dicantur, *patet*. 1. Quòd nullum sit imperium, seu jus, Principi legitimè competens, in sacra, adeòque per Ecclesiæ statum nulli derogari possit. Non enim jus in sacra Principi competit *ex indole religionis*, quæ, teste ipsomet *Puffendorfio*, nil *potestatis* transfert in Principem, sed facit *merum membrum* Collegii, *non attentâ ejusdem dignitate*, sic ut *plus juris* non obtineat, quàm quivis alius, *etiam gregarius miles*, in Ecclesiam adscitus. Non ex *indole imperii summi*, quod est alterius ordinis, nec *directè*, & *per se* incompatibile cum jure sacro ordinis altioris, id quod in Regnis catholicis, per septendecim sæcula, evidens experientia contestatur. Nec *ex indole imperii summi*, ùt *conjuncti cum officio Christiani*, *cùm*, *eodem teste Puffendorfio*, *nec ad religionem opus sit civitate*, *nec civitati religione Christiana*, *hujus fine à fine illius longè discrepante*. Inde S. Scriptura *impertinenter* attrahitur, quia omnibus *indiscriminatim* obedientiam imperat *respectu potestatum sublimiorum*, sic tamen, ut Ecclesiasticæ potestati in spiritualibus, laicæ in temporalibus obediendum sit. Ita etsi S. Textus Regnum *Christi* neget esse *de Mundo*, non tamen negat esse *in Mundo*, adeòque potestatem Ecclesiæ externam nullatenus inficiatur. *Patet*. 2. Quòd Ecclesia, etsi faciat statum *per se*, nil perturbationis civili statui inferat, *si modò servetur subordinatio de jure debita*: non enim oriuntur, *in eadem civitate*, duo summa imperia sibi adversa; nec obligationes civium sibi invicem repugnantes, cùm tendant & ad diversa objecta & fines: ut adeò, nec *ratione tranquillitatis publicæ conservandæ*, quidquam juris in Ecclesiam *etiam indirectè* tantùm, summis Imperantibus accrescat.

II. *Fucus*

II. *Fucus est*, quòd ipsimet SS. Patres Imperantium potestati politicæ jus quoddam sacrorum adjudicent: nam. 1. *S. Augustinus* in Principibus quidem recognoscit potestatem *ferendi leges contra impietates*, videlicet *pro sacris non in sacris*; pro defendenda Ecclesia contra pravitatem hæreticam; pro refrenandis scandalis &c. non pro ordinanda Ecclesia, uti satis probat contextus. 2. *SS. Chrysostomus, & Ambrosius* Principibus attribuunt potestatem coërcitivam in sacris, sed non nisi *gladio temporali* armatam, reservatâ ordini Ecclesiastico potestate coerciriva *per gladium spiritualem*, uti alibi declarant. 3. Patres in Concilio *Arelatensi Carolo M. decretorum emendationem* obtulère in iis solummodo, quæ *laicos simul & Clericos* concernebant, potestatem deferendo non *in sacris*, sed *pro sacris*, ut statuta, per ejus authoritatem simultaneam, faciliùs executioni mandarentur. Item adjudicârunt *decretorum protectionem, & adjutorium*, ad faciliorem executionem necessarium, ùt patet ex adhibitis terminis nullam *jurisdictionem*, sed *pietatem Cæsaris* indicantibus. 4. *S. Gregorius M.* suam testatus est *Mauritio Cæsari*, tanquam *Domino*, subjectionem solummodo *quà privatus*, Pontificiam authoritatem dissimulando, non eandem Cæsari subjiciendo, ùt evidenter patet ex initio illius epistolæ, ubi ait, *se non, ùt servum, jure Reipublicæ, sed jure privato loqui.* 5. *S. Leo* vocavit Imperatorem *Pontificem* utique *analogicè*, sicut *Constantinum M.* dictum legimus *Apostolum fidei*: sed veriùs epistola illa est *supposititia*, aut certè *mendosa*, ùt rectè observat Glossa. 6. Denique à Patribus varii actus potestatis spiritualis hinc inde Regibus tribuuntur V. G. *veritatem docere, errores depellere* &c. qui tamen jurisdictionem sacram, *propriè talem*, haud innuunt, sed *puram Ecclesiæ*, per modum *exhortationis, honoris*, ac *laudis*, iisdem commendatam, ut ope ac authoritate Regia ignorantia Fidelium faciliùs tolli, sana doctrina propagari, ac perversa eliminari potuerit.

III. *Fucus est*, quòd acta Cæsarum *potestatem in sacris* liquidò evincant, quibus ex Historia constat, Pontifices *Romanos*, & Episcopos ab Imperatoribus institutos, ac destitutos; ordinationes item ac leges, *etiam quò ad dogmata fidei*, à *Justiniano* promulgatas. Sed acta Cæsarum *factum probant*, non *jus*, nisi forsan à Clero, *propter acerbitatem temporum*, delegatum. *Justiniani* ordinationes, circa sacra, civili juri insertæ sunt, non exercendæ jurisdictionis Ecclesiasticæ causâ, sed fidei & disciplinæ Ecclesiasticæ, aliunde statutæ, in vigore suo conservandæ gratiâ.

IV. *Fucus est*, quòd saltem convocatio Conciliorum sit Regibus propria. 1. Ob curam Religionis. 2. Tanquam quid adiaphorum. 3. Ob paritatem cum veteri Testamento. 4. Ob defectum potestatis in Ecclesia ante Cæsares, *Christo* initiatos. 5. Ob jus istud, jam sæpe exercitum ab Imperatoribus. 6. Et quidem legitimè teste *S. Hieronymo*, & *Nicolao* I. Pontifice Maximo. Sed hæc inania sunt: Nam. 1. Regibus competit quidem cura Ecclesiæ, sed *defensiva*. 2. Nec convocatio *adiaphora* est, sed *spiritualis*, uti patet *ex fine*, qui est *decisio controversiarum fidei, emendatio ac introductio Ecclesiasticæ disciplinæ*. 3. Nec in Testamento veteri convocatio erat *imperiosa*, nec ad decidenda dubia religionis, sed ad aliquam cultûs Divini solemnitatem. 4. Nec deerat unquam Ecclesiæ *potestas* convocandi Concilia, etsi primis sæculis *opportunitas* defuerit. 5. Nec Imperatores convocârunt Concilia, saltem legitima, *jure proprio*, sed *delegato*, ad delegationem cogente non raro necessitate ob locum, commeatum, ac sumptus. 6. Unde in hoc sensu intelligendi Patres, cùm Conciliorum *indictionem*, vel potiùs *promotionem, protectionem*, canonúmque *executionem* Imperatoribus tulère in acceptis. *Instruct. III. §. 2. Q. 10. 11. & 12.*

Leucotheus. Quid juxta doctrinam, verè catholicam, sentiendum de habitudine religionis ad statum civilem? *Habitus religionis ad vitam civilem juxta Orthodoxos.*

Melander. I. *Est dogma catholicum, esse in Ecclesia Christi potestatem spiritualem jurisdictionis externæ, & quasi politicæ. Patet. 1.* Authoritate S. Scripturæ, tribuentis Ecclesiæ jurisdictionem externam, hoc est, potestatem *ligandi, solvendi, Ecclesiam regendi*, contumaces, quasi ethnicos, *à se abscindendi*, dicente *Paulo*: hæc *absens scribo, ut præsens duriùs agam secundùm potestatem, quam Dominus mihi dedit in ædificationem* &c. (a) *Patet 2.* Quia teste S. Scriptura *Christo* promissum est *Regnum* in terris his inchoandum, juxta illud: *faciam eos in Gentem unam in terra, & Rex summus erit Dominus imperans*, (b) quod Regnum, etsi non sit *de Mundo*, seu temporale, est

(a) Cor 13. 10.
(b) Ezech 37. 22.

est tamen *in Mundo spirituale*: ergo in ullo debet dari potestas proportionata, seu spiritualis, qua sine nec gubernari, nec conservari posset.

II. *Est dogma catholicum, hanc potestatem spiritualem jurisdictionis externæ esse à temporali politica penitus distinctam.* Nam diversitas *patet. 1. Ex fine*: illa enim ordinatur ad Reipublicæ tranquillitatem; hæc ad æternam salutem. *2. Ex origine*: illa enim est à Deo, ùt authore Naturæ; hæc à *Christo*, ùt Authore gratiæ &c.

III. Contra hæc nugatoriè opponunt aliqui. 1. Quòd *Christus* sit Rector Ecclesiæ invisibilis *per spiritum veritatis, qui docet nos omnia* &c. Nam Etsi *Christus* sit Rector *invisibilis*, & *principalis*, non tamen excludit Vicarium *visibilem*, & *subordinatum*. Item etsi interiùs doceat *per spiritum sanctum*, exteriùs tamen regit per suum Vicarium. 2. Quòd sicut non expediret potestas temporalis totius Mundi, ita nec spiritualis, uno homine ad regendos omnes haud sufficiente. Nam expediret etiam in regnis politicis, si facerent unum corpus, uno homine, saltem per subordinatos sibi ministros, sufficiente, id quod fit in Ecclesia. *Instruct. III. §. 3. Q. 13.*

Spectato jure Divino.

Leucotheus. Quænam doctrina orthodoxa circa hanc distinctionem potestatis Ecclesiasticæ à civili, spectato jure novi Testamenti?

Melander. I. *Est dogma catholicum, jus sacrorum, seu potestatem sacram, nullatenus competere potestati politicæ jure Divino novi Testamenti, prout erroneè statuunt protestantici Scriptores.*

I. *Ratio est*, quia pro potestate politica nullum in nova lege testimonium, uti colligitur ex dictis.

II. *Ratio est*, quia testimonia novæ legis potiùs testantur oppositum, distinguendo potestatem Ecclesiasticam à civili, non Principibus, sed *Petro*, ejúsque successoribus dicendo: *pasce oves meas* &c. *quodcunque ligaveris* &c. dicendo Apostolis, eorumque successoribus: *attendite universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei: quid vultis in virga veniam ad vos? jam judicavi tradere hujusmodi Sathanæ &c. in promptu habens ulcisci omnem inobedientiam &c. obedite Præpositis vestris* &c. quæ omnia in sensu plano, atque clarissimo, Ecclesiastico Ordini distinctam adstruunt potestatem non modò *directivam*, sed & *coërcitivam*.

III. *Ratio est* peculiaris *Christi* institutio *respectu Ecclesiæ, tanquam corporis mystici*, per omnem Orbem diffusi, testante Apostolo; *Ecclesiam esse unum corpus, unum spiritum, atque in ea unam spem, unum Dominum, unam fidem, unum baptisma* &c. Atqui est impossibile servari hanc unitatem per Principes laicos, & ditionibus diversos, & potestate independentes, propriâ experientiâ Protestantes evidenter utique convincente. Accedit peculiaris *Christi* institutio *respectu Ecclesiæ, tanquam firmamenti veritatis, contra quod portæ inferi non prævalebunt* &c. quod firmamentum haberi nequit, nisi in Judice universali, eóque infallibili: atqui talis nequit esse Princeps politicus, quia *nec universalis*, nec indubitatâ Spiritûs Sancti assistentiâ, ullibi munitus.

Scopus protestanticus respectu potestatis sacræ, protervè Lutheri ea profanata.

IV. *Ratio est* peculiaris *Christi* institutio *respectu Hierarchici Ordinis in* Ecclesia, dicente Apostolo: *à Deo positos primùm Apostolos in Ecclesia, deinde Prophetas, tum Patres, & Doctores* &c. Inter Apostolos autem primus nominatur *Petrus*, utique non vocatione, sed dignitate juxta illud: *Pasce oves meas, & agnos meos* &c. *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua* &c. *tu conversus confirma fratres; tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Accedit *necessitas*, quæ evincit subordinationem hierarchicam, dicente *S. Hieronymo: propterea inter duodecim unus eligitur, ut, Capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

V. *Ratio est* praxis Ecclesiæ, usúsque potestatis sacræ, & quidem privativè Ecclesiastico Ordini propriæ, continuus ab ævo Apostolorum, à primis tribus sæculis, quibus nemo Princeps laicus erat in Ecclesia, *continuato hujus potestatis sacræ exercitio* ad usque nostra tempora; quam praxin *continuatam usurpationis violentæ injuriam* dicere, est contra Orbis orthodoxi judicium, cum limosis quibusdam bufonibus coaxare.

VI. *Ratio est* sensus *Conciliorum generalium, Nicæno* I. *Romanum* Pontificem appellante *primum, Vicariúmque Christi super universam Ecclesiam constitutum; Constantinopolitano I. Ephesino I.* & aliis eundem Primatum *Romano* Pontifici adjudicantibus.

VII. *Ratio est* consensus *SS. Patrum Irenæi, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Cyrilli Hierosolymitani, Augustini, Ambrosii, Damasceni, Athanasii*, & aliorum, qui unanimi suffragio huic *Romanæ* sedi Primatum attribuunt. *Instruct. III. §. 3. Q. 14.*

Etiam humano.

Leucotheus. Quænam doctrina orthodoxa circa distinctionem potestatis Ecclesiasticæ à civili, spectato jure humano-Ecclesiastico?

Melander. Potestas circa sacra neque competit summis Imperantibus jure Ecclesiastico, seu ex concessione Pontificum, sicut allegatis exinde quibusdam titulis evincere

con-

contendunt nonnulli protestantici Scriptores. Assertum patet ex obviis canonibus *Gelasii, Joannis*, & *Nicolai* in decreto *Gratiani*; ex statutis *Innocentii III. Bonifacii VIII. Anastasii II. Symmachi*, & aliorum, quibus distinctionem utriusque potestatis expressè declarant, ex quibus testimoniis saltem clarescit certa & immutata Ecclesiæ traditio, cùm non solùm recentiores, sed & antiquissimi Pontifices, Sancti & Martyres, veritati huic testimonium dederint. *Instruct. III. §. 3. Q. 15.*

Scopus protestanticus respectu potestatis sacræ, proternà Luthericâ profanata.

Leucotheus. Quis Puffendorfii, & aliorum Protestantium scopus in profananda, per tot molimina, hierarchici Ordinis potestate?

Melander. Scopus est Protestantismus, per rationes & emolumenta status civilis accommodatâ religione, penes acatholicos Principes suffulciendus, penes catholicos commendandus, ac promovendus.

Res patet. I. *Ex fine*, quem sibi *Puffendorfius*, unà cum suis Commentatoribus præfixit in opere grandi *de jure Naturæ & Gentium*, malignitate protestanticâ elaborato, quia ad eliminanda è Republica *perniciosa*, ùt ait, *dogmata de summa potestate extranei cujusdam sacerdotis; de dependentia Cleri ab aliquo sacerdote extraneo* &c. adeóque ad subruendam Hierarchiam Ecclesiasticam unicè accommodato.

Res patet. II. *Ex fine*, quem idem *Puffendorfius* sibi posuit *in aureo* (ùt ait *Pfaffius*) libello *de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem*, ubi religioni protestanticæ, *respectu habitudinis ad politicum regimen*, palmam adjudicat. 1. Quòd potestate sacra, & profanâ, *Lutherice* unita, non faciat *statum in statu*, ùt tamen potestate divisâ faceret religio catholica. 2. Quòd nequaquam opes civitati, neque jura Principi, neque subditos statui politico subtrahat, utì catholica. 3. Quòd potestatem suam nullatenus in ipsos Principes extendat, utì catholica. 4. Quòd nec, ùt ista, obligationes civium dividat. Ex quibus omnibus deducit Protestantismum, à Principibus, si modò sapiant, quàm maximè esse fovendum.

Res patet. III. *Ex parallelo*, quod in eodem libello ducit religionem catholicam inter & protestanticam. Nam postquam Principi suasisset, ut sepositis præjudiciis religionem ex ratione statûs dimetiretur, religionem catholicam eidem *suspectam* reddere contendit. 1. Ob lectionem S. Scripturæ, *protestanticè*, hoc est, *promiscuè* non permissam, ut ne, quod ait, facilè doctrinæ debilitas magis peritis suboleat. 2. Ob Cleri ingentem magnificentiam, opes, aliáque commoda, tam pertinaciter defensa, *obtentu religionis*, qui prætextus cesset penes præcones protestanticos. 3. Ob Cleri sævitiam in omnes, suis phantasmatis adversantes. Ex quibus infert Protestantismum majoribus veritatis sinceræ judiciis esse suffultum. *Instruct. III. §. 4. Q. 10.*

Catholicorum sensus de hisce Protestantium ampullis.

Leucotheus. Quis Catholicis sensus de hoc Protestantium scopo, seu Protestantismi commendatitius, ex ejus majori habitudine ad civile regimen petitis?

Melander. I. Est nota Protestantismi stigmatica, metientis religionem, ex habitudine ad civile regimen, eámque sic accommodantis statui politico, ut ex parte oleat *Hobbesianismum*, sternátque viam ad *Machiavellismum*, modo quidem magis tecto, minúsque scandaloso, sed vel ideò minùs tuto, magisque periculoso.

II. Calumnia est, religionem catholicam *per se*; acatholicam non nisi *per accidens* disposuisse quondam ad turbas civiles. Hanc calumniam castigavimus in Coll. Hist. P. IV. Quæstione 12. per totum.

III. Calumnia est, religionem catholicam, *in ordine ad civile regimen*, protestanticâ esse minùs accommodam. Et hanc inanem gloriolam, multiplici positione contusam, dedimus in Coll. Hist. P. VI. Q. 1. per totum.

IV. Calumnia est, religionem catholicam debere meritò Principibus esse *suspectam*, ob S. Scripturæ **lectionem**, promiscuè non permissam, cujus promiscuus usus, & abusus vel ipsum protestantismum dilaniavit in tot variegatas lacinias, & etiamnum hodie ex erroribus novos parturit errores, *indifferentismi* fæcunda Mater. Calumnia est, quòd religio catholica debeat esse suspecta ob Cleri magnificentiam, sævitiam, in dissentientes sibi exerceri solitam: utramque oppositis thesibus in conviciatores rejecimus Parte VII. Coll. Hist. Q. 1. & 9. *Instruct. III. §. 4. Q. 17.*

Censura aurei libelli Puffendorfiani de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem.

Leucotheus. Quod denique pretium ab Orthodoxis habendum est aureo (si credere fas est) Puffendorfii libello de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem?

Melander. I. *Tantùm abest, ut aurei epitheton qualecunque promereatur, ut potiùs variis ineptiis, infcitiis, ac antilogiis sit oppidò plumbeus. Ineptias* prodit systema religionis *profano-sacrum*, Collegialis Ecclesiæ phantasticâ fabricâ, autonomico fundo, juribus Collegii nominalibus, & potestatis politicæ commentitiis suffultum, protritâ totâ

 anti-

antiquitate, conculcatâ omnium Conciliorum, Patrum, Imperatorum, ac Principum authoritate, unius hominis pseudologi phantasio in oppositum blaterante, sibique ridiculum in modum de vermiculosi lumbricis cerebri applaudente. *Inscitias*, & *antilogias* denudat totius libelli conatus, quo per profanationem juris sacri Principum jura vindicare, & tranquillitatem Reipublicæ in tuto collocare se venditat: his non obstantibus autonomiæ dissipatis scopis, civitatem coagulat, omni potestate circa civium religionem Principes spoliat, secessiones ab iisdem subditis facit licitas, fœdera cum externis, licitè cudenda, pronuntiat, & quod una manu, Catholicis eripiendo, Principibus tribuit, alterâ, protestanticis tribuendo, Principibus eripit, absonus nugator.

II. *Idem libellus non tam aureus est, quàm mendaciis, & calumniis admodùm ferrugineus.* Calumniæ ubique prostant, dum Ecclesiam catholicam, vocat cœtum *Romanum*, qui *per impudentiam* sibi soli Ecclesiæ onoma arroget; dum Hierarchicum ejus imperium vocat *chymericum*; Sedem apostolicam *prostibulum Babylonicum*; Clerum, *stupidum hominum genus*, *præjudicus privatisque affectibus excæcatum*; catholicorum *crassum disputandi modum*, nil nisi crepando Ecclesiæ authoritatem, & traditiones sugillat: Concilia, & præcipuè *Tridentinum*, velut illegitima vituperat &c. *Mendacia ubique hiant*: sic falsum esse dicit, quòd Deus remissionem peccatorum non nisi per Sacerdotes exercere voluerit; *absurdas* vocat quæstiones, quænam forma Ecclesiæ competat; Pontifici negat potestatem ferendi censuras, Conciliis facultatem abnuit ferendi leges, & controversias fidei decidendi &c. & sic de aliis.

II. *Idem libellus non tam est aureus, quàm erroribus hæreticis putidissimè luteus.* Patet ex toto ejus systemate, utpote cujus *scopus* indifferentissimus systematicus; *fundamenta* spiritus privatus in accommodanda S. Scriptura; sacerdotium baptismale; autonomica conscientiæ licentia, omni imperio libera; profanatio sacrorum exterminatâ Hierarchiâ Ecclesiasticâ; religionis pseudopolitica accommodatio ad statum civilem &c. horum denique omnium *ultimatus finis* religionis protestanticæ commendatio, & propagatio; Sedis apostolicæ detestatio, & catholicæ fidei, unicè veræ, exterminatio. Patet denique ex continuo, eóque sacrilego S. Scripturæ abusu, quo etiam *potestatem clavium*, & *Ecclesiæ petram*, per doctrinam, & prædicationem Evangelii exponere non veretur, uti & ex aliis hæresibus, quêis totum libellum, & pene singulas illius paginas, velut fœdâ illuvie, infarsit, ut ei non immeritò hanc censuram præfigamus:

> Nôsse cupis, dicti quæ sit censura libelli?
> Hæreticis *aurum* est, Catholicisque *lutum*.

TITULUS IV.

Titulus 4.

De Officiis hominis erga seipsum.

De officiis hominis erga se.

§. I.

§. I.

De cultura animi, & corporis.

De cultura quò ad animam, & corpus. Natura, & existentia officiorum hominis erga se.

L*Eucotheus. Quid sunt, & an reverà spectant ad Jurisprudentiam officia hominis erga se?*

Melander. I. Sunt *actiones hominis*, *ex debito conformandæ legi naturæ, præcipienti ordinatum amorem sui.*

II. Spectant *propriè* ad Jurisprudentiam naturalem. *Ratio est*: quia cùm ita congruant rationi, ut possint *præcipi*, vel vicissim, sic disconveniant rationi, ut possint *prohiberi*, rectè numerantur *inter objecta* juris naturæ.

III. Unde 1. Licèt amor sui sit ex *instinctu* ipsius naturæ, non tamen est *necessitans*, adeóque est capax præcepti; immò etiam, *quò ad modum*, & *subordinationem* respectu finis, ad quem homo est conditus, *propriè* cadit sub legem naturæ. 2. Officia hominis erga se non quidem *rigorosè*, *propriè* tamen fundant justitiam, quia parti-

ticipant rationem justitiæ *formalem* nempe *honestatem*, relucentem in reddendo sibi debito necessario. Item fundant *obligationem efficacem*, quia à Deo impositam & saltem sunt *suo modo*, seu *fictione juris*, ad alterum, quia homo solùm est *depositarius* respectu bonorum naturalium; Deus verò *Dominus directus*. *Instruct. I.* §. *1.* Q. *1.*

Principium officiorum hominis erga se juxta Protestantes.

Leucotheus. Quale, & quotuplex principium fundamentale officiorum hominis erga se in schola morali Protestantica?

Melander. I. *Puffendorfius* adstruit *religionem*, & *socialitatem*. 1. Quia homo non sibi ipsi, sed ad *Deum*, & *societatem humanam*, natus est. 2. Quia, abstrahendo ab utroque hoc titulo, probari nequit obligatio amoris erga se.

II. *Thomasius solam*, pro fundamentali principio, *socialitatem* assignat in hunc sensum: *ita te conservare stude, ut vitam cum aliis tranquillam promoveas.* Hinc media se conservandi, promovendæ societati necessaria, ait, esse *præcepta*; societati præjudiciosa, dicit esse *prohibita*; quæ nec necessariò promovent, nec necessariò turbant, affirmat esse *licita*.

III. *Laurentius Fleischerus* pro fundamento adstruit regulas *honesti*: ita *te conservare stude, ut vitam feliciter, ac diuturnè possis transigere; culturæ animæ, atque corporis omni studio operam da &c.* *Kemmerichius* assignat regulas *honesti* quò ad se; *decori*, quò ad alios; *justi*, quò ad sui defensionem. *Instruct. I.* §. *1.* Q. *2.*

Partim falsum, ineptum, atque erroneum.

Leucotheus. Quis sensus Catholicorum de Protestantium sensu?

Melander. I. *Est inepta & falsa Puffendorfii thesis, qua statuit, quòd si homo servus Dei, & membrum societatis humanæ non esset, ipsius nulla erga semet officia intelligi possent.* *Ratio est.* 1. Quia *ineptum*, ex socialitatis principio malè statuto, officia hominis erga Deum, non nisi *indirectè*, & denuò *reflexè*, ex religionis & socialitatis officiis, deducere officia hominis erga se. *Ratio est.* 2. Quia *falsum*, quòd homo *nullo modo sibi* quoque sit natus: sic *cultura animi*, & *honestas interna* est naturæ jure obligatoria, etsi ejus neglectus *directè* nec Dei, nec socialitatis cultui adversetur: unde abstrahendo ab utroque titulo, probatur amoris obligatio erga se ex partiali fine hominis, nempe felicitate, sita in animi pace, atque tranquillitate.

II. *Magis absona est Thomasii sententia, qua officia hominis, ex solo socialitatis principio derivanda, affirmat.* *Ratio est*: quia amor rationalis incipit à se, sic ut unusquisque (abstrahendo à speciali obligatione) arctiùs sibi obligetur, quam aliis: sic quivis tenetur vitam conservare edendo, etiam extra societatem humanam; immò abstinere ab inquinamentis animi venereis, etsi non turbent vitam cum aliis tranquillam.

III. *Fleischeri opinio est irrationabilis; Kemmerichii probabilis, si modo debito declaretur.* *Ratio est.* 1. Quia sic *nulle jure* fundarentur officia hominis erga se, haberentque *pro fine adæquate* vitam *temporaliter* felicem. *Ratio est.* 2. Quia regulæ *honesti* & *decori*, fundatæ tamen *in naturæ debito necessario*, *præter regulas justi*, rectè ad naturalem Jurisprudentiam reducuntur. *Instruct. I.* §. *1.* Q. *3.*

Verum principium.

Leucotheus. Quodnam verum, & fundamentale principium officiorum hominis erga se, & quotuplex?

Melander. I. Verum principium *est amor, sibi naturaliter debitus, hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessarius.* Et quia hæc felicitas consistit in pace secumipso, cum Deo, & proximo, ex hoc fine, *tanquam norma*, amor sui dirigendus, & ex amore hoc, tanquam principio, officia hominis erga se sic mensuranda, ut corpus ratione regatur, salvâ subordinatione Deo, & societati adventitiæ debita. *Ratio hujus principii est.* 1. *positiva*: quia est *adæquatum*, & *proprium* pro officiis erga se. 2. *Negativa*, quia suprà allata principia non satisfaciunt, nec convenientius afferri potest.

II. Unde fluit regula *triplex.* 1. Illa officia hominis erga se, naturæ jure, seu graviter, seu leviter sunt *præcepta*, quæ *strictè*, vel *minùs strictè*, sunt *exigita ab amore, in ordine ad felicitatem, naturæ suæ propriam, necessario.* 2. Contrà illa sunt *prohibita*, quæ *graviter*, vel *leviter repugnant huic amori, sibi naturaliter debito.* 3. Quæ verò nec *absolutè exiguntur, nec absolutè repugnant*, sunt naturæ jure *licita*, & *permissa*.

III. Et quia hic finis, seu felicitas *substantialiter* consistit in pace cum Deo, *integraliter* in pace secum ipso, & proximo, sequitur, amorem sui debere *esse rationabilem*, seu secundùm hunc finem *rationabiliter ordinatum.* *Inde fluit regula.* 1. *Officia hominis, secundum ordinem amoris, ad felicitatem propriam necessarii, subordinanda sunt.* Sic officia sibi debita, *per se loquendo*, præcedunt officiis alteri exhibendis; contrà verò cedunt officiis, ex obligatione speciali, vel alteri, vel communitati exhibendis; utraque verò cedunt officiis, Deo debitis. 2. *In officiis erga se cultura animæ præferenda culturæ corporis*,

ris, quia anima pars præstantior. Respectu animæ, *cultura voluntatis cultura intellectûs præbabenda*, quia bonum morale nobilius. 3. *Officia, homini incumbentia, non sejungenda*. Hinc officia, communitati debita, propter debita sibimet ipsi, nec propter utraque, Deo debita negligenda sunt; nec officia mentis propter officia corporis omittenda, & vicissim. Quòd si omnibus simul satisfieri nequit amoris ordo servandus, & ratio bonorum est attendenda.

IV. Hinc officia hominis erga se ad *classem* triplicem revocari possunt. Nam amor sui, ad felicitatem propriam necessarius, se extendit. 1. Ad *bona animi*: unde fluit *cultura intellectûs, & voluntatis*. 2. Ad *bona corporis*: unde cura corporis. 3. Ad *bona hominis* totius: unde conservatio sui per defensionem vitæ, famæ, fortunæ contra vim externam. *Instruct. I. §. 1. Q. 4.*

Officia hominis quò ad culturam intellectûs, & voluntatis.

Leucotheus. Quænam officia hominis erga se, naturæ jure obligantia ad animum excolendum?

Melander. I. Cultura animi consistit. 1. *In perficiendo ac emendando intellectu* per notitiam *de Deo, semet ipso & proximo*, de *vero*, & *falso*, *bono malóve*, vulgari industriâ acquirendam, ac ad vitæ honestatem, finémque consequendum necessariam. Unde intellectus rectis sententiis de *Deo, proximo*, & *societate humana* imbuendus juxta ea, quæ partim priore titulo diximus, partim posterioribus titulis dicemus. De sententiis *circa se ipsum* nôsse oportet, animam non esse mortalem cum corpore, sed ad præmium, suppliciúmve superstitem; esse obligationem tendendi ad ultimum finem, qui *substantialiter* consistat in debita conjunctione cum Deo; felicitatem hujus vitæ esse merè accidentalem; interna esse Deo perspecta, pœnæ, præmióve obnoxia; corpus cum suis affectibus rationi, rationem legi naturali subordinandam; bona corporis, & animæ conservanda, promovenda, defendenda; vitæ conditionem corporis, animæque viribus, accommodandam &c. adeóque intellectum purgandum ab *Epicurismo, Stoicismo, Fato*, aliisque sententiis, ad ejusmodi errores, *indirectè saltem*, ducentibus.

II. *Consistit in perficienda, & emendanda voluntate*, exigente naturæ jure, ut voluntas secundùm rationem, rectis instructam principiis, consectetur bonum, & aversetur malum; ut operetur ex principiis *honesti, decori*, & *justi*, in ordine ad suum finem, seu felicitatem naturæ rationali congruam, cum debita subordinatione, bonum magis necessarium, præ minùs necessario eligendo; rationi sensus & affectus subjiciendo &c. Verbo: rationis ductu à voluntate omnem depravationem per vitia, etsi merissimè interna, superbiæ, iræ, luxuriæ, exterminando.

III. *Hæc officia, quò ad animi culturam, sunt naturæ jure præcepta, iisque opposita seu vitia, seu errores, sunt naturæ jure prohibita.*

Ratio est: quia hæc officia *vel sunt positivè conformia, vel difformia amori, seu respectu sui, seu respectu Dei, vel etiam proximi ad felicitatem, animi tranquillitatem, ac pacem absolutè necessaria.* Nam, sine memoratâ intellectûs notitiâ, voluntas dirigi nequit ad suum finem; sine debita affectuum refrenatione homo nec habere potest tranquillitatem in semetipso, nec conjunctionem cum Deo, nec pacem cum proximo, in quibus tamen consistit finis, seu felicitas naturæ suæ propria. *Instruct. I. §. 1. Q. 5.*

Officia hominis quò ad culturam corporis.

Leucotheus. Quæ officia hominis erga se, jure naturæ debita, circa culturam corporis?

Melander. I. Debita sustentatio, conservatio sanitatis, membrorum, virium, vitæ &c. *Ratio* est: quia hæc officia *sunt exigita ab amore, in ordine ad pacem secum ipso, & Deo, tanquam corporis, vitæque Domino, conservandam, simpliciter necessaria.* Unde officia hisce opposita, *quia amori, sibi, Deo naturaliter debito, adversa*, naturæ jure prohibita censeri debent.

II. *Naturæ jure, leviter saltem, prohibita est refectio corporis ad usque satietatem, seu immoderata, solius causâ voluptatis, quasi verò appetitus naturalis licitè possee, etiam universaliter, suis actibus frui.* *Ratio est.* 1. Quia cibi, potúsque *mensura*, rationi congrua, *necessitas; finis*, à natura ordinatus, *sustentatio*, non *voluptas*: secùs licitè *frui*, seu *quiescere* quis posset in actibus ebrietatis, libidinis, &c. Hinc intenta refectio, ob solam voluptatem, *moderata* dici non potest, quia ad finem *superflua*. Neque sequitur, omnes sensuum actus V. G. *aspectum rosæ, auditionem musicæ, solius causâ delectationis*, esse prohibitos: quia delectatio in similibus vel est *indistincta à fine*, seu animi relaxatione, per naturam intenta; vel est indifferens, nec ita *sensualis, periculosa*, finibúsque, à natura intentis, *opposita*.

III. *Naturæ jure graviter prohibita est, per se loquendo, omnis ingluvies, ebrietas,*

ratio-

rationis & sanitatis eversiva, antropophagia, seu voratio humanæ carnis. Patet. 1. Quia sibi ipsi graviter *nociva*, Deóque *injuriosa* est, nisi, tanquam minus malum permissam faciat necessitas sanitatis, aliter non recuperandæ, vel mortis evitandæ &c. 2. Quia antropophagiæ licentia naturæ humanæ foret *perniciosa*, stimulante ingluvie ad homicidia mutua, quasi homo, animalium instar, propter hominem conditus esset in alimoniam, adeóque, delicatioris nutrimenti causâ, licitè occidi posset.

IV. *Naturæ jure graviter prohibita est, per se loquendo, proprii corporis, & sanitatis destructio, vitæque servandæ absoluta incuria. Patet.* 1. Quia sibi ipsi, & Deo graviter præjudiciosa. Mutilatio tamen *permissa* est, necessitatis, & gravioris mali vitandi causâ: quia sic amori sui conformis, nec difformis amori Creatoris, utpote *prudenti* corporalis boni custodiæ non adversa. 2. Nunquam tamen licita *castratio*, quia medium respectu continentiæ inutile; respectu sustentationis *determinatæ* haud necessarium. 3. Nec sui occisio *directa*, nisi jubeat Deus, vitæ Dominus. 4. Nec omnis incuria vitæ graviter prohibita: quia *non semper*, & *in omni casu* amori sui, Deóque *absolutè* adversa, V.G. si medium conservandæ vitæ nimis foret difficile, uti mutilatio, inustio &c. *Instruct. I. §. 2. Q. 6.*.

Alia officia quoad culturam corporis.

Leucotheus. Quæ alia officia hominis erga se respectu culturæ corporis?

Melander. I. Est obligatio *ad media*, corpori, sanitati, vitæque conservandæ necessaria, quale est labor statui congruus; bona fortunæ, & famæ *necessaria*.

II. Inde 1. Prohibitum otium graviter perniciosum, uti & nimia corporis, ac temporalium cura. 2. Luxus, opum cupiditas, uti & avaritia. 3. *Totalis* famæ neglectus, præcipuè cum præjudicio proximi, aut boni publici conjunctus, eò quòd fama sit fundamentum publicæ honestatis, in societate humana necessariæ. Similiter prohibita ambitio, superbia &c. Patent ista ex applicatione fundamentalis principii. Inde deducitur, neglectum famæ in casu æqualis, vel majoris boni, permissum; item licitum esse appetitum honoris, sed ex rationis regula ordinatum.

III. Naturæ jure præceptus est usus corporis, sensuum & facultatum exteriorum legitimus. Inde oblectamenta, rationi conformia, naturæ jure permissa; exquisitæ tamen sensuum titillationes naturæ jure prohibitæ sunt. 1. Quia hominem enervant. 2. Corporis, animíque vigorem opprimunt, gravibúsque negotiis inutilem reddunt. 3. Tempus necessariis suffurantur. 4. Facultates dissipant. 5. Damnum multiplex, & dedecus plerumque post se trahunt. *Instruct. I. §. 2. Q. 7.*

Officia hominis contra continentiam corpori debitam.

Leucotheus. Quid de moralitate libidinis respectu juris Naturæ?

Melander. I. *Scandalosæ, meritóque damnatæ sunt ab Innocentio X. quorumdam Authorum propositiones, queis scripsêre, mollitiem, spectato solo naturæ jure, haud esse prohibitam, sed quandoque bonam, immo obligatoriam. 2. Neque fornicationem esse malam secundùm se, sed solum ut prohibitam à Deo. 3. Idem sentiendum esse de intemperie sodomitica, ac bestiali.*

Demonstratur 1. In genere. Omnis actus libidinosus externus *repugnat amori sui ipsius rationabili, ad animi pacem, felicitatemque internam simpliciter necessario: quia, inverso naturæ ordine, fine, ac institutione* intendit *solam*, vel *quasi solam* voluptatem pro fine, *universaliter* à natura ordinatam ad propagationem humanam; rationem subjicit servituti carnali; & voluptatis æstu demergit, deordinatione summè perniciosa, quia mentem excæcante, voluntatem depravante, carnique agglutinante, ùt experientia evidens demonstrat.

Demonstratur 2. In specie de fornicatione perfecta: Quia est actus, institutioni naturæ in propagatione humana contrarius, proli nasciture perniciosus infami Matre; educandæ præjudiciosus incerto Patre; Societati humanæ perniciosus neglectis matrimoniis nimiùm onerosis, libidinibus vagis cuncta complectentibus &c.

Demonstratur 3. De fornicatione imperfecta, mollitie. &c. Quia est actus, qui allatis præjudiciis superaddit fœditatem, *eversivam finis* à natura intenti, ad voluptatem distrahendo semen, soli generationi destinatam; *eversivam ordinis* à natura statuti, abutendo corpus, modo delectationis neque bestiis à natura concesso, idque infra conditionem, animalibus propriam, abjiciendo.

Demonstratur 4. De intemperie sodomitica, ac bestiali. Quia est actus, qui allatis jam spurcitiis superaddit abominationem, teste Apostolo, etiam Paganis, solo naturæ jure instructis, *ignominiosam, contranaturalem, & corpori contumeliosam*, Deo propter idololatricam perfidiam eos dante *in sensum hunc reprobum*, adeóque solo Naturæ jure *evidenter* prohibitum.

II. *Rationum fucus, à quibusdam sarcosophastris oppositus, evidenter est putidus, ac nullus. Nam.*

1. In casu *servandæ vitæ, sterilitatis,*

vel ſaltem *pacti oppoſiti* de educanda prole, ceſſaret quidem finis præcepti, prohibentis fornicationem *ob præjudicium corporis & prolis*, ſed ceſſaret tantùm *per accidens*, nec niſi *finis inadæquatus*: nam prohibita etiam eſt *ob præjudicium animæ*, *& ob ipſum univerſale periculum* de mala educatione, quod per caſus particulares non tollitur, niſi *per accidens*, *per ſe* loquendo autem ſemper manet, adeòque & obligatio ſemper durat.

2. Neque ſequitur, quòd etiam matrimonium, cui non minor delectatio, deberet etiam cauſare ejusmodi peſtiferos effectus. V. G. *cæcitatem mentis, infirmitatem voluntatis* &c. Nam delectatio illa, etſi *eadem*, non tamen eſt *ejusdem inordinationis*, Deo ùt matrimonii, etiam ſolius naturalis, Authore, per auxilia naturalia impediente effectus fornicationis pediſſequos, ùt evidenti experientiâ eſt conteſtatum.

3. Etſi in caſu neceſſitatis permiſſa forſan ſit *naturæ jure* expulſio fœtus inanimis, effuſio ſanguinis, immo membri abſciſſio, nulla tamen eſt ad mollitiem paritas, quia hæc eſt conjuncta *cum delectatione* & quidem *nimis inordinata*, menti *perniciosa*, corpori *contumelioſa*, proli & propagationi humanæ tam *præjudicioſa*, ut *ratione periculi* neceſſe ſit, *abſolute* pro omni caſu eſſe prohibitam.

III. *Scandaloſa, & evidenter falſa eſt aſſertio Thomaſii, qua ſcribere non erubuit, meris rationibus naturalibus demonſtrari haud poſſe, memorata flagitia eſſe prohibita.* Nam ſi momenta, ſuperiùs allata, *evidenter* haud ſtringunt, vel enervata dabit *Thomaſius*, vel intellectu malè diſpoſito erit ſcandaloſus: prius eſt evidenter falſum. Nam

1. Quòd dicat in ſcortatione haberi *finem*, ſaltem *ſecundarium*, libidinis extinctionem, id minimè ſufficit, quia non habetur *debito modo*, nempe *conjugali*; ſed *inhoneſto*, puta *extramatrimoniali*, ſibi, proli, propagationi humanæ, per matrimonia à natura ordinatæ, ac ipſi ſocietati humani Generis præjudicioſo, ac pernicioſo.

2. Quòd aſſerat, *in caſu* ſaltem *particulari* ceſſare hoc præjudicium reſpectu ſui, ac ſocietatis humanæ præcepte obligationem *abſolutam* haud adſtruente, *evidenter* fallit: ſiquidem hoc præceptum nequaquam fundatum eſt in præſumptione *ſolius facti*, ſic ut iſto ceſſante ceſſet; ſed fundatum eſt in præſumptione *periculi de facto in genere*, quod nunquam ceſſat.

3. Quòd oggerat, membrorum uſum, vel potiùs abuſum ad alium finem, quàm inſtituerit natura, nun continuò eſſe inhoneſtum, niſi quis per vomitum in naturam ſe peccaturum exiſtimet, putidè nugatur: nam membrorum abuſum ad ejusmodi ſpurcitias, naturæ injurioſas, qui negat, homo non eſt, ſed obbrutuit *plùs quàm mulus & equus, quibus non eſt intellectus. Inſtruct. I. §. 2. Q. 8.*

Leucotheus. Quanam alia Moraliſtarum protestantium, circa animi, corporisque culturam, ſcita erronea? *Proteſtantium Moraliſtarum acta.*

Melander. I. *Puffendorfius* Juriſprudentiam naturalem fœdùm truncavit, officia hominis erga ſe, non niſi ex *reflexo* ſocietatis principio, eruendo; obligationem ſolummodò *indirectam* adſtruendo, immò quò ad interna veluti *remotam*, neque *abſolutam* pro omni caſu, quo nempe ſocietati humanæ periculum immineret.

II. Idem Author inter opiniones, quibus, velut naturæ juri contrariis, & ſociali vitæ pernicioſis, animus ſit expurgandus, numerat dogma catholicum de indulgentiis; de exhomologeſi ac abſolutione ſacramentali; de inſtitutis monaſticis; de purgatorio & aliis fidei orthodoxæ articulis: atque hac malignitate ſat prodit, *proteſtantiſmi* reconditum aconiton, quod ſuæ Juriſprudentiæ naturali *latenter* illinit contagioſus Moraliſta, meritò confutandus, ac ex orthodoxæ ætatis animo, ſententiis verioribus imbuto, penitùs exterminandus.

III. *Thomaſius*, præter probroſa dogmata de omni ſpecie *Veneris*, naturæ jure haud interdictâ, etiam negat, *delectationem momentaneam*, naturæ jure, ſaltem liquido, eſſe illicitam. Item immortalitatem animæ, veluti rationis lumine *merè probabilem*, ex Juriſprudentiæ naturalis ſphæra eliminat, adeòque jus naturæ enervat, ac diſciplinam, quam à ſcholaſtico pulvere reformatam, à ſe toties jactitat, nobiliſſima ſui parte truncat, atque ad *Epicureiſmi* peſtifera dogmata accommodando, turpiſſimè deformat. *Inſtruct. I. §. 2. Q. 9.*

§. II. *§. 2.*

De Officiis neceſſitatis reſpectu hominis erga ſe circa defenſionem vitæ, bonorum &c. *Officia neceſſitatis.*

Leucotheus. Quid neceſſitas, & quotuplex? *Natura neceſſitatis atque varietas.*

Melander. I. *Neceſſitas denotat ſtatum hominis, in quo legi, abſque ſuo periculo parere non poteſt.* Unde per *jus neceſſitatis* intelligitur *facultas*, *æquitate naturali fundata*, *ſe eximendi à lege*, *quæ ad caſum neceſſitatis non præſumitur à Legislatore extenſa.*

II. Dividi ſolet in *extremam*, qua immi-

imminet periculum vitæ; *in gravem*, qua imminet periculum *magni mali*, *mutilationis*, *captivitatis*, *infamiæ*, *jacturæ gravis bonorum*, & *status*; *in communem*, qua imminet malum commune. Gravis dividi solet in *absolutam*, & *respectivam*; illa respectu omnium; hæc respectu aliquorum, nisi legis violatione, evitari nequit. *Instruct. II. §. 5. Q. 5.*

Ejus proprietates & regulæ generales.

Leucotheus. Quæ necessitatis proprietates, & ex iis eruendæ regulæ circa officia hominis erga se, naturæ jure præscripta?

Melander. I. Proprietates eruuntur. 1. Ex qualitate necessitatis, quæ urget. 2. Ex natura legis, cui contraveniendum. 3. Ex indole officii, quod prætermittendum est.

II. *Ex qualitate necessitatis* fluit regula generalis, quòd non quævis, sed solum *extrema*, aut *gravis absoluta* pariat jus eximens à lege. *Ratio est*: quia favor necessitatis vergit in præjudicium legum, certò obligantium, unde est strictæ interpretationis. Unde 2. Necessitas *evitabilis*, & *accersita* non eximit à lege. *Ratio est*; quia facit periculum imputabile.

III. *Ex natura legis* statuitur. 1. Regula, quòd nulla necessitas, etsi *extrema*, *regulariter* eximat à lege, seu *naturali*, seu *Divina negativa*. V.G. *blasphemia*, *administratione sacramentorum simulata*. Ratio est: quia objectum prohibitum *regulariter* denotat malum, omni physico majus, V.G. *injuriam Dei*, *scandalum proximi*, & jactura vitæ nobiliore bono per Deum compensetur.

2. Necessitas *extrema*, vel etiam *gravis absoluta*, *per se loquendo*, eximit à lege, seu *naturali*, seu *Divina* affirmativa, V.G, *restitutionis*, *confessionis materialiter integræ*. &c. *Ratio est*: quia in lege præcipiente actum, præsupponitur *occasio*, & *facultas moralis* exercendi actum, hæc autem *ex mente Legislatoris* censetur deesse in periculo vitæ &c. nisi ratione contemptûs, scandali &c. *per accidens* jungeretur lex negativa, vi cujus nil faciendum in Dei, legisque contemptum, proximi scandalum &c.

3. Necessitas *extrema*, *vel gravis absoluta*, *regulariter* eximit à lege merè humana. *Ratio est*: quia Legislatori humano vel deest *potestas*, vel *voluntas* obligandi pro circumstantiis extremæ necessitatis. *Potestas*, eò quòd ex pacto coeuntium in Rempublicam non habeat potestatem *illimitatam*, sed limitatam *ad usum convenientem*. *Voluntas*, eò quòd dura nimis obligatio observationem legum redderet moraliter impossibilem.

4. *Lex humana potest tamen obligare etiam cum periculo vitæ; immò sic obligare præsumitur, pro casu boni publici, & salutis Reipublicæ. Unde si transgressio cederet in grave præjudicium boni communis, vel Reipublicæ, nulla necessitas, etsi extrema, eximeret à Lege. Ratio prioris est*: quia in Republica dari debet potestas necessaria ad gubernationem, suique conservationem pro tempore belli, vel pestis: unde quando periculum vitæ *per se* est conjunctum cum actu præcepto V. G. *expeditione periculosa* &c. rectè præsumitur lex obligare. *Ratio posterioris est*: quia malum commune præponderat privato, ad quod, potiùs amoliendum, censetur civium quivis ex subjectione civili se obligâsse.

IV. *Ex indole officiorum* fluit, quòd in officiis erga Deum, absque ejus injuria non omittendis, nulla necessitas excuset. 2. Quòd in officiis respectu sui, necessitate duo mala conjungente, eligendum sit minus. 3. Quòd in officiis erga proximum, casu æqualis necessitatis, seu periculi, obligatio regulariter cesset: hinc nulla obligatio naufragi de cedenda naufrago tabula. Non tamen cessat semper in periculo proximi majore, præsertim si quis urgeat titulus: sic teneretur parochus, nil obstante mortis periculo, morituro infanti baptismum administrare. Quòd si necessitas proveniret *à malitia proximi*, per se loquendo, obligatio cessat in quovis periculo etiam salutis, cùm meritò sit excusandus, qui alium, quàm se perire malit, præsertim cùm periculum malitiæ propriæ sit imputandum. In his tamen omnibus, cùm urgens periculum ejusmodi reflexiones animi plerumque elidat, ex capto in arena consilio, locus excusationi justæ est relinquendus. *Instruct. II. §. 5. Q. 2.*

Defensionis justæ origo, atque principium.

Leucotheus. Quænam origo justæ defensionis, & quodnam æquitatis principium fundamentale?

Melander. Defensio justa, contra vim injustam, originem trahit ab amore naturali, cuivis congenito, in quo, tanquam principio per rationem ordinato, fundatur. Ratio est: quia conservatio sui, in statu connaturali quò ad vitam, membra, bona &c. oritur non modò à quodam cæco instinctu amoris proprii connaturali, sed etiam ab amore sui ordinato, ipso lumine rationis eò impellente, ùt quivis in semetipso experitur, & etiam natura in animalibus demonstrat, quibus vires sibi tuendis, juvandisque attribuit. *Instruct. II. §. 2. Q. 3.*

Defensio vitæ in specie licita.

Leucotheus. Quæ æquitas, seu dispositio juris naturalis circa defensionem vitæ in specie?

Melander. Defensio vitæ propriæ justa,

etiam cum invasoris injusti occisione, est juris naturalis permissivi. Ratio est: quia ab amore, sibi naturaliter debito, non est *determinatè* quidem exigita, cùm vita compensari possit majore bono; nec tamen *simpliciter* est opposita, sed potiùs conformis, cùm vita propria, ex ordinata charitate, præferri meritò possit alienæ. Accedit, quòd hæc licentia & proximo, eodem jure respectu sui gaudenti, & generi humano sit admodum consentanea ad præcavenda plurima homicidia, & publicam securitatem.

Confirmatur assertùm Jureconsultorum communi suffragio, dicente *Cajo: adversus periculum naturalis ratio permittit sese defendere; Alexandro item Pontifice III. vim vi repellere omnes leges, omniáque jura permittunt. Instruct. II. §. 2. Q. 4.*

Nil obstantibus replicis.

Leucotheus. Quænam in oppositum afferri solent?

Melander. Solet opponi. I. Solus Deus est vitæ Dominus. Sed ℞. Quòd solus Deus sit quidem Dominus *directus* cum dominio *alto*, sic tamen, ut homo sit *custos* cum dominio *utili* vitæ, licitis mediis servandæ, non autem in alio sensu.

II. Defensio, alterius occisiva, videtur amori socialis vitæ adversa, quia pacis cum proximo, & tranquillitatis publicæ turbativa. ℞. Quòd sit quidem sociali vitæ adversa, culpa residente penes aggressorem iniquum, non tamen residente penes defensorem, utentem moderamine inculpatæ tutelæ. Certè amor socialis vitæ debet esse mutuus; secùs majoribus turbis exponeretur humana societas.

III. Sequeretur licitam quoque defensionem ejusmodi in statu civili. 2. Immò contra aggressorem errantem vel lunaticum, hæc nimia. ℞. Quòd quidem sequeretur licitam esse modo longè diverso, non tamen eodem; siquidem tempus & locus non intercludat viam juris civilis. Altera sequela non est nimia, quia cùm alteri non sit jus ad me perdendum, invasus maneo in jure me defendendi, & ex ordine charitatis vitam propriam vitæ alterius præferendi.

IV. Saltem ordo juris, vel saltem charitatis non permittit vitam propriam præferri invasoris perditioni duplici, corporali & spirituali, dicente *S. Augustino: pro vita, quæ amitti potest, sine culpa non posse interfici quemquam.* ℞. *Ordo juris*, vel saltem *charitatis* id quidem non permittit, casu quo ipse aggressor desistendo ab iniquo molimine, semetipsum salvare non posset: permittit tamen si facilè posset. Cur enim invasoris malitiâ cogatur innocens esse miser? *S. Augustinus* vel loquitur de occisione *vindicativâ*; vel de *intenta directè*, & non potiùs *indirectè* per necessariam vitæ defensionem.

V. Pro conservatione vitæ illicita est *fornicatio*, & *mollities*; ergo à pari. ℞. Illicita est, & hoc ideò, quia ejusmodi actus *per se*, & *ex necessitate determinata* nunquam ordinantur ad conservationem vitæ propriæ; aliud foret, si *ordinarentur*: unde nulla est paritas. *Instruct. II. §. 2. Q. 5.*

Defensio famæ in specie non æqualiter licita.

Defensio bonorum naturæ & fortunæ æque licita.

Leucotheus. Quæ æquitas, seu dispositio juris naturalis circa defensionem bonorum naturæ, ac fortunæ in specie?

Melander. I. *Est insuper licita, jure naturæ, justa defensio bonorum naturalium, qualia sunt membra, pudicitia, libertas &c. contra vim injustam, etiam cum occisione aggressoris injusti. Ratio est:* quia ejusmodi defensio, ex principio amoris fundamentali, est juris naturalis *permissivi*: nam ejusmodi bona *ordinariè* sunt vitæ comparata, immò quandoque chariora.

II. *Eodem modo est licita defensio justa bonorum fortunæ, si in notabili quantitate, vel pretio, sive eripienda, sive erepta, non nisi morte furis, aut servari, aut recuperari possint. Ratio deducitur* ex eodem fundamentali principio. 1. Quia ejusmodi bona sunt *necessaria* ad vitam. 2. Defensio humanæ societati admodum accommoda, ne foveatur audacia hominum in furando. 3. Quia ejusmodi defensio, ùt jure naturæ licita, communi authorum suffragio est confirmata. *Instruct. II. §. 3. Q. 6.*

Nil evincentibus oppositis momentis.

Leucotheus. Quid oppositionis patitur utrumque assertum?

Melander. Solet opponi. I. Non est proportio inter bona & vitam invasoris *irreparabilem*. ℞. Etsi non sit proportio physica, est tamen moralis: unde negatur suppositum, quòd requiratur proportio physica, cùm malum hoc casu illatum non se habeat, *per modum pœnæ propriè talis*, à justitia vindicativa regulandæ, sed regulandæ *à jure defensionis.*

Ut volunt nonnulli.

II. Notabilis quantitas est regulariter aureus: ergo pro aureo occisio licita. ℞. Quòd aureus sit quidem notabilis quantitas respectu peccati gravis, non tamen respectu justæ defensionis, nisi forsan *per continuationem* materiæ, seu injuriæ coalescerent: unde quantitas devolvitur ad *judicium Prudentum.*

III. Sequeretur licita defensio, etiam recuperativa, per occisionem furis, etsi fugientis. 2. Immò rem diutiùs jam possidentis. ℞. C. 1.

Quia

Quia aliàs frustranea sæpe foret rerum defensio. 2. In statu *naturali* æquè licitum, nullo alio recuperandi medio suppetente.

IV. Ergo & licita erit defensio occisiva *ob jus ad rem* vel *spem*, v. g. hæreditatis, officii, utpote magis æstimabilem notabili quantitate. ℞. N. Illatum. Quia non sola *magnitudo boni* sufficit, sed requiritur certitudo de jure, & de non suppetente alio medio sua vel conservandi, vel recuperandi. *Instruct. II. §. 3. Q. 7.*

Defensio famæ in specie non æqualiter licita.

Leucotheus. Quæ æquitas seu dispositio juris naturalis in specie circa defensionem famæ?

Melander. I. Est *etiam licita jure naturæ justa defensio bonorum, famæ, honoris &c. Ratio est*: Quia, cùm sit æstimabilior bonis fortunæ, fluit licentia ex eodem principio amoris fundamentali, accedente huic juri permissivo etiam communi Doctorum suffragio.

II. *Sed respectu solius honoris vel famæ hæc licentia magis est speculativa, quàm practica. 2. Idquod adhuc magis intelligendum de recuperatione honoris, seu vindicatione illatæ contumeliæ. Ratio est.* 1. Quia in *praxi*, vel nunquam, vel rarissimè ejusmodi defensio potest esse *justa*, sicut damnum honoris sit *certum*, *præsens*, *vel certò inferendum*, *aliter non evitandum*, id quod adhuc difficilius in recuperatione honoris, ùt facilè patere potest consideranti. *Ratio est.* 2. Quia ejusmodi licentia *universalis & practica* foret positivè *adversa amori ad felicitatem humanæ societatis simpliciter necessario*: nam esset societati humanæ admodum perniciosa, utpote *conjuncta cum periculo nimis abusûs*, sic ut ansam daret ad plurimas cædes injustas, ex apprehensa, ùt fit, qualicunque calumnia, vel honoris imaginario præjudicio profectas, uti quotidianâ propemodum patet experientiâ.

III. *Unde in statu civili, præcipuè Christiano, multò minùs potest habere locum ejusmodi licentia privatæ defensionis.* Patet, si minùs ex lege, *formaliter* vetante, saltem ex recepta praxi, ac consuetudine, eò quòd ordinariè honor sit recuperabilis *viâ juris. Instructio II. §. 4. Q. 8.*

Ut volunt nonnulli.

Leucotheus. Quænam in medium Adversarii proferunt?

Melander. I. Fama est potior fortunis & honore corporis, seu pudicitiâ: ergo æquali saltem modo defendenda. ℞. N. Quia cætera sint paria. Nam defensio bonorum fortunæ, & pudicitiæ, non est conjuncta cum periculo tanti abusûs, societati humanæ ita præjudicioso: illa certò est licita, hæc admodum *speculativè*; fama per defensionem occisivam vix conservanda, minùs recuperanda, conservanda verò pudicitia, aliàs irreparabilis.

II. Defensio vel reparatio honoris, *etiam occisiva*, est necessaria partim incolumitati propriæ, partim publicæ felicitati: secus enim in statu naturæ non suppeteret medium tuendi honoris; quivis esset expositus calumniandi libidini; daretur ansa ad infamationes absque freno, non sine ingenti societatis humanæ præjudicio: ergo defensio licita esse debet. ℞. N. C. Quia etsi defensio *aliqua* sit necessaria, non tamen necessaria est *quævis privata & universalis*. Cùm enim in statu *merè naturali*, nunquam extiterit, vel exiştat humanum genus, neque ex statu naturali est exclusa *omnis subordinatio* saltem habita per familias, adeóque nec omnis defensio, *quasi publica*, pro defendendo privatorum honore, quæ defensio sicuti necessaria, & licita est, ita merè privata, pro cujusvis libitu, *determinatè* haud necessaria, immò maximè præjudiciosa publicæ felicitati, adeóque & illicita.

III. Saltem respectu statûs, merè naturalis, prout dicit *conditionem hominum in mera libertate, & extra omnem societatem viventium*, maneret necessaria ejusmodi defensio. Sed ℞. Etsi posset transmitti, quia ad paucos admodùm restricta, N. Sequela. *Ratio est*: quia, cùm præceptum hoc negativum non tantùm fundatum sit *in facto*, *sed & in periculo de facto*, per particulares circumstantias tolli nequit, damno privato, in raro casu, bono communi publicæ tranquillitatis meritò postponendo.

IV. Casu quo nulla suppeteret *via juris publica*, vel *quasi publica*, nec prorsus aliud medium defendendi honoris defensio, etiam occisiva, non potest non esse necessaria, ac licita. Sed ℞. Posset dici *speculativè* licita, non tamen *practicè*, eò quòd ejusmodi licentia nunquam, vel vix unquam, modo licito foret reducibilis in praxin, *Ratio est*: quòd *in praxi* acquireret circumstantiam, *speculativè* non expressam, nempe *periculum nimii abusûs & incommodum grave*, quod ex tali licentia practica, rarissimè ab odio, vel vindictâ, cupiditatéve libera & ex naturæ corruptione facillimè extendenda ad plurimas cædes, redundaret in præjudicium humani generis, quale præjudicium non pugnat pro licentia *speculativa*, quo casus, merissimè speculativus, secundùm generalia juris naturalis principia, & præcisus ab illicitis circumstantiis expendi solet, & decidi. *Instruct. II. §. 4. Q. 9.*

Leucotheus. Quid de moderamine inculpatæ tutelæ?

Moderamen inculpatæ tutelæ.

pate tutelæ necessariarum.

Melander. I. *Ut defensio sui, suorúmque sit justa, requiritur moderamen inculpatæ tutelæ.* *Ratio est*: Dispositio omnis juris tam naturalis, Divini, quàm humani.

II. *Hoc moderamen fundatur in necessitate simpliciter.* 2. *Eáque tali, ut periculum debeat esse certum, præsens, nec aliter, nisi iniqui aggressoris morte, evitabile. Ratio prioris est*: quia necessitas sola fundat ordinem charitatis, qua quis se ipsum magìs & sua, quàm alterum servare potest. *Ratio posterioris est*: quia periculum probabile nequit elidere *ejus certum* alterius, quod habet ad vitam; periculum *aliter evitabile* nequit fundare necessitatem.

III. *In hisce tamen conditionibus laxiorem interpretationem poscit status naturalis, quàm civilis.* *Ratio est*: quia in statu civili datur major subordinatio, & facilè suppetit *via juris.* Hinc in statu naturæ diutiùs durat moderamen inculpatæ tutelæ, *quamdiu nempe durat in aggressore nocendi animus, & facultas; seu quò ad usque quis extra periculi aleam constitutus est.* Sic in statu naturæ non semper fuga arripienda, nisi forsan in favorem vitæ propriæ, nonnunquam etiam hostis præoccupari poterit, quæ omnia statui civili æquè haud applicanda. *Instruct. II. §. 5. Q. 10.*

Oppositionibus facile diluendis.

Leucotheus. Quæ oppositiones in hac materia?

Melander. Solet opponi. I. Urgente periculo nequeunt examinari conditiones de certitudine, præsentiáve periculi &c. ergo frustrà requiruntur. ℞. Etsi nequeant examinari *discursivè*, quod non requiritur, possunt tamen cognosci apprehensivè quò ad certitudinem, præsentiam *moralem*, juxta rerum & circumstantiarum articulum, id quod sufficit.

II. Si sufficit periculum, moraliter præsens, licita erit præventio ob necem solummodo decretam, nisi præventa morte non evitabilem. ℞. Etsi hoc multi admittant, quia præventio facta est necessarium medium, & ob aggressionem, saltem inchoatam, etiam justum, uti patet in bello; veriùs tamen id negatur *in praxi.* *Ratio est*: quia ejusmodi licentia esset societati humanæ perniciosa *ob periculum nimii abusûs,* darétque ansam ad plurimas cædes, quas, sub ejusmodi præventionis prætextu, suggereret vel *irrationabilis timor,* vel *odii,* ac *vindictæ cupiditas.* Unde in praxi vix unquam erit *determinatè* necessarium medium, cùm læsio intentionalis, & aggressio in causa non videatur sufficere ad justam defensionem, saltem privatam, qualis non est in bello, authoritate publica suscepto, ut adeò malum *per accidens,* & merè privatum non videatur naturæ jure attentum, adeóque *malo per se,* & periculo publico rectè sit postponendum.

III. Si defensio debet esse *justa*, fur deprehensus non posset se defendere contra necem; si *necessaria,* invasus injustè teneretur fugere: sed hæc sunt nimia. ℞. *Ad 1.* Mors *deprehenso furi* justè inferri nequit, quia non necessarium medium: ergo furis defensio licita. *Ad 2.* ℞. Quòd quidem teneretur fugere, si facilè posset *ex charitate*, non tamen *ex justitia.* Nam si invasus nolit fugere, defensio occisiva fit medium necessarium, saltem ex supposito, quòd velit *uti hoc jure suo.* *Instructio II. §. 5. Q. 4.*

Defensio vitæ, & bonorum, præcipuè occisiva alterius, non est præcepta jure naturæ, adeóque licita sui occisio indirecta, non tamen directa.

Leucotheus. Quænam obligatio justæ defensionis?

Melander. I. *Etsi jure naturæ permissa sit justa sui, suorúmque bonorum defensio, nulla tamen est obligatio se suaque defendendi regulariter, præcipuè cum occisione injusti aggressoris.* *Ratio est.* 1. Quia non simpliciter requisita est ab amore, ad felicitatem necessario, sive *respectu sui,* virtutis bono vitam compensante; sive *respectu Dei,* tam strictè haud obligante; sive respectu societatis humanæ, per alia media secuturis incommodis præcaventis. 2. Quia licentia defensionis in favorem tantummodo concessa, quo uti nemo tenetur. 3. Quia nemo tenetur uti medio vitæ conservandæ adeò difficili, & extraordinario, nisi bonum publicum, vel alia ratio obligationem *per accidens* induceret. Unde ad conservanda bona longè minùs adstruenda est obligatio, quia longè eminentius bonum virtutis, quàm malum sit jactura bonorum: imò nec pro salvanda pudicitia est obligatio, *siquidem absit periculum consensûs.*

II. *Unde licita est indirecta sui occisio, non tamen directa.* *Ratio prioris est*: quia, cùm non sit obligatio defensionis, licita erit *omissio, vel positio actionis, qua omissâ vel positâ, mors non intenta, sed aliunde consequitur.* *Ratio posterioris est*: quia *positio actionis, vel intentione positivâ, vel ex se ordinata ad sui occisionem,* repugnat amori, in ordine ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *simpliciter* necessario, tam respectu sui, ùt patet: quàm respectu Dei, ùt vitæ Domini, uti & respectu societatis humanæ, ob violatam justitiam legalem, inferendo injuriam communitati, cui tanquam membrum quis natus est. *Instruct. II. §. 6. Q. 12.*

Rationibus dubitandi inefficacibus.

Leucotheus. Quænam oppositiones?

Melander. Potest opponi. I. Obligatio gravis salvandi vitam per media licita vide-

videtur *absolutè* exigi à natura, ejúsque instinctu, utique non frustraneo, uti & ab ordine amoris, incipientis à semetipso. ℞. Obligatio salvandi vitam medio *tam difficili*, & *regulariter loquendo* non exigitur à natura, etsi exigatur *licentia* salvandi vitam *suo modo*. Unde ordo charitatis *permissus* quidem est, quo quis potest præferre vitam propriam alienæ, non semper est *preceptus*.

II Si licita *indirecta* sui occisio, erit etiam licita *directa*: nam idem est, si per me, ac si per alium peream. ℞. Nam aliud est mortem *intendere*, ac *procurare*; aliud *permittere*, nec *impedire* in proximi commodum, majúsque virtutis propriæ emolumentum.

III. Saltem licita erit directa, *si rationabili fine cohonestari possit*: V.G. 1. Ad evitandam mortis injustæ, ac aliunde certæ, infamiam, cruciatus lentos, saluti periculosos. 2. Ad mandatum Judicis, respectu damnati, per mortis sententiam à Republica jam abscissi. 3. Ad punienda, vel impedienda propria peccata, evitandam pudicitiæ vim, virtutem heroicam, suppetentibus exemplis in *S. Appollonia, Samsone, Eleazaro, Razia, Lucretia, Catone*. ℞. N. suppositum, quòd finis, *sat rationabilis*, haberi possit: nam cùm præceptum *sit negativum*, fundatúrque non tantùm in malo, sed & *periculo de malo*, ac *præjudicio*, ex tali licentia emersuro, vi cujusquivis privato judicio per imaginariam seu acerbioris fati, seu infamiæ persuasionem tædiorum, vel tormentorum horrorem, sibi manus licitè inferendas haud difficulter persuaderet, cum ingenti Numinis, sui ipsius, ac societatis humanæ præjudicio &c. cùm, inquam, fundetur *in tali periculo*, nullus haberi potest finis, *sat rationabilis*, quo talis occisio sui cohonestari possit, nunquam cessante periculo seu fine legis, quæ non attendit casum particularem, damnúmque privatum, præjudicio communi utique postponendum. Unde talis licentia in casu 1. repugnat ob periculum abusûs, & præjudicii communis. 2. Ob defectum potestatis in Judice, repugnante naturâ carnificinam sui ipsius. 3. Ob impertinentiam medii, haud necessarii, cùm pudicitia, invitæ erepta, malum morale non sit; nec virtus heroica ad faciendum malum esse possit. *S. Appolloniæ, Samsonis*, & *Eleazari* exempla instinctui Numinis particulari tribuuntur. Cætera facta non ad virtutem heroicam, sed ad *vitia animi abjecti, vel ambitiosi*, meritò referuntur à *S. Augustino*.

IV. Sequeretur, quòd nec licitè possim mihi optare mortem; me dare præcipitem ad evitandum incendium; me unà cum hoste obruere &c. Immo sequeretur, quòd nec Deus posset dispensare in hoc præcepto, quia naturali negativo: hæc nimia. ℞. N. Nam licitum optare mortem, sed *modo debito* obventuram. 2. Licita præcipitatio, si ordinetur ad fugam mortis cum aliquali spe evadendi. 3. Licitum, si fiat pro bono publico, Authore *Tamburino*. 4. Deus non dispensaret, sed suo instinctu mutaret materiam, quo casu non foret *occisio sui propria authoritate*, adeóque nec illicita. *Instruct. II. §. 6. Q. 13.*

Leucotheus. Quæ causæ, & circumstantiæ legitimæ exponendi vitam? *Causa & circumstantiæ legitimæ exponendi vitam.*

Melander. I. Inter causas legitimas est 1. Religio vera. 2. Salus proximi. 3. Immo & vita proximi. 4. Bonum charitatis. V. G. grassante peste. 5. Bonum disciplinæ religiosæ, perfectionis. 6. Bonum publicum &c.

II. Inter casus licitos referri solet. 1. Quòd in *absolutè gravi*, seu *respectivè extrema* necessitate pro avertenda v. g. servitute, posset quis innocens, suppetente nullo alio medio, haud æquè egenti, clanculùm quid esculenti auferre, etsi invito, quia irrationabiliter invito. 2. Quòd quis posset repellere alterum, in naufragi tabulam insilire nisum, siquidem alterutri pereundum foret. 3. Quòd quis obstantem in fuga, nec cedere valentem, posset obterere, siquidem ab insequente hoste perimendus foret, & sic de aliis. *Instruct. II. §. 6. Q. 13.*

Leucotheus. Quæ protestantium Authorum aberrationes hac in materia? *Protestantium avia.*

Melander. I. Grotius non rarò confundit legem naturæ cum evangelica, & evangelicam legem cum consiliis, ut adeò orthodoxos scholasticos, imperitâ inscitiâ, laxitatis plùs quàm *Arminianæ* accuset.

II. *Puffendorfius* malè adstruit *ob quamvis levem injuriam*, spectato jure naturæ, facultatem quamdam moralem læso adversùs læsum *in infinitum, sic ut lædens jus nullum retineat, quò minus extrema quæque ab altero ipsi inferri possint*. Ejus punctator *Weberus* vitam malè projectam, *ex vana fidei jactantiâ*, pessimè ad SS. Martyres extendit.

III. *Thomasius* malè statuit, saltem *simpliciter, necessitatem non habere legem*, etiam tunc, cùm tyrannus sub pœna mortis prohibet cultum Dei publicum; immo, *Fleischero* authore, quando legis transgressio intentatur in *contumeliam Dei*. 2. Malè statuit autochiriam, etiam directam, solo lumine rationis *efficaciter* haud probari illicitam *ad evitandam ignominiam*, cruciatus intolerabiles &c. 3. Malè statuit,

haud

haud licitam virgini defensionem stupratoris occisivam, & cum periculo consensûs in delectationem *momentaneam* &c. quæ omnia satis probant auctoris *ideas*, sæpe admodùm reprobas, qualium ipse tamen, pro sueta calumniandi prurigine orthodoxos scholasticos arguere non veretur. *Instruct. II. §. 6. Q. 14.*

§. 3. Duellum.

§. III.

De monomachia, seu duello.

Duelli origo, & natura.

Leucotheus. Quid? Quotuplex? Et quæ origo duelli?

Melander. I. Pressiùs loquendo, est *singulare* certamen, *ex privatis causis*, ab utraque parte *sponte*, & ex *condicto* susceptum, designato loco, & tempore, ad *occisionem*, *mutilationem*, aut *gravia vulnera infligenda*.

II. Dividitur *in publicum*, & *privatum*, *judiciale*, & *extrajudiciale* &c.

III. *Originem* trahit *à Dæmone*, teste Concilio *Tridentino*, *ut cruenta corporum morte etiam animarum perniciem lucretur.* *Instruct. III. §. 1. Q. 1.*

Ejus iniquitas.

Leucotheus. Quæ duelli licentia, vel iniquitas?

Melander. I. *Duellum, propriè dictum, est omni jure prohibitum.* Et *naturali* quidem, quia repugnat amori, Deo naturaliter *debito* utpote injuriosum ùt Domino vitæ, & mortis; *debito sibi*, quia perniciosum vitæ, atque saluti; debito societati humanæ, quia inductivum ad plurimas cædes. Jure Divino juxta illud: *non occides: ego occidam, & vivere faciam.* Jure Canonico *Tridentina synodi*, duellantes anathemate ferientis; civili per plurimas leges, & pœnas.

II. *Præcipuè illicitum est, etiam naturæ jure, duellum pro tuendo honore, aut ignominia vitanda, aliisque ex causis privatæ ostentationis, odii, vel vindictæ susceptum.* *Ratio est*, quia est medium *ineptum*, ac *inutile ad* hunc finem, augens, non auferens ignominiam in publico judicio prudentum, medium item *haud necessarium*, suppetente viâ legitimæ defensionis, si injurianti tantùm animi fit ad lacessendum, ac calumniandum, præcipuè cùm nec in statu naturæ desit omnis *via* juris, *quasi publica*, in familiis, & consanguineis; quia denique est medium societati humanæ nimis periculosum, eò quòd, ex speciali naturæ depravatione nimisque proclivi tuendi honoris insania, daretur ansa ad cædes innumeras, cum perturbatione, & pernicie publica, uti ipsa testatur experientia.

III. *Etiam duellum judiciale, seu ad veritatem probandam, seu ad litem terminandam, seu ad innocentiam demonstrandam, seu ad objecti criminis culpam purgandam, omni jure illicitum est.* *Ratio est*, quia est periculosa expositio justæ causæ, innocentiæ, Deo nullibi assistentiam huic modo specialem pollicito. Accedit, quòd sit tentatio Divinæ potentiæ, divino jure, & canonico prohibita.

IV. *Duplici tamen casu licitum esse posset duellum, Deo nempe jubente, & causa Dei, religionis veræ, ac bono publico id exigente.* *Ratio est*, quia Deus vitæ Dominus est absolutus, religio, & causa Dei, bonum majus bono vitæ privato; immò & bonum publicum tam magnum, ut ejus intuitu licitum sit committere exercitus integros, hoc est, omnes: ergo & singulos, vel saltem duos ad parcendum sanguini multorum. *Instruct. III. §. 1. Q. 2.*

Quæ momenta quam solvunt oppositiones.

Leucotheus. Quænam momenta in oppositum afferri solent?

Melander. I. Duellum est *intrinsecè* malum: ergo nullo casu licitum. ℞. Duellum *privatum* ex fine particulari, & causa *qualicunque* est quidem intrinsecè malum, non tamen duellum *Publicum*, ex fine *boni communis*, & causâ *gravissima*.

II. Ergo & licitum erit in causa honoris, quæ quandoque *gravissima*; immo *gravior* jacturâ bonorum. ℞. N. Illatum. Quia medium *est ineptum*, cùm honor magìs perdatur, quam servetur; est medium *haud necessarium*, cùm *via* suppetat *contestationis*, sese monstrando paratum ad defensionem contra quemvis aggressorem injustum, uti dictum.

III. Saltem erit licitum casu, quô ignominiæ foret connexa jactura dignitatis, officii, bonorum &c. nullo alio medio suppetente: siquidem hic fieret medium *necessarium*; *prudens*, utpote electivum periculi *incerti* pro malo *certo*; *justum*, quia non vindicativum honoris, sed defensivum bonorum. &c. ℞. Sunt, qui in ejusmodi circumstantiis licentiam admittant; sed veriùs negatur. *Ratio est*, sæpiùs jam adducta, quia præceptum duelli negativum non tantùm fundatur *in damno particulari præcavendo*, sed etiam, *in præcavendo periculo damni communis*, quod ex ejusmodi licentia emergeret in societatem humanam, utpote nimiùm periculosa, abusibus nimis obnoxia, adeóque societati humanæ nimis præjudiciosa *ob nimiam*, uti testis est frequens experientia, *hac ex parte hominum proclivitatem*, facile sibi per-

Stria prot. Jantica. Titulus 5. De officiis ... erga proximum. §. 1. Officia hominis ...

persuadentium se non modò in honore, sed etiam annexo officio graviter ostensos; immo ejusmodi licentiam etiam ad offerenda quoque duella non difficulter extendentium, ingenti utique societatis humanæ præjudicio. Unde ad instantias R. Quòd Duellum quidem posset esse fortassis licitum, hoc casu, spectato præcisè fine *inadæquato* hujus præcepti naturalis, non tamen posset esse licitum spectato fine *adæquato*, nunquam cessante, quia periculo semper permanente, respectu præjudicii publici. Ad. 1. Duellum hic fieret medium necessarium non *per se* sed merè per *accidens*, sic ut bonum privatum, in casu merè extraordinario, sit bono publico postponendum. Ad. 2. Duellum foret *medium prudens*, spectato quidem damno privato, non tamen spectato periculo damni communis, quod fundaret talis licentia practica. Ad. 3. Hoc ipso non esset medium *justum*, quia excessivum, & spectata hominum corruptione, nimis periculosum, ac societati humanæ præjudiciosum. *Instruct. III. §. 1. Q. 3.*

Stria protestantica. *Leucotheus. Quænam hac ex parte stria protestanticæ?*

Melander. I. *Nicolaus Hertius Puffendorfii* non tam scholastem, quàm corruptorem agit, dum in notis, duellorum Apologetas, adstruxit Jesuitas ex famoso *Montaltio*, sibi non absimili pseudologo, infami *Galliæ* totius stigmate inusto.

II. *Grotius* malè assignat duellum casu duplici licitum, *si invasor concedat alteri licentiam dimicandi, alioquin eum occisurus*: quia rejicienda conditio, & exspectanda invasio. *Si Magistratus duos, mortem meritos, inter se committat*; quia hic est abusus potestatis, à natura non concessus, ùt dictum suprà. Item errat per alterum excessum, dum, *causâ publicâ exigente*, licitum negat duellum, ùt patet ex dictis.

III. *Weberus* ineptum agit *Puffendorfii* anagnosten, dum scribit: *duellum in statu naturali non esse injustum*, quem eundem errorem errat *Kemmerichius*, alter *Puffendorfii* enucleator. *Instruct. III. §. 1. Q. 4.*

Leucotheus. Quid de diffidationibus belli privati sentiendum? *Diffidatio privata.*

Melander. I. *Diffidatio*, sic dicta à *diffidendo*, est *fidei renuntiatio, & inimicitiæ per quævis hostilia denuntiatio, propria authoritate facta ab iis, qui superiorem in terris habent.*

II. *Origo* deducitur à turbulentis Imperii *Romano-Germanici* temporibus, maximè ab *Henrici* IV. Imp. infantia, neglectæ justitiæ culpâ, ac turbulento successorum quorundam regimine, quo invaluit, jus manuarium Hauß-Kolben- oder Faust-Recht.

III. *Incrementa* sumpsit valida cum tempore, ut *Friderici*, aliique Cæsares eam frustra extirpare conati sint. *Carolus* IV. mitigare vix potuit per conditiones quasdam oppositas, V. G. *ne fieret fraude, ne sine indictione, per testes etiam roborata* &c.

IV. *Modus* fieri solebat propria voce, vel litteris diffidatoriis triduo interposito. *Instruct. III. §. 2. Q. 5.*

Leucotheus. Quid de diffidationum usu memorandum? *Ejus iniquitas.*

Melander. Quòd sit abusus, omni juri contrarius. Patet, quia est denuntiatio inimicitiæ *privata*, justitiæ eversiva, tranquillitatis publicæ perturbativa, jure Cæsareo *Caroli* IV. meram tolerantiam probante. 2. Quia hæc pestis fuit à *Friderico* III. *Maximiliano* I. *Carolo* V. penitus proscripta, & in speciem fractæ pacis publicæ declarata, diffidatoribus, eorumque complicibus Imperii banno innodatis.

Titulus 5.

TITULUS V.

De officiis hominis erga proximum.

De Officiis hominis erga proximum absolutis.

§. 1.

§. I.

Officia hominis imperfecta.

De Officiis hominis imperfectis erga proximum.

LEucotheus. *Quid nominis officium absolutum, hypotheticum, perfectum, imperfectum? Et quænam methodus ea tractandi?* Inst. Jur. Nat. & Gent. Epitome.

Melander. I. *Officium* hominis *absolutum*, est *actio* vel *omissio* actionis jure naturæ connato debita; *hypotheticum*, debita jure quodam adventitio: *Absoluta, hypothetica.*

tirio: illius generis est, *Deum colere*, *neminem lædere*; hujus, *cuivis suum tribuere*, *non furari*.

Perfecta, & imperfecta.

II. Officium hominis *perfectum*, est *actio*, vel *omissio actionis*, debita jure Naturæ *propriè* tali; *imperfectum*, debita *per æquitatem quamdam naturalem*: illius generis est, *neminem lædere*; hujus, *digito monstrare viam petenti*; illius incuria denominat aliquem *formaliter injustum*; hujus verò *iniquum*.

Modus tractandi.

III. Officia *absoluta* tractanda in jure naturæ; *hypothetica* in jure Gentium, ut protestanticis vestigiis inhæreamus. *Instruct. I. §. 1. Q. 1.*

Officiorum fundamentale principium.

Leucotheus. Quale hujusmodi officiorum fundamentale principium, & quænam disciplina, iis tractandis propria?

Amor, cuivis naturaliter debitus.

Melander. I. Fundamentale principium est *amor*, cuivis naturaliter debitus, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessarius. Cùm enim homines *secundùm naturam* sint *æquales*, & *æquali impulsu* ferantur ad finem, seu felicitatem, amor omnibus insitus omnes pariter obligat ad officia mutua, in ordine ad hunc finem necessariò requisita, juxta illud naturæ dictamen. *Quod tibi vis, vel non vis fieri, alteri feceris, vel non feceris.*

Etiam quò ad officia imperfecta.

II. Non tantùm officia *perfecta*, ùt patet, sed etiam *imperfecta*, sunt *de jure naturæ*, spectántque ad Jurisprudentiam naturalem, tanquam *propriam* disciplinam. *Ratio est*: quia non fundantur in *amore qualicunque* meræ humanitatis, sed *æquitatis naturalis*, sic ut participent *rationem justitiæ formalem*, relucentem ex debito, alteri *obligatoriè* reddendo. 2. Quia sunt *exigua* in ordine ad naturæ finem, seu *felicitatem simpliciter necessariam*, quæ, negatis ejusmodi officiis, si minùs *positivè*, saltem *negativè* foret defectuosa. *Instruct. I. §. 1. Q. 2.*

Idea Protestantium hac ex parte.

Leucotheus. Quænam scita Moralistarum, Protestantium, hoc ex capite, minùs apposita?

Quò ad humanitatis principium.

Melander. I. *Puffendorfius* cum *Thomasio* officia hominis imperfecta *ex statu humanitatis*, *& lege de custodienda æqualitate*, non satis curatè derivat: quia, teste *Kemmerichio*, æqualitas, juncta felicitati humanæ, *fundamentum* est officiorum, non *peculiare officium*: cùm enim homines sint *æquè homines*, atque adeò *æquali impulsu* ad felicitatem ferantur, jus oritur omnibus æquale, *felicitatem hanc promovendi*. 2. *Grotius* malè fundat *in pacto* primævæ rerum divisionis, quia *incerto*. 3. *Kemmerichius* minùs bene ea derivat *ex regulis decori*, nisi hoc ipsum fundet *in debito quodam naturæ*, ad humanam felicitatem necessario, sic ut obligationem, saltem minùs rigorosam, hominibus inducat. 4. *Heineccius* cum *Puffendorfio*, & *Thomasio*, officiis imperfectis malè admiscet studia *meræ beneficentiæ*, virtutem, *Ethicæ propriam*, à jure naturæ haud *sequestrando*, quam confusionem *Puffendorfiam* toties Orthodoxis scholasticis oggerunt. 5. *Koblerus* opposito errore, ex suo naturæ jure *cogente*, jus omne *imperfectum* exterminat, ac Jurisprudentiam naturalem detruncat.

Ex officiis gratitudinis nequaquam desensa.

II. *Neque obest 1.* Quòd *gratitudo* fundetur *in aliquo debito naturæ*, & tamen nullam obligationem juris inducat. Nam ℞. Quod fundetur quidem *in debito qualicunque convenientiæ naturalis*, non tamen in *debito quodam* necessario ad finem, seu felicitatem humanam.

Nec obest 2. Quòd gratitudinis *necessitas* videatur *absoluta*, ut ne inter homines cesset omnis *beneficentia*, atque *fiducia*. Nam ℞. Quòd gratitudo, ùt respondens officiis *beneficentiæ*, nec *innoxiæ* tantùm *utilitatis*, haud sit *necessaria* ad esse bene *simpliciter*, quod solùm respicit jus naturæ, nisi & virtutem *liberalitatis*, *eutrapeliæ*, *patientiæ* &c. ad jus naturæ attrahere quis intendat.

Neque obest 3. Quòd gratitudo sæpe fundetur in debito naturæ, etiam *absolutè necessario*: V. G. respectu *Dei*, *Parentum*. Nam ℞. Quòd Gratitudo *simplex*, & ùt est virtus *specialis* nunquam fundetur in debito naturæ *absolutè necessario*, & fundari possit gratitudo *mixta*: hæc enim *per accidens*, accedente justitiæ titulo, fundare jus potest, sicque revocari ad Jurisprudentiam naturalem. *Instruct. I. §. 1. Q. 3.*

Obligatio non tantùm est externa, sed etiam interna.

Leucotheus. Quænam obligatio, naturalis ad officia hominis, homini exhibenda, seu perfecta, seu imperfecta?

Melander. I. Est *obligatio* non tantùm *externa*, sed etiam *interna*; De externa patet: nam amor debitus, *sine effectu*, foret frustraneus. De *interna* colligitur ex eo, quòd necessaria sit ad finem; qua sine obligatio externa redderetur *imperfecta*, *facilè defectibilis*, *inefficax*, ac *insufficiens*.

Unde propositiones quædam rectè sunt ab Innocentio XI. damnatæ.

II. Hinc ab *Innocentio* XI. etiam spectato jure naturæ, rectè proscripta propositio *quòd non teneamur proximum diligere actu interno, & formali; quod præcepto proximi diligendi satisfacere possimus per solos actus externos; quod teneamur proximum diligere actu quidem interno, sed tantum in communi, non particulari.* Unde falsum est. 1. Quòd tantùm actus externus proximo cedat in bonum,

num, sitque necessarius; quia sine interno *ubique* & *semper* non exhibebitur externus.

Falsum 2. Quòd dilectio *in commune* sit *inutilis*, *in particulari impossibilis*; quia *in commune* utilis est ad hoc, ut homo reddatur paratus ad diligendum proximum *in particulari*, quoties naturæ lege obligatur. Dilectio omnium, *in sensu accommodo*, est possibilis, cùm plus non velit, quam ut sit dilectio *cujuslibet* in particulari, si respectu hujus potiùs, quàm illius, occurrat necessitas.

III. Tempus obligationis est, quando occurrit proximi necessitas. *Instruct. I. §. 1. Q. 4.*

Officia imperfecta in genere. *Leucotheus. Quænam objecta seu officia, præcipuè imperfecta, ad quæ se extendit hæc obligatio amoris, proximo naturaliter debiti?*

Melander. I. *In genere*, ea facienda, quæ ad finem felicitatis humanæ ita sunt *necessaria*, ut illis negatis, si *minus positivè*, saltem *negativè* flaccesceret, & ex parte deficeret requisita illa, & naturæ humanæ propria felicitas, juxta illud: *quod tibi vis*, vel *non vis fieri*, *alteri feceris*, vel *non feceris*.

Respiciunt proximi necessitatem. II. Unde officia imperfecta fundantur *in quadam æquitate amoris naturalis*, respiciente proximi *necessitatem*, quæ, quò major vel minor, majus vel minus facit debitum correspondens, seu obligationem proximo debitam. Unde sicut officia imperfecta, *in necessitate proximi summa*, degenerant in *perfecta*; ita & officia virtutum fieri possunt *imperfectè* debita per eandem necessitatem.

In specie innoxiam utilitatem. III. *In specie* notant isthæc officia *innoxiam utilitatem*, seu talem, quæ accipienti prosit, præstantem non gravet V. G. *Erranti monstrare viam, petenti dare consilium*, *languenti permittere fluentem.* 2. Iisdem officiis accensetur præstatio rerum, quarum nimia copia molesta, eas potiùs integras aliorum usui permittendo, quàm destruendo. 3. Dispensatio rerum in aliorum utilitatem, quæ alioquin nobis essent corrumpendæ. 4. Officia in peregrinos, calamitate oppressos, iis auxilium & solamen exhibendo &c. *Instruct. I. §. 2. Q. 5.*

Officia imperfecta magis memorabilia circa eleemosynam. *Leucotheus. Quæ officia imperfecta magis controversa?*

Melander. I. Divitibus *aliquam* esse obligationem, etiam in justitia, *improprié tali*, fundatam, subveniendi egenis, *licèt communi tantum necessitate pressis* (abstrahendo, *quanta* sit, & *quoties* exercenda respectu juris naturæ) in nostris principiis clarum est. Quia repugnat amori, ad felicitatem societatis humanæ *admodum* necessario, per totam vitam, nunquam exercere actum amoris, etsi occasio *quotidiana* sit, idque absque *omni*, vel *levi* incommodo fieri posset. 2. Est obligatio naturalis, *saltem imperfecta*, succurrendi proximo *in gravi necessitate* per eleemosynam petitam, *saltem ex superfluo*: quia id exigit æquitas naturalis, fundata in amore proximi, ad finem societatis humanæ necessario. Quòd si necessitas foret *absolutè gravis*, & pene *extrema*, est obligatio succurrendi *etiam ex necessariis* cum levi detrimento status: quia *absolutè gravis* necessitas in æstimatione morali æquiparari solet indigentiæ extremæ. 3. Est obligatio naturalis *perfecta* succurrendi proximo, in *extrema necessitate constituto*, *etiam ex necessariis* cum aliquo status proprii detrimento, non tamen extraordinario, multò minùs cum status proprii destructione. *Ratio prioris est* amoris necessitas ad bona quædam ordinis inferioris, vitæ proximi postponenda. *Ratio posterioris est* nimia difficultas, amore proprio prævalente.

Circa innoxium transitum. II. *Transitus* per territorium alienum, seu terrestre, seu maritimum, *debito modo*, etsi *absque ulla causa*, negatus, *per se loquendo*, nunquam parit formalem injuriam, sufficientem ad actionem, vim, vel bellum alteri inferendum. *Ratio est*, quia, cùm vix possit abesse saltem incommodi periculum, *spectato jure naturæ*, prætendi nequit jus perfectum. 2. Transitus inermis advenarum, *siquidem verè innoxius sit*, spectato naturæ jure, *per se* loquendo, negari nequit. *Ratio est*, quia exigitur ab amore, in naturali æquitate fundato, juxta illud: *quod tibi vis fieri* &c. 3. Idem, ex eodem fundamento, sentiendum de transvectione mercium *necessaria*, ac verè *innoxia*. 4. Militaris tamen transitus rectè negatur, quia nunquam *verè* seu *practicè* innoxius esse solet, ut non saltem suppetat *justus periculi metus*.

Circa denegatum matrimonium, favorem commercium. III. Ad officia juris imperfecti non tectè trahitur *denegatio amicitiæ*, vel *matrimonii*; quia deest *necessitas*, facilisque causa incommodi haberi potest. Neque *communis facultas*, uni negata, repugnat æquitati naturali, si *qualiscunque* demum *ratio subsit*; multò minùs unquam parere potest injuriam formalem. *Instruct. I. §. 2. Q. 6.*

Officia imperfecta respectu hostium. *Leucotheus. An officia æquitatis imperfecta, homini ab homine præstanda, etiam respectu hostium, spectato jure naturæ obligent?*

Melander. I. Id censet *Heineccius.*

1. Quia fundantur *in æquitate naturæ*. 2. Quia sunt conjuncta cum spe conciliandi inimici. 3. Quia à *Socrate* dudum profligata sententia, *quòd malè faciendum sit inimicis*.

II. Sed veriùs, *per se* loquendo, nulla præstandi est obligatio, quia, durante alterius animo hostili, hæc officia vix possunt esse innoxia: sic nil antiquius in bello, quàm hostes prohibere aquatione, commeatum corrumpere, cuncta devastare.

III. Unde *naturæ æqualitas* sicut non obstat, quin hostem vindicemus etiam positivè lædendo; ita non obstat, quin vindicemus, ei humanitatis officia denegando. 2. Spes conciliandi inimici virtutem notat non jus. 3. Sic & *Socratis* dicta naturalem *Ethicam* sapiunt, non *Jurisprudentiam*, quas *Heineccius* non raro confundit.

§. 2.

§. II.

De Officiis erga proximum perfectis.

Officia hominis perfecta. Eorum natura.

Leucotheus. Quid Moralistis officia perfecta? Quæ illorum differentia ab imperfectis?

Melander. Officia *perfecta* notant actiones, ad quas homo, non *ex qualicunque æquitate*, seu conformitate cum natura rationali; *sed ex justitia, propriè tali* atque *perfecta*; immo quandoque *ex proprissimè tali*, ac *rigorosa*; per modum coactionis externæ, ac satisfactionis, est obligatus. Nam, quia justitia formalis respicit alterius jus, seu debitum, & hoc quandoque est rigorosum, seu coactionis externæ, ac reparationis illativum; quandoque *merè legale*, coactionis externæ, & reparationis expers, uti contingit in læsionibus proximi internis, odio, invidiâ, proposito furandi &c. facilè liquet.

Differentia ab imperfectis.

II. *Differentia* ab officiis imperfectis. Hæc enim fundantur in jure *minùs proprio*, respiciendo *æquitatem* quandam, qua aliis facienda bona; *perfecta* fundantur *in jure propriè tali*, quandoque etiam in *rigoroso*, spectando justitiam *legalem*, & *commutativam*, qua aliis non inferenda mala. 2. Imperfecta supponunt *necessitatem minùs strictam*, sic ut officii incutium denominent *inıquum*; perfecta supponunt necessitatem *absolutam*, sic ut officii sui negligentem denominent *propriè*, quandoque etiam *formalissimè injustum*. 3. Imperfecta pariunt obligationem coactionis expertem; *perfecta* coactionis externæ, & quandoque reparationis insuper illativam. *Instruct. II. §. 1. Q. 1.*

Officia perfecta in specie.

Leucotheus. Quæ officia perfecta? Quæ eorum objecta? Et quale obligationis principium?

Nemo lædendus.

Melander. I. Officia *perfecta* in genere duo sunt: *nemo lædendus; jus suum cuique tribuendum*.

Modus læsionis triplex.

II. Objecta sunt *læsiones* triplicis generis, *cogitatione*, *verbo* & *opere*; sive quò ad bona *animi*, intellectûs nempe ac voluntatis; sive quò ad bona *corporis*; sive quò ad bona *famæ*, aliáque extrinseca *fortunæ*.

Fundamentum obligationis.

III. *Fundamentum obligationis* petitur denuò *ex amore*, Deo ac proximo *naturaliter debito*, quia ad felicitatem ac pacem, cum Deo & proximo conservandam, *simpliciter necessario*. *Instruct. II. §. 1. Q. 2.*

Reparandum damnum.

Leucotheus. Quodnam alterum officium ex perfectis?

Melander. I. *Reparatio damni*, si quod secutum ex læsione *injusta*, qualitercunque *imputabilis*, quantùm *fieri potest*.

Modus reparationis.

II. Dicitur *injusta*, quia *damnosa*; dicitur *imputabilis*, quod fit, si adsit *jussio*, *consilium*, *palpo*, *recursus*, *participans*, *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*. Dicitur quantùm *fieri potest*: hoc est, meliore modo, vel per restitutionem ipsius rei, vel per æstimationem rei, vel fructuum, lucri cessantis, damníque emergentis.

Fundamentum obligationis.

III. *Fundamentum obligationis* denuò petitur ex eodem amoris *debiti*, quia *necessarii*, principio, eò quòd lex *de non lædendo* foret *vana*, *inutilis*, si damnum reparari haud deberet. *Instruct. II. §. 1. Q. 3.*

Casus excepti ab obligatione naturali reparandi damni.

Leucotheus. Quænam ab hac obligatione exceptiones?

Causa incerta.

Melander. I. Per *accidens* cessat obligatio reparandi damni, quandocunque quis non est causa *certa*, *vera*, & *efficaciter influens* in damnificationem factam. Quia tam gravis obligatio ex amore, *naturaliter debito*, deduci nequit.

Inculpata.

II. Cessat, *nullâ culpâ interveniente*, si nihil extet ampliùs, neque quis factus sit ditior: quia obligatio foret nimis difficilis.

Culpabiliter merè juridicè.

III. Cessat probabiliùs, si *culpa* sit *merè juridica*, seu ex omissione diligentiæ, non nisi à summè industriis adhiberi solitæ: quia obligatio foret nimis ardua, & ob frequentes transgressiones potiùs noxia.

Vel etiam theologicè, sed venialiter.

IV. Cessat probabiliùs, si negligentia sit quidem *theologica*, sed *venialiter* tantùm culpabilis: * quia tam gra-

* V. G. Si quis ex oblivione, *venialiter tantùm culpabili*, non extinxisset lucernam orto inde incendio.

gravis obligatio sufficienter probari nequit. Nam quòd *æquitas naturalis* exigat, ut damnum patiatur potiùs nocens *juridicè* ob culpam *voluntariam*, & à fortiori ob *theologicam*, etsi *levem*, quàm *absolutè innocens*, nil evincit: quia probaret, reparandum quoque fore damnum *fortuitum*, quod est nimium. Item: quia hæc obligatio nimiùm gravis, culpæ improportionata, propter faciles transgressiones humano Generi potiùs noxia, quàm utilis: immo, *& antecedenter ad omnem eventum*, ipso læso minùs optabilis.

Non animadversa gravitate materiali.

V. Cessat probabiliùs, *quandocunque* culpa tantùm est *levis* absque animadversa gravitate, seu formali seu materiali. * *Ratio est*, quæ suprà.

Secus non cessat.

VI. Quòd si tamen gravitas materialis cognita foret, ** etsi culpa accederet solummodo *levis*, probabiliùs, *jure naturæ*, manet obligatio *gravis* ad compensationem totius damni *cogniti*. *Ratio est*: quia tale damnum, etsi datum *ex culpa levi*, *per se loquendo*, connexum est *cum magno commodo* damnificantis adeóque cum *magno illicio* ad damnificationes plures & plures, tam proximo, quàm societati humanæ admodum periculosas: ergo natura de remedio *sufficienti*, per obligationem reparationis gravem, probabiliùs providit, ac providere debuit.

Neque dicas. 1. Quòd casu rei demersæ, vel abjectæ, cesset commodum damnificantis, adeóque & illicium. Nam ℞. Etsi cesset *per accidens*, non tamen cessat *per se*, sic ut non sit *conjungibilis* saltem cum commodo.

Neque dicas. 2. Quòd obligatio nec oriatur *ex re accepta*, quia consumpta, ùt ponitur; nec *ex injusta acceptione*, quia tantùm levi, & improportionata culpæ gravi. Nam ℞. Quòd oriatur ex utraque, *ùt opposita naturæ fini*, seu, *ùt connexa* cum gravi præjudicio, vel saltem præjudicii periculo, tam respectu proximi, quàm societatis humanæ, cui præcavendo restitutionis obligatio est medium necessarium, à natura intentum.

Neque dicas. 3. Quòd in casu, quo infertur damnum, cognitum *ùt grave*, absque omni culpa; vel non cognitum *ùt grave*, cum levi tantùm culpa, æquale videatur periculum, & præjudicium publicæ felicitatis. Nam ℞. N. Quia in casu priore nulla omnino intervenit culpa, prætterquam quòd casus vix videatur esse practicus. In posteriore damnum non cognitum ùt grave, hoc ipso non est conjunctum cum tanto illicio.

Neque dicas. 4. Quòd in casu, quo infertur damnum cognitum *ùt grave*, sed ex culpa gravi, non major foret obligatio, adeóque obligatio *ex culpa levi* foret improportionata. Nam ℞. Etsi forsan foret improportionata, si spectetur sola culpa levis *in se*, non tamen foret improportionata, si spectetur complexum, *ùt conjunctum* cum gravi præjudicio societatis humanæ, præsertim cùm obligatio hæc non descendat ex justitia merè vindicativa, sed potiùs ex commutativa.

Etsi gravitas materialis sit solùm successiva.

VII. Eadem obligatio gravis manet ratione compensandi damni, cogniti *ùt gravis*, etsi datum sit per damnificationes leves *successivas*, moraliter tamen coalescentes. *Ratio est*, quæ suprà: cùm successiva ablatio se habeat merè per accidens. *Nec obstat. 1.* Quòd furta minuta sint facta diversis: quia manet quantitas gravis, *scienter* & *voluntarie* ablata cum damno, saltem communitatis, ejúsque periculo, ac præjudicio. *Nec obstat. 2.* Quòd leves detractiones, pluribus factæ, non inferant similem obligationem gravem: quia ex detractionibus non capitur lucrum, nec habetur illicium ad plures, & plures, uti fit in furtis.

Cessat quò ad excessum, invincibiliter ignoratum.

VIII. Cessat obligatio reparationis, *quò ad excessum damni, invincibiliter ignoratum*. *Ratio est*: quia ille excessus neque est voluntarius *in se*, neque *in causa*, cùm ignotetur connexio, adeóque fortuitus censeri debeat.

Stante impossibilitate morali.

IX. Cessat denique obligatio restitutionis, quamdiu manet *impossibilitas moralis*, quæ ex Prudentum judicio æstimanda, ac debitis cum limitationibus consideranda est, uti fusiùs legere est apud Moralistas orthodoxos. *Instruct. II. §. 1. Q. 4.*

Proprietates reparationi damni connexæ.

Leucotheus. Quæ cæteræ proprietates magis memorabiles, in reparatione damni, naturali jure, contentæ?

Circumstantiæ temporis, loci &c.

Melander. I. Memorabiles circumstantiæ *temporis, loci, modi, & ordinis*, quibus restitutio facienda, quantùm fieri, & exigi jure potest in ordine ad damnificati indemnitatem.

II. Me-

* V. G. Si quis subduceret aureum, *non habita sufficiente advertentia* ad legem graviter obligantem; vel *ex ignorantia gravitatis formalis*, subducendo aureum, quem quis putaret *invincibiliter* haud esse materiam gravem; vel *ex ignorantia gravitatis materialis*, subducendo gemmam, quam quis invincibiliter existimaret esse vitrum.

** V. G. Si quis subduceret aureum, etsi *per culpam solummodo levem* existimaret *invincibiliter* Dominum non esse *saltem graviter* invitum.

Cui facienda reſtitutio,

II. Memorabilis reſtitutionis *terminus ad quem*, ſic ut facienda ſit poſſeſſori juſto, debitâ diligentiâ inquiſito, ſi ſit incertus, & meliore modo, quo fieri poteſt, in commodum domini, vel damnificatæ communitatis.

Ab emptore bonæ vel malæ fidei.

III. Res allena, comparata, per contractum à poſſeſſore *bonæ fidei*, huic, non domino reſtituenda. *Patet.* Comparata à poſſeſſore *malæ fidei* v. g. fure, *permitti* poteſt, ut recipiatur à fure, ad evincendum à fure pretium: quia *permittens* non cooperatur ad rei ſtatum deteriorem, ſed non cuſtodit in ſtatu meliore cum ſuo periculo. An *ob periculum evictionis* poſſit *poſitivè* tradi denuo furi, ſeu ab emptore *bonæ*, vel *malæ fidei*, controvertunt Moraliſtæ orthodoxi. *Spectato naturæ jure*, res comparata ab emptore *bonæ fidei*, ad ſe ſervandum indemnem, etiam *poſitivè* poteſt reddi furi, quia obligatio reddendi domino eſt valde gravis, & oppoſita amori, ſibi naturaliter debito, qui *in æquali periculo damni* potiùs favet ſibi, præcipuè cùm nulla adſit culpa. Contrà res comparata ab emptore *malæ fidei*, ſpectato naturæ jure, probabiliùs reddi nequit furi, *ad ſe ſervandum indemnem. Ratio eſt*: quia ejusmodi emptiones partim ob lucra ementium, partim ob invitamenta furum vendentium, non tantùm *domino privato* ſunt damnoſæ, ſed *& communi bono* præjudicioſæ, *felicitati ſocietatis humanæ* derogatoriæ, vel ſaltem ob *grave periculum de multiplicandis damnis* admodum pernicioſæ indemnitati publicæ, ſeu contrariæ fini, à natura intento: ergo natura debuit providere de *medio ſufficiente*, ac *efficaci*, abſterrendi homines à pernicioſis ejusmodi nundinis: atqui aliud medium eſſe non poteſt, quàm *obligatio*, rem, mala fide emptam, reddendi domino *cum periculo evictionis*: ergo obligatio hæc eſt medium, *ſimpliciter neceſſarium*, ad finem, ſeu indemnitatem, ſi minùs domini privatam, ſaltem ad publicam ſocietatis humanæ à natura intentam: ergo eſt exigita ab amore, ſocietati humanæ naturaliter debito, adeóque jure naturæ impoſita, id quod erat oſtendendum.

Neque dicas. 1. Emptorem malæ fidei, re furi traditâ, ampliùs haud teneri *ex re accepta*, nec *ex injuſta acceptione*, quia per reſciſſionem contractûs abolitâ. Nam ℞. Etſi forſan ſit abolita *particulariter*, ſic ut non ampliùs influat in damnum domini *privatum*, non tamen eſt abolita *totaliter*, ſic ut neque ampliùs influat, *ſaltem moraliter*, in damnum publicum, ſeu præjudicium ſocietatis humanæ.

Neque dicas. 2. Si emptor *bonæ fidei* poteſt rem reddere furi, tunc etiam *malæ fidei*, quia nulla diſparitas. Nam ℞. Diſparitas eſt, quòd, *reſpectu illius*, ceſſet præjudicium publicum, non *reſpectu hujus*.

Neque dicas. 3. Natura jam providit de medio, quo præcavetur præjudicio, etiam publico, per obligationem reddendi rem denuo, ſaltem furi. Nam ℞. Hoc medium non eſſe *ſufficiens*, & *efficax*, quia urgente periculo evictionis emptores præſtat indemnes.

Neque dicas. 4. Hæc probarent, nec *permiſſivè* poſſe rem, malè emptam, relinqui furi, quod nimium. Nam ℞. N. Illat. Quia hic caſus, *dependens ab alieno arbitrio*, & merè *per accidens*, non attenditur à natura.

Ratione vulnerum.

IV. Pro injuriis, corpori illatis, ſtringit obligatio reparandi damna, inde ſecuta *directè, juxta arbitrium* prudentis: ipſæ injuriæ non compenſantur, quia *ordinis*, æſtimatione pecuniaria *altioris*.

Stupri.

V. Pro injuria ſtupri, vel adulterii, eadem eſt obligatio reparandi damna inde ſecuta; etſi ipſa virginitas, quia ordinis diverſi, compenſari haud poſſit.

Famæ læſæ.

VI. Pro læſione famæ ceſſat reſtitutio pecuniaria, quia bonum eſt ordinis altioris: unde pro fama reſtituenda eſt fama, & ſic de aliis animæ bonis. *Inſtruct. II. §. 2. Q. 5.*

Lituræ proteſtanticæ.

Leucotheus. Quæ penes Moraliſtas proteſtanticos, hac in materia, lituræ?

Melander. I. *Kemmerichius* obligationem reparandi damni adſtruit præciſè, *quia datum eſt*, etſi ſine culpa fortuitum: *Thomaſius* culpam, *etſi leviſſimam*, velut juſtum obligationis tantæ titulum adſtruit.

II. Idem *Kemmerichius* Conſiliarios, quia cauſas *minimè cogentes*, à reparandi damni obligatione eximit, quæ propoſitio eſt damnata ab *Innocentio XI.* in hæc verba: *qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem. Inſtruct. II. §. 2. Q. 6.*

§. III. — §. 3.

Officia ſermocinantium & jurantium.

De non lædendis aliis per verba, ſeu de officiis ſermocinantium, & jurantium.

Ratio tractandi hæc officia.

Leucotheus. Quæ ratio tractandæ materiæ? Et quæ natura mendacii, huc ſpectantis?

Melander. I. *Ratio* tractandi officia ſermocinantium eſt, quòd *converſatio humana* ſit neceſſarium medium ad finem, à natura intentum, putà *ad felicitatem, naturæ rationali propriam.*

Mendacii natura.

II. *Sermo* eſt, *ſonus articulatus ex homi-*

num

num impositione, animi sensa declarans. 2. *Veritas* sermonis est conformitas; *falsitas* est difformitas sermonis cum mente loquentis. 3. Mendacium *formale* est *S. Augustino, dict: m contra mentem fallendi causâ.* 4. Mendacium *materiale*, seu *falsiloquium, est dictum difforme objecto, non tamen menti loquentis.*

Divisio extensa ad restrictionem mere internam.

III. Mendacium *formale*, ex communi Orthodoxorum est triplex: *perniciosum*, quod profertur animo fallendi, *ut obsit*; *officiosum*, quod dicitur animo fallendi, *ut prosit*; *jocosum*, quod garritur animo fallendi, *ut delectet*. Ad mendacium formale rectè reducitur *restrictio, purè mentalis*, per quam intelligitur *dictum, & in se, & secundùm circumstantias determinatum ad sensum unum, eùmque falsum, etsi per aliquid, sola mente retentum, posset efficere sensum verum.* V. G. Si interrogatus, an fregerit hoc vitrum? id *absolutè* neget, mente retinendo, *mense præcedenti*. *Ratio est*, quia locutio, quà *humana*, fit *tantùm* per voces, *nullatenus* per conceptus: ergo dicens *absolutè: non fregi*, mentitur, conceptu retento nullatenus sensibili, adeóque nullatenus ad alterum significante. Unde damnata est hæc propositio ab *Innocentio XI. Utens restrictione, purè mentali, reverà non mentitur. Instruct. III. §. 1. Q. 1.*

Mendacium omne, quibusvis in circumstantiis, est naturæ jure prohibitum.

***Leucothea.** Quid juris naturalis negativi circa officia sermocinantium?*

***Melander.** Mendacium omne, qualecunque (adeóque & restrictio, purè interna) quocunque in casu, etiam utilitatis, ac necessitatis summa, pro ratione materiæ, seu leviter seu graviter, est naturæ jure prohibitum.*

Supponitur. I. Quòd *finis* loquelæ humanæ *immediatus* sit *communicatio mutua, quò ad animi sensa*; *mediatus* verò sit *felicitas societatis humanæ*.

Supponitur. II. Quòd hæc felicitas, *in quantum dependet a conversatione mutua, humanóque commercio*, sufficiens ut sit, exigat *securitatem absolutam*, vi cujus nemo ullis in circumstantiis, per mendacium possit *licitè* decipi. *Ratio est*, quia *securitas*, *limitata* ad solum mendacium perniciosum; vel *conditionata*, nisi mendacium exigat *utilitas*, vel qualiscunque *necessitas* &c. non esset *exclusiva periculi*, ne audiens, *hic & nunc*, seu per *veram*, seu per *imaginariam* loquentis licentiam (quam sibi mille in circumstantiis fingeret effrenis in mendacia hominum pravitas) decipiatur, vel saltem *licite* decipi posset: ergo conversatio non esset *certò* sincera neque humanum commercium *satis securum*, adeóque securitas esset admodùm *dubia*, atque *periculosa*, sic ut loquela non foret medium, *universaliter sufficiens* ad finem proximum, seu ad communicanda *semper* animi sensa; neque *satis proportionatum* ad finem mediatum, putà ad felicitatem, humano Generi *absolutè* necessariam: atqui *evidens est*, quòd debeat esse *sufficiens*; secus Natura deficeret in necessariis: ergo evidens est, quòd *securitas* in ordine ad finem, à Natura intentum, debeat esse *absoluta*, id quod erat declarandum. His suppositis.

P. Assertum. Securitas *absoluta*, ne quis per alterum, ullis in circumstantiis, possit per mendacium *licitè* decipi, est exigita *ab amore*, in ordine ad felicitatem, ùt *à conversatione, humanoque commercio dependentem, simpliciter* necessario: ergo licentia mendacii qualiscunque, utpote eversiva hujus securitatis *absolutæ*, repugnat amori societati humanæ naturaliter debito, adeóque est *Naturæ jure* prohibita.

III. *Nec obstat.* 1. Quòd saltem mendacium *jocosum*, atque *officiosum*, nil præjudicet felicitati, seu privatæ, seu publicæ. Sed ℞. Etsi nil præjudicet fini loquelæ *immediato*, præjudicat tamen aliquid fini *mediato*, seu felicitati, publicæ saltem *respectivè*, seu *respectu conjuncti periculi* ob abusum, securitatis absolutæ eversivum, adeóque felicitati, tam privatæ, quàm publicæ, admodùm præjudiciosum.

Nil evincentibus replicis.

Neque obstat. 2. Quòd mendacium, *certis in circumstantiis*, posset esse medium *necessarium*, tam ad *privatam*, quàm *publicam* felicitatem, casu quo averti posset mors *propria*, *aliena*, vel etiam *Reipublicæ totius interitus*. Nam ℞. Etsi posset esse medium *indeterminatè* necessarium, sic ut suppetat aliud, naturaliter licitum, *in celanda amphibologicè veritate* nòn tamen posset esse medium necessarium *determinatè*: & etiamsi fors esse posset, nihilosecius, *in tali casu per accidens*, ejusmodi malo *particulari*, naturæ ordine, præponderaret malum, seu *præjudicium commune*, ex tali *licentia periculosa* redundans in omnem societatem humanam, sic ut mendacium licitum nequaquam foret.

Neque obstat. 3. Quòd obligatio *absoluta* quandoque repugnet amori, naturaliter debito, casu quo V. G. prodendum foret statûs arcanum naturale: ergo, *cessante fine*, cessabit hìc obligatio. Nam ℞. Quòd non repugnat amori debito in ordine *ad bonum publicum, & commune*, etsi forsan repugnet in ordine *ad bonum privatum, & particulare*, sic tamen ut suppetat semper medium licitum *occultandæ veritatis.*

tus. Unde cessabit obligatio, siquidem cesset finis legis *adæquatus* consistens in *damno publico*; immo & *in præcavendo damni periculo*, quod tamen supposita tali licentia semper manet; non tamen cessabit obligatio, siquidem cesset tantùm *finis legis inadæquatus*, consistens in præcavendo damno *merè privato.*

Neque obstat. 4. Quòd occultatio veritatis amphibologicæ non sit medium *aptum pro rudibus*, ad amovenda tam sæpe obvia pericula. ℞. cum P. *Vira*, usum scientiæ duplicis, sicuti cuivis audienti *sensibilem, notúmque* supponimus; ita & loquentibus, *etsi rudibus*, haud omnino incognitum, supponere possumus.

Neque obstat. 5. Quòd occultatio veritatis amphibologica æquè adversetur felicitati societatis humanæ, *propter periculum abusûs*, ac *præjudicium* elidens *sinceritatem* conversationis mutuæ *ubique certam*, & securitatem humani generis *absolutam.* ℞. N. Paritas. Nam, præterquam quòd mendacium evertat finem loquelæ *immediatum*, non autem locutio amphibologica, hæc debet esse *advertibilis*, adeóque conjuncta esse haud potest cum simili periculo, ac præjudicio, etsi usus, *promiscuè licitus*, non excluderet periculum ac præjudicium simile, unde & naturæ jure prohibitus est, uti infrà dicemus. *Instruct. III. §. 1. Q. 2.*

Occultatio veritatis permissa jure naturæ, quandoque præcepta certis in circumstantiis.

Leucotheus. Quid juris naturalis permissivi circa officia sermocinantium?

Melander. I. *Occultatio veritatis per restrictiones, non purè mentales, aliásque locutiones similes, certis in circumstantiis, non modò est naturæ jure permissa, sed quandoque etiam præcepta.* Ejusmodi circumstantiæ sunt, si quis interrogetur vel *contra jus*, vel *absque jure*; quando veritas ab altero sciri nec *decet*, nec *prodest*, nec *licet*, putà, in casu, quo damnum proprium, vel alienum posset emergere. *Ratio asserti* est, quia ex una parte occultatio veritatis, dictis in circumstantiis, vel est *exigita*, vel saltem *non aliena*, ab amore sibi, vel proximo *naturaliter debito*, utpote nullo præjudicio communis boni obstante: ex altera parte *medium* occultandæ veritatis, *seu locutio ambigua*, non est mendacium, quia non est locutio contra mentem, nec animo fallendi *per se* loquendo: ergo. Unde fluit, *patentes jocos* non esse mendacia, uti nec locutiones *hyperbolicas*, *mysticas*, *figuratas*, *ironicas*, *fabulosas*, *ambiguas*, seu *æquivocas*, ab usu communi non admodùm abhorrentes, uti & *usum scientiæ duplicis*, per restrictiones non purè mentales.

Nil obstantibus repulsis.

II. *Neque obstat.* 1. Quòd aliqui Authores inter restrictiones licitas numerârint V. G. locutionem *merè materialem*, æquivocationes *admodùm inusitatas*, difficulter advertibiles, ab interrogante *satis determinatas* &c. Nam ℞. Nos patrocinari restrictionibus, quæ non sunt merè mentales, & quidem certò tales.

Neque obstat. 2. Quòd usus scientiæ duplicis nil videatur differre à restrictione *purè mentali.* Nam ℞. N. Differentia est, quòd *usus scientiæ duplicis*, debitis in circumstantiis, sit in humana consuetudine *vulgatus*, adeóque *advertibilis*; non autem recepta est restrictio merè interna.

Neque obstat. 3. Quòd usus vocis, alienus ad mentem interrogantis, videatur habere idem, quod restrictio pure mentalis. Nam ℞. N. Quia etsi habeat sensum obvium *falsum*, & verum solummodo *obscurum*, habet tamen *absolutè advertibilem ab audiente*, id quod non habet restrictio purè mentalis.

III. *Est naturæ jure prohibitus restrictionis, etiam non purè mentalis, seu æquivocæ, ac amphibologicæ usus promiscuus, hoc est, absque justa causa adhibitus. Ratio est:* quia conversationis mutuæ sinceritati, & humani commercii securitati *absolutæ*, foret admodùm præjudiciosus, adeóque felicitati societatis humanæ derogatorius. 2. *In materia fidei, & si quis jure interrogetur, est semper illicitus. Ratio* prioris est, quia esset cum contemptu Dei conjunctus, juxta illud: *qui me erubuerit, & meos sermones, hunc erubescet filius hominis. Ratio* posterioris est: quia, qui jus habet ad interrogandum, obligat quoque ad respondendum juxta mentem suam; secus tribunalia Judicum facilè eludi possent. *Instruct. III. §. 1. Q. 3.*

Officia jurantium.

Leucotheus. Quæ specialiter memoranda, spectato jure naturæ, circa officia jurantium?

Juramenti natura.

Melander. I. Juramenti *origo* est ex statu corrupto, dum in altero *fallaciam*, aut *perfidiam*, ordinariè loquendo, supponit. 2. Est quid accessorium *sermonis*, & *pacti*. 3. Dicitur *invocatio tacita, vel expressa, Divini Numinis, tanquam primæ & infallibilis veritatis in testem, vel etiam vindicem, ratione firmatæ rei.* 4. Est requisita *intentio.* 5. Fieri etiam potest per creaturas, saltem in quibus divinæ bonitatis aliquid *specialiter* elucet, quia fit *cum relatione* ad Deum. 6. Est actus *religionis.* 7. Tres habere debet proprietates: *judicium*, quod exigit, ut cum discretione, prudentia, consideratione, ac reverentia, nec sine necessi-

tate,

tate, aut gravi causa fiat. *Justitiam*, quæ exigit, ut, quod juratur, sit res justa, licita, ac honesta. *Veritatem*, ut nimirum res sit vera, aut saltem ex gravi ratione putetur vera. 8. Est *duplex*: *assertorium*, quo confirmatur dictum de præsenti, vel præterito; & *promissorium*, quo confirmatur dictum de opere futuro.

Licentia. II. *Juramentum, debito modo factum, est licitum.* Patet: quia est actus religionis: naturæ juri conformis, fundatus in verbo Dei: *laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Unde illud: *non jurare omnino*, intelligendum de juramento *sine necessitate*; prohibitio canonica, ne fiat per creaturam, intelligenda de Gentilium juramento per Deos. 2. *Licita* quoque est *praxis*, in foro canonico, & civili, deferendi juramenta gravibus in causis. *Patet*: quia conformis est æquitati naturali *propter necessitatem*; cùm sit *subsidium* imbecillitatis humanæ ad fidem, & veritatem firmandam, uti & *medium expediens* pro bono publico ad terminandas lites. Unde rectè damnata est *Quesnelli* propositio ultima, qua, adstruit, *nihil spiritui Dei, & doctrinæ Christi magis opponi, quàm communia facere juramenta in Ecclesia. Nam falsum est.* 1. Quòd sic multiplicentur occasiones pejerandi, nisi *per accidens*, seu ex malitia hominum eodem modo, *quo per leges* multiplicantur peccata: non enim *peccatum cognoscitur, nisi per legem*, uti inquit Apostolus.

Falsum est. 2. Quòd hæc praxis saltem *impellat* ad malum, si quidem fiat *debito modo*, nec *sine necessitate.* Unde paritas non est *cum lectione* S. Scripturæ, *rudibus* prohibita, quia *non lectio*, sed *ruditas* periculosa impellit ad malum.

Falsum est. 3. Quòd juramentum, etsi *ex motivo temporali* imperatum, non sit *actus religionis*, adeóque nomen Dei deserviat *consilio impiorum*: nam semper manet *fides* in Deum veridicum, & *invocatio* ejus in testem. Frequentari tamen non debet, uti cæteri actus virtutum, quia non est, nisi remedium infirmitatis humanæ, sine necessitate haud usurpandum.

Obligatio. III. *Obligatio* juramenti promissorii est duplex, quò ad *animum implendi*, & *ipsam impletionem*, si *rationabiliter* possit, res *notabiliter* non mutetur, neque obstet *jus* superioris. Quò ad primum, est *obligatio gravis* etiam in *levi* materia, uti in juramento assertorio, propter authoritatem Dei; quò ad secundum potest esse obligatio *levis* in materia levi, quia *Deus propriè* non adducitur in testem *executionis*, quæ utpote de contingentibus sciri nequit; sed *obligationis*, ut adeò promissi incurius propriè *mendax* non sit, id quod requirit perjurium; sed potiùs *infidelis*: ergo authoritas Dei adducta quidem est in confirmationem promissionis *infidelis*, non tamen in testimonium *falsi*. 2. Manet obligatio, etsi juramentum sit *injustè* extortum *vi*, *dolo*, aut *errore* non versante *circa substantiam*: quia turpitudo non se tenet ex parte *jurantis*, adeóque cùm sine peccato impleri possit, impleri debet, ut ne Dei nomen *in testimonium falsi adductum sit.* Suppetit tamen medium rescissionis in foro civili, immo & naturali, ùt alibi dicemus. 3. Nulla est obligatio de re *mala*, *vana*, *inutili*, *indifferente*, quà tali: quia juramentum nequit esse vinculum, seu *iniquum*, seu *inutile*. 4. Obligatio *in utilitatem hominis* semper tenet, *neque mutabilis* est respectu jurantis, ex regula communi. 5. Obligatio, orta ex virtute religionis, est *personalis* in jurante, *realis* penes eum, cui quis jurat, quia transit ad hujus etiam successores. 6. Persona habilis juramenti, *per se* loquendo, est omnis creatura rationalis, etsi à perjuro, & impubere non recipiatur in judicio. *Instruct. III. §. 2. Q. 4.*

Leucotheus. Quæ specialiter observanda circa usum in officiis jurantium? *Usus juramenti.*

Melander. I. Juramentum fieri debet *debito modo*; secùs erit *perjurium*, seu *falsitas*, *sacrilegè jurata.* Defectu *judicii*, seu *debitæ considerationis*, quandoque est veniale, uti & defectu *justitiæ*, etsi defectu *veritatis* culpa semper sit *gravis*, ob gravem irreverentiam. *Cum debitis conditionibus.*

II. *Juramentum assumit naturam rei, cui adjicitur*: neque obligationem auget, nisi *intensivè*, addendo obligationem *ex virtute religionis.* Unde licitus etiam usus in locutione amphibologica, si quidem *hæc justa*, & *necessaria sit.* *Ratio est*: quia ubi jus est occultandæ veritatis sine mendacio, nulla irreverentia fit juramento. Id tamen observandum, quòd ad juramentum amphibologicum requiratur *major necessitas*, quam præcisè ad licentiam locutionis amphibologicæ, uti rectè animadvertit *P. Viva.* *Natura juratæ rei commensurata.*

III. *Juramenti obligatio quandoque cessat, quandoque tollitur*, etsi cæteroquin sit *strictæ interpretationis* propter periculum perjurii. *Cessat* per defectum conditionis imbibitæ, si res bona evaderet *mala*, vel *majoris* boni impeditiva, inutilis ad intentum. *Tollitur* per irritationem à superiore. *Dispensatur*, vel *commutatur* eodem modo, quo votum, ab habente potestatem legitimam. *Relaxatur* à solo illo, in cujus favorem factum est aut ab *Cessatio.*

eo, cui promissa materia subjecta est.

Officia jurantium & eorum principium.

IV. *Officia* jurantium sunt. 1. *Temerè* non jurare. 2. Juramentum *temerè* non exigere. 3. Jurare *cum veritate.* 4. Promissa jurata *fideliter* servare. 5. Non jurare *ad res illicitas,* & sic de aliis. *Principium* est *amor*, quia prædicta officia vel sunt *conformia*, vel *opposita* amori, Deo, & proximo naturaliter debito, hoc est, *ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessario*: exigente scilicet naturæ corruptæ infirmitate *subsidium*, ad firmandam magis sinceritatem in officiis sermonis, & ad roborandam magis fidelitatem in promissis, pactisque, *simpliciter necessarium*, & *necessariò* petendum ex cultu, & reverentia Deo, *ùt Authori naturæ omniscio, & vindici, naturaliter* debita, id quod erat declarandum. *Instruct. III. §. 2. Q. 5.*

Protestantium principia erronea circa officia sermocinantium.

Leucotheus. Quæ principia Moralistarum protestantium circa officia sermonis?

Melander. Sunt ab Orthodoxis admodum aliena.

Circa mendacii malitiam.

Patet. I. Quia, *ex Grotii* mente, mendacii malitia consistit *in repugnantia cum jure, quod existit in audiente.* Jus istud est *facultas* intelligendi loquentis mentem, & sensa, habetúrque *ex tacito hominum pacto.* Tolli potest jus istud vel *expresso* audientis, vel *præsumpto* loquentis consensu, vel *oppositione juris*, quod prævalet in loquente, quibus casibus *locutio contra mentem*, non *mendacium*, sed *falsiloquium* solummodo foret.

Essentiam.

Patet. II. Quia, ex mente *Puffendorfii, Vitriarii, Weberi*, veritas nil aliud est, quàm *convenientia*; mendacium verò *disconvenientia verborum* cum rebus, ac animi sensis, *ex officio manifestandis*, hoc est, quando ea intelligendi *jus imperfectum*, vel *perfectum* suppetit audienti, *sive ad commodum consequendum, sive ad incommodum avertendum.* Unde *Kemmerichio* mendacium est *falsiloquium dolosum*, hoc est, *cum læsione alterius conjunctum.*

Obligationis radicem.

Patet. III. Quòd iidem obligationem, quò ad *animi sensa*, verbis exprimenda, vel fundent *in pacto tacito*, utì *Grotius*; vel *in jure* audientis, ac etiam loquentis cum *Puffendorfio*; sive dein jus illud *perfectum* sit, ne quis lædatur, sive *imperfectum*, ut cujusvis commodum promoveatur. Unde obligationis radicem *Thomasius* in secundis curis ex principiis *decori*, & *justi*; *Puffendorfius ex communi præcepto socialitatis*: vel etiam *particulari pacto deducit.*

Indéque deducta axiomata.

Patet. IV. Quòd ex his principiis varia deducant scita iidem Authores V.G. cum *Webero, Puffendorfii* notatore: *loquere, quoties id officium* (ex jure alterius perfecto, vel imperfecto) *requirit*; *cum Thomasio: sermone utere ad promovendam tranquillitatem communem; menti conformia loquere, si humanitas, vel pactum, vel communis tranquillitas exigat; falsiloquio abstine, quoties per id alter læderetur, vel pax humani Generis turbaretur.* Idem cum *Fleischero* alibi: *tace, loquere, vera dic, falsiloquio utere, quoties, & quo modo opus est ad promovenda aliorum commoda, aut jura non lædenda. Instruct. III. §. 3. Q. 6.*

Sensus Catholicorum de hisce principiis.

Leucotheus. Quis sensus Catholicorum de hisce principiis?

Melander. Sunt oppidò erronea, ac certò falsa.

Sunt erronea, scilicet mendacii conceptu.

P. I. Quia *dictum contra mentem etiam animo fallendi* negant esse *mendacium*, nominántque merum *falsiloquium*, & quidem *licitum*, si modò proprium, aut alienum commodum, incommodúmve hoc exigat: atqui hoc est *contra communem*; est contra finem loquelæ *immediatum*, ac *mediatum*, ut quis, quocunque tandem casu *licitè* possit, & quidem positivè alteri ingenerare errorem cum præjudicio sinceritatis, quæ in ordine ad felicitatem, naturæ rationali propriam, debet esse *ubique* certa: immo cum præjudicio *securitatis absolutæ*, in humano commercio absolutè necessariæ, utì constat ex dictis.

Non convenienter mendacio jocoso, & officioso.

P. II. Quia in hisce principiis nullum mendacium *jocosum*, seu *officiosum*, sed solummodo *perniciosum*, fatente *Webero, vulgarem hanc distinctionem esse omnino nullam*, eò quòd mendacium *jocosum* & *officiosum* ad mera *falsiloquia* referenda sint: atqui hæc sunt mentiendi libidini admodùm accommoda; loquelæ fini adversa; humano commercio periculosa; & securitatis absolutæ, ad felicitatem societatis humanæ necessariò requisitæ, eversiva, utì rursus constat ex dictis.

In obligationis falsa radice atque principio.

P. III. Quia in hisce principiis *obligatio* vitandi mendacii malè petitur seu ex *pacto tacito*, seu ex jure audientis *perfecto*, vel *imperfecto*; officia sermocinantium malè ex *socialitatis* principio deducuntur: unde & fallaces sunt regulæ, ad commodum promovendum, vel incommodum avertendum restrictæ, quia in solo jure *privato*, non *communi* totius humani Generis necessitate fundatæ. Aptiùs ergo assignatur fundamentum *amoris naturaliter debiti*, ex quo verior eruitur hæc regula triplex. 1. *Tacendum, vel loquendum, quoties id, seu strictè, seu minùs strictè, est exigitum ab amore, cuivis naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem naturæ rationali propriam, necessario.* Inde *vitanda garrulitas, scurrilitas, obscuritas promiscuè*

amphi-

amphibologica; cæteráque locutionis vitia. 2. *Vitandum omne mendacium*, quia *ubique*, & *semper*, si minùs bono proprio, vel proximi *privato*, saltem bono *communi* adversum, utpote conversationi, commercióque humano *respectu securitatis, & certitudinis absolutæ* præjudiciosum, atque periculosum. 3. *Quandoque permissa, immo præcepta occultatio veritatis per sermonem minùs apertum, verumtamen, nec nisi permissa alterius deceptione, & justa seu nostri, seu proximi necessitate id exigente*, id quod planum ex fundamentali juris naturalis principio, seu amore, cuivis naturaliter debito, utì suprà jam declaratum. *Instruct. III. §. 3. Q. 7.*

Deductiones protestanticæ.

Leucotheus. Quænam ex erroneis hisce principiis conclusiones à Naturalistis protestanticis deductæ, circa officia sermocinantium?

Admodùm paradoxæ, confundendo mendacium cum falsiloquio.

Melander. Admodùm paradoxæ, & mentiendi libidini oppidò favorabiles.

Explicatur. I. *In genere* admittunt locutionem *propriè* contra mentem, etiam animo fallendi, hoc est, *mendacium formale* (quod fucato *falsiloquii* nomine palliant) toties *jure naturæ* licitum; immo & *obligatorium*, quoties id exigit commodum proprium, vel alienum promovendum, aut incommodum avertendum.

Mentiendi libidini admodùm favorabiles admittendo mendacia passim licita.

Explicatur. II. *In specie* admittunt mendacia licita. 1. Adversùs *pueros, amentes;* quia in illis nulla judicii libertas. 2. *Respectu tertii*, ad quem sermo non dirigitur, quia nulla ad tertium obligatio. Et quia juxta *Grotium* non mentitur, qui, quem alloquitur, monet, se falsa dicturum, tertius commodè deludi posset. 3. Casu quo alter deceptionem ægrè haud laturus *præsumitur* propter commodum: quia non infertur ei injuria. 4. Casu quo id exigeret bonum publicum. 5. *Superiori*, habenti jus supereminens in audientis jura. 6. Quoties vita innocentis, aut par aliquid servandum, aut alter ab improbi facinoris perpetratione avertendus. *Rationem* assignant, quòd jus loquentis, vel alterius, *communi omnium judicio*, juri audientis prævaleat. 7. Denique *respectu hostium* mendacia licita admittunt; immo *respectu omnium*, qui jus quæsitum nullum habent, ùt loquitur *Vitriarius*.

Quasi Scriptura & menti Patrum conformia.

Explicatur. III. Hæc omnia mendacia *Grotius* licita esse assèverat, *superaddito grandi mendacio*, quòd nempe S. Scriptura ejusmodi *exempla* suppeditet *laudatorum hominum sine reprehensionis nota;* immo & à SS. PP. laudata, quos inter referunt S. *Chrysostomum, Hieronymum, Tertullianum, Origenem, Clementem, Lactantium, Cassianum* &c.

Non sine additis calumniis in doctrinam catholicam.

Explicatur. IV. Unde & doctrinam catholicam coarguunt, quasi ex uno *Augustino* malè depromptam, seposita ratione, atque Scriptura; quasi faventem restrictionibus, ab omni usu tam alienis, ut satiùs sit admittere falsiloquia; quasi elidentem omnes leges, contra mendacium & perjurium latas, sic ut etiam *diabolus*, etsi Pater mendacii, *excusari, & omnes contractus, ac tribunalia eludi* possent. Verbô: quasi tegeret *impiam & scelestam* opinionem de restrictione mentali, ambiguóque sermone, ad finiendas lites minimè habili atque accommodato. *Instruct. III. §. 3. Q. 8.*

Leucotheus. Quis sensus orthodoxus de hisce protestanticis parergis?

Sensus Catholicorum de hisce logis.

Melander. Sunt juri naturæ adversa, scandalosa, & bono publico perniciosa. 2. Sunt injuriosa S. Scripturæ & Patribus. 3. Sunt denique calumniosa doctrinæ catholicæ, & Theologis orthodoxis.

Sunt scandalosa.

Demonstratur. I. Quia doctrina admittens mendacia licita, quocunque casu promovendi commodi, vel amovendi incommodi, etiam ex consensu alterius præsumpto, quovis fine utili, maximè respectu Imperantium, hostium, &c. sic ut ex *Lutheri* oraculo dici possit *singularis virtus*, atque *prudentia;* doctrina, inquam, talis *est evidenter eversiva finis*, & immediati, & mediati, à Natura per sermonem intenti, cum præjudicio omnis sinceritatis in conversatione, ac securitatis absolutæ in humano commercio, sic ut pandat viam latissimam ad mendaciorum usum promiscuum, quavis occasione mentiendi libidini prætextum licitum suppeditante: ergo est *naturæ juri adversa, scandalosa, & bono publico perniciosa.*

Scripturæ & Patribus injuriosa.

Demonstratur. II. Quia pro licentia mendaciorum ex S. Scriptura fallò proferuntur exempla à *Grotio*, ipso ejus notatore *Zieglero*, hanc S. Scripturæ factam injuriam reprobante: nec enim mulieres *Ægyptiæ* leguntur præmiatæ, nec *Rahab* laudata *propter mendacium*, ùt passim videre est apud orthodoxos Interpretes. Nec ullus Patrum proferri potest, qui *licentiâ, tam protestanticè vagâ*, mendacium probârit: ergo *doctrina protestantica est S. Scripturæ, & Patribus injuriosa.*

Calumniosa scholasticis orthodoxis.

Demonstratur. III. Quia argumentum retorsionis protestanticæ *in occultationem veritatis*, quam licitam adstruunt scholastici orthodoxi, *evidenter* nullum. Nam tantùm adstruitur licita per restrictiones *advertibiles*, à communi loquendi usu *haud alienas*, nec *positivè* intentas ad alterius deceptionem, nec *promiscuè* adhibendas, sed suppetente justâ causâ, necessitate, vel utilitate gravi, nullóque obstante interrogantis jure *permissas*: er-

go doctrina protestantica, suprà exposita, est etiam calumniosa scholasticis orthodoxis. Instruct. III. §. 3. Q. 9.

Errores protestantici circa officia jurantium. Grotii.

Leucotheus. Quomodo in officiis jurantium extravagantur protestantici Moralistæ?

Melander. I. *Grotius* cum suis notatoribus errat. 1. Dum juramenta, absque animo jurandi, seque obligandi, prolata rata *simpliciter* obligare affirmat. *Errat.* 2. Dum ambiguas locutiones, *absolutè* licitas, negat eisque opposita juramenta vocat *detestandam iniquitatem.* Nam cùm ipse falsiloquia, reverà mendacia, toties licita asseverat, & juramenta, iis opposita, esse licita asseveret, necesse est, eò quòd, *ex communi omnium*, juramentum assumat naturam actûs, atque hæc est iniquitas protestantica, verissimè detestanda. *Errat.* 3. Dum juramenta per falsos Deos obligatoria affirmat, & sic de aliis.

Puffendorfii.

II. *Puffendorfius* cum suis errat. 1. Dum juramenta, dolo elicita, *simpliciter*, & absque ulla restrictione, annullat. Item: dum nulla dicit juramenta vi vel *metu injusto* extorta, longè probabiliore refragante: neque Deus, *nominis sui abusu*, hac ratione favet impiis, quia obligatio non oritur *à scelere juramentum extorquentis*, sed *à voluntarietate jurantis*, qui sine scelere juramentum explere, cùm potest, debet, præcipuè cùm innocentiæ jurantis, & injuriæ cogentis, *per viam rescissionis*, etiam *naturaliter* licitæ juxta multos, præcaveri possit.

Thomasii.

III. *Thomasius* statisticè nugatur, *dum per Papatûs arcanum grande juramenta Christiano* quoque foro inducta asserit, ut *sub prætextu fori interni*, & *causarum spiritualium*, Papa ad se traheret potestatem judicandi de negotiis plerisque civilibus, *sicque fundamenta jaceret acquirendæ potestatis summæ.* Inde, ait, juramenta ad negotia quælibet fuisse extensa; inter speciales promissiones, Deo factas, habita, & quidem *per modum articuli fidei*; ùt obligatoria declarata, etsi metu injusto extorta forent *refragante naturæ jure*, atque hæc omnia facta fuisse non *alio fine*, quàm ut Clerus sibi *tacitè* vindicaret potestatem legislativam, & judicialem, corrigendi leges civiles, ut sic firmaret questum pecuniarium in juramentis, fraudulenter factis in suum favorem; ut per juramenta religionis sibi etiam imperium in Politicorum conscientias vindicaret, ad quem questum etiam *crimen hæreseos*, utì & alia Canonistarum *erronea de blasphemia dogmata reducenda esse*, asserit homo, ex protestanticis ideis admodùm confusus, magno ingenii sui, & eruditionis, non ubique contemnendæ, dedecore, majori famæ suæ dispendio etiam penes suos, qui nec ipsi, reor, hujusmodi logis multùm applaudent.

Instruct. III. §. 3. Q. 10.

INSTI-

Institutionum.

INSTITUTIONUM

Juris Naturæ & Gentium.

JURIS UNIVERSALIS, NATURÆ ET GENTIUM

Pars 2.

PARS II.

Jus Gentium.

DE JURE GENTIUM.

Titulus 1.

TITULUS I.

De statu hominis sociali.

De statu hominis adventitio, officiisque exinde fluentibus.

§. 1.

§. I.

De statu conjugali.

De Statu hominis adventitio simplici, seu societate conjugali, ejúsque natura, ac impedimentis.

Status adventitius, quid? & quotuplex?

LEucotheus. *Quid Status adventitius, & quæ officia, inde in Societatem humanam fluentia?*

Melander. I. Status *in genere* est *ratio vivendi*, seu *hominis conditio certa*, quam si homo sortiatur à sola natura, dicitur *naturalis*; si illam sortiatur dependenter *à facto*, libertatis congenitæ *restrictivo*, dicitur *adventitius*.

II. Unde status adventitius *in specie, est conditio hominis, in certis circumstantiis per proprium, seu alienum factum constituti, quæ conditio eundem ad distincta quædam officia, indéque manantia jura determinat.*

III. Status igitur adventitius est *Status* societatis humanæ; societas autem humana nascitur *ex consensu duorum, vel plurium, in eundem finem, ac media, fini huic obtinendo necessaria, conspirantium.* Unde societas multiplex esse potest, eò quòd multiplex possit esse finis coeuntium, quas inter societates præprimis memoranda *simplex*, seu *prima*, ex minoribus aliis haud composita, qualis est *status*, seu *societas conjugalis, familiæ, herilis.* Altera *composita*, quæ ex minoribus aliis consurgit, qualis est *civitas*, seu *Respublica. Tit. 1. Instruct. I. §. 1. Q. 1.*

Leucotheus. Quid de statu adventitio simplici, seu conjugali?

Statûs conjugalis proprietates.

Melander. I. Inter status societatis *simplicis* status conjugalis est ordine & dignitate *primus*, atque, spectato præcisè jure Naturæ, dici solet *in genere, societas simplex personarum diversi sexûs, sobolis ritè procreandæ, educandæque causâ inita. Dicitur societas simplex*, abstrahendo, an sit *necessariò perpetua*, ac *indissolubilis* spectato præcisè jure Naturæ; inter personas diversi sexûs, abstrahendo, an *poligamia*, aut *poliandria* sint naturæ jure prohibitæ, quo de puncto gemino infrà. Dicitur *inita*, putà per mutuum consensum; unde connubium sumi solet vel *pro ipso contractu*, vel *pro ipsa conjunctione*, seu *vinculo*, orto dependenter à mutuo consensu, siquidem non *actualis conjunctio*, sed consensus in obligationem ejusmodi censetur *de essentia* connubii, seu societatis conjugalis.

II. Status conjugalis est institutus à DEO, Authore Naturæ, adeóque *naturali jure* quàm maximè licitus, uti patet, ex utriusque sexûs creatione, ac creatoris fine: *multiplicamini, non est bonum hominem esse solum* &c. quibus verbis à Creatore & conjugii finis

primarius, ac *secundarius* est approbatus. Accedit, quòd propagatio speciei humanæ, non *per vagos concubitus*, sed per matrimonii thoros legitimos instituenda fuerit: secùs enim *honesta, ritéque disposita* inter homines *societas*, vitæque humanæ cultus, intelligi haud posset.

III. *Status conjugalis est Naturæ jure præceptus, non quidem hominibus singulis, sed tamen universitati hominum. Ratio est:* quia exigitur ab amore, ad felicitatem, Naturæ rationali propriam, naturaliter debito, ac ad propagationem speciei humanæ *simpliciter* necessario. Hæc necessitas, propagato sufficienter Genere humano, cessat *respectu singulorum*, eò quòd meliore bono compensari possit. *Instruct. I. §. 1. Q. 2.*

Statûs conjugalis perpetuitas, spectato jure Naturæ.

Leucotheus. An status conjugalis, spectato præcisè jure Naturæ, notet vinculum perpetuum, atque indissolubile?

Melander. I. *Spectato jure Divino*, à mundi primordiis, status conjugalis notavit pactum, seu vinculum *perpetuum*, atque *indissolubile* respectu omnium hominum, etiam paganorum, cùm juri Divino æquè subjaceant, ac Fideles. Patet ex illo: *ab initio autem non erat sic:* inde dispensationem à DEO factam Judæis, *propter duritiam cordis*, *Christus* denuò sustulit, & matrimonium primævæ indissolubilitati restituit.

II. *Spectato jure Naturæ*, matrimonii contractum, *ex sua natura*, esse *perpetuum*, atque *indissolubilem*, sententia est *valde probabilis*, adstruitúrque *satìs communiter ab Authoribus orthodoxis.* Authoritas constat apud *Sanchezium*, & ratio est: quia status conjugalis, *spectato etiam Naturæ jure*, niti debet contractu *sufficiente* præprimis ad *educationem prolis*, non qualemcunque, sed *competentem*, qualis per pactum solubile difficulter haberi potest. Accedit, quòd pactum temporarium sit adversum fini *secundario*, seu communi subsidio cohabitationis perpetuæ.

III. *Spectato præcisè jure Naturæ*, matrimonii contractum, non *necessariò* esse *omninò perpetuum*, atque *indissolubilem*, videtur esse sententia, *haud minùs probabilis*, adstruitúrque satìs magna authoritate Theologorum, atque Canonistarum. De authoritate constat apud eundem *Sanchezium*, & ratio est. 1. Quia jus Naturæ est *immutabile* ex dictis, ut adeò per *Moysen* in perpetuitate dispensari cum *Judæis* haud potuisset. 2. Quia per contractum *specialem*, etsi solubilem, satìs provideri potest de competente prolis educatione ad usque ætatem sufficientem, cùm neque dominium Patris, post emancipationem, ad omnem prolis vitam sese extendat. Subsidium mutuum, ex cohabitatione *perpetua*, conformitatem infert, naturæ matrimonii congruam, non tamen simpliciter debitam; seu necessitatem *absolutam*, in naturæ jure fundatam. 3. Quia Patres plerique indissolubilitatem matrimonii referunt ad unionem *Christi* cum Ecclesia, seu ad contractum, *quà sacramentalem*, etsi & iste non sit *absolutè* indissolubilis, utì patet in matrimonio rato, solubili per professionem religiosam.

IV. *Spectato statu Naturæ*, perpetuitas contractûs matrimonialis est naturæ rationali *admodum consentanea*. Colligitur ex multiplici commodo, præcipuè ex educatione *certiore* prolis, mutuo conjugum adjutorio &c. 2. Abstrahendo à societate, merè conjugali in se, respectu multiplicis Reipublicæ inter Gentes, *contractus matrimonialis videtur Gentium jure esse perpetuus, nec dissolubilis; saltem privata authoritate.* Colligitur ex praxi moratiorum Gentium, etsi pleræque jus Divinum ignorent. 3. Societas conjugalis, spectata in se, & secundùm statum merè naturalem, nititur contractu, *non qualicunque*, quavis causâ per mutuum consensum *solubili*, sed *speciali*, notante vinculum, *absolutè sufficiens*, & *commensuratum matrimonii fini primario*, generationi nempe, & educationi proli debitæ, ac simpliciter necessariæ. *Ratio est:* quia aliàs non sufficienter distingueretur à concubitu vago, neque satìs præcaveret fornicationis incommodis, ac præjudiciis gravibus, naturæ juri oppositis. 4. Vinculum *perpetuum* & *insolubile*, naturæ jure esse requisitum, *ex ratione merè naturali*, sufficienter probari vix potest. Nam probari vix potest, ejusmodi vinculum *perpetuum* esse exigitum ab amore, proli *quò ad educationem*, vel societati humanæ *quò ad speciei propagationem*, indispensabiliter necessario; cùm per vinculum *speciale*, etsi *solubile*, huic fini sat præcaveri possit, utì dictum. 5. *Unde & sententia, negans hanc perpetuitatem, sat refutari nequit, in quod tamen in nullum cedit statûs conjugalis perpetui præjudicium.* Nam dispensatio penes *Judæos*, in perpetuitate conjugalis vinculi, *siquidem foret juris naturalis*, admitti haud posset, utì constat ex dictis. Accedit, quòd fini primario generandæ & educandæ prolis, per contractum specialem satìs præcaveri possit. Interea salva manet indissolubilitas matrimonii penes Infideles *ex jure Divino*, & *Gentium*; penes fideles etiam *ex ratione Sacramenti.* *Instruct. I. §. 1. Q. 3.*

Leu-

Status conjugalis seu dualitas, seu pluralitas respectu juris Naturæ.

Leucotheus. An status conjugalis, spectato præcisè jure Naturæ excludat omnem pluralitatem, seu poligamiæ, seu poliandriæ simultaneæ?

Melander. I. *Spectato jure Divino*, à Mundi primordiis, respectu omnium hominum notavit soluminodo *vinculum duorum*. Nam dictum: *adhærebit uxori*, non *uxoribus* &c. *erunt duo* in carne *una*, non *tres* &c. In Lege antiqua cum Patribus fuisse dispensatum, ad multiplicandum populum fidelem, constat; in Lege nova poligamiam divino jure prohibitam esse, liquet ex *Tridentino*.

II. *Spectato jure Naturæ est sententia valde probabilis, poligamiam esse Naturæ jure prohibitam. Ratio est*: quia videtur repugnare Matrimonii fini *primario*, hebetando viri fœcunditatem in reddendo pluribus debito; dividendo affectum Patris in educanda thori diversi sobole; traditionem corporum mutuam faciendo inæqualem. 2. Quia videtur etiam repugnare Matrimonii fini *secundario*, labefactando conjugium, ùt est *remedium concupiscentiæ*, uno pluribus haud semper sufficiente; incommodando gubernationi domesticæ, conjugum diversitate æmulationes & discordias excitante. 3. Quia videtur præjudicare *Societati humanæ*, nimiâ liberorum copiâ gravando Respublicas, naturæ jure egenis æquè ac opulentis poligamiam indulgente.

III. *Spectato jure Naturæ poligamiam haud esse, vel fuisse illicitam, videtur esse sententia, minor quidem authoritate, ratione tamen non inferior. Ratio est*: quia momenta, in oppositum allata non videntur efficacia. *Nam.* 1. Rectè Angelicus: *pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem, cùm unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis, ex eis natis.* Adde: quòd æqualitas pacti de tradendo corpore sit quidem matrimonii fini *oppidò congrua*, non tamen *absolutè necessaria*, multò minùs *iniqua*. 2. Quò ad *secundarios fines*, salvo primario, ii magnam *convenientiam*, naturæ matrimonii propriam, notant; jus tamen naturale, *in sola necessitate* fundatum, haud probant. Accedit, quòd periculum incontinentiæ in uxoribus sit inefficax, quia deductum *ex casu non ordinario*: sic & pluralitas conjugum tranquillæ cohabitationi obest merè *per accidens*, cui incommodo per varia media obviari potest. 3. Quò ad *præjudicium societatis humanæ* multiplicatio nimia jus naturæ, permissivum non afficit, eò quòd illud pro fine ipsam generis humani multiplicationem intendat. Nimietas, sicuti habetur *per accidens*, ita jus naturæ non tollit, sed usum restringit, secùs ipsa *naturalis libertas* juris naturalis haud foret, cùm quovis homine libero, nullóque alterius imperiis subjecto, magnum redundaret præjudicium in societatem humanam. *Ratio* asserti *positiva* est, quòd si poligynia foret contra jus naturale, sequeretur, Deum dispensâsse cum Patriarchis, ac *Judæis* in lege naturali, quam tamen suprà *immutabilem* esse probavimus; immo sequeretur, Deum, ùt authorem Naturæ, tot sæculis & tam universaliter tolerâsse, non modò in Gentibus, sed etiam in Populo electo corruptelam naturæ, *de se* & naturali juri, & matrimonii fini, *quò ad propagationem humani Generis*, tantoperè adversam.

IV. *Poliandriam simultaneam, naturæ jure esse prohibitam, & matrimonii fini absolutè repugnantem, est sententia satis certa, & Authorum, etiam protestantium, unanimi calculo contestata.*

Ratio est. 1. Quia nullus Author proferri potest, qui ejusmodi licentiam propugnet. 2. Quia repugnat matrimonii fini *primario*: nam per poliviriam intendi nequit multiplicatio humani Generis, cùm mulier non nisi semel quot annis parere possit, uno viro fœcunditati hujusmodi sufficiente. Impeditur item generatio sobolis, & hebetatur fœcunditas, ùt patet in meretricibus. Redditur insuper incerta proles, adeóque & educationis cura restinguitur. 3. Quia repugnat etiam fini *secundario*; non enim foret aptum remedium concupiscentiæ, una conjuge viris pluribus non sufficiente; rueret mutua communicatio in plurium virorum familia; imperium maritale foret divisum, una conjuge plures Dominos habente, & sic de aliis.

V. His præmissis fluit. 1. Quòd *monogamia*, institutioni primæ coæva, habeatur *ex jure positivo Divino*, Protoparente Adamo per eundem contextum legem Divinam circa matrimonii *perpetuum* vinculum, & *monogamiam* promulgante, uti colligitur ex N. 1. *Fluit* 2. *Monogamiam* & matrimonii naturæ, & propagationi humani Generis esse, *quam* maximè *consentaneam*: unde, *poligamiam*, saltem Gentium juri esse *adversam*, uti colligitur ex N. 2. præcipuè quòd convenientia monogamiæ, & incommoda poligamiæ, *saltem spectato fine secundario*, jus Gentium moratiorum facilè evicerint. *Fluit.* 3. *Poligamiam tamen, in se præcisè spectatam*, naturæ

jure

jure ſimpliciter eſſe *prohibitam, ſufficienter probari haud poſſe*, abſtrahendo tamen *à modo*, nam *ſolius libidinis cauſâ*, & ultra vires, *in quovis numero*, *ultra facultates* educandæ & alendæ prolis multiplicis initam, naturæ jure rejectam quis meritò judicet, utì colligitur ex N. 3. *Fluit 3.* Etſi *permittatur* poligamia, naturæ jure permiſſa, *matrimonii monogamiæ nullum fieri præjudicium*, cùm præceptum Divinum, initio datum, ſublata per *Chriſtum* poligamiæ tolerantiâ, etiam reſpectu Infidelium denuo revixerit. *Fluit 4.* Poliandriam non tantùm *jure Divino* & *Gentium*, ſed & *naturali* eſſe abſolutè prohibitam, utì colligitur ex N. 4. *Inſtruct.* 1 §. 1. Q. 4.

Statûs conjugalis impedimenta, reſpectu juris Naturæ, præcipue quò ad primum gradum lineæ rectæ.

Leucotheus. Quid de ſtatûs conjugalis impedimentis, & præcipuè de primo gradu conſanguinitatis in linea recta cenſendum reſpectu matrimonii, ſolo jure Naturæ conſiderati?

Melander. I. *Singularis* eſt opinio *Thomaſii*, qui matrimonium *in primo gradu*, Patris nempe cum filia, Matris cum filio, *naturæ jure haud repugnare, adeóque validum, licitùmque, hoc præciſè ſpectato jure, affirmat.* *Ratio* illius eſt, *argumentum negativum*, quo momenta, afferri ſolita ex inſtinctu, ſenſúque communi, ex reverentia ſanguinis, ætatisque diſparitate &c. convincentia eſſe negat.

II. *Sententia affirmans, matrimonium in primo gradu lineæ rectæ eſſe etiam Naturæ jure illicitum, atque invalidum ex ratione intrinſeca eſt probabilior. 2. Ex ratione extrinſeca eſt abſolutè tenenda, & adſtruenda.* *Ratio* prioris eſt: quia, etſi tale conjugium, *ſpectato naturæ jure*, non repugnet *ſimpliciter* ſocietati conjugali *in ſe*, ejúsque fini primario in generanda & educanda prole; repugnat tamen ſocietati conjugali *reſpectivæ*, ſeu ùt reſpicit alios fines, matrimonio hujusmodi *abſolutè incompoſſibiles.* Nam ſocietas conjugalis, *ex ſua natura*, ordinatur ad ſocietatem paternam, cujus finis eſt *bonum commune familiæ*, conſiſtens partim in *authoritate*, *ſuperioritate*, *regimine paterno* atque *materno* per officia vitæ ædificativæ, inſtructionis, ac correctionis neceſſariæ; partim in liberorum *obſervantia*, *ſubjectione*, ac *reverentia*, per officia pietatis, amoris, ac timoris filialis, quæ etiam poſt educationem *ſuo modo* durant, ac *irremiſſibiliter* inhærent. Jam ſic: hi fines atque officia, cum fine talis conjugii, ejúsque officiis, ſunt *abſolutè incompoſſibilia*, ſeque mutuò evertunt: ergo tale conjugium, *ſaltem ùt eſt ſocietas reſpectiva*, rationi rectæ eſt diſſonum, adeóque *naturæ jure*, abſolutè prohibitum, ac nullum. A P. *Familiaritas conjugalis* elidit *authoritatem* Patris, & *obſervantiam* filiæ; actûs conjugalis *pudor* (unde unde proveniat) repugnat *reverentiæ* liberorum, erga Parentes innatæ; *æqualitas conjugalis* adverſatur *ſuperioritati* matris, & *ſubjectioni* filii; *patria poteſtas* in filio, vel *materna* in filia enervat familiæ regimen fratres inter atque ſorores, ſicque *in una perſona* confunduntur officia uxoris & matris, patris & mariti, patris & fratris, matris & ſororis; filiali timori miſcetur conjugalis amor, obſervantia jungitur familiaritati conjugali &c. Verbo: cuncta vertuntur in tale *hiſteron proteron*, ut Gentes, quàm maximè barbaræ, ejuſmodi chaos meritò exhorruerint. Unde ſic colligimus: matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, *per ſe loquendo*, eſt contractus, qui ſi minùs *abſolutè* ſaltem *reſpectivè* ſumptus, *poſitivè* repugnat amori parentes inter & proles, in ordine ad felicitatem naturæ rationali in propaganda ſpecie propriam, naturaliter debito, & ſimpliciter neceſſario: ergo eſt naturæ jure prohibitus, ac nullus. A. Conſtat ex dictis. *Ratio* poſterioris eſt, quia, teſte *Sanchezio*, tale matrimonium, naturæ jure invalidum cenſent cum Doctore Angelico *univerſi*, nullo diſſentiente etiam ex Moraliſtis proteſtanticis. Accedit Gentium conſenſus, ab ejusmodi matrimoniis ſemper abhorrentium, ſi modò non penitùs obbrutuerint.

III. *Quæ opponi poſſunt, inſolubilia non ſunt.* Nam 1. Si dicas, authoritate non probari jus naturæ, utì nec ſpecificam rerum differentiam per judicium Prudentum, præterquam quòd tota authoritas fundari poſſit in præcepto Divino poſitivo: *relinquet homo Patrem* &c. ℞. Authoritas tam unanimis, licèt ſit ratio merè *extrinſeca*, ſupponit tamen *intrinſecam*, etſi tam demonſtrativè aſſignari haud poſſit: Adde, quòd Patres cum D. *Ambroſio* adſtruant *repugnantiam legis ſcriptæ in cordibus* &c. hoc eſt, *naturalis*, non merè *poſitivæ*.

Si dicas, 2. Reverentiam non tolli in matrimonio morganatico Regis cum conjuge plebeja, nec ſuperioritatem conjugis regiæ reſpectu mariti, ad ſceptrum non aſſumpti &c. ergo à pari.

℞. Hæc eſſe *accidentalia*, quæ in matrimoniis ejusmodi, *univerſaliter* permiſſis, forent *ordinaria*, cum confuſione cæterorum quoque officiorum ac jurium, maximè quò ad ſtatum familiæ, quam confuſionem uni-

universalem *pro ratione adæquata* adstruximus.

Si dicas 3. Casu quo solus in Mundo superesset Pater cum filia, tale matrimonium *validum* foret, immò & *obligatorium* ratione majoris boni, adeóque & nunc permitti absolutè posset, *etiam universaliter*, ab Authore Naturæ. ℞. In tali casu præsumi potiùs deberet Mundi interitus, unde nulla foret obligatio, etsi in & pro talibus circumstantiis mutaretur *materia legis*, sic ut conjugium Patris cum filia, *his circumstantiis convestitum*, nunquam fuerit naturæ juri adversum, præcipuè cùm cesset *ratio inhonestatis*, seu confusio officiorum & jurium, tali matrimonio se habente ad instar *primi*, quale fuit *Adamum* inter & *Evam*, cui respectu familiæ futuræ nulla confusio officiorum ac jurium imputari poterat.

IV. *Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ est jure Divino positivo, primævo & universali, uti & jure Gentium, ac positivo humano absolutè prohibitum. Ratio est,* quia jus Divinum positivum colligitur ex illis verbis: *relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ;* jus Gentium ex communi propemodùm consuetudine; jus humanum ex variis legibus. *Instruct. I. §. 2. Q. 5.*

Impedimenta juris Naturæ quò ad cæteros gradus.

Leucotheus. Quid de cæteris gradibus, secundùm lineam juris Naturæ sentiendum?

Melander. I. *Spectato Jure Naturæ gradus consanguinitatis nullus, præter primum in linea recta, matrimonium reddere videtur invalidum.* 2. *Unde nec primum gradum lineæ collateralis impedimentis, Naturæ jure prohibitis, accensendum, sufficienter probari potest. Ratio prioris* est negativa, uti & *posterioris*, non enim sufficiens fundamentum talis impedimenti afferri potest. Et ratio *positiva* adstruitur, quòd etiam in primo gradu lineæ collateralis, seu in conjugio, fratres inter ac sorores, nulla appareat repugnantia respectu societatis conjugalis seù *absolutæ*, seu *respectivæ*: non enim evertitur finis matrimonii primarius *in generanda & educanda sobole;* nec secundarius *in remedio concupiscentiæ, adjutorio* &c. neque confunduntur nimiùm officia, ac jura familiæ paternæ, uti patere potest consideranti.

II. *Opponi solita minùs stringunt.* Nam 1. Si adstruitur *repugnantia* ex magno illicio concupiscentiæ ob cohabitationem, sanguinisque conjunctionem, sicut pleræque Gentes ejusmodi matrimonia, *velut abominanda*, exhorruerint.

Contrà est: quòd illicium minus ipsa testetur experientia, cui, qualicunque demum sat præcavetur per jus Gentium, fundatum in amore societati humanæ admodùm proficuo, *per amicitias, alienorum conjugiis multiplicandas.* Gentium horror consuetudini, pœnis civilibus, & juri Gentium refraganti adscribi potest.

2. Si opponatur authoritas S. Scripturæ, ejusmodi conjugia, non minus ac adulteria utique naturæ jure prohibita, morte multantis apud *Hebræos.* (a)

Contrà est: Lex illa pœnalis jus positivum probat, severior forsan ad impedienda, fratres inter & sorores, mala commercia, ex cohabitationis periculo proniora.

III. *Absolutè loquendo, nullus gradus seu consanguinitatis, seu affinitatis, in Levitico prohibitus, præter primum lineæ rectæ, spectato præcisè jure Naturæ, conjugium reddere videtur seu invalidum, seu illicitum. Ratio positiva* habetur ex dictis, & ampliùs ex applicatione *principii fundamentalis*, cùm nullus alius gradus *positivè* videatur repugnare amori, *in ordine ad propagationem humanam*, seu sibi, seu proximo *naturaliter debito*, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, *simpliciter necessario*, uti ampliùs firmari potest argumento *negativo.* Neque quis dicat, quòd ejusmodi connubia saltem meliùs dicerentur *naturæ jure illicita* ob quamdam turpitudinem *naturalem*, cùm per se videatur absona propositio, *nullum incestum*, nisi in primo gradu lineæ rectæ, *naturæ jure esse prohibitum, ac inhonestum.* Sed

Contrà est: turpitudo *naturalis*, suppetente præsertim rationabili causâ, probari vix potest; & sicut ex jure positivo fluunt ejusmodi gradus prohibiti, ita & *incestus*, vocabulo hoc non nisi turpitudinem *moralem*, juri positivo contrariam, in auribus peritorum denotante. *Instruct. I. §. 2. Q. 6.*

Leucotheus. Quænam alia impedimenta, spectato jure naturæ, matrimonium dirimentia?

Alia impedimenta, spectato jure Naturæ, matrimonium dirimentia.

Melander. I. *In genere convenit inter Moralistas* 1. Quòd jure naturali, & Gentium impedimenta constitui possint, & defacto aliqua constituta sint: nam matrimonium sortitur *naturam contractûs,* Naturæ & Gentium dispositioni obnoxii. 2. *In specie* inter impedimenta matrimonii, *naturæ jure dirimentia* est *impotentia perpetua*: quia ad matrimonium requiritur essentialiter traditio corporum cum mutuo jure proprietatis, & radicali facultate exigendi

(a) Levit. 20.

gendi debitum &c. Item *error substantialis*, quia tollit consensum, *naturæ jure* requisitum. Denique *polyandria*; & *consanguinitas* in primo gradu lineæ rectæ, uti constat ex dictis.

II. *Moralistæ protestantici, inter causas matrimonium dirimentes, tam jure naturali, quàm Divino, malè adstruunt crimen, etiam inter fideles V. G. adulterium, malitiosam desertionem, debiti negationem pertinacem* &c. Hos inter est *Puffendorfius*, *Kemmerichius*, *Fleischerus*, qui etiam causis dirimentibus adjungunt *inimicitias capitales*, *sterilitatem*, *mores intolerabiles*, *insidias vitæ structas*, *perpetuam procurationem abortûs*, *relegationem perpetuam*, *animorum disparitatem*, *morbum sonticum* &c. *non verò hæresin*, ac *atheismum* &c. ubi cuncta confundunt, jus naturale, Divinum, divortium *quò ad thorum*, dissolutionem matrimonii *quò ad vinculum* &c. Veritas opposita constat ex decisionibus *Tridentini*, (a) & ratio est, quia aliàs daretur ansa conjugibus, ad novum matrimonium aspirantibus, fidem conjugalem violandi; fieret conjugis adulteræ conditio melior; foret liberis malè prospectum &c. An, *spectate præcisè jure naturæ*, conjugii vinculum solvat *adulterii* crimen, *malitiosa desertio*, *morum intolerabilitas* &c. tam facilè determinari neque potest, neque debet, cùm adeò liquidum non sit, an hujusmodi causæ, *spectatâ naturâ pacti conjugalis, ejúsque fine primario, & absque præjudicio prolis legitimæ, boníque communis*, veluti sufficientes de jure naturæ, ad repudia, etiam in Testamento veteri permissa, probari queant. Illud certum etiam Protestantibus, quòd conjugia penes *Romanos*, mutuo consensu, captivitate, morbo, aut infamia, malè dissoluta sint.

III. *Vis * & metus, spectato præcisè jure naturæ, non est impedimentum dirimens matrimonii, uti multi, præsertim ex Moralistis protestanticis, affirmant. Ratio est*: quia ad nullum contractum, *spectato præcisè Naturæ jure*, plus requiritur, quàm *justus titulus*, & *voluntarius consensus*; prior habetur, nil obstante metu per traditionem juris in corpus pro jure in corpus; posterior non tollitur à metu, etsi minuatur. Nec obest *injuria*, secùs matrimonium, dolo contrahentis accidentali obtentum, hoc ipso jure irritum foret propter æqualem injuriam. Sed neque obest *defectus libertatis*, secùs irritaret quoque metus, à causa necessaria incussus, verbo: vis ac metus solummodò *secundùm quid* non *simpliciter* est oppositus amori, proximo in ordine ad finem matrimonii essentialem naturaliter debito &c. uti patet solutione replicarum. Nam

Si dicas. 1. Ab hoc amore requiri consensum, *etiam liberum*, cùm vis, ac metus sit oppositus fini conjugali, seu conjunctioni animorum & corporum.

Contrà est: quòd oppositus sit tantummodò *secundùm quid*, seu quòd sit minùs accommodus ad hunc finem, sic ut expediat esse rescindibilem contractum.

Si dicas 2. A jure humano ejusmodi contractum non tam irritari *primò*, quàm declarari irritum *antiquiore jure*, nempe naturali.

Contrà est: quòd irritus declaretur jure antiquiore, sed solùm positivo, per consuetudinem vel vivam vocem inducto. *Instruct. I. §. 2. Q. 7.*

Leucotheus. Quid spectato jure naturæ tenendum de impedimento affinitatis? — *Impedimenta affinitatis.*

Melander. I. *Affinitas in nullo gradu, seu lineæ rectæ, seu obliquæ, matrimonio obest spectato jure naturæ. Ratio fundamentalis* est, quia probari nequit, affinitatem in ullo gradu repugnare amori, vel sibi, vel proximo, *in ordine ad ullum matrimonii finem*, naturaliter debito, seu ad felicitatem societatis humanæ *simpliciter* necessario.

II. *Rationes oppositæ nil evincunt.* Nam 1. Illud Apostoli: *auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes*, intelligendum de concubitu filii cum uxore Patris, etiamnum viventis, uti innuit ipse Apostolus per contextum. 2. Quòd in *Levitico* talia conjugia gravissimis sceleribus annumerentur, intelligendum vel de concubitu illegitimo, vel cum respectu ad legem Divinam, quod verius, uti patet ex simili Cap. 20. *Instruct. I. §. 2. Q. 8.*

§. II.

§. 2.

De juribus & officiis statûs conjugalis, spectato jure Naturæ.

Officia & jura statûs conjugalis.

Leucotheus. Quid de juribus, atque officiis societatis conjugalis tenendum spectatâ disciplina juris Naturæ?

Fides conjugii, ejus legitimus, & cohabitatio necessaria.

Melander. I. Prima obligatio eáque mutua est *fides conjugii*: unde prohibitum adulterium, utpote positivè adversum amori, & conjugi & proli; *in ordine ad matrimonii finem*, naturaliter debito, & ad felicitatem societatis humanæ *indispensabiliter* necessario. Unde 1. Rectè damnata est propositio *ab Innocentio* XI. *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium:*

(a) Sess. 24. de matrim. Can. 7.

* Non illa cogens ad actum externum, faciénsque actum simpliciter involuntarium.

rium: quia cedit in præjudicium ſtatûs conjugalis, ad bonum ſocietatis humanæ publicum ordinati, vi cujus tale jus non eſt *renuntiabile*. Unde 2. Gravis eſt error *Thomaſii*, in ejusmodi caſu turpitudinem naturalem oſtendi poſſe, inficiantis.

II. Altera obligatio eſt *uſus conjugii legitimus*: unde *naturæ jure*, ſaltem *leviter*, prohibitus eſt uſus conjugii, *ſolius cauſâ voluptatis*. Ratio eſt: quia ejuſmodi uſus, ſaltem leviter repugnat amori prolis, & ſocietatis humanæ, *in ordine ad propagandam ſpeciem*, naturaliter debito, utpote à natura inſtitutus *primariò* ad generationem prolis, & conſervandam ſpeciem. Accedit ratio extrinſeca ex propoſitione, ab *Innocentio* XI. damnata; ex authoritate SS. Patrum, & Doctorum. Unde 1. Non eſt paritas cum aliis ſenſuum oblectamentis: quia non ita ſunt *vehementia*, *periculoſa*, ne excedatur modus, neque generationis fini primario, ac propagationi ſpeciei ita præjudicioſa.

III. Obligatio tertia ſe ſe extendit *ad cohabitationem mutuam*, fini conjugali debitam, ac *neceſſariam*, & licet *perpetua* naturæ rationali, & matrimonii fini conformior, adeóque & jure Divino, Gentium, ac poſitivo humano præcepta ſit, *abſolutè* tamen *neceſſariam* eſſe, ſpectato ſaltem ſolo naturæ jure ſatis probari nequit. Quarta adſtringit ad reddendum mutuò debitum, quoties *debito modo*, & *rationabiliter* petitur. *Inſtruct. II. §. 1. Q. 1.*

Poteſtas Mariti in uxorem ſpectato Naturæ jure.

Leucothens. Quid de poteſtate Mariti in conjugem, ſpectato naturæ jure tenendum?

Melander. I. *Spectato naturæ jure, etiam abſtrahendo à ſtatu naturæ lapſæ, inter conjuges non eſt perfecta æqualitas, ſed vi ſtatûs conjugalis, marito, per ſe loquendo, competit aliqua poteſtas, & ſuperioritas, ſaltem directiva. Ratio eſt*: quia teſte *Luca Opolenio*, natura rationalis videtur exigere, ut *præſtantior*, *firmior*, *fortiorque* ſexus, *ſequiori*, *infirmiori*, & *imbecilliori* præſit, & ipſo teſte Apoſtolo, etiam abſtrahendo à lapſu, *Caput mulieris eſt vir* (tanquam perfectius individuum) *cum vir creatus non ſit propter mulierem, ſed mulier propter virum.*

II. Neque obeſt, quòd conjux ſit creata *in adjutorium viri*, tanquam ſocia, abſque imperfectione ſubjectionis merè pœnalis, ſic ut *S. Auguſtino* interprete maritum habere meruerit *Dominum non naturâ, ſed culpa.* Nam *contrà eſt*: hæc ſocietas excludit quidem ſuperioritatem coactivam, non directivam & tam parùm pœna aut imperfectio dici poteſt, ac ſubordinatio in hierarchia angelica.

Neque obeſt 2. ſi dicas, ſola individui perfectione majore non conferri poteſtatem, etiam directivam *de jure naturæ*, cùm omnes naſcantur *liberi & æquales*. Nam *contrà eſt*; etſi major perfectio *in ſe* non conferat poteſtatem, confert tamen, *vi ſtatûs conjugalis*, exigentis ejusmodi ſubordinationem ex pacto matrimoniali, *conformiter ad jus naturæ initio.*

III. *Poteſtas Mariti coactiva, reſpectu conjugis, deſcendit remotè ex jure Divino poſitivo, & jure Gentium; proximè ex pacto conjugali. Ratio prioris* eſt illud: *ſub viri poteſtate eris*, uti & conſuetudo plerarumque Gentium, etſi quædam Divini præcepti ignaræ ſint. *Ratio poſterioris eſt* conſenſus mutuus in conditiones contractûs, à jure Divino, ſeu Gentium ſaltem præſcriptas.

IV. *Hæc tamen poteſtas non eſt deſpotica, nec herilis, nec abſoluta, ſed domeſtica, ad ſocietatis conjugalis & familiæ terminos reſtricta. Ratio eſt*: quia jus vitæ & necis, quod adſtruit *Fridericus Hornius*, haud neceſſarium eſt *ad matrimonii finem*; imò conjugali amori *poſitive* adverſum. 2. Eadem eſt ratio de dominio herili *velut in ſervam*, jure Divino, & more Gentium refragante: immo & jure naturali, non ſervituti, ſed libertati patrocinante. 3. Accedit, quòd ad matrimonii finem ſufficit reſtricta ad cauſas, conjugium & familiam concernentes, putà ad determinationem domicilii, cohabitationis modum, leges œconomiæ &c. *Inſtruct. II. §. 1. Q. 2.*

Hæc in materia Protestantium quædam ſenſa oppoſita.

Leucothens. Quænam in devia, circà ſtatum conjugalem, delabuntur proteſtantici Naturaliſtæ?

Melander. I. *Grotius* contractum conjugalem malè negat eſſe *mutuum*, pejùs inficiatur, monogamiam eſſe de præcepto Divino primævo. & matrimonia cum affinibus lineæ rectæ, naturæ jure irrita non ſatis ſcitè affirmat. Ejus interpretes eundem minùs benè emendant, dum poligamiam. naturæ jure vetitam; omnes gradus, in *Levitico* contentos, eodem jure prohibitos, aſſeruntdum denique jus naturæ diſpenſabile, ac indiſpenſabile adſtruunt.

II. *Puffendorfius* non ſatis *ſequeſtrat* jus naturale, aſſerendo perpetuitatem, & monogamiam ſtatûs conjugalis, naturæ jure, *ſimpliciter* præceptam; errat, dum abſque extraditione actuali negat matrimonium ratum: *Thomaſius* polyandriam haud bene, ut opinamur, naturæ juri permiſſivo attribuit; ex erroneo *ſocialitatis* principio pluriformes libidines, ſpectato naturæ permiſſas, erroneè aſſerit; adulterium, alterutro conjuge conſentiente

naturæ jure vetitum esse, difficulter probandum affirmat; incestum etiam in primo gradu lineæ rectæ admittit; institutionem matrimonii sacramentalem Pontificio Clero, ejúsque ambitiosæ dominationi maligne adscribit; poligamiam Principum, juri divino esse adversam, hactenus ab ullo probatum esse justis rationibus, negat; similia imò plura admiscet institutionibus academicis ejus anagnostes *Laurentius Fleischerus.*

III. *Fridericus Ludovici* cœlibatum monasticum, etsi juri naturæ haud oppositum, si tamen displiceat cum tempore, solvendum esse, malè affirmat; *Wernherus* adulterium, & malitiosam desertionem inter causas dissolvendi conjugalis vinculi, *spectato quoque jure Divino* cum Protestanticis, minùs peritè numerat, & sic de aliis. *Instruct. II. §. 2. Q. 3.*

Status familiæ ejusque officia, & origo.

Leucotheus. Quid & quæ origo societatis paternæ?

Melander. I. Familia, teste Philosopho, alia est *completa*, alia *incompleta*: illa dicitur *conjunctio inter parentes, liberos, & servos,* complexa societatem *conjugalem, paternam,* & herilem: ista est *societas inter parentes, & liberos, ob communem inter se utilitatem contracta.*

II. Familia *paterna* in specie dicitur *Hubero, societas plurium personarum, quæ unius potestate per ipsam naturam, educationis causâ, sociatæ sunt. Dicitur plurium*, saltem in rigore; *unius potestate* minimùm principali; *educationis causâ*, quæ finis primarius paternæ familiæ.

III. Origo familiæ hujus fluit ex statu conjugali, ùt patet: siquidem natura dictat susceptos liberos & alendos esse & educandos ad hoc officium naturæ jure parentes obligante *per inditum amorem, proli naturaliter debitum, quin ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter necessarium.*

IV. Origo patriæ potestatis desumi debet *à fine*, nempe *ab educatione.* Utì enim natura obligavit parentes *ad educationem*; ita obligavit & liberos *ad subjectionem*, deditque parentibus *potestatem*, tanquam medium ad finem educationis indispensabiliter requisitum. Unde patria potestas dici potest *jus parentum in liberos, quo actiones ipsorum ad vitam honeste & feliciter transigendam dirigitur.* Fallit igitur *Hobbesius*, dum patriam potestatem *ex jure victoriæ*, primáque occupatione infantis; *Hornius* dum eandem *ex Divina concessione*; *Grotius* dum illam ipsam *ex sola generatione*; *Puffendorfius*, dum eam quoque *ex tacito pacto* derivat. *Instruct. II. §. 2. Q. 4.*

Subjectum potestatis, atque regiminis domestici.

Leucotheus. Cuinam competit potestas in prolem, & familiæ regimen?

Melander. I. *Spectato jure naturæ*, Hobbesius utrumque attribuit Matri, propter præoccupationem, *certam* scientiam, cujus Patris revera sit proles; propter majorem dolorem. Puffendorfius propter eandem *certam* scientiam, in statu segrege, vel etiam *extramatrimoniali*, prolem privative Matri adjudicat. Si interveniat pactum *matrimoniale*, potestatem Patri adjudicat.

II. *Spectato naturæ jure potestas, & familiæ regimen est penes parentes simpliciter. 2. Exercitium potestatis, modúsque regiminis dependet à pacto, etsi hoc deficiente principalior potestas absolutè competat patrifamilias. Ratio prioris* est, quia *potestas* familiæ, non *modus* hic vel ille, ad finem educandæ prolis, *simpliciter* est necessarius. *Ratio posterioris* est, quia, quæ natura, in ordine ad finem, *per se* non disponit, relinquit dispositioni hominum *per pacta*: atqui *de modo exercendæ potestatis patriæ* nil disponit, utì dictum. Deficientibus pactis potestas hæc potiùs competit Patrifamilias, quin ipsi, *respectu status conjugalis*, competit naturæ jure potestas directiva in ipsam uxorem, adeóque & superioritas respectu familiæ totius. *Instruct. II. §. 2, Q. 5.*

Potestatis patriæ mensura.

Leucotheus. Qualis & quanta potestatis patriæ mensura?

Melander. I. *In genere* desumi debet à fine *educationis*, atque *familiæ*, sic ut consistat in jure ea omnia agendi, sine quibus liberorum actiones, ad obtinendum societatis hujus finem, dirigi nequeunt.

II. *In specie* se extendit ad jus *jubendi, prohibendi*, & debito modo immorigeros *castigandi*, quod tamen jus ad ætatem liberorum triplicem accomodandum est. In *prima* vim maximè exerit, tam quò ad *personas*, quàm *actiones*, ac etiam *res* saltem ex jure Gentium. *In media* se extendit ad eas solummodo actiones, quæ ad familiam respectum ferunt: unde ad certum vitæ genus liberos cogere, naturæ jure *per se* loquendo, non competit patriæ potestati. *Bona* industrialia liberorum *Puffendorfius* adjudicat parenti *ex æquitate quadam naturali*, tanquam educationis fructus; aliunde obtenta, *quò ad proprietatem*, tribuit liberis, reservatâ Parentibus facultate percipiendi fructus, iisdem sustentandis congruos. *In tertia ætate*, cùm jam supponatur emancipatio, liberi penitus sunt sui juris, remanente solùm debito naturali, ne quid agant, *quod filiali observantiæ adversum.*

III. Po-

III. *Potestas paternæ castigationis in tantùm se extendit, in quantum requirit finis hujus societatis, hoc est, liberorum educatio.* Unde hanc potestatem *Pussendorfius* cum suis, *etiam spectato naturæ jure*, malè extendit etiam ad jus vitæ & necis. *Ratio est*. quia tam extensâ haud opus est ad finem conservandæ familiæ, siquidem in enormi delicto & incorrigibilitate, *ejectioni* locus esse potest; immo si ejectus hostiliter pergeret, etiam locus foret *justæ defensionis*. Exempla in *Juda* respectu *Thamaris*; *Saulis* respectu *Jonathæ* &c. non respiciunt Patresfamilias, *quà tales*, sed summos imperantes: jus belli, ac fœderum æquè summum, immo & jus vitæ & necis in *Abrahamo*, non spectat domesticos, sed hostes *ratione justæ defensionis*, in statu etiam naturali semper permissæ. *Instruct. II. §. 3. Q. 6.*

Officia Parentum, ac liberorum.

Leucothæus. Quæ officia, spectato jure naturæ, Parentum erga liberos, & vicissim?

Melander. I. Officium Parentum est *educatio* quò ad corpus, & institutio quò ad animam, naturæ rationali congrua, nempe *ut liberi vivant, & cum ratione* vivant, præcipuè respectu Authoris naturæ. Item: exemplum honestæ vitæ, applicatio ad idoneum vitæ genus: unde naturæ juri repugnat procuratio abortûs, abjectio infantum, omnis nutritionis, & institutionis perniciosa incuria &c. Est tamen educationis officium *suo modo* delegabile, *utilitate prolis* seu *necessitate* id exigente.

II. Officium liberorum est *filialis observantia, gratitudo, amor metúsque* reverentialis, atque hæc officia Parentum & liberorum facilè fluunt ex fundamentali principio, quia nempe sunt *exigita ab amore & his & illis naturaliter debito* &c.

III. Cessat societas paterna cessante fine seu educatione *per emancipationem*; quandoque *per ejectionem* ob graves causas. Cessante societate cessat regimen in Patre, obsequii debitum in filio, non tamen debitum pietatis, seu *reverentia ac gratitudo*, quæ durat in liberis, quò ad vivunt *Instruct. II. §. 3. Q. 7.*

Status herilis natura & origo.

Leucothæus. Quid & quæ origo status herilis?

Melander. I. Rectè dicitur esse *societas inæqualis, Dominum inter & servum, eo fine instituta, ut hic in ejus commodum debita præstet servitia.* Unde fluit, quòd sit juris naturalis mere permissivi, cùm non sit *necessitatis absolutæ, ut sit*, sed *utilitatis*, convenienter ad rationis dictamen, *ut esse possit.* Quòd sit status *adventitius*, cùm supponat *factum*, libertatis congenitæ restrictivum.

II. Servitus alia est *pactitia*, quæ habetur per contractum spontaneum, & magis propriè *famulitium* dicitur. Alia est *legalis* seu *coacta*, quod habeatur ex instituto Gentium, ac legibus, queîs bello capti servituti mancipabantur, unde & *mancipatus* propriè appellari suevit.

III. *Conditio servilis malè tribuitur naturæ.* Patet, unde nasci *servos*, non nisi veterum quorumdam nænia fuit. *Servitus* tamen *pactitia*, seu *famulitium* originem *remotam* habet ex inæqualitate conditionis humanæ; *proximam* ex pacto spontaneo, adeóque est institutionis humanæ. *Ratio prioris* est *distinctio bonorum*, quâ alii in abundantiam, alii in egestatem delapsi sunt. Cùm igitur ditiores egerent aliorum auxiliis, egentiores alimentis, deventum fuit *ad pacta*, egenis operam, ditioribus alimenta stipulantibus. *Ratio posterioris* est, quia hæc pacta nec *determinatè* exigita ab amore, sibi & aliis *simpliciter* necessario; nec *absolutè* illi adversa, cùm fundentur in emolumento, Societati humanæ admodùm consentaneo. Servitus *coacta* originem *occasionalem* trahit à bello, victori in victos plurima permittente; *causalem* ab arbitrio victoris, victíque consensu coacto, cùm sæpe in mancipatum potiùs consentirent, quàm mortem; *formalem* trahit à jure Gentium, mancipatum ob utilitatem vincentium confirmante. *Consensus* requiritur ad formandam obligationem mancipii ad Dominum, qui, etsi coactus, stringit, cùm supponatur *vi justa*, seu justo bello extortus. *Instruct. II. §. 3. Q. 7.*

Officia fluentia ex statu herili.

Leucothæus. Quæ officia fluunt ex statu herili?

Melander. I. Officia servitutis *spontaneæ* sunt desumenda ex pacto, quia *ultroneo. Regulariter* ea omnia exigit, quæ ad finem intentum *rationabiliter* injungi possunt. Negatur tamen Domino *jus vendendi invitum*, quia ex pacto præsumi nequit. Et licet eidem competat *jus castigandi* pro ratione delicti, nullatenus tamen competit *jus vitæ & necis*, quia ad finem statûs herilis non necessarium, suppetente ejectione, immò & potestate civili, si delictum sit atrox.

II. Mancipatus majora Domino jura attribuit, non tantùm in personam, ut eam vendere; sed etiam in personæ res, ipsámque vitam, sic ut impunitatem, *saltem extrinsecam*, leges indulgeant.

III. At sicut officia servorum sunt, Domino justè ac justa præcipienti obtemperare, reverentiam personæ, & industriam mandatis exhibere; secùs justæ castigationis sese submit-

tete; ita & officia Dominorum ſunt, ſervo mercedem, victúmque ſuppeditare, imperia viribus commenſurare, citra rationem in eum non ſævire, nec *ut jumentum* tractare hominem, qui quidem *liber* eſſe, *homo* tamen eſſe nunquam deſiit. *Inſtruct. II. §. 3. Q. 8.*

§. 3. *Status adventitius perfectus, ſeu Civitas.*

§. III.

De ſtatu hominis adventitio compoſito, ſeu de Civitate.

Origo Civitatis.

Leucotheus. Quæ origo Civitatis?

Melander. I. E familiis multiplicatis ſurgit *civitas*, per quam *in genere*, hìc intelligimus *quodvis corpus politicum, in ſuo genere perfectum, & civilis beatitudinis causâ in commune regimen coadunatum.*

II. *Origo* Civitatis à *Stagyrita*, atque Angelico adſcribitur Authori naturæ, dicitúrque eſſe *juris* ſeu *inſtitutionis naturalis*. *Ratio* afferri ſolet 1mò. Quòd homo *naturâ* ſit animal *ſociale*, potens & volens ſibi proſpicere de alienis auxiliis per ſocietatem, vitæ neceſſitatibus congruam. 2. Quia natura homini indidit appetitum ſocietatis, etiam civilis, utpote quæ ſola eſt ſufficiens avertendis incommodis. 3. Quia homo naturaliter appetit ſufficientiam vitæ, etiam meliorem. Sed

Contra eſt: Quòd hæc probarent nimium, putà non modò Civitatem in ſe, ſed & ejus formam perfectiorem, inſtitutioni naturali adſcribi poſſe. Unde etſi homo velit ſibi proſpicere de alienis auxiliis per ſocietatem *aliquam* ſimpliciter *ſufficientem*; non tamen *neceſſariò* debet, jure naturæ præceptivo, & propriè tali, per ſocietatem *determinatè* civilem. 2. Natura indidit appetitum Societatis, etiam civilis, *velut admodùm commodæ*, modo quodam *ſuaſivo*; non tamen *velut determinatè neceſſariæ*, modo *præceptivo*. 3. Homo appetit ſufficientiam vitæ meliorem, naturâ quidem ad commodiora *inclinante*, non tamen *neceſſitante* per jus aliquod præceptivum.

III. Cauſa civitatis remota *Puffendorfio* eſt *metus proborum* ob mala, ſibi extra civitatem à reprobis impendentia. *Ratio* illius eſt, quòd ſtante malitia hominum, in ſtatu naturæ lapſæ, aliud *ſecuritatis præſidium* vix ſuffeciſſet. Quaſi verò propulſandis malis *fœdera*, aliæque conſociationes *per pacta*, citra nexum tamen civilem, haud ſuffeciſſent.

IV. *Kemmerichius* pro cauſa Civitatis remota aſſignat *metum pravorum*, quo per civitates non modò rapinis, ſed & ſuæ tyrannidi propugnacula quærebant. *Ratio eſt* Hiſtoriæ ſacræ teſtimonium de *Caino*, *Nembrodo*, tanquam primis urbium conditoribus. Quaſi verò inſtitutum civitatis, hoc eſt, ſocietatis tam perfectæ, ut, teſte Philoſopho, ſit *complementum totius ſufficientiæ*, pravitati humanæ, tanquam primario fonti, tribuendum eſſet. Et unde notum, *Henochiam* fuiſſe urbem *primam*, nec aliam priorem erectam à probis?

V. Vera origo Civitatis, probabiliore calculo, fluit *à Natura*, non quidem *præcipiente*, ſed per rationis lumen *inclinante* ad ſocietatem, familiâ *perfectiorem*, & naturæ rationali *magìs accommodam*, quia & conquirendis vitæ commodis, & amovendis incommodis *perfectè ſufficientem*, adeóque *quò ad cauſam fundamentalem* eſt juris naturalis, *impropriè talis*, ſeu *negativi*. *Ratio eſt*: quia nec *determinatè* exigitur, nec etiam *poſitivè* repugnat amori, ſibi & alteri naturaliter debito, cùm nulla ſit efficax ratio, cur ſocietas familiæ non ſit *abſolutè ſufficiens*. Alterum patet ex inſigni & multiplici commodo Civitatis, ad quod natura ſic inclinat, ut Deo, tanquam authori Naturæ, origo quædam fundamentalis rectè adſcribi poſſit, ac etiam debeat.

VI. Cauſa civitatis *impulſiva* fuit partim *indigentia* partim *metus malorum*, ab homine homini, extra civitatem impendentium, ut ſic haberetur *plenior vitæ ſufficientia* ex auxiliis mutuis; *majórque ſecuritas* ad mala propulſanda. Cauſa *efficiens proxima*, eſt conventio *tacita*, vel *expreſſa* coëuntium: ſecus enim inſtar ſortuiti aggregati denuò diffluere poſſent. Cauſa *materialis proxima* eſt cœtus hominum, in unum corpus politicum, conſociatus. *Remota* ſunt familiæ, quæ in civitatis corpus coaluêre. Cauſa *formalis* conſiſtit in *ſummo imperio*, quod, teſte *Senecâ* (a) eſt *vinculum Reipublicæ*.

VII. *Modum & ordinem*, quo nata eſt civitas, ſic adumbrat *Romanus* Orator: (b) *Cùm hoc ſit naturâ commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt; proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Inde autem eſt principium Urbis, & quaſi ſeminarium Reipublicæ; ſequuntur fratrum conjugia; pòſt conſobrinorum, ſobrinorúmque, qui, cùm una domo jam capi non poſſint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt; ſequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui: quæ propagatio & ſoboles origo eſt Rerumpublicarum. Inſtruct. III. §. 1. Q. 1.*

Leu-

(a) De element. c. 4. (b) L. 1. De offic. c. 17.

Civitatis natura, & finis.

Leucotheus. Quæ natura & finis societatis civilis?

Melander. I. Civitas rectè appellatur *in specie, societas plurium perfecta, consensu mutuo per summum imperium coadunata, in ordine ad beatitudinem civilem.*

II. ***Est erronea quorumdam thesis, quæ asserunt, beatitudinem civilem consistere in sola felicitate extrinseca hujus vitæ, absque necessario respectu ad intrinsecam, consistentem in virtute ac honestate morum, in ordine ad finem ultimum vitæ alterius consequendum.***

Explicatur 1. Pussendorfio si fides, religio, *respectu statûs civilis,* sese habet *quasi impertinenter, ut adeo Principis nil intersit, quid quisque civium credat, dummodo civili officio satisfaciat.* (a) Sed

Contra est, quòd *finis* civitatis *adæquatus* non sit felicitas *qualiscunque,* sed *humana,* adeóque *primariò* consistat *in felicitate interna,* nempe in virtute, honestate morum, ac justitia, religioni ac legibus, saltem naturalibus conformi; *secundariò* sita sit *in felicitate externa,* puta, in bonorum temporalium sufficientia, securitate, ac tranquillitate vitæ: hæc enim sufficientia non modò est communis brutis, sed est solummodò medium, *ad felicitatem internam* ordinatum, qua sine felicitas externa nequaquam est beatitudo ..re, neque diu, absque intemperie, saltem *per se* loquendo, durare, multò minùs conservari *stabiliter* posset.

Explicatur 2. Eidem *Pussendorfio* si fides, non quidem religio quædam *naturalis* sed tamen *Christiana* sese habet *impertinenter* ad civitatem, eò quòd finis utriusque sit ex toto diversus, neque religio sit propter civitatem, neque Civitas propter religionem &c. Sed

Contrà est: etsi religio *Christiana* non sit propter civitatem, est tamen civitas propter felicitatem non *qualemcunque,* sed, *supposita ejus revelatione,* atque *coitione populi Christiani in civitatem,* propter felicitatem *Christianam,* cujus finis inadæquatus uti est morum honestas *non qualiscunque,* sed Christiana, seu fidei regulis conformis; ita & religio Christiana est juris naturalis Divini, utpote ad beatitudinem intentam *simpliciter* necessaria. *Rursus:* etsi religio in se, *quò ad professionem & exercitium,* non exigit civitatem, seu societatem hominum, potestate propria instructam, *ut tamen extensa in ejusmodi multitudinem,* exigit necessariò potestatem superiorem, in ordine ad *ejus directionem,* & *in unitate conservationem,* sic ut ejus directio à superiore habili sit juris naturalis Divini, utpote ad finem intentum civitatis, seu beatitudinem *simpliciter* necessaria. Item: licèt multæ civitates coëant absque cura religionis, præcipuè *Christianæ,* hic est effectus *per accidens;* non enim *finis* civitatis, ejúsque *constitutio recta* desumi debet ab eo, quod *fit,* vel *factum* est; sed quod *ex ratione* fieri oporteret.

III. Unde ruunt protestantica *Pussendorfii* axiomata, queis *Christianam* religionem cum naturali quandoque confundit; queis dicit, cultum suum à quovis esse Deo approbandum, nec alteri, saltem *quò ad directionem,* curam animæ resignandam; nec fidem in judicium superioris resolvendam; queis scribit, religionem non posse formare *statum,* sed *merum collegium,* quæ omnia olent *Protestantismum,* corrupti juris naturalis ruderibus malè superinstructum. *Instruct. III. §. 1. Q. 2.*

Civitatis proprietates.

Leucotheus. Quæ proprietates? Quis modus constituendæ, & ratio dissolvendæ Civitatis?

Melander. I. Inter *proprietates* est 1. Ut sit societas *perfecta,* hoc est, saltem *absolutè,* si minùs *omnimodè* sibi sufficiens ad beatè vivendum. 2. Sit societas *plurium,* tot nempe, quot requiruntur ad finem *sufficientiæ,* & *securitatis perfectæ.* 3. Sit potestatis *summæ.* 4. Sit *inæqualis* cum debita parentium, & imperantium subordinatione. 5. Sit *stabilis* per membra, sibi invicem succedentia. 6. Sit *persona moralis,* à singulis diversa &c. &c.

II. *Modus,* quo coalescit civitas, habetur à pacto vel *expresso,* vel saltem *tacito,* eóque *duplici:* nam unum est de *consociatione;* alterum *de debita subordinatione* per certam regiminis formam: ad prius requiritur consensus singulorum; ad posterius sufficit consensus majoris partis.

III. *Dissolutio* civitatis habetur vel *ratione materiæ,* si consociatio penitus dissolvatur; vel *ratione formæ,* si jure summo exuatur civitas. *Instruct. III. §. 1. Q. 3.*

Divisio civitatis.

Leucotheus. Quæ multiplicitas civitatis?

Melander. I. Celebrior divisio est in civitates *regulares,* atque *irregulares;* illæ *regularem naturam, ex primæva institutione acquisitam, retinent;* istæ *non retinent.* Ad illas spectant, quæ formam habent *monarchicam, aristocraticam, democraticam,* aut *mixtam;* ad istas trahuntur civitates *heriles, patrimoniales, informes, systemate civitatum* &c.

II. *Monarchia* in specie est, cùm omne jus in subditos unus Princeps habet, solúsque Rempublicam ad communem utilitatem administrat. 2. *Aristocratia,* quando aliquot Primates selecti regunt. 3. *Democratia,* ubi

Po-

(a) De habitu relig. Christianæ ad vitam civilem. §. 54. f.m. 269. & §. 50. f.m. 233.

Populus in commune consulit, nullùmque supra se principem agnoscit. 4. *Status mixtus*, cùm Princeps, senatus, & reliqui cives aliquid ad Reipublicæ regimen conferunt.

III. Inter civitates *irregulares* declinant à fine, qui est *utilitas publica* 1. *Civitates heriles*, in quibus pro fine *primario* & *per se* intendit Imperans commodum proprium, subditorum *per accidens*. Hæc potestas *planè absoluta* cum exercitio imperii *velut in servos* dici etiam solet *dominatus despoticus*. Ab eodem fine declinant *civitates patrimoniales*, de quibus libera est dispositio Imperantium, cùm *ex prima origine* civitates jure quasi fidei commissario, ad eos devenerint. A fine itidem declinant, quæ pro scopo *dominationem*, *felicitatem merè externam* in opibus & abundantia &c. sibi præfigunt. 2. Irregulares *ex defectu formæ* sunt, si monarchia degeneret *in tyrannidem*, qua imperium, protrito civium bono publico, *geritur ad libidinem unius*. Item si *Aristocratia* induat *oligarchiam*, qua pauci ex optimatibus, ad suam potiùs utilitatem, quàm publicam, dominantur in cives. Rursus si *democratia* in *ochlocratiam* devolvatur, qua pars populi imperium ad suam libidinem, non ad salutem publicam, tractat; vel si in *anarchiam* penitus delabatur, qua omnia miscet vulgaris licentia. 3. Irregulares *ex defectu nexûs*, sunt civitates *systematicæ*, quando plures urbes coalescunt *in unum corpus morale*, ut singulæ summum quidem imperium servent, communi tamen consilio, pacis bellique negotia, unius civitatis nomine, tractanda suscipiant. *Instruct. III. §. 2. Q. 4.*

Status Civitatis mixtus.

Leucotheus. An dari potest status civitatis mixtus?

Melander. I. *Status civitatis mixtus seu ex duplici seu ex triplici forma temperatus, non est chymericus, ut vult Bodinus. Ratio* positiva est communis sensus Politicorum; negativa, quia nulla apparet implicantia.

II. Nam 1. Si dicas, quòd potestas monarchica sit *summa in omnibus*, adeóque stet *in indivisibili*, nec patiatur jurium divisionem quin desinat esse *summa in omnibus penes unum*.

Nam R. D. Potestas monarchica *perfectissimè* sumpta stat *in indivisibili*: C. Sumpta *temperatè*, uti sumitur in statu mixto. N. An ita sumi possit, est quæstio nominis adeóque standum communi Politicorum authoritate.

Si dicas 2. Si datur status mixtus posset V. G. Jus ærarii relinqui Populo, jus pacis & belli Senatui, jus creandorum Magistratuum Regi: hæc repugnant.

R. N. Suppositum, quòd in statu mixto jura dividi possint *modo quocunque*, sed *debito* & *possibili*.

Si dicas 3. Quòd nullus unquam datus sit status *purè monarchicus*, cùm nullus unquam absque omni Optimatum consilio rexerit, ut adeò quæsitum hoc sit de subjecto non supponente.

R. Aliud esse *statum*, aliud esse *rationem gubernandi*: ille enim definitur *ex jure*, non *ex gubernandi modo*. Sic si Monarcha sæpius utatur consilio Magnatum, imperandi ratio est *suo modo* Aristocratica, non Imperium: contrà si Ordines non tam consulendi, quàm prohibendi polleant facultate, & Princeps ex pacto ultroneo teneatur sequi illorum dissensum, Imperium est *mixtum*, seu monarchicum, aristocraticè temperatum, quam formam Imperio *Romano-Germanico* convenire tenet communior, uti in Collegiis Historicis proliziùs disputavimus. (a) *Instruct. III. §. 2. Q. 5.*

Regni electivi præstantia.

Leucotheus. Quænam ex regularibus optima civitatis forma?

Forma civitatis.

Melander. I. *Inter prædictas civitatis formas simplices excellit simplex Monarchica. Ratio* est *authoritas* Politicorum propè unanimis. 2. *Unitas multiplex*, nam sub uno Principe facilè servatur unitas, atque concordia, uti & justitia, ac ordo; facilior consecutio finis obtinetur; major habetur conjunctio virium atque potentia; immo & diuturna magis stabilitas conservatur; denique & major gubernationis facilitas comprobatur. 3. *Incommoditas aliarum formarum:* sic in aristocratica difficilis est *plurium* optimorum electio; frequens æmulatio atque invidia, ambitio, & sententiarum inter plures discordia, quæ omnia dissensionum fomenta sunt. In *Democratica* forma rarus ordo, frequens impetus, atque dissensio tot inter capita habeatur, necessum est.

II. *Inter formas optima est forma Reipublicæ mixta, quæ ex Monarchia & Aristocratia est temperata, ubi nimirum & Regia viget potestas, & Senatûs valet authoritas, saltem spectatâ humanæ naturæ fragilitate.*

Ratio est: quia hujusmodi regimen nec tyrannidi obnoxium propter Ordinum vigilantiam, qui Principem ita in suo continent officio, ut absque eorum consensu nil audeat contra statum, legésque Patriæ moliri.

(a) P. IV. Q. 4.

liti. Nec discordiis atque ambitioni Optimatum patere potest, cùm omnes ab uno capite dependeant. *Dictum: spectata natura humanæ fragilitate,* seu *in hac vita:* nam, seclusis humanæ vitæ circumstantiis, Monarchiam simplicem *absolutè* excellere, probabitur alibi. (a)

III. Neque quis dicat, *Israelitas* ratione postulati regiminis regii, seu monarchici offensam Dei incurrisse. Nam *contrà est: Israelitas offensam Dei* incurrisse ob rejectum theocraticum regimen, & *Samuelem* malè offensum. *Neque quis dicat* 2. Majorem esse prudentiam in multis, quàm uno. Nam

Contrà est: huic incommodo facilè provideri potest per Consiliarios: verbo, incommoda vel sunt tantùm ad speciem, vel per accidens talia, & facilè per hanc regiminis formam evitabilia. *Instruct. III.* §. 2. *Q.* 6.

Regni electivi præstantia.

Leucotheus. An Regnum electivum successivo præstantius?

Melander. I. *Per se loquendo, electio successione potior est, maximè si ei aliqua successio adjungatur.*

Ratio est: quia electio & Principi est *gloriosior*, & Reipublicæ *utilior*. Nam, teste *Tacito*, *optimum quemque probat electio: contrà nasci à Principe fortuitum* &c. Electio siquidem fit cum consilio, ab hominibus, ad eligendum optimum juramento adstrictis; caret itidem incommodis successionis, si Princeps decedat aut sine liberis, aut relinquat filium impuberem, aut prorsus ineptum atque degenerem; aut solummodò filiam &c. Rationem tamen aliquam successionis habendam, suadetur ex eo, quòd sic bene merito Principi gratia post mortem reddatur, & promptior obsequendi alacritas novo Regi, jam fere prælecto, exhibeatur à subditis.

II. *Si quis opponat* 1. Etiam electionem, *competitorum ambitione*, sæpe turbis obnoxiam. ℟. Id fieri *per accidens* in electionibus inordinatis, non ordinatis, seu certa constitutionum formâ definitis.

Si quis opponat 2. Minorem esse authoritatem Principis electi, utpote Electoribus priùs paris, posteà obstricti. ℟. Cùm ex illustribus familiis *regulariter* eligi soleant Heroës, cæteris præstantiores, nullum est periculum minoris authoritatis.

Si quis opponat 3. Quòd etiam electio frequenter in purpuræ candidatis aberret. ℟. Frequentiùs hunc errorem in successione contingere, uti historiæ demonstrant. *Instruct. III.* §. 2. *Q.* 7.

Principis eligendi qualitas.

Leucotheus. An in Regnis electivis ex propria potiùs, an aliena Republica assumendus Princeps?

Melander. I. *Sunt Authores, qui pro externo Principe, in Regnum assumendo, suffragium ferunt. Ratio est.* 1. Quia sic præscindi solet æmulatio Optimatum, causa bellorum civilium. 2. Quia præcavetur nimiæ indigenarum potentiæ, quæ consanguineorum præsidiis, sæpe fit subditorum libertati periculosa. 3. Quia sic coalescit finitimorum amicitia.

II. *Sunt contrà Authores, qui Principem indigenam præferunt. Ratio est* 1. Nationum mos ac consensus, major fiducia & amor in domesticum, melior Regni, & subditorum notitia, & sic de aliis. *Instruct. III.* §. 2. *Q.* 8.

Præsidia civitatis.

Leucotheus. Quænam præsidia civitatis?

Melander. I. Inanimata sunt *munitiones* & *arma*. *Unde expedit in Regno, saltem vicinis hostibus cincto, plura esse præsidia. Ratio est.* 1. Quia sine præsidiis Regna sunt obviis periculis pervia. 2. Quia sic parcitur sanguini civium. 3. Quia utilitas suadetur exemplo *Galliæ*, munimentis firmissimis ubique vallatæ.

II. *Contrà in Regno, amicis confiniis cincto, munitiones plures inutiles, immò nimiùm onerosæ,* uti patet. 2. *Aliquæ tamen satis utiles. Ratio est.* Ut ne, munimento contermino per hostes occupato, mox tota ruat Provincia. 2. Ut civibus supersit unum alterúmve asylum. 3. Ut ne derelicta bona, frugésque Provinciæ hostis vires ac potentiam augeant. *Instruct. III.* §. 2. *Q.* 9.

Præsidia Reipublicæ animata.

Leucotheus. Quæ sunt præsidia Reipublicæ animata? Quæ causæ corruptivæ?

Melander. I. Consilium Regentium, Justitiæ cultus, concordia, & probitas civium, quatuor Regnorum columina rectè quis appellârit.

Causæ corruptivæ.

II. Inter causas Regnorum corruptivas aliæ sunt *externæ*, uti Divina Providentia, ejusdem permissio, molimina hostium, aliena Regna invadentium &c. *Inter internas* numeratur *Reipublicæ mutatio* ab una regiminis forma in aliam; *seditio civium*, cui viam complanat *ambitio*, *Religionis dissidium*, *subditorum oppressio* &c. Et denique *flagitiosa* incolentium *vita*, per *injustitiam Magistratuum*, scelerum impunitatem, pauperum oppressionem, luxum civium, fastum plebis, & incontinentiam, denique per iners otium

(a) Videatur C. *Bellarminus* de Pontifice L. 1, Item Institutiones Hist. Eccles notitiâ III.

otium, neglectum rei militaris, & similia, de quibus Politici inquisitionem magis exactam instituunt. *Instruct. III. §. 2. Q. 10. & 11.*

Titulus 2.

TITULUS II.

Origo potestatis summæ.

De origine Dominii, officiisque exinde fluentibus.

§. 1.

§. I.

De acquirendo rerum dominio.

De officio circa acquirendum rerum dominium.

Origo dominii in genere.

LEucotheus. *Quid de dominio rerum, ejúsque origine in genere sentiendum?*

Melander. I. Dominium rerum *causale*, seu in genere, & abstrahendo ab effectu, quem parit ad alios, denotatur *facultas utendi rebus in proprium commodum* ex beneplacito proprio. Hujus dominii origo *causalis* est Author Naturæ; *fundamentalis* petitur à jure, quod à Deo homini datum, ut se conservet, vitámque ac felicitatem suam promoveat, qui finis, absque usu & destructione creaturarum, obtineri non posset. Unde hujus dominii usus, ut est medium *simpliciter necessarium*, se vitámque suam conservandi, sit juris naturalis *præceptivi*, seu *propriè talis*; ut est medium, se suámque vitam meliùs conservandi, sit juris naturalis *concessivi*, seu *impropriè talis*. Patet ex applicatione principii fundamentalis.

II. Usus creaturarum, maximè animalium, non necessarius, hoc est, *ad commodum*, *jucunditatem*, immò & *voluptatem*, juxta aliquos non videtur à Creatore concessus. 1. Quia necessitatibus humanis consuli potest citra esum carnium. 2. Quia non nisi post diluvium edendorum animalium jus à Deo concessum. 3. Quia, *quò ad animalitatem*, nos inter & bruta videtur esse cognatio, & præcipuè quia, *ex sola ratione*, firmum argumentum de esu carnium vix erui potest.

III. Sed oppositum est verius, si modò usus sit *rationabilis*. *Ratio est:* felicitas hominis, ab Authore naturæ intenta, etiam quò ad usum commodum, vitæ jucunditati, ac honestæ voluptati proprium, quo sine animalium copia, continuò increscens, noxia potiùs foret, quàm utilis. *Ratio est 2.* Inefficacia allatæ suprà triplicis rationis. Nam comestio carnium nunquam fuit prohibita, saltem *jure naturæ*, etsi propter causas extrinsecas antediluviani quidam fors abstinuerint, ut initiò diximus. *Instruct. I. §. 1. Q. 1.*

Leucotheus. Quid de dominio rerum in specie, seu de prima rerum divisione tenendum?

Origo dominii in specie, ejúsque effectus ad alios.

Melander. I. Dominium rerum *formale*, & prout parit effectum *in ordine ad alios*, est *jus de re corporali liberè disponendi, eámque vindicandi*. Unde notat *possessionem*, quæ est detentio rei cum animo habendi *proprietatem*; proprietas autem est qualitas, qua res sic ad aliquem pertinet, ut eodem modo *in solidum* non pertineat ad alterum cum jure exclusionis. Demum notat *usumfructum*, qui est jus utendi rebus pro libitu: ex proprietate sequitur *vindicatio*; ex usufructu *alienatio*.

II. Dominium *formale* fundatur in quadam rerum seu *appropriatione*, seu *divisione*, quam factam esse, negari nequit, etsi *Author*, *modus*, & *tempus majorem auguriis fidem non videantur expetere*. *Ratio* assetti est. 1. Quia rebus ab Authore naturæ *velut in medio positis*, *vigebat rerum communio primæva*, seu *facultas utendi rebus creatis*, *communis omnibus*, *in ordine ad easdem sibi privativè appropriandas*. *Ratio est.* 2. Quia hæc primæva rerum communio diu durare non potuit, eò quòd nec pecus sine cura, nec terra sine cultura multum profert, ut adeò quivis laborum suorum fructus sibi proprios fecerit. *Ratio est.* 3. Quòd modus introducti dominii primus fuerit, verosimiliore conjecturâ, *per occupationem*; subin per *divisionem*, pactis firmatam, ut evitarentur rixæ, ipso S. textu, *terram fuisse divisam*, attestante. *Ratio est.* 4. Quòd nimis incertum sit, an *prima* rerum divisio fuerit facta ab *Adamo*, vel *Noëmo*, an per potestatem paternam, an principalem, an sortitione, vel alia ratione.

Conditiones requisitæ ad proprietatem rerum, & qualitates illarum, quæ dicuntur inexhaustæ utilitatis.

III. *Uti primæva rerum communio, ita & earundem divisio est juris naturalis merè nega-*

negativi. 2. *Unde origo dominii proprietatis remota non habetur à jure naturæ, nisi impropriè tali; proxima per occupationem, vel etiam divisionem, jure Gentium firmatam.* *Ratio* asserti prioris est, quia nec *positivè* repugnat, nec *determinatè* exigitur ab amore vel sibi, vel proximo *naturaliter* debito: siquidem *rerum communio* etsi amori mutuo sit admodùm consentanea, necessaria tamen *absolutè* non est, eò quòd, *supposito præsertim statu naturæ lapsæ*, tranquillitas publica, *rerum divisione*, faciliùs conservetur. Sic & *rerum divisio* est necessaria paci publicæ, ut tamen absque hoc medio, *determinatè* sumpto, *simpliciter* obtineri posset. *Ratio* asserti posterioris est, quia origo dominii proprietatis *remota* fluit ex facultate utendi rebus in commodum proprium, quæ est juris naturalis, merè concessivi: *proxima* habetur per appropriationem rerum, sitam vel in *prima occupatione*, vel in *quadam divisione*, seu consensu hominum prævio, seu usu longævo firmata, in ordine ad evitandam confusionem, discordiam, pacémque publicam promovendam, qui usus *jus Gentium* fundare solet.

IV. *Quæ contra divisionem rerum, ùt jure Gentium inductam, opponi solent, non stringunt.* Nam

Si dicas 1. Ratio naturalis dictat, quòd, supposita humani Generis multiplicatione, rerum divisio sit *necessaria*, adeóque juris sit naturalis, propriè talis. *Contrà est:* quòd hic conceptus dignoscendi juris naturalis non sit legitimus, neque necessitas sit *absoluta*, sic ut natura divisionem rerum instituerit *determinatè* in se, etsi exegerit *determinandam* jure Gentium. *Si urgeas* 2. Rerum divisio, *supposita hominum multitudine*, est medium *determinatè* necessarium ad conservandam tranquillitatem publicam, quia alio assignabili medio non conservandam. *Contrà est:* Etsi assignabile non foret, modò aliquod possibile sit, cujus impossibilitas Adversariis demonstranda est. Cur, *absolutè loquendo*, tale medium haberi non potuisset *per arbitros?* Cur per authoritatem Parentum, Præfectorum &c. excitari non potuisset industria hominum in procurandis vitæ necessariis? *Instruct. I. §. 1. Q. 2.*

Conditiones requisitæ ad proprietatem rerum, & qualitates illarum, quæ dicuntur inexhaustæ utilitatis.

Leucotheus. Quænam sunt conditiones ex parte rerum, proprietatis capacium? Et quales dicuntur res inexhaustæ utilitatis?

Melander. I. Proprietatis rerum adstrui solet *triplex* conditio. 1. Ut usum præbeat vel *per se*, vel *per comparantiam* cum alia re; uti mare adjacens respectu littoris &c. siquidem sibi appropriare rem planè inutilem, supervacaneum. 2. Ne usum præbeat omnibus sufficientem: siquidem re inexhaustæ utilitatis, velut propriâ, alios arcere velle, V. G. aëre, calore solis, profluente &c. foret contra legem naturæ, fundatam in principio amoris naturaliter debiti. 3. Ut res ipsa apprehendi, & custodiri aliquatenus possit: secùs enim inutile foret jus, proprietati annexum, alios nempe ab ea re arcendi.

II. Etiam post introducta dominia non cessavit penitus *omnis rerum communio*, cùm salva pace Generis humani res aliquæ *potuerint*, aliæ *debuerint* manere *communes*, hoc est, spectata proprietate nullius. Assertum patet in rebus, initio incognitis, quæ potuerunt; item in rebus *inexhaustæ utilitatis*, quas inter calor solis, aer, aqua profluens, ut sunt *in se*, vastus item Oceanus, quæ *debuerunt* manere in communione primæva. Ratio est, quòd non modò præbeant usum, omnibus sufficientem, citra dissidii periculum, sed etiam sic occupari haud possint, ut ab earum usu alii excludi queant.

III. Mare tamen quod spectat, aliud est *internum*, quod interiora terræ ingreditur, Regnorúmque littoribus clauditur; aliud *externum*, quod extima terræ ambit, variásque alluit regiones; aliud *vastum*, seu Oceanus, magnis continentibus interjectus, & quò ad partes à littoribus remotissimus. *Instruct. I. §. 2. Q. 3.*

Disceptatio de dominio maris.

Leucotheus. Quid de proprietate, marísque dominio sentiendum?

Melander. I. *Mare internum dominii ac proprietatis esse capax, naturæ jure permissivo, & Gentium positivo, est sententia communiter recepta.* Patet usu Gentium communi, & ratio est, quia ejusmodi maria, freta &c. sunt *accessoria* fundorum, æquè capacia dominii, ac ipsa territoria. Accedit, quòd non sint *inexhaustæ utilitatis*, & conserventur per peculiares expensas, usúsque eorum communis haud careret periculis, ac præjudiciis.

II. *Etiam mare externum, eodem jure, dominii ac proprietatis est capax ex satis communi Authorum.* Patet denuò *Gentium usu*, quo sensim occupârunt, & de facto, post occupatum territorium, præsumuntur etiam occupâsse alluentem Oceanum, in quantum portubus est opportunus, aut, *muniments instar*, ditioni necessarius; vel etiam, *ratione utilitatis*, commodus custodiri, suo è territorio potest.

III. *Etiam vastus Oceanus, in se spectatus, dominii & proprietatis non videtur esse incapax absolutè. 2. Licèt incapax sit per accidens, saltem respectu unius Gentis, vel etiam plurium. 3. Hoc tamen non obstante Oceani libertas, usûsque innoxius, fundatur partim in primæva communione, partim in lege humanitatis naturali, ac Gentium positiva.* *Ratio membri 1. est*: quòd neque maris natura, neque alia ratio moralis huic occupationi, ac proprietati refragetur: nam sicut Creator dixit: *subjicite terram*; ita dixit: *dominamini piscibus maris.* Unde

Non obstat. 1. Quòd Oceanus dicatur *inexhaustæ utilitatis*. Nam etiam terra, secundùm suam amplitudinem considerata, æquè dici posset inexhaustæ utilitatis, præterquàm quòd inductæ proprietatis causa *primaria* non fuerit, quòd terra sit exhauribilis utilitatis, sed quòd & *in se*, & *naturæ jure*, fuerit occupabilis, & circa res, etsi omnibus absolutè sufficientes, *in statu tamen naturæ depravatæ*, absque proprietate, pax & felicitas publica conservari *moraliter* haud potuerit: atqui hæc ratio pugnat æquè pro Oceano saltem *interno*, atque *externo*.

Neque obstat 2. Quòd terra, *absque cultura*, foret *exhaustæ utilitatis*, qua cultura non indiget *vastus* Oceanus; quod illa *terminabilis* uti & mare *internum* ac *externum*, hic verò *interminabilis*; item *inoccupabilis*, *usûs extraordinarii*, à continenti *remotissimus*, adeóque ùt regionum *accessorius* haud considerandus. Nam hæc disparitas tantùm probat, quod *vastus* Oceanus sit dominii incapax *per accidens*, & ex ratione *extrinseca*, non autem *per se*, & *ex sua natura*. Nam *vastus* Oceanus *de se*, est ejusdem naturæ, ac ejus partes, certò proprietatis capaces, ut adeò tota disparitas sit ab extrinseco, Oceano per accidens, quia sese tenens ex parte hominum.

Neque obstat 3. Quòd adversarii dicant, non esse assignabilem *modum* occupandi Oceani. Nam idem assignari potest, qui in terra *per occupationem* territorii maritimi, *per divisionem*, *præscriptionem* &c. saltem quò ad mare internum, & externum. Quò ad *vastum* Oceanum, sicuti hi modi *moraliter* possibiles non sunt; ita is, non quidem *ex sua natura*, sed tamen *per accidens* intelligitur, etiamnum esse in primæva rerum communione.

Nec obstat 4. Quòd sic & *aër* dici posset capax proprietatis. Nam elementa sunt quidem extra humanum commercium, *ut sunt in se*; non tamen ùt territoriis sunt *accessoria*: hinc multis patrio *aëre*, *aqua*, & *igni* interdictum, novimus.

IV. *Ratio 2. membri* suprapositi, est ipsa difficultas extrinsecа, vi cujus *vastus* Oceanus *moraliter* occupari, & in proprietate conservari haud posset, ut adeò *per accidens* sit dominii incapax juxta dicta superiùs. *Ratio 3tii membri* est, quia vastus Oceanus, cùm moraliter subjici ex toto haud possit, hoc ipso manet in primæva communione, ut adeò ejus usus innoxius à nemine prohiberi *jure* possit. Accedit, quòd vasti Oceani libertas sic expediat Societati humanæ propter communem Gentium seu necessitatem, seu utilitatem, ut earundem *longævo usu* firmata sit: ergo est etiam juris Gentium positivi. *Instruct. I. §. 2. Q. 4.*

Leucothous. Quid de origine commercii, præcipuè maritimi, sentiendum? — *Origo commercii præcipuè maritimi.*

Melander. I. *Commercii* nomine intelligitur *mutua inter homines mediante permutatione, aut emptione ac venditione, earum rerum communicatio, quibus mutuò egent.* Hujus communicationis origo *occasionalis* fuit *rerum divisio* ac *dominiorum introductio*, sic ut, *non omni omnia ferente tellure*, ratio commercia suaserit, per quæ mutuis commodis ac necessitatibus succurreretur.

II. *Commercii origo remota & fundamentalis non habetur à jure Naturæ, nisi impropriè tali, seu merè concessivo. 2. Proxima & formalis fluit à solo jure Gentium. Ratio prioris asserti* est: quia communicatio rerum mutua *per emptionem* &c. nec *positivè* repugnat, uti patet; nec etiam *determinatè* exigitur ab amore, proximo naturaliter debito, seù ad felicitatem societati humanæ propriam *simpliciter* necessario: non enim natura deficit in mediis, ad vitam *simpliciter* necessariis: unde scimus nonnullas Gentes commercii expertes, quasdam commercia respuentes, vel saltem respuere potentes, siquidem emolumentis, vitæ commodiori solummodò aptis, carere velint. Neque quis dicat, quòd commercii libertas, *verè innoxia* & ementi *necessaria*, vendentique *utilis* pertineat ad officia humanitatis. Nam etsi aliqua forsan, particularis, & quarumdam mercium, fundata in vera necessitate, siquidem innoxia sit, fundari possit in amore æquitatis naturalis, non tamen potest *universalis*, respectu omnium Gentium, & quarumcunque mercium, fundata in sola utilitate, quæ regulariter, omni periculo, saltem privato vendentium, aut ementium haud vacat.

Ratio posterioris asserti est, quia commercii ratio *proximè*, & *formaliter* fluit *ex ordinatione rationis*, *longævo Gentium usu firmata ad Gentium*, *quà talium felicitatem* pub-

publicam: siquidem Nationes, è rationis ductu, agnovêre hoc medium esse sublevandæ necessitati, & promovendæ commoditati, ac felicitati publicæ quàm opportunissimum.

III. *Jure Gentium inducta est commercii libertas, non qualiscunque, sed societatis humanæ fini accommoda, hoc est, mutuæ Gentium necessitati, atque utilitati intenta.* 2. *Quod jus, etsi absolutè mutabile sit, mutabile tamen non est pro cujusvis Gentis arbitrio.* 3. *Neque propriè mutatum est hactenus, uti minùs propriè asserunt nonnulli, etsi mutatis circumstantiis restrictionem variam subierit.* 4. *Unde manentibus antiquis circumstantiis, etiamnum in primo robore perseverat.*

Ratio asserti 1. est: quia, *cessante mutua necessitate atque utilitate*, cessaret finis commercii liberi, adeóque & jus, in hoc fine fundatum à Gentibus.

Ratio asserti 2. est: quia jus Gentium non dependet à simplici Gentium voluntate, privatóque qualicunque incommodo, sed *ab ordinatione rectæ rationis*, per usum roborata, directáque ad Gentium felicitatem publicam.

Ratio asserti 3. est: quia jus commercii nunquam à Gentibus sublatum per abrogationem vel dispensationem, *manentibus iisdem circumstantiis mutuæ necessitatis, seu utilitatis*, etsi *mutatis circumstantiis mutuæ utilitatis*, ob justos timores, seu pericula propriæ securitatis, *materia restricta*, & *à lege exempta*, adeóque jus *materialiter* mutatum dici possit.

Ratio asserti 4. est: quia tota mutatio, quam subiit commercii libertas, fuit ob mutatas circumstantias primævæ utilitatis, quatenus ob varias causas, emergentia pericula, ac præjudicia, *materialiter* restricta est; sub quibus circumstantiis nunquam erat jure Gentium inducta.

IV. *Gens genti jure prohibere nequit, ne ad exteras Gentes liberas, hoc est, prohibenti nullo jure subjectas, per vastum Oceanum navigatum eat, & cum iis commercia colat.* *Ratio est*: quia commercii libertas est juris Gentium, vastúsque Oceanus nullius dominio subjectus, nec præjudicium commercii proprii, cum illa Gente habiti vel habendi est ratio sufficiens prohibitionis, eò quòd finis commercii liberi sit utilitas *publica*, neque alienum commodum juri alterius Gentis *æqualis* obstare possit, cessatione lucri indebiti *pro damno* haud reputanda.

V. *An transvectio mercium in liberas ditiones, per territorium alienum, seu terrestre seu maritimum, sit jure Gentium libera, non adeò est expeditum.* Illud sat contestatum, quòd *jure* prohiberi possit transvectio *armata*, immò & inermis *periculosa*, statuique publico *incommoda*. Item *verè innoxia*, siquidem sit *in mera utilitate* fundata, saltem suo modo per jus stapulæ, & vectigalia: eò quòd commodum, nulli debitum, quis sibi priùs attribuere possit. Transvectio tamen, si esse possit *verè innoxia*, fundarique *in vera necessitate* spectaret ad æquitatem naturalem, obligatétque ad officia humanitatis. 2. An transvectio, *verè innoxia*, ob solum præjudicium commercii cum ea ipsa libera Gente impediri possit, controvertitur: negat *Grotius*, in favorem commercii, societati humanæ tam commodi; affirmat *Puffendorfius* in favorem territorii proprii, per quod negare transitum toties licet, quoties ratio emolumenti proprii exigit. Nos extra casum necessitatis, vel æqualis lucri transitum concedentis ex pari cum illa ipsa Gente commercio, *Puffendorfio* suffragamur. *Instruct.* 1. §. 3. Q. 5.

Leucotheus. *Quinam modi acquirendi dominii, & quonam jure fundantur?* *Modi acquirendi dominii.*

Melander. I. Alii sunt *originarii*, quibus acquiruntur *res*; alii *derivativi*, quibus dominium *transfertur*. Inter *originarios* est *occupatio*, rerúmque *divisio*: de occupatione controvertitur. Nam

II. *Sunt cum Isoblesio, qui occupationem formaliter & immediatè ex naturæ jure derivant.* *Ratio* affertur, quòd natura non solùm *concesserit* usum communem *rerum nullius*; sed & *præceperit*, ut nè quis ab occupatione, usúque rerum ejusmodi impediatur. Sed

Contrà est: etsi jus naturæ *præceperit* non impediendam appropriationem, non tamen *præcepit* modum appropriationis determinatum *per occupationem*, cùm *simpliciter* necessarius non sit, sed existentibus pluribus, jus æquale habentibus, *per divisionem*, *sortitionem* &c. haberi possit.

III. Sunt cum *Hertio*, qui appropriationem rerum communium fundant *in occupatione*; hanc verò *in facultate*, quam *à Deo concessam munit socialitas*. *Ratio* affertur, quod consensus aliquis Gentium videatur gratis esse requisitus; cùm dominium non dicat necessariò *exclusionem aliorum ab ista re*, sic ut supponat plures *uno* homines. Sed

Contrà est: hæc *facultas munita* ad captum aliter explicari haud potest, nisi dicatur esse facultas, *societatis humanæ instituto saltem tacito*, *seu Gentium usu* circa modum appropriationis *munita*. Unde licèt dominium proprietatis *in se* non quidem *necessariò* dicat aliorum exclusionem *actualem*, dicit tamen potentialem, quale etiam in *Adamo* solitario dabatur.

IV. Sunt cum *Puffendorfio*, qui ad originariam acquisitionem proprieta-

tis, atque dominii humani, *inſtitutum Gentium* requirunt, *pacto tacito* vel *expreſſo* fundatum. *Ratio* aſſertur 1. Quia juxta communem Moraliſtarum *proprietas rerum* non eſt a natura, utpote *ſeparabilis*, ſed ex inſtituto, ac jure Gentium. 2. Quia felicitas ſocietatis humanæ non exigit *ſimpliciter* hunc *determinatum* acquirendi dominii modum *per occupationem*, cùm alius æque ad hunc finem appoſitus eſſe poſſit. 3. Quia poſita æquali hominum facultate primæva in res nequit intelligi, quomodo per *ſolam occupationem* cæterorum facultati æquali præjudicare poſſit, niſi ipſorum aliquo conſenſu id fuerit introductum.

V. Nos *Puffendorfii* ſenſa probamus, eo tamen diſcrimine, quòd non *pactionem aliquam tacitam*, ſed *ordinationem rationis humanæ*, longævo uſu, velut tacita conſenſûs mutui poſſeſſione introductam, & à Deo, Gentium ſupremo Gubernatore, firmatam adſtruamus.

VI. Porrò *occupatio* dicitur *apprehenſio rei cum animo eam habendi, ut ſuam*: unde *res nullius cedit occupanti*. Res *immobiles* occupantur vel *per univerſitates* à pluribus, vel *per fundos* à ſingulis. Res *mobiles* occupantur vel per *inventionem* vel per *venationem*, quæ etſi ſit juris naturalis permiſſivi, reſervari tamen Principi poteſt *ſpeciali jure*, juſtis ſuffulto cauſis, quas inter tranquillitas, ac utilitas publica, recreatio Principis, vel potiùs populi conſenſus tacitus, uſúſque Principum longævus, præſcriptionis titulo firmatus. *Inſtruct. II. §. 1. Q. 1.*

Modi transferendæ proprietatis.

Leucotheus. Quid de modis acquirendi dominii derivatis, maximè quæ conſiſtunt in facto, hoc eſt, de pactis, atque contractibus memorabile, quò ad jus naturæ, & Gentium?

Melander. I. Modi, quibus proprietas in alios *derivatur*, habentur partim *à facto*, ſeu voluntate dominium transferentis, & acceptantis; partim *à lege* ſeu diſpoſitione juris, quandoque dominium, *invito quoque Domino*, transferentis. Ad priores refertur *contractus & pactum*; ad poſteriores *ſucceſſio ab inteſtato*, *uſucapio* atque *præſcriptio*.

II. *Modi transferendi dominii in facto, regulariter loquendo, non profluunt à jure naturæ, niſi merè negativè. 2. Remotè, & in genere habentur à jure Gentium 3. Proximè & in ſpecie oriuntur à jure civili, tam quò ad ſubſtantiam, quàm quoad formam. 4. Etſi obligatio illorum ſit juris naturalis, propriè talis, ſeu poſitivi.*

Ratio aſſerti quò ad 1. eſt: quia ſicut ipſum dominium, ſeu proprietas rerum, non eſt medium *determinatè* exigitum ad felicitatem, naturæ rationali propriam; ita nec translatio dominii, multò minùs modi ejuſdem transferendi, cùm uſus rerum ad ſuſtentandam vitam *ſimpliciter* haberi poſſet, ſtante etiam rerum communione. Neque dicas, quòd *ſuppoſita naturæ corruptione, hominúmque multitudine*, uti rerum appropriatio ita proprietatis translatio *per modum ſaltem indeterminatum*, ſit *ſimpliciter* neceſſaria, adeóque de jure naturæ propriè tali. Nam nec appropriatio, uti dictum, multò minùs translatio proprietatis, per modum qualemcunque, probatur eſſe medium *unicè* & determinatè neceſſarium, cùm etiam in caſu particulari ſummæ neceſſitatis, reviviſceret naturæ jure, *primæva rerum communio*, medium *abſolutè* ſufficiens, ne natura deficeret in neceſſariis.

Ratio aſſerti quò ad 2. eſt: quia facultas transferendæ proprietatis *determinatè* per *pacta*, ſeu *contractus*, non fluit ex naturæ jure, ùt dictùm, ſed neque fluit *ex ſolo jure civili*, quia recepta eſt per obligationem reciprocam, non *in particulare bonum* ſolummodò cujuſlibet Gentis, ſed in *commune* totius ſocietatis humanæ, ratione ſuadente, utilitate, ac neceſſitate publica id exigente, adeóque fluit propriè *ex jure Gentium.*

Ratio aſſerti quò ad 3. eſt: quia pacta *in ſpecie*, ſeu modi paciſcendi *per locationem, commutationem, emptionem* &c. per hanc vel illam formam, non reſpiciunt *primariò* communem Gentium utilitatem, cujus nil intereſt hic vel ille modus *determinatus*, ſed reſpiciunt privatam potiùs Gentis cujuslibet neceſſitatem, atque commoditatem, adeóque fluunt *ex jure civili.*

Ratio aſſerti quò ad 4. eſt: quia fides tam privata, quàm publica in pactis, atque contractibus eſt *poſitivè exigita ab amore proximo naturaliter debito, ſeu ad felicitatem, ſocietati humanæ debitam ſimpliciter neceſſario*; ſecùs enim rueret commercium omne inter mortales, ùt patet.

III. Circa contractus, *ſpectato naturæ jure*, requiritur mutuus conſenſus, ſufficienter manifeſtatus, in contrahentibus verò capacitas, alterutrô deficiente, vel ſi materia ſit de ſe mala, vel in malum finem intenta, ſi interveniat error, vel dolus circa ſubſtantiam contractus redduntur invalidi. An vis & metus naturæ jure invalidet pacta, dicetur infrà. An pactum *de facto turpi*, ſiquidem jam ſit impletum, *naturæ jure* ſit validum, pariátque obligationem ſolvendi pretii v. g. *pro uſu corporis fornicario*, controvertitur. Affirmantes ſupponunt pactum *æquivalenter duplex*, *abſolutum* de re illicita, & *conditionatum*, de ſolvendo pretio poſt opus illicitum: hoc obligare

ajunt

ajuste, quia conditione turpi jam impleta, licitum est dare pretium ob periculum se se prostituentis, obligatione fluente ex consensu, *in consequente* conditionem turpem. Negantes reponunt, quòd ejusmodi pactum, *æquivalenter duplex*, sit gratis confictum; quòd, consensus nulliter positus convalescere non possit præcisè per hoc, quòd cesset causa nullitatis extrinseca. *Nos ejusmodi pacta, naturæ jure invalida dicimus. Ratio est*: quia pactum de re inhonesta *eodem modo* obligaret ad pretium ac de re honesta, id quod videtur præjudicare *fini*, à natura intento in irritandis pactis inhonestis, ne scilicet *per valorem præbeatur peccatis illicium*: atqui si convalescerent pacta facto turpi impleto, foret *æquale*, vel etiam *majus illicium*, quàm si priùs valida jam fuissent. *Instruct. II. §. 1. Q. 2.*

Modi transferendæ proprietatis per legem, præsertim de successione ab intestato.

Leucotheus. Quid de modis acquirendi dominii derivativis, maximè qui consistunt in lege, & præprimis de successione ab intestato memorabile, spectato naturæ jure & Gentium?

Melander. I. Translatio dominii per legem alia est *mortis causâ*, alia *inter vivos*; illa fit *per successionem ab intestato*, & suo modo etiam per *testamentariam* voluntatem; hæc per *contractus*, vel *per usucapionem* atque *præscriptionem*.

II. *Successio ab intestato nil participat de positivo jure naturæ. Ratio est*: quia translatio dominii fieri nequit, nisi dominio existente: atqui post mortem Domini dominium ejus ampliùs non existit, *eò quòd mors omnia jure solvat*.

2. *Unde simpliciter loquendo habetur à jure Gentium, quò ad modum fluit à jure civili. Ratio* prioris est, quia ejusmodi successionem exigit felicitas publica, ne bona maneant incerta, litibúsque exposita. *Ratio* posterioris est, quia *modus successionis* non tam spectat ad felicitatem Gentium *publicam*, quàm *privatam* cujusvis Reipublicæ.

III. *Translatio dominii* per ultimam voluntatem, quæ est *declaratio voluntatis* de bonis post mortem, *salvo in vivis dominio*, non fluit à jure naturæ, vel Gentium, nisi *merè negativo. Ratio est* 1. Quia jus naturæ neminem obligat ad ejusmodi dispositionem, absolutè haud necessariam, sufficiente successione ab intestato; neque validare possit dominium per mortem exspirans, uti dictum. *Ratio est* 2. Quia testamentaria dispositio *proxime* non spectat bonum Gentium, cui sufficit successio ab intestato, sed *per se*, & *principaliter* spectat bonum & favorem testatorum, quorum interest testatos potiùs, quàm intestatos decedere.

IV. *Opposita soluta nil movent.* Nam *si dicas* 1. Quòd testamentaria voluntas apud plerasque Gentes, *usu longævo*, invaluerit. ℞. Hoc usu non produci obligationem, *Gentium jure* profectam; sed meram observantiam, *civili jure* firmatam, quæ jus Gentium notet, *merissimè negativum*.

Si dicas 2. Quòd voluntas testatoris maneat *saltem moraliter*, habeátque efficaciam, *sicut dispositio inter vivos*, executione tamen in tempus mortis dilatâ. ℞. *Negando paritatem*: nam hac transfertur *verè* dominium, fitque jus hæredi irrevocabile, etsi usus dominii ad vitæ terminum sit reservatus; contrà in testamentaria voluntate dominium non *transfertur* à vivo, nec *transferri potest* à mortuo.

Si dicas 3. Quòd perseverantia *moralis* testamentariæ voluntatis, etiam naturæ juri conveniat, uti denuò patet *in dispositione inter vivos*, moraliter perseverante. ℞. *Iterum negando paritatem*: nam hujus moralis perseverantia fundatur *in facto reali*; non illius: siquidem in instanti mortis, ubi nullum dominium, dispositioni ampliùs non est locus.

Si dicas 4. *Non omnia solvi morte*; uti liquet in bonis famæ, & debitis relictis, quo casu bona censentur, *saltem moraliter* propria defuncto. Nam ℞. Bona famæ sunt remanenti animæ propria: bona fortunæ transeunt à defuncto ad occupantem, *sed non sine onere*, creditoribus præstando.

Si dicas 5. Quòd intersit societatis humanæ, ne bona, post mortem relicta, fiant *quasi derelicta, litibusque exposita*, præcipuè cùm multis in casibus vel nullum vel anceps sit à civili jure subsidium. ℞. Per hoc *interesse* probari necessitatem *qualemcunque*, juris civilis solummodò indigam, sic ut *casus per accidens* nequaquam jus naturæ, vel Gentium evincant. Accedit, quòd juri naturali locus sufficiens sit *per dispositiones* inter vivos, *mortis causâ factas. Instruct. II. §. 2. Q. 3.*

Atque præscriptione.

Leucotheus. Quid tenendum de altero modo acquirendi dominii derivativo, nempe per legem præscriptionis, respectu juris Naturæ & Gentium?

Melander. I. Etsi *usucapio*, & *præscriptio* non rarò idem sonent Authoribus, utramque tamen rectè distinguit *Puffendorfius*, dum ait: *usucapio* dicitur, dum res *usu, aut diuturna possessione capitur*, atque acquiritur: *exceptio* autem, qua prior Dominus, *post usucapionem completam*, à possessore repellitur, *præscriptio* appellatur, nihilque aliud est, quàm *modus acquirendi, quo jus, vel liberationem à jure, temporis privilegio, nanciscimur.*

II. Ti-

II. *Titulus præscriptionis, quò ad præsentem formam in specie, est juris merè civilis.* Patet ex determinatione quantitatis in tempore, qualitatis in bona fide &c. jure Gentium vel naturali ejusmodi minutias non attendente.

III. *Titulus præscriptionis in genere, seu quò ad originem & substantiam, non est juris naturalis, nisi merè negativi. Ratio est:* quia hic modus acquirendæ proprietatis nec *positivè* exigitur, nec *absolutè* repugnat amori, societati humanæ naturaliter debito, eò quòd, *supposita etiam rerum divisione*, suppetat modus *per occupationem rei derelictæ*, etsi modus per præscriptionem rationi haud sit dissentaneus, immò quàm maximè conformis.

IV. *Idem titulus, quò ad originem & substantiam spectatus, & præcisus à certis temporum punctis, est juris Gentium. Ratio est:* quia fluit *ex ordinatione rationis longævo Populorum usu, Deoque societatis humanæ Gubernatore firmata, ad communem Gentium felicitatem*: secùs enim nulla haberetur satìs secura proprietas, stabilisque possessio; pax Reipublicæ diu conservari haud posset; adeóque, incertis dominiis, nullus litium bellorúmque finis foret &c. eò quòd alius titulus sæpe proferri haud possit.

V. *Quæ opponi solent, inefficacia sunt. Nam dicunt 1.* Jus Gentium nec tempus, nec titulum, nec possessionem determinat: ergo, incertâ præscriptione, incerta manerent dominia. Sed

Contrà est: Etsi jus Gentium hæc requisita non determinet *juxta præsentem formam*, determinat tamen *juxta formam*, Gentium usui *necessariam*, per tempus *immemoriale*, cuivis notum; per possessionem *bonæ fidei* &c. in derelictione tacita, vel præsumpta fundatam.

Dicunt 2. Præscriptio non foret titulus jure Gentium inductus, nisi *sit fundata in derelictione præsumpta*: atqui hæc sola sufficit ad pacem publicam, & præcavenda incerta dominia. Sed

Contrà est: etsi derelictio *verè talis* præbeat certum dominium, sufficiatque ad pacem publicam, id tamen non facit derelictio rei, *merè præsumpta*, absque præscriptione: hac enim, etsi fiat *conditio melior possidentis*, non tamen eliditur jus exceptionis, uti per præscriptionem.

Dicunt 3. Etiam præscriptio, quantumvis immemorialis, *saltem ratione bonæ fidei*, essentialiter requisitæ, patitur exceptionem, æquè ac derelictio præsumpta: ergo non reddit jus certius. Sed

Contrà est: præscriptio immemorialis, ratione possessionis pacatæ, non patitur exceptionem bonæ fidei, quæ non tantùm ex præsumptione rei derelictæ redderetur vix trahenda in dubium, sed etiam jure Gentium fieret *certa*, etsi forsan mala aliqua fides, per quoddam tempus habita, postmodùm demonstrari posset.

Dicunt 4. Nequeunt determinari signa animi, rem suam verè derelinquentis, qua tamen in derelictione præsumpta fundatur præscriptio. Sed

Contrà est: assignari solet, inter alia 1. *acquiescentia* tempore immemoriali, nulla unquam facta protestatione, etsi fieri facilè potuisset. 2. *Nulla mentio* facta in pactis, cum possessore, initis. 3. *Omissio tituli*, seu insignium respectu ditionis amissæ. 4. *Titulus* alteri datus. 5. *Negatio auxilii*, cùm ferri & potuisset, & debuisset &c. &c. *Instruct. II. §. 2. Q. 4.*

Leucothous. An Ditiones & Regna sunt alienabilia? *Uti & alienabilitate.*

Melander. I. *Sunt alienabilia variis titulis: præscriptione*, ùt vidimus, *jure belli*, titulo *emptionis, donationis, cessionis, permutationis*, aliísque contractibus, à potestatem habente legitimè factis, ut patet communi omnium Gentium usu, sensu, atque consensu. Inde

II. *Opponi solita nil evincunt.*

Opponunt. 1. Alienatio Regni non competit Regi absque Populi consensu, neque talis potestas à Populo concessa, præsumi potest. ℞. Hæc forsan vera esse in Regno *electivo*, vel *successivo*, quod *lege* defertur, non verò *patrimoniali, herili*, vel *merè monarchico*.

Opponunt. 2. Saltem in Regnis *per legem* delatis, requiritur ejusmodi consensus. ℞. Non semper requiritur *expressus*, sed sufficit *interpretativus*, saltem in casu necessitatis, vel utilitatis publicæ, quia primæva coëuntium voluntas præsumitur potiùs fuisse intenta in commodum *publicum*, quàm *privatum*. Unde ejusmodi pars Regni alienari potest, non tamen *invita* subjici alterius potestati, sed rediret ad statum primævæ libertatis.

Opponunt. 3. Regia potestas est *merè* in commodum subditorum, protectoria Regni, non domina: ergo alienandi non competit illi potestas. ℞. Potestas regia, *per legem* delata, est quidem *primariò* in commodum subditorum; non tamen potestas *herilis*, & *merè monarchica* Regnorum, in quibus Imperantium salus etiam *primariò*, etsi non *unicè* intendi potest. *Instruct. II. §. 2. Q. 5.*

Leu-

Officia ex dominio acquiſito fluentia.

Leucotheus. Quænam ex acquiſito dominio fluunt in ſocietatem humanam officia, Naturæ, vel ſaltem Gentium jure confirmata?

Melander. I. *In genere*: dominio non abutendum in contumeliam Creatoris, neque in præjudicium ſui, vel proximi. 2. Nemo in ſuo dominio turbandus. 3. Res inexhauſtæ utilitatis in communione primæva relinquendæ. 4. Res nullius primò occupanti cedendæ. 5. Rebus alienis, invito Domino, non utendum extra caſum ultimæ neceſſitatis. 6. Fides in pactis, & contractibus ſervanda, & ſic de aliis.

II. Tractant acatholici Moraliſtæ, hoc in titulo, plura de rerum pretio, de contractibus, de pactis, & interpretatione, quæ hic prætermittimus 1. Quòd de jure civili potiora hanc in tractationem concurrant. 2. Quòd acatholici in materiis civilibus, ſat curati, & emendati. 3. Quòd hæc ab Catholicis paſſim fuſè, & eruditè elimata jam proſtent.

§. 3.

§. III.

De ſummo jure Majeſtatis.

Jus ſummum Majeſtatis. Natura & proprietas Majeſtatis.

Leucotheus. Quid, quænam proprietas, & diviſio Majeſtatis?

Melander. I. Imperium ſummum una voce *Majeſtas* dicitur, éſtque juxta *Stagyritam*, *ſumma in civitatibus poteſtas.* Inde fluunt ejuſdem *proprietates:* Libertas *plena*, & *naturalis* reſpectu æqualium quò ad ea, quæ jus naturæ concernunt. 2. *Carentia Superioris* in terris: an fiduciarius nexus *deroget* huic poteſtati ſummæ, eſt controverſum. Affirmat *Vitriarius*, quia, ſaltem in cauſis ſeudalibus agnoſcit Judicem, & feloniæ crimen, ac pœnam. Negat *Grotius*, quia ſolus titulus ſeudalis non ſundat ſubjectionem, cùm deſcendat *ex pacto*, neque *per ſe* obliget *ad homagium ſubjectionis*, ſed *ad juramentum fidelitatis.* Addit, quòd in caſu ſeloniæ cognitio, ſit *arbitrio* ſimilior, quàm *judicio.* Ita illi. Illud ſat conteſtatum, *obligationem clientelarem;* ſeu *jus protectionis*, non officere poteſtati ſummæ, cùm ſolummodò caſum deſenſionis ex pacto, ſuperioritatem nullam reſpiciat. 3. *Exemptio* à legibus poſitivis humanis, *abſolutè* loquendo, non tamen *pro libitu*, poſtulante *æquitate quadam naturali*, ut ſuo exemplo, quod æquum juſtúmque, promoveant. Succeſſoribus tamen licitum anteceſſorum leges irritare, actáque reſcindere, *abſolutè* loquendo, eò quòd paris ſint poteſtatis, & ſicuti illi ſua propria, ita & iſti eorum ſtatuta mutare, ac revocare placita poſſunt. 4. *Perpetuitas* juxta quoſdam, eò quòd poteſtas *temporaria*, potiùs *precaria*, dicenda ſit. Sed refragatur *Grotius*, ſi modò poteſtas revocabilis non ſit *ad nutum*: quia rerum moralium natura ex operationibus, non verò ex tempore, deſumenda eſt. 5. *Indiviſibilitas* juxta quoſdam, id quod *in ſenſu*, *Majeſtatis everſivo*, & quò ad aliqua *certa* jura, quæ parem adſtruerent, ſat conteſtatum: *in alio* tamen *ſenſu*, & quò ad *quædam* jura, facientia ſtatum Imperii mixtum, diviſibilitatem aliquam, *abſque Majeſtatis præjudicio*, admitti poſſe alibi declaravimus.

II. Dividitur poteſtas ſumma 1. In *abſolutam*, & *limitatam:* illa nullis pactis, hæc aliquibus reſtringi ſolet *quò ad exercitium poteſtatis* ſummæ. 2. In patrimonialem, & lege delatam: illa abſoluto jure proprietatis utitur; non iſta. 3. In *civilem*, & *herilem:* illa *primariò* tendit in commodum ſubditorum; hæc *primariò*, etſi non *unicè* in commodum Imperantis. 4. In *electivam*, & *ſucceſſivam.* 5. Juxta aliquos in *realem*, & *perſonalem*, eò quòd Populus, conſerendo poteſtatem perſonæ, ſalutis ſuæ intuitu, *realem* ſibi naturali jure reſervet, nec *perſonalem* velit niſi *miniſtram Majeſtatis realis.* Refragantur alii, eò quòd Majeſtas *perſonalis*, ſubordinata *reali*, chymerica ſit, quia *ſumma*, & *non ſumma*, nec utilitati, nec ſaluti Reipublicæ commoda. *Inſtruct. III. §. 1. Q. 1.*

Origo Majeſtatis.

Leucotheus. Quænam origo poteſtatis ſummæ?

Melander. I. Origo *fundamentalis* eſt DEUS: *per me Reges regnant, & Principes imperant*, inquit per ſapientem Naturæ Author. Nam, cùm omnes ſimus naturâ æquales, alteri in alterum poteſtas eſſe ut poſſit, Deus ordinârit, vel permiſerit oportet.

II. Origo Majeſtatis proxima *in genere*, & prout notat *poteſtatem civilem ſummam*, ſeu *facultatem moralem gubernandi Rempublicam*, *immediatè* fluit à DEO. *Ratio eſt:* quia à ſingulis non procedit; neque à familiis, cùm his non competat, niſi poteſtas *meriſſimè œconomica*, non *civilis*, vel *ſumma* in alios, unà cum jure vitæ & necis. Non tamen eſt à DEO, præciſè ùt Authore naturæ, *per ſe* loquendo, & *independenter* ab omni ſacto humano, quia *abſolutè* neceſſaria non eſt naturæ humanæ, & ipſa ſocietas civilis *immediatè* deſcendit à jure Gentium.

III. Majeſtas, *relatè* ſpectata, ſeu prout *in ſpecie* reſidet penes *unum*, vel *plures*, juxta quoſdam, originem trahit

hit *immediatè* à DEO; *Rationem afferunt.* 1. Quia aliàs poteſtas ſumma, à Populo collata uni, poſſet denuò eidem auferri pro libitu, quæ ſequela eſt perniciosa. Sed

℞. dent adverſarii *neg. ſeq.* quia hæc poteſtas non *revocabiliter*, ſed *irrevocabiliter* conferri ſolet.

Rationem afferunt. 2. Quia aliàs forma *democratica* foret *immediatè* à DEO, & veluti ab ipſo conſtituta *immutabilis.* Sed

℞. *neg. ſeq.* Quia hæc poteſtas Communitati non data *poſitivè*, ſeu ùt *neceſſariò* exercenda à Communitate, ſed tantùm *negativè*, ſic ut in unum vel plures transferri poſſit.

Rationem afferunt. 3. Quia *non eſt poteſtas niſi a Deo*, uti patet in *Saule*, Pontificibus *Romanis*, ubi Eccleſia non applicat poteſtatem perſonis, ſed poteſtati perſonas.

℞. dent. Non eſſe poteſtatem, niſi à DEO *mediatè*, vel *immediatè*; exemplum *Saulis* eſſe extraordinarium; cum Pontificibus nullam eſſe paritatem, nam Pontificia poteſtas eſt *ſupernaturalis*, proveniens à DEO, *tanquam libere collatore*, antecedenter non Eccleſiæ, ſed capiti, ab Eccleſia deſignando collata, ut adeò non tantùm *in ſe*, ſed etiam, in ordine *ad ſubjectum monarchicum*, fluat *immediatè* à *Christo*, neque antecedenter ab Eccleſia limitari, minuíque poſſit. Oppoſitum contingit quò ad poteſtatem civilem, ùt patet.

IV. Alii contrà ſtatuunt, poteſtatem civilem ſummam eſſe in communitate *immediatè* à DEO, & *hac mediante* in uno, vel pluribus.

Rationem afferunt. 1. Quia, *præter communem* Theologorum, ac Jurisperitorum, ſuppoſitâ civitate, *ſimpliciter* neceſſarium eſt, ut illa ſit ſibi ſufficiens ad exiſtendum, hoc eſt, ad ſui conſervationem, defenſionem, ac directionem: ergo *competens* poteſtas, hoc eſt, *ſumma*, ex tali corpore fluit, *quaſi proprietas propria*, communicata *immediatè* ab Authore naturæ, non deficiente in neceſſariis.

Rationem afferunt. 2. Quia *ſimpliciter* neceſſarium non eſt, ut talis poteſtas *determinatè*, ſit penes unum è corpore, vel penes plures; ergo forma regiminis non eſt proprietas naturalis, *immediatè* fluens ab Authore naturæ, ſed eſt juris humani, eſt proprietas quædam moralis *immediatè* manans à communitate.

V. Illud, hac ex parte, eſt conteſtatum, quòd ipſum exercitium ſummæ poteſtatis per aliquem modum, *indeterminatè ſumptum*, ſit juris naturæ. Nam ſicut exercitium poteſtatis ſummæ, ita & *modus aliquis* ejuſdem exercendæ *ſimpliciter* eſt neceſſarius: non enim poteſtas ſumma, ùt eſt à natura *in ſingulis communis*, moraliter exerceri poſſet in ſingulos, cùm ſingulorum conſenſum *in actibus ſingulis* habere, magnámque multitudinem in idem placitum convenire, *moraliter impoſſibile* ſit. Unde alia longè eſt ratio *Democratici ſtatûs*, ùt notat exercendæ poteſtatis ſpecialem formam, *ſolo jure poſitivo inductam*, ubi poteſtas ſumma ſic eſt penes univerſitatem, ut obligatio parendi ſit penes ſingulos; ubi ſtatuta firmantur per vota majora, & ſic de aliis. *Jura Majeſtatis.*

VI. Hac ex parte in errores varios abeunt proteſtantici Moraliſtæ. V. G. *Grotius* originem poteſtatis ſummæ alicubi *ordinationem humanam* vocat; *Puffendorfius* originem *immediatam* deducit ex pactis; *Maſius* à DEO; quam ſententiam commendat, *tanquam Lutheranæ religionis præcipuam*, ſic ut ſcripta *Thomaſii* oppoſita, *Hafniæ* per carnificem, Authoritate Regiâ publice concremârit. *Vitriarius* ſingularem procudit ſententiam, dum ait: *Populus nunquam conceſſit poteſtatem Regi, quam nunquam habuit, ſed ſolus DEUS; Populus liber Regem ſibi eligendo, inter manus DEI, à quo proximè accepit, eam reſignat, qui, poſtquàm à Populo Rex eſt electus, eam Regi confert.* Hæc, ùt jacent, & *antiloga* ſunt & *paradoxa. Inſtruct. III. §. 1. Q. 2.* *Titulus 3.*

Leucotheus. Quale ſubjectum & objectum Majeſtatis poteſtatis ſummæ? *De bello.*

Melander. I. Majeſtatis *ſubjectum* aliud eſt *mediatum*, aliud *immediatum.* Illud eſt *communitas*, quatenus *in ſe ſpectata*, ſemper exigit poteſtatem ſummam, *veluti proprietatem*, *ſibi naturaliter competentem*; iſtud eſt perſona *phyſica*, vel *moralis*, hoc eſt, unus vel plures, in quos, nulla ſibi reſervata parte, Majeſtatem omnem tranſtulit civitas. *ſubjectum, & objectum.*

§. 1.

Natura ac proprietates belli.

Eſſentia belli, atque diviſio.

II. Majeſtatis capax eſt omnis homo, quem natura, ſpecialis lex, aut conſuetudo non repellit. An natura repellat rationis uſu carentes, quales infantes &c. eò quòd cenſeantur *ſimpliciter* inepti ad regimen, per plures diſtinctiones determinant Authores. Muliebrem ſexum admittit non infrequens experientia, quam, naturæ juri oppoſitam, nemo facilè dixerit.

III. *Objectum* Majeſtatis aliud eſt *primarium*, aliud *ſecundarium.* Illud complectitur ſubditos *propriè tales*, quales ſunt cives, Landſaſſii, peregrini ære alieno, aut crimine, in loco commorationis obſtricti. Iſtud *ſecundarium*

ritorium notat, in quo stat præsumptio pro juribus Majestatis. In alieno territorio manet Principi hospiti *dignitas Majestatis*, quò ad honores &c. quia characterem vicariæ dignitatis Divinæ ubique circumfert. *Instruct. III. §. 2. Q. 3.*

Jura Majestatis. *Leucothеus. Quænam sunt jura summæ potestatis?*

Melander. I. Summa potestas, *tanquam totum potestativum*, sub se continet varia jura, veluti totidem particulas Majestatis. Horum alia sunt *majora*, seu regalia intrinseca; alia *minora*, seu extrinseca: illa sunt regiæ potestati indispensabiliter connexa; hæc etiam aliis communicabilia: illa spectant potestatem tuendi Rempublicam; hæc verò subsidia, ad eam tuitionem requisita; utrorumque *finis* est interna & externa *Status tranquillitas*. Unde Regum potestas non est exlex, atque despotica, *qua quod libitum licitum*, sed commensurata fini, hoc est, *saluti Reipublicæ*.

II. Unde fluit officium Regum *primarium*, ut civitas, *internè* pariter ac *externè*, secura atque tranquilla fit. Quò ad securitatem *externam* conservanda *pax*, vel per *bellum* reparanda: inde nascitur jus Majestaticum *pacis*, ac *belli* cum juribus connexis, item jus *fœderum*, *Legatorum* &c. Quò ad securitatem *internam* conservanda, fovendáque *una*, & *unicè vera* religio: unde *jus sacrorum* in protegenda Ecclesia, adjuvando Ecclesiastico Ordine, ac cunctis hæresibus præcavendo, novatoribus maturè suppressis, atque eliminatis. Habenda itidem *cura justitiæ* statutis legibus, erectis judiciis, ac magistratibus, propositis pœnis ac præmiis: unde hæc jura Majestati sunt propria, uti & alia plura, quæ necessitates publicæ sibi expostulant, qualia sunt *jus tributorum*, & *vectigalium*; jus dirigendi *commercia*, *opificia*; jus cudendi monetam, instituendi nundinas, ordinandi contractus, definiendi rerum pretia, constituendi pondera, mensuras, erigendi scholas, Academias, regulandi civium societates atque collegia, & sic de aliis. *Instruct. III. §. 2. Q. 4.*

Titulus 3.

TITULUS III.

De bello.

De bello, ejúsque causis, ac officiis exinde fluentibus.

§. 1.

§. I.

Natura ac proprietates belli.

De origine, natura, licentia, ac conditionibus belli.

Essentia belli, atque divisio. *Leucothеus. Quid est bellum? Et quotuplex?*

Melander. I. Bellum, sic dictum à *duello*, seu certamine inter duos, vel duas partes, dici potest *in genere* cum *Grotio* esse *status per vim certantium, quà tales sunt: Status* quidem, ut indicetur duratio; *per vim certantium*, ut excludantur forenses, aliæque contentiones; *quatenus tales sunt*, ut excludantur aliæ actiones, ad bellum non pertinentes. *In specie* bellum *justum* describi solet, *status armata contentionis, à potestate summa contra hostem publicum, legitimè ac pacis ergo, susceptus.* Per li *publicum* excluduntur duella, privatæ rixæ; per verba cætera distinguitur *à rebellione*, *excursione*, omníque bello *injusto*, quod vel à persona non legitima, vel modo, ac intentione minùs legitima suscipitur, geritúrque.

II. Bellum dividitur 1. In *justum* & *injustum* spectatâ causâ. 2. In *solenne*, & *minùs solenne* spectatis ritibus solemnitatis, jure Gentium requisitis, quos inter *denuntiatio*, saltem in bello offensivo. 3. In *offensivum*, & *defensivum*: illo hostem sive juris vindicandi, sive damni reparandi causa, invadimus: isto invasionem injustam, nostra sive bona sive jura defendendo, repellimus.

III. *Et definitio & divisio sunt satis accommoda. Ratio est.* Quia regulis justæ definitionis ac divisionis sat consonæ; neque melior in medium afferri potest. Unde definitio multiplex alia non satis legitima; divisio *Grotii* in bellum *publicum*, *privatum*, & *mixtum* analoga, nam bellum privatum magis propriè *rixa* est vel *duellum*, queis proprietates belli, atque effectus minimè competunt. *Instruct. I. §. 1. Q. 1. & 2.*

Origo belli justi.

Leucotheus. Quænam origo belli?

Melander. I. *Bellum justum, tam defensivum quàm offensivum, qualitercunque & in se præcisè spectatum, originem habet à natura, & est humano Generi coævum. Ratio prioris est:* quia defensio sui, suorúmque bonorum justa, ùt necessarium est conservationis propriæ medium contra aggressorem iniquum, cuivis est à natura insita. *Ratio posterioris est*, quia exigit natura, ne scelus maneat impunitum, & quivis se suáque possit defendere non solùm dum actu sit invasio, sed & ut post illatam injuriam, bonáque erepta, possit sua recuperare.

II. *Utrumque bellum, per se loquendo, est juris merè concessivi, seu permissivi, sic ut quidem naturæ jure sit licitum, non tamen præceptum. Ratio de bello defensivo est:* quia defensio & conservatio sui, ac suorum bonorum, *saltem quò ad modum violentum*, cum occisione aggressoris injusti, uti amori, sibi & proximo naturaliter debito non est *absolutè* difformis, ita nec est *absolutè* exigita, cùm salva maneat *substantialis* felicitas quò ad animam, neque defensio semper *possibilis* sit, vel etiam *de meliore bono*, sufficiente licentiâ ad præcavenda incommoda, ne scilicet natura sit exposita hominum injuriis & rapinis cum præjudicio Generis humani. *Ratio de bello offensivo* est: quia punitio sceleris, vel vindicatio sui, ac suorum bonorum, *saltem quò ad modum armatum*, non est *determinatè* requisita ab amore necessario, cùm læsi Principes possent absolutè, in causæ arbitros, compromittere, præterquàm quòd sufficiat sola quoque vindicationis licentia, naturæ jure concessa.

III. *Bellum, non qualecunque, sed publicum ac solemne, spectatum præcipuè quò ad formam, sive modum usu receptum, seu defensivum seu offensivum, est solummodo juris Gentium. Assertum* patet partim *ex conditionibus*, requisitis ad bellum, qualis *denuntiatio, armorum conditio*, ne veneno infecta sint &c. partim *ex effectibus belli*, V. G. jus redigendi captos in servitutem, jus direptionis &c. qui juri naturæ, *eodem modo*, convenire non possunt.

Si dicas contra assertum. 1. Quòd bella initium sumere haud potuerint *ante rerum divisionem, & multiplicatas Gentes*, ut adeò eorum origo humano Generi *coæva* dici haud possit. ℞. Bellum, *spectato jure Naturæ concessivo recuperandi sua*, si quando forent per vim erepta, esse potuit ante rerum divisionem, etsi exercitium juris, *defectu occasionis*, longè pòst sese exeruerit.

Si dicas contra assertum. 2. Quòd bellum privatum sit antiquius publico, adeóque hoc *simpliciter* sit juri Gentium tribuendum. ℞. Etsi bellum publicum sit forsan serius privato *quò ad effectum*, non tamen serius est *quò ad jus*, etsi usus *per accidens* non semper fuerit. *Instruct. I. §. 2. Q. 3.*

Leucotheus. Quænam origo belli injusti? *Et injusti.*

Melander. I. *Origo belli injusti est humano Generi coæva, descendítque à corruptione naturæ lapsæ, à peccato, omnisque peccati ac inimicitiæ authore dæmone. Assertum* est S. *Augustini*, qui originem *nocendi cupiditati, ulciscendi crudelitati*, & *libidini dominandi* adscribit. Inde cœpit cum *Caino, Nembrodo*, & aliis tyrannis teste *Conzenio*.

II. Si *Lucretio* fides, pugnatum initio manibus, unguibus, dentibus; subin fustibus, & lapidibus; demum omni genere armorum, quorum inventio debetur humano ingenio, in suas clades malè acuto, ac perspicaci. *Instruct. I. §. 2. Q. 4.* *Conditio[nes] belli.*

Leucotheus. Quænam licentia belli in genere? *Licentia belli.*

Melander. I. *Bellum ex natura sua, jure naturæ & Gentium, immò & Divino antiquo est licitum. Ratio quò ad 1. est*: quia fundatur in legitima sui defensione. *Ratio quò ad 2. est*: quia est necessarium mediũ ad tuendam Rempublicam, repellendos hostes, & reparanda damna illata. *Ratio quò ad 3. est*: quia Deus ipse leges generales *de modo gerendi belli*, Populo suo præscripsit, sic ut liber Deuteronomii *liber bellorum Domini* audiat.

Si dicant Manichæi, quòd omne bellum sit paci & amori naturali oppositum; sit causa cædium, ac damnorum, quæ etiam justam habens causam, impediri cùm possit, hoc ipso debeat.

Contra est: Hæc quidem vera sunt de bello *injusto*, non autem *justo*; in quo nulla obligatio impediendi damna, quia aliàs obligatio foret impediendi justitiam publicam; daretur occasio majoris mali; immunia redderentur latrocinia

II. *Bellum de se est etiam licitum jure divino novo, seu Christiano. Ratio est* 1. Quia non potest ostendi lex ulla sublativa juris antiqui, ac naturalis. 2. Quia fundatur etiam in testamento novo, *S. Joanne Baptista*, non jubente militibus, consilium salutis petentibus, *arma deponere*, sed *justitiam in iis servare* &c. 3. Quia fundatur *in Patribus*: dicente S. *Ambrosio, non militare delictum est, sed propter prædam militare.* 4. Quia fundatur *in ipsa ratione*: nam si homini privato licitum vim injustam vi repellere, cur id non liceat Principi *Christiano*? si huic licitum defendere pacem inter-

nam

nam ferro contra malefactores, cur non etiam externam bello contra hostes? 5. Quia fundatur denique *in ipsa experientia* qua constat, quòd Deus sæpe bella justa adjuvet non adjuturus, si omne bellum foret illicitum.

III. *Quæ replicari solent, non stringunt.* Nam 1. Textus quidam S. Scripturæ ex Evangeliis; ex SS. Patribus; uti & nonnulli Canones, ritè intellecti, non volunt *Christianis* bellum esse prohibitum *per se*, susceptum authoritate publica, & causâ legitima; sed quandoque *per accidens*, respectu habito ad circumstantias; vel loquuntur solùm *de consilio*, aut etiam *ultione privata*, uti colligere est ex contextu. 2. Bellum opponitur quidem *paci*, tanquam effectui charitatis, sic tamen, ut etiam sit *medium ad pacem*, neque bellum legitimè susceptum est *effectus odii* sed *justitiæ* etiam vindicativæ: unde pax debet esse *in voluntate*, bellum *in necessitate. Instruct. l. 5. 3. Q. 5.*

Conditiones belli.

Lencorheus. Quænam conditiones ad belli justitiam requisitæ?

Melander. I. *Inter primas est summa potestas. Ratio est 1.:* Quia bella, spectato Naturæ jure, non nisi *necessitate* inducta, eoque solùm ex fine permissa sunt, ut ii, qui Judicem non habent, jus atque justitiam consequi valeant. 2. Quia bellum illaturus agit Judicem *in propria causa*; sibi administrat *justitiam, injuriæ vindicativam*; exponit Rempublicam magno periculo: atqui hæc omnia non competunt, nisi summæ potestati. 3. Quia bellum illaturus alteri potestatis subordinatæ tenetur priùs experiri viam juris, quæ medium *ordinarium, paratum*, atque *pacificum*. Hinc bellum, etsi legitimâ causâ susceptum, defectu tamen authoritatis summæ fit illegitimum, neque solùm contra *charitatem*, sed etiam *justitiam*. Hæc tamen intelligenda sunt *regulariter*, nam excipitur casus *denegatæ justitiæ*; potestatis subordinato *delegatæ, præscriptionis* vel *pactionis* factæ; incidentis *summæ necessitatis* &c.

II. *Altera conditio est causa justa. Ratio est:* Quia bellum est modus *defensionis* ac *vindicationis* gravissimus, malorumque pessimorum illativus. Unde requiritur causa *gravis* & *certa* respectu Principis, neque solùm *suasoria*, quæ, teste *Grotio*, movet *sub sola ratione utilis*, abstrahendo, an simul justum sit, quod utile creditur. Dictum *respectu Principis*; nam alia ratio militum, quibus parere necessum, nisi aliunde certò constaret injustitia belli. Ex quibus fluit, *bellum non temerè, sed maturo consilio suscipiendum esse*, eò quòd medium sit nimis periculosum, extraordinarium, Reipublicæ nimis præjudiciosum ac conscientiæ Principis nimiùm onerosum.

III. *Tertia conditio est recta intentio. Ratio est*: quia bellum permissum non est, nisi, *ut necessarium medium*, ad recuperandam pacem, aut exercendam justitiam, injurias vindicando, aut amissa recuperando: unde alio fine susceptum, faciet bellum illicitum. Hæc tamen conditio non respicit *justitiam belli*, uti duplex prior; sed solummodò *licentiam belli*. Ex quibus Colligitur 1. Quòd oblata plena satisfactione, cessare debeat bellum, etiam cœptum, non modò *titulo charitatis*, ut patet, eò quòd bellum sit gravissimum supplicium; sed etiam titulo justitiæ, saltem probabiliùs, eò quòd bellum sit *solius necessitatis*, adeóque cessante injuria cesset etiam justa causa.

Colligitur 2. Quòd, deficiente vel unica conditione, bellum fiat *injustum*, vel saltem *illicitum*.

IV. *Inter conditiones belli legitimi, saltem offensivi, regulariter non tam naturæ, quàm Gentium jure requisita est etiam diffidatio prævia, seu publica belli denuntiatio.* Dicitur *offensivi*: nam defensivum, teste *Platone, a natura indicitur.* Dicitur *regulariter*: non enim opus est denuntiatione apud hostem perpetuum, rebelles, proscriptos, induciis elapsis in ferendis auxiliis, si periculum sit in mora, nulla spe, vel aliâ viâ suppetente. Dicitur, *non tam naturæ jure*, quia, *spectato naturæ jure*, bellum satis denuntiat facta injuria nec remissa; interpellatio debiti frustrata; injusta detentio ditionis alienæ &c. sic ut amori, naturaliter debito, ac ad felicitatem, atque securitatem Societatis humanæ necessario, satisfiat abundè, etsi & *molliora media priùs tentanda* præcipiat natura, antequam gravissimum belli medium arripiatur, utique non arripiendum, *nisi cogente necessitate.* Dicitur denuntiatio *jure Gentium* requisita, quia longævo Gentium usu inducta ad Gentium publicam felicitatem, sic ut omissa diffidatione non bellum, sed *latrocinium*, invasor verò *proditor* esse dicatur à legibus: inde noti sunt varii ritus, observati à variis Gentibus, cùm bellum hostibus denuntiarent.

V. *Ad bellum denique justum ex integro requiritur etiam modus legitimus, sic ut ritè suscipiatur, ritè geratur, ritè finiatur.* De primo constat ex dictis; de 2. & 3. constabit ex dicendis. *Ratio est*: quia bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. Unde arma legitima sint oportet, non veneno infecta; nec hostis veneno tollendus; nec aqua intoxicanda &c. quæ tamen omnia

non nisi *ex jure Gentium* fluunt. Clerici à bello removentur à jure Ecclesiastico ob statûs sacri eminentiam, *Instruct, I. §. 4. Q. 6.*

§2. *Justitia belli ratione religionis.*

§. II.

De justitia belli ratione religionis.

In genere.

Leucotheus. An, quando, & quomodò inter justas belli causas, est habenda religio, seu propugnanda, seu propaganda?

Melander I. *In genere licitum est bellum, merè defensivum, pro gloria DEI, seu ratione fidei, ac veræ religionis.* 2. *Immò orthodoxis Principibus, ex supremæ protectionis officio, obligatorium.* Notandum hìc religionem non sumi pro cultu Numinis merè spirituali, sed pro cultoribus religionis causâ vim sustinentibus & defensionis capacibus. *Ratio prioris asserti* est authoritas tam sacra, quàm profana, qua ejusmodi bellatores, Imperatores, ac Reges, laudatos legimus, cui accedit jus naturale, Divinum, ac humanum, quo licitum vi vim injustam repellere, præcipuè quæ *veræ religionis causâ* hominibus infertur. *Ratio posterioris est*, quia Reges, ac Principes sunt constituti *Nutricii Ecclesiæ*, ac Defensores, obligati ad defendendos fideles, ut non modò vitam *tranquillam*, sed & *in omni pietate queeam* ducere valeant, teste Apostolo Gentium.

II. *Quæ opponi solent, inania sunt. Nam* 1. Etsi *necessaria* non sit armata defensio veræ religionis spectatâ Dei potentiâ, sibi utique sufficientis, necessaria tamen esse potest, spectata DEI sapientiâ, Principes, ùt Ecclesiæ suæ Defensores, sibi subordinantis. 2. Textus, mandata *Christi*, & exempla, in speciem opposita v. g. *mitte gladium in vaginam, nolite resistere malo* &c. intelligenda sunt vel de defensione, ac vindicatione privata, vel de consilio, ac virtute patientiæ. 3. Confidentia, in DEO reponenda, non est opposita humanis auxiliis, etiam armatis, sed conformis est, ut ne præfidentia dici possit. *Instruct. II. §. 5. Q. 1.*

Justitia belli religionis in specie respectu Infidelium, præsertim verò Turcarum.

Leucotheus. Quidnam sentiendum in specie, de justa belli causa, ratione religionis?

Melander. I. *In specie licitum est bellum religionis defensivum contra infideles quoscunque. Ratio est*, quia licitum *in genere*, adeóque *à fortiori* contra infideles, Christiani nominis hostes.

II. *Præcipuè licitum est contra Turcas, & alios, ditionum, quæ olim Christianæ fuerant, iniquos usurpatores.* Ita contra *Conringium*, thesi opposita Muselmannis patrocinantem. *Ratio est*, quia, *abstrahendo à specialibus pactis*, suppetit jus recuperationis legitimæ de malè abreptis, & *per juratos Christiani nominis hostes*, absque ulla præscriptione malè detentis.

III. *Replicæ sunt inefficaces.* Nam 1. Si dicat *Lutherus*, quòd *Turcæ* sint *flagellum Dei*, cui non licet resistere, DEO resistentiam per tot infaustos exitus in sacris expeditionibus sibi invisam contestato. ℞. Flagella Dei repelli posse testantur *Gedeones, Othonieles*, aliique Judices, utpote ab ipso Deo suscitati, ut ea repellerent. E sinistris eventibus colligi nequit adversa Dei voluntas, utpote qui sequuntur sæpe *per accidens*, & ex aliis causis, uti patet in ipsis expeditionibus sacris.

2. Si idem dicat, quòd Ecclesiæ utilior sit persecutio, quàm tranquillitas, Deo *Judæos* monente per *Jeremiam* ne resisterent *Nabuchodonosori*. ℞. Non *semper* esse utiliorem, quia sæpe *periculosam*, monente *Christo*, ùt oremus, *ne intremus in tentationem. Nabuchodonosori* resistere *Judæi* non poterant, eò quòd Deus ob eorum scelera, hos eos jure privârit.

3. Si dicas cum *Conringio*, *Christianis* jus belli ampliùs haud superesse respectu terræ sanctæ, eò quòd ipsis longa, justáque possessio suffragetur, neque sola religio justum belli titulum tribuat. ℞. *Abstrahendo à specialibus pactis*, jus naturæ superesse *Christianis* quo licitum vindicare injuriam, & recuperare bona, injustè erepta, item quo licitum prævenire molimina, ne hostis *Christiani nominis juratus*, & in nostra damna intentus, nocere cùm semper velit, præoccupatus non semper possit. Neque iniqua usurpatio jus oppositum fundare potest, religione, tot injuriis lacessitâ, sat juris dante in hostem, *Christiani nominis perpetuum, ac juratum. Instruct. II. §. 2. Q. 2.*

Leucotheus. Quid tenendum de bello religionis in specie offensivo, contra Paganos? *Justitia belli, respectu religionis propaganda contra Paganos.*

Melander. I. *Sola religio propaganda non est legitima causa belli, Paganis inferendi ratione infidelitatis.* 2. *Unde non directè, sed solummodò indirectè adduci possunt ad veram fidem. Ratio asserti prioris est*, quia ad bellum offensivum, legitimè inferendum *ratione delicti*, requiritur jurisdictio ordinaria, vel extraordinaria *ratione illatæ injuriæ*: hæc deest in Paganos, quam non supplet sola religio juxta illud Apostoli: *quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Ratio posterioris est*, quia *indirectè* ad veram fidem infideles adducere, est iisdem per Apostolicos Viros *Christi* Evangelium prædicare, quod utique Divino jure permissum, dicente *Christo*: *prædicate Evangelium omni creaturæ.*

II. *Licitum tamen bellum in Paganos, si*

præ-

prædicationem Evangelii persecutione repellant, Prædicatores injuriis lacessant, subditósque à vera fide suscipienda avertant. Ratio est: quia injuria, partim Ecclesiæ, partim innocentibus illata, etiam jure naturali præbet titulum bello sufficientem. Ubi tamen animadvertendum, non sufficere *prætextum* defendendæ religionis, ad colorandam ambitionem, avaritiam, tyrannidem, ùt fieri, si minùs solet, saltem facilè posset.

III. *Opposita soluta nil evincunt. Si dicas* 1. Quòd ob solam infidelitatem ab *Israelitis* armis debellatæ sint Gentes. ℞. Id non esse factum jure *ordinario*, sed à Deo specialiter revelato.

Si dicas 2. Quòd hæretici ob solam Apostasiam armis compelli possint: ergo à pari. ℞. Negatur paritas, eò quòd in hæreticos sit jurisdictio, non in paganos.

Si dicas 3. Dilatationem fidei Christianæ, & conversionem Paganorum ad vera sacra esse legitimum titulum. ℞. Spe quidem legitimum respectu infidelium subditorum, non autem aliorum. *Instruct. II. §. 2. Q. 3.*

Ebisque subditos.

Leucotheus. Quid sentiendum de bello religionis in specie circa subditos infideles?

Melander. I. *Infideles subditi qualescunque, veluti Saraceni, Judæi &c. non possunt vi & armis compelli ad veram fidem directè. 2. Possunt tamen compelli indirectè. 3. Nisi obstent pacta specialiter ipsis indulta. Ratio est quò ad 1.* Quia nequeunt cogi ad fidem *internam*, eò quòd in liberum arbitrium non detur dominium, nisi à Deo, quo tamen & ipse se abdicavit: sed nec ad professionem *externam*, eò quòd talis coactio *directa* fidem *Christianam* exosam, & de tyrannide suspectam redderet, multáque alia mala secum traheret. Accedit, quòd in infideles nulla suppetat jurisdictio, quæ *directè* non ordinatur ad finem supernaturalem: & licèt Principes sint legum Divinarum custodes, *directa* tamen coactio per SS. Canones est interdicta, *siquidem ad fidem nemo cogendus invitus.* (a) *Ratio est quò ad 2.* Quia *indirecta* coactio neque justitiæ, neque ulli alteri virtuti adversatur; immò conformis est illi Evangelico *compelle*, fierique potest partim invitatione præmiorum, remissione onerum, partim negatione favorum, inflictione pœnarum, vel onerum, quæ aliàs debita, ac justa &c. *Ratio quò ad 3. est*: Quia fides in pactis etiam infidelibus servanda est.

II. *Ex his infertur 1.* Quòd, etsi subditi infideles, *ratione solius infidelitatis* pœnis *directè* coërceri, vel ejici nequeant, possint tamen, accedentibus aliis vitiis statui publico perniciosis. *Infertur 2.* Quòd eorum ritus, negotiationes, modúsque vivendi legibus & pœnis sic possint constringi, ut ne offendiculo *Christianæ* religioni esse valeant. *Infertur 3.* Quòd religio *Christiana* per se non solvat subjectionem Christianorum respectu Principum paganorum juxta illud: *subjecti estote propter Deum sive Regi, sive Ducibus*, solvere tamen possit *per accidens*: e. g. si dominium *malè* foret obtentum ejecto legitimo Principe *Christiano*; si fideles paterentur periculum perversionis &c. tunc enim Ecclesiastica potestate eximi possent, teste *Laymanno*. *Infertur 4.* Quòd canones, qui videntur *directam* coactionem adstruere, intelligendi sint *de indirecta*, eò quòd alii canones *latè* oppositum statuant. Exempla quædam ejusmodi coactionis, si approbationem ferunt, vel denotant *relapsum* in infidelitatem, vel in fidelitatem, ùt conjunctam cum aliis criminibus, publicas pœnas promeritis. *Instruct. II. §. 2. Q. 4.*

Justitia belli religionis contra subditos hæreticos.

Leucotheus. Quid tenendum ratione belli, ex causa religionis, in specie contra hæreticos subditos?

Melander. I. *Hæreticos subditos* (abstrahendo à pactis) *vi & armis absolute edomari, & ad desertam fidem catholicam etiam directè compelli posse, est communis, & vera SS. Patrum, Doctorum, ac Politicorum sententia. 2. Etiam ab acatholicorum saniore parte, praxíque roborata.* Ratio prioris est necessitas publica, eò quòd causa religionis ita conjuncta sit cum ratione statûs, ut illa turbatâ, hanc pariter turbari, testetur multiplex experientia. Accedit, quòd persequi licitum sit flagitiosos, aliósque Reipublicæ turbatores, adeóque & hæreticos, dicente *Justiniano* Imp. *quod in religionem Divinam committitur, in omnium fertur injuriam.* Authoritas Patrum, Doctorum & Politicorum fusiùs adducitur à P. *Reiffenstuel.* (b) Membrum asserti alterum probatum legere est *in nostris Collegiis historicis.* (c)

II. *Est etiam non rarò obligatio reprimendi ejusmodi novatores, maximè hæresiarchas. 2. Etiam non subditi, uno alteróve casu, per Reges & Principes debellari possunt. 3. Etsi molliora media quandoque magìs sint opportuna, ac præhabenda. Ratio quò ad 1. est*: quia restinguendi incendii, bellíque præcavendi, non alius modus est expeditior. Item: quia sæpe periculum perversionis quò ad cæteros; dissensionis in Repub-

(a) Can. *ad fidem.* 33. caus. 3. Q. 5.
(b) Jure Can. L. 5. Tit. 7. de hæreticis.
(c) P. VII. Q. 9. sect. 7. f. 630.

publica &c. *Quò ad ſecundum* patet in caſu, quo exteri conarentur etiam vicini Regni ſubditos in eandem hæreſin, ac defectionem pertrahere. Item, quo forſan in Regno prævalentes hæretici pacem turbarent, & veræ fidei exitium molirentur, tunc enim ſummus Pontifex, *ut tanquam Paſtor univerſalis*, poſſet Principi extero periclitantis Eccleſiæ tutelam, etiam armatam, committere. Primus caſus nititur jure legitimæ defenſionis, ac vindicationis; alter titulo juriſdictionis univerſalis Pontificiæ in omnes *Chriſti* fideles, qui per baptiſmum ſemel ingreſſi Eccleſiam, etſi hæretici ſint, ſeu inobedientes. *Quò ad 3.* veritas alibi ſat declarata eſt (a)

III. *Replicari ſolita nullius momenti ſunt.* Nam ſi dicant 1. Quòd hæreſis fundare nequeat juſtam belli cauſam, quia ſpiritualibus armis oppugnanda.

Contrà eſt: ſi ſpiritualia arma nihil proficiunt, etiam ſæculari brachio coerceri poteſt. Adde, quòd, *per ſe loquendo*, non tantùm turbet pacem Eccleſiæ, ſed etiam Reipublicæ, ut adeò juſtus ſit armatis mediis titulus.

Si dicant 2. Bellum non eſſe legitimum religionis reparandæ medium, dicente *Lactantio*, religionem eſſe juris Divini, *verbis, non verberibus conſtituendam*, ut ne plures *ficti*, quàm *veri* Catholici prodeant. Sed

Contrà eſt: Bellum utique non eſt medium *ordinarium*; *extraordinarium* tamen legitimis in circumſtantiis, ſi nempe media *indirecta* & *molliora* nihil proficiant. Dicta SS. Patrum, maximè *S. Auguſtini*, quæ agglomerare ſolent autonomiſtæ plus non volunt, *quàm vim non neceſſariam, & immoderatiùs uſurpatam, Evangelicæ prædicationi eſſe contrariam; zelum item, non ſecundùm ſcientiam adhibitum, plus ſæpe deſtruxiſſe, quàm ædificâſſe. Inſtruct. II. §. 3. Q. 5.*

§. 3.

§. III.

Juſtitia belli ratione Regionis.

De juſtitia ac injuſtitia belli ratione Regionis.

Cauſa belli juſta ac injuſta.

Leucotheus. Quænam cauſæ belli juſtæ, vel injuſtæ ratione Regionis?

Melander. I. Juſtitia belli *in genere* fundatur *in gravi injuria*, uti dictum initio: unde fluunt juſtæ belli cauſæ *in ſpecie*, quæ ad duplicem claſſem referri ſolent. Ad primam ſpectat *defenſio* ſui, ſuorum, regionis, Reipublicæ &c. Ad alteram *vindicatio* ſui, ſuorum, regionis, Reipublicæ &c. illa facit *retinere* ſua; hæc ſua *recuperare*: illa *præſentem*; hæc *præteritam* propellit injuriam.

II. In particulari, *reſpectu juſtæ defenſionis*, legitima belli cauſa eſt *rebellio* à ſubditis tentata, fidem, obſequium, & juſta tributa denegantibus. 2. *Protectio* ejuſmodi rebellium. 3. Hoſtilis irruptio. 4. Facta hoſti opitulatio. 5. Injuſta confœderatorum invaſio. 6. Æquitatis naturalis injurioſa denegatio. *Reſpectu juſtæ vindicationis*, legitima belli cauſa eſt 1. Recuperatio dominii, jurium, quæ injuſtè erepta. 2. Reparatio famæ, ratione irrogatæ injuriæ publicæ. 3. Vindicatio innocentum ab hoſtili captivitate, injuria &c. 4. Ultio ob denegatam juſtitiam. 5. Dei juſſio. Atque in his, & ſimilibus cauſis jus belli ſuppeditat natura, Gentiúmque conſenſus.

III. Injuſtitia belli *in genere* fundatur in *levi* tantùm *injuria*; *in ſpecie* revocatur ad geminum titulum; primus eſt *jus in armis*, alter *ratio ſtatûs*. Ad priorem ſpectat in particulari *dominandi libido, ambitio, dilatandi Regni cupiditas*: ita *Romani* ſolo armorum jure, & dilatandi Imperii cupiditate ſibi licita bella perſuadebant. 2. *Vindicta mera cupiditas.* 3. *Libertatis* inconſultus *amor.* 4. *Denegatio matrimonii.* 5. *Jus imperfectum*, quod non fundat obligationem *juſtitiæ*, ſaltem rigoroſæ, ſed minùs ſtrictæ, in æquitate naturali fundatæ. Ad rationem ſtatûs, ſolâ utilitate fundatam, pertinet. 1. *Metus vicinæ potentiæ*, nimiùm accreſcentis. *Ratio eſt*: quia quivis, quò ad juſtè parta, eſt in legitima poſſeſſione. 2. *Servandum æquilibrium*, ut vocant, *Europæ*, ſeu inter Principes conterminos. *Ratio eſt*: quia fundamentum hujus æquilibrii conſiſtit meriſſimè in ſuprà nominato metu. 3. *Titulus* acquirendi dominii, *in jure naturæ*, vel *Gentium* non fundatus: V. G. fertilioris ſoli *cupiditas*, *detectio* novæ inſulæ, ſeu regionis jam habitatæ. 4. *Titulus coloratus* per varios prætextus &c. & ſic de aliis.

IV. Ex his deducitur, quòd bellum, *ex utraque parte*, non poſſit eſſe *juſtum materialiter*, ſeu conſideratum *quò ad rem ipſam*, de qua bellatur, eò quòd ſpectare nequeat *æqualiter* ad utrumque; poſſit tamen, *ex utraque parte*, eſſe *juſtum formaliter*, ſeu ſpectatum *quò ad mentem bellantis*, quæ ex ignorantia invincibili eſſe poteſt in bona fide, id quod ſæpe ſæpiùs contingere, ſaltem præſumendum eſt. *Inſtruct. III. §. 1. Q. 1.*

Controverſia in hiſce cauſis.

Leucotheus. Quænam in hiſce cauſis controverſia inter Authores?

Melander. I. *Quò ad juſtas belli cauſas opponunt nonnulli* 1. Quòd inter juſtas belli cauſas ſit non tantùm *injuria facta*, ſed

(a) In Coll. Hiſt. l. c.

ſed etiam *prudenter prævisa* V.G. In apparatu bellico, aliisque indiciis: quia nemo tenetur exſpectare ictum,etiam in privata defenſione. Sed

Contrà est: quòd hoſtilis animus, *moraliter certò prævisus*, & denegata ſecuritatis cautione, *justè præsumptus*, ſit juſta bellandi cauſa, non tamen *præsumptus* ſolummodò ex incertis indiciis, vel *formidatus* ex potentia creſcente.

Opponunt. 2. Quòd *ultio sumenda de illata injuria*, non ſit juſta belli cauſa, quia ultio dicit pœnam, à poteſtate ſuperiore infligendam, quæ non datur inter ſummos, ſeu pares, bellum gerentes. Sed

Contrà est, quòd illata injuſtè injuria faciat injuriantem inferiorem *ratione delicti*.

Opponunt. 3. Quòd *confœderatio* non foret juſta belli cauſa in caſu, quo quis utrique bellanti eſſet fœderatus. Sed

Contrà est, quòd poſſet ſuccurrere juſtam foventi cauſam: vel fœderato, tempore priori; vel etiam ob ſpecialiora pacta magìs ſibi conjuncto, utì vult *Grotius*.

Opponunt. 4. Quòd *Abrahami* bellum ſociale non videatur ſuiſſe juſtum, quia illi nulla facta injuria, neque petitum ab eo auxilium. Sed

Contrà est, quòd facta ſit *Abrahamo* injuria, ſaltem *mediatè*. petitúmque ab eo auxilium *implicitè*, fictione juris, & charitatis. Unde illata injuria fundatur ſaltem in fœdere amicitiæ,quod non *æqualiter* ligat, ſic ut ſuccurrendo huic alterum quis non poſſit offendere, quia alter jam rupit amicitiæ vinculum *injusta amici offensione*. Ubi tamen obſervandum, quòd ejusmodi bellum ſociale non obliget niſi ſecluſo periculo proprio, & ſalva charitate ordinata, quæ *primariò* tendit in ſe ipſam.

Opponunt. 5. Quòd inter juſtas belli cauſas etiam ſit *negatus transitus militaris*, utì patet exemplo *Moysis*, qui ferro vindicavit tranſitum, ab *Amorrhæis* injuſtè, quia contra æquitatem naturalem negatum. Sed

Contrà est: negatus tranſitus militaris, etiam amicus, per ſe non eſt juſta belli cauſa, quia ordinariè eſt nimis oneroſus, atque periculoſus, adeóque raròinnocuus. *Moyses* vindicavit negatum ab *amorrhæis* tranſitum, non in ſe, ſed *quò ad modum*, quia *hostiliter* denegatum. Et licèt *regulariter* non obſtet metus periculi quáliſcunque, obſtat tamen metus juſtus, & *ordinariè* ſatìs fundatus.

Opponunt. 6. Quòd inter juſtas belli cauſas ſaltem foret *transvectio mercium* injuſtè negata, quia *innoxiæ utilitatis*, & *cum præjudicio commercii liberi*. Sed

Contrà est: Quòd tranſvectio mercium *cum præjudicio propriæ ditionis* juſtè negari poſſit, quale foret in mercibus ad luxum, in tranſvectione nimia, ſuſpecta, cum diminutione commercii proprii &c. Quòd ſi ponatur tranſvectio, *verò innoxia*, negari quidem *absque iniquitate* non poſſet, etſi propterea non ſtatim fundaret *justam belli causam*, quam non niſi in injuria, *rigorose* & *propriè tali*, fundandam diximus. Unde inter juſtas belli cauſas ſuprà poſuimus *æquitatis naturalis violationem injuriosam*. Aliud foret in circumſtantiis *extremæ necessitatis*, utì patet.

II. *Quò ad injustas belli causas opponunt nonnulli.* 1. Quòd æquilibrium *Europæ* conſervandum *belli justi* titulus eſſe poſſit, cùm ſit *de jure Gentium* in ordine manutenendam *Europæ* tranquillitatem publicam. Sed

Contrà est, quòd ejuſmodi æquilibrium longè magìs turbaret tranquillitatem publicam,quovis finitimo, ob alterius fortunam juſtè creſcentem, in bella proruente, & ſibi vicinum non moleſtum, ſola Regni dilatandi cupiditate armis laceſſente, id quod S. *Augustino grande est latrocinium*. Accedit, quòd quatuor Monarchias, *cæteris Regnis ampliores*, nemo unquam, *hoc solo titulo*, per arma juſtè minuendas, exiſtimârit.

Opponunt. 2. Quòd cauſa, *moraliter certò justa*, haberi ſæpe non poſſit, adeóque juſtitia belli *opinativa*, vel *dubia* ſufficere debeat. Sed

Contrà est: etſi *quandoque* ſufficere poſſit juſtitia *valde probabilis*, vel *probabilior* reſpectu oppoſitæ, aut *dubia solummodò speculativè*, quia in moralibus certitudo non ſemper haberi poteſt, & ſtante dubio ſpeculativo, certitudo moralis ex dictamine reflexo haberi poteſt; non tamen ſufficit juſtitia *merè opinativa*, *minùs probabilis*, vel *dubia* etiam *practicè*, utì patet ex ſuprà dictis. In caſu tamen *vindicandæ injuriæ* requiritur *certitudo* de illata injuria, quia, qui injuriam feciſſe creditur, eſt *in possessione*, & in criminalibus requiri ſolent probationes, *luce clariores*.

Opponunt. 3. Quòd utrinque dari poſſit bellum *materialiter justum* caſu, quo in urbis *justa* obſidione obſeſſi quidam Innocui nocentibus eſſent commixti, qui *justè* oppugnanti, *justè pariter*, repugnaret. Sed

Contrà est: *Molinæ* ſi fides eſt, innocui *justè* non repugnarent, ſed fugere tenerentur, quos & hoſtis non *directè*, ſed *indirectè* ſolummodò oppugnaret. Unde cum *Lessio* facilè damus, inter privatos dari certamen,

utrinque justum; immò & speciem quamdam belli, *utrinque justi*, quando nempe ex altera parre tantùm est *oppugnatio indirecta*; nunquam tamen bellum, *propriè dictum*, seu publica authoritate gestum, posset esse *utrinque justum*, cùm re ipsa nunquam uterque supremus Princeps *bellans*, sed tantùm unus habere possit, *à parte rei*, justam bellandi causam. *Instruct. III. §. 2. Q. 2.*

§. 4.

Effectus belli.

§. IV.

De effectibus belli.

Primarius respectu hostium.

Leucotheus. Quinam effectus belli primarius respectu hostium?

Melander. I. *Jus occidendi hostem*: quia, concesso fine, concessa Judici ordinaria media. A nomine *veri hostis* excipi solent *imbelles*, seu infantes; *imbecilles* seu fœminæ, nisi & ipsæ pugnent; *inermes*, seu personæ sacræ; *utiles in commune*, seu agricolæ, mercatores &c. Item capti, vitam paciscentes, sese dedentes discretioni Victoris, ad bellum coacti, innocentes &c.

II. Exempla contrariæ apud *Grotium* non probant *licentiam*, sed *impunem tolerantiam* spectato Gentium jure; neque *jus Talionis* permissum est in innocentes, etsi membra sint Communiratis nocentis; neque *utilitas incutiendi terroris* sufficit, cui molliora suppetunt media; neque *pertinacia* in resistendo exhibita, quæ vel in hoste laudanda.

III. *Quò ad modum* tollendi hostem, *jure Naturæ* & *Gentium*, vetita est immissio sicariorum corrupta illorum fide; *jure Gentium* prohibitum est, hostem veneno tollere, ne multiplicentur belli pericula, Regiáque capita vix evitabili discrimini exponantur; venenatis itidem uti armis, fontiúmque intoxicatione, cùm bello sint aliæ sat copiosæ nocendi artes, atque occasiones. *Instruct. IV. §. 1. Q. 1.*

Effectus secundarius.

Leucotheus. Quinam effectus belli secundarius respectu hostium?

Melander. I. *Est jus in res, & hostium bona.* Fluit à majore ad minus, à vita in vitæ bona, etiam respectu innocentum, in quantum id exigit *necessitas*, ac *utilitas bellica* in ordine ad comparandam victoriam, viresque hostibus succidendas. *Ratio est:* quia, concesso fine, concessa etiam media. *Illicita* tamen devastatio rerum ultra metas necessitatis, seu utilitatis, præcipuè respectu Innocentum.

II. *Jure Gentium* major est belli licentia, *dominio omnium, qua hosti eripiuntur, in Victorem translato*, saltem quò ad forum externum; quò ad forum internum res immobiles, ultra debitam compensationem ereptæ, restitutioni obnoxiæ sunt juxta Molinam. *Illa ipsa tamen dominii prærogativa solummodò obtinet in bello justo*: quia, jure naturæ & Gentium, jus nullum ad bellum est, *sine justa causa*, adeóque nec ad effectum belli, seu dominium rerum. Unde non est paritas cum excessu satisfactionis injusto, qui respectu belli justi per jus Gentium legitimatur *quò ad forum externum*: quia bello justo erepta nituntur & legitimo titulo, & juris præsumptione, quòd sint satisfactioni debitæ congrua, etsi Victoris conscientiæ id relinquatur.

III. *Jus in hostium bona, nullatenus tamen, saltem per se loquendo, sese extendit ad loca sacra, templa, altaria, neque in res sacras, bonaque Ecclesiastica, uti cum Grotio nonnulli statuunt, maximè Protestantes. Ratio est*: quia *fatuum est*, teste *Polybio*, *DEO bellum inferre*, adeóque & belli effectu in eundem surere. 2. Quia Ecclesia quà talis, est status in statu, seu separatum corpus à Republica, uti suprà vidimus. 3. Quia sacra, jure Divino, (a) ab omni profanatione immunia. Unde cùm *Pomponius* ait: *loca capta ab hostibus desinere esse sacra*, loquitur ex vana persuasione Gentilium, qua credebant, à fanis urbium captarum recedere Deos: sed neque jus Gentium de sacris seu locis, seu bonis, quidpiam potest disponere, quia altiore jure, Divino nempe, exemptis. Dictum tamen: *per se loquendo*. Nam casu quo Ecclesiastici sese bello miscerent, jus hosti præberent *per accidens*, salvis tamen bonis Ecclesiæ, quia *delictum personæ non debet nocere Ecclesiæ*. Item casu, quo nocumentum, *indirectè solummodò*, inferretur. Demum in casu, quo, contra dispositionem Ecclesiasticam, templa forent *incastellata*, seu castri instar munita &c. *Instruct. IV. §. 1. Q. 2.*

Effectus Belli respectu vincentium, & devictorum.

Leucotheus. Quinam effectus belli respectu vincentium, & devictorum?

Melander. I. *Quæ in bello justo justè sunt acquisita, spectatâ belli naturâ, primariò cedunt Principi, sic ut ab ejus voluntate dependeat, quidquid privatis per excursiones licitum, & in deprædationibus proprium. Ratio est*: quia miles solummodò est instrumentum, Princeps verò causa principalis. Inde immobilia, *jure Gentium*, cedunt Principi; immò & mobilia, etsi jure Justinianeo cedant militi, uti & illa, quæ in excursionibus liberis occupant, tanquam incitamenta alacritatis. Unde urbem in deprædationem dare, si præcaveri flagitia, illicitique excessus possent, *per se* non

foret

(a) Levit. c. ult. v. 28.

foret injuſtum, quia bellum juſtum tribuit jus in hoſtium bona: ſed cùm talis cautela ſit difficillima, immò *moraliter* vix poſſibilis, ejusmodi licentia *per accidens* plerumque eſt illicita, ac injuſta.

II. *Effectus belli juſti eſt jus in captivos cum dominio ex parte capientis, & ſervitute ex parte captivi, ſuo modo etiam cum jure in vitam, ſaltem abſtrahendo à Chriſtianiſmo.* Unde illud *Caii*, quòd *apud omnes Gentes Dominis fuerit poteſtas vitæ, necisque in ſervos*, intelligendum *de jure Gentium* ſolùm *permiſſive* quò ad impunitatem externam, cùm jus vitæ ſoli DEO ſit reſervatum. Servitutem *jure Gentium* inductam ſuprà jam diximus: in cauſa fuit refrenatio inferendæ mortis propoſitis tot ſervitiorum commodis. At inter *Chriſtianos* dudum ſublata eſt ſervitus, partim ob libertatem, à Chriſto nobis donatam; partim ob charitatem, qua ejuſdem corporis, ſub uno capite *Chriſto*, membra, & fratres ſumus.

III. *Ad eundem belli effectum reducitur imperium in victos, ſed regulariter tantummodò civile, vel mediatum, & religioni catholicæ favorabile.* Excipitur caſus, quo Princeps devictus haberet ſubditos *mediatè* tantùm, nec *abſolutè* ſibi ſubjectos, in quos victori imperium cederet ſolummodò conditionatum, ſi nempe ſatisfactio congrua haberi nequeat. Excipitur item caſus Principis devicti, ac bello capti, quo Victori non illicò imperium cederet in Principis ſubditos, quia à Rege captivo, *vi captivitatis*, non transfertur imperium in victorem, ſed uſus ſolummodò impeditur. Si ultrò cederet, *regione patrimoniali* excideret, quia alienabili: non tamen cæteris, *lege delatis*, quia ſine populo, ſeu devicto ſeu aſſentiente, non alienandis. Unde Victori, *per ſe* loquendo, non eſt jus in vitam Regis captivi: quia Majeſtas etiam in ſubjecto captivo manet inviolabilis, nec Rex in Regem, ad inſtar ſubditi, delinquere, eodémque modo puniri poteſt. Dicitur, quòd Victori competat *regulariter imperium ſolummodò civile* in devictum populum, quia de jure naturæ *ſaltem congruum* eſt, ne imperia ad tyrannicam ſubditorum oppreſſionem, etſi bello ſubacta ſint, convertantur, præterquam quòd penes *Chriſtianos*, ſublata ſervitute, etiam ejusmodi imperia *merè herilia* eſſe ſublata videantur. Dicitur *imperium mediatum*, quia, conformiter ad principia, verè politica, videtur imperium victis Regibus, aut Populis relinquendum, ſaltem impoſito præſidio, reſervato tributo, aut formâ regiminis immutatâ. Dicitur denique Victori competere in victos imperium *religioni catholicæ favorabile*: quia jure Divino, religio *unicè vera*, qualis catholica, ut hìc ſupponitur, fovenda ſemper & promovenda, exterminatis erroribus, niſi & ipſe, unà cum ſuis, ſalute excidere mavelit. *Inſtruct. IV. §. 2. Q. 3. & 4.*

Leucotheus. Quinam ſunt effectus belli quò ad ſubditos?

Effectus belli reſpectu ſubditorum.

Melander. I. *Jus militis conſcribendi* intra territorium proprium, & abſque coactione, ſaltem reſpectu non ſubditorum. Alter effectus eſt *jus ſequelæ*, quo ſubditi, in gravi neceſſitate Reipublicæ, ad juſtam defenſionem evocari, & cogi poſſunt à poteſtate ſumma. Fundatur in neceſſitate, omnium Nationum conſuetudine, hoc eſt, in jure Naturæ ac Gentium. Tertius effectus eſt *jus exigendi ſumptus pro alendo milite*: quia bello juſto, tanquam legitimo titulo, imponi ſubditis tributa poſſunt. Quartus effectus eſt *jus armandiæ* quo armamentaria inſtrui, ſubditi ad tractanda arma habiles reddi poſſunt, exercitio apud bene moratas Reſpublicas conſueto, & quàm maximè proficuo, ac neceſſario. Effectus quintus eſt *jus muniendi vel extruendi munimenta, imponendi præſidia, & excubias imperandi*, quia hæc omnia ſunt media, ad finem licitum neceſſaria.

II. *Non tenentur ſubditi, præcisè evocati à Principe ad bellum, hujus examinare juſtitiam. Ratio eſt:* quia ſubditus imperii, à Principe dati, executor eſt, non ſcrutator: ſecùs enim ſubordinatio debita, ad Reipublicæ regimen neceſſaria, ſæpe ſæpius turbaretur. 2. *Tenentur tamen taliter evocati ſeſe informare de belli juſtitia, caſu quo rumor communis, vel cauſæ inſufficientiam, vel injuſtitiam promulgaret. Ratio eſt:* quia aliàs verſarentur in ignorantia culpabili & affectata, quacum honeſtas operationis nequit conſiſtere. 3. *Stante nihilominùs dubio, poſt factam inquiſitionem, ſubditis bellare licitum: quia in dubio ſtat præſumptio pro juſtitia.* Hæc dicta de ſubditis, applicari etiam poſſunt militibus conductitiis, ſiquidem *ante bellum*, de quo dubitant, conſcripti ſunt: quia hoc caſu ſubditis æquiparantur. Immò etſi primùm *conſcribendi* ſint: quia uti poſſunt argumento præjudicii, vel ſaltem deponere dubium, ex dictamine cauſæ, longè meliùs libratæ à concilio Principis. Id tamen certum, quòd in dubio practico operari ſit ſemper illicitum, & quòd milites ſic comparati, ut inſuperhabita injuſtitia belli, ad cujusvis obſequia ſint parati; ſi modò juſtum præbeatur ſtipendium, à gravi reatu haud excuſabiles dici poſſint. *Inſtruct. IV. §. 3 Q. 5.*

Obligationes in bello.

Leucotheus. Quænam obligationes in bello?

Melander. I. *Obligatio generalis, respectu summæ potestatis injustè bellantis, est onus reddendæ DEO rationis de cunctis cædibus, rapinis, atque malis, unà cum restitutione damnorum omnium, quæ quidem restitutione sarciri possunt.* Patet. Cessat tamen hæc obligatio, si bona fides, & ignorantia invincibilis excuset Principem. Idem tenendum de Consiliariis, Ducibus, aliisque, injusto bello scienter cooperantibus. 2. Obligatio Principis, *in specie respectu militum*, infert solutionem stipendii ex contractu; unde obligationis neglectæ pedissequa est restitutio.

II. Obligatio militum, *respectu Principis*, sese extendit ad cuncta servitia militaria, etiam cum præviso mortis periculo præstanda. *Respectu aliorum* est, ut juxta *D. Baptistæ* effatum, contenti sint stipendiis suis, neminem concutiant, nemini calumniam faciant, nec vi nec fraude sibi plus vindicent, quàm oportet: unde omnes annonariæ praxes Quæstorum, omnes Ducum industriæ fraudulentæ, militùmque in rusticos violentiæ, ad illicita militaris licentiæ spolia, restitutionis obligationi obnoxia, sunt relegandæ.

III. Obligatio, *respectu hostium inter se*, præscribit 1. In bello incipiendo *justitiam*. 2. In modo belli gerendi *moderationem*, qua armorum licentia, intra necessariæ defensionis, vel licitæ recuperationis limites, coerceatur. 3. Requirit *sinceritatem*, oppositam *dolo malo* atque *mendacio*; non autem *simulationi*, *insidiis*, *& stratagematis licitis*, eo ex capite, quia, cùm in bello justo fas sit hosti nocere, fas quoque est, id per consilia occultata efficere, dicente Deo ad Josue: *pone insidias urbi.* 4. Requirit *fidem* in promissis: unde *Puffendorfius* per *Grotium* reformandus, dum ait, pacta, *quæ statum belli relinquunt*, naturæ jure haud esse servanda: sed fallit; nam validitas pactorum, spectato jure naturæ, habetur *formaliter* à mutua *conventione*, non *à qualitate personarum contrahentium*, vel à statu *belli*, ac *pacis*, in quo versantur: unde, *quòad comprehensa in pactis*, consensus mutuus quasi tollit statum belli, cùm non sit inter hostes, sed hac ex parte mutuò concordes. 5. Eadem obligatio præscribit *honestatem*, ut ne per stupra, aliáque nefanda flagitia victores sæviant in devictos. Patet jure tam naturali, quàm Divino, immò & Gentium moratiorum. 6. Adstringit insuper *ad humanitatem*, per sepulturam mortuis exhibendam, saltem ex jure Gentium, & seclusâ pœnâ, vel jure quodam reciprocationis. 7. Denique adstringit *ad observantiam festorum*, saltem *ex regulis decori*, & nisi aliud necessitas, utilitas, seu major longè commoditas suadeat.

IV. Obligatio hostium *quò ad alios*, quos vocant, *neutrales*, exigit *eorum indemnitatem*, sic ut in ejusmodi territorio non exerceantur actus hostiles. Contra neutrarum partium obligatio petit erga utrumque bellantem, *veram æqualitatem* in permittendo transitu, commeatu &c. Transvectio rerum, quæ nullum habent usum, vel emolumentum ad bellum, æqualitatem illam non videtur infringere, etsi transvectio mercium, & similium, quæ usum habere possunt in bello, dependeat à conditionibus neutralitatis. *Instruct. IV. §. 4. Q. 6.*

Titulus 4. De fæderib

§ 1. Fæderum origo.

Leucotheus. Quid de sic dictis repressaliis sentiendum? Repressaliæ.

Melander. I. *Repressalia* sic dictæ ab *Italica* voce *ripresa*, sunt species belli privati, utpote quo vindicatur injuria, privato à privato illata, nec malè dicuntur jus, *quo magistratus sive se, sive suos, in casu denegatæ justitiæ ab externis, ab illata per eosdem injuria vindicat, reddítque indemnes.*

II. Jus istud non *à natura*, quæ ex alieno delicto neminem ligat, sed *jure Gentium* inductum, & cuidam *fundamento imputationis* innixum esse videtur, vi cujus, Magistratu creditoribus exteris justitiam denegante pro suis suorúmque debitis, ipsa communitas, seu singulorum civium bona, *ob arctissimam unionem membrorum & corporis*, obligata esse videantur. *Ratio* ejusmodi juris esse potuit *inhibitio vagæ licentiæ exteros damnificandi*, vel Magistratu ad reddendam justitiam, vel subditorum bonis ad satisfactionem præstandam obligatis *ob conjunctionem moralem*, vi cujus factum civitatis civibus singulis, & factum singulorum toti civitati imputari potest. Unde damnum innocui cedit commodo publico suppetente etiam recursu ad civitatem in ordine ad detrimenta innocuis sarcienda.

III. Repressaliarum proprietates sunt 1. Ut fiant à Magistratu, seu *authoritate publica*: unde differunt à pignorationibus, quæ à quovis Judice decerni, vel etiam *à privatis contra privatos*, authoritate propria usurpari possunt. 2. Ut fiant non nisi post formam juris legitimam tentatam, atque frustratam, nullo alio medio consequendæ justitiæ suppetente, eò quòd sint remedium *extraordinarium* & *violentum*. 3. Ut fiant exceptis excipiendis, quales sunt personæ Principes, item Ecclesiasticæ, Legati, viatores &c. 4. Ut fiant sola personarum detentione, non severiore tractatio-

ne

ne, quia non sunt hostes, sed potiùs obsides. 5. Ut fiant in bonis ejusdem generis, si haberi possint, absque excessu supra damnum illatum; quia, quod ultra æqualitatem eripitur, furtum est. *Instruct. IV. §. 5. Q. 7.*

Titulus 4.

TITULUS IV.

De fœderibus

De Fœderibus, eorúmque natura, ac proprietatibus.

§ 1.

§. I.

Fœderum origo.

De fœderum origine, natura, ac proprietatibus.

Leucotheus. Quæ fœderum origo?

Melander. I. *Fœderum origo historica est societati civili contemporanea.* Assertum patet *inductione.* Sic, teste *Dione & Livio*, omnes Gentes, cùm de imperio certârunt, ante omnia socios suæ fortunæ quærebant; sic notum est fœdus *Abrahami* cum *Abimelecho*, *Salomonis* cum *Hiramo*, & sic de aliis.

II. *Origo fœderum fundamentalis, & impropria, descendit ab ipsa natura. Ratio est:* quia sicuti natura inclinat ad societatem humanam, ita & ad fœdera, velut fortissima securitatis publicæ vincula, tutissimáque ejusdem societatis præsidia. 2. Quia eidem societati non tantùm expedit habere domesticos, sed & socios vicinos, atque amicos, cùm sine fœderatorum ope familia, hoste suo debilior, eidem resistere, haud posset. Non tamen, *propriè loquendo*, origo fœderum est *de jure naturæ*, utì aliqui volunt, nisi *jus impropriè tale*, seu *merè concessivum* intelligant. *Ratio est*: quia etsi sint societati humanæ admodùm congrua, non tamen eorum admissio est *absolutæ necessitatis*, sicut exigantur *determinatè* ab amore, alteri naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam *simpliciter* requisito. Cur enim Gens quælibet, *absolutè loquendo*, non possit sibi sola vivere, aliarúmque Nationum fœdera recusare, saltem excepto casu *ultimæ necessitatis*, qua Gens vicina, ad avertendum interitum, fœdus *justum*, *innocuúmque rationabiliter*, *debitóque modo* exposceret.

III. *Origo fœderum formalis ac propria habetur à jure Gentium. Ratio est*: quia *utilitatis* ac *necessitatis publicæ* causâ, per Gentes in usum inducta sunt, eò quòd expediat Reipublicæ vicinos habere socios, & contra hostem sibi fœderatos. *Instruct. I. §. 1. Q. 1.*

Leucotheus. Quid nominis, reique est fœdus? *Natura fœderum.*

Melander. I. *Fœdus* sic dictum *à fide*, quæ fœderi interponitur, est *sponsio publica*, sumíque solet *formaliter* pro contractu, *materialiter* pro articulis conventis.

II. In ordine ad præsentem tractationem sumitur *pro contractu publico*, publicæ amicitiæ, mutui auxilii, & commerciorum gratiâ, à diversis civitatibus inito. Unde

III. Rectè definitur esse *conventio publica, à personis, summa potestate præditis, legitimè inita communis commodi ergo.* Conceptus servat regulas: nam excludit negotia Regum privata, Civium pactiones; exprimit jus Majestaticum, utì & finem, *publicam* nempe *utilitatem.* *Instruct. I. §. 2. Q. 2.*

Leucotheus. Quotuplex fœdus? *Multiplicitas fœderum;*

Melander. I. Aliud est *temporaneum* pro certa expeditione; aliud *perpetuum*: perpetua fœdera, *in ordine ad bellum*, pacis *perpetuò* exclusivum, videntur illicita, & naturæ juri contraria, quæ pacem præcipit, bellóque merè permisso pro fine ultimato præfigit. II. Aliud est fœdus *æquale*, aliud *inæquale*, quod nempe intercedit inter æquales, vel inæquales potentiâ, viribus &c. vel saltem *æquali* vel *inæquali modo*, seu conditione honoris, commodi, vel potestatis: quæ tamen inæqualitas nullam infert *subjectionem*, sed potentioris solummodò *observantiam*, comiter demonstrandam, eò quòd longè aliud sit, *aliquem esse in alterius fide, & esse in alterius ditione.*

III. Ulteriùs dividitur fœdus in *offensivum* ac *defensivum*, utì & *mixtum.* Offensivum ordinatur ad bellum offensivum, *quo vis infertur ad injuriam vindicandam, vel damna reparanda.* Defensivum spectat bellum defensivum, *quod ad vim ex injuria illatam, defensionis gratiâ, propulsandam suscipitur. Mixtum* vocatur illud, quod simul est offensivum ac defensivum. *Instruct. I. §. 3. Q. 3.*

Leucotheus. Quæ fœderum materia, forma, & ritus? *Fœderum materia, forma ac ritus.*

Melander. I. Materia fœderum

sunt res *honestæ ac licitæ*: siquidem facta improba in pacta deduci nequeunt. Talis materia est religio, matrimonia, commercia, auxilia, securitas, bellum, pax, induciæ, aliáque negotia, & commoda, Reipublicæ statum concernentia.

II. Forma fœderum *interna* consistit in ipsa pactione; *externa* in conscriptione & consignatione tabularum.

III. Ritus pro varietate Gentium & temporum varii sunt, idem tamen ubique finis, ut constaret rei gravitas. Hodie per subscriptionem, sigillorúmque appensionem, adjecto corporali, ùt vocant, juramento, sanciri fœdera, firmarique solent. *Instruct. I. §. 4. Q. 4.*

Obligatio fœderum.

Leucotheus. Quænam obligatio, ac firmitas fœderum?

Melander. I. Obligatio est *gravissima* in ordine *ad præstanda ea omnia, quæ in articulis fœderis sunt comprehensa.* Nam firmantur non modò *fide humana*; qua nil in societate humana sacratius, sed etiam *Divina* per jurisjurandi religionem.

II. Quòd tam nulla sæpe sit fœderum firmitas, in causa est *ratio statûs*, illo suffulta principio pseudo-politico: *fœdera, non nisi utilitate privata esse metienda, & tam diu observanda, quàm diu proficua*: quasi verò, ùt dudum animadvertit *Tullius*, utile esse possit, quòd non honestum, & non potiùs utilitatis regula ex honestate, quam honestatis ex utilitate desumenda sit. *Instruct. I. §. 5. Q. 5.*

Finis & effectus fœderum.

Leucotheus. Quinam sunt fines fœderum, qui effectus?

Melander. I. Finis *universalis* fœderum est *consecutio certæ præstationis, auxilii, ac officii mutui, adeóque salus paciscentium publica, suorúmque defensio, securitas adversus hostes, authoritas apud exteros, incrementum statûs per emolumenta commerciorum.* Fines *particulares* ex fœderum tabulis desumendi sunt.

II. *Effectus* fœderum *proximus* est obligatio standi pactis. *Remotus* ipsa pactorum præstatio, & quæ ex illa fluunt, intenta Reipublicæ commoda. Obligatio incipit, *per se loquendo*, à momento præstiti consensûs: hodierno more post pacta à Legatis exhibita suis Principibus, & ab iisdem acceptata. *Instruct. I. §. 6. Q. 6.*

Fœderum interpretatio ac executio.

Lemcotheus. Quid de fœderum interpretatione, ac executione?

Melander. I. *Impotentia moralis* ex necessitate aut periculo proprio excusat à fœdere implendo, cùm quilibet sibi proximus, haud sub alia conditione sociis suppetias promisisse credatur, quàm si ipse non magis indigeat.

II. Fœdus, etsi offensivum, si sit contra injustos alieni imperii invasores, patitur extensionem; contrà fœdus, etsi defensivum, initum cum ejusmodi invasoribus, Turcis &c. patitur restrictionem. 2. In sensu verborum dubio ad fœderatorum mentem, magis verosimilem, recurrendum est. 3. Interpretatio *extensiva* à persona ad personam, à causa ad causam, nisi in fœdere unica & adæquata expressa sit, locum non habet.

III. Fœderis executio, si de tempore nihil expressum sit, probabiliùs non stringit ante factam à fœderato admonitionem. *Instruct. I. §. 7. Q. 7.*

Contraria fœderum.

Leucotheus. Quænam contraria fœderibus.

Melander. I. *Dissolutio*, quæ fit per *renuntiationem mutuam*, ùt patet, *lapsu temporis*, in fœdere præfixi; *finito bello* seu *negotio*, cujus solius causâ initum est; morte item *fœderatorum* seu *naturali* seu *civili*, hoc est, si status publicus immutetur in ordine ad finem, in fœdere contentum; *fœderis non usu*, quo præsumitur tacitus utriusque partis assensus, si fœderatus diu non præstitit præstanda, etsi potuisset, parte altera tacente.

II. Stante fœdere bellico, unus socius altero invito vel ignorante, particularem pacem inire nequit: hoc enim renderet in fœderis destructionem, ùt patet. 2. Majore sociorum parte in dissolutionem fœderis consentiente, non ideò fœdus dissolvitur: quia agitur de jure singulorum. 3. Conditione fœderis non impleta, licitum fœderi renuntiare, utì constat ex aliis conventionibus. 4. Idem censendum, si fœderatus impediatur frui gravi commodo, ob quod fœdus initum est: quia cessante causâ cessat effectus. 5. Concessum non est fœderi renuntiare *ex parte* seu quòad unum alterúmve articulum: quia, *per se loquendo*, est individuus contractus. 6. Fœdus, unius renuntiatione illicitè facta, solvitur in favorem alterius confœderati, non renuntiantis, utì constat ex paritate aliorum contractuum. 7. Fœdus solvitur, casu quo alter, necessitate quadam præpeditus id observare haud potest: quia in confœderatione magis ad opus, quàm voluntatem respici solet.

III. Modis illicitis, nempe dolis, donis, sexcentísque aliis machinis, justorum fœderum solutionem procurare, sacrilegum est, ac infame. Patet ex jure naturæ, Gentium, Divino, ac humano. *Instruct. I. §. 8. Q. 8.*

Cautelæ fœderum.

Leucotheus. Quæ cautelæ in fœderibus pangendis adhiberi solitæ?

Melander. I. Fœdera *perpetua* non facilè ineunda; nec ineunda leviter

inter

inter nimiùm impares: nam fœderatus multò debilior parùm proderit; multò potentior erit nimiùm periculosus, ut ne *inæquali hoc fœdere* servitus induatur. Utilia tamen sunt ejusmodi fœdera *respectu commerciorum*; *respectu belli* verò, si adhibeantur debitæ cautelæ, queis constringatur potentior, *ut si nocere velit, non possit*.

II. Cavenda fœderatorum *multitudo nimia*; quia nil facilius, quàm inter multos unum, vel alterum, privati commodi studio, deficere. 2. Philosopho teste; in fœdere attendenda associandorum *vicinia*; nam remoti nimiùm difficulter succurrent in tempore; attendendum ingenium, mores &c. nam instabiles, & à moribus, commodisque nostris alieni nimiùm raro vinculo colligantur. 3. Attendenda quoque *religio* præsertim in bello, religionis commoda spectante: denique & attendenda *causæ justitia*, ut ne inaniter iniquitatis vinculo constringamur. Item *necessitas*, ac *opportunitas*, qua sine satiùs esse ducunt Politici, suis viribus niti, quàm confœderationibus implicari. *Instruct. I.* §. 9. *Q.* 9.

§. 2.

§. II.

Causa & licentia fœderum.

De causa & licentia fœderum.

Leucotheus. Quodnam subjectum fœderum ineundorum?

Capaces fœderum cudendorum.

Melander. I. Causa *subjectiva* seu *efficiens proxima*; sunt ii, qui possunt inire fœdus, nempe *Populi liberi*, iique omnes, quibus competit *summa potestas*. *Ratio est*; quia finis fœderum principalis est *utilitas publica*, quæ respicit solummodò populos liberos, vel summos imperantes.

II. *An etiam consilium, vel assensum Statuum requirere teneantur Regentes summi, dependet à legibus pactisque Regni.* Nam V. G. respectu Imperii *Romano-Germanici*, requirendum esse de facto (nisi *periculum in mora*, vel *necessitas summa* exceptionem ponat) ab Imperii ordinibus per Imperatorem, constat ex pace *Westphalica*, & capitulatione *Carolina*.

III. Ex eadem pace Imperii statibus competit jus: *inter se, & etiam cum exteris*, pangendi fœdera *sed debitis cum limitibus restricta* 1. Ad pacem publicam conservandam, & ad sui, suorúmque defensionem atque securitatem. 2. Absque præjudicio Imperatoris, Imperii, pacis publicæ, ac juramenti, quo quis Imperatori ac Imperio obstrictus est. 3. Cum reservatione declarationis Cæsareæ, uti habet aurea bulla. Unde eorum fœdera, qui *absoluti* Principes non sunt, solummodò sunt *respectiva*, utpote à Superiore pendentia. Statibus autem mediatis, urbibus municipalibus, aliisque subditis, *quà talibus per se loquendo*, non competere jus pangendi fœdera, fluit ex dictis. Hinc *Carolus IV.* horum confœderationes, sine supremi Principis authoritate, *conspirationes* & *seditiones* potiùs dicendas judicavit. Immò de jure præsumuntur omnes injustæ, si adversùs Dominum, sive *directè* sive *indirectè*, suscipiantur. Profectò suffragatur experientia, quæ docet ejusmodi associationes, sæpe sine legitima causa, plerumque prætextu magis, quàm ex lege veræ necessitatis suscipi, ac iniri. Inde

IV. *Colligitur* 1. A *Conringio* excusari *Hanseaticum* fœdus, *quia tacito Majestatis consensu initum*. 2. A Protestanticis nequidquam fucari *Schmalcaldicum* fœdus, quasi *conscientiæ tuendæ, & vi avertendæ causâ* initum, cùm ejus malè consulta in Cæsarem molimina sat demonstraverit eventus. *Instruct. II. §. 1. Q. 1.*

Leucotheus. Quibuscum inire fœdera conducit? Quibuscum licet? *Qualitas fœderatorum.*

Melander. I. Quibuscum *conducat*, suprà innuimus. Quibuscum liceat, sciendum, *illicitum esse contrahere fœdera cum tyrannis, quà talibus*, hoc est, tacito vel expresso populi consensu potestatem summam legitimè non adeptis: quia illicitum cooperari injustitiæ.

II. *Illicitum est contrahere fœdera, qualiacunque cum quibuscunque, in ordine ad bellum, patenter injustum.* Patet eadem ex ratione.

III. *Illicitum est Catholico Principi contrahere fœdera qualiacunque cum Infidelibus, vel quibuscunque aliis fidei Catholicæ hostibus in directum & grave præjudicium nostræ religionis* V.G. pecuniis, armis, militibus, annonâ, aut alio modo iis, vi fœderis, succurrendo &c. *Ratio est*, quia tale fœdus foret patenter injustum, utpote infidelitatis, aut erroris defensivum, offensivum veræ religionis.

IV. *Illicitum est catholico Principi inire fœdera, etiam defensiva, sive præbendo, sive petendo auxilia ab Infidelibus, vel aliis Ecclesiæ Catholicæ inimicis, contra alios, maximè catholicos, in ordine ad bellum cæteroquin justum, cum certo tamen & gravi, etsi indirectò Religionis catholicæ præjudicio connexum. Ratio est:* quia, cùm religionis catholicæ commune bonum, utpote spirituale, & à quo dependet animarum salus, semper præferendum sit, bonis temporalibus, tale fœdus, quantumvis aliàs justum, hac tamen ratione fieret injustum, atque illicitum.

V.

V. *An quæcunque fœdera Fidelium cum Infidelibus, seu Religionis catholicæ hostibus, contra Fideles, seu Catholicos, saltem regulariter & ordinariè loquendo, probabiliùs sint illicita, non est ita expeditum penes Authores.* 2. *Nos cuivis sua sensa relinquimus, contenti Authorum rationes in medium attulisse.* *Ratio* prioris est, quòd in utramque partem sint plures Authores. Ejusmodi fœdera, *ordinariè*, & exceptis quibusdam casibus loquendo, esse illicita pars una probat 1. Authoritate & exemplis Testamenti veteris, & novi V. G. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, & idcirco iram Domini merebaris.* (a) Item: *nolite jugum ducere cum Infidelibus.*

Probat. 2. Authoritate summorum Pontificum, Patrũ, atque Doctorũ qui passim ejusmodi fœdera improbant.

Probat. 3. Ex historia, effectibúsque infaustis hujusmodi fœdera secutis, uti testis est *Ochozias, Josaphat, Osa, Amasia* in testamento veteri; in novo *Palæologi* facto fœdere cum Turcis &c.

Probat. 4. *Ratione*: quia præjudicium religionis, etsi non intentum, scandalúmque grave, *ordinarie* loquendo, *directè* vel saltem *indirectè* sequi solet. Siquidem natura & finis fœderis, accedente genio atque ingenio Infidelium, ac Acatholicorum, ad id, *per se* loquendo, inclinet, uti testis est frequens nimiùm experientia.

VI. *Sat tamen convenit inter Authores, licitum esse inire fœdera catholico Principi cum Infidelibus; seu Ecclesiæ hostibus, in bello apertè justo, & cum morali certitudine seclusi omnis periculi, scandali, præjudicii, vel damni, in religionem catholicam emersuri.* Quales casus, etsi admodùm raros, in chartam proferunt nonnulli Authores. *Ratio est*: quia talia fœdera non *per se* & ex *sua natura*, sed *ordinariè* loquendo, propter connexum periculum, ac rei catholicæ præjudicium sunt illicita, quod si *moraliter certò* abesse possit, cessat prohibitio. Tale fœdus legimus contractum ab *Abrahamo* cum Regulis infidelibus *Aner & Escol. Instruct. II. §. 2. Q. 2.*

Controversa circa fœderum licentiam.

Leucothous. Quænam circa theses, suprà positas, controverti ab Adversariis solent?

Melander. Qui fœdera Fidelium cum Infidelibus, aliisve rei catholicæ hostibus *regulariter* licita esse contendunt,

Opponunt. I. In S. Pagina leguntur quoque plura fœdera Fidelium cum Infidelibus haud reprobata V. G. *Achazi* cum Rege *Assyriæ Teglat-Phalassar.* Sed ℞. Patroni negativæ sententiæ, etsi talia fœdera non semper reprobentur positivè; reprobari tamen negativè, eò quòd non probentur, & in similibus, positivè improbatis, rei robentur.

Opponunt. II. Scandalum vel præjudicium veræ Ecclesiæ non est intentum à Principe Catholico, sed utilitas & bonum statûs: ergo id Ecclesiæ hostibus, siquidem *regulariter* sequeretur, erit imputandum. ℞. Saltem Princeps Catholicus id intenderet *indirectè, implicitè*, ac *interpretativè* propter connexionem *ordinariam.* Si regerant, esse connexionem merè *per accidens*, adeóque nec indirectè volitum Ecclesiæ præjudicium. ℞. Negando suppositum, quòd sit merè per accidens, cùm sit connexio *ordinaria.*

Opponunt. III. Hujusmodi præjudicium saltem non *certò* & *imputabiliter* esse prævisum: non enim sequitur *per se*, ex influxu quodam morali initi fœderis, sed *per accidens* ex mera alienæ voluntatis malignitate, sic ut catholicus Princeps merè permittat, immò *positivè* reprobet, etsi *justas ob causas* impedire haud teneatur, uti patere potest pluribus instantiis. ℞. Tale præjudicium esse *indirectè* imputabile, saltem *regulariter*, quia *regulariter* sequitur teste experientiâ, adeóque juxta Angelicum *per se, cum ùt in pluribus adjungatur malum bono, per se intento.* Addunt, esse *interpretativè* imputabile, quia prævidetur *regulariter* sequi, & quidem in damnum tertii, jure invicti, veræ nempe Ecclesiæ, cujus præjudicia præ cæteris omnibus præcavenda sunt Catholico Principi, unde negant, posse suppetere *justas* causas, vel paritatem cum aliis instantiis.

Opponunt. IV. Licitum est *jure naturæ* vim vi repellere, etiam adjutore ethnico, si *Christianus* aggressor vim injustam tentaret: ergo à pari. ℞. quòd si adjutorium fœderati Infidelis esse possit *legitimum medium*, hoc est, si esse possit sine præjudicio veræ religionis, concedunt, sed negant suppositum, quòd esse possit in sensu suæ thesis, nempe loquendo *regulariter*, unde ajunt, licitum esse, *vim vi repellere*, non indistinctè, sed legitimis mediis; secùs quis magos aut dæmones in adjutorium vocare posset.

Opponunt. V. Ergo Princeps Catholicus, etsi à Principe Catholico injustè læsus, nec aliter potens tueri vel recuperare sua, nisi per fœdus cum Ecclesiæ hoste, *secuturo vel indirectè Ecclesiæ præjudicio*, non haberet medium, cogeretúrque ditionibus suis excidere: atqui hoc *nimis difficile*, cùm faceret Catholicos Infidelibus deteriores; *non est consultum*, cùm viribus debiliores exponeret potentiorum rapinis &c. ℞. Casum hunc esse extra thesin, quia *extra ordinarium*, de

(a) 2 Paral. c. 16. v. 7.

de Catholico Principe *non suspicabilem*, qui si contingeret, teneret illud: *sic transeundum per temporalia, ut ne amittantur aterna.* Unde negant suppositum, quòd non suppeteret *medium licitum* per transactiones amicabiles, compromissiones in Reges arbitros &c. Ut non evaderet conditionis deterioris. Cæterùm inconsultum esse vix potest, quod in consultationem assumi nequit *prudenter*, quia non suspicabile. *Instruct. II. §. 3. Q. 3.*

Titulus 5.

TITULUS V.

De Pace.

De jure Pacis, ejúsque natura, ac proprietatibus.

§. 1.

§. I.
De natura, subjecto, & objecto Pacis.

Natura pacis.

LEucotheus. *Quid pax? Quotuplex? Et quænam ejus origo?*

Melander. I. Pax, sic dicta à *pactione* in sensu *latissimo* est *tranquillitas Ordinis*; in *latiore* notat generalem quamdam concordiam, ortam ex naturali inter homines cognatione, cujus intuitu homo homini, & Gens Genti obstringitur ad communia humanitatis officia, inter quæ primum, *amicum omnibus esse, inimicum nulli, ac de cætero ab omni violentia abstinere.* In sensu *strictiore*, & *relativè* ad bellum, dicit *novam amicitiam inter eos, qui hostiliter invicem commissi erant, postliminio reductam.* In sensu *strictissimo*, si sumatur *in fieri*, est *transactio publica de bello, in totum & pro semper tollendo inter hostes legitimè conclusa*; in *facto esse*, dicitur *publica & perpetua quies ab armis inter eos, qui hostes erant.* Undefluit, quòd pax respiciat Statum *publicum*, ut distinguatur à transactionibus privatis; quòd respiciat bellum *præcedens* ut differat à pace, latiùs sumpta; quòd intendat *perpetuitatem*, etsi per accidens non sequatur, ut discriminetur ab induciis ac armistitiis.

Divisio.

II. Pax dividi solet, saltem si sumatur in sensu *strictiore*, in *publicam*, & *privatam*; in *perpetuam*, & *temporalem* notantem *inducias*, & *treugam* &c. in *universalem*, & *particularem* &c. 2. Pax *strictissimè sumpta* dividi solet *ratione materiæ* in profanam, & religiosam: minùs tamen propriè nonnulli dividunt *per conventionem*, & *per meram armorum desistentiam*, quia pax *sine conventione* non tam est pax, quàm *simulacrum pacis.*

III. Pax, sumpta *in sensu latiore*, est *originaliter* à jure naturæ: nam est *exigita, ut conformis amori, cuivis naturaliter debito, & ad felicitatem, naturæ rationali propriam, absolutè necessaria*, uti patet consideranti. Pax tamen in sensu strictiore, seu relativè ad bellum originem habet à jure Gentium. *Ratio* est: quia sicut bellum quò ad suos effectus præcipuos, ita & pax V. G. quò ad sistendum hostilem conatum, abolendas cædes, captivitatem &c. descendit à jure Gentium: unde, qui pacis conditiones infringunt, jus Gentium violare dicuntur. *Instruct. I. §. 1. Q. 1.* Origo.

Leucotheus. Quodnam subjectum pacis, seu quænam personæ contrahentes?

Subjectum pacis.

Melander. I. *Summi Imperantes*, utpote potestate præditi independente. Excipitur 1. Si jus Regis sit impeditum immaturitate ætatis, amentiâ &c. nam talis foret incapax obligationis privatæ, adeóque & publicæ. 2. Si Rex per captivitatem amitteret Regnum, ut patet: secùs si merè impediatur ab ejus administratione: nam hoc casu maneret Rex, haberétque jus ad necessaria media pro liberatione sui, inter quæ primum sanciendæ pacis conditiones esse ordinarie solent. Unde per captivitatem non perditur jus regium etiam respectu Regis electivi, sed tantùm impeditur exercitium juris ordinarium ex defectu præsentiæ, relicta potestate sanciendæ pacis. 3. Excipitur, si Rex foret exul, viverétque obnoxius servituti, ut patet. 4. Si quis Rege inferior, per viam privilegii, præscriptionis, aut concessionis jus

jus belli, & consequenter etiam pacis acquisivisset.

Jus delegabile. II. *Jus contrahendæ pacis est delegabile:* patet ex facto. Immò sæpe expedit; sæpe necessariò est delegatum, uti constat in statu polyarchico, ubi Optimates, vel cives citra maximam difficultatem haud in eundem locum confluerent. Instrui solent Legati speciali mandato, ratihabitione Principalibus reservatâ. Unde nec Bellíduci supremo hæc potestas, absque speciali mandato, competere censetur, quia potestas gerendi belli delegata non includit potestatem belli finiendi teste *Grotio*, quam sæpe togatæ, quàm sagatæ Palladis Ministri utiliùs administrant.

Mediatores. III. Ad sanciendam pacem adhiberi solent *Mediatores*. *Ratio est*, facilior modus componendæ pacis, terminandique belli, hostibus plerumque in causæ suæ prætextus, bellique prætensiones nimiùm obstinatis, nisi per neutras partes æquis rationibus ac conditionibus inclinentur. Acceptatio tamen Mediatorum non obligat jure Gentium, si obstet spes victoriæ, præjudicium dignitatis, vel emolumenti proprii, etsi Princeps, cujus interest, pacem possit ultro suadere, & recusatam armato fœdere procurare. Cæterùm Mediatorum officium est *amicabile*, & *merè suasivum;* si arma continuata in nullum eorundem præjudicium vergant. *Instruct. I. §. 2. Q. 2.*

Objectum pacis. *Leucotheus. Quodnam objectum pacis, & quid de illo sentiendum?*

Melander. I. Objectum pacis *in genere* sunt capita, seu articuli, utrinque conventi. Sint æquitati, & honestati conformes; sint claris verbis expressi; sint idiomatis utrinque noti, subscripti, & subsignati.

II. Objectum pacis *in specie* sunt 1. Articuli concernentes amnistiam cum perpetua hostilitatum oblivione: secùs enim pax firma esse haud posset. Amnistiæ effectus plures sunt, quos inter publica quies, vindicatio bonorum, commerciorum libertas &c. non tamen sese extendunt ad ea, quæ ante bellum, & extra belli causas acciderant.

III. Objectum pacis *in specie* sunt 2. Capita, quæ concernunt *restitutionem* personarum, rerum, jurium, dignitatum, bonorum &c. durante bello occupatorum. Restitutioni tamen probabiliùs non subjacent res ampliùs non extantes, aut legitimo titulo alienatæ. Idem sentiendum de fructibus, ac redditibus, qui ex rebus, aut juribus interceptis *jam percepti* sunt. Inde consequitur, quòd in casu pacis, aliter non obtinendæ, à Principe cedi possint *subditorum* bona, etiam citra eorum consensum, ob dominium eminens, & publicam tranquillitatem, privatæ utilitati præhabendam. Rursum consequitur, quòd *pacis causâ* etiam ditiones occupatæ, immò & non occupatæ, transcribi, & alienari possint in Regno patrimoniali; immò & non patrimoniali, in casu manifestæ utilitatis, seu publicæ necessitatis, salvis Regni legibus, & pactis, quandoque ad consensum Ordinum restrictis. *Ratio est:* quia Princeps, etsi Dominus non sit, est tamen præditus facultate plena administrandi Rempublicam, meliore modo quo potest, è duobus malis eligendo minus, cùm ejusmodi potestatem, *in tali casu*, à Populo, vel statibus concessam esse, meritò præsumi possit. Unde non infertur *plena potestas* in Regno non patrimoniali, sed *plena administratio ex tacito consensu*, si nulla reservatio extet, & quidem *respectu pacis* in ordine, ad conservationem totius, urgente evidenti utilitate, publicáque necessitate.

IV. Objectum pacis *in specie* sunt 3. *Articuli de satisfactione & compensatione pro impensis, damnisque bellicis.* Damna data à Principe remitti possunt *ob dominium eminens*, si pax aliter fieri non possit. Communitati tamen nulla est obligatio *ad compensanda privatorum damna*, durante bello illata, siquidem illata sint *nullo Reipublicæ commodo*: nam æquius est, ut damnum privati, ceu alium casum fortuitum, sustineant: probabiliùs aliter est sentiendum si damna forent illata privatis *publico Reipublicæ commodo*: nam *æquum est, ut commune detrimentum fiat, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut suas salvas haberent*, ùt habet Jureconsultus. *Instruct. I. §. 3. Q. 3.*

§. II. §. 2.

De effectu Pacis.

Leucotheus. Quinam effectus pacis? *Effectus pacis.*

Melander. I. Primarius est *obligatio servandi pacta*, etiam cum Bellatore injusto, quia obligatio non ex justitia belli, sed ex natura pacti progerminat. Hæc *primariò* stringit obligantes; *secundariò* subditos, utpote fide publica innexos, & ejusmodi pactis, *velut per legem*, adstrictos.

ctos. Immò, *per extensionem legitimam.* hæc obligatio etiam transit ad Successores, quia est *realis*, Principibus non tam *nomine proprio*, quàm *Republicæ* pacifcentibus. Stringit autem hæc obligatio, siquidem sit *absolutè*, inita, à tempore pacificationis, mutuò acceptatæ, per ratihabitionem Principalium, etiam penes Legatos *cum speciali mandato*, & *plenissima potestate* præditos usitatam, & necessatiam. *saltem quò ad accessoria pacis.* Accedere soler subscriptio & subsignatio *saltem regulariter*. Penes subditos requiritur publicatio, quia tenet *vim legis.*

II. Alter pacis effectus est *executio*, quæ incumbit vel *personis* pacifcentibus, vel per eos denominatis: executioni autem subjacent res restituendæ, remittendæ, cedendæ seu in juribus, bonis mobilibus, vel ditionibus: item *facta* per demolitiones munimentorum, abductiones præsidiorum, extraditiones captivorum &c. salvo tamen semper jure tertii. Ordo & modus executionis dependet vel ex conventione, vel ex naturali dictamine. Executionis obstacula *per exceptionem* non admittenda, nisi in causa primùm detecta, liquida, & absque ulteriore indagine demonstrabili. Sed neque *mora* permittenda, nisi in casu intervenientis impræviſæ necessitatis, aut impossibilitatis.

III. Tertius pacis effectus est *interpretatio*, siquidem necessitas postulet: hæc quatenus tangit *valorem pacis*, & favorabilis & latior est: quia ab illo dependet securitas publica; ut spectat *obligationem* inter pacifcentes vel *extendendam*, vel *restringendam*, est *stricti juris*, uti habetur ex paritate aliatum transactionum. Porrò interpretatio *authentica* est penes pacifcentes, saltem quò ad Articulos utrique parti communes: etsi mos ferat, rem controversam committere arbitriis delectis. *Instruct. II. §. 1. Q. 1.*

Paci contraria. *Leucotheus. Quænam paci contraria?*

Melander. I. *In Genere* omnia quæ vel pacem violant, vel novam belli causam suppeditant. *In specie* 1. Si inferantur arma sine nova causa, nisi id contingeret tantùm ab aliquibus subditis absque Principis pacifcentis culpa. 2. Si agatur contra id, quod in pace expresse stipulatum, siquidem sit in re majoris momenti, & nisi impossibilitas excuset, quæ tamen à debito non absolvit. 3. Si agatur contra id, quod ex pacis natura necessariò intelligendum, violando V. G. amicitiæ legem, in pace specialiter expressam, per atroces minas, exstructa in confiniis fortalitia, conscriptos milites &c. etsi dubia facta in meliorem partem sint exponenda. Ubi illud notandum, quòd violatio pacis non nisi violanti sit præjudiciosa, ut adeò obligatio ex ejus parte non solvatur.

II. Inter contraria pacis est *nova bellandi causa*, *pacem subsecuta*, hoc est, *nova injuria*. Patet. Unde violans pacem pœnam violanti determinatam incurreret toties, quoties violaret, onere etiam hæredes tangente, casu quo pœna deberetur non *ex sola culpa*, sed etiam *ex conventione*: eò quòd hæredes defunctum non solùm *in civilibus*, sed etiam *pœnalibus* repræsentent.

III. Inter pacis contraria est etiam *dolus substantialis*: quia deforet coniensus non tamen *accidentalis*, quia non deficeret consensus *quoad substantiam*: deceptus tamen obligatum habet decipientem ad præstandam indemnitatem, quia jus habuit, ut ne deciperetur.

IV. *Metum* quod spectat, *pax bello justo, seu per gravem metum, sed tamen justum extorta, tam in foro externo quàm interno, est valida, ac irrescindibilis.* Colligitur ex paritate cum contractibus aliis. Idem sentiendum in prudenti dubio, an justum sit bellum, quia causa dubia est insufficiens ad bellum, rescissa pace denuò instaurandum. 2. *Pax bello, seu vi, ac metu injusto extorta: ab inferente metum injustum ad servandas conditiones urgeri nequit salvâ conscientiâ*: nam injuria, pacto intrinseca, est inauferibilis, nisi remissione, vel juris renuntiatione per novum, cúmque liberum consensum. 3. *Sunt tamen cum Puffendorfio non pauci, qui ejusmodi pacem, vi ac metu injusto extortam, etiam jure naturæ invalidam asserunt, Ratio est* 1. Quia est æquitati naturali contraria ob illatam injuriam. 2. Quia à metum inferente *jure* pacis observatio exigi nequit, adeóque nec *jure* præstari poterit à metum passo. 3. Quia lex naturalis, vetans alteri metum incutere, eadem quoque ex isto metu jus accipere, & lucrum facere prohibet. 4. *Sed juxta probabiliorem, ejusmodi pax, regulariter loquende, & jure naturali & positivo est valida,*

utroque tamen jure rescissioni obnoxia. Ratio est 1. Quia *jure naturæ* plus non requiritur, quàm *justus titulus* qui habetur per consensum, *absolutè voluntarium*, metu voluntarietatem diminuente quidem, non tamen tollente. Unde ad 1. *Puffendorfii* rationem Rx. Quòd jus non oriatur ex pacto, *quà injurioso*, sed *quà voluntariè inito*: non enim obest injuria, secùs etiam contractus matrimonialis, dolo non substantiali obtentus v. g. fictis divitiis; pactum, *leviore metu* extortum foret jure naturæ irritum: sed nec obest *defectus libertatis*, secùs irritaret quoque metus, ex causa necessaria v. g. naufragio incussus, quod nemo dicit. *Ad* 2. Opponitur metus levis, quo non obstante, tenet obligatio metum passi. *Ad* 3. Etsi lex naturalis, vetans metum incutere, vetet quoque ex isto metu acquirere jus *absolutum*, non tamen vetat acquirere jus *conditionatum*, nisi rescindatur. 5. *Quòad jus positivum* assertio patet legum authoritate, quæ adstruit valorem ejusmodi contractuum, sed cum exceptione; & restitutione in integrum. 6. *Quò ad rescindibilitatem*, spectato jure naturæ, colligitur ratio ex fundamentali juris naturalis principio, quia nempe *rescindibilitas*, hisce in circumstantiis, est *medium exigitum ab amore, sibi ipsi naturaliter debito, seu ad felicitatem, naturæ rationali propriam, simpliciter requisito*: secùs enim natura deficeret in necessariis, nec superesset medium, quo supremi Principes, metum passi, sibi possent consulere, forentque deterioris conditionis, quovis privato, cui competit via juris, saltem positivi. Unde fluit, quòd ipsa *rescissio*, cùm nec *positivè* repugnet, nec etiam *positivè* exigita sit ab amore sibi naturaliter debito, rectè inter naturæ jure licita referatur. 7. Quòd hæc dispositio juris naturalis procedat in quavis læsione gravi, ac injusta, non modò quò ad exteros, sed etiam subditos rebelles, etsi pacta pacis forent jurata, patet ex eo, quòd eædem rationes pro hisce circumstantiis æqualiter stringant, & si deficeret Ecclesiastica potestas, Princeps summus, rescindendo ejusmodi pactum, injustè extortum, juramenti inefficaciam declarare posset. 8. *Rationes opponi solitæ non videntur efficaces.* Nam 1. Valor pacis, etsi rescindibilis, non foret frustraneus: si enim, extorta cum pace mox rei pactæ extraditio fieret, injustè paciscens acquireret dominium, etsi rescissa pace vindicatio rei competeret injustè læso. 2. Etsi effectus boni publici, & indemnitas Principum æquè habeatur, dicendo pacem, injustè extortam, esse ipso naturæ jure invalidam, nihilominùs dicendo pacem, esse quidem naturæ jure validam, sed rescindibilem, habetur effectus, modô magìs conformi & juri positivo, & naturali, ad cujus valorem ostendi nequit, quid desit, uti patet ex dictis. 3. Juramentum, paci adjectum, addit quidem obligationem religionis, quæ tamen relaxata noscitur per sacros canones: hinc etsi obligat *per se* loquendo, *per accidens* tamen, & casu quo deficeret Ecclesiastica potestas, à Principe summo sibi ipsi est remissibile in sensu, suprà jam indicato. *Instruct. II. §. 2. Q. 2.*

§. III. — §. 3.

De accessoriis pacis. — *Accessoria Pacis.*

Leucotheus. Quænam accessoria ad pacem?

Melander. I. *Obsides*, per quos intelliguntur personæ è *numero civium, alteri parti in securitatem fidei publicæ eo fine traditæ, ut quamdiu fides liberata non fuerit, ibique persistant, vel* in casum fractæ fidei, arbitrio partis læsæ, quantùm jus naturæ & Gentium permittit, relicti habeantur. In non subditis requiritur consensus liber, obsides ut esse velint: fuga *per se* loquendo, videtur obsidibus illicita, quia saltem *implicitè* data fides est; & aliàs frustraretur finis, putà, *certitudo de credito*. Non tamen in casu fractæ fidei, vel servitute vel morte multari possunt, quia aliter oppignorati à civitate haud præsumuntur, cùm civitati nulla sit in innocentes potestas præcipuè in mortem ut tradi possint: unde facta contraria firmare jus nullum queunt. Cæterùm æquitati est consonum, ut in longum extrahente se morâ per alios sublevventur; ut exsolutâ fide illicò restituantur; & si quis *locô personæ* solummodò datus sit, hac mortua liberetur. — *Obsides.*

II. Inter accessoria pacis quandoque sunt etiam *fidejussores*, sic dicti, quòd alienam obligationem in suam fidem recipiant, munere non raro *Mediatoribus pacis* competente. Hi, Principalium loco, obligantur ad satisfactionem de suo, casu quo illi nollent, vel non possent stare pacis articulis. Accedunt *pignora*, in quibus jus reluendi, ùt ex contractu pignoratitio resultat — *Fidejussores ac Mediatores.*

tat *tanquam jus personale*, etsi præscribi possit, res tamen oppignorata, solo pignoratitio titulo, præscribi nequit: quia Creditor pignus alieno nomine retinet, *non sibi sed debitori*, nec possessionis causam sibi mutare potest.

Salvus conductus. III. Ad accessoria pacis refertur quoque *salvus conductus*, quo notatur justum & perfectum ab omni hostilitate præsidium, ad quod *in specie* pertinent litteræ fidei publicæ, queis de pace tractantibus, aliisve tam in via quàm termino, præstatur plena securitas. Salvus conductus, cùm sit privilegii instar, est latioris interpretationis, *salva tamen verborum proprietate, condinentibus*. Unde extenditur à militibus ad Duces; à patre ad filium, & conjugem; à Domino ad famulitium necessarium; à facultate veniendi, ad facultatem redeundi: à personis ad necessaria bona &c. salvâ *tamen semper justitiâ, & adversus violentiam injustam*. Denique salvus conductus effectum habet etiam extra territorium concedentis, quia datur contra jus belli, quòd per se territorio non includitur; neque expirat per mortem concedentis, nisi inserta sit clausula: *quamdiu voluero. Instruct III. §. 1. Q. 1.*

Materiæ paci annexæ. *Leucotheus. Quænam materiæ paci annexæ, atque affines?*

Induciæ. *Melander.* I. *Induciæ*, seu *armistitium*, vel etiam *Trenga*, quæ indicant *conventionem, per quam manente bello hostiles actus intermittuntur ad certum tempus*. Aliæ dicuntur *breves*, quia dierum solummodò, seu mensium; aliæ *longæ*, quæ sublato utrinque apparatu bellico, in plures annos porriguntur. Illas concedendi potestas est etiam penes Duces, quia administrationi militari hæc quietis imago inesse creditur; hæc pangendi potestas est penes Principes summos, quia participant naturam pacis. Induciarum effectus est obligatio *stricta* etiam respectu subditorum: quoàd temporis initium tamen & finem, est *interpretationis latioris*: quia, *saltem regulariter*, est in favorem publicum, cùm ex utraque parte parcatur sanguini humano. Alter effectus est *cessatio ab omni hostili actu, sive in personas, sive in res*, etsi hæc in induciis brevioribus plerumque restricta sit *ad limites & expressiones factæ conventionis*, ut adeò saltem *regulariter* loquendo, non includat cessationem illimitatam ab omni prorsus hostilitate, neque vetet, quin submissa intercipiantur auxilia, vel occupentur loca, verè derelicta, & sic de aliis. Cæterùm induciæ cessant vel lapsu termini, vel mutua partium consensione, vel alterutrius ruptura, ubi parti innocenti est liberum vel pœnam exigere, vel induciarum continuationem petere, vel ad arma redire.

Compromissum. II. Inter materias, paci affines, est etiam *arbitrium*, seu *compromissum*, quo bellantes communi voto unum vel plures arbitros eligunt ad controversias belli componendas. Si componant *suasivè*, sunt *Mediatores*; si componant *decisivè* sunt propriè *arbitri*. Horum est judicare secundùm leges, si sint electi *ut Judices*; si ut meri causæ *Decisores*, pronuntiare ex æquitate, & humanitate. Post dictam sententiam appellatio compromittentibus est intercisa, ut ne fiat processus in infinitum. Excipitur tamen casus apertæ fraudis, & si duo arbitri ipsimet dissentirent, ubi recursus haberi potest ad tertium.

Deditio. III. Inter materias affines recensetur etiam *deditio*, qua pars, bello fracta, sese hostis arbitrio permittit vel *absolutè*, absque reservatione, vel *conditionatè*, seu adjectis capitulationibus. *Absoluta deditio* Victori tribuit *jus universale* quò ad personas, res & bona; immò spectato Gentium jure permissivo, & quò ad forum externum, etiam quò ad vitam & libertatem, etsi sublatâ inter *Christianos* servitute, naturalis æquitas clementiam humanitatémque exposcat. *Deditio conditionata* restringitur ad pacta, quibus Victori fideliter inhærendum est.

Sors, & singulare certamen. IV. His materiis à nonnullis annumeratur *sors*, qua, tanquam fortuito medio, controversiæ summos inter Imperantes terminantur. Hujus usus fat exoletus, nec promiscuè licitus, etsi deficientibus aliis mediis, in causa nimis ancipiti præstaret forsan, rem incertitudini sortis committere, quàm certa belli discrimina subire. Huc revocant quoque *singulare certamen*, quo duo vel plures utrinque congrediuntur ea lege, ut victoria sit penes illam partem, cujus selecti pugiles extitère Victores. Hoc jure Gentium, saltem externo, permissum probant plura exempla; *absolutè* licitum suadet exemplum *Davidis* & aliorum Principum *Christianorum*; item ratio, qua parcitur nimio sanguini;

guini: ubi tamen excipienda causa religionis, pro cujus tuitione cuncta humanæ potentiæ media apprehendi, vires omnes exeri, sanguis & vita consecrari debent.

INDEX UNIVERSALIS

Rerum magis memorabilium, quæ in tribus libris continentur.

Prior numerus librum; posterior paginam indicat.

Solemne

q 2 Chri-

Feripeta.

H.

Ra-

K.

Ma-

Eo.

Plato.

R.

Male

Thare.

O. A. M. D. G.